DICTIONARIUM
CASUUM
CONSCIENTIÆ,
E GALLICO IDIOMATE
LATINE REDDITUM.

L–U

DICTIONARIUM
CASUUM
CONSCIENTIÆ,

Quos ſecundum Moralis principia, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Conſuetudines,

CONCILIORUM, ET CANONISTARUM AUCTORITATEM, ET REGNI JURISPRUDENTIAM

Domini Quondam

DE LAMET ET FROMAGEAU

Sorbonicæ Familiæ & Societatis Doctores deciderunt,

E GALLICO IDIOMATE, QUO PARISIIS PRODIIT, *LATINE REDDITUM.*

In ſupplementum Dictionarii viri Clariſſimi Domini JO: PONTAS.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCLIII.

Apud ANTONIUM BORTOLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



LOCATIO PECORUM.



Quod Locatio Pecorum dicitur, est contractus, quo certus pecorum numerus Villico cum dimidia lucri parte tribuitur; appellatur etiam pecorum redditio, quia rusticus, qui a cive gregem accipit, ea conditione accipit, ut ad contractus terminum ei reddat eumdem pecudum numerum, tantique pretii, quanti sunt æstimatæ, cum eas accepit, aut pretium, quo ipsæ habitæ sunt. Si locator periculum, quod Villicus in se recipit, ut nempe locatione absoluta tantumdem Pecorum reddat, aut eorum pretium: putant aliqui, cum periculum sibi a Villico impositum sit pretio æstimabile, a locatore nullam ei injuriam inferri, si ipse compensationis loco majorem, quam deberet, gregis fructum acciperet. Est tamen indubitatum, eum, qui gregem tribuit, non posse pacisci tutam suam sortem fore, quamvis minus gregis lucrum percipiat, quia pactum hoc efficit, ut societatis contractus induat naturam mutui, cujus gratia nihil percipi potest, quin usura perpetretur, quoniam tunc translatum dominium est, & qui gregem accipit, tenetur ejusdem valoris gregem restituere, quæ sunt conditiones ad contractum mutui necessariæ, quæque societatis contractum de medio tollunt.

Ita ergo hi contractus iniri debent, ut liciti sint: potest tribui grex ad sex annos, plus, minusve, fructus vel proventus interea dividi; confectoque termino, quantus est, dividi grex pro conventionis ratione. Potest etiam quisque conferre dimidium gregis, atque impensarum, tum quæ nutritionem spectant, tum quæ custodiam, & æqualem deinde omnium divisionem statuere; aut etiam potest unus alimoniam suppeditare, alter vero custodiendi & ducendi gregis impensas facere.

Est & alia ratio contractus pecudum ad dimidiam lucri partem ineundi. Gregem certo pretio jam æstimatam Petrus Joanni tradit, ea lege, ut Joannes ei pabulum, stabulumque suppeditet, custodiat, curetque suis sumptibus, omnino ut erga suum proprium faeit, ac facere teneretur. Si grex moritur, perditur, aut deperit accipientis culpa, damnum in eumdem cadit; si minus id ejus culpa fit, damno ipse non subest donec æstimationis sortem solverit; sed in locatorem universa jactura recidit. Cum autem sortem solverit, jactura erit utriusque communis. Societatis contractus hic permissus est pluribus consuetudinibus Tractus Nivernensis, Ducatus Bituricensis, & Provinciæ Borbonensis; confirmaturque ex eo, quod nihil injusti, nihilque illiciti continet; at difficultate tamen caret, ut ex sequenti Casu compertum fiet.

Regulæ servandæ in Pecorum Locationis contractibus.

CASUS.

1 *Cogi non debet locati gregis acceptor, in locationis fine eum prorsus integrum restituere, nisi cum domino fructus provenientes dimiserit, aut ob nutritionem, custodiam, & labores, quos subiit, indemnis servetur.*

2 *Non debet acceptor sortis jacturam aut diminutionem pati, cum non contigit ejus culpa; ei perire debet res, ad quem pertinet.*

3 *Si locatione absoluta, sors imminuta esse comperiatur, nec fructibus exæquetur, acceptor eam compensare non tenetur.*

4 *Id vero minus tenetur facere, cum gregis pars contagione aliqua perit; locator jacturam hanc pati debet, ut acceptor nutritionis, & suorum laborum jacturam patitur.*

5 *Locator impedire non potest, quominus acceptor utatur animalibus ad vectationes curandæ locationi necessarias.*

QUÆSITUM.

Petrus est prædium instructum agris, pratis, pecoribus, &c.

Pecora sunt pretio 1500. librarum; Joannes suam curam exhibet ad prædii bonum.

Acceptat Petrus, I. ea conditione, ut Joannes ejus fundos recte curet & colat, eorumque proventum, perinde ac pecorum fructum æqualiter cum Petro dividat.

II. Ea conditione, ut Joannes locatum gregem talem restituat, qualem accepit, quamvis restitutionis tempore minoris vendantur pecora, quam tempore traditionis.

III. Si quæ pecudes Joannis culpa perierunt, tenetur locatum gregem integrum facere.

IV. Si grex locatus non est integer tempore restitutionis, cum Joannes emolumentum perceperit, ambo æque conferunt, ut gregem locatum compleant;

plcant ; si hoc emolumentum non sufficit, Joannes, quod deest, addere debet.

V. Hinc sequitur, ut, si nihil extiterit emolumenti, atque imminuta locatio sit, Joannes eam redintegrare teneatur.

VI. Joannes præterea obligatur a Petro, ut in ejus commodum onerariis vehiculis utatur, & in sui ipsius commodum uti prohibetur.

VII. Denique Petrus etiam quandoque Joannem cogit gregem integrum reddere, licet pecora interierint aut morbis, quæ sæpe greges invadunt, aut casu fortuito, absque ulla Joannis culpa.

Quæritur, an tuta conscientia contractus iniri possit cum his omnibus clausulis, quæ in Provincia consuetæ sunt, ne Villicus pecora dissipet; ac si forte contractus hic sit illicitus, rogatur Conscientiæ Consilium, ut indicet, quid ei detrahendum sit, ut licitus efficiatur.

Agris, pratis, domibus minime traditis, dat Paulus Jacobo pecora, quorum pretium est scutorum quinquaginta, ea conditione, ut Jacobus suis impensis ac sumptibus pecorum stabula & nutrimenta suppeditet, reditum perceptum cum Paulo locationis tempore partiturus, locatione autem completa locatum gregem redditurus eumdem, iisdemque conditionibus in prædiorum casu paulo ante propositis.

Quæritur, iniri ne possit tuta conscientia contractus hic. Iis porro in locis consuetus est.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, statim ac Petrus in animo habet suum prædium, & sua pecora Joanni tradere, ea conditione, ut ipse suos labores conferat, totisque viribus traditarum rerum bono invigilet, ut proinde inter Joannem, eumque statuatur societas, legitimæ societatis regulas servandas esse.

Jam vero I. est in regulis, ut qui in hac societate majus sentit incommodum, plusque solvit, majus emolumentum inde percipiat, qui vero minus confert, minus recipiat.

II. Illud animadversione dignum est, in contractibus societatis pecorum non eamdem rationem, easdemque conditiones ubique servari; alicubi enim gregis locatio quam alibi utilior est, sive ob meliora pabula, sive quia ob majus commercium res pluris ibidem venduntur, ut lanæ, pelles, &c. Quare onera acceptoribus alicubi imposita exigenda non sunt ad ea, quæ alibi imponuntur. Quod in causa fuit, cur S. Antoninus pronunciaret: *in diversis terris fiunt ista diversis modis*, 2. p. t. 1. c. 7. §. 39.

III. Id vulgo ad societatis contractum spectat, ut cum locati gregis sors perit, locatori perire debeat, quia ejus dominus ipse supponitur, *Res perit Domino*. Potest quidem locator cum locatario convenire, ut hic servatus indemnis jacturæ, quæcumque possit accidere, subjiciatur; verum id non amplius ob societatis contractum est, quo pactum hoc nequaquam permittitur; sed inter locatorem & locatarium id convenit alterius contractus vi, cui nomen fiduciæ, quam plures Auctores rejiciunt. Qua de re videri potest Azorius 3. *par. l. 9. cap. 7. quæst.* 10.

IV. Ex hac tertia conditione conficitur, cum locati gregis sors ad locatorem spectet, si locatione completa, inquit Cabassutius *in Praxi l. 6. c.* 12. *n.* 9. locationis sors utilitate caret, universam sortem a Domino recipi, ab acceptore nihil omnino; si autem sors periit, eam locatori perire; si est imminuta, aut vero aucta, diminutionem in dominum cadere, augmentum porro dividi.

Hoc posito, respondetur ad primam facti speciem injunctum videri, Joanni, qui locatarius est, id imponere, ut ad locationis finem dimidium solvat locati gregis; primum enim si locati gregis sors hæc decrevit, & id quidem haud acceptoris culpa, decretio hæc in locatorem utpote dominum cadere debet; deinde vero ita semper Joannes suæ curæ compensatione, aut compensationis parte privaretur; ei majus onus imponeretur, quam Petro, qui locator est, & pecora ad ipsum pertinentia cogeretur tradere, quorum proprietas Petri esset; quod a justitia alienum est, ut sentiunt Sylvester *v. Societas* 2. *q.* 9. 8. & 91. *§.* 2. Azorius 3. *p. l.* 9. *cap.* 7. *q.* 9. Bonacina *tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 6. *p.* 5. *n.* 5. aliique. Compensandus igitur Joannes a Petro esset alia ratione, si eum hac conditione vellet obstringere; necesse esset exempli causa, ut Petrus ei traderet locationis tempore pecora, quæ vendere teneretur, ut alia in eorum locum sufficeret; aut saltem lucri venditionis hujus ei partem daret; aut denique eum aliqua alia ratione indemnem servaret, prout probus & prudens loci vir judicaret.

Sed in eo etiam gravior est injustitia, quod Petrus locator Joannem adigit, ut locatione absoluta locatum gregem compleat; ita enim locator nulli unquam periculo subest, quoniam certus est suæ locationis sortem semper integram fore; si cui subest periculo, id omne est in eo positum, ut nihil lucretur, non autem ut quicquam, per hunc contractum, qui fiduciæ dici potest, amittat; econverso Joannes locatarius periculo semper subditur. Id quod damnant Auctores secundum Sanctum Antoninum loco laudato: quippe quod in hac facti specie minime servetur æqualitas.

Conditionis quintæ injustitia ex eo apparet, quod modo dictum est, ut nempe Joannes locatum gregem, si decreverit, redintegrare teneatur, quamvis non ejus culpa decretio contigerit, atque adeo nullum ipse emolumentum perceperit. Conventio hæc omnino est repudianda.

Injusta est sexta conditio, si Petrus nolit Joannem vehiculis onerariis in sui ipsius bonum uti; causa exempli, si nolit eum suis bobus uti ad ferenda ligna, vinum, aliaque in prædii bonum, eorumque usum, qui in eo suam operam collocant; posset sane Petrus eam Joanni legem imponere, ut ne ad vehendum in aliorum gratiam, atque adeo ad suos agros colendos bestiis, quas ei tradidit, uteretur; quo in casu nihil a justitia alienum esset, quia verendum foret, ne id bestiis detrimentum afferret, & quidem locatoris damno.

Conditio septima prorsus injusta est; locatarius enim minime tenetur locatum gregem sarcire, cum non periit ipsius culpa; nam quamdiu locationis sors ad locatorem pertinet, ejusque ipse dominus est, diminutio & jactura debent in eumdem cadere, *Res perit Domino*.

Ut ergo societatis contractus æquitatis regulis conformetur, omnino necesse est, ut si locationis fundus est integer, Petrus, qui locator est, ad locationis finem eum sibi sumere incipiat; tum vero lucrum æqualiter dividatur pro conventionibus licitis inter Petrum & Joannem statutis, & prout eæ fere servantur a probis locorum viris, in quibus ejusmodi contractus fiunt; quod si locatus grex locationis tempore perceptis emolumentis solutus est, Joannes locatarius ex alia parte nutritionis suorumque laborum compensationem accipere debet, aut lucra, quæ complendæ sorti inserviunt, Petro & Joanni debent esse communia; ita quidem Azorius, Bonacina, aliique Theologi.

Quoad expositionis partes alias, exigendus est contractus ad regulam, quæ id præscribit, quod nos explicuimus. At si alia addantur onera, pro consuetudine loci, ubi contrahitur, quæ quidem alibi in usu non sint, unius aut alterius probitatis atque experientiæ laude præstantis viri judicio standum est, ut cognoscatur, an hi contractus cum justitia cohæreant, atque in iis æquitas adamussim servetur.

Quod porro ad priorem casum responsum est, alterius solutioni inservire potest.

Decisum hac die 22. Junii an. 1698.
G. *Fromageau*. D. *Charton*.
G. *Bourret*. C. *de Precelles*,

Vide Dictionarium D. PONTAS.

L U D U S.

Ludus, docente D. Thoma, est id, quod dicitur aut fit præcipue ad animi relaxationem: (a) *Ludicra vel jocosa sunt dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis.* Itaqua ludus remedium veluti quoddam ast ad relaxationem institutum; & quemadmodum somnus corporibus concessus est ad vires quiete reficiendas: ita ludus animo datus est, ut speculativarum seu practicarum rerum considerationem per oblectationem aliquam intermittat, atque ita vires suas reparare, ac deinde facilius ea, ad quæ incumbet, percipere possit.

Distinguuntur ex hujus sancti Doctoris doctrina ludorum genera tria. Primum genns eorum est, qui in se ipsis aliquam continent deformitatem, quam quivis hominum vitare debet, iique præsertim, qui peccatorum suorum pœnitentiam agere debent, cujusmodi sunt ludi, qui in Theatris repræsentantur, & ad impuritatem excitant. Genus alterum ast eorum, qui proveniunt ax lætitia, quam ex Dei gratia atque amicitia percipimus, ut se gessit David, dum dixit: (b) *Ante Dominum .... & ludam, & vilior fiam:* & hi quidem ludi non sunt vitandi, immo potius laudabiles sunt, & gloria digni. Tertium genus eorum est, qui in se nihil mali continent, sed in eum tantum finem sunt instituti, ut honestæ relaxationi inservirent; quamobrem eorum usus permissus est ad animi quietem, & ad humanæ societatis conservationem, dummodo circumstantiæ ad hujus actionis bonitatem necessariæ in iisdem serventur; quod ei magnopere conforme est, quod ait Sanctus Antoninus, (c) triplicis nempe generis ludos esse; alios, qui ex magna devotione proveniunt, qui quærendi sunt; alios ad animi relaxationem institutos, qui sunt tolerandi; alios denique, qui ex maligni spiritus suggestione proveniunt, qui proinde vitandi sunt.

Inter hos postremos ludi periculosi dicti Clericis potissimum sunt prohibiti; quod constat ex Canone *Clerici*, ex alio Canone *Episcopus*, & ex Lege Justiniani; sed hi ludi Laicis quoqua vetiti sunt, quoniam laudatus Canon *Episcopus* communione privandos mandat aos, qui hujusmodi periculosis ludis operam dederint; id quod firmatum est Constitutione Ludoviei XIII. diei 30. Maii an. 1611. in hæc verba: „ Prohibemus omnibus omnino, cujuscumque qualitatis & conditionis fuerint, ne in ullis Urbibus & locis Regni nostri aleatoria loca teneant, neve aleis aut tesseris ludant. Declaramus omnia debita ob ludum contracta nulla, & omnes obligationes & promissa ob ludum facta, utcumque tecta fuerint, nulla, & nullius effectus, & omni obligatione civili & naturali spoliata. Ait Divus Antoninus ludum periculosum esse peccatum mortale, cum ex immoderata lucri cupiditate luditur; at peccatum mortale non esse, cum id in ludum confertur, quod ludentibus grave non est, eorum conditione spectata, tum præsertim, cum delectatio tantum proponitur, non autem lucri cupiditas adest, & dummodo nulla occurrat ex iis circumstantiis, quæ periculosum ludum prohibitum reddunt.

Multæ porro sunt circumstantiæ, propter quas periculosus ludus vetitus est, quæque in causa fuere, cur eum Civiles & Ecclesiasticæ Leges prohiberent. Prima est dispendium temporis, cum nempe ludus æquo longius producitur, quia ludus ob id unum conceditur, ut relaxetur animus, non ut occupetur. Altera est, cum ludentium alter vel uterque subirascitur, juratque, atque adeo blasphemias evomit; qua de causa Justinianus Imperator periculosum ludum prohibuit in Lege *Alterum*. Tertia est, cum exponuntur ludi discrimini summæ graves, quæ proinde possint detrimento esse ludentium negotiis. Quarta denique est, cum luditur ob immoderatum lucrandi desiderium, non vero ad oblectationem, quæ quidem ludi honestus finis esse debet, & sine qua ludus, docante D. Antonino supra laudato, mortale peccatum est.

Hæc sane in causa fuerunt, ut Imperator Justinianus adeo severe ludum prohiberet in Lege 3. *Cod. de Religiosis* &c. Lex hæc in medium est producenda ad eos, qui tam cupide ac vehementer ludo se dedunt, ab occupatione adeo perniciosa avertendos. „ Tamdiu est, inquit, quod ludus ad militum relaxationem primo institutus, omnibus deinde permissus est; sed quod humanæ vitæ pœnis & incommodis solatio esse deberet, evasit exeidii causa, & querelarum argumentum; homines bene multi suorum omnium bonorum jacturam fecerunt diu noctuque ludis vacantes, & quodam desperationis impetu abrepti exacrandis blasphemiis sese inquinarunt. Id in causa est, ut nos hac generali lege vetemus, ne ludi publice, aut in privatis domibus fiant, atque adeo ne quis iisdem intersit; & quamvis nullam pœnam imponamus iis, qui ludo vacaverint, aut ludentibus adfuerint, volumus, quod perditum est, reddi, si solutum fuerit, & ad id repetendum consuetis rationibus agi posse tum in eos, qui luserunt, tum etiam in eorum hæredes; ac si forte qui jacturam fecerint, vel eorum hæredes suæ pecuniæ restitutionem petere neglexerint, Fiscus poterit petitionem instituere, nisi annorum quinquaginta spatium elapsum fuerit. Hortamur Episcopos, ut hac de re solliciti sint, & utantur Præfectorum nostrorum auctoritate. Recenset deinde ludorum genera quinque, quæ permittit, & sunt ejusmodi; I. cum hasta pura saltare; II. saltare ope baculi; III. sarissam aut telum jacere; IV. luctari; V. intra certos fines curru in orbem vehi; & quidem unum tantum solidum ludere sinit, quamtumvis ludentes divites sint, ut graves jacturæ vitentur.

Clarum apertumque est, quod hac Lege sancitur, firmatur nempe vetus Jurisprudentia, quæ periculosos ludos, qui nunquam non vetiti fuerunt, absolute prohibebat. Hujus autem prohibitionis non illud modo fundamentum erat, quod nonnulli persuasum habebant, Dæmonem discrimini præsidere, adeoque ejus legibus sese subdere, qui ludis vacat, quorum eventus ab eo pendet; verum etiam quod tristia incommoda consequerentur eos ludos, qui cæterorum gratissimi vehementissime animos detinent, & a cæteris omnibus curis abductos addicunt voluptati, quæ sensim & cate ad extremam perniciem pertrahit; quod sæpe contingit adeo insuetis casibus, ut vel repugnante ratione per execrandum iræ impetum eo audaciæ deveniatur, ut in Deum ipsum adversæ fortunæ incommoda refundantur,

(a) S. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2. in corpore. (b) 2. Reg. c. 6.
(c) S. Antonin. 2. p. tit. 5. c. 23.

tur, Tribui quoque possunt ejusmodi ludis tam frequentes querelæ, rixæ, atque horribiles interneciones, quæ eveniunt quam sæpissime. Nihil horum malorum contingeret, si custodirentur fines Legum, quæ ludos indigitarunt, quibus homines vacare possent, & præsertim Christiani, qui nonnisi in Domino gaudere debent. Qui universum negotium hoc funditus cognoscere cupit, præter sequentem casum, in quo quidem id ipsum accurate disquiritur, legere potest Opus D. Thiersii typis editum Lutetiæ Parisiorum apud *Desaliez* hoc titulo: De ludis & oblectationibus inter Christianos permissis, aut prohibitis, Gallico sermone.

Sorbonicorum Doctorum quoad ludum decisio.

CASUS I.

1 Fæmina, quæ magnam temporis partem in ludo collocat, atque adeo mutuatur, ut ludi incommodis occurrat, in peccati statu versatur, & si pergat ita se gerere, de salute periclitatur.

2 Confessarii hac in re conniventis silentium eam in tuto non ponit; fortasse ob justam Divini Numinis iram is ei est a consiliis & confessionibus, qui obmutescit, nec monet, quid ipsa facere, quidque vitare debeat.

QUÆSITUM.

FÆmina gradu præstans, vitæ cæteroqui satis integra sæpe ludit. Lucratur illa quandoque ingentem pecuniæ vim, eamque vel numeratam, vel in schedulis, ut ob mutuo datos nummos, de quibus exigendis est valde sollicita. Sed quia sæpius adversa quam secunda fortuna utitur, bonorum, quæ possidet, partem vendit, atque adeo mutuatur, ut in ludo persistat.

Venit ad eam Parochus, ipsamque de ludo maxime increpuit, inquiens eam non tantum in Parochia degentibus, sed iis etiam omnibus, a quibus cognoscitur, scandalo esse, quippe quæ domi suæ omnia hominum genera ad ludum excipiat; & propterea ipsam a salutis tramite aberrare, ni pedem referat.

Illa vero, ut se tueatur, respondet:

Primo se non ejus conditionis esse, ut laboret, nullaque se cura impediri, quominus animum relaxet.

Secundo ludum rem malam non esse, seque cum honestis viris graduque præstantibus fere ludere; quod si quæ Leges periculosos ludos prohibent, eas præscriptas, & usu abrogatas esse; atque id quidem eo magis, quod qui eas sanxerunt, aut earum custodiæ præpositi sunt, aliorum more ludere solent.

Tertio eos, qui ad se ludendi gratia veniunt, aut ad quos ipsa lusum pergit, non quoslibet e plebe esse, sed genere, ac dignitate præstare; nec inter eos deesse Ecclesiasticos Viros & quidem gradu distinctos, qui ibidem ludunt ut alii, vel adstant ludentibus; qui sane ab hac re, si mala esset, abstinerent.

Quarto neque a Confessariis, neque ab eorum ullo, quibuscum ludit, quantum ipsa cognoscere potest, ullum sibi hac in re scrupulum injici.

Quinto se quidem cupere sibi uno verbo significari sedula & accurata consultatione, cujusmodi sua culpa sit, & in quo tandem consistat? Se quippe ad hoc usque tempus tam graviter, ut contenditur, delinquere non credidisse.

Quamobrem rogantur Sorbonæ Doctores, ut in hac facti specie suam sententiam proferre velint; atque an Matrona, de qua sermo est, utpote nobilis possit conscientiæ securitate gaudere, quin debeat a ludo desistere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Matronam, de qua agitur, versari in salutis discrimine, si in ludo de more persistat.

Verum ut nihil omittatur, quod alicujus momenti sit ad ludi negotium, ut ipsa postulat, in bono lumine collocandum, ut ita rationes, quibus absterreri possit, funditus ac distinctim cognoscat; expendentur hoc loco quæstiones tres, quarum solutio proposito Casui responsioni esse poterit. Ut autem in re, de qua quæstio est, nihil dubitandum supersit; satis deinde pro viribus fiet rationibus, quas Matrona nobilis in libello supplici ad suam causam tuendam in medium affert.

Prima quæstio est, an ludus in se ipso sit malus, is ipse, qui prorsus a sorte pendet?

Altera, facta hypothesi malum non esse, an ob circumstantias, quæ fere eum comitantur, aut consequuntur, malus reddatur? præsertim cum passim luditur, exponunturque summæ non mediocres, proprii status & conditionis ratione habita.

Tertia, si ludi fortuiti in praxi & moraliter loquendo mali sint: quomodo se gerere debeant Confessarii quoad eos, qui ejusmodi ludis addicti sunt, cum accedunt ad Sacramenta?

Auctores bene multi de ludis fortuitis scripsere, sed alia atque alia ratione. Negant alii vacari posse ludis fortuitis, iis præsertim, qui mere fortuiti sunt, postquam Legibus vetiti fuerunt. Asserunt alii pecuniam quoque in ludum conferri posse, dummodo summa sit modica. Sunt, qui putent nunquam lucri gratia ludendum esse, quia ludus ad voluptatem, tempusque fallendum est institutus. Hæc ipsa lucri ratio multorum judicio non satis gravis causa est, cur ludus malus reddatur. Non desunt, qui contendant Leges Civiles & Ecclesiasticas, quæ ludos prohibeat, non amplius vigere, & contraria consuetudine abrogatas esse. Alii vero contra sentiunt.

Quod attinet ad Clericos, Auctores non pauci in ea sunt sententia, ut credant eos citra peccatum ludis fortuitis vacare non posse. Sunt alii, qui eos ludere patiantur, modo id cum modo fiat. Itaque multæ, quod spectat ad ludum, difficultates occurrunt; ita ut in tanta sententiarum diversitate, quod pertinet ad hoc negotium, ne in moralis aut strictioris aut laxioris, quam par est, extremum alterutrum incidamus, etiam atque etiam videndum sit, quænam quoad ludos fortuitos Ecclesiæ doctrina sit, & quænam mens Legum, quæ super hoc negotio passim sancitæ sunt; quo nempe statuantur principia, ex quibus constitui sententia possit, quæ Confessariis tuta sit ac certa regula cognoscendi, quandonam ludentibus debeant absolutionem vel concedere vel denegare.

Ludus universim & in se ipso spectatus nequaquam malus est; de ludis quidem ab honestate alienis non agitur in præsentia. Est ludus ex earum rerum genere, quibus bene aut male uti possumus. Et sane ludus eo modo spectatus, quo fere sumitur, & ut hoc loco potissimum de eo quæstio instituitur, nihil est aliud quam contractus, quo partes conveniunt, ut quod depositum ad ludum, vel de quo conventum est, ad eum spectet, qui victor extiterit; est pugna duorum pluriumve, cujus præcipuus finis delectatio, atque animi voluptas est. Porro contractus hic ipse per se, vel naturali jure non est prohibitus. Periculum, quod in eo aliquando potest occurrere, malum ipsum non efficit: quemadmodum enim quisque id absolute donaret, quod ad se pertinet: ita ejusdem rei dominium in aliquem transferre potest sub aliqua conditione, sive ea conditio contingat forte fortuna, sive per ejus industriam, in quem sui quis boni dominium transferre vult. In contractibus, in partitionibus, & in aliis omnibus occasionibus, in quibus adest periculum, & pro bono pacis res sorti committuntur, non apparet ex discrimine existere quicquam mali; & ut de periculoso ludo singillatim dicatur, ei aliquando vacare licet tum ad suam ipsius, tum ad alterius relaxationem, ita ut exempli causa vel

ex ludo mensa paretur, vel aliquid pecuniæ in ludum conferatur; ita sentit Tostatus (a), ita Auctor Summæ Angelicæ (b) ita plures alii (c).

Et sane ccdum dubia sors ludum malum reddat, videtur potius majorem ludo voluptatem afferre; quod enim minus intendit animum, magis est ad oblectationem accommodatum. Porro quod a discrimine, & a casu fortuito pendet, minus animum distinet; & cum magis etiam ex improviso fiat, ad oblectandum est aptius, quam quod ex industria provenit. Accedit & illud, quod jactura, quæ in fortuito ludo fit, toleratur libentius, quippe quæ, ut videtur, minus turpis est. Id animadvertit Navarrus in Manuali (d). Nihil est igitur vituperatione dignum in ludo universim spectato, & in conventione, quam ludentes invicem ineunt. Pravæ quidem circumstantiæ, quæ in ludo adesse possunt, eum reddunt illicitum; at ludus ipse, absolute loquendo, non est ejusmodi. Neque vero lucri cupiditas eum magis efficit criminosum, nisi ea quidem modum excedat. Et de peculiari fine, quem ludens sibi proponit, ut ut tandem sentiendum sit: ludi certe finis præcipuus, ob quem institutus est, qui quidem est oblectatio, ne dum ludum efficiat illicitum, eum potius homini perutilem, quasique necessarium reddit.

Natus est homo ad laborem, & ad suscipiendas sive internas sive externas curas, quæ quidem eum distinere possunt, ejusque vires graviter imminuere; hæ porro utpote certis terminis definitæ quamprimum succumberent, si nunquam remitteretur animus, & actio nullo unquam tempore intermitteretur. Remissio hæc est in animo delectatio, ut in corpore quies est. Quia tamen homo ob cordis corruptionem bonis quoque rebus, atque adeo magis iis, quæ promiscue se habent, abuti potest; D. Thomas (e) de ludo generatim verba faciens docet virtutem adesse, quæ eum moderetur, prout ratio præscribit, ratione loci, temporis, personarum, finis, qui proponitur, & universim ratione circumstantiarum, quæ ludum comitari debent, ut licitus sit. Hic Sanctus Doctor hanc virtutem nuncupat Eutrapeliam, quæ a græco Sermone suam significationem atque originem ducit; significatque habitudinem, qua homo aliquando in vitæ curriculo quibusdam rebus utitur ad honestam jucundamque satisfactionem sibi ipsi tribuendam accommodatis. Quod quidem apertius ostendit ludum suapte natura malum non esse, quoniam existit virtus, quæ eum moderatur. Volo, inquit D. Augustinus (f) te aliqua indulgentia uti erga te ipsum; est enim sapientis ab exercitationibus, ad quas incumbit, ad tempus cessare.

Possent hoc loco ad hanc primam veritatem statuendam probationes & auctoritates bene multæ in medium afferri, ad illud nempe ostendendum, ludum vel periculosum fortuitumque suapte natura malum non esse. Verum id frustra fieret, cum inter Auctores ita vulgo conveniat. In hac igitur prima quæstione nulla occurrit difficultas, quæ alicujus quidem momenti sit.

II. Si ludus spectetur in praxi, tres in eo circumstantiæ notari possunt. Ludere sæpe, ac ludere pecuniæ lucrandæ gratia hæc sunt duo, quæ ludi naturam ac finem destruunt, eumque proinde malum efficiunt. Ut id clarius explicetur, notandum est ludum esse animi relaxationem, qua homo passim indiget, ut suas consuetas curas alacrius redeat. Non igitur ludus in occupationem vertendus est; quod tamen ii faciunt, qui sæpenumero ludunt, ludoque se dedunt. Ideo ludus utilis est, quod voluptatem affert, inquit D. Thomas (g). Jam vero non quæritur in vita voluptas ipsius voluptatis gratia; nec proponitur tanquam finis, pergit idem sanctus Doctor, sed tanquam medium ad melius agendum, hominemque sui status functionibus aptiorem reddendum; inordinatio est, quæ peccato non vacat, sæpe ludere, & ex ludo ordinariam occupationem efficere, perinde ac si homo ad ludum, oblectationem, & non potius ad serias res altioresque, ut ait Orator Romanus, (h) factus esset.

Non desunt relaxationes in multis, iisdemque bene moratis Communitatibus. Sed eæ remittendo quidem animo, non vero occupando inservire possunt; sitæ sunt illæ in liberis & familiaribus, sed piis & Christiano homine dignis consuetudinibus; tempus iis accommodatum certis est iisdemque brevibus terminis definitum. Non eadem sane est eorum ratio, qui sæpe ludunt; insumunt enim in lodo longiora tempora; ut proinde esto nulla alia adesset inordinatio, quam non mediocris jactura temporis, ea vel una ludum, quicumque tandem is esset, satis criminosum efficeret.

Est & alia circumstantia, quæ ludum illicitum reddit, in eo posita, ut qui ludit, cupiditate quodam, præcipue videlicet lucri animo ludat. Sane convenit inter omnes lucri desiderium ipsum per se non efficere, ut ludus illicitus sit. Potest in ludo lucrum optari, quin id statim ipsius ludi naturam finemque pervertat. Ut enim ait Sylvester (i), quicumque ludit, & lucrum desiderat, non semper ob lucrum præcipue ludit. Hæc lucri ratio ei potest esse occasio ludendi, sine qua non luderet, quin propterea sit finis præcipuus, quem sibi in ludo proponit. Sed absque inordinatione lucrum in ludo primo loco spectari nequit; fieret enim ex ludo mercatura & negotiatio ad comparandam pecuniam. Inter Auctores, qui de ludo disserunt, contendunt multi ludum præsertim fortuitum nonnisi ob aliquod honestum prandium, aut ob exiguam aliquam pecuniam permissum esse. Sequuntur illi hac in re Imperiales Leges, (K) quæ aliter ludi vetant. Hac ratione ludentium quisque emolumentum ex ludo percipit, neque inde grave damnum patitur, quod in causa est, ut magis magisque servetur finis, propter quem ludus est institutus, scilicet oblectatio. Ut ut res habeat qui tantum propter pecuniam, & lucri præsertim animo ludo vacat, avaritia & cupiditate fere ducitur, quod sine peccato esse non potest.

Quod si lucri vehementior appetitus, quo aleatores identidem flagrant, in causa sit, ut ii summas, ipsorum status ratione habita, graves in ludi sortem conferant: hæc vero alia inordinatio est, seu tertia circumstantia, quæ ludum, quicumque demum sit, omnino efficit criminosum; adest enim periculum sibi, suæque familiæ, vel proximo, quod contra charitatem est, grave incommodum inferendi. Ut propterea tria hæc, sæpe ludere, ex lucri tantum cupiditate ludere, summas graves in ludum conferre, sint circumstantiæ tres, quæ fini, propter quem ludus institutus est, opponuntur. Hujusmodi quippe ludus est avari, non Christiani hominis oblectatio; est gravis deordinatio, & culpa mortalis.

III. Hæ tres circumstantiæ, quæ ludos omnes, cujuscumque tandem generis sint, possunt malos reddere, sane sæpius quam in cæteris occurrunt in alea, seu in ludis fortuitis. Cum enim hi majorem afferant voluptatem, iis proinde libentius ho-

(a) Tostatus in cap. 6. Matth. q. 51. Uti taxillis vel aleis absolute non est malum, sed quod malum sit, provenit ex intentione ludentium, & conditionibus ludi.

(b) Angelus a Clavas. V. Ludus in Summa.

(c) Valentia tom. 3. disp. 5. q. 6. p. 5. de Restit. fol. 1089. Reginald. l. 10. n. 385.

(d) Navar. in Man. cap. 20. Ludus, qui in quantum ad relaxationem animi fit, tanto aptior est quanto magis fortunæ nititur; quia intentionem magis remittit.

(e) S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 2.

(f) S. Aug. l. 2. Musicæ cap. ult. volo tandem sibi parcas, nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentatam.

(g) S. Thomas loco cit. art. 4. Ludus est utilis propter quietem, & delectationem; delectatio autem, & quies non propter se quæruntur in humana vita, sed propter operationem.

(h) Cicero l. 1. c. 23. Offic. Non ita generati a natura sumus, ut ad ludum, & ad jocum facti esse videamur, sed ad severitatem potius, & ad quædam studia graviora & majora.

(i) Sylvest. V. Ludus q. 4. Non omnis qui appetit lucrari, ludit propter lucrum.

(K) ff. de aleat. ad esculentum, & poculentum, nisi quod in convivio vescendi causa ponitur.

mites se totos dedunt, in eorumque sortem graves summas sæpius conserunt, vel præcipua ingentis lucri cupiditate permoti, vel sperantes sote, ut quam eitissime, unoque ictu jacturas eas reparent, quas oon una vice fecerunt. Inde fit, ut mala, quæcumque contingunt in ludis cæteris, quorum frequens usus est, & in quibus graves summæ exponuntur, in sortuitis, seu in alea sæpius contingant. Prærerea cum horum ludorum eventus majorem secum affetant varietatem, magisque aecidaot ex improviso: ii prniode passionibus incitandis, omnibusque pravis effectibus, qui ex itritatis animi cupiditatibus existere solent, producendis aptiores sunt. Periculnm, exempli causa, quod deberet voluptatem giguere, sæpe potius occasio est irascendi, Deique saoctum nomen, cui casus fortuiti vulgo tribui solent, blasphemandi. Hæ omnes rationes, atque aliæ quoque, quæ infra declarabuntur, semper in causa suerunt, cur ludi fortuiti tanquam maxime perniciosi tum in Ecclesia, tum in Republica spectarentur.

Animadvertendum est ludi fortuiti seu aleæ nomine hoc loco cum ludum intelligi, in quo temeritas, & casus tantummodo locum habet, vel in quo casus magis valet quam industria, ratio, consilium; sive talis, tesserisve, aut chartis ludatur, sive aliis quibusvis ejusmodi ludis, in quibus fortuna potissimum, brevique temporis spatio, quicquid damni aut lucri percipitur, moderatur. In hunc quidem modum D. Antoninus, (a) aliique complures hac de re loquuntur. De ludis hujusmodi quæritur in præsentia, quos nempe semper ab ipsis Ecclesiæ incunabulis ad hæc usque tempora vetitos suisse contenditur, quosque Concilia, Patres, Auctores Ecclesiastici, & Principes, quorum testimonia in medium produci facile possunt, identidem proscripsernnt.

IV. In Canonibus 42. & 43. (b) ex iis, qui Apostolis tribuuntur, & qui reseruntut in Decreto Dist. 35. cap. s. Clericus, aut Laicus, qui ebrietati vel aleæ se dedit, excommunicatur, nisi resipiscat. Quo loco juvat animadvertere in Canone non dici oportere ad excommunicationem subeundam gravem summam sortunæ committi; sed satis esse aleis sæpe operam dare, *aleæ deserviens*; nisi illud asseratur Canonem id ipsum pro certo ponete; quia nempe fere fit, ut aleatores se una vice repataturos, quod plutibus perdiderunt, ingentem ac duplo majorem summam sorti tradant, io quo tamen sua eos spes misere fallit; nam e converso ruunr in pejus, suamque tandem majorem, quam antea jacturam faciunt.

Apollonius Alexandrinus adversus Montanistas scribens iis exprobrat, ut memoriæ prodit Eusebius, (c) quod inter alia Prophetarum suorum flagitia sæpe aleis luderent.

S. Clemens Alexandrinus in suis ad Fideles Catechesibus (d) iis ejusmodi ludos expresse prohibet, quia producunt avaritiam, & a desidie, quæ ab inhonestarum voluptarum inordinato amore gignitur, ipsi pariter producuntur. Si Sancti Clementis judicio desidies, prout oritur ex inhonestarum voluptatum præpostero desiderio, & præterea avarities suot eorumdem ludorum causa, vel effectus: profecto Patet hic eos ludos tanquam oblectamenta fere criminosa spectavit.

S. Cyprianus (e) vel porius Auctor Tractatus adversus eos, qui aleæ se dedunt, qui est inter ejus Opera, proounciat aleam a Diabolo inventam esse, ad Fidelium excidium tendere, iisque insanabile vulnus inferre; originem esse malorum, ut perjuriorum, furoris, consuetudinum, quæ nonnisi a Dæmone inspirati possunt, calumniarum, internecioaum, ac denique causam esse, cur familiæ pessum eant. Addit Auctor hic Aleatorum manus in ipsorum damnum, extremamque perniciem dio noctuque armatas esse; eæ quippe temporis puncto projiciunt, quod eorumdem majores non sine magno sudore ac labore multorum annotum spatio comparatunt. Aleatores hi, prosequitur idem Auctor, peccando se damnationis reos efficiunt, nec propterea tamen a peccato desistunt. Uno verbo, qui aleæ deservit, Christianus simul & Aleator esse non potest; immo vero Dei hostis est, & Divinæ hæredirati nuncium remittit. Denique Pater hic ita conclodit: oe igirur alea ludas, alea scilicet perniciosa, in qua Deus graviter læditur, in qua effrænes ac præposteri impetus existunt, in qua veritas locum non habet, sed mendacium adest, triumphatque.

Ex ratione, qua hic Auctor malorum & incommodorum, quæ in alea occurruut, partem persequitur, videtur id exhiberi posse, quod his temporibus inter eos usuvenit, qui aleam profitenrur. Quiæ porro mala, quæ ille commemorat, fere cum alea conjuncta sunt; ea propterea jure damnavit, ludumque nocivum, & crimen mortale merito nuncupavit.

Concilium Illiberitanum (f) sæculo quarto rotundis verbis aleam proscribit. Christianus, inquit, alea ludens excommunicetur, & Fidelium communione privetur; poterit tamen redintegrari anno postquam ab hoc crimine resipuerit. Supponit Canon eum, qui alea ludit, peccare mortaliter. Re enim vera ad excommuoicationem requiritur mortale peccatum. Atque hoc quidem peccatum Concilio procul dubio gravissimum visum fuit, quoniam vetat, ne excommunicatio nisi post annum pœnitentiæ tollatur.

Eodem & sequenti sæculo Patres sensere aleam grave peccatum esse, vel magnorum scelerum causam. Sanctus Ephrem (g) in suis Sermonibus, ut Christianos ab alea abducat, prononciat, eos aleæ, cæterisque peccatis omnibus solemniter in Baptismate renunciasse; laudat Apostolorum Canonem, de quo supra, tum vero concludit pag. 190. *Væ alearum lusoribus, quandoquidem se Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi alienos reddunt, sicut Spiritus Sanctus admonuit per suos Apostolos.*

Sanctus Basilius Homilia 8. in Exam. circa finem, quod aliquando, & jejuniorum præsertim diebus solito longius Auditores suos in Ecclesia detineret, hanc ratiooem affert: *Si vos dimisero*, ita eos alloquitur, *& hoc Concilium dissolvero, sunt, qui protinus ad tesseras aleasque sese conferent. Juramenta sunt illic contentionesque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus*

(a) S. Antoo. 2. part. tit. 1. c. 23. §. 6. Potest dici Ludus aleæ omnis ludus, qui innititur fortunæ principaliter; etiamsi fiat ibi aliquid de industria, sicut lud. taxillorum, chartarom, & alia hujusmodi.

S. Bernardinus tom. 3. p. 326. ludus autem aleæ communiter intelligitur omnis, qui innititur fortunæ vicibus.

(b) Canon 42. Episcopus aut Presbyter aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens aut desinat aut certe communione privetur. Canon 43. Subdiaconus aut Lector similia faciens aut desinat, aut communione privetur, similiter & Laicus.

(c) Euseb. lib. 5. c. 7. Prophetane cum tabulis & tesseris ludit?

(d) S. Clemens Alex. l. 3. c. 11. Pædagog. Prohibeodus est tesserarum ludus, & præterea ex talorum ludo lucri studium, quod nonnulli acriter sequuntur. Talia enim consideratas luxuriæ amor otiosis oblectamina suppedirat; in causa enim est desidies.

(e) S. Cypr. de alea: Aleæ tabula, quod est Diaboli venabulum, & delicti vulnus insanabile. Aleam tabulæ dico, ubi dementia, & furia, & venale perjuriom, & colloquiom serpentinum: illic rabiosa amicitia, illic atrocissimi sceleris fraternitas discordans: illic convicia, & audacia sæva, & mens insana, & fera impatientia, ubi possessionum amissio, & pecuniarom ingentiom perditio, O manus crudeles ad periculum sui armatæ, quæ bona paterna & opes avorum sudore quæsitas, perniciosa studio dilapidant.

Manus trux, noxia, & insomnis nocte dieqoe continuis instrumentorum suorum armigera, quæ peccando se ipsam damnavit, & post peccatum non desioit ære.

Alea est aiveus mali: aleam lulleris, ubi ludus nocivus est, & crimen mortale, ubi dementia sine consideratione, ubi nolla veritas, sed mendaciorum mandra.

(f) Concil. Illib. can. 79. si quis Fidelis alea, id est tabula luserit, post annum poterit communioni reconciliari.

(g) S Ephrem serm. de abren. tom. 1. pag. 187. Abrenuncio aleatum usio, & tabularum lusui sicut etiam sancti Apostoli hisce operam dantes, atque vacantes excommunicatos esse ordinarunt io suis Canonibus, si Laici fuerint, & si Clerici, deponantur.

ritus malignus efficit furorem punctis & ossibus illis ludentium insaniamque accendeas.... Quid prodest, quæso, corpore jejunare, animam vero mille vitiis, mille malis esse refertam?

S. Basilius ita sane non loqueretur, nisi illud pro certo haberet aleam, si minus in se mala sit, fere tamen & in praxi eorum pravorum effectuum causam esse, de quibus hoc loco commemorat, quæque ad duo capita rediguntur; ut nempe primo per aleam gravibus peccatis homines obnoxii sint, ac secundo bonorum operum, quibus cæteroqui vacare possent, meritum perdant.

Sanctus Ambrosius *de Tebia cap.* st. Aleatorum calamitatem ita describit, ut aleam crudelis, atque adeo vitandi mali causam esse satis ostendat. Ita enim loquitur: *Aliud non minoris acerbitatis accipite. Omnes vincunt, & vincuntur. Penes fœneratorem solus est fructus. Videat reliquos subito egentes: repente divites, deinde nudos: singulis jactibus statum mutantes. Versatur enim eorum vita ut tessera: volvitur census in tabula: fit ludus de periculo; & de ludo periculum; quot projectiones, tot proscriptiones.* Sapienter monet laudatus Pater fœneratores tantum, qui pecuniam Aleatoribus mutuam dant, ex injusto cæteroquin commercio lucrari.

De Aleatoribus a D. Ambrosio ita descriptis, ut variis ludi motibus agitentur, tandemque post multa incommoda præcipites eunt, id asseri potest, quod ait Psalmista Psalmo 82. vers. 12. eos nempe esse rotæ similes, quæ semper in orbem vertitur, quin consistat, ac demum in declivitate positam in præceps ruere, & conteri, vel quod ait idem Psalmista, similes esse stipulæ, quæ diu ventis agitata dissipatur, nec amplius apparet; *Pone eos, ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.*

S. Joannes Chrysostomus t. t. *Hom.* 15. *ad Popul. post med.* ita loquitur in hanc rem: *aleas tractare non videtur multis esse peccatum; sed infinita vitæ mala solet inferre....., & circa aleas studium, blasphemias, iras, jacturas, convitia infinitaque alia his graviora produxit.*

D. Augustinus in psalm. 40. num. 5. *Quoniam*, inquit, *intentionem laboris, & mentis extentæ in Deum difficile potest homo perpetuo tolerare, aliquid sibi in terra requirit, ubi requiescat, & quodammodo pausatione recumbat. Multi acquiescunt in Theatris, multi acquiescunt in alea, in luxu in popinarum: multi in libidine adulteriorum, &c. Sed removeamus hæc omnia, ad innocentem hominem veniamus. Acquiescit in domo sua, in familia, in conjuge, in filiis, in paupertate, in prædiolo suo, in novella manibus suis consita, in ædificio aliquo suo fabricato. Requiescunt innocentes in his. Sed tamen volens Deus nos amorem non habere, nisi vitæ æternæ, & in istis velut innocentibus delectationibus miscet amaritudines.*

Constat ex hoc testimonio aleam ex criminosarum delectationum numero esse; ac si Deus innocentes quoque oblectationes amaritudinibus temperat: quid de alea, aleæque amatoribus sentiendum! Juxta hunc magnum Ecclesiæ Doctorem vitandi sunt ejusmodi ludi, quibus nonnisi qui suæ cupiditati servit, potest sese dedere, adeoque iis quoque cum modo utendum, qui sunt innocentes, quique Christiani hominis delectationem constituunt.

Ex dictis omnibus, priorum quinque sæculorum testimoniis facile intellectu est fortuitos ludos ab Ecclesia vetitos fuisse, eamque persuasum habuisse a Sacramentorum participatione removendos eos esse, qui ejusmodi ludis se devovissent, & nollent resipiscere. Neque vero dici potest Ecclesia a primitivis Christianis eam perfectionem postulasse, quam deinceps ab iis non exegit. Etenim I. semper illa vetuit Fidelibus, ne aleæ deservirent. II. cum tanquam causam, vel tanquam occasionem fere proximam multorum gravium peccatorum aleam spectaverit; consequens profecto fit oportuisse, ut eamdem semper damnaret, adeoque cum primitivos Christianos ab ea voluit abstinere, non est ea sane perfectio, quam ab iis requisierit, & cum Religio satis firmas radices egit, requirere destiterit, ut infra patebit.

V. Ad Imperatorum, qui aliquanto post rerum potiti sunt, Leges, & Edita veniendum est. Hi nempe Fidelibus adeo perniciosos ludos, de quibus loquimur, & Ecclesiæ hac in re sanctiones adeo rationi consonas judicarunt, ut eas ipsas tam quoad Laicos, quam quoad Clericos propria auctoritate, propriisque decretis munire voluerint.

In Digestorum Lib. (*a*) Imperator aleam quidem permittit, sed ea lege, ut si pecunia in ludum conferatur, convivio parando inserviat. Et in Lege Codicis, de qua mox, mandat, ut modica pecunia in ludo ponatur, etiamsi qui ludit, dives fuerit, quia ludens ex jactura, quam fecerit, multum damni sentire non debet.

In Codice *l.* 3. *tit.* 43. *l. fin. de Relig. sumpt. fun.* ita statuit: *generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis, vel privatis locis ludere, atque inspicere; & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur, & actionibus competentibus repetatur ab iis, qui dederant, aut eorum hæredibus, non obstante nisi 50. annorum præscriptione, Episcopis locorum hoc providentibus, & Præsidum auxilio utentibus. Sed non permittimus etiam in his ludis ultra unum solidum ludere, etiamsi multum dives sit, ut si quem vinci contigerit, gravem casum non sustineat. Non enim solum bella ordinamus, sed & res ludicras.*

Generalia sunt edicta hæc; descendamus ad peculiaria ab eodem Imperatore sancita, quæ quidem ad Clericos pertinent. *Ibidem l.* 2. *de SS. Episcop. titul.* 6. ita præcipit: *Interdicimus SS. Episcopis, Presbyteris, Lectoribus, & omnibus aliis Ordinibus cujuslibet venerabilis Collegii ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes fieri. Si quis in eo deliquerit, jubemus hunc tribus annis a venerabili ministerio prohiberi, & in Monasterium redigi.*

Tria in hac Lege veniunt animadvertenda.

Primum est, ad omnes omnino ab alea magis magisque avertendos (*b*) Imperatorem jubere, ut qui in ludo vicerit, restituere teneatur, & quidem vel *ipso facto*, ut bene multi post D. Thomam (*c*) contendunt, eamque Legis notionem esse pronunciant, vel ei, qui jacturam passus fuerit, repetendi, quod perdidit, actione tradita, quod apprime videtur esse rationi consonum. Re enim vera sentiendum est, Deum Opt. Max. qui homini bona largitus est, ut, cum ipse opus haberet, vel ad familiæ sustentationem iis uteretur, nolle eadem fortunæ committi, & tam facile dissipari.

Alterum est, hujus Imperatoris temporibus dubio procul aleam maximo in horrore fuisse, quoniam non modo publice ac privatim eamdem probibet, verum etiam mandat, ut per annos quinquaginta vigeat actio repetendi, quod in ludo perditum fuerit, cum quævis alia personalis actio nonnisi triginta annorum spatio perduret.

Tertium est, ex eo, quod Imperator mandet Episcopis, ut id, quod præcipit, executioni mandandum curent, certum fieri id ab ipso spectari tanquam aliquid ad Religionem pertinens; ut proinde Ecclesiastico Ordini turpissimum, & Episcopis gravi culpæ vertendum fuerit, si forte contingeret adeo justæ, adeoque sancte institutæ Legis, quæ Canonibus & Patrum doctrinæ conformis est, eos ipsos transgressores existere.

Subsecutis sæculis hi fortis ludi tum ab Ecclesia tum ab Imperio eadem sollicitudine proscripti sunt. (*d*) Isidorus Hispalensis eos damnat eo nomine, quod a fraude, mendacio, perjurio, odio, bonorumque jactura sejungi nequeant; & hac de causa eos Legibus vetitos esse pronunciat.

Constantinopolitana Synodus Quini-sexta Canone 50. jubet, *nullum omnino sive Clericum, sive Lai-*
cum

(*a*) ff. l. 11. tit. 5. l. 4. Quod in convivio vescendi causa ponitur in eam rem familiam ludere permittetur.

(*b*) Inst. authent. collat. 9. tit. 15. de SS Episc. §. interdicimus. Idem habetur.

(*c*) S. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. Ideo qui sunt hujusmodi legibus adstricti, tenentur universaliter ad restitutionem, qui lucrantur &c.

(*d*) Isid. Hispal. l. 18. Origin. c. 68. de Interdictione aleæ; Ab hac arte fraus, & mendacium, atque perjurium nunquam abest, postremo & odium & damna rerum, unde aliquando propter hæc scelera, interdicta legibus fuit.

quam ab hoc deinceps tempore alea ludere: qui secus fecerit, excommunicetur.

Non minus Occidentis Principes, quam Orientis de hujusmodi ludis tum quoad Laicos, cum quoad Clericos prohibendi se sollicitos exhibuere. Carolus Magnus, & Ludovicus Pius *Capitular. tom.* 1. *l.* 6. *n.* 203. ita statuunt: *Quod Episcopus, Presbyter, Diaconus aleator esse non debeat, similiter Clerici, & Laici. Si in alea permanserint, communione priventur;* hæc quidem horum duorum Imperatorum verba sunt. Et in additione ad 7. librum Capitularium n. 53. hæc habentur: *Si quis Clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis attendat, per tres annos a sacro ministerio prohibeatur.* In additione vero 4. n. 46. inter alia prohibentur *Altaris Ministri jocularem lusum & aleas diligere.*

Concil. Augustæ Vindelicorum Sæculo decimo celebratum ita statuit: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ vacans, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in Canone Apostolorum habetur, deponendus erit.*

Aliud Augustanum Concil. multo post habitum, anno nempe 1548. de iis generatim loquens, quibus sancta Communio neganda est, ita præcipit tom. 14. Concil. Labbæi pag. 585. *item iis annumerandi sunt, qui alearum lusui perpetuo vacant, quibus non est porrigendum venerabile Sacramentum, donec abstineant.*

Redeamus in viam, ut temporum ordinem persequamur.

Cardinalis Petrus Damianus in B. P. opusc. 20. c. 7. ludos, de quibus agimus, appellat *alearum furias*. Id deinde, quod accidit in itinere, quod egit cum Episcopo Florentino, refert in hæc verba: *Vespertinum subeuntes hospitium, ego me in Presbyteri cellam removi. Is autem in spatiosa domo cum commeantium turba resedit. Mane autem mihi significatum est, quod prædictus Episcopus Sedis Florentinæ præfuerit ludo Scachorum ..... hora autem prædicta, quæ mihi videbatur electa, conveni hominem, & acriter invehor .... rectene, inquam, tuique erat officii vespere in Scachorum vanitate colludere, & manum Corporis Dominici oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem sacrilegi ludibrii contaminatione fœdare; præsertim cum Canonica decernat auctoritas, ut aleatores Episcopi deponantur?*

Et quid prodest ei, quem efficaciter auctoritas damnat, etiamsi judicium extrinsecus non accedat? Tum ille, ut mitis est animi & perspicacis est ingenii, redditis rationibus humiliter acquievit: culpam nullatenus iterandam certa pollicitatione constituit: injungi sibi pœnitentiam postulavit, cui mox præcepi, ut ter psalterium in meditando percurreret, & duodecim pauperum pedes sub totidem nummis matura erogatione, eorumque pedes lavaret .... hoc autem diximus, ut quam inhonestum, quam absurdum, quam denique fœdum sit hoc in sacerdote ludibrium, ex alterius emendatione noscatur.

Animadversione dignum hoc loco est ludum, cui hic Episcopus operam dederat, ex eorum numero non fuisse, qui his temporibus sunt prohibiti. Fit ergo vero simillimum in eo circumstantiam aliquam, ob quam malus redderetur, locum habuisse, quamobrem sanctus hic Cardinalis ipsum ea, qua refert, ratione puniret. Et re quidem vera legitur in hac historia Florentinum Episcopum spatiosa in domo omnibus patente, multisque spectantibus ludere non dubitasse. Sane sunt casus, in quibus Laici quidem citra peccatum ludere possent, at Clericus, & præsertim Episcopus omnino non possent, quin gravissime peccarent.

Petrus Blesensis, & Joannes Salisberiensis, qui sæculo decimo secundo vivebant, fideles testes sunt sententiæ, quæ in Ecclesia quoad aleam suis temporibus obtinebat. Ille quidem in Epist. 74. ad Arch d. ita loquitur: *Juvenem vitiosum esse non miror, cujus pueritiam pater aleæ dedicavit: alea siquidem perjurii, furti, sacrilegii mater est. Ideo filium instruens: fuge aleam, dicit Cato.* Joannes vero Salisber. Episcopus Carnutensis *l.* 1. *nug. Cur. c.* 5. *de usu & abusu illic.e.* quamvis fateatur aleam in se ipsa malam non esse, eique citra peccatum operam dari posse, dummodo id necessaria cum moderatione fiat, ac cæteræ circumstantiæ temporis, loci, finis, personarumque serventur, monet tamen eam fere perniciosam esse: *quis enim*, inquit, *non erubescit, si fortis suæ gratiam non virtuti debet, sed tasillis? Nonne satis improbata est cujusve artis exercitatio, qua quanto quis doctior, tanto nequior? Aleator quidem omnis hic est ..... Alienum concupiscit, prodigit sua, & nullam habens patrimonii reverentiam, cum illud effuderit, sensim in furta delabitur, & ruinas ...... Sed ex eo mihi videtur perditior, cum in eo, in quo minimum proficit, multum laboret. Ab eo siquidem armantur homines ad lites, inimicitias, incurrunt in miseram, etsi non miserabilem egestatem.* Denique Veteres cognovisse, quam alea & aleatores fugiendi essent, vel ex eo licet intelligi, quod *Chilon Lacedæmonius*, pergit idem Auctor, *jungendæ societatis causa missus Corinthum, duces & seniores populi ludentes in alea invenit. Infecto itaque negotio reversus, dicens se nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus constructo Bysantio clarescebat, hac maculare infamia, ut dicerentur cum aleatoribus contraxisse societatem.*

Sub hujus sæculi finem Eusebius Svilliensis Episcopus Parisiensis (u) in suis statutis Synodalibus prohibet, ne Presbyteri periculosis ludis vacent, neve propriis in domibus talos retineant.

Stephanus Poncherius sæculo tertio decimo sui Decessoris vestigiis insistens Clericis pariter prohibet, *ne in suis domibus habeant scachos, vel aleas, vel decios.*

Lateranensis œcumenica quarta Synodus sub Innocentio III. *cap. Clerici, de vita & honest. Cler.* de Clericis ita statuit: *& ad aleas, vel taxillos non ludant, nec hujusmodi intersint.* Decretum hoc in Jus Canonicum relatum est. Glossa in hunc locum ait eum, qui aleis sæpe ludit, aut ludentibus adest, Beneficii, sacrorumque Ordinum susceptione indignum esse. Neque vero Concilii prohibitio hæc æquitatis fines prætergredi censenda est; inde enim compertum fit eam Ecclesiæ mentem esse, ut Clerici ab hujusmodi ludis prorsus abstineant. Sane in Galliæ Conciliis particularibus deinceps habitis, & in bene multis Synodalibus Episcoporum Statutis id ipsum pluries iteratum occurrit.

Ideo porro vetat Ecclesia, ne Clerici ludis intersint, aut spectandi gratia consistant, ne scilicet iis adsit occasio faciendi jacturam temporis, ne eosdem ludos probent præsentia sua, ne studio partium ducantur, ne peccatorum, quæ ibidem patrantur, participes fiant, ne denique, dum alios aleis vacantes vident, ipsi quoque aleatores evadant.

VII. Sanctus Ludovicus tanto ejusmodi ludos odio habebat, ut etiam aleas & talos fieri prohibuerit. Ita enim statuit in *Collatione Constitutionum tom.* 1. *l.* 3. *tit.* 10. *§.* 1. *Inhibemus districte, ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & scacos, & Scholas etiam deciorum prohibemus, & prohiberi volumus omnino, & tenentes ea districtius puniantur. Fabrica etiam deciorum prohibeatur.* Sanctus Franciscus Salesius de Sancti hujus Regis ab aleis, & aleatoribus aversione verba faciens *Introductionis suæ* 3. *p. cap.* 32. eum refert, cum quadam die audivisset Comitem Andegavensem fratrem suum, & Dominum Gauterium Nemusiensem ludo vacare, e lecto, in quo æger jacebat, surrexisse, anhelantem subiisse eorum cubiculum, tabulam, ac talos manu prehendidisse, iisque non leviter subiratum per fenestras in mare projecisse.

Ejus ætatis quique doctissimi aleas damnarunt. S. Thomas, dum ait iis in locis, in quibus Leges Civiles pecuniæ ex aleis perceptæ restitutionem præcipientes receptæ sunt, eamdem pecuniam restituendam esse, satis ostendit aleas aliquid mali esse.

Sanctus Bonaventura in aleas & aleatores non semel acriter invehitur. *In* 4. *dist.* 15. *art.* 2. *num.* 4. *p.* 189. ita loquitur: *Si quæritur de aleatore, dicendum est generaliter, quod est malæ fidei possessor, & injusto possidet titulo, & ideo nullo modo potest, nec debet sibi tenere, quod lucratus est, cum talis ludus sit turpis, & reprobatus, & contra Deum, & omnia jura.* Idem Doctor *tom.* 7. 3. *p. in speculo an. c.* 2. *de concupisc. art. pag.* 36. ita statuit: *ludus alearum prohibitus est tam Jure Canonico, quam Civili, & de* hoc

(u) Synodicon Paris. p. 13. & 17. Prohibetur penitus universis Sacerdotibus ludere cum deciis.

hoc dicunt quidam, quod sit peccatum mortale, eo quod sit contra Jus Canonicum & Civile; & quod ex ludo habetur nullo titulo possidetur, nec potest retineri, sed debet pauperibus erogare, quia enim qui in ludo lucratur, eidem, a quo lucratur, non teneretur restituere, nisi forte induxerit ad ludendum. Addit porro hic magnus Doctor aleam ex avaritia prodire, atque ita mortale peccatum esse, eamdemque peccatis compluribus cujusmodi sunt mendacinm, fraus, blasphemia, scandalum, dispendium temporis, convicia, perpetrandis aosam præbere, iisque adeo de causis vetitam esse.

Alexander Alensis *in 4. q. 33. memb. 2. art. 5. p.* 233. qui quidem Sancti Bonaventuræ magister fuit, pariter asserit aleam malam esse, & ex ea perceptum lucrum injustum esse, tituloque carere.

Thomas Cantipratensis Episcopus Cameracensis discipulus Alberti Magni, qui hoc eodem sæculo vivebat, *l. 2. apum. c. 49. n. 8.* ita loquitur in hanc rem: *est & aliud genus ludorum plenum vanitate sub sole: sunt enim lusores tesserarum, qui adeo nocivi sunt mundo, ut vix illic aliquid iniquitas reputetur hoc ludo. Pauperes nudi fiunt, mendici divites, & nobiles ingrati, & suis rusticis viliores. Ex tesserarum autem ludo desperatissimi homines fiunt sicut fures, raptores, & homicidæ, assueti talibus facile non desistunt. Ardor tantus inest lusoribus, ut omnem verecundiam perdant usque ad verenda nudati.*

Sanctus Raimundus de Pennafort *in Sum. l. 2. tit. 2. §. de neg. sæcul.* ita statuit: *Ex Canone Apostolorum colligitur, quod peccatum eorum, qui aleæ deserviunt, sit mortale, & grave, cum tales pœnæ non sint imponendæ cum levi crimine.* Et *tit. 8. de illic. acquisit.* Hæc habet: *de ludo aleæ teneas, quod illi, qui ludunt ad aleas, vel taxillos, ut qui ludo intersunt, vel sunt participes, & inspectores ludi, & maxime si sunt Clerici, peccant. Quam magnum sit peccatum, patet ex novem, quæ inter alia in talibus ludis attenduntur, &c. Item cum ludus sit turpis, & reprobatus, atque quia est contra Deum & omnia jura, nullus potest per talem ludum acquirere, nec titulum, nec bonam fidem habere; injustus enim titulus pro non titulo est habendus, & malæ fidei possessor dicitur, qui contra legum interdicta mercatur.*

VIII. Auctores hactenus in medium adducti, & infra adducendi de ludis fortuitis loquuntur, nullum peculiarem circumstantiam indigitantes, eosque condemnant allatis pravis circumstantiis, quæ eos fere comitantur; ut proinde non damnari non possint, qui cjusmodi ludis se dedunt, iisque sæpe numero vacant, etiamsi nullum eorum malorum contingeret, quæ fere cum iisdem conjuncta sunt; satis nimirum est proximam in ea labendi occasionem ultro subire.

Alvarus Pelagius Episcopus Lusitaniæ *de planct. l. 2. c. 28. ff. in proœmio §. illud vero* de aleis loquens recenset peccata, quæ eas fere comitantur, & malas reddunt, qualia sunt ea, de quibus supra, & per hæc Digesti verba concludit: *Quis enim ludos illos appellet, ex quibus crimina oriuntur?* Et *cap. 46.* ita loquitur: *Dubitatio non est, quod neque ludus assiduus peccatum mortale reputatur; sed ab eo oriuntur peccata, quæ scripsi. Ille ludus prohibitus est per legem, & contra Deum est: ergo illicite acquisivit, ideo ex tali ludo præscribere non poterit: injustus enim titulus, & illicitus pro non titulo est habendus ..... Ex quo ludus illicitus, & reprobatus bono animo fieri non potest. Si ergo dicat quis, quod hoc faciat bona intentione, vel causa recreationis, aut ludat sine denariis, ex quo ludis aleis, vel taxillis; aut accipiat unum ludum de non reprobatis, si velit facere sponsionem.*

Concilium Lingonense an. 1404. celebratum, & a Buchello relatum ita statuit: *prohibemus Clericis & Ecclesiasticis, potissimum in Sacris Ordinibus constitutis, ne omnino ludant ad taxillos, & aleas, neque ad cartas.*

S. Bernardinus Senensis *tom. 3. Serm. 33. in Domin. 5. quadr. in principio pag. 326.* de ludis fortuitis quoad omne genus hominum loquitur, & malis, quorum ii causa sunt, in medium allatis, designat eos, qui eorumdem ludorum occasione coram Deo peccati rei sunt:

Peccatum est, inquit, *danti domum, ut intus ludatur, quia fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt.*

Danti tabulam, quia toties peccat mortaliter, quoties præstat.

Præstanti denarios. Præstanti taxillos, & facientes, atque vendentes, quia impossibile est eos salvari, nisi relinquant illas artes maledictas.

Superstantes ad videndum ludere, quia semper peccant mortaliter, & sunt participes peccatorum, & partiales; quia immediate superstant ludo capit partem, quia vellet potius alterum vincere quam alium.

Malum est Officialibus & Rectoribus Civitatum, qui sunt negligentes in non prohibendo ludos, cum possant, quia non possunt aufugere de manu Diaboli, nisi prohibeant.

Deinde ad aleatores Sermonem convertit in hæc verba: *& tu, o qui tenes ad ludendum in domo tua, in die Nativitatis & Festis Solemnibus, tu es particeps omnium peccatorum, & malorum, quæ ibi fiunt, & nullus Confessor poterit te absolvere, donec removeris illam tuam domum a tali pessimo usu ludendi.*

Denique ita concludit: *Patres, matres, antiqui, magistri, qui non prohibent ludos, gravissime peccant, si possunt prohibere, & isti tales vendentes sunt Presbyteri Diaboli.*

S. Antoninus *2. p. tit. 1. §. 2. & 6.* aleas aleatoresque vituperat in hæc verba: *Nam lusores propter hoc ut magis habeant tempus ad ludendum, negligunt divina, & Missas, & Vesperas, & Orationes, & Prædicationes, & graviora, quam si terram colerent, quod est Festa violare.*

Tum pergit: *lusor largitur ad præceptum taxilli, quod non largitur ad præceptum Dei, & plusquam etiam fecerit B. Martinus.*

Eos deinde recenset, qui hac in re peccant.

Rectores, qui ita dissimulant, & non puniunt, graviter offendunt: nam negligere, cum possit perturbare, perversos, nihil aliud est quam fovere.

Qui dant eis pecunias ad ludendum pro parte lucri, utique mortaliter peccant.

Qui aspiciunt ludentes, non sunt immunes a peccatis multæ curiositatis & vanitatis. Sed & parentes, qui non castigant filios suos ludentes, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

Qui mutuant taxillos, vel qui in domo ad ludendum locum præstant, participes sunt etiam mali.

Deinde §. 2. hæc habet: *nota secundo, quod ludus aleæ est peccatum mortale secundum* Raymundum..... *quod credo verum, quando ex cupidine quis ludit, scilicet principaliter motus non ob recreationem, sed ad acquirendum & quid notabile per ludum. Nam ludere quid modicum, ut pueri faciunt, vel ob recreationem, & moderate non videtur esse mortale.*

Denique Sanctus Archiepiscopus paragraphis 3. & 4. illud inquirit, an qui ludunt lucri gratia, id quod lucrati sunt, retinere possint, Quo loco id animadversione dignum est aleæ ludum valde malum dubio procul Sancto Archiepiscopo visum esse, quoniam dubitavit, tanta necne esset inordinatio, pravitasque, quam continet, ut lucrum inde perceptum non solum illicitum, (id quod tamquam certum supponit) verum etiam injustum reddere posset.

Ut ut senserit Sanctus Antoninus super hac controversia; Jodocus certe Clictovæus *l. de ver. nobil. c. 16. pag. 33.* (fuit autem Sorbonicæ Familiæ Doctor, & Theologus Carnutensis, floruitque sæculo sexto decimo) minime dubitat ejusmodi, lucrum injustum esse; damnatque fidenter aleam ob sequentes rationes.

(*a*) Misere alliciunt fortuiti ludi, & ceterorum ludorum maxime præsertim adolescentes nescio qua voluptate pertrahunt; ex quo enim se quis eorum laqueis irretiri passus est, & in eos habitudine quadam ducitur, ab iis non amplius recedere potest.

(*a*) Hi

(*a*) Ob gravia & plura, quæ exinde nascuntur, incommoda. Primum, & maximum est, quod talium ludorum illecebris animus juvenilis facile trahiturque blanda quadam voluptate eosdem semper iterandi; hinc citissime impellitur in consuetudinem & assiduitatem ludendi, qua nihil juventuti perniciosius; qui enim ludis tesserarum frequentius occupantur, suis exhausti pecuniis, aliena furto sæpe surripiunt, ut habeant, quo ludum, cui sunt assuefacti, rursum exerceant.

(a) Hi ludi fere conjunctam habent lucrandi cupiditatem, & insatiabilem pecuniæ sitim, qua fit, ut unquam, seu lucrum seu detrimentum existat, a ludendo cessetur. Nullum salebrosum, grave, necessarium negotium est, quo æque ac ludo ludentis animus detineri possit. Tantus est aleatoris furor, ut cum in ludo dies ac noctes insumpserit, & propriæ valetudini grave damnum attulerit, succumbat ille quidem: sed ludendi prurigo non cessat, ni collusorum alteruter in extremam perniciem devenerit, nec amplius ludendo par sit.

(b) Iidem ludi continent grave dispendium temporis, quod adeo perniciosum est, Hæc passio est, seu potius furor.

(c) Mala, quæ inde nascuntur, sunt querelæ, injuriæ, exprobrationes, & aliquando interneciones, ne quid dicatur de juramentis, blasphemiis, execrationibus, &c.

(d) Illud vero maxime aleatorem perterrefacere, & ludo absterrere deberet, quod ea retinere non potest, quæ in ludo lucratus est, adeoque quidquid acquisivit, sive pauperibus, sive ei fortasse, qui jacturam subiit, quia alea Deo displicet, Civilibus & Ecclesiasticis Legibus reprobata est, & quod inde consequitur, aleator nec justo titulo gaudet, nec in bona fide versatur.

Non est hujus Doctoris privata hæc opinio; sed eam a magnis Sanctisque Parisiensis Facultatis Doctoribus, quorum etiam verba usurpavit, mutuatus est, (e) scilicet ab Alexandro Halensi, Sancto Thoma, Sancto Bonaventura. Hæc etiam S. Raymundi, Paludani, Cardinalis a Turre-cremata, Alvari Pelagii sententia est. Eorum testimonia in medium allata sunt nn. 7. & 8. His addi potest auctoritas Panormitani pronunciantis id restitui oportere, quod ex iis ludis est acquisitum, quia spoliandi proximi adfuit intentio, subdentisque consuetudinem Legibus, quæ contra stant, derogare non potuisse, quia consuetudines, quæ peccatis januam reserant, nullius omnino momenti sunt.

Tostatus (f) in S. Matth. duo dicit; primum est, aleæ ludum esse conventionem, & negotiationem injustam omnia in proprium commodum referendi, cum lucri quidem tantum animo luditur; alterum est, ludum æquam rationem non esse sui boni dominium transferendi, quoniam mercatura hæc nullam Reipublicæ affert utilitatem quin potius eidem maxime nocet; adeoque ob solum lucrum ludo vacare mortale peccatum esse, quia sine causa alterius bonum appetitur; id porro de bono non levi accipiendum est.

Et sane ubi Lex Codicis loc. cit. n. 5. ait per annos quinquaginta actionem vigere id repetendi, quod in ludo perditum est, antea proxime dixerat id ipsum reddendum esse: *solutam reddatur, & actionibus competentibus &c.* Ea nempe videtur esse, & non alia Legis notio, si qui lucratus est, reddere negligat, quod percepit, tunc eum, qui perdidit, jus habeat id coram Judice repetendi. Auctores omnes, qui supra citati sunt, hoc modo Legem explicare censentur.

I. Alea est inordinatio, ac pravitas in Clericis eidem deditis, quam in Laicis longe gravior, tum quia illi eum statum profitentur, cujus sanctitas ab iis sæcularibus oblectationibus, quæ ipsis vetitæ sunt, quales sunt ludi, de quibus agimus, debet ipsos avertere, tum quia ipsi Laicis magno exemplo esse debent ea vitæ ratione, quæ omnino gravis ac seria sit, & a populi vita discrepet, (g) ut ait S. Ambrosius.

Hac sane de causa Tridentinum Concilium instauravit omnia Conciliorum, summorumque Pontificum antiqua Decreta, quibus ejusmodi ludi Clericis salubriter vetiti fuerant: *quæ (h) alias a Summis Pontificibus &c.* Quia porro objici potuisset, Laicos absque gravi peccato iis ludis aliquando operam dare posse; mandat tamen Synodus, ut Clerici ab iisdem abstineant, ob eam causam, quia id quod in Laico potest esse erratum leve, in Ecclesiæ Ministro scelus gravissimum esse potest: *Levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut earum actiones cunctis afferant venerationem.*

Id in causa fuit, ut Tridentina Synodus aleam Clericis interdiceret. Nec dici potest ab ea spectatos esse fortuitos ludos ratione pravorum effectuum, quos sæpe producunt, ut scandali, bonorum dissipationis, &c. siquidem hac ratione spectatos levium culparum loco eos habere minime potuisset. Itaque eos spectavit, qua ratione minus criminosi sunt, nempe quoad animi relaxationem; ut propterea pronunciari possit Clericis non licere propriam relaxationem in ejusmodi ludis saltem frequentibus collocare.

S. Carolus, (i) qui Tridentinæ Synodi mentem cumulatissime complexus est, cujusque cura & zelo ea Sancta Synodus feliciter absoluta est, adversus aleam multas edidit sanctiones, quibus tam quoad Laicos tam quoad Clericos eamdem damnavit.

In primo Mediolanensi Concilio *par. 2. n. 37.* ita statuit: *Si interdum valetudinis causa parva pila, aut alio non indecoro ludo ejusmodi recreationis genere uti contigerit, nec publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quicquam, quod facile pecunia æstimari possit.* Et alio in loco, scilicet *lib. 5. de visit.* inter peccatores publicos, & scandalosos sibi a Parocho in

(a) Cupiditas pecuniæ, & avaritia .... lusor enim omnis ea lactatur spe, ut lucraretur, & vincat collusorem, & vera hæc cupiditas est insatiabilis.

(b) Gravis est, & nimium deploranda temporis jactura, quod id genus ludis impenditur. Ardor enim lucri non sinit quempiam a ludo desistere; sive superior evadat, sive succumbat, hinc nullius rei alterius quantumvis arduæ & necessariæ cura sollicitet animum, sed totum tempus diurnum & nocturnum conteritur in hac ludi vesania; cujus ut plurimum tum finis habetur, cum alter ludentium totam, quam præsentem habebat, amisit pecuniam, ut nihil reliquum habeat, quod furori ludi sorti pro pignore exponat.

(c) Præterea assiduas rixas, & alterna jurgia, quæ illos ludos fere comitantur. Inde surgunt contumeliæ, convicia, verbera, vulnera, mortes. Taceo juramenta irreligiosa, blasphemias, execrationes, imprecationes.

(d) Ad id venism, quod plurimum angere debet, quin potius a ludo deterrere debet omnes lusores, ut puta quis acquisita per ludum talarem, non possunt a lucrante licite tanquam propria detineri, neque in suum usum accommodari; sed ut animæ suæ consulat saluti, debet illa lucrans restituere perdenti; aut in pios usus, scilicet pauperum subventionem convertere; quandoquidem lusus ille Deo displicet, invisusque habetur. Turpis est, & utroque jure cum Cæsareo, tum Pontificio reprobatus, manifesteque prohibitus, ob quod sane nullus per ludum titulus justæ possessionis acquiritur in pecuniam tali lusu conquisitam, neque quod hac via partum est, bona fide ac recta possidetur: injustus enim titulus pro non titulo est habendus; & malæ fidei possessor dicitur, qui contra legum interdicta mercatur.

(e) P. Palud. in 4. dist. 15. q. 3. Joan. de Turrecrem. in c. Episcopus dist. 35. Panorm. in cap. Cleric. de vit. & honest. Cler. nn. 13. & 14. Ego etiam plus credo, quod etiam consuetudo non valeat, quoniam consuetudo inducens, seu reddens faciliores homines, non valet; sed certum est hoc contingere in isto ludo, ut experientia docet.

(f) Tostat. in c. 6. Matth. q. 53. circa fin. & q. 56. Cum fit animo lucrandi, ut lucrans solus habeat pecuniam, ludus non est licitus, eo quod finis est inhonestus, scilicet accipere id quod est alienum, nihil conferendo ei, cujus est.

Non est modus conveniens transferendi dominium, scilicet per istos ludos, cum isti non prosint Reip. sed potius noceant: Lex enim prohibuit istos ludos, quia per eos invicem solent homines faciliter se expoliare, quod cedit in damnum Reip. .... & quicumque utitur istis ludis, & hac sola lucrandi intentione ludit, peccat mortaliter.

(g) S. Ambr. lib. 3. Epist. quomodo in exemplum observari a populo poterit, qui nihil habet discretum a populo nihil dispar moribus a multitudine?

(h) Concil. Trid. Sess. 22. c. 1. de Reform. Quæ alias a SS. Pontificibus, & sacris Conciliis copiose ac salubriter sancita fuerunt.

(i) Acta S. Caroli de vit. & honest. Cler. l. 3. num. 35. Clericalis Ordinis hominibus omni genere ludi, præsertim aleæ, tesserarum, ac talorum interdicimus.

Nec solum ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores, aut quemquam ludentem in suis ædibus permittere.

in visitatione denunciandos refert aleatores, iisque domicilia tribuentes: *tum praeterea indicem manu sua confectum det eorum, qui infra notati sunt, ... tale alea ludentium, aut istis domicilia exponentium, &c.*

In Conciliis Mediolanensibus 4. & 5. tit. 3. part. 3. n. 3. idem D. Carolus ita loquitur: *& quoniam ex usu compertum est ex aleæ ludo sæpe furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id generis flagitia proficisci, prohibeant Principes & Magistratus taxillis, aut aleæ ludi, & graviter in publicos aleatores, & in eos, qui hujusmodi intersunt, qui vero ad recipiendos ludentes, domos expositas habent, animadvertant.*

Hujusmodi ludis addicti adeo eidem Sancto Archiepiscopo abominabiles visi sunt, ut N. 30. *de pior. locor. administ.* prohibuerit, *ne ea loca, quæ bonorum subsidio sunt addicta, aleatoribus, nebulonibus, & istiusmodi nequissimis hominibus pateant.*

Quod porro Tridentina Synodus Clericis superiore sæculo quoad aleæ ludos præcepit, quod super eadem re Divus quoque Carolus statuit: id ipsum mordicus tenuere Concilia bene multa particularia, quæ non uno in loco in Gallia & alibi paulo post habita sunt: *Clerici*, inquit Concil. Burdegalense tit. 21. an. 1582. *ab alea, tesseris, cartis, & alio vetito & indecoro ludo cum privatim tum publice penitus abstineant.*

Buchellus (*a*) alia Concilia in medium affert, ex quibus inferri potest unam semper eamdemque, quod attinet ad hanc rem, Ecclesiæ mentem fuisse, ut ejusmodi nempe ludos probiberet. Quamobrem asseri potest hanc generalem esse omnium sæculorum sanctionem.

In disciplina autem morali prope nihil occurrit, in quo quicquam magis concordibus sententiis quam alea damnetur; id Hæretici quoque tanquam disciplinæ articulum statuunt; Ita enim loquuntur cap. 14. artic. 29. disciplinæ Ecclesiarum Reformatarum: omnes ludi per Regia edicta prohibiti, ut cartæ, tali, aliique ejusmodi a sorte pendentes, iique, in quibus aderit avaritia, notoria jactura temporis, aut scandalum, reprimantur, & personæ in Consistorio corrigantur, & moneantur.

II. Ex hactenus dictis duo possunt animadverti.

Primum est, licet aleæ ludi mali non sint ipsi per se, & licet non ita fuerit Ecclesiæ mens, ut eos damnaret, si vel nihil pecuniæ, vel parum iisdem exponeretur: si tamen spectentur, prout fere se habent, & prout a Patribus & Conciliis spectati sunt, eos malos censeri, & damnandos esse, præsertim cum frequentes sunt, & graves summæ sorti committuntur, quia fere ludentes obnoxios reddunt gravibus malis, incommodisque, quæ Tostatus (*b*) enumerat, & in testimoniis supra laudatis indigitantur, cujusmodi sunt grave dispendium temporis, proprii muneris negligentia notabilis, juramenta, blasphemiæ, mendacia, fraudes, impietates, rixæ, inimicitiæ, vulnera, homicidia, furta, peccata contra verecundiam, desperationes, aliique excessus, in quos ludi furor ludentem præcipitem trahit, præsertim cum pecuniæ jacturam fecit, reputatque se suis dispendiis reparandis imparem esse.

Quamvis autem non semper contingat in horum malorum aliqua aut multa ludentem incidere, id tamen non impedit, quominus Ecclesiæ aut Principum in hanc rem Leges justæ sint. Neque enim Leges ea tantum gravia mala vetare debent, quæ identidem perpetrantur, sed eorum quoque occasiones removere debent. Aleæ ludi eos, qui graves summas fortunæ committunt, sæpe gravibus malis exponunt; *vix dum*, inquit Soto *l. 4. q. 5. art. 2. de Just. & Jur. ampla pecunia exponitur, absque pravitate exerceri possunt, absque litibus, perjuriis, absque blasphemiis, præterquamquod una est illa omnium paratissima via ad dilapidanda bona, demoliendasque illustres domos*, unde Lyricus:

Quem damnosa venus, quem præceps alea nudat.

Cardinalis Toletus l. 3. cap. 27. n. 7. *profecto*, inquit, *ludus ratione multarum circumstantiarum frequenter est mortale; cum tamen magna summa est pecuniarum, vix a mortali excusatur.*

Cajetanus *in Summa V. Ludere* circa finem ita statuit: *& si nullo jure positivo ejusmodi ludus interdictus foret, adhuc tamen lex naturalis manet, prohibens, ne quis absque rationabili causa quidpiam assumat, cui sit annexum probabile peccati periculum, cujusmodi est ludus alearum, præsertim si principaliter ob lucrum instituatur, quod est avari hominis, vel in eo notabilis summa, spectata personarum qualitate, exponatur, quod ad prodigalitatem pertinet, & quamvis avaritia, sicut prodigalitas genere suo venialem culpam non excedant, ratione tamen circumstantiarum plerumque mortaliter aggravantur, puta si annexum est probabile periculum alicujus peccati mortalis. Atqui ex ludo alearum pro summa notabili, aut principaliter ob lucrum assumpto varia peccata mortalia oriri soleat, puta rixa, odia, perjuria, blasphemia, homicidia*, &c.

S. Antoninus aleatores excommunicari quoque posse contendit juxta principia Juris, cujus textum adducit, ob inobedientiam scilicet, cujus apud Ecclesiam rei sunt, ac proinde supponit eos peccare mortaliter; ita enim loquitur 2. *p. tit.* 5. *cap.* 23. *§. 6. Est Ecclesiæ contemptus, seu inobedientia; nam Ecclesia prohibet ludum alearum non solum Clericis; sed etiam Laicis, adeo quod nisi correctus se emendaverit, debeat excommunicari, ut habetur cap. Episcopus dist. 35.*

Si cum veritate consentit horum Theologorum opinio contendentium non modo quod ex Minoribus, ex iis, qui ad ludum adacti fuerunt, ex fœminis in viri potestate existentibus, & generatim ex iis omnibus, qui in ludo decepti sunt, quod quidem firmum & constans est, verum etiam quod ex quovis hominum genere ita acquisitum est, restituendum omnino esse: hæc una ratio satis virium habet ad ejusmodi aleatores quantocyus a ludendi usu avertendos. Iis, quæ in hanc rem *n.* 9. dicta sunt, addi potest hanc opinionem novam non esse, immo vero per annos ab hinc quadringentos a gravibus Theologis propugnatam esse, & a nostrorum quoque temporum magni nominis Auctoribus propugnari. In horum numero sunt S. Franciscus Salesius Introductionis suæ *l. 3. c. 32.* pronuncians lucrum ex aleæ ludis perceptum cum naturali jure pugnare, atque inde profectam delectationem injustam esse; Comitolus *l. 3. q.* 50. *Resp. moral.* Merbi *tom. 2. q. 153. pag.* 545. id quod eam valde probabilem reddit.

Utut res habeat quoad hujus postremæ restitutionis obligationem, illud tanquam certum ponendum est aleæ ludos vetitos esse, neque eum tantum peccare mortaliter, qui sæpe in hujusmodi ludis, qui facile, brevique temporis spatio extremam perniciem ludentibus afferre possunt, graves summas sorti tradit, sed eum quoque, qui vel modicam summam in ludum conferens, vel sæpe ludens se exponit periculo proprium in re gravi officium negligendi, vel in ludum vehementius abreptus, Ecclesiastici vel Divini præcepti violandi, quod sane sæpius in his quam in aliis ludis usuvenit, occasionem proximam subire non dubitat. Ut enim docet D. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *quandoque peccatum potest esse mortale propter vehementiam affectus ad ludum, cujus delectationem præponit aliquis dilectioni Dei; ita quod contra præceptum Dei vel Ecclesiæ talibus uti non refugiat.*

Alterum vero, quod animadvertendum diximus, spectat ad Clericos, qui sæpe aleæ ludis operam dant.

Si id spectetur, quod hac in re generalia & particularia Concilia statuerunt, quod egit Divus Carolus, & potissimum quod Tridentina Synodus pronunciavit *sess.* 22. *cap. primo*: certum est fortuitos ludos iis maxime vetitos esse, præsertim cum sacris Ordinibus initiati sunt, ut proinde peccatum, quod ludendo committunt, leve omnino non sit. Igitur ejusmodi ludi Clericis minime congruunt; eorum status sanctitas, & perfectum, quod Laicis præbere debent, exemplum postulant, ut digniores sanctioresque oblectationes conquirant; ac denique si sacri Canones eos ludentibus adesse prohibent, sane credi non potest per ipsos Canones iis licere iisdem ludis vacare.

Quoniam porro Beneficiati non perinde proventuum

(*a*) Decret. Eccles. Gallican. l. 6. tit. 19. de aleæ usu.

(*b*) Tostat. in c. 6. Matth. q. 55.

gium Beneficiorum suorum domini sunt, ac sunt Laici eorum bonorum, quæ ad ipsos pertinent; dubium profecto esse non potest, quin peccent quam gravissime, si Beneficiorum fructus ludi temeritati committant. *Sacerdotibus autem*, inquit Soto *l. 4. q. 5. art. 2. conclus. 3. de just. & jur. vix citra mortale uti licet ludis vetitis, ac præsertim Religiosis, & Antistitibus; quoniam ludus, non qua ratione Sæcularibus, sed quia contra eorum est honestatem, prohibitus est*. Tostatus *in Matth. c. 6. q. 55.* circa finem de Clericis omnibus generatim loquitur, & id ipsum pronunciat. Sane Tridentina Synodus loco citato de Clericis ita loquitur in hanc rem: *levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant*. Navarrus *in Manuali c. 20. nn. 9. & 10.* distinctius ita statuit: *Dico tertio, quod lege ad mortale obligante prohibentur Monachi, & Clerici Beneficiarii, vel in sacris Ordinibus constituti ludere hujusmodi aleæ ludis, sive fortunæ illicitis notabilem quantitatem, præsertim de fructibus Ecclesiasticorum Beneficiorum . . . . tum quia in profanum & malum usum reditibus in pium destinatis utantur contra multa, quæ citavimus*, &c.

Neque vero tantummodo vetat Ecclesia, ne Clerici publice ludant; Burdegalensis enim Concilii verba, quæ allata sunt n. 10. interpretationem hanc nequaquam pariuntur; sunt enim ejusmodi: *ab alea, tesseris, & cartis tum privatim tum publice penitus abstineant*. Eadem mens est Concilii Senonensis an. 1528. celebrati, quod ludos quidem ab industria pendentes permittit Clericis, at can. 25. ita de iisdem statuit indiscriminatim: *Neque in publicis ludant: a ludo aleorum, aliisque, qui a sorte pendent, abstineant, neque ludentium fautores, spectatores, aut testes existant*.

Ac licet illud tanquam certum poneretur posse aliquando Clericos innocenter ludis a sorte pendentibus operam dare; id tamen non impedit, quominus universim pronunciari possit eos ab hujusmodi ludis abstinere debere; satis enim habet Ecclesia, dum generatim Clericis aleas interdicit, inde fere gravis præsertim quoad Clericos incommoda redundare; ex quo fit, ut Clerici magis quam Laici cavere debeant, ne hujusmodi Leges violent. *Tertio accidit*, inquit Soto loco citato, *ut ludus sit peccatum propter scandalum personæ: qua ratione Clericis ob eorum honestatem interdicti ludi alearum. Debent namque luctus potius esse dediti, quam effusis gaudiis*. Aut si ludere volunt, debent ita se gerere, ut *ludus ipse sit eruditio* cum aliis, tum etiam sibi, ut olim ajebat Divus Hieronymus Epistola 7. ad Lætam juvenem Matronam Romanam.

Quod autem ad eos attinet, qui in Ecclesiastico Ordine dignitate cæteris præstant, extra omnem dubitationem positum est, ob majorem perfectionem, cui studere debent, multo minus ipsis aleam permissam esse. Præclare in hanc rem Synesius in Epistola ad Fratrem 105. quam an. 408. scribebat: *duobus vitæ*, inquit, *tempus distinguo ideatidem, ludo, atque studiis; at cum studiis occupor, mihi uni deditus sum . . . . At Episcopum divinum hominem esse oportere, utpote qui ab omni ludo, peræque ac Deus ipse, alienus esse debeat, qui, quo vitæ suæ propositum teneat, ab innumerabilibus oculis custoditur*.

Huc referri potest, quod allatum est *n. 6.* de Episcopo Florentino, quem, quod lusisset, Cardinalis Petrus Damianus acriter coercuit, pergravi imposita pœnitentia.

Celebris Theologus, cujus sententiæ strictiores & severiores fere non audiunt, Molina scilicet *tr. 2. disp. 531. de just. & jur. non juncto*, inquit, *condemnandos esse culpæ lethalis eos Clericos, qui sine aliorum scandalo recreationis gratia cartis ludunt quantitates modicas, quæ conditionem ac statum ipsorum, spectatis eorum reditibus ac bonis non dedeceant . . . . atque lethalis culpæ damnare videtur Navarrus cap. 20. in Man. n. 9. qui eos solos culpæ lethalis damnat, qui notabilem quantitatem ludunt*. Addit deinde: *ejusmodi tamen ludus cartarum, & multo magis tesserarum indecens valde est illis, atque omnino dissuadendus; præsertim cum multi strictius hac de re loquantur, ut ego loquerer, si Ecclesiasticorum mores non adeo ab antiquo illo statu primitivæ Ecclesiæ deflexissent; tunc enim ejusmodi ludus magis indecens, majusque scandalum sæcularibus generabat, quam hodie generat, quando non tam arctam vitam Deoque deditum ab eis expectant, quam olim, ut erat consueta, expectabant. Similiter dicerem*, pergit idem Auctor, *longe indecentius, majusque peccatum esse Clericis sæcularibus ludere cartis, aut aliis similibus ludis in Regionibus, in quibus minus id consuetum est, minusque corrupti sunt mores, quam ubi magis sunt corrupti, estque id magis consuetum*.

Proponit sane Theologus hic, quod in Clericorum favorem afferri posset, ad eos nempe a mortali culpa excusandos; atque minus in præsentia expectandum a Clericis esse, propterea quod illi ab ea morum primitiva ac vetere puritate, in qua sub Ecclesiæ initium vivebant, jam deficientes, aleæ ludis ipsi quoque vacare consueverint, & cum scandali minus afferant, minoris proinde culpæ rei fiot.

Profligata sane est aleatorum Ecclesiasticorum causa, si hujus quidem Auctoris judicio non aliter defendi potest. Ejus enim disputatio potius evincit longe gravius eorum peccatum esse; quo nempe magis malum consuetudine firmatum est, eo magis est deplorandum, quia magis insanabile evadit, quia qui ejusmodi consuetudini adhærent, eam magis magisque corroborant, ac ne dum peccati gravitas usu minuatur, augetur potius, iique proinde qui ex habitu, & consuetudine peccant, minus excusabiles fiunt: *consuetudo in malum non minuit peccatum, sed auget*, inquit S. Antoninus (*a*) post D. Thomam; eamque ejus rei rationem affert, *quia cum peccatum consistat in voluntate, quanto quis voluntate magis firmata in malo peccat; tanto gravius peccat in eodem genere peccati*; & de ludo singillatim loquens, *sed ludens ex consuetudine gravissime peccat*.

Ex hac secunda animadversione inferri potest in iis omnibus casibus, in quibus Laicis fortuitis ludis vacantes mortale peccatum perpetrant, Clericos in iisdem circumstantiis ejusdem peccati reos esse, & hos quidem gravius quoque ac sæpius peccare, quia virtutem colendi, vitamque a voluptatibus alienam ducendi obligatione magis adstringuntur, ac proinde ludo vacantes scandalum crebrius afferunt, quam Laici. Quare iis absolutionem petentibus se minus faciles Confessarii præbere debent.

III Hoc posito,

Ut iis rationibus occurratur, quas Matrona in proposita facti specie in medium affert ad se purgandam quoad ludum, cui vacat, & cujus causa Parochus eam reprehendit, & optat, ut se se corrigat: eæ quidem ad tria præcipua capita redigi possunt.

Primum est, se non ejus conditionis esse, ut laboret, posse pro libito tempus impendere, præsertim cum nulla alia cæteroquin cura distineatur.

Alterum est, Leges aleam prohibentes non amplius vigere, quia consuetudo iis derogavit, easque proinde omni vi spoliavit.

Tertium est, Clericos vel gradu præstantes aliorum more ludere, quod non facerent, si malum esset; neque omnino Confessarios id sibi hactenus vitio vertisse.

Ad primam rationem quod attinet, respondetur, tempus in ludo consumptum, cum sæpe quidem luditur, perditum & male consumptum esse; in quo sane peccat Matrona, de qua sermo est, siquidem longiorem temporis partem in ludo terit, ut ex specie exposita certum fit. Haud nobis concessa est vita ludendi gratia, ut monet Sapiens *c. 15. v. 15.* dum liberiores quosdam homines contra sententes redarguit: *æstimaverunt ludum esse vitam nostram, & conservationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere*.

Temporis bonus usus semper fuit Christifidelibus maxime commendatus, ad id nos extimulant Sancti Patres, nos monitos volunt tempus pretiosum esse, esse breve, esse irrevocabile; Pretiosum quidem, quia nobis in eum finem concessum est, ut nostræ saluti studeamus, ac proinde ad bona incumbamus opera, quibus eam promereamur; adeoque pretiosum tempus est, ut S. Bernardinus Senensis *tom. 1. serm. 42. in Dom. de Pass. c. 2.* de eo jure ita pro-

(*a*) S. Anton. 2. p. tit. 1. §. 7. c. 23.

pronunciaverit: *ficut nec capillus de capite, nec momentum peribit de tempore, de quo scilicet non oporteat reddere rationem*. Breve tempus est, & cito transit; & hæc alia est ratio, cur bene eodem utamur; idque ita esse præsertim in mortis articulo intelligemus, cum vitæ nostræ cursum memoria repetentes, eam velut umbram, quasique momentum præteriisse cognoscemus. Denique transactum tempus non amplius redit; id nos monet Apostolus *Epist. ad Galatas cap.* 6. dum inquit: *dum tempus babemus, operemur bonum*; non dicit, ut animadvertit D. Bernardus, *operemur ludum, dum tempus babemus, sed operemur bonum*.

Cum quis suo tempore pro arbitratu uti potest, nulloque fungitur officio, quo vel publico bono, vel alicujus peculiaris rei curæ addicatur, non propterea tamen dicere potest, se nihil babere, quod agat; ut enim docet D. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 3. *ad* 3. *quamvis in rebus humanis non utantur aliquo officio per comparationem ad alios homines, tamen per comparationem ad se ipsum, & ad Deum, seriosas & virtuosas operationes alias habeat, puta dum Deum orant, & suas passiones & operationes componunt*. Itaque tempus, quod adeo frequenter ludo conceditur, aufertur sæpe charitatis officiis, quæ afflictis exhiberi possent, aut proprii status obligationibus, aut curæ familiæ, quarum quidem rerum aliquando ratio reddenda erit; adeoque tanta ludi frequentia fere culpa non vacat, quia sæpe vel contra charitatem est, vel contra justitiam.

Quamobrem ad hoc incommodum antevertendum raro ludendum est, ludoque utendum tanquam remedio, dum necessitas postulat, ad fastidium nempe tædiumque, quod ex consueto labore, & non interrupta exercitatione oritur, temperandum. Ludus est voluptas in humana vita, quæ cum sale conferri potest, qui modice quidem sumptus cibis condiendis inservit, ut post Philosophorum Principem monet D. Thomas loco cit. art. 4. *parum*, inquit, *de delectatione sufficit ad vitam, quasi pro condimento, sicut de sale parum sufficit in cibo*.

Præterea quamvis non probetur immodicus virorum ludus, sive ludant justo crebrius, sive graves summas sorti committant, fatendum tamen est minus causæ, ut videtur, fœminis quam viris subesse ludendi, quia earum negotia minorem animi contentionem requirunt. Experientia tamen compertum est fœminas sæpe ludere, adeoque dum ludendi furore abripiuntur, quod utinam non contingeret quam sæpissime, in hoc misero ac vesano commercio integras noctes insumere, nec a ludo redire cubitum, nisi quo tempore surgit vir, ut ad sua negotia mane se conferat. Hinc fit, ut cum vir eam adeo præposteram vitæ rationem in conjuge ferre non possit, concordia, quæ inter personas arctissimo, nempe Sacramentali matrimonii vinculo consociatas interesse deberet, diu subsistere omnino non possit. Itaque minimum, quod inde oritur, incommodum sejunctio est; odium enim, quod utrinque subinde accenditur, ad longe graviora mala quandoque pertrahit.

Matronæ debent assuescere alicui manuum labori, qui incommodis, quæ ludum consequuntur, evitandis inserviet; eamque imitari Heroidem, quæ, ut est in Proverbiis *cap.* 31. *v.* 13. *quæsivit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum*, maxima nempe promptitudine ac dexteritate, quicquid sibi placuisset, suis manibus perficiebat. Laborare debent, vel ut otium effugiant, vel ut pauperes charitate sustentent, ut bene multæ Reginæ, magnæque Principissæ facere consueverunt; filiæ causa exempli Caroli Magni, de quibus *Du Chesne tom.* 2. *pag.* 100. *Filias vero*, inquit, *lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri jussit*. Sancta Baltide uxor Clodovei II. de qua Bollandus ad an. 741. Sancta Cunegunda Sponsa Imperatoris Sancti Henrici, de qua idem ad annos 1040.. Sancta Elisabeth soror Sancti Ludovici. Sancta Elisabeth Ungariæ Ducissa Thuringiæ; de qua idem Bolland. ad an. 1251. Sancta Elisabeth Regina Portugalliæ, de qua idem ad an. 1336. Catharina Aragoniæ soror Imperatoris Caroli V. uxor Henrici VIII. Angliæ Regis. Vide Dominum *Le Grand* in Historia Schismatis Angliæ.

Non est igitur, quod Matrona, qua de agitur, ad suam ludendi pruriginem excusandam obtrudat se sui temporis dominam esse, nec laborem suæ conditioni congruere, quandoquidem nullus gradus eximit a labore, nullumque tempus adest, quo bene utendum non sit.

XIV. Ad rationem alteram quod spectat, si consuetudo contraria Legibus aleam prohibentibus derogasset, ac vere dici posset eas Leges præscriptas esse: earum sane auctoritatem hoc nostro ipso sæculo infirmatam esse oporteret; ex probationibus enim hactenus in medium allatis facile intellectu est ludos a sorte pendentes omnibus retro sæculis tum ab Ecclesia, tum a Principibus vetitos fuisse. Atqui non minus hoc ipso sæculo vetiti fuere.

Ludovicus XIII. (*a*) edictum vulgavit, quo non solum aleas prohiberi, verum etiam aleatores gravissime puniri voluit. In Constitutione diei 30. Maii an. 1621. vetat aleatoria, seu conventicula cartis & talis ludendi gratia instituta; ac dici potest iis vocabulis omnia indiscriminatim loca comprehendi, in quæ ludendi causa convenitur. In ea Constitutione mandatur, ut loca, in quibus aleatoria existunt, vel ejusmodi conventus habentur, a Judicibus invisantur, ut proinde nulla prorsus domus, in qua quidem cartis aut talis ludendi causa fere conveniri solet, quæ a Magistratuum visitatione exempta censeri possit.

In Edicto mensis Januarii an. 1629. art. 137. prohibitio effertur in hæc verba: „ prohibemus & interdicimus omnibus subditis nostris, ne propriis „ in domibus recipiant conventicula ad ludum instituta, quæ dicantur Academiæ, seu Aleatoria, „ vel in eum finem suas domos commodent, aut „ locent. Declaramus ex hoc tempore infames, „ intestabiles, & Officia Regia obtinendi in perpetuum incapaces eos omnes, qui eo convenerint, „ aut adeo pernicioso exercitio se prostituerint. “

Et art. 138. „ Declaramus omnia debita ob ludum contracta, & omnes obligationes, & promissiones ob ludum factas, quacumque demum „ ratione vestitæ sint, nullas, & nullius effectus, „ & spoliatas omnibus civilibus aut naturalibus „ obligationibus.

Hoc loco duo sunt animadversione digna; primum quidem Edicta hæc nihil esse aliud quam consecutionem veterum Constitutionum, quæ ab aliis in antecessum Principibus adversus aleam editæ sunt; alterum vero, dum a nostris Principibus nullæ declarantur & nullius effectus obligationes & promissiones ludi causa factæ, id argumento esse Leges Civiles quoad hunc ejusmodi ludorum articulum, & quoad pœnam iisdem annexam, nempe restitutionem, in Gallia receptas esse; ex quo sequitur aleatorem id exigere non posse, quod in aleæ ludo lucratus est, adeoque, ut censet Soto (*b*) non solum non posse exigere, sed etiam teneri, quidquid percepit, ipso facto restituere.

Alia quoque non pauca sunt adversus aleam Senatus Rescripta, aliæque peculiares inferiorum Magistratuum Constitutiones; ac si non existerent, non propterea necesse foret edicta quotannis a Principibus renovari ad præscriptionem impediendam, præsertim cum nulla sit legitima consuetudo, cum undique reclamatur.

S. Franciscus Salesius in aleæ ludos invehitur, (*c*) eosque vocat relaxationes non modo periculosas, sed etiam pravas, a Civilibus & Ecclesiasticis Legibus jam proscriptas; voluptatem inde lucrandi injustam esse, quoniam nonnisi ex proximi, atque adeo sæpe ex dulcissimi amici damno & mœrore percipi potest.

In Statutis Synodalibus Fani S. Maclovii an.

(*a*) Collatio Edictorum tom. 1. l. 3. tit. 10.

(*b*) Soto lib. 4 q. 5. art. 3. circa fin. de just. & jur. Qui promisit, non tenetur solvere, & si solverit, alter in conscientia, & ante repetitionem tenetur restituere, neque valeret, si ludens legi renuntiaret, quoniam data est non solum in favorem illius, sed in bonum commune; posset tamen fieri libera donatio, quamvis suboleret semper fraudem.

(*c*) Tertia parte introduct. ad vit. devot. c. 32.

1618, arr. 12. fortuiti ludi in Ecclesia & in re publica prohibiti declarantur; quoniam sancta Concilia, inquiunt Statuta hæc, Regiæque simul Constitutiones universis Christianis prohibent, ne talis, tabulis, aut cartis ludant, sub pœna excommunicationis, carceris quoque, & correctionis pecuniariæ ad Judicum arbitratum pro prima vice, & punitionis corporalis pro secunda. Nos potiore jure prohibemus omnibus Clericis in Sacris Ordinibus constitutis sub pœna suspensionis, præsertim eum ipsis vetitum sit interesse ludentibus a Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 16.

In Rituali Carnutensi an. 1657. Titulo de Examine Pœnitentium mandatur, ut Pœnitens examinetur: *An ludis vetitis usus sit*.

In Statutis Synodalibus Divonæ Cadurcorum typis editis an. 1638. capite primo: omnibus Presbyteris, Parochis, aliisque Clericis nostræ Diœcesis ludis publicis, omnibusque cartarum, talorum, aliisque ludis interdicimus.

Rituale Aurelianense an. 1645. præcipit, ut Confessarius interroget, an iis ludis, qui peccatum mortale sunt, ludentibus commodata fuerint domicilia, tabulæ, candelæ, & alia ludo inservientia, quod de aleæ ludis intelligendum, quia fere ob hos ludos domicilia &c. commodantur.

Rituale Petricoriense an. 1651. pag. 114. mandat Confessario, ut interroget Pœnitentem, aleæ necne operam dederit, atque an per fraudem in ludo lucratus fuerit.

Per Sratuta Claramontii an. 1653. pag. 233. Clerici declarantur incapaces absolutionis, donec dispositi fuerint parere Constitutioni, quæ vetitos talorum & cartarum ludos Clericis probibet.

Alia quoque Ritualia bene multa in medium afferri possent, in quibus talorum, aliosque fortunæ ludos vetitos esse supponitur, qualia sunt Vesontionense pag. 188. Lemovicense pag. 131. Lingonense pag. 11. & postremum Parisiense pag. 154. art. 3.

Quæ cum ita se habeant, dici nequit, ut ad tuendos ejusmodi ludos in expositione proponitur, quod olim vetitum erat, hoc tempore licitum evasisse, quoniam in omnibus, ut ita dicam, præsentis sæculi partibus adversus eosdem ludos reclamatum est.

Dominus *Godeau* (*a*) in suis operibus Christianis & Moralibus, in aleatores zelo permotus, ut eos ad bonam mentem revocet, in eos bis fere verbis invehitur, quæ potiori jure præsentis temporis aleatoribus accommodari possunt. Quomodo potestis vestrum non mediocrem ludum defendere, inquit hic magnus Antistes, quo tempore tot Christianorum extrema egestate laborant, & fame pereunt? Qua tandem excusatione possunt viri ac mulieres possunt & quidem sæpe cum propriæ familiæ incommodo ingentes summas in ludo consumere? Omnes Doctores unanimi sententia statuunt aleæ ludos illicitos esse. Concilium Illiberitanum Can. 79. Laicis tesseras prohibet, atque adeo eos privat Sancta Communione, si ludere pergant; jam vero plerique cartarum ludi, qui in usu sunt, nonne æque fere periculosi sunt ac tesseræ? Nonne vosmet in illud periculum conjicitis, ut Dei nomen blasphemetis, & blasphemias audiatis? Qui porro absque ulla necessitate peccandi periculo sese exponit, nonne peccat omnium Casuistarum sententia? Qui amat periculum, inquir Sapiens, peribit in periculo. Tandem ideone Deus vobis bona tribuit, ut dissipareris hac ratione, ac prodigeretis? Nullius summæ, quantumvis parum gravis sit, non potestis jacturam facere, quin eam pauperibus eripiatis; quoniam enim eam perditis, vobis supetflua est, vos autem ex Evangelii regula, quod vobis superfluum est, iis dare debetis.

Si Matrona nobilis, de qua agitur, parata est disputationi, solique magnique Viri auctoritati se dedere; aliis verbis, ut videtur, opus non esset ad propositum casum solvendum præter ea, quibus adeo doctus Episcopus utitur; verum in ejus sententiam conspirant bene multi.

Generalis Congregatio Cleri Gallicani an. 1655. (*b*) S. Caroli Instructiones in nostrum sermonem, nempe Gallicum convertendas atque imprimendas mandavit, ut universæ Galliæ praxi inservirent, utpote regulæ tutæ Moralis Christi Domini. Videri potest hujus versionis pagina 45. ubi de fortuitis ludis loquitur D. Carolus; ex quo inferri potest Episcopos congregatos voluisse, ut doctrina iis ludis opposita ubique locorum diffunderetur, atque ita Fideles ad praxim adeo perniciosam magna animorum consensione exterminandam permoverentur.

Post hæc omnia testimonia concludendum est prohibitiones adversus ludos sorte pendentes adhuc subsistere hoc, quo vivimus, sæculo, perinde atque in præteritis viguere, adeoque allegari non posse Leges, quæ eos prohibent, vim non amplius habere. Potest quidem per Consuetudinem præscribi pœna ludis fortuitis a Legibus annexa, qualis est excommunicatio, punitio, taxatio, &c. Potest etiam plus minusve in aleatores, qui Urbi aut integræ Provinciæ scandalo sunt, animadverti; at eorum, quod tolerentur, peccatum non est minus, immo semper perdurat.

Verum adversus hanc, quæ obtruditur, consuetudinem ea prorsus invicta ratio est, quod Ecclesiasticæ ac Civiles Leges, quæ ad alicujus gravis mali correctionem tendunt, tamdiu censentur subsistere, quamdiu malum ipsum subsistit. Porro ostendat Matrona, de qua quæritur, necesse est aleæ ludum, qualis apud ipsam, vel universim in usu est, non amplius ordini repugnare, neque amplius eorum malorum causam esse, quæ Ecclesia & Principes impedire volunt; tum vero ei manus dabimus, & assentiemur Leges aleam prohibentes desuetudine abrogatas esse.

Ludus econtra nullo unquam tempore ita omnes rationis limites est prætergressus, ut in præsentia, nunquam adeo nocuit Imperio ac Religioni; adeoque si nullæ unquam adversus aleam extitissent Leges, hoc quidem tempore gravis earum adesset necessitas; non ergo garriendum usu contrario Legem abrogatam esse, nisi forte contendere sit animus vitium præscripsisse contra virtutem, crimen contra Legem; quod esset nihil aliud quam inversio politicæ rationis Ecclesiæ, Imperii, jurisque universi, quoniam quo magis vitium commune, & depravatio generalis esset, eo minus juris suppeteret utrumque cohibendi, & virtutem commendandi.

Non est sane de vitiis ac virtutibus ex consuetudine judicandum; quod consuetudo commune reddidit, non semper licet, aut cum veritate consentit: *quicquid sceleris*, inquit S. Augustinus lib. 3. contra Parmenianum, *inebriat multitudinem, amittit examinis veritatem*; haud nempe novum est ad pravam affectionem, quæ vehementer allicit, fovendam, & conscientiæ stimulos reprimendos consuetudinem usumque prætendi. Sane Innocentius III. in Epist. ad Episcopum Turonensem, quæ extat *cap. Inter dilectos de excess. Prælat.* de quodam Clerico aleatore, qui aliorum exemplo sese tuebatur, ita pronuntiat: *unde licet ad palliandum tantæ præsumptionis excessum proposuerit, quod hoc fecerat juxta consuetudinem Clericorum Gallicorum: nos, qui ex nostri officii debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem, quæ corruptela dicenda est, palliatur, frivolam reputantes, cum in illis magis plectibiles sit offensa, per quæ ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas usurpatur.* Deinde eumdem Clericum dignitate sub-Chori magistri, quam petebat, insigniri vetat ita concludens: *propter indignitatem & vilitatem ipsius diximus irritandum; cum personis vilibus & indignis portæ dignitatis patere non debeant juxta legitimas sanctiones.*

Multo ante, nempe Clotarii II. ætate habitum est Episcopale Concilium Pictavii, referente Gr-
fa,

(*a*) Tom. 2. p. 88. & 89. art. 13. suorum Christianorum & Moralium impressorum a Parvo an. 1658.

(*b*) Sententia verbalis Cleri ann. 1655. & 1656. sub finem p. 1116. Rogatur Dominus Citon, ut curam suscipiat editionis Instructionum Sancti Caroli, in Gallicum sermonem conversarum a quondam Archiepiscopo Tolosano, ut opus hoc sit firmissimum quasi propugnaculum adversus impetum recentiorum opinionum, quæ ad Moralis Christianæ perniciem tendunt.

gorio Turonensi (*a*), in quo ejus Urbis Abbatissa, quod luderet, accusata comparuit coram Concilii Patribus, fassa est se fortunæ ludis operam dedisse, id tamen nec Scripturæ, nec Canonibus adversari. *Sed erroris convicia ad jussionem Episcoporum cervice inflexa per pœnitentiam quicquid juberetur, implere repromisit.*

Hnc exemplum proponitur imitandum Matronæ nobili, de qua in expositione dictum est, contendenti aleæ ludos minime vetitos esse; debet illa Pastoris sui, a quo de ludo reprehenditur, voci parere; & quod inde consequitur, ludum omnem de medio tollere, vel saltem magnopere moderari, atque agere pœnitentiam, ne se transgressionis crimine abstringat tot sanctarum Legum, quas Episcopi in Conciliis, & Principes in suis Constitutionibus adversus aleam sanxerunt. Apud Gregorium quidem Turonensem agitur de Moniali; verum esto personæ Deo devotæ strictius teneantur Legibus aleam prohibentibus obtemperare: non proinde tamen Sæculares ab iis servandis exempti sunt, quia eæ sanctiones malum, quod in ludis fere contingit, potius, quam personarum qualitatem respiciunt.

XV. Quod pertinet ad rationem tertiam, ex qua sibi Matrona nobilis præsidium quærit, inquiens, in ludicris conventiculis, quæ apud eam habentur, vel quibus ipsa interest apud alios, non adesse nisi selectum genus hominum, sive ludendi, sive ludum spectandi gratia;

Respondetur ejusmodi conventicula perinde Principis atque Ecclesiæ Legibus vetita esse. Etiamsi porro in hoc electo choro ex iis quoque non deessent, qui proprii muneris ac dignitatis vi, cujusmodi sunt Magistratus, deberent cæterorum maxime Principis Leges custodiendas curare, atque obedientiæ, quæ iisdem debetur, exemplum præbere: non id tamen evinceret ea ludicra conventicula magis esse legitima; id fortasse magis impunitum crimen efficeret. Si Clerici quoque non desunt, iique in Ecclesia principis Ordinis, qui ludo vacent ut cæteri, id nihil aliud efficit, quam ut ludendi prurigo majori scandalo sit, & in hos aleatorum conventus graviorem Divini Numinis iram & maledictionem pertrahat. Præterquamquod enim Clerici magis quam Laici Legibus aleam prohibentibus parere debent, ut paulo ante est demonstratum, in his quoque casibus in quibus innocenter ludere possunt, non debent fere juxta Canonum mentem ludere cum Laicis (*b*), qui in eorum vel levissimis erratis acure cernunt, ut habeant, quo eorum vitæ rationem improbent; diligentius præterea debent ab iis conventiculis abstinere, in quibus alterius sexus personæ existunt, ut a probandi ludi, lædendique Divini Numinis occasione se magis alienos exhibeant.

Sane si has regulas ob oculos haberent Clerici, Matrona nobilis, pro qua consilium exposcitur, non afferret eorum exemplum, ut suam ludendi pruriginem, qua ferver, tueretur; quamquam hoc ipsum exemplum ei esse non potest legitimæ & sufficientis excusationis loco, ut coram Deo a culpa eximatur.

Quod autem de suo Confessario subdit eadem Matrona, nihilo magis ipsam in tuto ponit; se ipsa tutam judicat, nec angitur animo, quia Confessarius silet, ut inquit; nec reputat justa Dei indignatione fortasse fieri, ut ducem ac magistrum obmutescentem, nec de proprii status obligationibus, extremaque, in qua ipsa versatur, calamitate monentem sortita sit. Ecclesia exempli causa dies festos instituit, ut nobis in memoriam revocaret Sanctos, eorumque pœnitentiam, atque obligationem, qua Martyribus præsertim adstringimur, quod Christi Domini fidem ad nos proprii sanguinis effusione transmiserint. Præterea dies Dominicus est dies Domini, dies ejus cultui præcipuo quodam jure dicatus. Cum dies hic sit continua recordatio Resurrectionis Christi Domini, eum proinde veraciter, & ut perfectum Christianum decet celebrare non possumus, nisi viventes tanquam homines a morte excitati, quorum omnis vita in Deo est posita, quique nullam aliunde sentiunt, quam ex rebus cælestibus, voluptatem.

Sunt tamen Matronæ, aliæque personæ, quæ diebus Festis ac Dominicis ludo vacant, ratæ se satis pietati fecisse, si quam possunt citissime, & mente valde distracta privatam Missam audierint. Earum Confessarii, qui de malo, quod probe norunt, monere deberent, id aggredi non audent, adeoque absque remedio malum & scandalum remanent. Num propterea horum Confessariorum silentium satis evincit id, quod ipsi non arguunt, malum non esse? Minime vero. Sunt illi laxiores, aut indocti homines, qui in his occasionibus sequuntur eorum impetum, quos ducere ipsi deberent, & ut ait Propheta Ezechiel (*c*) suppositis quasi pulvinaribus peccatores in molli ac remissa vitæ ratione detinent. Uno verbo sunt Directores in id unum electi, ut suos pœnitentes pro ipsorum arbitratu vivere patiantur, suntque Doctores, de quibus loquitur D. Paulus (*d*), ad quos acceditur, quia sunt apti nati satisfacere desideriis eorum, qui ferre non possunt, sanam doctrinam, & veram Christi Domini Moralem sibi proponi, ac denunciari.

Non igitur Matrona, de qua quæritur, eum, quo flagrat, amorem ludi tueri potest sui Confessarii silentio. Huc referri potest, quod ex S. Bernardino allatum est n. 8.

Ex his omnibus consequens fit, eamdem Matronam, quæ sæpe fortunæ ludis operam sive domi suæ, sive alibi, quæ patitur lucri præsertim animo ludum in negotiationem convertit, ingenti pecuniæ vi sorti tradita, sive jacturam patiatur, sive lucrum percipiat, in pravo statu, & in peccati mortalis dispositione versari, non solum quia dum ipsa aleatorium exhibet, eorum omnium malorum, quæ ludi occasione contingunt, rationem reddere debet, verum etiam quia sæpe ludens, ut facit, volens ac lubens subit occasionem proximam Dei graviter offendendi, iis se malis exponens, quæ hujusmodi ludos fere comitantur, aut consequuntur.

Quamobrem dicta Matrona nobilis proprio Pastori de ludo eam arguenti, utque, ad hanc rem quod attinet, consilium mutet, hortanti debet ultro se subdere; ut proinde, si satis monita non resipuerit, ei petenti neganda sit absolutio, illudque ob oculos eidem ponendum tantam, qua fervet, ludendi pruriginem non a Deo, sed omnino a maligno spiritu esse: *Non Deus dat ludere, sed Diabolus*, inquit S. Joannes Chrysostomus in Matthæum (*e*).

Decisum in Sorbona die 25. Junii an. 1697.

Le Caron Parochus Sancti Petri ad Boves.
G. *Fromageau*. S. *Lepescheux*.
C. *Gallyot* Sub-Pœnitentiariua Ecclesiæ Parisiensis.
Gallyot. J. Luillier, Parochus S. Ludovici in Insula.
M. *Mortier*. *Le Bremon*.
D. B. *Dugassis*. *Bonnet*.
Præpositus. *Delestang*, Prior sancti Martini.
P. *Girard*. H. *Ravechet*.
Ph. *De la Coste*. Magister Palatii Regii Parisiensis.
J. B. *Bossy*.

Ludi ad Monialium Crates exhibiti.

C A S U S II.

1 *Moniales non possunt citra peccatum induere suas Pensionarias talaribus vestibus, superpelliceo, birret-*

(*a*) Gregor. Turon. l. 10. n. 16. an. 596. De tabula vero respondit, etsi lusisset vivente Domina Radegunda, se minus culpam respicere: tamen nec in regula per scripturam prohiberi, nec in Canonibus retulit.

(*b*) Cap. His igitur dist. 23 cap. Laicus, 2. q. 12. Glossa cap continebatur de homicid. Laici semper nobis insidiantur, Tostat. in cap. 6. Matth. q. 53.

(*c*) Ezechiel c. 13. v. 18. consuunt pulvillos sub cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis.

(*d*) 2. Tim. c. 4. v. 3: Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus: auditum a veritate avertent.

(*e*) D. Chrysost. in Matth. Homil. 6. circa fin.

tis quadrilateris, ut ludos quosdam ad Cratos exhibeant.

2 *Clerici Sæculares ac Regulares, qui ea indumenta commodarant, rei sunt, perinde ac Laici, qui in eum modum Pensionarias eas induerunt.*

3 *Si earum Monialium Confessarius, quod sui muneris est, facere negligit, ut ejusmodi ludos impediat, Episcopus, aut ejus Generales Vicarii de re certiores faciendi sunt.*

QUÆSITUM.

EXtat in Urbe N. Monasterium Sanctimonialium Ordinis N. quæ puellas pensione soluta erudiendas, & in pietate educandas excipiunt. Obtinet apud eas consuetudo, ut per has Pensionarias fere quotannis exhibeatur nescio quæ Tragœdia, quam ludum nominant; hæc repræsentatio peragitur in eo cubiculo, quod subeunt Pensionariæ, cum consanguinei eas visuri, & allocuturi veniunt; ut proinde Laici, aliique, qui accedunt, ut iisdem repræsentationibus intersint, & eas spectent, a cubiculo, in quo sunt Pensionariæ, sejuncti sint, neque eas aspiciant nisi per crates, quæ in eum finem non magis patent, quam patere consueverint. Cæterum nonnisi pietatis argumenta exhibentur, exempli causa historia & martyrium Sanctæ Catharinæ, & id genus alia. Raro fit, ut Moniales aliquanto antequam repræsentatio peragatur, puellas externas arcessant ex earum numero futuras, quæ acturæ sunt, quia non fit actio, nisi cum Pensionatiæ sufficiunt, eæque, quas ita arcessunt, in Monasterio degunt ut cæteræ Pensionariæ.

Nonnulli ejus Urbis Clerici ejusmodi actiones citra mortale peccatum exhiberi non posse contendent; quia, inquiunt, ad eas actiones exhibendas necesse est, ut Moniales induant nonnullas ex Pensionariis virili veste, aliis quidem Laicales, aliis vero Clericales habitus imponentes, atque adeo eas induentes talaribus vestibus, superpelliceo, ac biretis Ecclesiasticis supra fictam cæsariem; ex quo Laici possunt ansam arripere purgandi, propugnandique transmutationes Bacchanaliorum tempore fieri solitas, quibus proprii sexus habitus deponitur, alienique suscipitur. Porro, pergunt iidem Clerici, Deus *cap.* 22. *v.* 5. *Deuteron.* in eos, qui sexus habitum mutant, maledictionem pronunciat: *Non induatur mulier veste virili, nec vir veste fœminea; abominabilis enim est apud Deum, qui facit hæc.* Et Concilium Gangrense habitum Sæculo quarto, prout quidem legitur in Summa, quam Caranza in compendium redegit, ita statuit can. 13. *Si qua mulier propter continentiam, quæ putatur, habitum mutat, ac pro solito muliebri amictum virilem sumit, anathema sit.* Si hoc Concilium fœminas communione privat, quæ sexus habitum mutant, quamvis id se facere dicant ad bonum finem, *propter continentiam*, velut explicat Cabassutius, prætextu Religionis: profecto persuasum habuit ejusmodi vestium mutationem mortale peccatum esse. Itaque Div. Thomas 2. 2. *q.* 169. *art.* 2. *ad* 3. ita pronunciat: *De se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & præcipue quia hoc potest esse causa lasciviæ*; additque id in solo necessitatis casu licere posse: *Potest tamen*, inquit, *quandoque hoc fieri propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, vel propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid aliud hujusmodi.* Constat igitur ex sacris litteris, ex Concilio Gangrensi, ex D. Thoma a lethali culpa immunes censeri non posse ludos, aut spectacula, quæ in Monialium Monasteriis exhibentur, quippe quæ a Religionis ratione valde remota sint, & gravibus tentationibus ansam præbere possint, *quia hoc potest esse causa lasciviæ*. Et sane quam facile corrumpi potest animus Virginum, quæ cum mundo abrenunciaverint, & in claustrum se se receperint, ibidem tamen vident puellas alias Sacerdotalibus indumentis ornatas, ac modo Confessarium, modo Summum Pontificem exhibentes, & quidem, quod aliquando contigit, benedictionem cæteris impertientes! Quod sane absque irreverentia, & absque observantiæ, quæ Ecclesiastico Ordini debetur, esse non potest. Interim vero ex iisdem Pensionariis aliæ virilem vestem, fictam comam, ac pileum gerunt; & quamvis his indumentis alia sexus propria sint supposita, id tamen actionem minus criminosam non efficit.

Sed alii tamen Ecclesiastici Viri contra sentiunt, nempe in ejusmodi repræsentatione ne veniale quidem peccatum adesse, quoniam ea potius est puerilis relaxatio, quam seria exercitatio; cum eæ, quæ repræsentant, & Actrices agunt, nec declamationem, nec gestum præseferant, qui Tragœdiarum Actores redoleat, quique possit pravos motus in adstantium animis excitare; cum præterea hæc vestium, quæ sexui congruunt, mutatio in Collegiis identidem fiat; hæ vero Pensionariæ, inter quas non desunt, quæ ætate valde provectæ sint, quæque paulo post exhibita spectacula, senectute confectæ supremum diem obiere, non agant in Religionis contemptum, nullaque prava intentione ducantur, recitantes nonnullos tantum Gallicos versiculos, eosdemque simplicitatem maxime redolentes. Præterea ita jam obtinet consuetudo, novitque Urbs universa id semper fieri, nec fit verosimile ad Superiorum aures id non venisse; ac sæculares quidem & Regulares Clerici, iique bene morati non solum adsunt actioni, verum etiam suppeditant vestes, ut talares, superpellicea &c. curantque, ut aliæ, cujusmodi sunt viriles vestes, appositæ comæ, &c. a Laicis suppeditentur. Ad extremum Monasterii Confessarius adest & ipse, cum ei per tempus licet. Additur & illud ad ejusmodi ludos tuendos: id in causa esse posse, ut aliæ Pensionariæ, quæ Monialibus solatio, & subsidio esse possint, nomen dent Monasterio, quod quidem paupertate laborat. Itaque tria in quæstionem veniunt.

I. An hi ludi citra mortale peccatum ita exhiberi possint?

II. An si mortale peccatum adsit, Clerici, Regulares, & Laici, qui vestes præbuerunt, ejus rei sint, perinde ac Moniales & Pensionariæ?

III. An cum ordinarius hujus Monasterii Confessarius ludos eos non impediat, Episcopus, vel ejus Generales Vicarii de re monendi sint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ejusmodi spectacula, de quibus sermo est, quoad Pensionarias & Moniales spectari posse; & hoc in casu actio innocens esse potuit, cum eædem Moniales ac Pensionariæ rem ipsam per se malam esse non crediderint, eamque tanquam indifferentem spectaverint.

At si iidem ludi, eædemque Tragœdiæ in se ipsis spectentur, ut nempe repræsentantur cum promiscua vestium mutatione, cumque aliis circumstantiis; major sane oritur difficultas, nec culpa carere videntur, tametsi eadem culpa non in ipsa vestium trasmutatione consistat. Præposterum quidem, atque indecens est ipsum per se, puellas virilibus vestibus indui; at id absolute malum dici non potest, atque ita malum, ut nunquam in quibusvis circumstantiis mutatio ea a peccato vacare possit. Cum porro D. Thomas (a) ita pronunciat: *Est de se vitiosum, quod mulier utatur veste virili*; non ita accipiendum est, ut explicat Sylvius in hunc Div. Thomæ locum, *quod de sua natura malum est, ut mendacium... sed quia habet speciem mali; ac nisi per bonam aliquam circumstantiam justificetur, veri nominis peccatum est.*

Jam vero Pensionariæ, dum viriles vestes propriis imponunt, ad breve tempus, ad suam ipsarum, ad consanguineorum, amicorumque relaxationem, minime peccare videntur, quia finis, quem sibi proponunt, nempe relaxatio est honesta circumstantia, quæ id adimit, quod in ea, qua de agitur, actione, posset quoad caput hoc vitiosum esse. Docet quoque Sylvius loco citato mutationem vestis ex levitate factam, ut alieni sexus indumenta sumantur, venialem tantum culpam esse, modo nec scandalum adsit, nec mali intentio, & occasio: *Mutatio vestium*, inquit, *si ex levitate fiat, & absit tam scandalum, quam intentio periculumque libidinis, peccatum erit veniale.* Ex quo concludi potest Pensio-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 168. art. 1. ad 3.

sionarias, quæ solum ut amicis honestam oblectationem afferrent, virilibus vestibus usæ sunt, in proposita facti specie minus profecto peccasse. Quamobrem neque illæ, quod viriles habitus sumpserint, nec Moniales, quod, ut sumerent, in causa fuerint, mortalis peccati argui possunt. Potest id confirmari multorum Theologorum auctoritate, cujusmodi sunt Suarez & Pelizarius, (a) qui etism a peccato Monialem excusant, quæ *ad breve tempus pra actione ludicra* ptoprium habitum deponeret, ut alium, atque adeo virilem sumeret. Quicquid porro de horum duorum Auctorum assertione sentiendum sit, sane pronunciari non potest Pensionarias, de quibus sermo est, ob id omnino, quod virilibus vestibus in suis ludis, seu repræsentationibus usæ fuerint, graviter deliquisse.

Quod autem ex cap. 22. Deuteronom. & ex Gangrensis Concilii canone 13. in medium adducitur, ad præsentem facti speciem legitime referri non potest, ut ex vera ac genuina utriusque textus notione liquido constat. Etenim I. id Sacra Scriptura Judæis probibuit, ut monet D. Thomas, ut ab Ethnicorum per eas mutationes sua ficta Numina colere contendentium superstitioso cultu eosdem abduceret: (b) *Specialiter probibetar in Lege*, inquit S. Doctor, *quia Gentiles mutatione habitus utebantur ad Idololatriæ superstitionem*.

II. Gangrensis Concilii canon 13. qui *dist.* 30. *C. Si qua mulier*, in medium affertur, de iis fæminis est accipiendus, quæ *proposito ad meretricandam*, ut ait Glossa in hoc caput, vel ut animadvertit Archidiaconus, *proposita malo, scilicet meretricio* virilibus vestibus utebantur.

Non igitur ideo simpliciter peccarunt Pensionariæ, quod in suis spectaculis viriles habitus propriis vestibus imposuerint, tametsi minime decest intra Virginum Deo devotarum Monasterium puellas virilibus vestibus indutas existere; sed in eo peccarunt, quod talaribus vestibus, superpelliceis, sacrisque birretis, hoc est indumentis Ecclesiasticis Ordini ad Religionem cultumque divinum spectanti consecratis usæ fuerint. Neque enim fas est ad propriam atque aliotum oblectationem ejusmodi habitus adhiberi, qui tanquam sanctitatis habitus spectandi sunt, & quorum usus in spectaculis & in Theatro vergit in Religionis contemptum. (c) Sane S. Carolus quam id absonum sit, satis ostendit, dum ita statuit: *si quis personatas vestes Clericales aut Monachales, vel ad eorum formam induerit, & is qui eas assumpserit, & is qui accommodaverit, graves pœnas subeant*. Porro de culpæ, quæ in hac facti specie committitur, qualitate ex pœnæ, quæ ob eamdem culpam a sancto Cardinali infligitur, qualitate judicari potest: *graves*, inquit, *pœnas subeant*. Si ejusmodi culpa D. Caroli judicio gravis est; gravior profecto censenda est, cum puellæ talaribus vestibus, superpelliceis, & birretis ornatæ benedictiones in iis ludis impertiuntur, ut eas exhibeant, quas primores divini cultus Ministri solent tribuere. Hæc sane circumstantia gravius ac propius afficit Religionem, & sanctitatem earum functionum, quæ utpote seriæ prorsus ac sacræ multo minus in ludo, aut spectaculo, quod ad propriam, & aliorum oblectationem solummodo tendit, exerceri possunt. Id si fiat, potest in causa esse, ut Religionis praxes venerationis non mediocrem jacturam patiantur, atque adeo contemptui ducantur; quamobrem hæc agendi ratio a peccato mortali excusari non potest.

His in hunc modum constitutis, ad propositas quæstiones tres respondetur.

Ad primam; ludos, de quibus agitur, in quibus Pensionariæ talaribus &c. indutæ sunt, & præsertim cum ita indutæ benedictiones impertiri non dubitant, citra mortale peccatum exhiberi non posse, ut ex hactenus dictis compertum sit. Bona tantum fides, qua Moniales, ac Pensionariæ egisse videntur ad hoc usque tempus, iis excusationi esse potest.

Ad secundam. Idem sentiendum de Clericis, de Regularibus, ac de Laicis, qui habitus, quos diximus, suppeditarunt; siquidem in hac facti specie in hominibus Sacris Ordinibus insignitis, ac Regularem statum profitentibus bona fides præsumi potest.

Ad tertiam, postremamque interrogationem quod attinet, respondetur, si hoc in casu Monasterii Confessarius suo muneri deest, nempe quantum in ipso est, ejusmodi ludos non impedit, Diœcesanum Episcopum, ejusve Generales Vicarios de re tota monendos esse.

Decisum Parisiis hac die 10. Junii an. 1696.

G. *Fromageau*.

M A L E F I C I A.

(*Vide* SORTILEGIA:

C A S U S.

1 *Cum quis a Dæmone torquetur, vel se torqueri putat, ad se liberandum adhibere nequit ea media, quæ expressum vel tacitum cum eo pactum supponant, nec nisi per maleficium ad illud, quod inde speratur, levamen conferre possint.*

2 *Confugiendum est ad remedia, quæ Ecclesia permittit, & consulit.*

QUÆSITUM.

IN Polonia & in Russia reperitur in quibusdam humanis cadaveribus, quæ appellantur *Striga*, quidam liquor, quem vulgus, atque adeo sapientum nonnulli sanguinem putant. Contendunt eum a Dæmone ex viventium corporibus easorberi, & in ea cadavera inferri.

Ajunt inde malignum hunc spiritum passim egredi ad homines excruciandos; & cum eos vehementer torserit, vexatitque, in ea cadavera regredi, tantaque in copia sanguinem, quem suxit, immittere, ut ex cadaveris, quod in eo natate cernitur, ore, naribus, & præsertim auribus effluat. Edit, inquiunt, lintea, quibus involvitur; quod ne contingat, cavetur, dum cadaver sepelitur, ne quod

linteum ejus ori proximum sit, tegiturque illud imposita terra perinde ac gurguglio.

Spiritus, qui ex hujusmodi cadavere egreditur, noctu circuit, dum somni tempus est, ut eorum quietem turbet, quibuscum defunctus maxime necessitudine devinctus fuerat. Eos premit, amplectitur, & tam vehementer angit, ut a somno excitentur acriter auxilium implorantes, testantesque spectrum, perinde ac si viveret, suismet oculis observari. Qui ita excruciantur, macrescunt, deficiunt, brevique temporis spatio intereunt. Ita nonnunquam malum serpit, ut familias ipsas unum post alium de medio tollat.

Horum spirituum nonnulli homines aggrediuntur, alii pecudes impetunt, & earum quoque sanguinem inferunt in cadavera, quod in causa est, ut langueant, & moriantur; ut proinde si nullum malo huic remedium afferretur, universa regio devastaretur. Remedium porro, quod adhibetur, ejusmodi est. Sanguini ex iis cadaveribus effluenti mixtum panem secum deferunt, & comedunt, atque ita se ab omni vexatione liberos sentiunt; sed omnium maximum remedium est cadaverici capitis amputatio.

Animadvetsione dignum est, inquisita mortuorum corpora, quorum species in somnis apparuit, detegi

(a) Suarez tom. 5. disp 23. sect. 4. num. 29. de censur. Pelizarius tom. 2. tract. 10. c. 7. q. 32. n. 45.

(b) Vide Habitus Cal. I. II. III.

(c) S. Carolus in Actis lib. 3. tit. de vita & honestate Clericorum n. 16. p. 129.

mollia, flexilia, inflata, & rubicunda. Verum statim atque eorum caput recisum est, non amplius Dæmon ad eos turbandos accedit, quos antea torquebat, brevique illi ad pristinam valetudinem redeunt.

Haud ita multo ante quidam ex his spiritibus puellam dormientem aggressa est; illa experrecta, & præ dolore, quem sentiebat, clamitante, concurritur ad opem ferendam; ait ea se vidisse imaginem matris, quæ paulo ante occubuerat. Cum eâ macresceret, ventum est ad cadaver, quod molle, flexile, & rubicundum inventum est. Et caput abscissum est, & apertum cor; effluxit magna sanguinis copia; tum vero puella convaluit; & in præsentia se bene habet.

Actioni in matris cadaver adsuere nonnulli Presbyteri fide digni, quos puella ipsa de re tota certiores fecit.

Quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius tam quoad eos, qui ad reprimendam maligni spiritus vexationem remediis supra explicatis utuntur, quam quoad eos, qui eadem remedia adhiberi postulant, & in capitis cadaverum, quorum ii Dæmones potiti sunt, amputationem consentiunt, ut convalescant.

RESPONSIO.

Consilium Coofcieotiæ subscriptum, quod proposita vidit, existimat, ante omnia quam diligentissime inquirendum esse de factis ibidem relatis, an nempe sint veritati conformia. Adeo quippe inusitata sunt, ut merito timeri possit, ne in iis haud levis illusio locum habeat, neque iisdem antea fides adhibenda sit, quam adeo evidenter ac liquido probata fuerint, ut in dubium revocari omnino non possint. Imaginatio, ignorantia, nimia credulitas, superstitio, ruditas eorum, qui ejusmodi eventa referunt, debent suppeditare causam timendi, ne fictio, exaggeratio, impostura, illusio in iisdem occurrant. Sed facta hypothesi eos, qui consulunt, suismet oculis videre populum vel deceptum, vel revera vexatum uti, quo se liberet, remediis duobus in expositione explicatis: Consilium censet tum remediis utentes, tum eorum usum in sui gratiam petentes mortalis peccati reos esse, & a Confessariis de malo, quod perpetrant, monendos esse, ac si in adeo prava praxi perstiterint, absolutione privandos. Sententia hæc nititur ratione duplici; una generalis est, & ducitur ab honore, qui debetur defunctorum corporibus; alia vero ex peculiari, de quo agitur, facto sumitur.

Imprimis defunctorum corporibus magna reverentia semper est habita, & a primis usque temporibus eorum honor tanquam Religionis caput spectatus est, ita ut sepulcra ipsa violari nefas esset. Est in hanc rem titulus in Codice *de sepulcro violato l. 9. tit.* 19. ubi bene multæ Constitutiones occurrunt in eos, qui sepulcralem sanctitatem violaverint; in iis sacrilegi declarantur, & eo nomine puniendi dicuntur ii omnes, qui ausi fuerint subvertere, vel expilare monumenta, in quibus fidelium corpora conquiescunt: *Pergit audacia ad busta defunctorum, & aggeres consecratos, cum & lapidem hinc movere, & terram evertere, & cespitem evellere proximam sacrilegio Majores nostri semper habuerint: quibus primo consulentes, ne in piaculum incidat contaminata religio defunctorum, hoc fieri prohibemus pœna sacrilegii cohibentes*. Porro majus quoddam facinus est in sepulcra ingredi ad cadaverum caput amputandum, quam inde quicpiam auferre.

In Jure Canonico qui corpora in plures partes resecant, excommunicatione *ipso facto* plectuntur. I. Bonifacius VIII. qui eam legem edidit *Cap. Detestandæ extravag. 1. de sepult.* ejus criminis absolutionem sanctæ Sedi reservat, impietatem & crudelitatem appellans: *Defunctorum corpora sic impie ac crudeliter non tractentur*; quamvis ea partitio non fiat, nisi ut facilius in suorum Majorum tumulos transferantur. In casu, de quo agitur, prætextus minus venia dignus est, & venerationi, quam merentur Fidelium corpora, magis oppositus. Hæc est prima ratio, quæ ejusmodi praxim damnat, & in causa est, ut in Glossa *v. catholicæ fidei* dicatur: *Humana natura est erubescenda, & ideo etiam post mortem corpus humanum non recipit æstimationem*. Authentica *at defuncti tit. 13. coll. 5.* id antea monuerat: *Qui enim hominis naturam non erubuit, dignus est & pecuniis, & gloria, & aliis omnibus condemnari.*

Videri possunt alii complures Canones, quos affert Antonius Augustinus *3. p. l. 35. tit.* 12. & in Canonibus pœnitentialibus *tit. 7. cap. 7.*

Verum II. finis in Poloniæ ac Russiæ praxi propositus turpius quoque facinus efficit. Ad avertendam, inquiunt, maligni spiritus vexstionem, & pristinam valetudinem reparandam comeditur panis mixtus sanguine e cadaveribus effluente, iisque caput absciditur. Jam vero jure optimo præsumi potest, si remedium hoc effectum sortitur, id fieri vi pacti taciti vel expressi cum Dæmone, & maleficium alio maleficio repelli. Panis enim sanguine mixtus, perinde atque amputatum caput naturaliter non possunt morientem sanare, & Dæmonem, qui eum torquet, expellere. Nec magis asseri potest in ejusmodi casibus a Deo miracula fieri. Satis est id audire, quod in cadaver Matris, cujus filia se excruciatam dicebat, factum est, ut appareat Deum ejus remedii auctorem non esse, nec ad puellam sanandam ei naturalem vim tribuere potuisse. Fatendum est igitur, facta hypothesi rem ita se habere; adesse pactum cum Dæmone, eumque promisisse se præsente maleficio recessurum, postquam illud ipse consuluit. Gerson in Opusculo contra doctrinam cujusdam Medici Montis Pessulani pronunciat Parisiensem Facultatem ita hac de re judicasse. IV. *propositio: Omnis observatio, cujus effectus expectatur aliter quam per rationem naturalem, aut per divinum miraculum, debet rationaliter reprobari & de pacto Dæmonum expresso vel occulto vehementer haberi suspecta: sic determinavit tempore nostro sacræ Theologiæ Facultas Parisiensis.*

Porro maleficium maleficio repelli non licet. Vide S. Thomam *in 4. dist. 34. q. 1. art. 3.* & Decretum Facultatis Parisiensis an. 1318. relatum ad calcem operum Magistri sententiarum art. 6. *quod licitum sit, aut etiam permittendum maleficia maleficiis repellere, error est.* Ex his omnibus duo consequuntur;

Primum, regionum, pro quibus consulitur, damnandam esse consuetudinem, tanquam improbatam in utroque Jure, sacrisque litteris, quæ prohibent malum fieri, ut bonum eveniat.

Alterum, si post consultos Medicos pietate & doctrina præstantes nec naturalis eorum malorum causa detegi, nec per naturalia remedia iisdem incommodis occurri potest, ad ea confugiendum esse, quæ contra vexationes Dæmonis indigitantur in Capite *si per Sortiarias 33. q. 2. atque maleficas occulto, sed nunquam injusto Dei judicio permittente, & Diabolo procurante, &c. hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos, ac cætera medicinæ Ecclesiasticæ munia Ministri Ecclesiæ tales, quantum Dominus annuerit, sanare procurent*. Ita persuasum habet Bartholomæus *de Spina* Magister Sacri Palatii in suo Tractatu *de Strigibus cap. 33. Qui enim in hujusmodi maleficiis, & in aliis curandis observarent ea, quæ docet Caput, si per Sortiarias 33. q. 2. facile per Dei misericordiam curarentur.*

Decisum in Sorbona hac die 14. Februarii an. 1663.

G. *Fromageau*.

MA-

MATRIMONIUM.

Quoniam in subsequentibus casibus nonnisi de Christianorum Matrimonio dicendum est, illud unum proinde nos explicabimus, cæremoniarum, quas olim Ethnici tum Græci tum Romani in suorum matrimoniorum celebratione servabant, nulla mentione facta.

Matrimonium apud Christifideles Sacramentum est institutum a Christo Domino ad sanctum fœdus inter virum fœminamque statuendum, ut in ejus amore ac timore prolem ex se genitam educent. Sacramentum porro esse dicitur, quia exterior hæc unio visibile signum est interioris gratiæ, quam Deus conjugatis largitur, ut suo fungantur officio, & Christi Domini Ecclesiæque unionem imitentur. Hujus Sacramenti finis est se mutuo juvare ac solari, ut ambo mortalem hanc vitam sancte transigant, & ad aliam perveniant, & ut filiorum legitima generatione, deque eorumdem spirituali regeneratione, quæque eidem consormis sit, educatione solliciti in Ecclesiæ ædificationem conspirent; ut proinde qui titillatione quadam abrepti matrimonio se copulant, nihil in eo quærentes præter sensuum illecebras, vel avaritia permoti, necquicquam aliud quam temporalia commoda sibi proponentes, quin ad nobiliorem finem animum erigant, ne dum, prout Christianum hominem decet, matrimonium contrahant, matrimonii sacramentum profanent, & re tam sancta abutentes ad obtinendam suarum voluptatum fruitionem, quærendumque propriæ fortunæ statum, Spiritui Sancto, & gratiæ quam nuptiis addidit, injuriam inferant. Quamobrem sacræ litteræ eos gravissime damnant, qui ejusmodi causis illecti se matrimonii vinculo irretiunt, ut ex Libris Tobiæ cap. 6. licet intelligi.

Docente Divo Augustino (*a*) Matrimonium, spectato latino vocabulo, ita nuncupatum est, quia Fæmina, dum nubit, id potissimum propositum habere debet, ut mater evadat. Vox hæc: *Matrimonium*, quorumdam Auctorum judicio ita etiam accipitur, ut significet *Munium Matris*, quia ut est in Jure Canonico, matris officium & cura magis in Matrimonio spectanda veniunt, quam Patris; quoniam filii, qui sunt matrimonii fructus, sive ante, sive post, sive in ipso partu matres magis sollicitas habent.

Matrimonium spectari potest multifariam; Cum fœminæ eo tantum gaudent, quod suapte natura matrimonio adnexum est, nec omnino civilium commodorum participes sunt, hæc unio dici potest matrimonium naturæ; cujusmodi quidem non solum apud Romanos, sed etiam in Ecclesia matrimonia non defuerunt. Cum eædem fœminæ gaudent civilibus bonis, quæ ipsis Leges tribuunt, civile matrimonium appellari potest. In tertio denique genere est matrimonium Christianum, estque illud, quod ad Sacramenti dignitatem elevatum est, quodque rursus bifariam dividi potest; vel enim simpliciter ratum est partium consensu, vel præterea corporali conjunctione consummatum est. Matrimonium illud ratum dicitur, quod Fideles contrahunt in facie Ecclesiæ, quæ matrimonio naturali & legitimo addit Sacramenti qualitatem, ad quam in lene gratiæ evectum est. Etenim ut monet Innocentius III. (*b*) quamvis Infidelium matrimonium sit veri nominis matrimonium, non tamen auctoritate ac perfectione donatum est; sed inter Fideles vere ratum est, quia eorum fides illud efficit insolubile Sacramentum. Consummatum matrimonium dicitur illud, quod carnalis cognitio inter conjugatos permista consequitur, quodque vim proinde majorem acquirit, magisque insolubile evadit.

Ex Tridentina Synodo, & universali Ecclesiæ Traditione intelligimus Matrimonium sacramentum esse, gratiam conferens, & institutum a Christo Domino, qui illud ad Sacramenti dignitatem extulit, cum ut Sanctus Matthæus refert, statuit ejus vinculum insolubile; antea quidem nihil erat aliud, quam naturalis contractus, quem ad multiplicandum genus humanum instituerat naturæ Auctor, ut in Genesi dicitur. Vos Divi Pauli mentem non assequimini, inquit Sanctus Joannes Chrysostomus, qui vos dubitare non sinit nuptias Sacramentum esse, ejusque, quem Dominus noster Jesus Christus erga suam Ecclesiam testatus est, amoris imaginem. Docent Patres Christum Canæ Galilææ nuptiis interesse voluisse, ut eas sanctificaret; hæc porro sanctificatio nihil fuit aliud, quam spiritalis virtus, quam nuptiis contulit, eos sanctificandi, qui se ejusmodi vinculo consociarent, quemadmodum sanctificatio, quam aquis tribuit, dum baptismum suscepit, nihil aliud extitit, quam spiritalis virtus, qua eas instruxit, purgandi eorum animum, qui in ejus Ecclesia baptizarentur. Verum præter hanc primam institutionem gratiæ Sacramenti Matrimonii pro certo habendum est Christum Dominum post resurrectionem suam Apostolis præcepisse, ut matrimonium non sine sacris quibusdam cæremoniis celebraretur, atque ita a matrimonio Legis veteris, legisque naturæ distingueretur.

De hujus Sacramenti Ministro non convenit inter Auctores, & Ecclesia nihil in hac controversia videtur statuisse. Credunt alii contrahentes ipsos sibimetipsis Sacramentum administrare, per mutuum consensum, quem sibi tribuunt coram Parocho & testibus. Contendunt alii Parochum, qui partium consensum acceptat, iisque nuptialem benedictionem coram testibus impertitur, hujus Sacramenti ministrum esse. Ut ut res habeat, sive Parochus adsistat tanquam minister, sive tanquam authenticus testis, ejus præsentia est absolute necessaria ad matrimonii validitatem. Declarat id Tridentina Synodus in hæc verba: *Qui aliter quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit*. Et hic quidem Parochus necessario esse debet alterutrius partis Parochus, in cujus parochia matrimonium celebratur, vel alius Presbyter Parochi vel Ordinarii permissu.

Ad Sacramenti Matrimonii materiam & formam quod attinet, verba, seu signa, quæ partium mutuam in matrimonium consensionem exprimunt, hujus Sacramenti materia & forma esse videntur; ea quippe verba, cum spectantur tanquam significatio reciprocæ voluntatis, qua partes liberæ, & hujus Sacramenti capaces contrahere volunt, & in proprium corpus potestatem tribuere, materiam constituunt; atque eadem verba spectata tanquam necessaria & mutua acceptatio, qua alter alterius volun-

(*a*) S. August. lib. 19. contra Faustum c. 26. S. Raymund. tit. de Matrim. cap. ult. de conv. Infidel.

(*b*) Cap. Quanto, de divort. Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. & can. 3. Genes. cap. 2.

voluntatem recipit, acceptatque, ipsius Sacramenti forma sunt; quia ea voluntas, & mutua corporum donatio imperfecta est, inutilis, & effectus expers, donec per efficacem determinationem, quam producit acceptatio necessaria, quæ proinde in hoc Sacramento formæ loco est, vere acceptata sit, & perfectione donata. (a) Ita sentit D. Thomas, qui postquam definit verba, quibus exprimitur consensus in matrimonium, hujus Sacramenti formam esse, subdit per contrahentium actus matrimonium perfici. Quemadmodum autem in pœnitentiæ Sacramento nulla alia adest materia præter pœnitentis actus, qui materialis elementi locum tenent; ita matrimonii eadem est ratio. Certum porro est eos actus aliud nihil esse quam verba a contrahentibus pronunciata, quoniam nullus alius actus est, qui quidem ad matrimonii complementum, verique nominis perfectionem sit necessarius.

Non est omittendum, tametsi hac de re inter Theologos vulgo conveniat, alios tamen, eosque magni nominis non deesse, qui contendant actus eorum, qui suscipiunt hoc Sacramentum, (b) per quod se mutuo devinciunt, materiam esse; Sacerdotem esse ministrum, & verba in Tridentino Concilio posita: *Ego vos in Matrimonium conjungo* &c. quæ post auditum partium mutuum consensum Sacerdos pronunciat, formam esse. Conformis est opinio hæc Manualibus bene multis Diœceseon Atrebatensis, Iprensis, Meclinensis, Cameracensi cuidam Synodo an. 1567. celebratæ, Sacerdotali Romano an. 1494. In hac sententia matrimonia clandestina absque Sacerdotis ministerio peracta ante Synodum Tridentinam erant quidem veri nominis matrimonia, novæ tamen Legis Sacramenta omnino non erant. Complures Theologi recentiores adhærent huic sententiæ, atque eo quidem firmius, quod eam magis, quam communem sententiam traditioni conformem judicant, & ad hæreticos convincendos, iisque probandum vere ac proprie matrimonium novæ Legis Sacramentum esse magis accommodatam.

Quamvis autem filiis absque suorum parentum consensu matrimonium contrahere non liceat; dubitari tamen non potest, quin certis quibusdam in casibus ejusmodi matrimonia valida sint, cum iidem filii eas conditiones servarunt, quas ad eorum validitatem requirit Ecclesia; quandoquidem Tridentina Synodus in eos anathema pronunciavit, qui falso assererent matrimonia a filiisfamilias absque patris & matris consensu contracta nulla esse; idemque nos de iis, juxta eamdem Synodum statuere debemus, quod de matrimoniis clandestinis, quæ veri nominis matrimonia esse declaravit, quoad Ecclesia, quæ nova matrimonii impedimenta statuere potest, personas iis contrahendis inhabiles reddens, ea nulla esse pronunciaverit; & quod inde consequitur, cum Ecclesia haud declaraverit nulla ea, quæ filiifamilias absque propriorum parentum consensu contrahunt, necessaria consecutione fit ea valida esse, quamvis illicita sint. Ludovicus quidem XIII. an. 1629. ea matrimonia declaravit non valide contracta; sed ea verba quoad civilem solummodo, non autem quoad spiritualem Sacramenti contractum sunt accipienda; quemadmodum Legati ad Cleri Parisiis tunc congregati consulta respondentes explicuerunt. Nihil tamen est omittendum, quo ejusmodi matrimonia impediantur, quia si ullo unquam tempore, in hoc certe tam gravi negotio debent filii, juxta Divinam Legem, honorem parentibus exhibere. Id in causa fuit, ut ea matrimonia Constitutionibus prohiberentur, Parochis quidem, aliisque Sacerdotibus ea imposita pœna, ut tanquam criminis raptus fautores haberentur, filiis vero, qui ita matrimonium contraxissent, ut hæreditate privari possent. Declarati præterea sunt omnis successionis incapaces filii geniti ex matrimoniis, quæ ad mortem usque celata sunt, aut nati ex fœminis, quas nonnisi in mortis articulo patres duxissent, postquam iisdem abusi essent. Conjunctiones hæ videntur magis concubinatus turpitudini, quam matrimonii dignitati respondere.

Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, absque ullo impedimento dirimente, nonnisi per alterutrius partis mortem dissolvi potest, cum consummatum est, si de solutione *quantum ad vinculum* sermo sit. Dico, cum consummatum est; partes enim contrahentes ad consummationem usque possunt absque alterius contrahentis consensu Regularem statum amplecti. Per hujus status professionem solemnem solvitur matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, quod nondum consummatum est. Et pars quidem derelicta potest post regularem professionem partis alterius aliud matrimonium inire; neque ulla est alia facti species, in qua divortium permissum sit cum facultate novi matrimonii contrahendi vel eo vivente, quicum divortium factum est. At plures existunt casus, in quibus separatio *quoad thorum* permittitur, & quoad cohabitationem, sive ad tempus, sive in perpetuum, matrimonii vinculo semper ad mortem usque subsistente.

Separatio quoad thorum semper permissa est, cum fit mutuo partium consensu; & conjugati, qui in perpetuam continentiam consentiunt, ut unice & liberius faciliusque propriæ saluti studeant, rem faciunt laude dignissimam; at donum hoc rarum est; & cavendum, juxta Divum Paulum, (c) ne ita se Conjugati Dæmonis tentationibus obnoxios reddant. Præter hanc voluntariam separationem sunt alii casus, in quibus etiam quoad domicilium absque alterius partis consensu separatio Divina Lege permissa est. Docet Christus ipse Dominus licere viro in adulterii casu uxorem dimittere. Itaque pro certo habet in casu fornicationis eamdem dimitti posse. Verum aliam duci posse non dicit; quin potius absolute & absque ulla restrictione pronunciat, quicumque repudiatam fœminam ducit, adulterii reum esse. Huic Christi Domini decisioni adhærens Ecclesia docet adulterium repudii legitimam causam esse; ita tamen, ut matrimonii vinculum semper, ut antea, subsistat ad mortem usque, neque usque ad tempus illud liceat vel innocenti parti novum matrimonium inire; ut definivit Tridentina Synodus, (d) cujus canon aliquas patitur difficultates, quas enodant Pallavicinus, Arcadius, Leo Allatius, & Gratianus.

Clandestinum matrimonium dicitur illud, quod Parochi, vel alterius Sacerdotis delegati, duorumque aut trium testium præsentia caret. Ex Tridentinæ Synodi historia compertum fit Patres diu multumque super hujusmodi matrimoniis, & super iis, quæ filiifamilias absque suorum parentum consensu contraxissent, ancipites extitisse. Probabantur ea quidem, seu potius tolerabantur ante Concilium;

(a) S. Thomas in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad. 2.
(b) Æstius tom. 4. in libr. 4. sent. dist. 26. p. 10. & seq. Sylvius tom. 4. in 3. part. S. Thom. q. 42. art. 1.
(c) 1. ad Corinth. cap. 7. v. 5. Matth. cap. 5. v. 31. & 32.
(d) Conc. Trid. sess. 24. can. 7. de quo vide Pallavic. Hist. Conc. Trid. l. 22. cap. 4. Arcadium de Matrim. Leon. Allat. Concor. Eccles. Græcæ cum Latin. Gratian. q. 7. caus. 32. Decret.

lum; sed mala, quæ ex hac indulgentia identidem oriebantur, in causa fuere, ut Concilii Patres remedia excogitarent, quibus posset clandestinitas abrogari. Instituere nuptiarum publicationem, Parochorum præsentiam & ministerium, ac testium adsistentiam. *Qui aliter quam præsente Parocho* &c. Synodi Decretum supra relatum est.

Ut autem certo constet matrimonium nullo impedimento laborare, ac libere contractum esse, nullusque dubitandi locus supersit, Civiles & Ecclesiasticæ Leges cæremonias non paucas instituerunt, I. Cum de ineundo matrimonio, deque conditionibus contractus, ad temporalia quod attinet, inter partes convenit, per sponsalia, de quibus dicemus loco suo, ad matrimonium sese comparare debent. II. Matrimonium debet publice celebrari, & ut publicum evadat, necessariæ sunt formulæ tres, publicationes, proprii Parochi, & testium præsentia. Publicationes peragendæ sunt per tres deinceps dies Dominicos aut Festos inter Parochialis Missæ solemnia in utriusque partis Parochia, nisi in iis Episcopus dispensaverit.

Ad ætatem quod spectat, qua matrimonium iniri potest, ex jure naturæ qui rationis ad consensum necessariæ usum nondum attigere, matrimonio valide contrahendo impares sunt; sed ætatis requisitæ expressa determinatio non nisi a positivo jure pendet, quo homines quidem ante quatuordecim annorum completorum, puellæ vero ante annorum duodecim pariter completorum ætatem matrimonium contrahere prohibentur. Qui tamen ante hanc ætatem in jure definitam consentiendi & matrimonium consummandi capaces essent, veri nominis matrimonium contraherent.

Vide (DISPENSATIO, IMPEDIMENTUM,
(SPONSALIA, IMPOTENTIA.

Matrimonium cum ejus non consummandi promissione.

CASUS I.

1 *Puella, quæ viro nubit, edicens id ea conditione se facere, ut ille matrimonii consummationem a se nunquam exigat, & acquiescit hic vaga fidei, cum nunquam ipsi institurum esse saltem ad tempus in hoc articulo, dubio procul matrimonii vinculo irretita est, & conjugalis debiti viro reddendi obligationi subjecta.*

2 *Illa ad id adigeretur Ecclesiastici Judicis auctoritate, atque adeo Ecclesiæ Censuris.*

QUÆSITUM.

ELisabeth N . . . . in Religione, quæ reformata dicitur, a Patre eam profitente educata Catholicam fidem amplexa est ætatis anno 17.

Hanc Religionis mutationem ægro animo ferente patre, ad amicos ejus furoris evitandi gratia confugere coacta est.

Pater vindictæ animo multo se alieno ære gravavit, & potitus omnis pecuniæ, & optimæ cujusque domesticæ supellectilis clanculum se Lugdunum recepit, relictis cum conjuge tribus filiis, iisque minoribus, inter quos natu major erat Elisabeth; quæ hac ætatula cum esset, administrandam, & sustentandam familiam suscepit.

Picturæ, quam artem primoribus fere labris attigerat, tam diligenter, tantoque cum successu se dedidit, ut deinceps alienum æs a patre contractum solverit, ac non mediocrem argenti vim cumulaverit.

Dominus N. eam sibi uxorem petiit, idque ei proposuit an. 1674. puellaque non auscultante, institit biennii spatio tum missis ad eam litteris, tum Parisios identidem iter instituens. Cum porro ineunte an. 1676. in vulgus rumor sparsus esset Patrem redire, nec a furore, minisque desistere: illa ut sibi caveret, in recentium Catholicarum domicilium asportatis iis, quæ majoris momenti erant, matris domo secessit.

Dominus N, a proposito non desistens nactus est magis opportunum tempus expugnandæ puellæ, quæ ab irati patris vi se tueri volebat. Ea consentiente, instituendum curavit matrimonii contractum, quem Notarius attulit; quo quidem legente, puella ibat, redibat, picturæ quoque dans operam, & ex uno in aliud cubiculum subinde pergens; sed contractui tamen subscripsit.

His ita se habentibus, Dominus N . . . . publicationem edendam curavit in Fano Sancti Sulpitii, perinde ac si ea propria Parochia esset, quamvis ipse natus esset Bellomontii in *Hainaut* Diœcesis Atrebatensis, & tunc degeret Avennæ Urbis Diœcesis Cameracensis. Super aliis duabus publicationibus dispensationem obtinuit, & die 20. Aprilis an. 1676. puellam duxit ad recentes Catholicas, in Parochia S. Rocchi existentes, ut annuente Parocho Sancti Sulpitii sponsalium cæremonias ibidem celebraret.

Cum illa eo pervenisset, subiit cubiculum cum Sacerdote, qui sponsalia & matrimonium celebraturus erat, eique testata est se summopere a conjugali statu abhorrere. Negotium quoque rescindere in animo habebat. Sed Sacerdos januam, ne egrederetur, occludi jussit, asserens fore, ut ea repugnantia cessaret; Sanctimoniales quoque Sacerdotis verba excepere. Cum illa persuasum haberet nunquam futurum, ut in matrimonii consummationem consentiret, ipsis edixit, si Dominus N. sibi promitteret id, quod ex eo petiisset, se inde non egressuram. Itaque Ecclesiam, ubi eam Dominus N. expectabat, ingressa, ei seorsim accito declaravit expressis verbis eam sibi mentem esse, ut ne se matrimonii consummationi obnoxiam redderet, ac ne ipse quicquam juris quoad caput hoc sibi suppetere arbitraretur. Dominus N. respondit eam probe nosse se non eam hominem esse, qui vim inferret, asseruitque se quidem quoad hanc rem ei molestum atque importunum non fore. Declarationem hanc excepit puella tanquam consensum propositioni, quam fecerat. At vir testatur, se, cum ita polliceretur, addidisse, id in perpetuum durare non posse, quippe qui crederet puellæ propositionem nihil aliud esse, quam ejus pudoris effectum, ac certo fore, ut ipsa decursu temporis repugnantiam suam superaret.

Igitur sponsalia peracta sunt, & postridie matrimonium mane celebratum. Tum puella sese celavit, abstinens a colloquio viri sui, qui ex ea die domum redire coactus est, nihilque proficere potuit, maxime licet tum ipse per se, tum per alios institerit, ut uxorem suam ad matrimonii consummationem pertraheret. Ea vero nunquam non restitit eo ipso tempore, quo ille secum concubuit, quod ipsa persuasum haberet se nulla ejusmodi obligatione adstringi, propterea quia nunquam ei se subdere in animo habuisset, cum ea tantum de causa nupserit, ut se ac sua a præpostero patris impetu tueretur.

Diem suum obiit pater; ea tamen in proposito perstat, atque adeo solutionem petit matrimonii, quod nullum esse contendit, tum quia nunquam consummatum est, tum quia ipsa nupsit ea tantummodo conditione, ut Dominus N . . . . cui nubebat, ejus consummationem nunquam peteret; & ipsa quidem id eum sibi pollicitum esse contendit, secus a negotio fuisse recessuram.

Re tota ita proposita, quæritur Consilii sententia super duabus quæstionibus insequentibus.

Prima est, an inter contrahentes extiterit veri nominis matrimonium?

Altera est, an causa hæc ad Ecclesiasticum Judicem

dicem deferri possit, & quomodo hic Judex in ejus decisione se gerere debeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod proposita vidit, & expendit, existimat, facta hypothesi Puellam significasse Domino N...... eam sibi mentem esse, ut ipsa se matrimonii consummationi non subderet, & *ille* nullum ejusmodi jus eam ducens acquireret, & re ipsa matrimonium ab ea eo animo contractum fuisse, existimat, inquam, nullum coram Deo matrimonium fuisse; quia ad matrimonii essentiam pertinat, ut conjugati suorum corporum dominium invicem transferant ad matrimonii consummationem juxta Divum Paulum Epistolæ primæ ad Corint. cap. 7. v. 4. ita statuentem: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Et sane aliter matrimonium constare non potest, ut docet D. Th. *in 4. dist. 28. q. 1. art. 4.* ubi actualem matrimonii consummationem distinguit ab obligatione, quæ per matrimonium contrahitur, pronunciatque eam obligationem esse quid necessarium, cumque, qui in matrimonium consentit, necessaria consecutione subeundæ consummationi se subdere: *Dicendum*, inquit S. Doctor, *quod consensus, qui matrimonium facit, est consensus in matrimonium. Unde sicut se habet carnalis copula ad matrimonium, ita consensus, qui matrimonium causat, est in carnalem copulam: matrimonium autem, ut supra dictum est, non est essentialiter conjunctio carnalis, sed quædam associatio viri & uxoris in ordine ad carnalem copulam*. Itaque cum associatio hæc in hoc ordine de matrimonii essentia sit, juxta hanc doctrinam asseri potest matrimonium nullum esse, cum contrahens declarat rotundis verbis se nolle consummationi subesse; quod in causa fuit, ut S. Thomas in hoc eodem articulo in responsione ad argumentum tertium assereret ejusmodi conditionem matrimonio contrariam esse: *Ad tertium dicendum, quod illa conditio non solum actui, sed potestati contrariatur carnalis copulæ; & ideo est contraria matrimonio*. Idem docent S. Bonaventura eadem *dist. quæst. ult. n. 33.* Richardus de Mediavilla eadem *dist. art. 2. q. in corp. Adrian. 6. §. 9. de Sponsalibus*: *Si mulier dicat: consentio in te, si non cognoscas me, non est consensus matrimonialis, quia aliquid est contra substantiam consensus matrimonialis*. Firmatur id ea regula, quam Gregorius IX. *conditionibus oppositis in dispensatione circa fin.* tradit in hæc verba: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, matrimonialis contractus, quantumcumque favorabilis, caret effectu*. Sed hac in re variæ sunt Theologorum, & Canonistarum sententiæ; sunt enim, qui asserunt necesse esse, ut conditioni, quæ matrimonii substantiæ repugnat, pars utraque assentiatur, quod si alterutra repugnet, matrimonium sua validitate donatum esse. Et hæc quidem sententia propugnatur a Doctoribus & numero multis, & dignitate gravibus, & pietate ac doctrina præstantibus, quamvis non ita videatur cohærere cum Theologiæ principiis, quæ viri & fæminæ consensum tanquam rem adeo essentialiter & absolute necessariam requirunt, ut aliter legitimum matrimonium constare nequeat, quoniam vir & fæmina proprii corporis dominium mutuo transferant oportet; quod sane non occurrit in præsenti facti specie, cum puella virum ab eo jure disertis verbis excluserit. Quia porro contraria opinio in Scholis vulgo recepta est, negatque vir ea se ratione respondisse, qua conjux contendit; major proinde adest difficultas. Asserit sane vir, se, cum dixisset, super matrimonii consummatione ei molestum non fore, addidisse id in perpetuum durare non posse. Si ergo juxta hoc postremum responsum matrimonium peractum est, eidemque responso puella reluctata non est, præsumendum esset eam consensisse, ac proinde matrimonium ex hoc quidem capite nullum non esset. Duorum tantum mensium spatium puellæ concessum erat, ut deliberaret, ut nempe vel matrimonium consumaret, vel Religionis profitendæ gratia Monasterium ingrederetur. Id quidem Jus in simili casu concedit.

Quod spectat ad quæstionem secundam, respondetur Ordinarium, ad quem negotium hoc deferretur, aliter illud instruere, ac pronunciare non posse, quam juxta facti probationes. Videtur porro puella nubendi consilium cepisse, cum haud exiguo temporis spatio anceps hæsisset. Id liquido evincitur ex matrimonii contractu, cui plena libertate gaudens subscripsit. Quod enim ait ad ostendendum se, dum contractus legeretur, non attendisse, id vero longe firmiori argumento est eam multo magis in rem consensisse, quoniam id, quod legebatur, sui matrimonii contractum esse cum nosset, tam parum tamen ad peculiares stipulationes ibidem contentas mentem applicuit. Idem ostendit hæc alia circumstantia, quod nempe domo egressa est, & una cum sponso ad recentes Catholicas, ut desponsaretur, ultro se contulit. Obluctatio vero, quam tum Sacerdoti, tum Monialibus exhibuit, haud ita magni momenti est, quoniam ejus in Ecclesia cum sponso colloquium, nemine audiente habitum sponsalia secuta sunt, atque adeo postridie matrimonium. Quamobrem non apparet, quo tandem satis firmo fundamento posset Officialis sententiam pronunciare, qua nullum extitisse matrimonium declararet, præsertim quod ea multis, iisque gravibus & perniciosis incommodis ansam præberet. Ac procul dubio si vir in allegatis persistens petat ab Officiali, ut sua conjux secum versari ac vitam ducere jubeatur, prout conjux cum marito vivere debet, id ea præstare jubebitur vel invita, atque adeo ad id Ecclesiasticis Censuris adigi poterit, eo quidem potiore jure, quod videtur matrimonii Sacramentum ficte ac subdole suscipere voluisse; atque ita sacris rebus abusa est, ut se a Patris, quo quidem vivente nunquam suo matrimonio refragata est, indignatione, quam timebat, tueretur. Non creditur ergo puella hæc ab Ecclesiastico Judice petere posse, ut ea, quibus ipsa se subdit, vincula dissolvantur, quia id absque scandalo facere omnino non posset. Satius sane est eam cum viro conjungi juxta Ecclesiæ regulas, ac si quid ex ejus parte consensui defuit, id reparare per novum consensum, & cum Domino N. tanquam cum marito se gerere, ut ait Prosper Fagnanus l. 4 Decretal. *Concessionibus appositis in dispensatione* in caput: *Si conditiones* a. 4 verba faciens de hujusmodi protestationibus & conditionibus, in hæc verba: *Protestatio ejusmodi, vel conditio idcirco vitiat actum, quia partes, quæ intendunt detrahere substantiæ actus, non videntur consentire in actum, qui sine substantia esse non potest .... at hæc consideratio cessat, quando unus intendit tantum detrahere, & alius non exprimit, quia tunc descendendo postea ad actum, qui mutuo consensu perficitur, & matrimonium consummando censetur recessum a conditione seu protestatione*.

Decisum Parisiis in Sorbona die 24. Junii an. 1680.

A. de Lamet.

Alius Casus in eodem negotio.

1 *Continentiæ servandæ promissio, qua se maritus obstringit uxori, dum eam ducit, non impedit, quominus matrimonii contractus validus, firmusque sit.*

2 *Ejusmodi promissio, cum ei vir stare non vult, haud tribuit conjugi jus negandi debitum conjugale.*

3 *Non debet conjux ob hanc causam a viro recedere.*

QUÆSITUM.

PEtrus sibi conjugem petit Catharinam, quæ castitatis amore ducta per annos plures ei auscultare renuit. Ejus denique sollicitationibus, & consanguineorum consiliis devicta ei edicit se quidem illi nupturam, sed ea conditione, ut sibi antea promittat fore, ut juxta continentiæ leges secum vivat, nihilque suæ ipsius castitati contrarium aggrediatur. Promittit Petrus, paratus etiam promissum, siquidem ea velit, jurejurando firmare; ea tamen cogitatione, quod eam jam ductam in rem conjuga-

lem

-lem pertrahere facile possit. Itaque matrimonium ineunt in facie Ecclesiæ & quinque aut sex mensibus una vivunt, quin tamen vir, quamvis vehementer instet, quicquam obtinere possit a conjuge, quæ in proposito perstat, licet incontinentiæ periculum, cui ille nunquam non subest, non ignoret. Quamobrem quæritur;

I. An matrimonium legitimum sit, in iis quidem circumstantiis, quæ sunt propositæ, celebratum?

II. Facta hypothesi matrimonium firmum & validum judicari, potestne conjux tuta conscientia conjugale debitum viro denegare, vel in evidenti incontinentiæ periculo, cui eumdem obnoxium videt?

III. Facta hypothesi fœminam hanc propter ejusmodi periculum incontinentiæ ei satisfacere debere, potestne, eo invito, integram separationem sibi conquirere, ac debetne id facere?

IV. Si matrimonium nullum declaretur, & ipsa a civilibus Tribunalibus assequi nequeat, ut ab hoc homine recedere sibi liceat: quid ei consilii præbendum est?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, postquam proposita vidit, existimat quoad quæstionem primam, id quod Petrus Catharinæ promisit, se cum ea continenter victurum, impedimento non fuisse, quominus initum matrimonium firmum ac validum esset, ut docet Gerson Sermone tertio de Virginis Nativitate *Consid. 3. litt. 5.* ubi hæc leguntur: *Vovit Maria Virginitatem, vovit & ipse Joseph secundum Doctores, cui voto non repugnavit vera matrimonialis conjunctio, neque corporum mutua translatio.* (*a*) Paludanus tuetur sententiam hanc. Videtur etiam Jus Canonicum eidem patrocinari in Capite *Commissum*, ubi Alexander III. respondens homini, qui post matrimonii promissionem, & quidem jurejurando firmatam, qua puellæ se obstrinxerat, Religionis profitendæ consilium inierat, eum, ut illam antea ducat, hortatur: tum vero si in ea voluntate perstiterit, poterit ante matrimonii consummationem Religionem amplecti. Hinc sequitur matrimonium valere, etiamsi eo animo & consilio contrahatur, ut ne consummetur; quod argumento est castitatis servandæ propositum contractui minime repugnare.

Quoad quæstionem secundam respondetur omnino oportere, ut Catharina conjugale debitum Petro reddat, quamvis dum eam duceret, Petrus id se non petiturum promiserit. Hujus decisionis veritatem firmant rationes duæ; prima est, Petrum nec libere, nec promissi servandi animo promisisse; immo vero liquido constat id eum fecisse ea tantum de causa, ut Catharinæ, quæ aliter ei nubere nolebat, gratificaretur. In hac promissione nec votum extitit, nec jusjurandum; Catharina videre ac sentire debuit id, quod petebat, esse moraliter impossibile, Petrum fidem non præstiturum, se per matrimonium in viri potestatem concedere, nec posse sine crimine conjugale debitum recusare; quippe quod stricti summique juris est. Apparet ex propositis non eam Petri mentem fuisse, ut in omne tempus renunciaret juri, quod in Catharinam per matrimonium sibi comparabat, sed potius ut eam ad matrimonium per suam promissionem perduceret. Constat ex Jure Canonico virum, qui conjugi se promisit editutum continentiæ votum, nec tamen edidit, posse ab eadem conjugale debitum extorquere, cum voluntatem mutavit. En verba Cœlestini Papæ III. (*b*) *Fraternitati vestræ mandamus, quatenus si inveneritis uxorem Regis Sveciæ gravi infirmitate depressam, continentiam vovisse, & virum ejus ad tempus præbuisse consensum, maxime si non idem vir continentiam vovit perpetuam, eamdemque viro cohabitare faciatis, & utrumque invicem maritali affectione tractare.* Magis etiam aperta sunt S. Antonini (*c*) in hanc rem verba: *Omnes tamen concordant*, inquit, *quæ ex hoc quod unus vovit simpliciter de licentia alterius, non impediatur, quin ipse possit ad placitum exigere debitum a vovente.*

Quod si id ita se habet, cum continentiæ voto ab uxore edito vir assentitur: quanto magis, de vaga promissione, quam puella a Sponso extorquet, idem sentiendum est? Hoc in casu, in quo inconsiderantia, & præcipitatio longius abripit, quam par est, *magis est corrigenda temeritas*, inquit S. Augustinus, *quam persolvenda promissio.* (*d*)

Sed alia ratio est, ob quam Catharina viri postulata facere debet, proximum nempe incontinentiæ periculum, in quo se ipse versari fatetur: nihil enim est, excepto peccato, quod uxor facere pro viri salute non debeat. Hic vero potest illa eitra ullam culpam ei concedere, quod petit, quod ei debetur, & quod petendi jus habet, quoniam nullum ipse votum edidit, & sola superanda est repugnantia, qua illa a conjugali debito aliena est.

Ex his principiis facile intellectu est, quomodo sit postremis duabus propositis quæstionibus occurrendum. Catharina non potest tuta conscientia suum virum deserere, quippe cum nihil magis quam divortium matrimonio contrarium sit. Sacramentum hoc eam unionem exhibet, quam Christus Dominus cum Ecclesia, quæ ejus est sponsa, contraxit, aqua quidem se nunquam sejunxit, nunquamque sejunget; cum fieri omnino non possit, ut vel Christus Ecclesiam suam deserat, vel hæc eadem Ecclesia suo sponso fidem non servet. Itaque illud unum Catharinæ consulendum est, ut Petro fideliter conjuncta persistat, & humanitate, precibus, hortationibus eum ad continentiam, quam maxime poterit, servandam pertrahat; ita tamen, ut ille nunquam contra castitatem peccet, eo prætextu, ne debitum petens Catharinæ molestus sit.

Decisum Parisiis hac die 20. Augusti an. 1678.
Aug. *de Lamet.*

Promissio matrimonii, quam prægnatio consequitur.

CASUS II.

1 *Cum puella, quæ post matrimonii contractam a matre, & Avunculo probatum concepit, in morbum incidit, & est in vitæ discrimine, illi impedire non possunt, quominus ei, cui desponsata est, & quidem petenti nubat. Qui id impediant, puero autem matrimonium in lucem prodeunti gravissimam injuriam inferant, quoniam filii legitimi titulo, & jure, quod habet ad matris bona, privatur.*

2 *Maximam pariter injuriam inferunt filii patri, quem privant hæreditate.*

3 *Quamobrem damna omnia tum patri tum filio importata reparare debent.*

QUÆSITUM.

Cum Dominus N. data receptaque matrimonii fide, cum Theresia 28. annos nata amicitiæ commercium iniisset, consentientibus Matre & Avunculo, qui Patris loco est, quique dotis partem solvere debebat: illa concepit, & de sponsi consensu de re matrem monuit, ut ita matrimonium nulla interjecta mora, & ante puerperium conficeretur. Assensere mater & avus, nec post partum, quod sponsi consanguineis in votis erat, differre voluerunt, Avus præsertim, qui & in Foro, & in Ecclesia primas tenet, edicens se omnino passurum non esse, ut neptis illegitimam prolem emitteret, sibique acerbissimo dolori fore, si illa in eo statu mortem occumberet. Litigium, quod inter sponsum sponsique familiam, & ipsum intercedebat, eos impulit, ut acquiescerent Avunculi voluntati; itaque omnia composita, contractus initus, subscriptusque est a sponso & sponsa, & a consanguineis utrinque. Mater octodecim mille francos filiæ tribuit, avunculus duodecim. Tum vero Burdegalam missum est, ut prima fieret publicatio, & in duabus aliis, & in tempore vetito (erat enim Quadragesima-

(*a*) Paludanus in 4. dist. 30. quæst. 2. art. 1. Cap. Commissum l. 4. Decret. Desponf. & matrim.

(*b*) In Cap. Charissimus de convers. conjugat. l. 3. tit. 32.

(*c*) S. Antonin. Summ. Theol. 3. part. tit. 1. cap. 22.

(*d*) S. August. in Can. Si dicat.

ſimale) diſpenſatio peteretur. Archiepiſcopus votis annuit; publicatio facta eſt Burdegalæ, & N... ubi ſponſæ Avunculus eaſdem diſpenſationes obtinere debebat. Ea ipſa die ſponſa puellam in lucem edidit. Mater, quæ hoc infortunium celare volebat, filiam coegit poſtridie ſurgere, & officia de more excipere; quod ei gravis febris cauſa fuit; quæ cum momentis ſingulis augeretur, mater intelligens in gravi periculo filiam verſari, eam impulit ad teſtamentum edendum, quo eam ſibi hæredem conſtituebat, & quod vero ſimile ſit, ægrotantem coegit illud ſubſcribere, quoniam ex ejus fratribus unus ſubſcribentis manum ſuſtinuit. Verum quia puellæ, quam pepererat, nihil legabat, neque ullam ejus mentionem faciebat, mater metuens, ne teſtamentum nullum eſſet, codicillum ab ægrotante edendum curavit, in quo trium mille librarum ſummam puellæ a ſe in lucem editæ relinquebat. Sponſus, & ejus conſanguinei de lethali ſponſæ diſcrimine certiores facti per Matronam dignitate valde præſtantem matrimonii ante ſponſæ mortem celebrationem propoſuere; ſed cum mater & avus id recuſaſſent, ut ejus bonis potirentur, ſponſus per Magiſtratum, eumdemque inſignem ipſis promiſit ſe puellæ recens natæ ſucceſſioni renunciaturum, ſi forte illa ſibi præmoreretur. Hanc quoque propoſitionem rejecerunt mater, & avus; & ne id in ægrotantis notitiam veniret, Sacerdotem ab avi nutu pendentem ei ſemper a latere eſſe juſſerunt, ne quis alius Sacerdos matrimonium celebraret, ut ſponſus habebat in animo, quemadmodum eidem Sacerdoti ſignificavit. Prohibitus eſt etiam ſponſus, ne ad ſponſam accederet, neque ille amplius ejus intuitu potiri potuit. Quas porro inſtituere parabat, querelas impedire mater & avus eorum virorum auctoritate, quibus ipſe refragari non poterat pollicitis, ſe effecturos, ut ſuum & ipſi & puellæ jus tribueretur. Ita, quæ ægrotabat, ſponſa cum famæ turpitudine occubuit. His ita ſe habentibus, quæritur, teneantur necne defunctæ mater & avus ob dignitatem & in conſcientiæ foro injuriam reparare, quam puellæ intulerunt, nolentes eam per matrimonii celebrationem, de qua jam convenerat, legitimam declarari, & rurſus an debeant ei reddere francos triginta mille, qui defunctæ matrimonialis dotis titulo traditi fuerant?

RESPONSIO.

Consilium Conſcientiæ, quod tam diligenter & accurate propoſita expendit, quam negotii, de quo agitur, gravitas poſtulat, non putat ſatis clare apparere M. & M. N..., impediviſſe, quominus M. N..... cum ſponſa N..... ejus morbi tempore matrimonium celebraret. Si enim prima propoſitio facta non fuit, niſi poſt ejus reditum, qui Burdegalam ad primam publicationem, & aliatum duarum diſpenſationem afferendam miſſus fuerat, ac ſi ille non rediit, niſi rebus Medicorum Judicio deſperatis: jure merito credi poteſt matrimonium non amplius celebrari potuiſſe, quia in extremis agentes cognitione & libertate ad matrimonium neceſſaria fere deſtituuntur; quo in caſu mater & avus culpandi omnino non eſſent, quod matrimonium celebratum non fuiſſet, cum ad illud actualis, liber, & præſens conſenſus adeo ſit neceſſarius, ut eo deficiente nullum ſit, quin conſenſus alii, quicumque præceſſerint, eumdem ſupplere valeant. Ejuſmodi eſt Eccleſiæ doctrina. Innocentius III. id docet rotundis verbis in *Can. Tuas, ext. de ſponſ.* duorum: *In matrimoniis de cætero contrahendis illud te obſervare volumus, ut poſtquam inter legitimas perſonas conſenſus intervenerit de præſenti, qui ſufficit in talibus juxta canonicas ſanctiones; & ſi ſolus defuerit, cætera etiam celebrata fruſtrantur.* Si ergo ſponſa præ morbi lethalis vi non amplius mentis compos erat, matrimonium celebrari non potuit propter impedimentum, non a matre quidem, aut ab avunculo, ſed a morbo tantum proveniens; & quod inde conſequitur, illi hac in re ab omni culpa liberi ſunt.

Sed quoniam Conſilium ſubſcriptum tantummodo ex propoſiti caſus lectione id animadvertit: idcirco addit, ſponſam, ſiquidem matrimonii contrahendi, ſuumque conſenſum præbendi capax erat, cum M.... ejus celebrationem propoſuit, tuta conſcientia impediri non potuiſſe, quia ſponſo ſuppetebat ejus celebrationem petendi legitimus titulus, nixus mutua promiſſione, quam proles ſecuta erat. Igitur ei jus erat huic proli conſulendi, certumque ſibimetipſi hæredem ſtatuendi; ei jus erat a ſponſa petendi, ut promiſcuæ, quæ interceſſerant, promiſſiones executioni mandarentur. Atque eas implendi obligatio ſtrictior evaſerat, edita prole, quæ patri tribuebat irrefragabile jus a matre petendi, ut ei obligationi ſatisfaceret, cum ipſa quidem rem adeo æquitati conſonam recuſare non poſſet, quin graviter peccaret, quia utcumque tandem ſe quis habeat, debet, quod grave eſt, implere, dum poteſt, & præſertim cum agitur de impedienda injuſtitia, quæ eo tendit, ut pater privetur hærede, & filius legitimi ſtatu, ad quem jus habet vi mutuæ promiſſionis, quæ inter ejus patrem & matrem extitit, quoniam promiſſa non minus valent coram Deo, quamvis formulis quoad hominum oculos neceſſariis ornata ac veſtita non ſint. Et quoniam matrimonii contractus non modo reſpicit partes, quæ contrahunt, ſed etiam filios, qui matrimonii fructus ſunt: ideo coram Deo matrimonii promiſſiones inter duas perſonas privatim initæ eas obligant, & quoad contrahentes ipſos, & quoad filios, qui poſt ea promiſſa naſcuntur. Ex quo ſane concludi licet ſponſam N... non potuiſſe tuta conſcientia, quin nuberet N..... præſertim cum in mortis periculo conſtituta irreparabilem redderet, ni nupſiſſet, injuriam, quam patri & proli inferebat.

Poſito igitur tanquam indubitato, Dominum N... jus habuiſſe matrimonium petendi, & ſponſam N... id recuſandi jus non habuiſſe: liquido conſtat matrem & avum citra graviſſimam injuſtitiam id impedire non potuiſſe, cum repugnandi titulus nullus iis præſto eſſet. Etenim I. Adoleſcentula ſatis habebat ætatis, ut matrimonii promiſſionem edere poſſet. II. Mater & avus eam obligationem probarunt, cum eam ventrem gerere cognoverunt. III. nec ſane poterant eam non probare, quoniam nulla alia ratio præſto erat ejus famam tuendi. IV. ejus ægrotatio nullam attulit mutationem, quia nullum prorſus iis jus erat matrimonii quod M.... ſponſus petebat, impediendi. Facta igitur hypotheſi eos reſtitiſſe, & impediiſſe, prout quidem expoſitum eſt, ne ejuſmodi matrimonium celebraretur, tenentur proli reſtituere, quicquid haberet, ſi legitima declarata fuiſſet. Ita docet D. Thomas 2. 2. *q. 62. art. 4. in corp. Reſpondeo dicendum*, inquit S. Doctor, *quod quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id*, in *quo ipſum damnificat: damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam debet habere ſecundum Philoſophum in* V. *Ethicorum, & ideo tenetur ad reſtitutionem ejus*, in *quo aliquem damnificavit*. D. Thomas eo rem deducit, ut cenſeat eum, qui per injuſtitiam impediiſſet, ne Beneficium alteri conferretur, debere reſtituere valorem rei, & proventus, quem ex eo Beneficio percepiſſet. Tradit id articulo ſecundo ejuſdem quæſtionis in reſponſione ad quartum. Ejuſdem ſententiæ eſt S. Antoninus 2. p. tit. 2. cap. 1. §. 16. Cardinalis Toletus *l. 5. Inſt. Sacerd. cap. 19. n. 5. & 6. Actio mala*, inquit, *obligans ad reſtitutionem debet eſſe contra juſtitiam. Hæc autem præcipue quadruplex eſt: impedire, ne alius bonum conſequatur, quod alias erat conſecuturus . . . , imprimis de eo, qui impedit alium a conſecutione rei, quam alias erat habiturus, ſit regula generalis notanda; qui impedit injuſte alium, ne conſequatur id, quod alias juſte erat conſecuturus, teneatur ad reſtitutionem*. In eamdem ſententiam deſcendunt Azorius part. 3. lib. 4. cap. 31. Layman *l. 3. tr. 2. cap. 7. n. 1.* Covarruvias *reg. peccatum §. 7. n. 8.* Huc pariter referri poteſt Gregorii IX. *Can. ſi culpa extra de injuriis*, regula hæc: *ſi culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua ſive negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter contingere poſſe, vel jacturam*. His omnibus probationibus addi & illud poteſt, nemi-

nem

nem esse, quem recta ratio non docent eos, qui injuste damnum inferunt, illud reparare debere. Est hoc principium naturali lumine cognitum, perspectumque, unde adversus Avum & Matrem facile concludi potest, facta hypothesi eos matrimonium, de quo agitur, impediisse, oportere, ut damnum reparent, quod puella subiit ex privatione bonorum, quæ certo consecuta esset, si ejus patris & matris matrimonium injuste impeditum non fuisset. Alius porro libellus Consilio Subscripto est exhibitus, in quo cum nihil occurrat novi, ei proinde visum non est singillatim respondendum. Stat itaque prima sententia, nempe si matrimonium celebrari potuit juxta Ecclesiæ Regnique regulas, atque avus tantum & mater illud impedierunt, & in causa fuerunt, ne proles legitima esset, eos ad restitutionem obligari, prout hactenus declaratum est.

Decisum Parisiis die 2. Martii an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Matrimoniali Contractui inserta promissio.

CASUS III.

1 *Femina, quæ per matrimonii Contractum promisit se vendituram aut permutaturam esse sua bona, quæ sita sunt in Territorio Cadomensi, promissis stare debet, si Consuetudo, vel Leges id sinunt, quod promisit.*

2 *Potest hujus promissionis executionem differre, donec merito timet, ne a viro male habeatur, cum ejus bonorum ratio & natura mutata fuerit; sed statim atque ei nihil amplius timendum erit, promissionem suam implere debet.*

QUÆSITUM.

Vidua ex Provincia Normandiæ, cui ex priore viro filius est, ad secundas nuptias transire vult; sed quoniam omnia ejus bona in Cadomensi Territorio posita sunt, per hujus novi matrimonii Contractum assentitur ea vendi, aut permutari, ibi redintegranda, ubi omnes filii æque participant. Ex secundo viro filios quinque suscepit; & quærit, an possit tuta conscientia Contractus, de quo dictum est, causam exequi?

RESPONSIO.

Consilium subscriptum putat hujus controversiæ solutionem a loci Consuetudine, Legibusque pendere. Si enim per eas licet, atque adeo non prohibetur id, quod hæc mulier promisit, ejus nempe bona vendi, aut commutari, ut alibi restituantur, ubi filiorum æqualis in partitione bonorum ratio est: debet illa Contractum cum secundo marito initum exequi. Ejus tamen executionem differre posset, si gravis ei præsto esset causa timendi, ne a viro nihil amplius habente, quod ab ipsa expectaret, male haberetur. Sed in exequendi promissi voluntate, prout naturalis Lex præscribit, persistere teneretur; ejus enim obligatio eadem coram Deo permaneret, neque illa in ejus executione dispensaretur, nisi donec jure timeret, ne propriis bonis venditis, aut permutatis, acerbius a viro exciperetur, ejusque furori obnoxia esset. Verum quoniam Fæminæ facile animo cadunt, & sæpe sibi nimium cavent, ideo huic quidem id consilii datur, ut sapientem & prudentem virum audiat.

Decisum Parisiis die 31. Decembris an. 1679.
Aug. *de Lamet*.

Matrimonium hominis Sacerdotio insigniti.

CASUS IV.

1 *Matrimonium hominis, qui Sacerdotio insignitus est, sub alterius nomine, nullum est.*

2 *Filii inde prognati non minus legitimi sunt ob matris bonam fidem.*

3 *Ejus crimen, qui Presbyter cum non esset, Presbyteri functiones exercuit, eum irregularem non reddidit, quia hæc pœna eos tantum afficit, qui Clerici sunt.*

4 *Qui, suscepto sacerdotio, matrimonium inivit, excommunicatus est, nec fœminæ, vel si ea peteret, debitum reddere potest, quia ejus matrimonium nullum est.*

5 *Posset hæc mulier alteri nubere, si viri suppositi dolum probare posset. Remedia, quibus illi in eo statu, in quo sunt, uti possunt.*

QUÆSITUM.

Jacobus Sacerdotium suscipere volens, seque inhabilem esse intelligens amicum Petrum rogavit, ut in Seminarium se conferret, suoque nomine Ordinibus initiaretur. Itaque Petrus Jacobi nomine ordinatus est. Hic vero peracta ordinatione ad Secretariam se contulit, acceptisque Presbyterii Litteris, recedensque Vicarii functiones in alia Diœcesi obivit. Petrus porro, qui nunquam sacerdos institui in animo habuisset, & solum ut Jacobo gratum faceret, ad Ordines accessisset, matrimonium inivit. Totum id contigit in magna Diœcesi, ubi neuter notus erat; qua de re visi sunt consulendi Sorbonæ Doctores, rogandique, ut definirent,

I. An valeat ejusmodi matrimonium?
II. Quid de prolis statu sentiendum?
III. Qua pœna canonica hæc duo crimina digna sint?
IV. An Petrus uxori, siquidem petat, debitum reddere teneatur?
V. An hæc mulier possit alteri nubere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositas quæstiones vidit, existimat,

Quoad primam, matrimonium post susceptum Presbyteratus ordinem a Petro contractum nullum esse, quia Ordo, quem suscepit, est dirimens impedimentum, quamvis alterius tantum nomine ad eumdem accesserit.

Quoad secundam, filios legitimos esse; mulier enim extitit in bona fide, ignorans Petrum, dum ei nupsit, Presbyterum esse; est nempe regula recepta communiter, & Juris, ac Rescriptorum auctoritate firmata, alterutrius conjugum bonam fidem ad filios legitimos reddendos sufficere, *cap. ex tenore qui sunt fil. legit.* Videri potest Barbosa in hunc locum, & Glossa in primum caput *de eo, qui duxit in matrim. quam poll.* Mornacus in Legem postremam *ff. de rit. nupt.* Senatus Parisiensis Rescriptum affert, in quo deciditur filios fæminæ bona fide nuptæ Presbytero, cui nomen Joanni *de Ferriere*, qui suum titulum occultaverat, legitimos esse. In Ephemeride Audientiarum *Tom. 3. L. 4. c. 6. pag.* 378 refertur aliud Rescriptum magni Consilii diei 3. Septembris an. 1670. in quo filii ex matrimonio nullo nati declarantur legitimi, propterea quod in bona fide mater extiterat. Et pag. 385. ostenditur ex bona fide alterius conjugum filiorum statum servari. Commentator in Louet tom. 2. litt. l. n. 14. aliud quoque Rescriptum citat, in quo idem deciditur.

Quoad tertiam, Jacobum Presbyteri officio perfunctum, cum Presbyter non esset, irregularem esse *cap. 1. art. 20. de Cler. non ord. minist.* Ita Canonistæ nonnulli sentiunt, referente Sairo *l. 7. c. 10. n. 6. de Cens.* Addit ille tamen probabilius esse nullam hic irregularitatem locum habere, quia irregularitas ad Clericos tantum spectat, qui exercent functiones ordinis, quem non habent; non autem ad Laicos. Porro Jacobus spectandus est tanquam Laicus, quoniam Ordinem nullum suscepit.

Petrus autem; qui cum Sacerdos esset, iniit matrimonium, excommunicatus est ipso facto *cap. 1. Clem. de consang.* Hæc communis sententia est, teste Bonacina *tom. 1. q. 3. punct. 9. n. 17. de matrim. impedim.*

Quoad quæstionem quartam, Petrum non posse reddere debitum ei, quam decepit, quia ejus uxor non est *cap. Inquisitioni, de sent. excom.* Eum non latet matrimonium suum nullum esse propter impedimentum, quod nullam patitur dispensationem. Si res ita non haberet, pronunciari posset in quibusdam casibus fornicationem permissam esse; qui quidem maximus error esset, cum fornicatio suapte natura mala sit. Bonacina *de matrim. q. 4. p. 4. n. 16.*

Quoad quintam, cum Petri matrimonium nullum sit, mulierem, quam duxit, posse re ipsa aliud matrimonium contrahere; at in foro externo ejusmodi non haberetur, quia ipsa probare non posset Petrum, qui ejus censetur vir, Presbyter creatus est Jacobi nomine, antequam ipsam duceret. Nihil igitur aliud superest, quam ut alterutrum amplectantur, vel nempe convivant ut frater & soror, si se servandæ continentiæ pares sentiunt, vel se unanimi consensu sejungant, quod fieri potest, si Petrus recedere velit, ut debet, & in aliquod Monasterium ad pœnitentiam reliquo vitæ tempore peragendam se se recipere.

Decisum hac die prima Octobris an. 1697.

G. *Fromageau.*

Matrimonium a Sacerdote, qui proprius Parochus non est, celebratum.

CASUS V.

1 *Parochus, qui sibi minime subjectos in matrimonium conjungit, incidit in suspensionem, & evadit irregularis, si antequam ab hac censura absolvatur, suas functiones exerceat.*

2 *Potest Episcopus eum a suspensione, atque adeo irregularitate liberare, nisi publica sit, vel si id exigat Ecclesiæ negotium.*

3 *Debet ille tamen, ut tranquilliore animo sit, a Romana Curia absolutionem obtinere.*

QUÆSITUM.

PArochus S. Laurentii Diœcesis B.... ancillam habebat annos natam 40. quæ ei ab annis quinque a famulatu erat. Origine pertinebat ad parochiam S. Rocchi ejusdem diœcesis, ubi ejus pater & mater actu degebant. Ea matrimonii fidem promisit homini viduo, consanguineo suo, de eadem parochia S. Rocchi, quo ipsa, post matrimonium, profectura erat. Impetrata est affinitatis dispensatio, & in eadem S. Rocchi parochia peractæ publicationes, & in eamdem Parochiam fæmina se contulit, diebus duodecim antequam nuberet. Nulla facta est publicatio in parochia S. Laurentii, in qua fæmina, quæ ad suos se contulerat, non amplius versari debebat. Parochus S. Laurentii ad parochiam S. Rocchi se contulit, ut ibidem, consentiente Parocho S. Rocchi, matrimonium celebraret. Parochus S. Rocchi ex Parocho S. Laurentii quæsivit, an ipse quoque matrimonium hoc publicasset, audiensque id eum non fecisse, matrimonium usque ad peractas publicationes differendum judicavit. Parochus S. Laurentii promisit sponsis se publicationes editurum, ac subinde eos in matrimonium in sua parochia conjuncturum. Et sane peractis publicationibus tribus, eos in matrimonium conjunxit die 27. Julii, & 28. missam celebravit. Die Dominica, nempe 26. pridie ante matrimonii celebrationem Parochus hic accepit ab Officiali litteras, quibus monebatur, cum fæmina suum domicilium de jure & de facto haberet in parochia S. Rocchi, matrimonium in parochia S. Laurentii celebrari non posse. Parochus his Litteris haud permotus feria secunda ad vesperas accepit novas litteras ab Officialitatis Notario scriptas, quibus ei significabatur Officialem valde mirari, quod intelligeret matrimonium illud ab eo celebratum esse, Officialis admonitione nihil obstante; matrimonium nullum esse, prohiberique partes cohabitare, quoad matrimonium, qua declarabatur, ratione redintegraretur.

In hoc universo negotio quæritur, I. An matrimonium ob absentiam Parochi S. Rocchi nullum sit? II. An Parochus S. Laurentii illud celebrans in suspensionem, & postridie Sacrum faciens in irregularitatem inciderit? III. An Episcopus eum possit a Censuris, siquidem eas subiit, absolvere? IV. Facta hypothesi id ad Pontificem devolutum esse, Episcopus potest necne eumdem absolvere, & provisionis gratia dispensare, ut suis functionibus vacare possit, expectans a Romana Curia dispensationem? En utrinque rationes.

Rationes adversus Parochum S. Laurentii.

Contenditur eum fæminæ Parochum proprium non esse, quia ipsa in parochia S. Laurentii domicilium non habebat, quo tempore eam Parochus in matrimonium conjunxit; recesserat enim duodecim diebus ante non amplius reditura. Cæterum verum puellæ domicilium, licet ea major sit, ad matrimonium quod attinet, patris & matris domicilium est, & non aliud; quamobrem hæc & in nuptiarum publicatione, & in consanguinitatis dispensatione dicta est esse de Parochia S. Rocchi, quamvis adhuc degeret apud Parochum S. Laurentii; qui quidem & ipse adeo persuasum habuit eam suam Parochianam non esse, ut se ad S. Rocchi Parochiam contulerit, ut matrimonium illud annuente Parocho celebraret; ægre etiam tulit, quod contenderetur oportere se in Parochia S. Laurentii publicationes edere; atque adeo neutram Parochiam in celebrationis actu nominavit. Nihil melius quam hoc silentium ostendit Parochum S. Laurentii minime credidisse eam fæminam ad suam Parochiam spectare, sed ejus domicilium esse in Parochia S. Rocchi. Et sane cum ipsa eo se contulit ex Parochia S. Laurentii, se contulit cum animo non redeundi; neque vero aliter animo comparata esse potuit, quoniam ejus futurus sponsus, & genitores habitant in Parochia S. Rocchi.

S. Laurentii Parochus ex eo sibi præsidium quærere poterit, quod articulus 28. Statutorum dictæ Diœcesis in hoc conformis edicto Regis edito mense Martio an. 1697. super matrimonii cæremoniis, requirat, præcipiatque contrahentes sex mensium domicilio gaudere in Parochia, ut ejus Parochus eos conjungendi facultate polleat; verum I. hoc ille articulo se tueri nequit, quia cum matrimonium celebravit, fæmina non amplius in ejus parochia morabatur, sed post decem aut duodecim dies in parochia S. Rocchi re ipsa degebat. II. probe novit, quomodo hic articulus in Diœcesi intelligatur, & quomodo executioni mandetur; nempe vim non habet, nisi cum contrahentes ambo domicilium in Parochia recens posuerunt; tunc nimirum ibidem matrimonio copulari non possunt, & ad parochiam sunt remittendi, in qua sex mensium spatio domicilium habuerunt; verum cum contrahentium alter post sex menses habitat in Parochia, alter autem ad eam venit habitandi causa, is, qui ibidem Parochi dignitatem obtinet, eos in matrimonium conjungere potest. Ita quidem visum est Parocho S. Laurentii, quoniam matrimonium, de quo agitur, celebravit, quin ad Parochiam S. Rocchi, ubi sponsus degebat, partes remitteret. Cæterum si prima fronte eum articulum sibi favere putavisset, ab incepto tamen desistere debuisset, cum ab Officiali, qui idoneus vir, ejusque superior est, admonitus fuit eam fœminam de ejus Parochia non amplius esse, nec omnino sua de facto, seu de jure in Parochia S. Laurentii domicilium habere.

Hinc illud consequitur hunc Parochum incidisse in suspensionem inflictam in eos Parochos, qui absque licentia alienigenas in matrimonium conjungunt, juxta Tridentinam Synodum *cap. 5. de reform. Matrimonii §. quod si quis parochus.* Consequens & illud fit eumdem Parochum postridie sacrum facientem lapsum esse in irregularitatem, a qua utpote publica nonnisi per summum Pontificem liberari potest; id quod ejusdem Concilii definitionibus in eadem *sess. 24. cap. 6. de reform.* est consentaneum.

Ratio-

Rationes pro Parocho S. Laurentii.

Contendit ille ſe proprium Parochum eſſe fæminæ, de qua eſt quæſtio, vi articuli 28. dicti ſtatuti. Vel ex una, inquit, ejus lectione liquet, quinam ejus verus Parochus fuerit. En verba: *prohibemus ſub Conciliorum pœnis, ne qui Parochi vel Presbyteri tam Sæculares, quam Regulares quempiam alium matrimonio conſocient, quam ſuos veros & ordinarios Parochianos, verum, actuale, & publicum domicilium in ipſorum Parochiis habentes ſaltem poſt ſex menſes, ad eos quod attinet, qui antea in alia Diœceſis noſtræ Parochia degebant, & poſt annum, quod ſpectat ad eos, qui in alia Diœceſi habitabant; niſi forte contrahentibus ſpecialis permiſſio ab ipſorum Parochis, vel Diœceſano conceſſa fuerit.*

Quicquam ne boc articulo clarius eſt? Nonne aperte docet, ut quis domicilium ad matrimonium neceſſarium acquirat, neceſſe eſſe eumdem in parochia per ſex menſes moratum eſſe? Hujus Conſtitutionis vi Parochus S. Laurentii eſt unus & unicus dictæ mulieris Parochus, quoniam ipſa habitaverat, & reipſa habitabat in Parochia S. Laurentii, ex multo tempore, cum matrimonium contraxit. Decem porro vel duodecim dierum abſentiæ ſpatium nullius momenti habendum eſt. Quid enim iſtud eſt, ſi cum annis quinque conferatur? Nec juvat dicere ad litteram verum non eſſe fæminam, cum nupſit, in Parocbia S. Laurentii per menſes ſex habitaſſe; neque enim ſtandum eſt litteræ, quæ occidit; ſed Legis mens inſpicienda. Cur enim illa ſex ſaltem menſes requirit, ut in Parochia domicilium acquiratur, & matrimonium iniri poſſit? Ea nempe de cauſa, ut Parochus matrimonium celebraturus probe noverit, an contrahentes nlla alia obligatione irretiti ſint, & an quicquam exiſtat, quod eos Sacramento ſuſcipiendo ineptos efficiat. Jam vero fæmina bæc in parochia S. Laurentii poſt annos quinque degebat; hinc leucæ non amplius intervallo abeſt Parochia S. Roccbi. Ille igitur eam optime noverat, & poterat potiore jure, quam Parochns S. Roccbi, ſe ipſe ejus Parochum reputare. Nullas quidem primo publicationes peregit in ſna Eccleſia, & in Eccleſiam S. Rocchi ſe contulit, ut ibidem matrimonium celebraret. Sed ea tantum de cauſa ita ſe geſſit, ut ne contrahentes publicationis & diſceſſus impenſis ſubjecti eſſent; neqne in Parochiam S. Roccbi profectus eſt, niſi ut matrimonium ſua præſentia firmaret, quippe qui non crederet, niſi ſe conſentienre, Parochnm S. Rocbi illud celebrare poſſe. Neque vero illud differendum cenſuit ad Officialis litreras, perſnaſum habens dnbitari non poſſe, quin ipſe mnlieris, quam in matrimonium conjunxit, verus Parochus eſſet, cum articulns inter Diœceſis Statuta 28. ad quem non credidit Officialem animnm retuliſſe, ipſius adeo aperte firmaſſet. Eodem accedit eum non potuiſſe contrahentes iterum dimittere, quin injnria, gravique mœrore eoſdem afficeret. Matrimonium die 27. Julii celebrandum noverant ad unum omnes? Officialis autem litteræ nonniſi ad veſperas diei 26. ad eum pervenere. Ad extremum ſi eontrabenrinm parochiam in Acta non retulit, id en fecit, ut eos a mutatæ parochiæ impenſis eximeret; eonſtitiſſet eos non ejuſdem parochiæ eſſe, ſi parocbiarum mentionem feciſſet.

Hoc poſito, contendit hic Parochus ſe neque in ſuſpenſionem, quod hoc matrimonium celebraverit, neqne in irregularitatem, quod poſtridie ſacrum fecerit, incidiſſe.

II. Ut verum eſſet ſe in eas cenſuras lapſum eſſe, ſe tamen a Diœceſis Epiſcopo aſſerit abſolvi poſſe. Nullam id quidem patitur difficultarem, ad ſuſpenſionem quod attinet. Aperta eſt in hac rem Tridentina Synodus; nam *cap. 1. de reformatione matrimonii* tribuit Epiſcopo facnltatem abſolvendi Parochum, qui matrimonio conjunxit eos, qui ejus Parochiani non ſunt, quod ſane de matrimoniis publice celebratis eſt accipiendum; quæ enim clandeſtina ſunt, rarins contingunt, quam ut nt Concilii mentem occupare potuerint.

III. Parochns S. Lanrentii contendit & illud, irregularitatis diſpenſationem ſibi ab Epiſcopo concedi poſſe. I. quia Miſſæ celebratio, ob quam irregularis aſſeritur, occulta eſt; ut enim publica eſſet, oporreret, nt *in tota vicinia nulla tergiverſatione eelari poſſet*; quod in præſenti facti ſpecie locum habere non poteſt, eum huie miſſæ ſeptem tantum vel octo perſonæ interfuerint. II. Eſto ea celebratio publica eſſet, poſſet adhuc Epiſcopus in ea diſpenſare, ut enim apte monet Dominus *de Sainte Beuve caſa 64. tom.* 2. ejuſmodi irregularitatum diſpenſatio non eſt Pontifici reſervata, quamvis publicæ ſint; cum porro Pontifici reſervata non eſt, in ea poteſt Epiſcopus diſpenſare. Saltem in dnbio eſt, an ea diſpenſatio Pontifici ſit reſervata; jam vero in dubio, eum res odioſæ ſunt, ut ſunt ejuſmodi reſervationes, in ejns favorem, qui reus aſſeritur, eſt decidendum; hie antem favor requirit, ne ipſe ad Romanam Curiam confugere teneatur. III. eontendit idem Parochus, ut irregularitas publica evadat, opus eſſe, ut delictum ipſum publicum ſit, nempe omnibus innoteſcat exempli cauſa eum, qui in tali eaſu Miſſam celebrat, ſuſpenſum eſſe, & citra culpam celebrare non poſſe. Ita Sentit Navarrus *in Samma cap. 27. nam.* 255. quem citat Paulns Comitolus, in ſuis deciſionibus adeo celebris, qui hanc ſenrentiam amplectitur in ſuis reſponſionibus moralibus *lib. 6. quæſt. 44. num.* 2. ſub finem. En verba, quæ ex Navarro affert Comitolus: *Miſſa enim facta coram populo ab excommunicato occulto delictum eſt, non tamen delictam publicum, quia neſcitar pablicam eſſe delictum*. Ratio, propter quam ſtatuunt Canones aliqus cenſura innodatum celebrantem irregularem evadere, ea eſt, ne turbetur animus populi, qui ſcandalum patitur, dum Sacerdotem cenſuris obſtrictum divina Myſteria celebrantem intuetnr; ceſſat aurem bæc ratio, eum populus delictum ignorat, quamvis actio ipſa per ſe publiea ſit. Jam in hac facti ſpecie Parochiani S. Lanrentii, qui poſt matrimoninm, de quo agitur, celebratum viderunt ſuum Parochum ſacrum facere, nec mirati, nec ſcandalum paſſi ſunt, quippe qui perſuaſum babuerunt, ejus matrimonii celebrationem ad eumdem ſpectare. Addit deniqne, ſi omnino contenditur ſe ad Romanam Curiam confugere debere, ut ſunpoſitæ irregularitatis diſpenſationem obtineat, ſe minime dubitare, quin a proprio Epiſcopo proviſionalis diſpenſatio ſibi eoncedi poſſit, ob eam cauſam, quod neceſſe ſit ipſum Parochiales ſunctiones obire, præſertim in proximo S. Laurentii feſto, quod locale eſt, præſertim cnm bona fide crediderit ſe fæminæ veram Parochum eſſe, idque gravium Auctorum ſibi patrocinantium ſententia nixus crediderit.

R e s p o n s i o.

Conſilinm Conſcientiæ ſubſcriptum exiſtimat matrimonium, de quo hactenus, nullum eſſe; Parochum S. Lsurentii ſuſpenſum eſſe, & quod deinde miſſam celebraverit, irregularem.

Nullum eſſe matrimonium boc, videtur indubitatum; illud enim vulgo receptum eſt, cum quis propriam parochiam deſerit, ut in aliam ſe conferat, *animo commorandi*, ibiqne actuale domicilinm habet: eum eenſeri ad eam parochiam ſpectare, in qua commoratnr. Id contigit in hae facti ſpecie. Ancilla Parochi S. Laurentii ſuam parochiam deſeruit, & commorandi cauſa profecta eſt ad S. Rocchi parocbiam, ubi ejus genitores degebant; eo profecta eſt ad S. Lanrentium non amplius reditura, ſed animo nubendi in parocbia S. Rocchi, ubi ſponſus degebat, ibi domicilium poſuit duodecim abhinc diebus, aut circirer; & quod inde conſequitur, eſſe deſinit ex parochia S. Laurentii; ex quo concluditur matrimonium propoſitum nullum eſſe, adeoque oportere, ut contrahentes ſeorſim vivant, quoad illud redintegretur.

Non poteſt Parochus S. Lanrentii legitime dicere ſibi licuiſſe mstrimonium hoc celebrare, quia ſex menſium ſpatium lapſum non fuerst, ex quo in Parocbia S. Rocchi degebat, juxta Edictum menſis Martii an. 1697. contrahentium Rituali inſertum; etenim reſpondetur, cum Edictum probibet,

ne ejusdem Diœcesis homines, qui per sex elapsos menses in propria Parochia morati non fuerint, in matrimonium a Parochis conjungantur; id ita accipiendum esse, ut licite ea matrimonia Parochi celebrare non possint, quin in relicta parochia futuras nuptias publicandas curaverint. Uno verbo spatium hoc mensium sex referendum est ad nuptiarum publicationem, non vero ad matrimonii validitatem; ita vulgo declaratur allatus Edicti articulus; & re ipsa noster Archiepiscopus consultus in hunc modum respondit.

Id unum agitur in præsentia, ut appareat, quas pœnas incurrerit Parochus S. Laurentii, & quomodo ab iisdem absolvi possit. Dictum est supra eum in suspensionem lapsum esse; id ex Tridentinæ Synodi textu in expositione allato certum fit; quia vero deinde celebravit, irregularis est; id porro explorati juris est. Potest Episcopus a suspensione eumdem absolvere; at ad irregularitatem quod attinet, in ea nonnisi a Pontifice dispensari potest; si tamen occulta esset, ab Episcopo posset absolvi, ut apparet ex *cap. 6. Sess. 24. de reform.* Synodi Tridentinæ.

Huc frustra refertur, quod ait Dominus *de Sainte Beuve tom. 2. casu 64.* ubi dubitare videtur, an irregularitas publica sit Pontifici reservata; in compluribus enim casibus, ut in eodem Tomo cas. 46. 63. 184. aut irregularitatem publicam Pontifici reservari, aut Episcopum in ea dispensare non posse, nisi cum occulta est. Et in primo Tomo *casu 15.* rotundis verbis ait irregularitatem ex publico delicto provenientem Pontifici reservari. Ex auctoritate igitur Domini *de Sainte Beuve* nihil, ad præsentem facti speciem quod attinet, deduci potest.

Consequens ergo fit, si irregularitas, quam subiit Parochus S. Laurentii, non magis nota est, quam in expositione supponitur, Episcopum ab eadem absolvere posse, quippe quæ occulta censeri posset, sed quoniam magis, quam est, publica fieri potest, ita ut eidem Parocho de proprio Beneficio timendi causa suppetat: oportere, ut, quo tranquilliore animo sit, ad Romanam Curiam confugiat, & interim abstineat a suis functionibus, nisi qua necessitas pro Ecclesiæ bono aliter postulet; hoc enim in casu posset Episcopus ei permittere, in provisionis modum, ut suas functiones obiret, quoad ab inhabilitate liberaretur.

Decisum in Sorbona hac die 19. Augusti an. 1705.
G. *Fromageau*, *Habert*, Jos. *Boucher*.

Matrimonium viri impotentis.

CASUS VI.

1 *Nullum est viri matrimonium, cum in eo adest impedimentum, quod non sine vitæ discrimine tolli posset.*

2 *Si ille huic discrimini se suadere vellet, penes uxorem jus esset petendi, ut matrimonium nullum declararetur.*

3 *Illa citra culpam conjugale debitum ei reddere non potest.*

4 *Si operationem consequeretur effectus, opus esset, ut novum consensum praberent ad matrimonii confirmationem.*

QUÆSITUM.

Titius tribus ab hinc annis & amplius Mæviam uxorem duxit. Prolem hactenus non suscepere, nunquamque imposterum suscepturos sit verosimillimum propter impedimentum, quod efficit, ut *fiat semper effusio seminis extra vas muliebre.*

Quæritur, I. sit necne impedimentum hoc impotentia naturalis & perpetua, cum illud ex matris ventre Titius detulerit, nec fieri possit, ut unquam sit capax exercendi conjugalis actus in *vase debito*, nisi per operationem, qua in vitæ discrimine poneretur?

II. An Mævia possit in hac circumstantia Titio debitum reddere?

III. An separandi sint necne, nisi Titius cum Mævia tanquam cum sorore vivere velit? Nihil magis petit Mævia, eumque ad id sæpenumero extimulavit; sed ille ne dum assentiatur, asper est, & importunus in exigenda maritali re, quamvis graviter Mævia patiatur *propter membri dispositionem.*

IV. Quomodo Confessarius se quoad utrumque gerere debeat? An Mæviæ prohibere, ne Titio debitum reddat?

V. Denique facta hypothesi necessariam operationem cum successu fieri, redintegrandum ne sit matrimonium?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Titii & Mæviæ Matrimonium nullum esse ob eam causam, quod per annos omnino tres illud consummare non potuerunt, & *semper fit effusio seminis extra vas muliebre*; quod ostendit impotentiam naturalem seu talem, ut tolli nequeat, quin Titius gravissimo vitæ discrimini obnoxius reddatur. Hoc posito, respondetur ad consultationis quæstiones.

Ad primam, eam impotentiam, cujusmodi quidem proposita est, apparere perpetuam, quoniam sine operationis, de qua dictum est, periculo cessare non posset. Id porro satis est, ut eadem impotentia tanquam impedimentum perpetuum spectetur. Videndi Sanchez *l. 7. disp. 93. n. 20. de matr.* Bassæus *v. Matrimonium n. 77.* Pyrrhus *tom 4. l. 4. tit. 15. n. 25.* aliique complures; quorum primus ita loquitur: *cum impotentiæ non potest subveniri absque vitæ periculo, tum verificatur impedimentum perpetuum.* Additque: *quamvis mulier id periculum velit subire, ut apta reddatur*, (id quod eodem jure de viro sentiendum est) *non teneri virum id expectare, sed posse matrimonii dissolutionem petere.* Ut ait Pyrrh. loco citato: *omne impedimentum impotentiæ viri, vel mulieris, quod opera humana sine graviori periculo tolli non potest, reddit inhabilem ad matrimonium contrahendum.*

Ad secundam, tertiam, & quartam, ex dictis intelligi Mæviam non posse Titio matrimonii debitum reddere, ac separatione opus esse, nisi tanquam frater & soror una vivere velint. Eoque magis necessaria est hæc separatio, quod, prout expositum est, Titius in petendo conjugali debito pertinax est. Quamobrem utriusque Confessarius efficere debet, ut se mutuo separent.

Ad quintam, Sanchez n. 23. ait, si experimentum e voto successerit, oportere, ut per novum consensum prioris propositi constantia significetur: *tunc enim, cum a principio non valuerit matrimonium, indiget novo consensu, vel in pristino perseverantia, ut vel sic ex tunc valere inciperet.* Videri potest Dominus *de Sainte Beuve tom. 1. cas. 171.*

Decisum hac die 24. Februarii an. 1703.
G. *Fromageau*.

Matrimonim fæminæ cum viro impotente.

CASUS VII.

1 *Mulier, quæ viro impotenti nupsit, potest id retinere, quod per matrimonii contractum sibi concessum est, quia nupsit bona fide.*

2 *Vir, utpote qui semper cum ea vixerit, censetur eidem donasse, quæcumque per Matrimonii contractum concesserat.*

3 *Mulier potest retinere compensationis titulo jura, de quibus agitur.*

QUÆSITUM.

Rogantur Domini Sorbonæ Doctores, ut definiant, quo jure gaudeat mulier, quæ nupsit impotenti viro, quicum matrimonium nunquam consummavit. En facti speciem.

Mulier viro nupsit, qui impotentia laborabat; haud novit illa impotentiam, nisi post matrimonium; facta est thori separatio; cæterum magna semper utrinque extitit concordia, atque animorum con-

consensio; præmortuus est vir. Impotentia nemini prorsus innotuit. In familia semper habiti sunt maritus & uxor, concordites una viventes.

Quæritur, an hæc mulier sibi possit ea jura sumere, quæ Legibus, Consuetudine, atque initi matrimonii conttactu ei conceduntur?

RESPONSIO.

Consilium Conscienriæ subscriptum existimat Fœminam, de qua in Expositione dictum est, id retinere posse, quod in Matrimonii contractu ipsi concessum est. Quamvis enim fæmina nonnisi in veri matrimonii hypothesi possit id sumere, quod ei vi contractus a viro traditur: ea tamen bona fide contraxit, & solum postea de viri impotentia cognovit; ejusdemque viri culpa factum est, ut ea talis exterius quoad eum existeret in Matrimonii statu, a quo quidem nonnisi ægre admodum, gravique cum incommodo recedere poterat. Non igitur æquitati consonum est eam, quin ullam culpam commiserit, iis bonis privari, quæ Leges, Consuetudo, atque initi matrimonii contractus eidem tribuunt.

Præterea viro placuit in exteriore statu matrimonii cum ea vitam ducere; & fortasse matrimonium hoc ipsum validum re ipsa erat, cum impotentia non omnino probata, & perspecta fuerit. Itaque censerur ille ei donasse ea commoda, quæ dum matrimonium contraxit, eidem concesserat.

Denique pronunciari potest, cum vir ejusdem fœminæ bona possederit, & communium bonorum dominus fuerit, posse proinde fœminam ipsam compensationis & redintegrationis titulo jura, de quibus est quæstio, sumere, ac retinere. Id vero fit etiam certius, si hæc postrema ratio aliis supra allatis addatur, videlicet defloratio, *cea damaum padoris in compeasationem pudicitiæ amissæ*; præterquamquod ægrius iterum nubet, quippe quæ habebitur vidua. Tandem ut hæc decisio concludatur, dicetus & illud, eam, quod nupserit, in furo externo talem haberi.

Decisum Parisiis hac die 23. Maii an. 1694.
G. *Fromagrea*.

Tempus necessarium ad probandam matrimonii impotentiam.

CASUS VIII.

1 *Jus Canonicam a conjugatis tres tantam requirit probationis annos, quibus elapsis matrimonium potest nullum declarari.*

2 *Si qui sunt Auctores, qui longius tempus requirant, id eo fit, quod probabilibus justisque de causis speratur matrimonium consummari posse.*

QUÆSITUM.

ADolescens duodecim ab hinc annis puellam uxorem duxit; quinque aut sex annorum spatio una vixerunt, quin matrimonium consummare possent; utrius defectu non satis constat. Cum vero videret Adolescentula se non posse in inutilibus conatibus semper tolerandis, ex quibus utrinque incommoda nunquam non sequebantur, sine culpa persistere, Parochum in confessione de negotio certiorem fecit; qui quidem ei præcipit, ut ab Ecclesia præscriptas preces exequeretur, Confessionis, & Communionis Sacramenta susciperet, abstineret ad certum tempus a viri consortio, & peregrinationem devotionis ergo institueret. His peractis, concubuere, matrimonium consummatum est semel tantum; muliet concepit, & peperit puerum, qui nunc temposis sex circiter annorum est. Sed ab hoc puero nato nunquam vir & uxos conjugale debitum sibi reddere potuerunt; & incommoda natutalia, quæ in hujusmodi congressibus occurrunt, quæque ejusdem mulieris animum rursus exagitatunt, in causa fuerunt, ut iterum illa de re Parochum Confessarium alloqueretut, qui ei separationem præcepit. Sed ea separatio difficilis est, cum conjugati versentur in magna familia, nec satis commodi suppetat, ut seorsim cubare possint.

Quæritur, an Parochus hunc concubitum, & hanc naturalium incommodorum in congressibus occurrentium continuationem permittare, & conjugatis Sacramenta administrare possit, alterutrius perseveantia non obstante, atque uno verbo quomodo in hac facti specie se gerere debeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quamvis Matrimonium, de quo in Expositione dictum est, validum sit, ac proinde separatio *quoad vinculum locum non habeat*, conjugatos tamen separandos esse *quoad thorum*, seu *quoad copulam*, si non amplius affulgeat spes fore, ut conjugale debitum sibi mutuo reddere possint, quin incidant in ea incommoda, quæ matrimonii tum naturæ tum fini adversantur.

Canonicum Jus in Canone *Laudabilem* (a) a conjugatis postulat experientiæ annos tres, cum de eorum impotentia reddendi conjugale debitum dubitatur; quibus elapsis si impotentia perduret, nullum declaratus matrimonium, quia tunc quidem impotentiam perpetuam esse præsumitur. Videtur id posse ad præsentem facti speciem accommodari, non quidem ut mattimonium solvatut, & conjugati separentus *quoad vinculum*, quoniam hoc validum esse supponitur, sed ut alia separatio instituatur, nempe *quoad thorum*; facta hypothesi nullam cæteroquin probabilem congruamque rationem præsto esse sperandi fore, ut conjugale debitum reddere possint.

Denique Auctores, qui vero matrimonio consociatis longius tempus concedunt, ut experiantur, an Matrimonium consummate aliquando possint, illud semper pro certo ponunt eam probabilem congruamque rationem occurrere, per quam perfecta consummatio sperari possit. Porro jure asseri nequit sperari posse futurum, ut qui per annos sex, vel maxime conati matrimonium consummare non potuerunt, & quidem adhibitis, ut est suppositum, tam spiritualibus, quam corporalibus adminiculis, illud postea consumment. Videri potest in hac re Sanchez (b), propositam difficultatem enodans. Ne quid autem omitteretur eorum, quæ fieri congrueret, ita facto opus esset. Parochus conjugatos hortari debet, ut repetant pietatis officia, quæ primo quidem, eo auctore, susceperunt; iis deinde mandare debet, ut Medicos adeant, ex quibus, an unquam reddendo conjugali debito futuri sint pares, cognoscant. Quod si id futurum esse nulla spes adsit, eos Parochus alloqui debet sive sejunctim, sive conjunctim, prout prudentia suadebit, spectata eorum, de quibus agitus, animorum præpasatione, ac perpensis circumstantiis aliis, quo iis ob oculos ponat gravia incommoda, & peccatum, cui concumbentes obnoxii sunt; uno verbo nihil reliqui facere debet, ut bene cedat ea separatio. Quod si initis consiliis his omnibus, conjugati nihil eorum, quæ Parochus suggeret, exequi velint, sed potius iisdem se incommodis semper exponant, cum satis moniti fueriut, non potest ille, quin ipsis deneget Sacramenta.

Decisum in Sorbona hac die 20. Aprilis an. 1695.
G. *Fromageau*. C. *De Precelle*.

Impotentia, quæ respectiva dicitur, in viro.

CASUS IX.

1 *Potest quispiam impotens esse ratione unius fæminæ quin alterius ratione sit; & hoc in casu matrimonium cum priore fæmina nullum est, & validum cum posteriore.*

2 *Jus habeat Episcopi dispensandi in quarto gradu quoad pauperes, eoque jure uti possunt.*

3 *Rationi par esset has dispensationes gratis concedi, ac dum taxari.*

(a) Can. Laudabilam de frigid. & malefic.

(b) Sanchez de Matrim. l. 9. cap. 17. n. 18. & seq.

QUÆSITUM.

Petrus Mariam duxit aliquot ab hinc annis; cum hoc matrimonium consummatum non fuisset propter impotentiam viri, negotium ad Curiam delatum est, petente muliere. Servato juris ordine, Officialis ad depositiones & relationes eorum, qui ejus impotentiæ judices instituti fuerant, matrimonium abrogavit, nullumque declaravit; prohibitusque est Petrus, ne Sacramento imposterum abuteretur. Ille vero ab hac sententia appellavit ad Metropolitanum, qui eam confirmavit.

Anno post idem Petrus aliam sibi puellam in conjugem petiit. Cum vero eum Parochus admonuisset se non posse publicationes peragere, nisi illa veniam obtinuisset, ostendissetque suam impotentiam, quæ perpetua judicata fuerat, jam cessavisse; Petrus harum admonitionum nulla ratione habita, Parochi recusationi publice in Ecclesia coram populo refragari satis habuit, & elata voce pronunciavit se ducere talem in suam legitimam conjugem; & ea quidem ipsa quoque idem asseruit. Itaque concubuere; mulier ex illo, ut ipse quidem contendit, ventrem gerit; & ita convivere pergunt non sine magno Parochiæ, in qua degunt, scandalo.

In eo vertitur difficultas, quod Maria, quam ille primum duxerat, est adhuc libera, & ad Petrum redire consentit, siquidem ejus impotentia non amplius subsistat, sed ille ex ea convaluerit; at Petrus repugnat, & posteriori conjugi adhæret.

Animadversione dignum est hanc posteriorem perinde ac priorem puellam fuisse, cum ei nupsit, nec proinde adlegari posse impotentiam magis ex una quam ex alia parte favorabilem esse, quod contingit in viduis, quibus viri dantur, qui ducendis virginibus impares essent. Quamobrem ibi quidem creditur; & Theologiæ Facultatis Tolosæ ejusmodi sententia est, prius matrimonium confirmandum esse.

Contendunt alii, Mariam propter prioris matrimonii solutionem non amplius Petri conjugem esse, præsertim cum posterior, si a Petro sejungeretur, prostituta haberetur. Hoc principio nixi putant, id quod posteriori matrimonio defuit, supplendum, illudque retinendum esse, ita tamen, ut Petrus ad impotentiæ probandam cessationem iterum inspiciatur. In hac sententiarum varietate quæritur, utri standum sit; an nempe posterius matrimonium necessariis consiliis adhibitis firmandum sit, an vero redintegrandum prius, quod non aliam ob causam infirmatum est quam ob impotentiam, quæ perpetua credita est?

Præterea quæritur, an Occitaniæ & Aquitaniæ Episcopi satis firmo fundamento nixi dispensent auctoritate propria in quarto gradu inter pauperes. Obtinet in his Provinciis hæc consuetudo ab Ecclesiæ prope incunabulis vi scriptæ legis, quæ fœminis magnopere favet, si natu majores sint, quæque sæpe in causa est, ut in iisdem familiis matrimonia celebrentur, quo patrimonium servetur, nec ad extraneos deveniat.

Rursus quæritur, an possessio, in qua iidem Prælati sunt, eas dispensationes taxandi scutis duobus ob signaturam & sigillum, ut fit in aliis provisionibus, justa sit, & canonica, præsertim cum dispensatio duodecim nummis aureis constaret, si a Romana Curia peteretur. Quid enim, si incolæ proprias vestes oppignerare cogerentur? Postremus hic mos, quem equidem institutum invenio, quamvis minimi momenti sit, in Episcopatus reparationes omnino cedit; & aliquando gravissimis necessitatibus accommodabitur. Juvabit vos animadvertere hic a nobis haberi pauperem, quicumque milla tantum scuta in bonis habet, quamvis haud domo carens, & id boni possidens satis pro conditione habeat, ut vivat.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti super propositis difficultatibus censent;

Ad primam quod attinet, Promotorem Metropolitanum a posteriore sententia appellare debere, facta hypothesi eum cognoscere Ecclesiam deceptam fuisse, & id Judici probari posse; ac si in hac appellationis causa probationi locus fuerit, statuent Judices, ut Petrus ad Mariam suam priorem conjugem, quæ est legitima, redeat juxta constitutionem capitis *Fraternitatis* (a), & D. Thomæ doctrinam, cujus hæc verba sunt: *Ecclesia si se deceptam inveniat, per hoc quod ille, in quo erat impedimentum, invenitur copulam carnalem cum alia, vel cum eadem perfecisse, redintegrat matrimonium præcedens, & dirimit secundum, quamvis de ejus licentia factum*. Sed Promotoris appellatio satis gravi fundamento non niteretur, si ad ostendendum eum hominem impotentia perpetua non laborare, nullam aliam probationem haberet, quam posterioris fœminæ, cum qua post sententias versatus est, prægnationem; fieri enim potest, ut Petrus ratione Mariæ impotens fuerit, *quæ illi adeo arcta fuerit, ut nunquam ab eo poterit deflorari*, quamvis *altera illi non fuerit adeo arcta, quin ab eo potuerit deflorari*. Hoc in casu a sententia appellari non liceret, & citato capiti accommodanda esset ea regula: *de talibus autem non est facile judicandum, cum finale judicium pendeat ex futuro*. Necesse est igitur, antequam quicquam definiatur, Promotorem, graves sibi rationes non defuturas, certum esse, & ad eam decisionem, quæ laudato capite continetur, quæque hujus quæstionis negativa est, animum convertere: *similiter illa, quæ viro, cui nupserat, adeo arcta est, ut nunquam ab ea valeat deflorari, si ab eo fit per judicium Ecclesiæ separata, nanquam nubat, cum quo prius fœdus inierat conjugale*. Si enim ea ad illum redire non debeat, consequens fit matrimonium inter eos initum nullum esse propter impotentiam respectivam, quæ tunc temporis aderat.

Quod spectat ad difficultatem secundam: Occitaniæ & Aquitaniæ Episcopi jure possunt dispensare auctoritate propria in quarto gradu consanguinitatis & affinitatis *inter pauperes*, quoniam semper in hac possessione fuerunt. Nulla Lex Ecclesiastica potestatem hanc Episcopis adimit. Eam præscripsit Pontifex adversus eos, qui se præscribi passi sunt, non autem adversus eos, qui perstiterunt in exercitio juris hujus & potestatis, quæ vere cum eorum charactere conjuncta est, cum nec Canonibus, nec usu quoad eos abrogata fuerit.

Ad difficultatem tertiam quod pertinet. Optandum sane esset Antistites nulla imposita taxatione eas dispensationes impertire, quoniam nonnisi pauperibus easdem concedunt. Sed tamen pauperum ratio longius protrahitur, dum iis, quibus scuta mille in bonis sunt, accommodatur.

Decisum in Sorbona hac die . . . . . 1671.
A. de Lamet.

Puella ex viri concubitu ventrem gerens, quam alius sibi conjugem petit.

CASUS X.

1 *Puella prægnans nubere potest, modo is, cui nubit, prolis onus non sentiat.*
2 *Rationi consonum erit eam secreto parere, antequam matrimonium concludat.*

QUÆSITUM.

Puella, quæ homini conjugato sui copiam fecit, ex quarto jam mense ventrem gerit. Cum adolescente, qui eam ex mense sibi uxorem petit, liberius egit, ut filius, quem peritura est, ejus esse videatur. Ille vero, ejusque consanguinei de prægnatione prorsus ignorant, quippe quæ puellæ tantum, eique, qui ea abusus est, nota sit. Huic porro magna est familia, quam admodum ægre sustentat, nec sibi ea de re patitur mentionem fieri. Qui eam petit, ejusque consanguinei de matrimonio sunt val-

(a) Cap. Fraternitatis, de frig. & malef. S. Thomas Supplem. quæst. 58, art. 1.

valde solliciti; non audet illa se prodere, quod provideat fore, ut acerbius habeatur, sibi in animum induxit parere, eo, cui nuptura est, inscio, post matrimonium suscepto itinere, & efficere, ut filius ei, a quo seducta est, tradatur, aut inter pueros expositos Parisiis collocetur. Rogantur Doctores, ut hac in re dicant, quid sentiant.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat puellam ex quarto seu quinto mense prægnantem ei nubere posse, a quo in conjugem petitur, dummodo res, prout in expositione declaratum est, executioni mandetur, & adolescens factus ejus vir puero non gravetur, neque ejus filius, ejusque opera natus non habeatur, & judicetur.

Si tamen puella, de qua quæritur, suum consilium, antequam nuberet, exequi posset, id multo satius fore videretur, quia jure timendum est, ut ea jam nupta, quod sibi proponit, iter prætexere possit; tunc enim illud iter eo minus instituere poterit, quod erit in potestate viri, cui illud impediendi, & suscipiendi itineris causas funditus explorandi jus competet.

Decisum in Sorbona hac die 1. Aprilis an. 1704.
G. Fromageau.

Matrimonium filiifamilias, qui Subdiaconatus Ordinem suscepit.

CASUS XI.

1 *Adolescens per vim creatus Subdiaconus, & Ordinationi publice refragatus servandæ continentiæ obligationem non contraxit.*
2 *Si deinde matrimonium inivit, valet matrimonium, licet illud inire non debuerit, antequam ordinatio nulla declararetur.*
3 *Esto ejus matrimonium nullum esset, filii tamen inde prognati legitimi censerentur, quia in bona fide matrimonii nati essent.*

QUÆSITUM.

Titius suscepit Minores Ordines, & Subdiaconatum una eademque die Dominica, solus in privato Sacello ab Episcopo, quem ejus familia selegerat per cujusdam Vicarii Generalis Dimissorias Literas, & *Extra tempora* concessum a Legato, qui in Gallia tunc sederat. Pridie ante Ordinationem protestatus est coram Notariis, idemque præstitit ipsa Ordinationis die post meridiem, edicens se ad id adigi vi majore, quam ut ei resistere posset, nempe minis matris absoluta potestate gaudentis, & fratris hominis impotentis, qui quidem non aliis rationibus, quam ut familiæ prodessent, movebantur; cæterum se a statu Ecclesiastici professione summopere alienum esse, nec Subdiaconatus Ordinem impedire posse, quominus in sæculari statu, quamdiu viveret, remaneret, & quamprimum libere ac tuto posset, ad Romanam Curiam confugiens ab eodem Subdiaconatu sese liberandum curaret.

Enim quidem, ut quod optabat, assequeretur, juris ordine usum esse non constat, tametsi id eum præstitisse, & acta suppressa fuisse sit vero simillimum. Nunquam ille functus est Subdiaconi officio. Quinquennio post matrimonium contraxit in facie Ecclesiæ cum publicationum dispensatione; sed matrimonium suum occultavit. Plures suscepit filios, quibus tanquam legitimis omnia sua bona donavit. Sæpe significavit uxori se velle matrimonium suum evulgare; sed post annos decem e vivis excessit, quin id perfecisset, cum in Regis exercitu tunc ducis titulo militaret; ejus mater ei per annos duodecim superstes fuit; frater vero, quem tantopere metuebat, per annos undeviginti; ut proinde eadem semper ei fuerint impedimenta, nunquamque, quoad vixit, aperte sibi consulere potuerit.

Super hac proposita facti specie quæritur,

I. Quanti faciendæ sint protestationes & declarationes, quas edidit?

II. An contra atque adeo expressis verbis declaravit, Ordinem suscipere potuerit, an vero Ordo nullus sit?

III. An Ordinis obligationes contraxerit, & potissimum continentiæ, quæ in Ordinatione, quoad eum, qui Ordinem suscipit, implicita tantum est?

IV. An saltem in conscientiæ foro & coram Deo eam obligationem contraxerit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, eum, qui suscepit Ordines absque ulla eos suscipiendi intentione, videlicet qui secum in animo eos suscipere nequaquam vult, re ipsa & coram Deo ordinatum non esse; non inde tamen consequi eum, qui Ordines suscipit per metum cadentem in constantem virum ad grave malum, quod imminet, evitandum haud vere suscipere. Ejus quidem voluntas coacta est, nec plena gaudet libertate; id tamen ille vult; est hoc voluntarium mixtum, ut Scholæ dicunt, sed quod tamen eam continet intentionem, quæ satis est, ut Ordinatio valida sit. Hoc posito, respondetur ad quæstiones supra propositas.

Ad primam. Protestationes & declarationes a Titio factas satis virium habere ad probandum in foro externo Subdiaconatus Ordinem ab eo ob gravem metum susceptum fuisse, ipsumque ab Ecclesiastico statu profitendo alienum fuisse.

Ad secundam. Ex iis quidem protestationibus satis evinci Ordinationem prorsus liberam non fuisse, nullam tamen fuisse non evinci.

Ad tertiam. Servandæ continentiæ obligationem a Titio contractam non fuisse; si enim Ecclesia declarat nulla Religionis vota ab eo edita, qui coactus est formidine mali, quod potest constantis hominis animum permovere, ut traditur in Jure (*a*) *c. Perlatum, & c. Cum dilectus*; eadem rati ne affici potest Titium, qui Subdiaconatum, quemadmodum expositum est, suscepit, continentiæ, quam huic Ordini Ecclesia addidit, obligationem non contraxisse. Videri in hanc rem possunt Azorius, & Sanchez. Denique si hæc obligatio nulla non est, saltem satis justa subest causa petendi a Romana Curia, ut eam nullam declaret.

Ad quartam. Nonnullorum Auctorum sententia, continentiæ quidem obligationem Titius contraxit; potest tamen petere, ut ab ea liberetur; at autem plerique sentiunt, eam in foro interno coram Deo non contraxit.

Ex hactenus dictis sequitur I. Si Titius, dum ad Ordinationem accessit, ita animo comparatus fuit, ut Subdiaconatum suscipere nollet, (*b*) Ordinationem coram Deo nullam esse, & quod inde consequitur, ejus matrimonium valere. II. Si Ordinatio valida est, eum continentiæ obligationem non contraxisse; ex quo rursus inferri potest ejus matrimonium validum esse. Etenim coram Deo, docentibus Auctoribus bene multis, Ordo eam tantum ob causam est matrimonii dirimens impedimentum, quod ex Ecclesiæ instituto servandæ continentiæ obligationem adjunctam habet. Hac de re Sanchez, & Auctores, quos ipse producit, consuli possunt. (*c*) Et sane eorum judicio quæ rationes continentiam sacris Ordinibus ab Ecclesia annexam probant, eædem probant etiam eam voluisse, ut illi essent matrimonii dirimens impedimentum. III. Titium non debuisse matrimonium inire, quin antea ejus Ordinatio nulla declarata fuerit, aut potius a Superiore Ecclesiastico ineundi matrimonii veniam consequeretur, ob vim, qua Subdiaconatum suscipere coactus fuerat. IV. denique etsi nullum esset Titii matrimonium, filii tamen inde progeniti legitimi censerentur, quia nati sunt in bona matrimonii fide, si Titii conjux, dum nupsit, eum, cui

(*a*) Cap. Perlatum, & cap. Cum dilectus. De iis, quæ vi, metu &c. Azorius tom. 3. lib. 13. cap. 14. q. 8. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 29. art. 3. & 6.

(*b*) Idem l. 7. disp. 24. n. 6.
(*c*) Idem lib. 7. disp. 28. n. 11.

cui nubebat, Subdiaconum esse ignoravit. Extant in hanc rem Rescripta complura, ut proinde Monarcus, (a) Andientiarum Ephemeris, *Brodeau*, aliique videri possint.

Decisum Parisiis hac die 31. Martii an. 1698.

G. *Fromageau*.

Matrimonium invito Patre contractum.

CASUS XII.

1 *Filius dissentiente patre matrimonium contrahens gravissime peccat.*

2 *Potest pater ita cum filio agere, ut ille suam justam indignationem sentiat.*

3 *Quamvis ejusmodi matrimonia, spectata filii erga patrem obligatione, sint illicita, absolute tamen, & spectata rerum natura, non sunt invalida.*

4 *Debet tamen pater ignoscere filio, nihil eorum, quæ fieri par est, omittenti, cumque, quem ægrotare novit, adire cupienti.*

QUÆSITUM.

PAter & Mater Viri nobiles filium habent annos natum 34. Hic puellæ amore captus est, eamque in uxorem ducere statuit; sed per id tempus contigit, ut ob grave negotium e Regno egredi cogeretur. Abfuit biennii spatio, quo tempore tum Viri nobilis, tum armorum Ducis necessitudo puellæ famam plurimum læsit; atque iter, quod illa Parisios instituit, extremam ejus nomini perniciem attulit, sparso rumore, qui damni, atque adeo ignominiæ eidem fuit.

Cum res ita se haberent, redit filius, & cum parentibus degit. Ab amicis de re tota certior factus, nihilominus puellam invisit, ejusque nuptias, ut ante, petit. Tum per graves viros, tum ipse per se frustra consensum extorquere conatus est a Parentibus, qui se nunquam adeo turpi matrimonio assensuros testati sunt; denique Pater septuagenarius, & admodum infirma valetudine filium rogavit, ne sibi, dum viveret, id mœroris afferret; quod ille promisit.

Nihilominus paulo post filius duobus communibus amicis usus iterum Patris animum sollicitare non destitit; cumque pater & mater in proposito persisterent, edicerentque, si sibi ab eo ejusmodi injuria dolorque afferretur, futurum, ut eum domo expellerent, eique nihil tribuerent: ille per Ministrum petiit, ut assensum præberent, cumque renuerent, id flocci faciens, iis non assentientibus, atque adeo dissentientibus matrimonium contraxit.

Hi pater, & mater inter Natalis Dominici festos dies ad Pœnitentiæ Tribunal accesserunt, cumque nec filium nec nurum ad se venire pati vellent, iis absolutio negata est. Initum est hoc matrimonium tribus quatuorve circiter ab hinc mensibus. Illi quidem Confessario testati sunt se ita animo comparatos esse, ut nec filium, neque ejus conjugem odio haberent, nihil iis mali vellent, nullam illatæ injuriæ ultionem quærerent, nec vero quærere vellent, & quo id pateferet, nullam filio injuriam irrogarent, eumque, perinde ac si subjectus & obediens fuisset, hæredem relinquerent; sed ad ejus puniendam inobedientiam putarent sibi jus esse eum & conjugem arcendi domo, quamdiu ita expedire judicassent.

Confessarius his rationibus minime permotus, volensque, ut sibi promitterent fore, ut intra certum tempus, exempli causa intra sex menses, vel serius filium, ejusque uxorem ad se accedentes exciperent, negantibus id se promissuros absolutionem impertiri recusavit. Illi igitur quærunt.

I. An filium excipere teneantur, an vero in ipsorum potestate non omnino positum sit id facere, cum opportunum judicaverint, absque ulla temporis limitatione?

(a) Monarc. in leg. ult. ff. de ritib. nuptiarum. Ephemeris Audientiarum T. 3. l. 4. c. 6. pag. 328. & 385. Brodeau in Louet Tom. I. litt. m. lib. 14.

(b) S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 4.

II. Facta hypothesi eos ad filium excipiendum adigi, idemne sentiendum sit de nuru, quæ in familiam irrepsit eorum ingratiis?

Petitur decisio, quæ summum jus, non quæ æquitatem respiciat; cum hi genitores scire velint, quorsum evadat eorum auctoritas, & potestas, qua gaudent, inobedientem filium puniendi, salva conscientia, nec læso Divino Numine.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet filiumfamilias, quamcumque demum ætatem natus sit, qui contra patris & matris voluntatem matrimonium contrahit, gravissime, regulariter loquendo, peccare, eoque minus venia dignum esse, quod causa, propter quam suum illi consensum denegant, justa & gravis est. Quamobrem jure possunt hoc in casu filium punire, & in correctionis modum justam indignationem in eum exercere, cum vel major matrimonium contrahit contra obedientiam, & reverentiam, quam suis genitoribus debet.

Eo sane consensu filius, naturaliter loquendo, ad matrimonium non indigat; etenim ait D. Thomas, (b) quamvis homo homini subjectus esse possit quoad corporis externas actiones, quoad ea tamen, quæ spectant naturam corporis, ut sunt nutritio, & generatio, soli Deo parere tenetur; ita enim loquitur: *tenetur homo obedire in his, quæ exterius per corpus sunt agenda* (inquit hic S. Doctor,) *in quibus tamen secundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo, quia omnes homines natura sunt pares, puta in his, quæ pertinent ad corporis sustentationem, & prolis generationem*. Ex quo sequitur, eodem S. Doctore docente, seu de matrimonio, seu de virginitate agatur, non teneri servos, aut filios parentibus, dominisve parere: *Unde nec tenentur servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel de virginitate servanda.*

Nimirum matrimonia a filiisfamilias invito patre contracta, si rerum natura spectetur, invalida in se ipsis non sunt; eadem tamen illicita, & naturali, qua filius erga patrem adstringitur, obligatione contraria esse negari non potest; ut nempe filius ejus ingratiis eum vitæ statum, qui tanti momenti est, eligat, eique per matrimonium, quos non vult, hæredes ingerat, præsertim vero cum pater justis de causis assensum denegat.

Contendunt quidem Auctores bene multi, ex civili, atque adeo Canonico jure, ut censet Basilius Pontius, (c) matrimonia filiorumfamilias, parentibus repugnantibus, inita olim tanquam nulla spectata fuisse. Sed utut res habeat, post Tridentinam Synodum, non amplius de eorum validitate dubitari potest. Id tamen argumento est semper ejusmodi matrimonia vetita habita fuisse. Et sane talia sunt, juxta communem Theologorum sententiam, ut Bellarmini, Isamberti, Gamachii, aliorumque complurium, qui postquam protulerunt e sacris litteris exempla bene multa filiorumfamilias, qui non alias, quam a parentibus exhibitas sibi conjuges elegere, probant multis Patrum testimoniis, Conciliorumque decretis graviter contra obedientiam, & reverentiam parentibus debitam filios delinquere, dum contra eorum voluntatem, quæ cæteroquin justis & rationi consonis causis nititur, ineunt matrimonium.

His ita principii loco positis, ad quæstiones propositas respondetur.

Ad primam, filium, de quo agitur, patri & matri non mediocrem injuriam irrogasse, dum contra datam fidem duxit eam, de qua in libello supplici dictum est, & fœminam de fama laborantem in eorum familiam intrusit, minime veritus patri valetudinario, & ætate provecto eum mœrorem afferre, qui posset ejus mortem accelerare. Quoniam vero debet aliqua ratione pœna respondere culpæ, quam filius patravit, possunt proinde parentes ad non mediocre tempus, exempli causa trium aut qua-

(c) Basil. Pontius l. 2. c. 5. de matrimonio. Concil. Trid. sess. 24. de Reform. c. 1. Bellarmin. cap. 17 de matrimonio. Isambert. art. 10. de Matrim. Gamach. c. 13. de matr.

quatnor annorum ſpatio eum domo expellere, aditnque probibere; & hoc quoque ſpatinm protrahi poſſet, ſi filius male ſe gerens ſe indignum redderet, qui culpæ in patrem, & matrem, univerſamque familiam patratæ veniam conſeqneretur; quemadmodum etiam e converſo poſſet imminui, ſi vehementem de eadem culpa triſtitiam, & paternum vultum reviſendi grande deſiderium profiteretur, & affinium, amicorumque commnnium anctoritas & ſollicitudo ad gratiam cum patre ioeundam accederet. Ita David exilium imminuit filii Abſalonis, quem a ſe repnlerat, adique prohibuerat. Cum enim ob ejus in aulam reditum preces offerri, & vehementer urgeri cœptum eſt, tum vero ſe Rex expugnari paſſus eſt, ut proinde nonniſi biennii ſpatio Abſalon Regis faciem videre prohibitus fuerit, ut legimus in ſacris litteris: *Manſit Abſalom in Jeruſalem duobus annis, & faciem Regis non vidit*. (a) Deinde vero eum accivit, amplexuſque eſt: *Vocatuſque eſt Abſalom, & intravit Regem, & adoravit ſuper faciem terræ coram Deo, oſculatuſque eſt Rex Abſalom*.

Si pater, de quo agitur, utpote ſenior, ac valetudinarius, lethali morbo corriperetur, tum vero Filinm, petentem præſertim, rogantemque deberet quantocyus, eique culpam ignoſcere; ſi enim hoc in caſu eumdem videre nollet, irati, averſique animi argnmentum præberet, quod gravi ſcandalo eſſet. Sunt ſane bene multa, quæ fiunt, quæque fieri opus eſt in mortis articulo, quæ ſine peccato differri poſſunt, cum proſpera ſuppetit valetudo.

Ad ſecundam. Quoniam ut in expoſitione palam fit, filius eam ſibi puellam conjugem petiit, quantumvis rumor ejus famæ parum congruus percrebuiſſet, idque ipſe optime noſſet: quæ ratio faceret ad veniam filio obtinendam, eadem videtur Genitores movere debere ad eamdem gratiam ejus conjngi, nurui ſuæ concedendam, niſi prava vitæ ratione indignam ſeſe reddiderit. Ex his omnibus conclndi poteſt.

I. Spectata filii culpa, apparere, ſi ille paterna domo expulſus eſſet ſex menſium ſpatio, eam pœnam ejus infidelitati, & inobedientiæ parum conſonam fore, Patre quidem, ut ſupponitur, eum odio non habente. Quamobrem punitio hæc ſemeſtri ſpatio abſolute definiri, ac proinde patri & matri abſolutio negari non debuit, niſi ſe poſt tempus illud filium reviſuros, & domo exceptnros promitterent.

II. Quamvis paulo ante dictum fuerit a filii aſpectu patrem & matrem non mediocri temporis ſpatio abſtinere poſſe: gravibus tamen de cauſis illud tempus imminui poſſet, præſertim ſi filius eſt unigenitus, ita ut nulla foret timendi cauſa, ne indulgentiam eidem conceſſam incommoda conſequerentur. Non agitur hoc loco de Judice pro legis vi reum puniente, ut pœnæ exemplo a ſimili crimine populus abſterreatur; de patre agitur, qui in filium, ut dolorem ex inobedientia perceptum ſignificet, animadvertit, eique deinde ignoſcere in animo habet; ut proinde profiteri poſſit ſe ad reconciliationem promptius, quam propoſuerat, ſtatuendam recta filii præparatione, e communium amicorum vehementibus ſollicitudinibus adactum eſſe.

Patri, de qno agitur, ob ocnlos poni poteſt exemplum Siſinnii, ad quem ſcribit S. Ambroſius, & cui in ſua 43. Epiſtola gratulatur, quod haud diu foverit iram in filium, qui ſe diſſentiente matrimonium inierat; ſi filius, inquit S. Pater, te læſit, quod conjugem ducens, quæ tibi filia futura eſſet, te, qui pater es, minime conſuluerit: *ſed & ipſa paterna offenſio fuit, quoniam venturam in loco filiæ tuæ debuiſti eligere judicio, cui fieres pater*; conveniat nihilominus neceſſe eſt, te bonorum parentum more feciſſe, qui parcunt, ſed exorati; ſecus tam peperciſſe, quam filii facinus probaviſſe cenſeteris: *feciſti igitur*, pergit Ambroſius, *quod boni parentes, ut cito ignoſceres, ſed obſecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoſcere, ſed factum probare*. Non igitur filii veniam differre diutius debuiſti. Si ſecus egiſſes, tibi quidem durius, ei vero fuiſſet inutile. Patris viſcera, plena amoris, & teneritudinis erga eos, quos in mundum dederant, haud longiorem cunctationem patiuntur: *Deinde diutius differre veniam & tibi acerbum, & illi inutile; neque enim patria viſcera diutius tolerare poſſent*.

Claudit Epiſtolam S. Ambroſius, amico propoſitis exemplis compluribus ex ſacra Scriptura depromptis, ex quibus apparet ſanctos Viros non paucos filiorum ſuorum precibus, & lacrymis ſe flecti paſſos eſſe, quin veniam diutius differrent, ac deinde concludit Siſinnium commendans, quod ea magna exempla ſecutus ſit, & vera paternæ charitatis, quæ nos, ut ipſe ait, Deo ſimiliores efficit, argumenta præbuerit: *Horum te imitatorem præbuiſti pietate patria, qua proxime ad Deum accedimus*.

Debent igitur pater, & mater, de quibus agitur, ad omnes, quæ hactenus allatæ ſunt, rationes, & ad ea exempla animum mentemque convertere, ut ad filio, ut ſe ipſe indignum exbibuerit, ignoſcendum, eumdemque excipiendum alacriores ſint; quod illi quidem tunc perficient, cum prudenti doctoque Confeſſario, expenſis coram Deo rebus omnibus, utrinque videbitur.

Deciſum in Sorbona hac die 14. Januarii an. 1701.

G. *Fromageau*.

Filii, diſſentiente patre, matrimonium contrahentis exhæredatio.

CASUS XIII.

1 *Regulæ ſuper animi præparatione, qua erga eos opus eſt qui nos læſerunt.*

2 *Iis quidem ex animo ignoſcendum eſt, ſed tamen ad illatæ injuriæ reparationem in eos Juris ordinem ſectari licet.*

3 *Exhibenda ſunt illis charitatis & amicitiæ, quæ generatim proximo debentur, & communia dicuntur, argumenta; ſed non ſemper officia inter amicos peculiaria & propria ipſis præſtanda ſunt.*

4 *Cum ſatisfactionem rationi conſonam exhibent, ea ſere acceptanda eſt, & cum iis in gratiam redeundum. Id ex conſcientia quoque faciendum eſt, cum abeſt indignationis & odii periculum, ſi ſatisfactio apud Judicem peteretur.*

5 *Tenentur Pater & Mater in mortis articulo eum ex filiis excipere, qui ipſis invitis matrimonium inivit; non tenentur autem exhæredationis actum, quo eum punire voluerunt, reſcindere.*

QUÆSITUM.

Cum Principiſſa N. exhæredaſſet Comitem N. filium ſuum natu minimum, quod ætatis anno 25. abſque ſuo conſenſu duxiſſet in conjugem filiam Viri Nobilis Pictavienſis, ac proinde ſanguinis claritatem fœdaſſet, in Sancti Euſtachii Parochia in morbum incidit. Cum ſibi Sacramenta adminiſtrari petiiſſet, anceps hæſit Parochus, conſuluitque, poſſetne adminiſtrare renuenti filium videre.

Teſtatur illa ſe ei minime iratam eſſe; nolle tamen eum ad ſe accedere, quod dicatur fore, ut eumdem excipiens exhæredationem reſcindere cenſeatur. Ex alia parte hæc reluctatio magnum vulgo ſcandalum pariet, quod portento ſimile videatur matrem morti proximam adduci non poſſe, ut excipiat filium nihil omittentem, quo id obtineat, eique ſeſe conciliet. Conſulitur Archiepiſcopus, qui Parochum ad Sorbonam remittit. Deciditur in Sorbona opus eſſe, ut Matrona filium excipiat; ſecus ei Sacramenta adminiſtrari non poſſe. Sed additur eam poſſe poſt ſuſceptum filium exhæredationis actum confirmare & renovare, ſi timeat, ne prior actus per gratiam hanc infirmetur.

Super hac re quæritur,

I. An Leges, quibus permittitur patribus matribuſque, ut filios abſque eorum conſenſu matrimonium contrahentes exhæredent, in foro interno juſtæ ſint?

II.

(a) 2. Reg. cap. 14.

II. An qui nos læsit, eum excipere in conscientia teneamur, cum nos alloqui, & nobiscum in gratiam redire cupit?

III. An in conscientiæ foro ei remittenda sit injuria, cum satisfacere paratus est?

RESPONSIO.

Ad quæstionem primam respondetur, Constitutiones, quæ in Gallia patribus & matribus facultatem tribuunt filios absque eorum consensu matrimonium contrahentes exhæredandi, justas esse, & in conscientiæ foro executioni mandari posse. Vide collationem Constitutionum *Tom. 1. lib. 5. tit. 2.* & Constitutionum Blesensium articulum 41. qui præcedentes instaurat, & in hanc rem expressus est. Ludovici XIII. Declaratio an. 1639. art. 2. renovat Henrici II. Edictum an. 1556. & articulum 41. Constitutionum Blesensium; ac deinde addit: „ Et declaravimus, ac declaramus viduas, filios, „ ac filias, qui ante 25. ætatis annum matrimo„ nium contra dictarum Constitutionum rationem „ inierint, privatos & cassos ipso facto, similiter „ filios, qui nascentur, eorumque posteros, indi„ gnos, & incapaces imposterum successionis in „ bona patrum, avorum, &c. atque adeo juris „ partis legitimæ, & dispositionum, quæ factæ „ fuerint in præjudicium nostræ Constitutionis, „ & .... injungimus filiis, qui 30. ætatis annum „ excedunt, ac filiabus, quæ 25. ut super matri„ monio, suorum patrum & matrum sententiam „ & consilium requirant e scripto sub exhæredatio„ nis pœna ab iis infligenda vi Edicti an. 1556.

Neque vero unius Galliæ propriæ sunt ac peculiares ejusmodi Constitutiones. Obtinent & aliis in Regnis, ut apud Rebellum 2. p. q. 14. sect. 2. videri potest. Tradit Auctor hic fœminam, quæ post 25. ætatis annum indigno nubit, exhæredari non posse, at si ante eum annum, posse ex Jure Civili; de masculis jus non loquitur.

Ad parentes spectare, ut filios suos in matrimonium conjungant, non vero in filiorum potestate positum esse, ut pro libito sibi thori consortem eligant, & Geneseos capp. 24. & 28. compertum fit; ibi enim propriis filiis Patriarchæ commendant, ne in terra Chanaan ineant matrimonium. Quamobrem Abraham in Mesopotamiam misit, ut ibi conjux filio suo Isaac quæreretur. Isaac pariter eodem misit filium Jacob, qui suas consobrinas duxit.

Nituntur Constitutiones, de quibus agitur, eo contemptu, quem filii absque parentum consensu matrimonium contrahentes in eosdem præseferunt. Et sane matrimonium actio est totius vitæ gravissima; id patrum & matrum plurimum interest, quoniam agitur, ut suorum bonorum hæredes habeant; hi porro iisne repugnantibus obtrudi possunt? Idne quicquam est aliud, quam violatio naturalis Legis, & singularis obsequii, quo filius eos prosequi debet, a quibus vitam accepit? Secundum Dei cultum estne ullum aliud strictioris obligationis officium, quam quod parentum honore continetur? Exhæredatio autem estne pœna justo gravior adversus eos, qui id officii non implent?

Valerus tamen contra sentit, contenditque eas Leges injustas esse, & Confessarium iis parentibus absolutionem tribuere non debere, qui revocare noluerint exhæredationis actum editum in eum filium, qui absque eorum consensu matrimonium inierit, præsertim si illud cum turpitudine, ac familiæ infamia conjunctum non sit. Has autem rationes affert. I. hæ Leges, inquit, adversantur libertati matrimonii, quod juxta juris mentem liberrimum esse debet *cap. gemma de sponsalib.* Læditur porro libertas hæc, statim atque existunt Constitutiones, quæ Patribus & Matribus filios sine eorum consensu matrimonium ineuntes exhæredandi potestatem concedunt. In Decretali citata quæstio erat de puella, quam pater adolescenti desponderat ea conditione, ut qui promissis non stetisset, pœnam solveret. Ea de re consultus Gregorius IX. conventionem eam tanquam matrimonii libertati contrariam damnat, & pœnam remitti mandat.

Par est utrinque ratio. Exhæredationis timor in causa est, ut adolescens eam ducat uxorem, quæ ipsi displicet, sed quæ eidem a patre proponitur. Si eam respuit, est cur timeat, ne ullo unquam tempore sibi liceat matrimonium inire. Facta hypothesi patrem absolute velle, ut filius talem conjugem ducat, hoc matrimonium nequaquam liberum est D. Thomæ sententia. Jam vero jus, quo gaudet pater filium exhæredandi, si forte aliam duxerit, non minorem filio vim infert, quam absolutum præceptum eam ducendi, quam pater ipsi exhibuerit; atque adeo exhæredationis, & extremæ fortasse inopiæ subeundæ formido ejus animum vehementius afficit. Destruit ergo libertatem, quæ ad matrimonii essentiam pertinet, & quod inde consequitur, Leges exhæredationem permittentes injustæ sunt. Præterea videntur id afficere velle, quod omnino spiritale est, cujusmodi sane est liber & voluntarius consensus, qui matrimonii essentiam constituit, quique ad Secularium Principum jurisdictionem spectare omnino non potest.

Ad hæc nonne a justitia prorsus alienum est, hominem, quod Matrimonium inierit, legitimæ quoque partis, atque adeo nutritionis, quam patres filiis naturali jure debent, jacturam facere? Et vero cujus tandem criminis causa? Nempe quod sit executus præceptum illud Gen. cap. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

II. Nonne filiis jus majus competit, ut ipsi totius sibi vitæ consortem eligant, quam patri ac matri, qui sæpe in statuendis filiorum matrimoniis ambitione, vel alio præpostero animi motu ducuntur, ingenii, atque indolis similitudinem non spectantes, eosque, qui sibi cæteroquin pares sunt, sua cognatione indignos putant?

III. Filios exhæredandi potestas a patris arbitratu, pravaque indole pendere non debet; est enim inauditum quempiam in propria causa judicem esse. Satius igitur foret ad Judicem negotium deferri, eumque, auditis partibus, & patris matrisque rationibus ponderatis, filium, qui in his & his circumstantiis matrimonium inire non debuit, exhæredandi facultatem iisdem tribuere.

IV. Addi & illud posset ad ejusmodi Constitutionum injustitiam probandam, quod cum Tridentinæ Synodi Patribus propositum fuisset, ut liceret parentibus filios absque eorum consensu matrimonium ineuntes exhæredare, negotium rejectum fuit. Id affert Valerus ex duorum Auctorum, quos citat, bona fide. Utut id se habeat, nullus extat Canon, qui in filios, invitis parentibus, conjugium contrahentes ullam pœnam instituat, quamvis inter omnes conveniat illos peccare.

Idem sentit Covarruvias, aitque puellam ante annum 25. absque parentum consensione vel indigno nubentem exhæredari non posse, quia exhæredandi potestas hæc matrimonii libertati repugnat, & præstat in hac facti specie parentibus injuriam inferri, quam matrimonii libertatem violari. Opinionem hanc tanquam communem proponit, multosque producit Canonistas contendentes Legibus, quæ filios exhæredandi potestatem patribus matribusque concedunt, vim nullam Legis inesse.

Navarrus adhæret eidem sententiæ. Rebellus loco supra laudato ei aliquod adhibet temperamentum. I. probat eas Leges absolute loquendo injustas esse; sed addit, si puella (Hispaniarum enim Leges de puellis tantum loquuntur) absque parentum consensu nupserit; peccare mortaliter, & quoniam ob hoc peccatum ea digna est, quæ cœlesti hæreditate privetur, potiori jure terrena privari posse. Hæ Leges, inquit, re ipsa matrimonii libertatem nihil afficiunt, immo vero videntur eamdem perficere. Vera enim libertas in eo sita non est, ut malum fieri possit; si ita esset, Deus & Angeli liberi omnino non essent. Leges igitur, quæ ad virtutem nos ducunt, libertatem nostram perficiunt, quoniam impediunt, quominus filii, qui matrimonium inire volunt, in mortale peccatum incidant. Nihilominus, addit Rebellus, præstat patres hac potestate non uti, præsertim cum puella haud prorsus indigno nubit.

Soto has Leges justas putat; sed periode ac Rebellus de puellis tantummodo loquitur; ex quo illud concludi posset, juxta Hispaniarum Leges filio-

liorum familias matrimonium, absque patentum consensu, eidem pœnæ obnoxium non fore. Ad puellarum matrimonia quod attinet, duo dicit Soto. I. Multu satius fore a Legis rigore recedere, præsertim cum parentes eam in matrimonium tradere renuerunt, & ipsa nupsit pari. II. has Leges ad illustres personas, quarum matrimonium Reipublicæ magis interest, multo magis referri, quam ad inferioris conditionis personas. Denique ita concludit: *In summa quod Christianissimus quisque Rex de hac re decreverit, justam est.*

Ut secundæ quæstioni satisfiat, respondetur Christianum præsertim in mortis articulo in conscientiæ foro non posse, quin eum, a quo læsus est, conciliari cupientem excipiat, nisi forte ejus præsentia odii motus iterum excitaretur, eumque lædendi divini Numinis periculo exponeret.

Injuria triplicem fere motum in eo producit, cui illata est, ut Azorius animadvertit.

I. Excitatur in ejus animo iræ & odii motus adversus injuriæ auctorem. Hac de causa nulla interjecta mora parcendum est, eum neque odium, neque aversionem adversus proximum fovere liceat; id quippe cum charitatis præcepto ex diametro pugnat.

II. Injuria læsum avertit ab officiis, & quibus indigere posset, subsidiis inimico exhibendis; quo loco officiorum, & amicitiæ argumentorum duo sunt genera distinguenda. Alia peculiaria sunt, alia generalia. Generalia quidem sunt pro eo Deum orare, a bono, quod ejus Comunitati fit, eum non excludere, salutanti vicem reddere. Officia vero peculiaria sunt eum prævenire, & familiariter cum ipso versari. Amicitiæ argumenta in priori genere posita inimico negari non possunt; & ad hanc obligationem accommodat Div. Thomas illud Levitici cap. 19. *Non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum.*

Ad peculiaria argumenta quod attinet, læsus tuta conscientia potest ea denegare; non tenetur exempli causa inimico vale dicere, nisi ille prior salutaverit, aut si ab ejus salutatione aut colloquio citra scandalum abstinere non possit. Ita Valetus, Navarrus, Sylvester. Ratio est. quia non desunt, quæ familiares conventus, & alia peculiaria amicitiæ signa molestiores, & ad lædendum proniores efficiant. Verum si horum testimoniorum negatio communia & generalia officia præstandi voluntatem in nobis destrueret, locumque præberet credendi eum, qui proximo debetur, amorem erga inimicum nostrum in nobis non esse: hoc in casu peculiaria amicitiæ signa, quæ recensuimus, et exhibere in conscientia teneremur.

Hoc loco cum D. Thoma animadvertendum est, tametsi non semper inimico ea singularia amicitiæ argumenta persolvere debeamus, nos tamen semper ita animo comparatos esse oportere, ut eadem, quoties opus fuerit, exhibeamus; causa exempli si inimicus in persona aut in bonis grave incommodum pateretur, si de ejus vita servanda ageretur; universim quoties ad eum Deo lucrandum peculiaria subsidia eidem suppeditanda sunt, id nos facere oportet juxta Oraculum illud Proverbiorum cap. 25. *si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, da illi potum.*

III. Denique qui injuriam pertulit, sibi proponit in animo compensationem. His omnibus in hunc modum constitutis, concluditur Principissam N. non posse, quin filium accedentem excipiat. Ejus enim recusatio scandalo esset; norunt enim omnes eam filio subiratam esse, & ab ejus conspectu abstinere. Itaque si obfirmate vel in mortis articulo eum nollet excipere, publicum scandalum orireturur, quia eo quidem tempore etiam qui maxime inter Christianos sunt imbecilles, suum esse putant omnes injurias oblivisci & condonare, ut suam ipsorum salutem in tuto ponant. Matrona hæc gravem causam præberet credendi ejus indignationem in odium abiisse. Sed quamvis eum, qui nos læsit, excipi sit peculiare amicitiæ argumentum, quod ei, multorum Auctorum sententia, exhibere non tenemur: tamen inter proxima consanguinitate conjunctos, patrem, matrem, fratres id tanquam necessarium spectatur. Filii exempli causa reverentiæ, qua suos patentes prosequi debent, nunquam deesse possunt, quæcumque inter eos intercedat inimicitia; quia hæc reverentia, quæ quoad alios esset peculiare amicitiæ argumentum, quoad filios est stricti nominis obligatio.

Objicitur futurum, ut mater hæc exhæredationis actui, quem edidit, renunciare censeatur, si filium susceperit. Valerus *v. remissio injariæ n.* 4. huic sententiæ adhærere videtur. Sane convenit, si ira sit, Principissam ad filium excipiendum non obligari; illa tamen omnino deberet Christianæ erga eum animi præparationis, & causæ, propter quam filium a se repellit, omnes certiores facere. Sententia hæc nititur ea regula vulgo recepta, læsum non teneri renunciare juri, quod habet, famam sibi debitam reparandi.

Id nos ad quæstionem tertiam veluti manu ducit. Quæ ut latius exagitetur, asseri potest non modo fere rationi consonum esse non desistere a jure, quod dicitur *actio injuriarum*, verum etiam quandoque necessarium esse, ut sentiunt Valerus, & Sylvester locis laudatis, ut cum ita facto opus est ad ejus, qui injuriam intulit, spiritale bonum, aut cum de Dei honore agitur, vel de publica utilitate. Hæc pariter capitis Glossæ *si is qui*, ac Toleti, & Navarri sententia est.

Non ita certa est hæc regula quoad Regulares, vel Ordinibus insignitos. Si de Clerico sermo sit, contendit Valerus magis æquitati consonum esse injuriam remittere, quam publicis juris rationibus ulcisci, *propter dignitatem Clericatus*; & in id affert capur *si quis in hoc cod. de Ep. & Cler.* ubi jubentur Judices in eos, qui Clericis injuriam inferunt, animadvertere, nec, dum illi vindictam postulent, expectare: *Nec expectet, ut Episcopus injuriæ propriæ ultionem deposcat, cui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit*. Ad Regulares quod attinet, propugnat Valerus eos debere *in utroque foro* parcere, quia vi proprii status ad perfectionem contendunt. Nullum aliud genus hominum remittere tenetur actionem injuriarum *ex Gloss. c. si quis contristatus v. satisfaciente dist.* 90. Si tamen is, qui læsit, congruam satisfactionem ex animo exhibeat, hoc in casu videtur ex capite Juris supra citato cum eo in gratiam redeundum esse, & qui refragatur, graviter puniendus est: *si quis contristatus noluerit reconciliari fratri suo, satisfacienti eo, qui contristavit, acerrime maceretur jejuniis, usque dum gratanti animo satisfactionem recipiat*. Condonanda etiam esset ac remittenda *actio injuriarum in utroque foro*, si eam non sine odio atque acerbitate intentari posse prævideretur.

Hoc loco duo veniunt animadvertenda.

Primum est, non idem de morti proximo, atque integra valetudine pollente judicium ferri. Glossa in postremum paragraphum institutotum titulo *de injur.* de eo verba faciens, qui, cum in mortis articulo pepercisset, actionem injuriarum repetere deinde vellet, id minus rectum fore pronunciat; neque vero est, cur credatur veniam in morte concessam voluntariam non fuisse, quin potius præsumendum est eo temporis puncto Christianum hominem in animo habuisse rectam & ingenuam pænitentiam agere, & in omne tempus proinde ignovisse: *Alias non potait bene pœnitere: præsumam ergo eam non fuisse immemorem salutis*. Ex quo quidem in morte parcendum esse concludi potest.

Alterum animadversione dignum est, læso timendum esse, ne satisfactionem injuriæ respondentem respuens propriæ indignationi nimis indulgeat, admodum quippe est factu difficile, ut ille in hac facti specie pacato prorsus, & ob omni acerbitate alieno animo sit. Animadvertit id Navarrus ejus occasione, quod contigit ipso vivente. Specta id ad matrem, cujus filius ab homine, cui nomen Antonio, quem ipsa apud Judicem insectabatur, peremptus fuerat. Illa decursu temporis cum eo se composuit, seque a criminali actione cessaturam promisit, si ille abiisset; quod quidem præstitit. Aliquanto post apud matrem vehementer institit, ut sibi redire liceret, omnemque prudentis viri judicio congruam satisfactionem promisit. Mater porro ut assentiretur, nunquam adduci potuit, Quamo-

ubtem Navarrus ait, I. matrem adigi non potuisse, ut a criminali, cujus jure gaudebat, in Antonium actione desisteret, atque adeo eum alloqueretur, aut cum eo versaretur, quia hoc est peculiare amicitiæ signum, cujus petendi nullum in inimico jus est.

II. Nolentibus eos alloqui, qui se læserunt, nisi scandalum adsit, absolutionem a Confessariis negari non posse.

III. Tamen ita concludit: *Admonenda tamen est prædicta mater, difficile sibi esse in futurum, eximere se ab omni odio prædicti Antonii, nolendo annuere petitioni tam honesta post tantam satisfactionem, & tantorum malorum passionem tam submisse & reverenter factam: & quod si experitur tentari se adeo a maligno spiritu ad prædictum odium, & rancorem concipiendum, quod probabiliter credit se victum iri a tentatione, nisi huic petitioni annuat, tenetur ad annuendum; & quod nolentem id facere confessarius non debet absolvere.*

Ex his omnibus sequitur,

I. Principissam, de qua agitur, teneri suum filium admittere, quamvis absque ejus consensu matrimonium inierit. Mortis articulus, & matria titulus eam debent ad id permovere; secus scandalum orietur.

II. Eam tuta conscientia potuisse filium exhæredare, quippe cum per Leges & Constitutiones id ei licuerit.

III. Cum filium exceperit, non tenetur in conscientiæ foro renunciare juri, quod habet, eumdem exhæredandi, quod gradu exciderit, & absque ejus consensu matrimonium inierit. Postquam Sacramenta suscepit, exhæredationis actum confirmare potest, quin inde concludi possit eam adversus ipsum odium, acerbitatemque fovere, quoniam morienti licet in ea animi præparatione esse, quæ suapte natura justa est, & cui Leges patrocinantur, quemadmodum licuit, dum viveret, in eadem persistere, non quidem ullo proximi odio, sed ob verum justitiæ, ac Legum amorem.

Decisum in Sorbona hac die 10. Maii an. 1692.
G. *Fromageau*.

Matrimonium adolescentulæ contra patris & matris voluntatem contractum.

CASUS XIV.

1 *Adolescentula tricesimum ætatis annum nata nubere potest absque patris & matris consensu, postquam id servavit, quod Rex Edicto suo faciendum mandat.*

2. *Est tamen rationi consonum, ut differat, quoad poterit, quo scilicet, an parentum animum expugnare possit, experiatur.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super facti specie, quæ ipsis proponitur, suam scripto sententiam aperiant. Quæritur nempe, an Adolescentula, quæ triginta & amplius numerat ætatis annos, possit necne, invitis patre ac matre, nubere; postquam iis officia, quam honestissime potuit, per loci viros nobiles exhibenda curavit? Cum Adolescentula comperisset eam patri mentem esse, ut neque in matrimonium traderetur, neque in Monasterio, quod ipsa in votis habuisset, pensionariæ quidem titulo relinqueretur, Vir honesto genere, & in Regis Aula officio insignitus ei se maritum exhibuit. Cum eo Adolescentula Contractum inivit; sed Adolescentulæ pater, & mater obfirmate refragantur, & exhæredationem minantur.

Respondet Adolescentula se fidem suam obstrinxisse, patrem a ratione prorsus alienum esse, seque semper hactenus acerbius habitam fuisse: Dictus vir hujus Adolescentulæ gratia jam ingentibus impensis obnoxius fuit; lis ei magno constitit; annus jam est, & amplius, ex quo Adolescentula eum habet ancipitem, infecta re; quod quominus alias sibi pares ducat, impedimento est. Sed ea quidem perstat in proposito; est ille vir insigni pietate, magnaque virtute, adeoque ea prævidet utrique hoc matrimonium maximo bono fore. Assentiuntur, quicumque Viro sanguine conjuncti sunt; sed porro nunquam alii nupturam esse, datamque fidem præstare velle edicit Adolescentula.

Quærit illa, an tuta conscientia possit ei nubere, & contra patris consensum flocci facere innumera in Virum jacta convicia, quod eam sibi conjugem postulaverit? Testatur Adolescentula eas contumelias nullo fundamento niti, optatque ei se tradere, ut injuriam eidem illatam reparet; secus enim ille de fortuna periclitaretur.

RESPONSIO.

Conscientiæ Consilium existimat Adolescentulam, de qua quæstio est, in circumstantiis in expositione enunciatis, aliisque etiam de causis ei Viro nobili, a quo in conjugem petitur, nubere posse, postquam id servavit, quod mandatur Edicto Regis mensis Martii an. 1697. quoad filios majores absque suorum parentum consensu matrimonium contrahentes.

Quamvis porro ea Adolescentula absolute posset illud matrimonium inire, fortasse tamen expedit id per aliquod adhuc tempus differri, ut, an parumper patris ac matris animus mutetur, appareat. Multa enim hac in re ab Adolescentula sunt animo reputanda. I. semper in parentum favorem præsumitur contra filiorum matrimonium absque eorum consensu contractum; ita ut honestas, præsertim puellæ, in grave discrimen adduci videatur, si in vitæ actione, quæ cæterarum gravissima est, & in qua maxime patriis consiliis standum esset, eam tamen constiterit contra se gerere. II. Adolescentula nihil boni affert ad matrimonium, cujus proinde onera difficilius ferri possunt. III. denique reputare debet fieri facile posse, ut matrimonium ita contractum gravia incommoda consequantur, sibique magnopere officiat parentum exacerbatio.

In hoc negotio maxima difficultas non est ea juris quæstio, an scilicet illa Viro nobili, de quo agitur, nubere possit, sed prudentiæ casus is, an nempe ita fieri par sit, an vero satius fuerit matrimonium differri. Sapientes doctique viri, qui ibidem degunt, ac proinde norunt intimius eos, quorum interest, & quæcumque ad hoc matrimonium spectare possunt, circumstantias, quid consilii in hac facti specie ineundum sit Adolescentulæ, possent omnium optime definire; illa potest eosdem consulere, eorumque dicta facere. Rursus porro si id unum agitur, & nihil amplius, quid nimirum ei absolute liceat in casu proposito, initio statim quæstioni satis est factum, cum eam Viro nobili, a quo expetitur, nubere posse pronunciatum est.

Decisum Parisiis hac die 12. Martii an. 1698.
G. *Fromageau*.

Matrimonii promissio inter filiosfamilias minores, insciis parentibus.

CASUS XV.

1 *Filiifamilias minores non possunt, insciis parentibus, mutuam matrimonii promissionem inire.*

2 *Parentum consensus in hac facti specie tum Ecclesiastica, tum Civili Lege præscriptus est.*

3 *Adolescens pro viribus eniti debet, ut promissionem, quam edidit, extorqueat e puellæ manibus, si parentes ejus in matrimonium consentire nolint; puella porro promissionem reddere recusante, adeundus est Judex, qui eam id facere cogat.*

QUÆSITUM.

Titius septem aut octo supra viginti natus annos Semproniæ conjugalem fidem dedit; illa annos nata unum & viginti simili se promissione eidem obstrinxit. Illi quidem tum ante tum post datam fidem ita vixerunt, ut castitatis, atque honesta-

n-ftatis leges fervarent. Id unum peccarunt, quod Sempronia fidem dedit, patre, & matre diſſentientibus, quod eorum animos adeo irritavit, ut pater Titium aggreſſus fuerit, graviterque contuderit, quamvis ille meliore conditione fit ac ditior, quam puella, quam parentes ex eo tempore quodam quaſi carcere incluſam retinent.

Hæc Titius, qui nihil tale ſomniaſſet, adeo ægre tulit, at eum cognationis propoſitæ pœnituerit, quæratque, an cum puellæ liberum non ſit ſibi datam fidem reddere, & ut ipſe aliam ducat, aſſentiri, ſibi liceat necne alteri, quæ ſe ſe offert, conjugalem fidem dare, quin omnino peccet? An vero debeat implere promiſſa, quibus ſe obſtrinxit Semproniæ, minime providens fore, ut ejus parentes tam vehementer reluctarentur, ut ipſe non poſſet alteram ducere, vel expectare deberet, dum ipſe, & Sempronia trieeſimum ætatis annum compleſſent, ut matrimonium inire poſſent, ſervatis iis, quæ Conſtitutione præſcribuntur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores ſubſcripti cenſent ſuper propoſita facti ſpecie eam tanquam catholicæ Eccleſiæ doctrinam principii loco ponendam eſſe non debere filiosſamilias matrimonii fide de ſe mutuo obſtringere ſine patrum conſenſu & venia, vel ante ſtatam ætatem, utroque patre non conſulto. Diſerta ſunt in hanc rem Tertulliani verba *lib. 2. ad Uxorem c. 9. Unde ſufficiam*, inquit ille, *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Eccleſia conciliat, confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renunciant, pater ratum habet; nam nec in terris filii ſine conſenſa patrum rite & jure nubant*. Hae mente Henricus II. patribus & matribus licere vult, ut filios abſque eorum permiſſiune nubentes exhæredent. Ratio, quam affert, ea eſt, quod illi proprios parentes contemnunt, & Dei Legem violant.

Conſtitutionem hanc confirmat Bleſenſis artic. 41. adeoque evaſit non modo Principis Conſtitutio, verum etiam Lex univerſæ nationis, quæ eam edidit, ut Clericali, quod primum Regni corpus eſt, Ordini reſponderet. Eadem Conſtitutio conformis eſt Tridentinæ Synodi Decreto, quod *Seſſ. 24. de reform. matrim.* c. 1. editum idem ſonat.

Hoc poſito, ſubſcripti putant promiſſione facta inſciis Semproniæ parentibus, qui ejus certiores facti ne dum aſſenſum præbuerint, refragati ſunt, & adhuc refragantur, Titium non obligari, quoniam Eccleſiæ Regnique Legi non contraria eſſe non poteſt; ac proinde univerſim promiſſio, de qua patri ac matri non conſtat, nulla eſt, nec fieri vel acceptari ſine peccato potuit, niſi hæc ei conditio adjecta fuerit, ſi ita placuerit, viſumque fuerit patri, qui ſemper, antequam ejuſmodi obligatio ineatur, eſt conſulendus; hoc autem officium non eſt pura putaque cæremonia reverentiæ parentibus debitæ, & Legis menti repugnaret, qui illud negligeret. Cum itaque promiſſa, de quibus agitur, ineunda non ſint, nullam obligationem inducunt juxta Regulam D. Thomæ 2. 2. *q.* 110. *art. 3. ad 5. ſi promiſit id, quod manifeſte eſt illicitum, quia promittendo peccavit, mutando propoſitum bene facit*. Quia tamen juſtitiæ non eſt conſonam quempiam in propria cauſa judicem eſſe, recte Titius ſe geſſerit, ſi pro viribus enitatur, ut ſibi a Sempronia promiſſio reſtituatur. Poteſt apud eam, aut patrem communibus amicis uti, atque adeo Epiſcopi, vel Parochi auctoritatem interponere. Cæterum ſi humanitatis & urbanitatis officia ſatis virium non habuerint, & puellæ parentes obfirmato animo eum ſibi generum eſſe noluerint, Judicem adire poterit, ut promiſſione, qua ſe puellæ obſtrinxit, liberetur.

Deciſum Pariſiis die 16. Maii an. 1674.

A. de Lamet.

Hæreticorum Matrimonium.

CASUS XVI.

1 *Eccleſia ſemper rata habuit hæreticorum matrimonia, & nunquam ſtatuit, ut qui ad catholicam fidem veniſſent, eorum celebrationem iterarent.*

Lamet Tom. II.

2 *Acquieſcendum eſt Eccleſiæ conſilio, & nihil ulterius in hoc negotio quærendum eſt.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an hæreticorum matrimonium iis in locis, in quibus Tridentina Synodus indicta & recepta eſt, ſit veri nominis Sacramentum? An vero Sacramentum non ſit, propterea quod coram proprio Parocho, ut poſtulat Synodus, celebratum non fuerit? Quæritur, quomodo Sacramentum evadat apud hæreticus, qui ad Eccleſiam veniunt, quoniam non iteratur, neque illi jubentur proprio Parocho ſe ſiſtere, & rurſus coram teſtibus neceſſariis conjugalem fidem ſibi mutuo promittere? Quæritur, an hæretici conjugati fidem catholicam amplectentes poſſint communi conſenſu matrimonium diſſolvere, ac deinde novum inire?

RESPONSIO.

Non una eſt Theologorum ſententia ſuper hæreticorum matrimonio iis in locis contracto, ubi indicta & recepta eſt Synodus Tridentina. Ajunt alii illud eſſe veri nominis Sacramentum; alii vero negant; & utramvis amplecti ſententiam cuique liberum eſt. Conſilium ſubſcriptum cenſet diſciplinæ, bonorumque morum parum referre, pro earum opinionum altera ita pugnare, ut altera rejiciatur. Illud certum eſt, Eccleſiam nunquam ſtatuiſſe, ut hæretici ad fidem venientes matrimonii celebrationem iterarent, filiuſque in hæreſi natos, perinde ac qui poſt converſionem ſuſcepti ſunt, legitimos habitos fuiſſe. Nec minus certum eſt Eccleſiam nunquam iis permiſiſſe, ut matrimonium, quod quidem juxta locorum leges contractum eſſet, diſſolverent, vel aliud inirent, quamdiu conjux uterque in vivis exiſteret. Id unum poteſt ad quæſtiones propoſitas reſponderi, nec ulterius progredi licet.

A. de Lamet.

Matrimonium in Anglia contractum in vetito conſanguinitatis gradu.

CASUS XVII.

1 *Matrimonium juxta Anglicanas Leges inter Proteſtantes initam in eo conſanguinitatis gradu, in quo pro Catholicæ Eccleſiæ Lege diſpenſatione opus eſſet, non ratum non eſt.*

2 *Qui hoc modo matrimonii vinculo ſeſe obſtrinxit, non poteſt, uxore vivente, alteram vel Catholicam ducere, eo prætexta, quod audierit prius matrimonium nullum fuiſſe.*

3 *Hæc altera conjux, debet ſe ab eo, qui ita nupſit, ſejungere, & quicquid licentius contigit, confiteri, quia coram Deo veri nominis uxor non eſt.*

QUÆSITUM.

Titius ex Anglorum Proteſtantium grege ducit Bertham pariter Proteſtantem, ſibique eo conſanguinitatis gradu conjunctam, quem vetat Eccleſia, ſed Angliæ Leges, & conſuetudo confirmant. Per annos plures cum ea verſatus filios ſuſcepit; aliam deinde duxit 14. annos natam coram Sacerdote Catholico, & teſtibus, propterea quod is Sacerdos teſtatus eſt hoc matrimonium validum fore, & credidit Titium cum Bertha ſine diſpenſatione contrahere minime potuiſſe. Poſterius hoc matrimonium peractum eſt, puellæ matre, quæ ei una ſupereſt, inſcia. Titius porro, ne Regni Leges violet, cum priore Conjuge ſemper degit; non tamen concumbit, & clanculum adit poſteriorem, ex qua filium habet. Hac in re quæritur

I. An Titii cum priore Conjuge matrimonium valeat, & poſterius cum puella contractum nullum ſit, ut ea proinde alteri nubere poſſit?

II. Facta hypotheſi poſterius matrimonium validum eſſe, uxor utpote Catholica poſſetne, viro conſentiente, Religionem amplecti, eique filium relinquere?

III. An prius matrimnnium infirmet posterius? Secunda Conjux, quæ Titio nupsit bona fide, usa maritali licentia peccavitne? Teneturne de eadem licentia confiteri?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti super proposita facti specie in ea sunt sententia, ut cum Titius ex Angliæ Protestantibus Bertham Protestantem duxerit juxta Angliæ Leges, quæ matrimonium in eo gradu, in quo erant Titius, & Bertha, contractum sustinent, quamvis Ecclesiæ Lex obstet, legitimum ac validum fuerit, cujusmodi est Hæreticorum in Gallia in gradu prohibito, accedente Principis dispensatione; cum non minorem vim habeat in Anglia Lex, quam dispensatio Legis in Gallia. Cum porro valeat prius illud matrimonium, posterius valere non potest, & quod inde consequitur, Titius, & posterior conjux in conscientiæ foro tenentur sese sejungere, quippe quod vero matrimonio consociati non sint, eorumque commercium coram Deo adulterium foret. Quamobrem posterior conjux libera est, & pro arbitratu vel alteri nubere, vel Religionem amplecti potest.

II. Ea puella peccavit nubens haud petito matris consensu, & ipsius fortasse silentium omnium malorum causa fuit. Subest enim causæ credendi futurum fuisse, ut mater, an matrimonium valeret, inquirens detegeret id esse non posse propter conjugium, quod cum Bertha Titius inierat. Stat itaque puellam, cum de Titii persona non, prout debebat, cognoverit, liberam esse, & cum matris consensum exposcere neglexerit, peccavisse, dum cum eo tanquam cum viro versata est. Certum tamen est, ea, quæ liberius ultro citroque gesta sunt, ex bona matrimonii fide, non omnem adulterii turpitudinem subolere, si puella maritali licentia ob eam tantum causam usa est, quod Sacerdos, cujus mentio facta est in expositione, prius matrimonium nullum fuisse testatus est; Pœnitentiæ tamen Sacramento se ipsa subdat necesse est.

Decisum Parisiis die 14. Nov. an. 1678.
A. de Lamet.

Recens Conversorum, & Hæreticorum Matrimonium.

CASUS XVIII.

1 *Parochus recusare non debet recens Conversos, qui externa Catholicæ Religionis officia præstant, in matrimonium conjungere.*

2 *Si se Catholicos non profitentur, nec ulla satis apta præbent Catholicitatis argumenta, non debet eosdem copulare.*

3 *Nec vero potiore jure debet Catholicum cum Hæretica consociare.*

QUÆSITUM.

Quæritur, quid sentiendum de recens Conversis, qui matrimonium inire volunt, quorum alii, cum accedunt, Catholicæ fidei speciem præseferunt, alii vero nec Catholici sunt, nec porro videri volunt? Ratio, propter quam ii quidem, qui se Catholicos non profitentur, a matrimonio arcendi creduntur, ea est, quod expressis verbis id prohibent Concilia, & nominatim Chalcedonense Canone XIII. Agathense canone LXVII. & Laodicænum Canone XXXI.

En verba: (a) *Sed neque Hæretico, vel Pagano, vel Judæo matrimonio conjungere, nisi utique persona, quæ orthodoxæ conjungitur, se ad orthodoxam fidem convertendam spondeat. Si quis autem hoc Sanctæ Synodi decretum transgressus fuerit, canonicis pœnis subjiciatur.* Verba sunt Concilii Chalcedonensis. Idem tradit Agathense: (b) *Non oportet cum omni Hæretico matrimonium contrahere, vel dare filios, aut filias; sed potius accipere, si tamen profiteantur se Christianos futuros esse, & Catholicos.* Concinit Laodicænum: (c) *Quod non oporteat cum hæreticis universis nuptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare, vel filias, sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri promittunt.*

Eos porro, qui se Catholicos fore promittunt, fucum facere, eorumque promissa vix ullius ponderis habenda esse quotidiana experientia compertum est. Fere constat Catholicos cum recens Conversis matrimonio copulatos perverti potius, quam uxorem convertere; susceptamque prolem in hæresi educari, ubi Hæretici prævalent.

Quod vero spectat ad eorum matrimonia, qui ex recens Conversorum numero sunt, ex millibus vix unum reperias, qui in Catholica fide persistat.

Ratio, propter quam eorum matrimonia celebrari possint, qui quidem se Catholicos fore promittunt, ducitur ex laudatis Conciliis, quæ id ea conditione permittunt. Videtur hæc eadem ratio locum habere quoad eos quoque, qui se futuros Catholicos promittere nolunt, seu contrahens uterque sit hæreticus, seu tantum alteruter; quia ex eorumdem Conciliorum definitione concludi potest, iis matrimonium administrari malum non esse, quoniam asserunt Concilia Hæreticum, qui se catholicam fidem amplexurum promiserit, in matrimonium conjungi posse, nec postulant, ut re ipsa ejusmodi sit, sed acquiescunt promissioni: *si profiteantur se futuros esse Catholicos.*

Non defuere Principes, qui uxores aliam Religionem profitentes duxerint; id quod Ecclesia passa non esset, si res in se ipsa mala fuisset. Huic sententiæ repugnare non videtur D. Augustinus (d) in Libro de *Fide & operibus*, dum D. Cypriani *De Lapsis* Epistolam affert, cujus hæc verba sunt: *Cum etiam illud non taceat, & ad eosdem mores malos pertinere confirmet, jungere cum Infidelibus vincula matrimonii nihil aliud esse asserens, quam prostituere Gentibus membra Christi.* Addit autem e vestigio D. Augustinus: *Quæ nostris temporibus non putantur esse peccata, quoniam revera in novo Testamento nihil inde præceptum est, & idea aut licere creditum est, aut velut dubium derelictum est.*

Præterea si iis matrimonium denegetur, gravissima oriuntur incommoda; innumeræ momentis singulis occurrunt inordinationes, & abominationes, quæ scandalo sunt, cum apud eos ita in consuetudinem vitium abierit, ut ex ephebis vix egressi perinde convivant, ac si matrimonii fœdere conjuncti essent.

Nec minus negotii facessunt, qui se Catholicos fore promittunt, quia constat experientia, maxime licet promittant, & specie tenus egregia Catholicitatis argumenta præbeant, id eo tantum referri, ut votorum suorum damnentur, nec eos stetisse promissis; quod ex ea, quam post matrimonium ad hoc usque tempus tenuere, vitæ ratione facile licet intelligi.

Parochus, qui has difficultates proponit, eam Parochiam administrat, in qua sunt ejusmodi Neophytorum propemodum decem millia; ab Episcopo, quem consuluerat, missus est ad Sorbonæ Doctores, quos rogat humillime, ut moneant, quomodo ad propriæ conscientiæ tranquillitatem ipse se gerere, & quam regulam, quoad eos, qui se in catholica fide perstituros promiserint, sequi debeat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, quicquid hactenus propositum est, ad quæstiones tres commode redigi posse.

I. An Neophyti in matrimonium conjungi possint, qui exteriora fidei Catholicæ signa dant, aut se Catholicam fidem servaturos promittunt, dum revera certum est eos veteribus erroribus addictos persistere? Et rursus an iis matrimonium conferri possit, quorum alter Catholicus, alter e recens Conversorum numero est, dum fere fit, ut pars hæretica pervertat Catholicam, & filii ex hujusmodi matrimoniis suscepti instruantur, & alantur in hæresi, quod in iis potissimum locis usuvenit, in quibus hæretici prævalent & numero, & gratia?

II.

(a) Concil. Chalcedon. Can. 13.
(b) Concil. Agathense can. 67.
(c) Concil. Laodic. can. 31.
(d) S. August. lib. de Fide & operibus cap. 9.

II. An Parochus recens Conversis, qui nec Catholici sunt, nec se ejusmodi profitentur, matrimonium administrare debeat?

III. An Catholicus Hæreticæ in matrimonium dari possit; & quid agendum in hoc negotio, quippe cum non desint exempla, & Conciliorum, ac Patrum testimonia, quibus ejusmodi matrimonia firmentur?

Hoc posito, respondetur,

Ad quæstionem primam. Parochus a recens Conversis, qui quidem externis Catholicorum officiis fungantur, matrimonii vinculo consociandis abstinere non debet, quamvis moraliter certus sit ejusmodi genus hominum intus, & in cute in hæresi persistere. Parochus enim in hoc negotio publicus minister est, cui quidem satis est accedentes exteriore Ecclesiæ communione gaudere. Illud nimirum interest externum inter & internum forum, quod in posteriore arceri possunt ac debent, qui jure Sacramentis indigni censentur, aliter Judex sacrilegii, quod illi committerent, particeps fieret; at non eadem ratio est externi fori, in quo pro publica & exteriore scientia & cognitione judicatur, & agitur; atque ita in hac facti specie Parochus ad matrimonium iis administrandum adigi posset, de quorum hæresi nullæ exteriores sufficientes probationes ei præsto essent. Potest quidem Parochus Neophytorum matrimonium per aliquod tempus differre, si speret fore, ut satis graves probationes inveniat, quibus exterius evincat eos hæresi, quam profitentur, addictos esse, vel etiam ut eos instruat, siquidem credere potest eam instructionem utilem fore; verum elapso eo tempore, non potest Parochus matrimonium iis petentibus denegare; quod ille tunc præstare potest, quin mali, quod ii Sacramentum indigne suscipientes perpetrant, se complicem reddat.

Idem sentiendum, cum Catholicus recens Conversam ducere vult, tametsi Parochus merito timeat, atque adeo prævideat fore, ut Catholicus a recens conversa pervertatur, & filii alantur in hæresi. Si enim quo tempore in matrimonium conjungi postulant, ambo Catholicæ fidei exteriora officia obeunt, non potest ob rationes supra allatas iis matrimonium negari. Parochi tantum prudentiæ & charitatis est nihil non agere, ut occurrat incommodis, quibus ob hoc matrimonium tum pars Catholica, tum futura proles obnoxia est.

Ad secundam. Parocho non licet omnino matrimonii fœdere devincire recens Conversos, qui nec se Catholicos dicunt, nec vero sunt; ni sufficientia Catholicitatis argumenta præbeant; causa exempli si nunquam ad Ecclesiam veniant, si Pascha non celebrent, si quos abjurarunt, errores exterius propugnent. Hoc enim in casu tanquam hæretici spectandi sunt, & tales exterius censeri debent; ut proinde Parochus adigi nequeat ad eos recens Conversos conjungendos, qui nomine tantum conversi sunt, & ne exterius quidem sunt Catholici. Hujus rei ratio sumi potest ex responsione ad quæstionem sequentem.

Ad tertiam. Catholicus cum Hæretica conjugii fœdere consociari nec debet, nec potest. Jus naturale, nempe periculum proximum destructionis fidei in Catholico, Jus divinum pluribus in locis, & præsertim apud D. Paulum: (a) *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, Jus Ecclesiasticum in Conciliis, ut in Chalcedonensi *Can.* 13. & in Patribus ejusmodi matrimonia Catholicorum cum Hæreticis proscribunt. Quamobrem celebrari non possunt; & a nemine dispensatio concedi potest, quo celebrentur: *Nec in talibus nuptiis*, inquit Gamachius, *potest S. Pontifex dispensare*. (b)

Sane si Sacerdos hujus Sacramenti minister est, liquido constat eum licite illud Hæretico administrare non posse, propterea quod publicis peccatoribus, & notorie indignis Sacramenta citra culpam administrare non potest. Sin ejus minister Sacerdos non est, ipsius tamen præsentia opus est, ut matrimonium, prout Sacramentum, validum sit. Uno verbo sive Sacerdos Sacramenti matrimonii minister sit, vel testis primarius; sive contrahentes ipsi sibi Sacramentum hoc administrent, Parochus, qui adsistit matrimonio, nuptialem benedictionem tribuere debet; & ea verba, quæ a Tridentina Synodo præscripta sunt, pronunciare: *ego vos in matrimonio conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quod non præstare non potest; nec vero præstare posset, quin sacrilegii, quod in hac facti specie contrahentes committunt, se complicem redderet. Objiciuntur nonnulli textus ex Conciliis, & D. Augustino deprompti ad ostendendum valere Catholici cum Hæretica matrimonium, & e converso.

Respondetur I. quod attinet ad Concilia, hæc quidem matrimonia ab iis permitti, dummodo tamen hæreticus se Catholicam Religionem suscepturum promittat; illud enim Concilia ponunt tanquam certum matrimonia hæc absque hæreseos abjuratione non perfici. Ita Zonaras & Balsamon interpretantur Concilii Chalcedonensis Canonem 13. de quo in expositione dictum est, atque ita quoque aliorum Conciliorum testimonia explicari possunt. Præterea asseri potest Hæreticum, statim ac se Catholicum fore promisit, animi præparatione Catholicum esse incipere; est veluti catechumenus, & qui eam fidem, quam in animo habet, profiteri paratus est; quod satis est, ut Ecclesia permittere possit ei Catholicam nubere.

Respondetur secundo loco ad S. Augustini testimonium, ibi S. Patrem de matrimonio Infidelis cum Hæretico verba facere, ut apparet ex S. Cypriani textu, quem affert; quod quidem matrimonium saltem quoad Infidelem Sacramentum non est; sed quoad Hæreticum, de quo quæritur in præsentia, quique Catholicam ducit, id nullam patitur difficultatem in ea facti specie, quæ proponitur, quandoquidem inter Christianos peragitur. Addi potest D. Augustinum loco laudato dubitanter, & non affirmate loqui, concludit nempe hæc matrimonia celebranda non esse, quia in dubio id tenendum, quod tutius est; ea porro matrimonia non sine periculo celebrari posse. Ita animadvertit Estius. Non igitur ex hoc testimonio concludi potest Catholici cum Hæretica matrimonium validum esse.

Eadem ratio est exemplorum, quæ in horum conjugiorum confirmationem prætenduntur. Præterquamquod enim eorum pleraque non omnino explorata sunt; id unum ex iis conficitur, & nihil amplius, in aliquibus inusitatis casibus, & peculiaribus appositis conditionibus a Summis Pontificibus ea matrimonia permitti posse; quod tamen negant nonnulli Theologi, ut ex Gamachio dictum est. Utut res habeat, ex hujusmodi dispensationibus, quæ raræ sunt, & extra ordinem conceduntur, jure communis consuetudo statui non potest, qua Catholicorum cum Hæreticis matrimonia firmentur.

Decisum Parisiis hac die 3. Decemb. an. 1684.

G. *Fromageau*.

Matrimonia Catholicarum mulierum cum Infidelibus.

C A S U S XIX.

1 *Valet matrimonium inter Infideles, prout naturalis Contractus est, dummodo cum naturalis, aut divini Juris impedimento dirimente contractum non fuerit.*

2 *Potest mulier fidelis ad secundas nuptias transire, quamvis cum dispensatione Infideli nupserit.*

3 *Barbari, qui Christiani sunt, absque Parochi præsentia matrimonium inire possunt, si Tridentina Synodus in eorum regionibus nec indicta fuerit, nec recepta.*

4 *Missionarii debent de insolubili matrimonii vinculo Infideles monere, antequam iis Baptismi Sacramentum administrent.*

5 *Mulier fidelis potest infideli nubere, modo ille se ad Catholicam fidem venturum promittat, & promissa exequatur.*

6 *Fidelis fœmina cum infideli matrimonium nullum est, ob cultus disparitatem, quod est dirimens impedimentum.*

(a) 2. Cor. c. 6. v. 17.

(b) Gamach. cap. 28. paragr. Quæres de matrimonio

7 *Cum Infideles ad fidem veniunt, nulla dispensatione opus habeat ad matrimonium suum confirmandam, quamvis cum impedimentis dirimentibus Canonico Jure nixis contractum fuerit.*
8 *Declarantur ejusmodi fœminarum obligationes, cum ventrem gerunt, aut lac præbeat.*
9 *Item regulæ quoad Communionem servandæ.*
10 *Regulæ super jejunio Infidelibus præcipiendo.*
11 *Eorum filii baptizari possunt, si timendi causa subsit, ne sine baptismate moriantur.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super nonnullis quæstionibus, ad eam rationem spectantibus, quam Missionarii cum Infidelibus, quibus fidem annunciant, tum quoad matrimonium, tum quoad aliorum Sacramentorum administrationem inire debent, dicant, quid sentiant.

I. An fœminæ fideles, quarum in iis regionibus infidelibus & barbaris longe major, quam virorum numerus est, possint cum dispensatione Infidelibus nubere? Quemadmodum ex Ecclesiasticæ historiæ monumentis a Santa Cecilia, Sanctaqua Monica factum accepimus, & olim in nostra Gallia Catholicorum & Calvinistarum promiscua conjugia in usu erant; præsertim cum apud eos Infideles non adeo grave amittendæ fidei periculum sit. Præterea hæc dispensatio potestne generalis esse, & a quo perenda?

II. Quia inter eos Barbaros altum de matrimonii insolubilitate silentium servatur, in quæstionem venit, an mulier fidelis, postquam baptisma susceperit, possit Infideli nubere cum dispensatione solum per contractum civilem, quo ligetur, quin ulla Sacramenti solemnitas intercedat? Prærerea si decursu temporis vir Infidelis uxorem Fidelem deserat, potestne & ipsa virum Infidelem deserere, & ad aliud conjugium transire, an vero post viri separationem tenetur a novo matrimonio abstinere?

III. An inter hos Barbaros, qui Christiani quidem sunt, sed Religionis Regulas prorsus ignorant, possitne vir fidelis cum muliere pariter fideli libere matrimonium inire, convivere, filios procreare absque cæremoniis a Tridentino Concilio præscriptis, absqua nuptiali benedictione, absque Sacerdotis præsentia, aubentes civili contractu, mutuum consensum præbentes, idque ad tempus tantum, quoad periculum fecerint, atque exploraverint, an firma deinceps animorum ac voluntarum consensione convivere possint, ad unionem deinde solemni benedictione firmandam, perpetuamque reddendam, facta hypothesi inter eos convenire; quia post hæc omnia inter eos inita consilia firmum ac stabile ipsorum matrimonium est, statim ac confirmatum est? Ni id liceat, inter hos Barbaros nullum omnino matrimonium initi poterit, quia illi nunquam recedent a consuctudine, cui hactenus institerunt, vel innumera divortia contingent.

IV. Sacerdotes Missionarii eos Barbaros erudientes, qui Religionis mysteriis firmissima adhærent, possuntne id, quod ad matrimonii insolubilitatem spectat, silentio præterire, iis verba facienres de Fidei articulis, ac Religionis Legibus, idqua per aliquot annos rantum, donec doctrinæ huic suscipiendæ aptiores fuerint; an vero id initio statim ipsis inculcare teneantur, ac si nolint acquiescere, debeantne alia Sacramenta iisdem Infidelibus denegare?

V. Mulier Infidelis ad fidam conversa, & baptizata nubere vult, eoque remedio opus habet, quia secundum continentiæ Leges vivere omnino non potest; alium, cui nubat, non invenit, quam Infidelem: quæritur, an illi in matrimonium sint conjungendi, & Infidelis ad baptismum antea suscipiendum sit obligandus, tametsi non immerito timeri possit, ne ille a fide deficiat, & conjugem deserat?

VI. An mulier Fidelis Infideli nupta debeat toto vitæ tempore cum viro degere, nec possit eum derelinquere? Quænam cum ejusmodi hominibus ineunda ratio? Cum accedunt ad Missionarios, unane vivere permittendi, an vero sejungandi sint?

VII. An his Infidelibus concedenda generalis dispensatio super omnibus impedimentis dirimentibus, quæcumque tandem in iis extiterint, & in quibus singillatim cum ipsis dispensandum non est?

VIII. An generatim iis concedenda sit publicationum dispensatio?

IX. Quomodo se gerere debeat Missionatius cum iis fœminis, quæ viris suis debitum reddere nolunt, vel quia ventrem gerunt, vel quia filiis suis lac præbent; ob eam causam quod si forre conciperent, non possent filios alere, nec aliis alendos tradere; adeoque mortis periculo subessent pueri, corruptum lac sugentes.

X. An hæ barbaræ gentea Communionis præceptis, ejusque suscipiendæ obligatione instruendæ sint?

XI. An cum iis dispensandum sit universim in jejunii quadragesimalis, aliorumque jejuniorum observantia, necnon in carnis abstinentia feria sexta & Sabbato?

XII. An baptizandi sint eorum, qui Cochini sunt, aliorumque barbarorum filii, qui vel baptizati prope nullum Religionis actum exerunt, semper vivunt in Sylvis addicti veteribus superstitionibus, & sibi similes filios habenres? Quo loco non omittendum eorum puerorum plerosque frigore, fame, cæterisque, quas in iis Sylvis patiuntur, ærumnis ante pubertatis ætatem extingui. Rogantur Doctores, ut ad hos singulos Casus respondeant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, antequam propositis articulis occurratur, censet monendum esse, plerasque difficultates supplici libello contentas bene multis Pontificum Bullis, & Congregationis *de propaganda fide* Decretis esse definitas, adeoque earum solutionem inde petendam esse; ac si quæ nondum solutæ sint, earum decisionem a Summo Pontifice esse expectandam, quæ sane majoris ponderis erit, majoremque præseferet auctoritatem, quam quælibet Theologorum Responsa. Quia porro eorum sententia potest esse non inutilis, atque adeo decisioni super propositis dubiis a Romana Curia facilius obtinendæ inservire posset: ideo Doctores edisserunt, quid de propositis articulis singillatim sentiant.

I. Ut difficultas in meliore lumine collocetur, atque ita solidior solutio tradatur, primo loco initio statim venit animadvertendum, (a) Infidelium matrimonium validum esse, quatenus naturalis contractus est, ejusdem nempe naturæ atque alii contractus sunt. Præterea valere illud quidem, dummodo tamen cum iis impedimentis contractum non fuerit, quæ naturali aut divino jure nituntur; impedimenta enim Canonicis Legibus nixa non afficiunt Infideles, quippe qui Ecclesiasticis Legibus non subduntur. III. prioribus Ecclesiæ Sæculis ad fidem venienti licuisse cum Infideli matrimonium contrahere. quod his temporibus nefas est, etiamsi sperari posset Infidelis conversio, quia periculum semper adesse præsumitur, ex quo sequitur fœminam fidelem non posse hoc tempore Infideli nubere. IV. Fidelis cum Infideli matrimonium nullum esse vi consuetudinis inter Christianos institutæ, quæ Legis vim obtinet, inquit Bellarminus. Cultus disparitas pedetentim per solam consuetudinem inducta matrimonium nullum efficit. Obtinet consuetudo hæc 450. ab hinc annis; & ex eo tempore ea matrimonia tanquam nulla & invalida semper ab Ecclesia spectata sunt. Ita docet Vericelli. V. Potest Pontifex justa de causa dispensare, atque Infideli eam veniam concedere, ut Fidelem uxorem ducat, modo tamen in fœmina nullum apostasiæ periculum sit, ut apud Bellarminum (b) & Vericelli videri potest. Et sane extat Pauli V. Bulla, quæ incipit: *Ut animarum salus*, data die 21. Ju-

(a) Pyrring. Tom. 4. tit. 7. n. 16. & tit. 19. n. 37. Id. c. Quanto de divortiis. Barbosa in 4. Decret. de Divort. Quanto n. 5. Barbosa 16. n. 42. Vericelli Tit. 12. de matrim. q. 175. n. 5. da Apost. Mission.

(b) Bellarm. l. 1. c. 23. de matrim. Vericelli de Apost. Missionar. Tit. 12. de marrim. q. 175. n. 8.

Junii an. 1616. & Japoniæ Episcopo, ac Superioribus Societatis Jesu Missionariis in Sinarum Imperio concessa dispensandi super impedimento disparitatis Cultus ad decennium.

Utut de hoc disparitatis Cultus impedimento, an nempe aliqua positiva Lege, an vero consuetudine inductum fuerit, ac de tempore, quo ea Lex aut consuetudo obtinuerint, sentiendum sit: illud communi sententia constans firmumque est, cultus disparitatem nunc temporis impedimentum dirimens esse. Itaque dispensatione opus est, ut Fideli mulieri liceat Infideli nubere, facta hypothesi timendum omnino non esse, ne illa a fide deficiat; atque hæc permissio, seu potius dispensatio petenda est a Summo Pontifice, qui nec generatim, nec promiscue pro omnibus id genus matrimoniis eam concedere potest, ita ut cuivis fideli, & Christiana fide imbutæ mulieri permissum sit Infideli non baptizato nubere; fieri enim posset, ut ob eam veniam Christiana mulier aliquod amittendæ fidei periculum subiret, & ad peccatum induceretur.

II. Fidelis fœmina in casu proposito potest ad secundas nuptias transire, quamvis primo cum dispensatione Infideli nupserit. Etenim tanquam certum ponendum est, I. matrimonium Fidelis cum Infideli, quamvis consummatum, esse minus insolubile, quam Christianorum matrimonium, quod nondum consummatum est, quodque dissolvi potest, ut docent Theologi bene multi, & inter alios D. Thomas, (a) qui Infidelium matrimonium minus quam Christifidelium stabile ac solidum esse pronunciat. II. Matrimonium inter Fidelem & Infidelem cum dispensatione contractum non habere Sacramenti rationem, ac proinde minus firmum esse. III. Cum muliere Fideli posse valide dispensari, ut nubat Infideli, quia nunc temporis Cultus disparitas impedimentum dirimens est, quod per dispensationem tollitur, licet impedimentum non fuerit primis Ecclesiæ sæculis, quibus Fidelis cum Infideli matrimonium validum, atque adeo licitum erat, ut complurium Sanctarum mulierum, quæ nupsere Infidelibus, exemplo posset ostendi. Videndus hac de re Cornelius *a Lapide*, & Vericelli loco laudato (b).

Hinc inferri potest idem judicii ferendum esse de Fideli muliere, quæ Infideli nubendi dispensationem obtinet, ac de iis, quæ absque dispensatione ejusmodi matrimonium prioribus Sæculis contrahebant. Et quia tunc quidem viro Infideli Fidelem conjugem deserente, poterat conjux alteri nubere, prout docet Apostolus: (c) *Si qua mulier virum habet infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; quod si infidelis discedit, discedat*; proinde sequitur Fidelem mulierem, de qua agitur, quamvis dispensationem obtinuerit, ut Infideli nuberet, posse, siquidem a viro deseratur, ad aliud matrimonium transire; quia supponitur hunc hominem (d) non alia de causa divortium facere, quam quod conjugis Religionem oderit, & cum ea amplius versari nolit.

III. Infideles hi, quamvis Christiani sine proprii Parochi præsentia nubere possunt, si Tridentina Synodus nondum in eorum regionibus indicta fuerit, quia hæc primum Synodus eam Legem instituit. Ex quo sequitur horum Barbarorum baptizatorum matrimonium absque Parochi præsentia contractum nullum fore, si Synodus ibidem indicta & recepta esset. Deinde sive Concilium indictum fuerit, sive non, matrimonium, in quo mutuus consensus intervenit, est insolubile; ut proinde iis Christianis ad secundas nuptias transire non liceat, præsertim si filios susceperint, quamvis deinceps satis longa assuetudine cognoverint nullam inter se morum atque animorum similitudinem intercedere, nec se una morari, & tranquille vivere posse. Horum Barbarorum Leges, de quibus in expositione dictum est, Ecclesia non recipit; aliis ipsa legibus utitur, quibus baptizatus quisque parere debet; hæ porro Leges sunt, ut matrimonium nullum sit, cum ea conditione contractum est, ut conjugati mutuo recedere, & nova conjugia inire possint, si forte propter indolis diversitatem nec una vivere, nec in idem consentire potuerint.

IV. Ejusmodi articulum hi Barbari docendi sunt, ante baptismum, ac monendi matrimonium, præsertim si filii suscepti fuerint, esse insolubile; ac si prævideatur fore, ut qui aliquando matrimonium iniere, post conversionem a conjugibus suis recedant, ad baptismum admittendi non sunt, quia Ecclesia inter suos articulos fidei eum quoque pro certo habet, matrimonium consummatum esse vinculum insolubile, & quamdiu conjux uterque vivit, neutrum posse aliud matrimonium inire.

Hanc insolubilis matrimonii doctrinam iis barbaris populis Missionarii tradere debent, antequam eos baptizent, si qua subsit timendi causa, ut illi post baptisma quamvis instructi ei Legi obsequantur; ac si renuant ei se subdere, ejusque custodiam promittere, a baptismate arcendi sunt; si vero baptizati sunt, iis alia Sacramenta concedenda non sunt, atque adeo postquam moniti fuerint, a Fidelium Communione sejungi possunt.

V. In proposita facti specie mulier Fidelis Infideli nubere potest, si ille antea Christianam fidem susceperit, quamvis fortasse timeri possit, ne & fidem & conjugem deserat; hic enim timor, quicumque sit, non est obex matrimonii, modo cæteroquin probabiliter sperari possit fore, ut vir in fide persistat, & gravior causa subsit spei, quam timoris; & si gravis adsit præsumptio virum a fide defecturum, satius est fœminam Infideli conjugem tradi, petita dispensatione, dummodo vel apostasiæ in fœmina, vel inductionis ad peccatum cæteroqui periculum nullum sit; secus hæc fœmina expectare debet, dum alius sponsus accedat, & interea temporis ad Deum confugere, iisque remediis uti, quæ prudens Confessarius ipsi præscribet, ne in ullum peccatum labatur, & ut continenter vivat.

VI. Nullum est fidelis mulieris cum Infideli matrimonium, quia cum impedimento dirimente disparitatis Cultus contractum est. Quamobrem Missionarii in horum Barbarorum regiones, inspirandæ fidei causa, profecti poterunt iis in hoc impedimento dispensationem concedere, si mulier negandæ fidei periculo obnoxia non sit, & omnino Infideli nubere velit.

VII. Cum Infideles ad fidem veniunt, nulla indigent dispensatione ad matrimonii jam contracti validitatem, quamvis cum impedimentis Canonico jure nixis initum fuerit, quia matrimonii Canonica prohibitio non extenditur ad Infideles, qui sunt extra Ecclesiam juxta illud Apostoli Pauli: (e) *Quid enim ad nos de his, quæ foris sunt, judicare?* At si Infideles hi sint in gradu divina Lege prohibito, ad Christianam Religionem conversi debent se invicem separare, quia ejusmodi matrimonium ex jure nullum est, siquidem Infideles Divinæ Legi subjecti sunt.

Quia ergo Infidelium matrimonium est veri nominis matrimonium, prout ob prolis generationem & educationem naturæ debitum est; consequens fit legitimum esse, si in gradibus divina Lege prohibitis contractum non fuerit; ut proinde si illi ad fidem venientes propriis uxoribus uti velint, quin tamen Creatori injuriam inferant, nec inductionis ad peccatum periculum adsit, separandi non sint, quique ante conversionem nupserant, legitime in conjugio postea persistant, quia ut ait Innocentius III. (f) *Per Sacramentum Baptismi non solvuntur conjugia, sed crimina dimittuntur*. Eam vero Pyrrhingus (g) rationem affert, quod *matrimonium jure naturæ consistit inter Infideles, & per conversionem ad fidem, sive per professionem fidei non tollitur jus naturæ*. Recenset hic Auctor eos, inter quos matrimonium, etiamsi de Infidelibus sermo sit, divino & naturali jure vetitum est; exempli causa qui in lineæ rectæ primo gradu sunt, ut patres & matres ex una parte, & filii ex alia; qui pariter sunt in primo gradu consanguinitatis in linea collaterali, ut fra-

(a) S. Thomas in 4. dist. 39. art. 5. ad 1.
(b) Cornelius a lapide in 1. ad Corinth. cap. 7.
(c) 1. Cor. cap. 7. v. 13. & 15.
(d) Innoc. III. cap. Quanto de Divort.

(e) 1. Ad Corinth. cap. 5.
(f) Innocent. III. cap. Gaudemus de divort.
(g) Pyrrhing. l. 4. Tit. 19. n. 39. de divort.

tres & sorores se habent; ita ut Infidelas iis gradibus conjuncti post conversionem sint sejungendi.

Quod attinet ad dispensationes, quæ Infidelibus ad fidem venientibus concedi possunt, nempe quandonam cum iis sit dispensandum, quibusque consiliis utendum sit, videri potest (*a*) Breve Clementis IX. an. 1669. concessum Heliopolitano Episcopo pro Sinarum Missionibus, & Bulla Pii V. an. 1571. unde apparet, quomodo Missionarii quoad Sinenses ad fidem venientes se gerere debeant.

VIII. Quoniam Ecclesiæ Lex est, ut ante matrimonii celebrationem publicationes fiant: consequens est generalem dispensationem pro omnibus promiscue regionibus concedi posse.

IX. Juxta communiorem sententiam (*b*) fæminæ ventrem gerentes tenentur propriis viris debitum reddere, secluso abortus periculo, si illi petant, ipsæ vero recusare non possint, præsertim cum in iisdem viris adest incontinentiæ periculum. Quamobrem Missionarii debent hoc debitum fæminis explicare, easque, si parere nolint, Sacramentis privare. Præterea si matres lactantes concipiant, possunt negare debitum, facta hypothesi id filiis nocere, & ipsas non posse, quin iisdem lac præbeant. Ex quo sequitur Missionarios his fæminis id imponere non posse, ut viris debitum reddant in hac hypothesi; fatendum tamen fere pauperes fæminas, quæ propriis filijs lac dant, nihil detrimenti iisdem filiis afferre, licet viris suis tunc temporis sui corporis copiam faciant. Sane durius jugum esset, atque adeo moraliter intolerandum, si viris præciperetur, ut cum uxoribus eodem lecto cubantes abstinerent a conjugali debito prope ad biennium, quo tempore lacte proles alitur; atque ita quidem matrimonium pauperibus minus esset contra concupiscentiam remedium, quam ad complura crimina incitamentum. Ad extremum Missionarii haud ita facile sibi in animum inducere debent, ut eredant prægnantium lac filiis, quos lactant, summopere officere; atque adeo de debito viris reddendo eas fæminas universim monere debent, quin ad has singillatim circumstantias descendant, iisque de hoc tantum debito, ut jam dictum est. verba facere.

X. Quoniam non Ecclesiastica solum Lege, (*c*) sed etiam divino præcepto Fideles Eucharistiam sumere debent, ut Theologorum plerique sentiunt: his proinde barbaris gentibus, si baptisma susceperе, declarandum est mysterium hoc, & hujus Sacramenti suscipiendi obligatio. Nempe scire debent Christum Dominum verum Deum & Hominem sub panis & vini speciebus eo (*d*) Sacramento contineri, & vere ac realiter sumi a Fidelibus, quorum singuli & in vita, & in mortis articulo debent ejus esse participes. Porro tenetur quisque id scire, & explicite credere, quod pro temporis ratione sumere debet. (*e*) At si de Barbaris non baptizatis sermo sit, cum ad Eucharistiam, ut probabilior sententia fert, non obligentur, hoc proinde mysterium initio statim ducendi non sunt, adeoque quoad eos ejus explicatio differri potest. Non eadem aliorum articulorum, quæ sciri necessitate medii opus est, ratio est; cum Eucharistiæ Mysterium non ita credendum sit, sed solum necessitate præcepti juxta Gamachium. Ita quidem Christus Dominus pronunciavit: *nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Sed ea verba explicanda sunt eo sensu, ut de iis omnibus, qui per Baptismum sunt in Ecclesia, non autem de iis, qui sunt extra, cujusmodi sunt Infideles non baptizati, accipiantur. (*f*) Præterea monent Theologi post D. Thomam Eucharistiam non esse fidei articulum, stricte sumptum, a cæteris articulis distinctum, quæ Symbolo continentur, sed ad divinæ Omnipotentiæ articulum referri posse. Ex quo inferunt nonnulli ex communi usu, & Ecclesiæ praxi Fideles de hujus Sacramenti veritate, ejusque suscipiendi obligatione instruendus esse, quemadmodum de multis aliis, quæ scire, & servare tenentur.

XI. Super jejunio, de quo in Expositione, nonnulla notanda sunt, quæ inservient elucidandæ difficultati. (*g*) I. certum est eos barbaros populos jejunii obligatione non obstringi, si in eorum regionibus ad vitam necessaria jejunii tempore commode comparari non possint. II. Paulus III. concessit Indiarum populis, ut solum sextis quibusque feriis in Quadragesima, & Paschatis, ac Dominici Natalis vigiliis jejunarent, quia recens ad fidem conversi erant, & adhuc in Religione infirmi erant: *imo*, inquit hic Pontifex, *jejunium repugnans sanitati, vel bene non quadrans officio, vel exercitio alicujus eorum, non est censendum, ab Ecclesia illis preceptum*. III. Extraordinaria jejunia non sunt Neophytis injungenda, ne forte onus Evangelii gravius iis efficiatur. In hanc sententiam loquitur (*h*) Nicolaus I. ad Bulgaros respondens: *quot temporibus*, inquit, *vel diebus in circuitu anni sit a carnibus abstinendum, nunc vobis, qui rudes estis, & in fide quodammodo parvuli, superflue duximus exponendum*.

His omnibus in hunc modum constitutis, concludi potest, quandonam generalis dispensatio concedenda sit, aut neganda, videlicet quinam dies, & quænam jejunia sint excipienda; id enim pendet a statu earum barbararum nationum, a regionibus, in quibus degunt, a tempore, quod ab earum conversione elapsum est, ab ejusdem conversionis soliditate; uno verbo ab Episcopi, vel Missionariorum sapienti ac prudenti judicio pendet, qui quidem, ut pro certo ponitur, eas dispensationes, prout æquitati consentaneas existimaverint, tribuendi permissione gaudent; verum nec Episcopus, nec Missionarii generalem dispensationem concedere nequaunt, diebus, quibus jejunium ab Ecclesia præceptum est, non jejunandi, nisi a summo Pontifice facultatem eam obtinuerint.

XII Horum Barbarorum filii in proposita facti specie licite baptizari possunt, nempe facta hypothesi eorum plerosque in iis regionibus ante rationis usum mortem occumbere. Doctrina hæc his rationibus fulciri potest. I. quia eorum utilitas, quam periculum, ne in apostasiam incidant, major est. Hoc nempe periculum neque ita proximum, neque ita certum censetur, quoniam fieri potest, ut hi pueri ante moriantur, quam rationis usum attigerint, id quod etiam in quæstione supponitur. II. quia etiamsi nonnulli vere ac formaliter apostatæ futuri sint, susceptum Baptismi Sacramentum profanaturi, & ad Ethnicorum superstitionem redeuntes a fide defecturi: id tamen in nonnullis absque ulla culpa permitti potest, propter eorum infantium majorem numerum, qui ante septennium e vivis excedunt. (*i*) III. Eo libentius in hanc sententiam descendi potest, quo magis moderationem & indulgentiam sapit, quam opinio contraria. Nam juxta Responsum Cardinalium Congregationis *de propaganda fide* super dubiis occasione Missionum Japoniæ propositis molliores opiniones eligendæ sunt, dummodo sanam doctrinam contineant, nec Evangelicam severitatem, aut ejus, quam Romana Ecclesia profitetur, fidei puritatem enervent. Denique apud Canadenses libere a patribus permittitur Missionariis, ut suos filios baptismatis undis abluant, & filiis ipsis, ut Christianæ Religioni nomen dent; & tunc quidem longe minus est apostasiæ periculum; id quod ad propositi Casus decisionem satis est.

Decisum Parisiis hac die . . . .

Aug. *de Lamet*.

Ma-

(*a*) Breve Clement. IX. an. 1669. pag. 29. Constitut. Apostolic.

(*b*) Sanchez l. 9. disp. 22. Bonacina q. 4. p. 6. num. 2. Zacchias lib. 7. tit. 9. q. 3. num. 18. Pontius lib. 10. cap. 14. n. 7. Sanchez ut supra n. 14. Bonacina p. 7. num. 21. de Matrimon. Zacchias l. 7. loco cit. n. 23.

(*c*) Bonacina disp. 4. q. 1. p. 3. n. 3.

(*d*) Constitut. Apostol. p. 33. & 34. & Respons. Congregar. p. 22.

(*e*) Bonacina ut supra. Diana p. 8. tr. 7. resol. 8. Sanchez lib. 1. moral. c. 12. n. 15.

(*f*) Jambert. de fide p. 34. S. Thom. 2. 2. quæst. 5. tract. de fide art. 8. ad 6.

(*g*) Vericelli quæst. 98. verbo jejunium.

(*h*) Nicolaus I. Resp. ad Consulta Bulgarorum c. 4.

(*i*) Lib. 4. Constit. Apostol. pag. 44.

Matrimonium ab exercitus Eleemosynariis celebratum.

CASUS XX.

1 *Matrimonium ducis cohortis cum puella nobili ab exercitus Eleemosynario celebratum, licet Tribunus militum, & Major assensum præbuerint, nullum est.*
2 *Contractum est matrimonium hoc contra Ecclesiæ Leges, & Regni Constitutiones, quia Eleemosynarius alterutrius contrahentium Parochus non est.*

QUÆSITUM.

DUx cohortis, Legatus Magistri militum Legionis Curtibonensis sibi conjugem petiit puellam viduam degentem Dinanti ad Mosam, ubi eadem Legio præsidii loco erat. Quæsivit consensum Marchionis Curtibonensis Tribuni militum, nec facile obtinuit; proindeque celebratum est matrimonium ab Eleemosynario dictæ Legionis, assentiente e scripto dicto Tribuno militum, & cum Majoris, ac cujusdam Ducis præsentia. Ita porro de re testatus est Eleemosynarius.

An. 1695. Kalendis Augusti ego subscriptus Presbyter, & Eleemosynarius Curtibonensis Legionis Equitum omnibus, quorum intererit, palam facio me hac die largitum esse nuptialem benedictionem Viro nobili Petro N. Domino *de Blamville*, & *de la Vindonniere* Legato Magistri militum dictæ Legionis, & puellæ Joannæ *du Halloy* viduæ domini quondam Laurentii *de Coarbiere* fere domicilium habenti Dinanti ad Mosam, accedente consensu Marchionis Curtibonensis, & coram Domino Columna, Majore dictæ Legionis, & Domini Baronis *de la Neuville*, duce pariter ejusdem Legionis, in Ecclesia Bellomontii in Hainaut; in cujus fidem est apud me præsens Actus, cum opus fuerit, profuturus. Factum Bellomontii dicta die, mense, & anno supradictis, ubi notavi manu mea cum testibus supra nominatis. Subscripti erant *la Neuville*, Columna Major, & *Hermel*, Petrus Eleemosynarius Curtibonensis. Collatum cum Exemplari ex Actu producto a dicto Domino *Hermel*, & inventum huic simile ad verbum a Notario R[illegible], & Ministro Feudorum *Hainaut*, subscripto, residente in Urbe *Quesnoy*, ubi Papyrus Regio sigillo notata in usu non est, & in Acta relatio suppressa. Die 5. Februarii an. 1697.

Actus hic firmatus est a Majore, & Ministris ejusdem Urbis Dinanti, ubi Puella degebat, atque adeo probatus a Francisco Augustino Vermi[illegible]lo, Consiliario Regis, & Legato Generali, Civili, & Criminali Præfecturæ Regiæ *Quesnoy*, testante dicto Actui utpote duorum Notariorum, Ludovici Natalis, & Jacobi Blaiseau subscriptione munito fidem adhibendam esse.

Quæritur, an hoc matrimonium ita peractum ac celebratum ab Eleemosynario Legionis Ducis cohortis coram testibus, qui subscripsere, ratum, ac validum sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, matrimonium, de quo hactenus enucleate in expositione dictum est, nullum & invalidum esse, utpote contra Ecclesiæ regulas, & Regni Constitutiones celebratum ab exercitus Eleemosynario, qui neutrius partis Parochus erat, cum detrimento prohibitionum disertarum Regis Constitutione diei 15. Decembris an. 1681. declaratarum, quibus Sua Majestas edicit se rotundis verbis vetare, ne Eleemosynarii Legionibus inservientes ullum celebrent matrimonium Equitum & Militum earum cum Puellis, aut Mulieribus degentibus in Urbibus, vel Oppidis, in quibus præsidii loco erant, aut circum, quæcumque causa, seu occasio se obtulerit, ea statuta pœna dictis Eleemosynariis, ut juxta Constitutiones tanquam fautores, & Complices criminis Raptus puniantur. Verba Constitutionis an. 1681. sunt ejusmodi.

Sua Majestas vetuit, vetatque rotundis verbis Eleemosynariis Legiones subsequentibus, ne ullum celebrent matrimonium Equitum & Militum earum cum puellis, aut mulieribus degentibus in Urbibus, aut Oppidis, ubi præsidio erunt, vel circum, quacumque de causa vel occasione; aliter iidem Eleemosynarii puniantur tanquam fautores, & complices criminis raptus juxta Constitutiones. Mandat sua Majestas, ut earumdem Legionum Tribuni militum, & iis absentibus alii duces retinendos curent dictos Eleemosynarios, statim atque eos præsentibus refragatos esse intellexerint, efficiantque, ut Judicibus ordinariis tradantur, quo eorum caussa instituatur, ac perficiatur, juxta suæ Majestatis hac in re voluntatem, præcipientis Rectoribus Urbium & Oppidorum, Præfectis, & Legatis, aliisque Ministris omnibus, ut incumbant ad executionem, &c.

Decisum in Sorbona die 10. Junii an. 1697.
Gobillon Parochus S. Laurentii.
G. *Fromageau*.

Matrimonium cum servandæ continentiæ promissione.

CASUS XXI.

1 *Adolescens & puella mutuo matrimonium inire nequeunt, invicem promittentes se continentiam servaturos, & matrimonium nullo unquam tempore consummaturos.*
2 *Ambo matrimonii nullitati se exponunt.*

QUÆSITUM.

ADolescentula ætatis anno supra tricesimum circiter quinto votum edidit continentiæ, quin ulli tamen Communitati, aut Monasterio sa dedere velit (a). Nihilominus illa versatur in necessitate eos socios habendi, quos Sacra Scriptura nuncupat *adjutorium simile sibi*. Accedit vir satis instructus, magnaque Religione, ac pietate præstans, qui de Adolescentulæ voto non ignorat, & eam quidem ducere paratus est, promittens se post matrimonium continentiam æque fideliter servaturum.

Quæritur, an ejusmodi matrimonium, quod mutua continentiæ promissio præcessit, permitti possit, an vero in majus, quam par sit, discrimen humana infirmitas adducatur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Adolescentulam, de qua modo dictum est, matrimonium, quod proponit, inire non posse tribus de causis.

Prima est hæc; Quia se exponit evidenti periculo contra suum continentiæ votum agendi (b). Cum Beata Virgo Sancto Josepho nupsit, maxime certa erat, peculiari Sancti Spiritus instinctu afflata, nihil unquam fore, quod Virginitatis voto, quod ediderat, nocere posset: (c) *Sed erat jam certificata, quod alias nunquam sequi deberet*, inquit S. Thomas. Id quod adolescentulæ, de qua quæritur, accommodari non potest.

Secunda est hæc: Quia Jus prohibet matrimonium, cum antea votum, vel simplex, virginitatis editum fuit, dum declarat, votum simplex, etiamsi matrimonii impedimentum dirimens non sit, esse tamen impedimentum, quod illud illicitum reddit: *Votum impedit matrimonium contrahendum, non dirimit jam contractum*, ut est in cap. *Consaluisti*, & alibi *dist. 27. cap. 4.* Id peccatum esse pronunciatur: *Voventibus virginitatem non solum nubere, sed etiam velle nubere damnabile est*, ex S. Hieronymo. Eamdem sententiam tuetur D. Thomas, atque ita probat: (d) *Dicendum ergo, quod consensus in matrimonium*

(a) Vide hunc eumdem Casum fusius disceptatum a D. *De Lamet* Matrimonium. Casus I.
(b) Vide Sanchez lib. 1. disp. 43. lib. 2. disp. 26. & 28. & lib. 5. disp. 10. de Matrimonio.
(c) S. Thom. in 4. dist. 30. q. 2. art. 1. ad 3.
(d) Id. in 4. dist. 28. quæst. unica. art. 4. ad 4.

niam ideo est damnabilis post votum virginitatis, quia per talem consensum datur potestas ad id, quod non licet. Quod S. Doctor de conjugali debito intelligit, cujus actus ea potestate implicite continetur, quam contrahentes sibi in se mutuo tribuunt.

Tertia ast hæc; Quia eadem Adolescentula matrimonij nullitati se exponit; constat enim illam ea tantum conditione nubere, ut vir, cui nubet, continentiam & ipse servet, & conjugale debitum neuter petat, aut exigat. Porro matrimonii contractus cum ejusmodi pacto, ac simili conditione inter partes ante matrimonium expressa vitiat matrimonium, ac nullum reddit. Ita sentit D. Thomas loco laudato: *Talis enim conditio, cum sit contra matrimonii bonum, scilicet prolem procreandam, matrimonium tollere.* Ita pariter statuit Panormitanus: (a) Nota, *quod propositum non consummandi matrimonium non impedit vires matrimonii, dummodo hoc propositum non deducatur in pactum.* Sylvester, aliique plures idem omnino docent. Possunt quidem partes perpetuæ castitatis servandæ intentionem habere, dum contrahunt; ejus autem rei expressam ante matrimonium conventionem inire non possunt.

Matrimonium contrahens vi proprii consensus in proprium corpus potestatem & jus alteri tradit; ex quo fit, ut consensus hic implicitam intentionem includat *ad copulam*, atque ita expressa inter contrahentes conventio, ut neuter conjugale debitum petere, aut reddere possit, huic consensui, qui ad matrimonii essentiam pertinet, adversatur, & quod inde consequitur, matrimonium ipsum de medio tollit. Id ipsum consequitur eam promissionem, quam ineunt contrahentes, dum perpetuæ continentiæ mutuam sibi fidem obstringunt.

Quamobrem Theologi, qui post D. Thomam asserunt veri nominis matrimonium inter S. Joseph, ac B. Virginem extitisse, pronunciant eos, dum nupsere, sibi mutuo dedisse in proprium corpus potestatem & jus *in ordine ad copulam*, per eum consensum, quem sibi, dum nupserunt, exhibuere; ut proinde consensus ille non quidem actualem & expressam, bene vero implicitam conjugalis debiti intentionem continuerit: *Dicendum, quod copula carnalis cecidit implicite sub consensu B. Virginis, sicut actus implicite continetur in potentia, potentia autem ad copulam carnalem non contrariatur virginitati, nec diminuit aliquid de puritate ipsius, nisi ratione actus, qui quidem nunquam fuit in proposito B. Virginis* (b). Hæc verba sunt D. Thomæ, ex quibus concludi potest; I. in consensu B. Virginis extitisse intentionem implicitam *ad copulam.* II. inter S. Joseph, ac B. Virginem matrimonii sui non consummandi expressam conventionem initam non fuisse; (c) id nempe erat inutile, cum certi essent, se nunquam eo progressuros, quamvis eorum intentio implicite talis esset. Videri potest Sanchez, & quas ad hanc sententiam tuendam affert, auctoritates (d).

Hinc illud inferri potest, in hac sententia, matrimonium, quod vir, & adolescentula, de quibus in Expositione dictum est, contrahere volunt ea expressa conditione, ut continentiam uterque custodiat, nullum fore, si conjugale debitum nec reddere, nec petere possint.

Decisum Parisiis hac die 30. Junii an. 1697.
G. Fromageau.

Matrimonium ab Officiali celebratum.

CASUS XXII.

1 *Quidam Officialis est Vicarius Generalis Episcopi in foro contentioso.*
2 *Hoc titulo potest eos, quos ad matrimonium mutuo contrahendum damnat, conjungere, vel matrimonii celebrationem alicui Presbytero delegare.*
3 *Quo id fieri possit, necesse est, ut inter contrahentes extiterit lis veri nominis, ac seria.*
4 *Destitui potest Officialis, quia in Actu destitutionis causæ exprimantur.*
5 *Postquam destitutio ei significata est, ipsi dandus est Successor, & exercitio donandus.*
6 *Si tanquam ab abusu destitutus appellet, evocabit Episcopus causam ad privatum Consilium, & evincet.*

QUÆSITUM.

HAc ipsa die 19. Septembris anno 1673. hora octava matutina, loco dicto, in Urbe N. domi nostræ, ante nos Presbyterum Theologiæ Doctorem, seniorem Canonicum Ecclesiæ Cathedralis ejusdem Urbis, Sanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarium, & Diœcesis Officialem comparuit Guillelmina.... filia quondam Petri, Mercatoris Hospitalarii, degens in eadem Urbe, assistente Domino Joanne N. quem ipsa sibi Procuratorem constituit; quæ conquerens nobis dixit, & significavit duos circiter ante annos a Jacobo N. hujus Urbis incola se in uxorem petitam fuisse, & cum querentia matrem rogandam curasset, ut sibi annuere vellet, eam, ut etiam proximo consanguinitati gradu conjunctos assensum præbuisse, ut apparet ex matrimonii contractu diei 12. Febraarii proxime elapsi recepto a Notario Regio, ejusque vi sponsalia in facie Ecclesiæ celebrata fuisse; in cujus præjudicium dicta conquerens monita dictum N. velle ab Urbe recedere, & dictæ conquerenti nuntium remittere, quin dictam matrimonii promissionem exequi velit, quod ei grave damnum afferret, præterquamquod se ipsa putat ex dicto N. ventrem gerere, cujus querelæ & significationis ei actum fieri postulat, ac præcipi, ut dictus N. se nobis ipse sistat, ut ex ejus ore audiatur id, quod dicta significatione continetur, ac si comparere noluerit, sibi liceat eum detinendum curare, ac subscripsit. Quamobrem nos Officialis prædictus dictæ querelæ & declarationis actum transegimus, & mandamus, ut dictus Jacobus N. se nobis sistat hora decima matutina hujus diei, ut audiatur, & respondeat ipse per se ad ea, quæ dicta declaratione continentur; in hunc finem præsens Mandatum ei significabitur per Cursorem; ita subscriptus P. D. . . , Officialis.

Et adveniente dicta eadem die hora nona matutina per me Scribam subscriptum dictum Mandatum significatum est Jacobo, reperto in Platea dictæ Urbis, qui respondit se ultro parere, & re ipsa mecum Cursore prædicto se contulit ad dictum locum Civitatis apud dictum Dominum Officialem, ubi existens ab eo interrogatus est, auditusque, ut infra; subscripsit M. Scriba.

Interpellatus dictus supra nominatus de nomine, cognomine, ætate, conditione, domicilio, & jurejurando ad veritatem patefaciendam adactus dixit, edito jurejurando, sublatis ad Deum manibus, se nominari Jacobum N. natum in N. Diœcesi N. & in præsentia ex longo tempore ibidem degentem, annos natum circiter triginta quinque.

Interrogatus, an nosset Guillelminam .... & ex quo tempore, respondit ita esse, quia ex duobus annis in domo matris ejus habitavit, atque adeo cum ea matrimonii contractum transegit, & deinde publice sponsalia celebravit.

Interrogatus super iis, quæ dicta querela continentur, & an carnaliter dictam .... cognoverit, respondit verum esse eam ex semetipso posse ventrem gerere.

Interrogatus, cur nolit promissa facere, & ducere dictam ..... ordine ab Ecclesia præscripto? Respondit se variis negotiis distentum atque impeditum fuisse, misisse litteras, ut a propria cura obtineret ea, quibus opus esset, sed nulla interjecta mora Parisios proficisci debere, nec expectare posse responsa; nihil porro esse, cur dicta .... timeat propterea, ut ipse in proposito persistat.

Interrogatus an alibi matrimonium inierit? Respondit juratus, nequaquam.

Interrogatus, an dictam .... in uxorem ducere in animo habeat? Respondit, ita sane, eamque sibi semper voluntatem fuisse. Et interrogationes, ac re-

(a) Panormitanus in cap. Commissum n. 2. de Sponsalib. & matrim. Sylvest. v. Matrim. 4. q. 7.
(b) S. Thom. in 4. dist. 30. ad 2.

(c) Vide Basil. Pontium de Matrimon. Beatæ Virginis p. 49.
(d) Sanchez l. 5. disp. 10. de matrim.

responsa, quæ ei lecta sunt, veritati congruere dixit, & subscripsit.

Transigimus dictarum Responsionum Acta, mandamus, ut significentur dictæ..... ut iis respondeat, & permanebunt dictæ partes in jus vocatæ coram nobis postridie hujus diei hora septima matutina. Peractum ut supra, subscriptus P. D..... Officialis.

Hac eadem die per ma Corsorem dictæ Responsiones & Declarationes dictæ Guillelminæ..... significatæ sunt, & quidem præsenti, ac respondenti se obsequi paratam esse; & illa quidem exemplum sumpsit; subscriptus M..... Scriba.

Et adveniente die sequenti 14. Septembtis an. 1675. hora septima matutina in dicto Civitatis loco ante nos Officialem dictum comparuere dictus Dominus N. & Guillemina .... adsistente dicto ..... eorum Procuratore, quæ dixit se acceptare declarationem dicti Domini N. dum respondir, se dicta ...... abusum esse. Qua declaratione stante, rogat, ut ad matrimonium eo ipso temporis articulo secum ineundum damnetur; quia si illud publice contraheretur, adesset famæ periculum; quamobrem ei vult consuli. Ita subscriptus G .... & N. Et dictus Dominus N. dixit non minus interesse sua ipsius, ut dictæ ..... postulata fiant, se siquidem in eadem voluntate persistere ipsam ducendi; subscriprus N. & N.

Quamobrem nos Officialis dictus transegimus Actum accessus personalis dictarum partium, eorumque verborum, & declarationis dicti N. & ipsius consensus, eumque damnavimus, & damnamus ad dictam .... ducendam juxta formam Ecclesiæ; & annuentes eorum reciprocæ postulationi, præmissis eorum Confessione & Communione in nostro Sacello, iis nuptialem benedictionem impertiti sumus, eosque subscribere voluimus, & mandamus, ut dicturum nuptiarum publica fides ipsis tradatur. Datum dictis die, mense, & anno, & præsentibus qui supra. Ita subscripti G.... P. D.... Officialis, M.... Scriba.

QUÆSITUM.

Quæritur, an matrimonium, de quo hactenus, sit clandestiuum necne, eum celebratum fuerit ab Officiali, penes quem jus erat tantummodo illud mandandi, & ad contrahentium Parochum remittendi; non autem per seipsum celebrandi, quippe qui non est ordinarius, sed Officialis titulo solum gaudet; & quia nuptialis ea benedictio nonnisi a proprio Pastore, vel potestate ab Episcopo, vel Generali Vicario concessa tribui potest?

Alii quoque plures in hoc negotio nullitatis tituli notandi sunt; quorum primus est, unum tantum utriusque partis Procuratorem fuisse.

II. Scribam ipsum per se non potuisse significationes edere, & partes in jus vocare vi declarationum Officialis; id enim per Cursorem, aut Clericum tonsuratum fieri debuisse.

III. Nullam in Acta relationem occurrere.

IV. Officialem mandare debuisse, ut querela & declaratio ad Promotorem deferretur, potius quam personalem in jus vocationem præcipere, ac deinde, quin iterum Promotoris conclusiones videret, matrimonium jubere.

V. Hoc matrimoniom sine testibus peractum esse; constans est Officialem ob decem nummos aureos illud celebrasse, quod tamen esset difficilis probationis. Jamdiu est, quod ejus destitutio desideratur, quæriturque, an supra allata agendi ratio, quæ adeo plena est nullitatis, ac proinde hominis est officium suum nescientis; ac violatio Canonum, sanctorumque Decretorum ac Statutorum Synodalium, dum ausus est matrimonium ipse celebrare, quamobrem *ipso* facto suspensus efficitur, satisne gravis titulus sit, cur destituatur, ac possitne in destitutionis Actu causa hæc declarari, an vero satius fuerit eum pure ac simpliciter sine causa destitui pro ea, qua pollent Episcopi, facultate ac potestate, firmata Declarationibus Regis, eaque nominatim, quæ die 28. Seprembtis an. 1637. edita est, variisque Rescriptis in privato Consilio consequenret editis super simili facti specie, quæ occurrit Tomo II. Monumentorum Cleti novissime editorum p. 36. & sequentibus; cum præsertim Officialis munus absque oneroso titulo ille obtinuerit.

Animadvertendum est hunc hominem vitium expertem, & ætate valde provectum esse, in lecto & cubiculo semper jacere, & ex duobus annis nunquam pro tribunali sedisse; videbit porro Consilium, satius necne fuerit ejus ægritudinum mentionem fieri; a quo etiam petitur, ut mittat formam Actus destiturionis, cum causa, vel sine causa, pront nempe magis expedire judicaverit.

Ac facta hypothesi eum a sua destitutione tanquam ab abusu appellare, ut certe appellabit, utpote loquacior, & in Burdegalensi senatu gratia multum valens: quæritur, an res ad privatum Consilium deferri possit, & quomodo?

Præterea quæritur, an in destitutione nominandus sit is, quem in ejus locum & munus Episcopus sufficere vult; atque an, destituto reluctante, novus Officialis provisus oppositione nihil obstante, possit officio suo fungi, an vero ejus exercitium suspendere debeat?

Ad hæc quæritur, an eumdem Officialem utpota suspensum, quemadmodum revera est, Episcopus talem declarare, idque ei significare possit ad sui Promotoris nutum juxta allegata, an vero opus sit alio juris ordine?

Quæritur postremo loco, quid consilii ad hujus matrimonii abrogationem incundum sit, an Promotor ad Judicem Metropolitanum confugere debeat, an vero Episcopus possit illud clandestinum declarare, secundum allata, id conjugatis significandum curare, ac jubere, ut seorsim vivant, quoad juxta regulas in matrimonium conjuncti fuerint?

Nota vetitum esse, ne quod matrimonium celebretur in privatis Sacellis absque Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii expressa venia, Officialem porro in suo Sacello domestico matrimonium hoc celebrasse.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet quoad quæstionem primam, I. non ita solutu facile id esse, quod proponitur: an nempe Officialis, eum senteuriam ediderit, qua quempiam ad matrimonium cum peculiari aliqua muliere contrahendum damnavit, possit necne ipse per se efficere, ut coram se id quod statuit, executioni mandetur, prorsus ut faceret contrahentium Parochus, si illi ad eum missi essent, & an ipse, prout Officialis munere fungitur, Ordinarius sit necne? Non videtur hic titulus ei jure negari posse, præsertim si expendantur rationes, ob quas Vicarius Generalis Ordinarius censetur. I. Illud conveniat necesse est Officialem esse Vicarium Generalem Episcopi quoad jurisdictionem contentiosam, quemadmodum quoad voluntariam jurisdictionem se habet Vicarius Generalis, qui Officialis non est. Si ergo alter ordinarius est, alter quoque ejusmodi sit necesse est. II. Aliquem jurisdictione ordinaria carere ex eo palam fit, si nempe ab eo tanquam delegato aut delegante appelletur. Jam vero est prorsus indubitatum ab Officialis, æque prorsus atque a Vicarii Generalis sententia ad Episcopum, cujus Ministri sunt, appellari non posse; sed in appellationis casu ad Episcopi Superiorem, ejusve Officialem confugiendum esse juxta C. *Romana Ecclesia de appellat. in 6.* ubi occurrit hæc regula in hæc verba: *Cum Suffraganeorum Remensis Ecclesiæ, suorumque Officialium (qui generaliter de causis ad ipsorum forum pertinentibus eorum vices supplendo cognoscunt) unum & idem consistorium, sive auditorium sit censendum, ab ipsis Officialibus non ad dictos Suffraganeos (ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur) sed de jure ad Remensem Curiam.* Illud vero imprimis animadvertendum, Glossam in hoc Caput verbo *Generaliter*, expressis verbis dicere Officialem esse Ordinarium: *Nota per hanc litteram, quod Officialis est Ordinarius, non delegatus: & sic est reprobata opinio Goffre, qui not. in sum. de Offic. Vicar. §. item, dubitare, quod Officialis Episcopi delegatus est, non ordinarius, & ob hæc dicebat ad Episcopum esse appellandum. Et hoc idem tenere videbatur*

tur Bernar. ne prælat. vic. suas ca. 2. in glo. ubi dicit, quod Episcopus non possit de jure Ordinariam dare, sed solum Princeps, vel Lex: vel dici posset, quod per hoc non negat Officialem esse Ordinarium, quia dicit: posset, quod habeat a lege, unde ipse Bernard. hic & Innoc. host. & omnes. Joan. Mena & Arebidiac. Nota Officialem Ordinarium esse, &c.

Ex omnium Auctorum in hac Glossa allatorum decisionibus apparet illud tanquam firmum & constans haberi posse, Officialem Ordinarium esse; quibus addenda ratio alia, quæ tertio loco afferenda superest; nempe a Principe & a Lege potestatem Ordinarii institutam esse, adeoque non minus in Officiali, quam in Vicario Generali, qui Officialis non est, eam existere oportere, quoniam Jus Canonicum æque utrique favet.

Facta igitur hypothesi Officialem in jurisdictione contentiosa Ordinarium esse, ut Vicarius Generalis in voluntaria jurisdictione se habet, non videtur negari posse, quin Officialis per suam præsentiam possit matrimonio auctoritatem tribuere, cum in sententiæ, quam protulit, executionem peragitur, prorsus ut proprius contrahentium Parochus faceret. Hanc assertionem propugnat Sanchez *de matrim. l. 3. disp.* 29. qui postquam explosit opininnem Ledesmæ, aliorumque Theologorum docentium Vicarium Generalem Episcopi per suam præsentiam matrimonio auctoritatem tribuere non posse; sumpto Vicarii Generalis nomine ea significatione, qua Ultramontani sumunt, spectantes Vicarium Generalem tanquam personam, quæ utramque Episcopi jurisdictionem voluntariam, & contentiosam conjunxerit, probat hunc eumdem Vicarium auctoritate pollere matrimoniis adsistendi, & ad ea, quem voluerit, deputandi, idque vi generalis commissionis, qua gaudet; ita ille num. 18. laudatæ disputationis, quia, inquit, Vicarius hic de matrimonialibus causis cognoscendi facultatem habet. Sed satius fuerit ejus verba proferri, quæ ejusdem mentem aperte declarant, evincuntque eum Jure niti, & Vicarii Generalis nomine eos complecti, qui utraque jurisdictione instructi sunt: *Sed multo verius est posse ex generali institutione Vicariatus interesse matrimonio, committereque alii, ut intersit; probatur* 1. *quia Conc. Tridentinum sess. 24. c. 1. de matrimonio, expresse dicit, posse assistere Parochum, vel alium Sacerdotem de licentia Ordinarii: sed Vicarius Episcopi est Ordinarius, comprehenditurque in Decretis mentionem de Ordinario facientibus n. 3. & 5. Ergo potest assistere, & dare licentiam assistendi.* II. *quia ex generali* Commissione *Vicarius potest de causis matrimonialibus cognoscere, ut habet verior sententia; & probatur ex c. 1. de frigidis & maleficiatis, ubi dicitur proponendam esse querelam coram Episcopo, vel ejus Misso ad divortium: ubi Glossa verbo, Misso, explicat, id est Vicario* & *c.fin. de cogn. spirituali dicitur propositum esse impedimentum matrimonii coram Officiali Cantuariensi*. Spectanda sunt vocabula: *Vicarius, Missus*, & *Officialis*, quæ in Jure usurpantur ad idem officium designandum, quod cognoscit de contentiosis negotiis, quæ ad Officialis cognitionem pertinent, quoniam agitur de matrimonii divortio & impedimentis, de quibus est judicandum. *Et sic*, pergit Sanchez, *supponitur eam de causis matrimonialibus cognoscere, & a fortiori poterit assistere matrimonio, eique committere*. Ex quibus facile intellectu est, Auctorem hunc pro certo habuisse, eum, qui de causis matrimonialibus, ut de divortio, & impedimentis, deque iis, quæ ad matrimonium spectant, cognoscendi facultatem habet, matrimoniis quoque adsistendi auctoritate pollere. Quod quidem pertinet ad Officialem ut Officialem, atque ita ex necessaria ejus sententiæ consecutione Officialis, qui matrimonii celebrationem mandavit, ei tanquam Ordinarius interesse potuit. Potest etiam ex eo confirmari sententia hæc, quod Parisiensis quondam Archiepiscopi tempore contigit, cujus Officialis, qui Vicarius generalis non erat, quos ad matrimonium damnaverat, ad Sanctæ Marinæ Parochum misit, licet is contrahentium proprius Parochus nequaquam foret.

II. Constare Officialem maxima præcipitatione usum esse, & regulas in hujusmodi negotiis servari solitas neglexisse, ac non temere credi posse, attenta mente ponderata ratione, qua negotium peractum est, inter contrahentes de re convenisse, sed eos tamen unanimi sententia rem in contentionem vocasse, ut ita ad Officialem accedere possent, & Parochum evitarent; quo in casu matrimonium nullum esset; quia Officialis, cum Ordinarii titulum sibi vindicare non possit, nisi quia in contentiosis negotiis judex sedet, cumque hoc ejusmodi non sit, facta hypothesi partes consensisse, & illud contentiosum reddere studuisse per fraudem, & dolo malo, cum auctoritate ei matrimonio adsistere non potuisset ob eam causam, quæ continetur *in 6. Decretal. de reg. juris*, quia fraus & dolus non debent eorum auctori patrocinari.

III. Facta hypothesi hoc suppositum matrimonium celebratum esse, Officiali, & Scriba tantum præsentibus, nec cum Scriba, qui Actum subscripsit, ullum alium testem fuisse, aliquem ex. c. ex Officialis servis, vel partium Procuratorem, aut quempiam alium, nullum est matrimonium juxta Tridentinam Synodum *Sess. 24. c. de reform. matrim.* & Constitutionem Blesensem *art.* 4.

IV. Multa quidem in hoc negotio Officialis peccare potuit, quæ non proinde impediunt, quominus matrimonium eo præsente contractum validum sit. Nimirum in hac facti specie ad matrimonii validitatem id solum videndum est, an negotium vere contentiosum fuerit, & res aliæ necessariæ ac præscriptæ servatæ sint. Officialis tamen ob fraudes, quas commisit, & contrahentes quoque, si eos, quod contra rectum ordinem gestum est, non ignorasse constiterit, puniri possunt.

Ad alteram quæstionem quod attinet, Officialis destitui potest, atque adeo debet; sed id quidem pure ac simpliciter, nullaque, ne senectutis quidem, expressa causa. Non videtur autem senectutis facienda mentio, quia posset Officialis aliquo prætextu sibi præsidium quærere, si ob eam causam officio privaretur; posset enim Episcopus Vicegerentis ope ejus defectum supplere; seque ille tueretur Jure, quod Titularem Beneficio non privat extremæ senectutis causa, quamvis proprias functiones obire nequeat, eo quippe in casu ei datur Vicarius, seu Coadjutor. Quod si causæ ex ejus ignorantia petitæ, vel res aliæ ejus famam lædentes exprimerentur: speciosius sane ut ab abusu appellaret, & injuriæ reparationem peteret; & quidem non immerito, quia cujusque interest propriæ famæ consulere.

Ejus destitutio quemvis alium actum præcedat, ipsique significetur necesse est, ejus, qui in ipsius locum sufficitur, nulla mentione facta.

Eodem tempore nominandus est, qui ad hoc munus eligitur, exprimendumque illud vacare per ejus destitutionem, qui eo fungebatur; tum vero successor, inita possessione, fungetur officio, appellationis oppositione non obstante.

Tunc id faciendum, quod est in Cleri monumentis, & quod Montispessulani Episcopus præstitit, adeundumque Consilium, ubi, quod est vero simillimum, causa retinebitur, quia Declaratio an. 1637. coram Cancellario indicta, & subscripta est.

Juverit in destitutionis Actu hujus Declarationis mentionem fieri; ut si forte destitutus ad Senatum Burdegalensem tanquam ab abusu appellaverit; intelligant Judices nihil temere factum esse, nec audeant contra judicare, providentes fore, ut Consilium eam Declarationem propugnet, si res ad ipsum deferatur.

Destitutionis Actus Superioris voluntatem nude ac simpliciter declarare de more debet, & disertis verbis significare Actus, quoscumque destitutus ut Officialis edet, nullos, nulliusque roboris fore.

Quod si appareat matrimonium solvi posse, Promotor ad Metropolitanum Judicem appellare debet, quod ab Officiali factum est, juxta allatam Juris regulam.

Decisum in Sorbona die 2. Novembris an. 1675.
A. de Lamet.

Ma-

Matrimonium, in quo nata eſt proles adulterina.

C A S U S XXIII.

1 *Fæmina, quæ ex adulterio filiam marito dedit, non tenetur ſuum crimen detegere, ut impediat, quominus filia viro ſuccedat.*

2 *Ut ſummum poteſt illum adducere, ut quam maxime poteſt, ſuis hæredibus conſulat, & ipſa quicquid e ſuis bonis reſervare poteſt, iiſdem tribuere.*

QUÆSITUM.

FÆmina ex adulterio filiam peperit, quam vir hæredis loco habet, & ut ſuam ipſius filiam educat. Ex ephebis eggreſſam ſollicitat mater ad Clauſtra; repugnat illa, & virum petit. Si nupſerit, viri prolis expertis occupabit omne patrimonium, & legitimos hæredes fruſtrabitur. Mater prope nihil habet in bonis, ac proinde damno, quod hæredes ſubibunt, reparando ſe prorſus ineptam videt.

Quærit ergo, an ex hoc ipſo tempore ſuum crimen detegere teneatur, an vero in mortis articulo, ut ſuam conſcientiam in tuto ponat?

R E S P O N S I O.

Reſpondetur, fæminam adulteram, ſi quod attulit hæredibus viri ſui, cum filiam ſuppoſuit, damnum ſarcire non poſſit ſalva fama, non teneri vel in mortis articulo pateſacere eam filiam ex adulterio natam eſſe. Hujus reſponſi rationes alibi allatæ ſunt in ſimili facti ſpecie, ubi de filio ſuppoſito, qui hæreditatis titulo ejus bona, cujus filius habebatur, obtinebat, agebatur. Verum ut mater verum diceret, filia non teneretur ei fidem dare, niſi liquido de re conſtaret. Ita Theologorum plerique ſentiunt apud Auctores, quos in alio Caſu appellavimus; ita & Gloſſa *c. Officii de pœn. & remiſſ. v. deneganda* tradit in hæc verba: *Matri non creditur, obſtante præſumptione, quæ habetur ex matrimonio, quod filius natus ſit ex nuptiis; & etiam periculoſum eſſet mulieri illud detegere.* Hac de cauſa eam declarationem, quæ profecto inutilis eſſet, Mater edere non tenetur. Si tamen viri bona magni momenti eſſent, & ex alia parte Conjugis fama parvi foret, putant Auctores nonnulli opus fore, ut illa propriæ famæ renunciet, & veritatem declaret, ſi nequeat aliunde damnum reparare, quod attulit hæredibus viri, prole ſuppoſita, quæ omnium ejus bonorum hæreditatem adibit; ſi etiam filiam ex adulterio natam eſſe ſatis gravibus rationibus apud Judices probare poſſit. Verum hujus ſententiæ veritate in medio relicta, creditur in hac facti ſpecie mater, vivente quidem viro, ſilere debere. Ut ſummum poteſt eum prudenter hortari, ut ſuis, quam maxime poteſt, hæredibus proſpiciat; eoque vita functo, ex propriis bonis eorum commodo pro viribus reſervare debet, ut quam patientur, jacturam compenſet. Id unum, quod poſſumus, a nobis Deus poſtulat.

Deciſum hac die 13. Octobris an. 1693.
G. *Fromageau*.

Matrimonium hominis in peccati habitu verſantis.

C A S U S XXIV.

1 *Is, cujus matrimonium ſine quodam ſcandalo, aliiſque incommodis differri nequit, abſolvendus non eſt, cum de pravo habitu confitetur, & veræ converſionis haud ſatis gravia ſigna dat.*

2 *Idem ſtatuendum de Sacerdote, qui die Dominico Miſſam celebrare tenetur, dum in eadem eſt facti ſpecie.*

3 *Verum in his caſibus prudens doctuſque Confeſſarius ſatis habere debet, ſi converſionis ſincera argumenta pœnitentes exhibeant, quamvis conſuetus ordo longius tempus in iis requirat, ut recta animi præparatio, quam præſeferunt, altiores radices agat.*

QUÆSITUM.

PArochianus, qui inibi eſt, ut matrimonium ineat, Parocho confitetur, ſe pravo habitu irretitum eſſe, quamobrem juxta Canones, & Patrum doctrinam ei protrahenda eſt abſolutio, ut an ex animo eum pœniteat, intelligatur. Si a Parocho repellatur, non poteſt in eo ſtatu Matrimonii Sacramentum ſuſcipere; id quod magno ſcandalo erit, paratis jam omnibus ad matrimonii celebrationem, peractis publicationibus, convocatis conſanguineis, dieque, quo cæremonia peragenda eſt, univerſis ac ſingulis innoteſcente. Ex alia parte Parochus abſolvere nequit hominem, quem ejuſmodi peccati habitu obſtrictum videt, quod momento non tollitur, & quod ille pluries confeſſus eſt, quin ad bonam frugem redierit. Quærit Parochus, ſibi quid agendum in hoc rerum diſcrimine; an ei permittere debeat, ut abſque abſolutione ad matrimonium accedat? An vero matrimonium differre, quoad ille veræ converſionis ſigna dederit, futuri rumoris, & ſcandali nulla ratione habita?

Rogatur Conſilium, ut aperiat, quid ſentiat ſuper propoſita difficultate, perinde ac ſuper ſequenti.

Parochus die Dominico miſſam celebrare tenetur; nullus alius eſt in Parochia, qui eam celebrare poſſit. Paulo ante celebrationem confitetur de pravo habitu, qui ſæpenumero in cauſa fuit, ut in lethalia peccata laberetur. Debetne Confeſſarius eumdem abſolvere, ratione neceſſitatis, qua premitur, celebrandi? An ei abſolutionem negare debet, & quominus miſſam celebret, impedire? Id porro in Parochia magnum ſcandalum excitabit. An vero poteſt eidem permittere, ut celebret non abſolutus?

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſita vidit, exiſtimat, Confeſſarium, cum nonniſi Miniſter ſit Dei nomine in id inſtitutus, ut diſpoſitiones ad Pœnitentiæ Sacramentum neceſſarias afferentibus abſolutionem impertiatur, iis, qui ejuſmodi diſpoſitiones non afferunt, abſolutionem tribuere non poſſe, quia indigni ſunt, & nulla ſuppetit ratio, quæ Confeſſarii quocumque demum prætextu ſua poteſtate abutentis conſcientiam in tuto ponat. Quamvis ergo nuptiæ paratæ ſint, non proinde tamen ſanctæ Leges, quas Chriſtus Dominus ad Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrandum præſcripſit, violandæ ſunt. Hac de cauſa Confeſſarius, qui Pœnitentem iis diſpoſitionibus carere judicat, non debet eumdem abſolvere, regulariter loquendo, nec de iiſdem diſpoſitionibus melius judicare poteſt, quam ſi eas exigat ad Regulas, quas tradit Eccleſia, ut differentia, & diſcretio neceſſa-
3 ria ſtatuatur. Animadvertendum tamen eſt in pœnitentibus eas aliquando diſpoſitiones occurrere, ut iis in quibuſdam caſibus abſolutio tribui poſſit, quæ cæteroquin ad majorem ſecuritatem differenda eſſet, ſi nihil eſſet, cur rumor, ac tumultus, qui in ejuſmodi caſibus multorum peccatorum cauſa ſunt, timeretur. Porro idoneæ diſpoſitiones innoteſcunt ex vehementi pœnitentis dolore, & ex promptitudine atque alacritate, qua ſalutarem ſibi impoſitam ſatisfactionem amplectitur non ſolum tanquam ſuis peccatis debitam pœnam, verum etiam tanquam pravorum, quibus irretitur, habituum remedium, quo in caſu minore ſeveritate uti licet, atque adeo, ut videtur, oportet, & imprudens eſſet, qui ſecus ageret. Spectat Reſponſio hæc ad utramque propoſitam difficultatem, ita tamen, ut illud addatur poſtremo loco Confeſſarium nunquam poſſe indigno eam veniam dare, ut accedat ad Sacramenta.

Deciſum in Sorbona die 5. Auguſti an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Ma-

Matrimonium, in quo adest consanguinitatis impedimentum ratione illegitima.

CASUS XXV.

1 *Cognatio, vel consanguinitas naturalis illegitima usque ad quartum inclusive gradum extenditur, æque utque ea, quæ oritur ex legitimo matrimonio.*

2 *Non eadem cognationis hujus, atque affinitatis illegitimæ ratio est. Hæc quippe nonnisi ad secundum gradum extenditur.*

QUÆSITUM.

ROgantur Doctores, ut decidant, an impedimentum ex illegitima consanguinitate proveniens ad quartum usque gradum pertineat, nullumque reddat matrimonium in tertio gradu contractum?

RESPONSSO.

Subscripti Theologiæ Doctores censent impedimentum proveniens ex consanguinitate, quæ illegitima ratione contrahitur, extendi ad quartum usque gradum inclusive, prorsus ut illud, quod ex consanguinitate per matrimonium legitimum derivatur; eamdem porro rationem non esse consanguinitatis hujus, atque affinitatis ex fornicatione; ejus enim impedimentum ad secundum tantummodo gradum extendi juxta Tridentinæ Synodi sanctionem *sess.* 24. *de Reformat. matrim.* c. 4. & quod inde consequitur, invalidum esse matrimonium Petri Laurentii postremi legitimi, & Joannæ *Ragaigne*, quæ postrema est ex illegitimo stipite proveniens, cum in tertio consanguinitatis gradu versentur, & dirimentis, quod inter eos existit, impedimenti dispensationem non obtinuerint.

Decisum in Sorbona hac die 25. Februarii an. 1671.

Aug. *de Lamet.*

Matrimonium inter Græcum & Græcam Latinæ Communionis.

CASUS XXVI.

1 *Matrimonium juxta Ecclesiæ regulas celebratum, absque impedimento dirimente, consummatumque a nemine solvi potest.*

2 *Etiamsi mulier post divortium defecisset ad Turcas, & Mahometano nupsisset, nec ejus recipiendæ spes ulla priori viro superesset, non posset tamen ipse tuta conscientia, ea vivente, aliam ducere.*

QUÆSITUM.

IN Regionibus Turcarum imperio subjectis existunt eodem in loco Episcopi Ritus Græci, & Episcopi Ritus Latini.

Græcus, & Græca Latinæ Communionis post matrimonii annum tertium invicem indignantur; divortium petentes ad Turcarum tribunal conveniunt. Accusat virum conjux impotentiæ; sed accusatione hac rejecta, eumdem insimulat, quod se cognoscere voluerit modo sodomitico; id quod ad matrimonium abrogandum apud Turcas satis est. Antequam tamen divortium faciant, ambo ad Episcopum Græcum se conferunt, eique mutuas acerbitates exponunt; eos ille separat, & ad novas nuptias transire permittit; quod ii præstitere.

Quæritur, an illud matrimonium ita solvi potuerit, & an matrimonia, quæ deinde uterque contraxit, valida sint?

Alius Casus.

Cum Gallus Græcam duxisset, post annum mutuo subirascuntur, & a Gallo Consule divortii facultatem petunt, & obtinent. Turcarum sectæ nomen dat fæmina, & nubit Mahometano, quicum antea ei erat turpe commercium. Gallus recipiendæ conjugis nullam sibi spem fore sentiens a Latino Episcopo novi matrimonii contrahendi facultatem postulat, eaque impetrata, contrahit.

Quæritur, an mutatio Religionis in fæmina prius matrimonium de medio sustulerit, novique matrimonii ineundi jus viro tribuerit?

Sorbonicorum Doctorum sententia in exteris hisce regionibus tanti fit, ut spes adsit fore, ut eæ gentes in officio contineantur, si expressam decisionem ab eorum tribus subscriptam viderint.

Responsio ad primum Casum.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, existimat eos, qui prius matrimonium abrogarunt, contra Ecclesiæ Regulas fecisse, cum illud abrogari non possit ob conjugum discordiam, vel ob abusum, quem vir uxori intentare voluisset eo crimine, quod est enunciatum. Una viri impotentia, siquidem vera fuisset, abrogationi locum præbere poterat; sed cum id Judicibus a vero alienum esse apparuerit, & mulier rejecta fuerit, matrimonium semper subsistit, & quæ deinde mulier ac vir contraxere, non sunt veri nominis matrimonia, sed adulteria, quæ Divina Lege prohibentur. Rem decidit Christus Dominus apud S. Matthæum *cap.* 19. *v.* 9. *Dico autem vobis: quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur; & qui dimissam duxerit, mœchatur.* D. Paulus primæ ad Corinthios cap. 17. v. 10. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro reconciliari: & vir uxorem non dimittat.* Ita D. Paulus de Christifidelium matrimoniis loquitur, prout Christus Dominus Matthæi cap. 7. definierat. His addendum, virum & conjugem sibi libertatem conquirere volentes nullo alio fundamento, quam mutuis acerbitatibus nixos fuisse; in quo quidem eos egisse dolo malo verosimillimum est. Et sane antequam divortium facerent, licet Latinum Ritum profiterentur, ad Græcum Episcopum se contulerunt, eique mutuam animorum exacerbationem exposuerunt, sperantes fore, ut ille se faciliorem præberet, quam Latinus Episcopus. Quod si is Græcus Episcopus ad Ecclesiæ Romanæ Communionem non pertinet, ejusdem Ecclesiæ sententias omnino non callet, & profecto non legit sessionem 24. cap. 7. Tridentini Concilii, ubi negotium hoc solide explicatum reperisset.

Ad secundum Casum Responsio.

Quoad aliud matrimonium, positis tanquam certis, quæ hactenus dicta sunt, idem Consilium censet Consulem Gallum, & Latinum Episcopum contra Ecclesiæ Regulas sese gessisse, neutri nempe licuisse abrogare, aut dissolvere matrimonium, secundum illud: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Cum matrimonium valide contractum est, cum nullum adest dirimens impedimentum, cumque illud consummatum est, nulla in terris existit auctoritas, quæ possit illud dirimere, eosque, qui ita consociati sunt, novo matrimonio ineundo aptos efficere, nisi alterius mors alteri libertatem acquirat, quia vir uxori, & uxor viro, quamdiu vivunt, alligati sunt: *Alligatus es uxori*, inquit D. Paulus, *noli quærere solutionem.* Hinc concludendum, Gallum ad aliud matrimonium transire non posse, quamdiu ejus uxor in vivis fuerit, tametsi illa ad Turcas defecerit, Mahometano nubens, nec ejus recipiendæ spes ulla satis firma viro affulgeat. Nempe ratio hæc nullum ei jus tribuit aliam ducendi, quia prior semper est ejus uxor, & matrimonii Sacramentum nonnisi per mortem dissolvi potest.

Hoc loco non descendunt Subscripti ad sententiarum, quas Ecclesiæ Latina & Græca sequuntur,

diver-

diverſitatem, & nd explicationem verborum Chriſti Domini apud S. Matthæum cap. 9. v. 10. quibus prohibet, ne Conjugati ſe mutuo dimittant, *niſi ob fornicationem*, quia in propoſitis Caſibus id in quæſtionem non venit.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 18. Novembris an. 1686.
A. *de Lamet*. G. *Fromageau*.

Matrimonium abſque interno conſenſu contractum.

C A S U S XXVII.

1 *Matrimonium coram Deo nullum eſt, cum contrahentium alteruter intus in animo non conſentit, quamvis ſpecie & ore tenus conſentiat.*
2 *Sed hoc matrimonium abrogare non poſſent homines, qui ex actione, & exteriore habitudine judicant de intentione.*
3 *Qui non conſenſit, huic malo conſulere debet conſentiendo, quin alteri patefaciat conſenſus defectum, qui matrimonium coram Deo nullum reddidit.*

QUÆSITUM.

INitum eſt matrimonium abſque interiore conſenſu viri, qui nonniſi vi adactus, & oretenus tantum aſſenſus eſt.

Si quæratur, quamobrem is egerit, contra atque in animo haberet?

Sciendum eſt, eum ab infantia patre ſpoliatum in matris paternorum omnium bonorum abſoluto dominio gaudentis poteſtate ac tutela vixiſſe.

Cum ad pubertatem perveniſſet, mater de filii matrimonio ſollicita non ſemel nuptias eidem propoſuit, in quibus utilitatis tantum rationem habuit, minime reputans, an ipſi placerent, quod in cauſa fuit, ut ille uſque ad triceſimum quintum ætatis annum reluctaretur.

Ea reluctatio matris animum irritavit, adeoque adverſus filium exacerbavit, ut ei vel ad vitam neceſſaria denegaret, quamvis probe noſſet ea aliunde ipſi præſto eſſe non poſſe.

Matris aſperitas ac ſævities ita filii animum perculit, tantaque affecit amaritudine, ut ejus valetudo momentis prope ſingulis deterior evaderet.

Quamobrem matrimonio, de quo agitur, ſibi a matre propoſito repugnare non valuit, quamvis animo ſummopere alieno ſe eſſe ſentiret; ſed cum ſibi matris animum molliendi nullam aliam rationem ſupereſſe intelligeret, utque ex ea, unde pro conditione viveret, extorqueret, ſpecie tenus, non autem ex animo aſſenſum præbuit.

Ita animo comparatus ad matrimonii tamen conſummationem devenit, illud minime probans, & voluntate repugnante. Ejus quoque repugnantia innotuit univerſis, ac ſingulis ibi, ubi cæremoniæ peractæ ſunt.

Cum ille, quod ſibi propoſuerat, obtinuiſſet, paulo poſt conſummationem receſſit n conjnge, quam nec amavit unquam, nec ut amet, ſe unquam credit adduci poſſe.

Quæritur in hac facti ſpecie, an ille tuto ſit animo, an ejus matrimonium nullum ſit, & an ejus abrogationem petendi jus habeat?

R e s p o n s i o.

Theologiæ Doctores ſubſcripti cenſent, matrimoninm, quod annorum triginta quinque vir cum annorum ſeptemdecim puella contraxit, nullum eſſe ob interni conſenſus in viro defectum, prout definivit Innocentius III. *cap. Tua nos de ſponſal. & matrim. l. 4. Decret.* in hæc verba: *Nos autem quid juris ſit, reſcribentes dicimus, quod ſi res ita ſe habuerit, videlicet quod ille eam non propoſuit ducere in uxorem, nec unquam conſenſit in prædictam perſonam, non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in eo nec ſubſtantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi valeat inveniri; quoniam ex altera parte dolus ſolummodo affuit, & defuit conſenſus, ſine quo cætera nequeunt fœdus perficere conjugale.* Id quod reſponderat Bulgaris Nicolaus I. quodque Decreto 27. *q.* 2. *cap. Sufficiat*, inſertum eſt verbis hiſce: *ſi conſenſus in nuptiis ſolus defuerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur.*

Verum is, pro quo conſulitur, ex ea nullitate commodum reportare non debet, ſiquidem cum puella, quam ſacramenti prætextu ſefellit, veri nominis matrimonium contrahere tenetur; ea quippe non alia de cauſa ſe cognoſci paſſa eſt, quam quod ſe vere nupſiſſe crederet; eoque magis debet ille in hanc ſententiam deſcendere, quod ſi ad obtinendam ejus nullitatis declarationem accederet ad Judicem, dubio procul repelleretur, quippe qui matrimonium ſuum impugnare non poſſet eo Actu, quo ſatis infirmaretur probatio, quæ ex externo conſenſu in facie Eccleſiæ præſtito ducitur; qui ſane conſenſus ſemper in cauſa erit, ut ille vere ac proprie ejus puellæ vir declaretur, prout refertur in Supplemento Summæ D. Thomæ *q.* 45. *art.* 4. *ad* 1. *Quod dolus verborum iſti ſimulatori nec in foro conſcientiæ, nec in foro Eccleſiæ patrocinetur.* Clemens quoque III. damnavit ejus conſilium, qui poſtquam rem publice declaravit, audet deinde contra dicere; extat *lib. 2. Decretal. tit. de probationibus*, ubi Pontifex ita loquitur: *Cum nimis indignum ſit juxta legitimas ſanctiones, ut quod ſua quiſque voce proteſtatus eſt, in eumdem caſum proprio valeat teſtimonio infirmare.* Tantum porro abeſt, ut Eccleſia hominis probationem ſuſcipere velit adverſus matrimonii ſecundum omnes Canonicas regulas initi fidem, ut ne audiri quidem ſinat verba fæminæ, quæ ſolum deſponſata eſt, & in Eccleſiæ limine ante nuptialem benedictionem edicit, ſe minime conſenſiſſe, cum vir per teſtes contrarium probat; occurrit hæc Regula *lib. 4. Decretalium tit. de ſponſalibus & matrim. c. conſultationi tuæ* in hæc verba: *Conſultationi tuæ breviter reſpondemus, quod mulieres, quæ conveniunt ad valvas Eccleſiæ benedicendæ cum ſponſis, & ibi reclamantes affirmant, ſe nunquam in eorum matrimonium conſenſiſſe, audiri (ſponſis legitime probantibus contrarium) non oportet: cum legitimis & idoneis teſtibus non debeat illarum ſimplex aſſertio prævalere.* Fruſtra vero diceretur de ejus, dum matrimonium inivit, animi præparatione judicari poſſe ex matris aſperitate, quam, quia plures alias nuptias ab ea ſibi propoſitas reſpuiſſet, expertus fuerat; neque enim credibile eſt, hominem, qui minus provecta ætate in iis, quæ ſibi non arridebant, tantopere reſtitit, matrimonium, quod improbat, ætatis anno triceſimo quinto contrahere, nulla enunciata contradictione; eoque magis, quod matrimonium deinde conſummavit; id quod adeo ejus conſenſum evincit, ut nihil non inepte ac leviter opponi poſſit.

Quamobrem Subſcripti cenſent, eum, pro quo conſulitur, ne dum obtinere conetur, ut matrimonium nullum declaretur, tum ex juſtitia, tum ex charitate teneri eidem matrimonio pro virili parte ſua vim & robur afferre, reparato malo, in quod incidit ob interni conſenſus defectum. Hæc videlicet una ratio eſt occurrandi ſcandalo, quod dubio procul oriretur, ſi ille diutius abeſſet a propria conjuge, ac novis incommodis; nam in eo, in quo eſt, ſtatu ſacramentorum Eccleſiæ particeps eſſe non poteſt, niſi eam obligationem impleverit, vel ejus implendæ conſilium inierit, facta hypotheſi id eum in præſentia præſtare omnino non poſſe, puta ſi nunc temporis a conjuge procul abeſſet.

Verum id ſibi perſuadeat neceſſe eſt non modo conſcientiam poſtulare, ut ita ſe gerat, ſed etiam ea, quam duxit, vivente, ſe non poſſe cum alia matrimonium inire, quin Legum Civilium, & Conſtitutionum, duas eodem tempore conjuges prohibentium, vim ſubeat; nec ſe poſſe poſterioribus nuptiis ex eo præſidium quærere, quod prioribus non conſenſerit; quia Judices non pronunciant, niſi juxta probationes extraordinarias, quæ omnes ei refragantur, & quarum proinde vi pœnis in hujus criminis reos ſtatutis afficeretur.

Nihil igitur in præſentia aliud ſupereſt, quam ut hujus matrimonii invaliditati remedia quærantur; qua in re Theologorum placita ſunt duo; nonnulli in ea ſunt ſententia, ut, cum in propoſita

specie nullum adsit matrimonium, cumque Tridentina Synodus *Sess.* 24. *c.* 1. statuerit, ut matrimonium non nisi coram Parocho, & duobus tribusve testibus contraheretur, huic consensus defectui non alia ratione occurri possit, quam si omnino matrimonium coram Parocho, ac testibus a Concilio præscriptis iterum celebretur. Alii e converso satis esse contendunt, ut qui consensum non præbuit, (modo alia non adsint impedimenta dirimentia) eumdem præbeat: *consensu ab altera parte non revocato*, & hoc animo, atque intentione *ad eam affectu maritali ad opus matrimonii consummandum accedat*, quin defectus, qui extitit in matrimonio, ulla ratione conjugi significetur; putantque Casum, de quo sacrosancta Tridentina Synodus pronuntiavit, hac facti specie non contineri. Quoniam porro in bujusmodi negotiis, in quibus multæ difficultates occurrunt, nova obstacula sine gravibus causis afferenda non sunt: proinde Subscripti censent posteriori opinioni, quæ firmissimis momentis nititur, subscribi posse.

Decisum in Sorbona die . . . . Maii an. 1675.
de Lamet, *Fromageau*.

Matrimonium absque Parochi præsentia contractum.

CASUS XXVIII.

1 *Matrimonium, quod præsente Parocho non est contractum, citra Episcopi, vel ejus licentiam, nullum est juxta Leges.*

2 *Occurrit defectus hic, dum matrimonium initur in Parochia, in qua non domicilium veri nominis, sed tantummodo simulatum acquisitum est.*

3 *Vir, qui ejusmodi matrimonium contraxit, illud iterare debet, servatis omnibus Regulis Canonicis, ac Civilibus, at ejus, quam iisdem non servatis duxit, statui prospiciat. Tenetur in conscientiæ foro id præstare, ut ejusdem mulieris famam tueatur.*

QUÆSITUM.

Maria se receperat apud Moniales, quibuscum Contractum inierat, quo ei id juris erat, ut in earum Monasterio Benefactricis titulo degeret, pro arbitratu ibidem cubaret, & locum haberet, ubi ad se accedentes alloqueretur, ac denique, quamdiu voluisset, ibidem aleretur.

Eodem tempore conduxit domum ad annos novem Monasterio proximam, ubi fere versabatur; Monasterium porro, ac Domus sita sunt in Suburbio, ubi est Parochia, Mariæ scilicet.

Quinquennio post Mariam, cum semper domicilium haberet in Monasterio una cum conducta domo, sibi conjugem petiit Petrus, vir genere, ac dignitate ei valde præstans.

Assentitur Maria, quia illud conjugium magno sibi bono esse intelligit, & cum Petro convenit verbo tenus, matrimonium occultum fore, quoad Petrus conveniat cum matre, & fratribus, quibuscum apud Judicem de Parris hæreditate contendit.

Ut hoc matrimonium occultum esset, & Mariæ Parochum lateret, conduxit cum sorore partem domus in Urbis loco valde dissito a Suburbio, ubi degebat, ut aliud domicilium ibi novum acquireret, & in ea nova Parochia nubere posset. Eodem tempore domus Monasterio, de quo dictum est, proximæ locationem alteri tradidit, ne duplicis domicilii convinci posset.

Illud interim conveniat necesse est, ex posteriore domo cum sorore conducta ei nullum domicilii titulum advenisse, cum ibi nonnisi duas tresve noctes bimestri spatio transegerit, domusque in Suburbio posteæ locatio simulate translata fuerit, quoniam eam non deseruit.

Mense post novam conductam domum, Maria petente, Parochiæ, in qua degebat, Pastor ter inter Missarum solemnia futuris nuptiis indixit, quippe qui Mariam & Sororem ex multis annis cognosceret, ac domicilii mutationem nollet, probaretque.

Idem quoque in Petri Parochia, eo curante, peractum est. Matrimonii Contractu rite ac recte inito, sponsalia quidem pridie, matrimonium autem postridie coram sex testibus novæ Parochiæ Pastor celebravit. Qua in re animadversione dignum est matrimonium duobus mensibus, ac diebus quatuor post institutam novæ domus locationem celebratum fuisse.

Sextus jam annus est, ex quo illud consummatum est, sciente nemine; prolis nihil est; interea temporis Maria bonam anni partem in Monasterio, de quo supra, vel in proxima, quam locavit, domo de more transigit.

Nondum ad fidem perducta sunt Petri negotia, & sors postulat matrimonium adhuc latere.

Non abstinet ille ab invisenda sæpius conjuge; eo pergit cum comitatu, ibidem prandet, nec inde nisi post multam noctem revertitur; id quod rumorem parit, & apud indigenas, Petrique ac Mariæ domesticos scandalo esse potest.

Maria animo sollicita quærit, an quod inivit, matrimonium validum sit, & an bimestris eademque simulata commoratio in aliena Parochia sibi satis domicilii acquisierit, ut idem matrimonium ibidem indiceretur, atque adeo celebraretur?

Si validum non est, quam tandem ejus firmandi rationem inire debet? Quod si valet, quid agere debet, ut ad illud patefaciendum Petrum adducat, omnemque scandali occasionem de medio tollat?

Uno verbo quid ei facto opus est, ut propriam conscientiam, quam humanis quibusque rationibus præfert, in tuto ponat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum super allata facti specie, quæstionibusque propositis censet matrimonium, quod inter Mariam & Petrum initum est, nullum esse, quia Sacerdos, quo præsente celebratum fuit, neutrius proprius Parochus erat. Nempe cum sine Archiepiscopi, vel alterutrius Parochi licentia celebratum fuerit, nullum proinde est juxta Tridentinæ Synodi definitionem, & Constitutionem, quæ vel Parochi proprii præsentiam, vel ejus, aut Episcopi veniam requirunt, ut ab alio Sacerdote matrimonium peragi possit; horum porro nihil extitit in Mariæ matrimonio; quod autem egit illa, ut sibi in aliena Parochia domicilium quæreret, est prorsus inutile, cum non propterea sibi jus acquisierit in ea Parochia Sacramenta suscipiendi, in qua morata non est, & in qua Parochi, a quo desponsata est, subdita non evasit. Vide Glossam *c. Religiosi de privilegio Clem.* verbo Parochialis, ubi proprius Parochus is esse dicitur, in cujus Parochia fit commoratio. Non ergo ex conducta, sed ex habitata domo parochialis domicilii jus oritur.

Hinc Navarrus *l. 3. Consil. de Parochi & Parochiani Cons. n.* 1. pronuntiat ad jus suscipiendi Sacramenta in aliqua Parochia acquirendum veram ibidem commorationem requiri: *Respondeo primo, quod sufficit, quod habeat domicilium habitationis etiam per translationem alterius domicilii, quod alibi habeat*; & n. 5. *Quod videtur sufficere habitatio bona fide & sine fraude suscepta in aliquo loco*. Deinde ita n. 6. animadvertit: *Quod habitatio fraudulenter in præjudicium Parochi proprii, vel alterius Parochi habita in loco ad effectum acquirendi novum domicilium non sufficeret*. Eam porro rationem affert ex Jure petitam *C. Sedes Apostolica de rescriptis & l. in fundo de rei vendit. Tum quia*, inquit, *fraus & dolus nemini debent patrocinari, tum quia malitiis hominum obviandum est*. Quoniam igitur ex expositis certum sit Mariam in domo veteri suburbana degere non desiisse, ejusque locationem non ex animo, sed in fraudem ac dolum ab ea factam fuisse, ipsamque adductam fuisse ad domum in Urbe conducendam non habitandi animo, sed tantummodo proprium Parochum de suo matrimonio celandi; subest proinde Regulis tam ex Civili, quam ex Canonico Jure depromptis, nec contendere potest se Urbis Parocho tanquam proprio subjectam esse, & necessariæ consecutionis vi matrimonium, quod in ejus Parochia contraxit, bonum ac validum esse seu coram Deo, seu coram hominibus,

nibus,

nibus, qui de facti veritate cognoverint. Hæc Navarri opinio communiter recipitur, ut monet Fagnanus *in 1. p. 3. Decretal. de Parochis C. Significavit a n. 28. ad n. 33.*

Cum matrimonium hoc nullum sit, debent partes a conjugali consortio abstinere, teneturque Maria Petrum monere, omnino necesse esse, ut cum vere conjuges non sint, verum ineant matrimonium, antequam redeant ad maritalem convictum, in quo quidem ptius illud valere credentes hactenus perstitere. Petrus id consilii suscipere necesse habet, ut damnum reparet, quod Maria subiret, si res ita, ut se habent, remanerent; eoque magis, quod fieri non potuit, ut ratio, qua cum Petro versata est, Mariæ famam omnino non læderet; & utriusque domestici, perinde ac proximi haud valde tem obtrectarent, nec id persuasum haberent, quod bono Mariæ nomini plurimum officeret, ni Petrus eam juxta Ecclesiæ Regulas docens iis malis occurreret.

Decisum in Sorbona die 15. Maji an. 1687.
Aug. de Lamet.

Matrimonium a Sacerdote ex Delegati commissione celebratum.

CASUS XXIX.

1 *Valet matrimonium, quod celebravit sacerdos a Parochi Vicario ad id nominatus.*

2 *Non valet, si Sacerdos ab eo commissionem accepit, qui subdelegandi potestate carebat.*

QUÆSITUM.

Contractum est matrimonium quoddam servato Juris ordine, sed a Sacerdote, qui idonea potestate caruisse videtur, quia solum ab alio commissus erat, qui & ipse a Parocho delegatus fuerat, nec a Parocho, vel Episcopo subdelegandi potestatem acceperat. Hanc ob causam, quæ satis gravis apparet, quæque Doctorum virorum auctoritate nititur; vir & conjux se invicem separarunt ex longo tempore; conjux quidem iterum nupsit, maritus vero Religionis & honestatis amore ductus optat ille quidem sibi firmius ostendi, an tuta conscientia ad alias nuptias transire possit?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui expositam facti speciem viderunt, existimant, si Sacerdos ab ordinario proprii Parochi Vicario delegatus fuit, matrimonium nullum censendum non esse, ob eam quidem circomstantiam, propterea quod ex communi sententia *Delegatus ad universitatem causarum potest delegare*, Vicarius autem censetur ejusmodi; ita Sanchez *de matrim. l. 3. disp. 32. n.* 17. & Pontius hanc opinionem in praxi tenendam ait, quamvis baud juri conformis appareat, quia nempe firmatur usu, & consuetudine. D. Thomas quod lib. 12. q. 20. huic communi sententiæ patrocinatur, ut etiam Hadrianus *de Confessione q. 5. dub. 2.* At si Sacerdos ab alio, quam a Vicario delegatus fuit, matrimonium nullum esse censetur; quoniam tamen hoc matrimonium publice peractum fuit, & partes in causa propria judices esse non possunt, ideo confugiendum est ad Officialem, qui ejus matrimonii nullitatem declaret; ac proinde mulier ante eam declarationem alteri nubere nequaquam debuit.

Decisum in Sorbona hac die 14. Octobris an. 1675.
de Lamet.

Viduæ Matrimonium coram sui Prædii Parocho.

CASUS XXX.

1 *Valet matrimonium a Vidua contractum coram Parocho Prædii, quod illa emerat in eum finem, ut ibi degeret, quamvis non longo temporis spatio ante matrimonium ibidem morata fuerit, ac tum sine publicationibus, tum sine Patris consensu nupserit.*

2 *Qui eam duxit, tenetur matrimonii, cujus abrogationem Socer obtinere contendit, validitatem propugnare.*

QUÆSITUM.

Matrona, & præstanti vir genere, cum turpiter una vixissent, consilium ineunt nuptiarum, ut crimen & scandalum de medio tollant.

Matrona, quæ vidua erat, & 34. ætatis annum attigerat, defuncto viro, degebat cum patre, qui ejusmodi matrimonium probare noluit, quamvis ipsius consensum uterque petierit. Matrona cum probe nosset necesse fore, ut aliud sibi domicilium quæreret, Prædium emit, & Viro nobili significavit in ea emptione non alium sibi finem esse propositum, quam ut ambo ibidem habitarent. Et sane statim ac Prædii possessionem inivit, sua bona mobilia, quæ apud Patrem erant, in Castellum deferenda curavit, ibique morabatur ad tres hebdomadas, ut quod in animo habebat, ad finem produceret. Cum se comparasset ad nuptias, ibi se omnino composuit, & Virum nobilem per litteras accivit. Advenit ille, & coram loci Parocho matrimonium inire statuerunt, absque publicationibus, & absque dispensatione, ut negotium magis clam esset, & Matronæ pater non tam facile illud detegeret. Accessit Parochus, eosque in matrimonium conjunxit. Paucis post diebus vir iter facere necesse habuit.

Pater eorum, quæ gesta fuerant, certior factus, nulla interjecta mora ad filiam venit, eamque coegit e Prædio discedere, & in Monasterium ingredi, matrimonii abrogatione sibi proposita.

Ejus porro rationes sunt hæ:

I. Quia illud, se repugnante, transactum est.

II. Quia publicationes illud non præcessere, juxta Constitutionem.

III. Quia qui matrimonium celebravit, non est mulieris Parochus, cum ea semper apud se fuerit a viri morte, nec domicilium, quod apud se tamdiu permanens acquisierat, amittere potuerit, in Prædio tam brevi commorans. Super hac re quæritur ex Theologiæ Doctoribus, an pater matrimonii abrogationem jure petat; & an vir tuta conscientia eidem obsequi possit?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Familiæ & Societatis Sarbonæ subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, atque expenderunt, existimant recte Virum nobilem & Matronam consilium cepisse de medio tollendi malum, quo ex tam longo tempore detinebantur, & scandalum, quod iis omnibus afferebant, quibus illud notum erat; Matronam nihil non agere debuisse, ut Patris assensum extorqueret: at si ille repugnare non destitisset, juxta Regulas in Regno servatas oportuisse, ut reverenter ejus consensum de scripto rogaret. Hac ratione sese exemisset a pœna filiisfamilias imposita, qui hoc honoris & observantiæ argumento patri non exhibito, licet majores essent, matrimonium contraxerint. Porro error hic impedire non posset, quominus matrimonium contractum valeret, quia Matrona est ea ætate, ut sui ipsius domina sit, perinde ac Vir nobilis.

II. In eo autem, quod nec peractis publicationibus, nec obtenta dispensatione matrimonium celebravit Parochus, gravissimo se crimine obstrinxit, & acerrime a Superioribus arguetur, siquidem negotium ad eos deferatur; inde tamen juxta Ecclesiæ Regulas matrimonii validitas impugnari non possit,

III. Expensis, ut par erat, tum iis circumstantiis, quæ supra propositæ sunt, tum iis, quæ viva voce subscriptis significatæ fuerunt, existimant loci Parochum, ubi matrimonium contractum est, proprium, & verum Matronæ Parochum fuisse, quoniam ejus loci Parochus erat, in quo illa suum domicilium posuerat. Si enim res exigantur ad

obligationes, quas ea cum Viro nobili inierat, primo quidem ad matrimonii Contractum, deinde vero ad declarationem, quam ediderat, se scilicet in agri emptione nihil aliud, quam domicilium sibi ac viro commune sibi proponere : apparet eam satis animo comparatam fuisse ad priorem habitationem deserendam, ut Viro nobili nubens in posteriore commoraretur. Revera quicquid post emptionem egit, id ei consilii fuisse significat. Castellum ornatum erat, ejusque ornamenta cum Prædio emerat, atque adeo mobilia bona, quæ in paterna domo possidebat, eo deferenda curaverat. Poteratne commutandæ habitationis voluntatem apertius declarare? Huc addenda itinera, quæ ad futuram habitationem parandam eo identidem instituebat : *Incolas domicilium facit*, (inquit Lex *Cives C. de Incolis*) *& in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque & fortunarum suarum constituit*. His accedit, quod post ea indicia prioribus obligationibus ac promissionibus respondentia statim ac Matrona in Prædio fuit, Virum nobilem accersivit, ibique ambo de matrimonio conveniunt. Eum scilicet ad se vocavit in eum finem, ut ibi secum commoraretur. Ex quibus omnibus liquet eam patria domo non recessisse, nisi ut promissa compleret; adeoque Castellum in proprium domicilium ab eadem electum fuisse. Objicit quidem pater filiam in Prædio brevi tantum tempore moratam fuisse, ac proinde domicilium acquirere non potuisse; verum monente Prospero Fagnano inter Canonistas nostrorum temporum facile principe, tum solum adlegandum tempus est, cum non aliæ præsto sunt probationes, quæ domicilii mutationem aperte declarent. Ita ille in *c. Significat de Parochis* n. 44. *Sed dicendum est nec secundum Leges, nec secundum Canones ullam tempus esse absolute necessarium ad domicilium contrahendum; ad hoc enim præcise necessarius est animus perpetuo habitandi, sine quo domicilium non constituitur*. Sed quoniam hæc domicilii mutandi voluntas non aliter quam per exteriora signa cognosci potest, postquam tum Legum tum Canonistarum auctoritate probavit, quod proposuerat, ita concludit n. 54. *Itaque qui ad alium locum cum familia, & fortunis suis se transtulit, aut ibi emit possessiones, & præsumitur immediate habuisse animum illic domicilium constituendi; aut non emit possessiones, sed stat sic in suspenso, & tunc dicam tempus arbitrarium, prout concludunt Hostiensis, Joan. Andr. & Abbas ubi supra; unde si talis declararet animum suum, id est velle ibi domicilium habere, illico sine expectatione alterius temporis dicendus est domicilium contraxisse per textum L. ejus qui §. celsus ff. ad munic. secundum Abb. in fine*. Quoniam porro Viro nobili facta Matronæ declaratio, æque ac mobilium bonorum translatio, & subsecuta habitatio ejus voluntatem significarunt; dubitari proinde non potest, Fagnani sententia, quin illa prius domicilium mutaverit, ut alterum constitueret. Quod si hæ omnes probationes deessent, habenda esset ratio temporis, nec domicilii mutandi voluntas ex temporis, quo eo loci morata est, brevitate judicaretur. His nimirum principiis nixus subscriptorum Doctorum unus super simili facti specie paulo ante consultus respondit ad quæstionem sibi propositam de matrimonio cujusdam Matronæ, quæ ætatis anno 34. nupserat, inscio patre, Viro nobili, cujus par ætas erat, absque publicationibus, matrimonium celebrante ejus Prædii Parocho, quod haud ita pridem Matrona acquisierat, in quo diutius toto vitæ tempore morata non fuerat, quam trium hebdomadarum, vel mensis spatio, domicilio semper apud Patrem retento, nec a Matronæ Parocho impetrata venia; videlicet ejusmodi matrimonium constare non posse, quoniam ex Tridentina Synodo, ac Regis Declarationibus non valet matrimonium, si proprii Parochi præsentia desit. Et is quidem Doctor firmabat responsum suum brevitate temporis, quo Matrona eo in Prædio versata fuerat, siquidem nihil ei propositum fuerat, quod eam ibi ut in proprio domicilio versari velle significaret; quippe juxta id, quod asserit idem Faguanus n. 57. *Cessantibus omnibus indiciis, & præsumptionibus, simplex habitatio forte non sufficeret ad domicilii translationem*. Atque hac sententia illud, de quo agitur, responsum nititur. Cæterum subscripti non ignorant non deesse magni nominis Auctores, qui censeant ad matrimonium contrahendum domicilii constitutionem necessariam non esse, contendantque fulcire doctrinam hanc Cardinalium ad Tridentinæ Synodi explicationem delegatorum Declarationibus, quas in medium affert Farinacius, laudatus a Pontio *de matrim. l. 5. de consensu clandestino cap. 15. §. 7. n. 5.* & quarum una occurrit inter Declarationes cum Concilio typis editas. Verum cum Concilium, & secuta Declaratio an. 1639. loquantur de proprio Parocho : Theologorum, & Canonistarum bene multi crediderunt illud, *proprius Parochus*, in sensu Capitis *Omnis utriusque sexus* accipiendum esse, & Parochum, qui Paschalem Communionem potest, posse etiam matrimonium administrare; & quemadmodum ad Pascha in aliqua Parochia celebrandum non opus est veri nominis domicilio, sed sufficit habitatio, licet incolatus continuus non sit : ita & matrimonium in pari casu coram eodem Parocho iniri posset, modo tamen ficte ac dolo malo hæc habitatio electa non esset. Itaque quacumque demum ratione spectetur matrimonium, de quo agitur, firmum ac validum omnino censendum est, & concludendum nuptæ patri nihil causæ subesse, cur illud impugnet. Ex quo quidem id quoque consequitur maritum in conscientiæ foro teneri suæ conjugi patrocinari, & pro virili parte sua initum matrimonium tueri, cum minime liceat ad litem vitandam Sacramenti validitatem in discrimen adduci, & quod in Religione præcipuum est, multo majori, quam quodvis temporaneum negotium propugnandum sit.

Decisum Parisiis die 25. Septembris an. 1681.
A. *De Lamet*, G. *Fromageau*.

Matrimonium celebratum, Parocho nec præsente, nec permittente.

CASUS XXXI.

1 *Puella, quæ in Leodiensi Diœcesis Urbe vix mensis spatio morata est, ibidem a loci, ubi moratur, Parocho in matrimonium jungi nequit.*
2 *Incolatus Litteræ, quas obtinuit, non evincunt ei satis esse domicilii, ut ea in Urbe nubere possit.*
3 *Pater adolescentis, cui puella nupsit, petere potest, ut matrimonium nullum declararetur.*

QUÆSITUM.

ADolescens annorum 20. cujus uterque parens in vivis erat, profectus Insulas Belgii Urbem, Diœcesis Turnacensis, ibique per aliquot menses moratus puellam ejusdem Urbis Insulanam annorum pariter 20. sibi conjugem petit, cujus item vivunt pater & mater, qui quidem puellæ matrimonio assentiuntur. Post hunc consensum Adolescens in Urbem *Rocroy* Diœcesis Remensis se contulit, ut ibi in Regis exercitu Quæstoris munera fungeretur; trimestri circiter spatio ibidem moratus puellæ patrem per litteras monuit se prævidere futurum, ut matrimonium in Gallia celebrari non posset; quamobrem ei auctor fuit, ut Chimacum veniret, Hispaniei Belgii Urbem Diœcesis Leodiensis. Acceptis his litteris puella, parentibus assentientibus, iter suscepit, & secum detulit schedulam Parochi S. Catharinæ, cui illa tanquam suo Pastori dixerat se velle Monialibus adscribi; hæc autem schedula id unum significabat, eam eidem Parocho subditam esse, ac posse, quocumque vellet, se conferre habitandi gratia, permissionis matrimonii nulla mentione facta.

Cum puella Chimacum venisset, se ejus Urbis incolam declarandam curavit, animo ad sex menses ibidem manendi, illa quidem in Urbem pervenit Apr. die 3. adolescens autem nonnisi 19. ejusdem mensis, die nempe Paschatis. Iniere matrimonium coram Chimacensi Parocho, nulla peracta publicatione vel Insulis, vel Parisiis, vel in Urbe *Rocroy*;

erat; sed iis Parochus Chimacensis publicationis dispensationem vendidit. Adolescens deinde Parisios profectus est, & Puella Insulas rediit, cum tum ante tum post matrimonium mensis spatio Chimaci morata esset. Cur Adolescens discederet, pater in causa fuit, qui de tota re commonefactus filium Parisios illico revocavit.

In hac facti specie ex Sorbonæ Doctoribus quæritur, an pater tum quod ad civiles effectus, tum quod ad Sacramenti rationem spectat, matrimonii abrogationem petere possit, & quid Adolescens agere debeat? Animadvertendum est Chimacensem Parochum restatum esse se quidem ita facere consuevisse, & anno ante duo ejusmodi matrimonia a se celebrata fuisse, quæ in Galliis probata fuerunt. Illud prærerea suppliciter quæritur, an Tridentinum Concilium in Leodiensi regione receptum sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod proposita vidit, existimat matrimonium, de quo dictum est, nullum esse, propterea quod nec præsente, nec annuente alterutrius conjugum Parocho celebratum est, ut Tridentina Synodus postulat.

Et sane puellæ commoratio Chimaci Diœcesis Leodiensis non sufficit, ut ab ejusdem Urbis Parocho legitime in matrimonium jungi potuerit. Præterquamquod enim puella, quæ tribus circiter hebdomadis degit in loco, qui a patris & matris domicilio distat, non censetur novum domicilium acquisivisse; contrahentes e Galliarum finibus non ob aliud egressi sunt, quam ut eorum matrimonium Adolescentis parentes lateret, neque eo quidem tempore Chimaci constitere, nisi ut matrimonium contraherent. Hoc non videtur bonæ fidei domicilium esse, quandoquidem ideo tantum illi Chimacum se contulere nubendi causa, quia neuter eorum Parochus id matrimonii celebrare voluisset, & adolescentis parentes nunquam assentiri voluissent.

Litteræ Municipales, quas a Chimacensi Magistratu puella obtinuit, animo ad sex menses ibi manendi (quæ conditio ad illud privilegium fortasse requiritur) minime probant, hebdomadas sex, quarum spatio tum ante tum post matrimonium illa Chimaci morata est, ei tribuisse domicilium sufficiens, ut nuberet, quia ipsa bona fide consilium non habuit ibi manendi. Neque enim probabile est annorum 20. puellam ex animo voluisse in alienam Urbem, a patre, matre, familia, suisque bonis omnibus dissitam, habitandi gratia, concedere. Quin maximam in eo, quod egit, fraudem præsetulit, quoniam Chimacum proficiscens id unum sibi proposuit, ut quæ in matrimonii negotio religiose in Gallia custodiuntur, Regulas evitaret, & Legem a Tridentina Synodo ad familiarum tranquillitatem super hoc capite tam sancte sancitam eluderet.

Si spectetur matrimonii celebratio præcipitanter facta, die ipso Paschatis, quo tempore matrimonia prohibentur; prærerea trium publicationum dispensatio sine causa concessa; denique Rescriptum, quod ab Insulano Parocho Religionis suscipiendæ specie puella impetravit: hæ omnes circumstantiæ conjunctim sumptæ contrahentium malam fidem declarant. Hinc inferri potest Chimacense domicilium in fraudem fuisse, & quod inde consequitur, matrimonium celebratum nullum esse, & tanquam tale spectandum, præsertim cum Tridentinum Concilium in universa Leodiensi regione receptum sit.

Adolescens porro, ad hoc matrimonium quod attinet, ut in cæteris rebus omnibus debet se subdere consilio patris, qui prudenter videbit, quid in hoc negotio sit opus facto; & id etiam lubenti animo amplecti debet, quod ille prudentia sua mandabit de puella, quæ est in quæstione; si nempe postquam matrimonium nullum & invalidum declarandum curaverit, e re esse judicet aliquid puellæ tribui, vel ut ita facilius nubere, vel ut alia ratione sibi consulere possit.

Decisum in Sorbona hac die 5. Julii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Lamet Tom. II.

(a) Concil. Trid. Sess. de Reform. cap. 1. de Matrim.
(b) Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 19. n. 4.

Matrimonium absque publicationis ab alterutro Parocho peractæ Declaratione.

CASUS XXXII.

1 *Ad matrimonii validitatem satis est, ut ab alterutro contrahentium Parocho celebratum fuerit, cum illi ad diversas Parochias pertinent.*
2 *Publicationis ab adolescentis Parocho peractæ Declaratio necessaria non est.*
3 *Parochus, qui matrimonium celebravit, a proprio Episcopo nulla pœna mulctandus est.*
4 *Hoc matrimonium nullum declarari non potuit, nec proinde redintegrari.*

QUÆSITUM.

PArochus Sancti Ludovici Rupisfortis Parochianam suam nuptui dedit adolescenti ex Beatæ Virginis ejusdem Urbis Parochia, in qua publicationes peractæ sunt. Episcopus vivæ vocis vi Sancti Ludovici Parochum interdixit, quod adolescentis matrimonium celebraverit sine publicationis in Beatæ Virginis Parochia peractæ Declaratione, &c. quin in Matrimoniorum Acta retulerit Tutorem matrimonio assensum præbuisse; & propterea matrimonium nullum declaravit, & a Beatæ Virginis Parocho redintegrandum mandavit; quod factum est. Qua in re proponuntur difficultates quatuor, & quæritur,

I. An matrimonium nullum sit, quamvis cæteroquin rationi a Tridentina Synodo præscriptæ sit consentaneum.

II. An ab Episcopo nullum declarari potuerit, utpote non contractum juxta Canones & Constitutiones Regni, præsertim vero juxta Edictum anni 1697. mandans, ut matrimonium nonnisi inter eos celebretur, qui actu sunt ex Parochia, vel non sine Parochi licentia?

III. An Sacerdos, qui Declarationem publicationum, & consensus Parochi petere neglexit, dignus fuerit, qui interdiceretur? Episcopus vivæ vocis vi Interdictum hoc pronuntiavit, ac deinde legis post mensem vehementer rogatus.

IV. Quid agendum, si matrimonium validum sit, ut redintegrationis Actus a Beatæ Virginis Parocho editus ex Actorum codice deleatur; is enim Actus Sancti Ludovici Parocho, ejusque Parochiæ Sacerdotibus est injuriosus?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet illud imprimis tanquam certum ponendum esse, ad matrimonii validitatem sufficere, ut ab alterutro contrahentium Parocho ad diversas Parochias spectantibus, celebretur. Sane Tridentina Synodus (a) de Parochi præsentia verba faciens non designat singillatim, uniusne, an potius alterius Conjugis Parochus esse debeat; ex quo proinde concludi licet utrumvis eligi liberum esse.

Ad hæc ideo Synodus proprii Parochi & testium præsentiam requirit, ut impediat, ne matrimonium clandestinum fit. Porro ad id obtinendum satis est matrimonium coram alterutro contrahentium Parocho celebrari. Addi potest & ratio, quam affert Sanchez (b), nempe quamvis Parochus assistens non se habeat ut Parochus ratione personæ, quæ ad alterius Parochiam pertinat, eum tumen censeri Parochum esse, quod attinet ad matrimonium, quia cum matrimonium inter duas personas esse debeat, consequens fit unius Parochum ratione connexionis evadere Parochum alterius. Ita etiam disputat Barbosa, cujus hæc verba sunt: (c) *Quando vero matrimonium est contrahendum inter virum, qui fit de una Parochia, & mulierem, quæ fit de alia; sufficit, quod intersit Parochus habitationis feminæ, quando contrahitur in Parochia habitationis uxoris: quia cum propriæ Parocho committatur suam Parochianam matrimonio con-*

(c) Barbosa 2. part. allegat. 32. num. 65. de potest. Episc.

jungere; censetur etiam commissum alienum cum suo conjungere, quia hae necessario connexa sunt.

Uno verbo difficultas soluta est a Cardinalium Congregatione, cujus Declarationem Navarrus affert: (*a*) *Congregatio*, inquit, *Concilii Tridentini sub Pio V. interpretata fuit sufficere Parochum mulieris, quando matrimonium contrahitur in Parochia mulieris, sicut eadem sub Gregorio XIII. censuit sufficere Parochum viri, quando in ejus Parochia contractum est.*

In constituta doctrina hac, quae apud Theologos communis est, ad quaestiones propositas respondetur.

Ad primam; matrimonium celebratum a Sancti Ludovici Parocho, qui ejus loci Parochus est, ubi puella domicilium habet, nullum non esse, quamvis publicationis in Beatae Virginis Parochia, ubi Adolescentis domicilium erat, non acceperit Declarationem. Hoc enim loco distinguendum est id quod est licitum ab eo, quod validum est. Illud quippe certum est Sancti Ludovici Parochum suo muneri defuisse, eum ante matrimonii celebrationem non petiit eam, de qua diximus, Declarationem, unde Beatae Virginis Parochum ab eo matrimonio minime alienum esse cognosceret; sed quamvis id ille facere neglexerit, non ideo tamen matrimonium est minus validum, adeoque non apparet, quo fundamento nullum judicari, & ut redintegraretur mandari potuerit.

Id secundae quaestioni solvendae inservire potest; juverit tamen addere, Constitutionem an. 1697. supra citatam non spectare ad propositam facti speciem; ea quippe solum prohibet, ne Parochi, aliique Sacerdotes eorum matrimonia celebrent, qui ad eorum Parochias non pertinent; puella porro ex S. Ludovici Parochia erat, atque ita a proprio Parocho in matrimonium data est, & in eo quidem servatum id est, quod regulis, ac veteri consuetudini magis respondet, ut nempe matrimonium, cum commode potest, in puellae Parochia celebretur; ejusmodi est Parisiensis Dioecesis regula: (*b*) *Antiqua tamen consuetudo servatur*, (inquit Rituale Parisiense) *qua in praesentia Parochi mulieris matrimonium contrahitur.* Ad Ecclesiae quidem disciplinam pertinet, ut ne Parochus Parochianum aut Parochianam in matrimonium conjungat absque publicationis in alia Parochia factae declaratione, cum contrahentes non ex eadem Parochia sunt; at id solum spectat, quod licitum est; ac proinde si quidquid ad celebrationis matrimonii substantiam necessarium est, servatum fuit, ea recti ordinis omissio illud nullum minime reddit.

Ad tertiam. Si opinio, qua ductus Episcopus egit, cum veritate consensisset, Parocho interdici potuisset; at cum ea ne dum sit ejusmodi, quin potius communi sententiae adversetur; justo gravior esse videtur poena, quae ob eam omnino causam Parocho imposita est, quod non semel dictam Declarationem petere neglexerit. Interdictum porro vivae vocis vi valide inferri potest, dummodo ejus exemplum intra mensem petenti exhibeatur, ut est in Glossa (*c*), & apud Sairum.

Ad quartam. Quoniam matrimonium, de quo agitur, dubio procul validum est, nec quoad caput hoc Regni Constitutionibus, & Ecclesiae Regulis omnino repugnat, fit inde, illud nullum legitime declarari, & proinde redintegrari minime potuisse. Quam obrem cum Sancti Ludovici Parocho injuriosum sit, ejus matrimonii redintegrationem mandatam esse, cuasi non recte celebratum fuerit, & ex alia parte violata fuerit Ecclesiae praxis, qua ejusmodi matrimonia valida habentur: Episcopus proinde rogandus est, ut ad marginem Codicis matrimoniorum beatae Virginis, ibi ubi de redintegratione mentio fit, suo nomine poni jubeat, se, cum expendisset accurate, expendendumque curasset matrimonium inter talem ac talem a Sancti Ludovici Parocho celebratum, detexisse illud nullum non fuisse, nec se perinde matrimonii potuisse, ut a Beatae Virginis Parocho redintegraretur.

Quod si Episcopus recusaverit ita mandare, vel Officiali suo praecipere, ut pronunciata sententia jubeat redintegrationem deleri, quia matrimonium antea a Sancti Ludovici Parocho celebratum fuerit; idem Parochus, prout magis expedire judicaverit, se tuebitur, ita tamen, ut quoad fieri poterit, obsequium Superiori debitum integrum servet. Frustra porro additur in Actis Parochiae Sancti Ludovici consensus Curatoris adolescentis nullam mentionem fieri; etenim respondetur eum ad matrimonii validitatem absolute necessarium non esse. Praeterea satis est Parochum matrimonii contractui subscripsisse, ut validum, & Ecclesiae Legibus, ac Regni Constitutionibus consentaneum esse censeatur. Neque vero refert dicere Sancti Ludovici Parochum citationis sibi a Beatae Virginis Parocho indictae impensas solvisse, atque ita conquerendi jure cecidisse; praeterquamquod enim negotium hoc non modo ad Sancti Ludovici Parochum, sed ad Ecclesiam quoque spectat, cui quidem injuria inferri non potuit, quin repararetur; dictus Parochus ea tantum de causa eas impensas solvit, ut matrimonii, de quo quaeritur, redintegrationem impediret, & in hoc quidem se ipse decepit, vel deceptus est, si ei spes data fuit fore, ut nihil innovaretur.

Decisum in Sorbona hac die . . . .
G. Fromageau.

Parochi praesentia ad Matrimonii validitatem.

CASUS XXXIII.

1. *Matrimonium solemnibus caeremoniis iniri non potest nisi praesente Parocho mutuum contrahentium consensum cognoscente.*
2. *Praesentia haec non solum physica, sed etiam moralis esse debet, ita nempe ut Parochus, quod coram se fit, intelligat, ac sciat.*

QUAESITUM.

Cum adolescens ob genitorum suorum oppositionem non posset consuetis caeremoniis puellam, qua abutus fuerat, in Conjugem ducere, cum ea id init consilii, ut ambo die Dominico puellae Parocho Missam Parochialem celebranti se sistant, itaque publice edicant se sibi mutuo conjugalem fidem dare; quod & praestiterunt. Illi quidem Parochum, dum sacrum faceret, interpellare voluerunt, ot ab ipso audirentur; at ille perrexit de more, atque adeo testatur se nihil eorum intellexisse, quae suppositi contrahentes infra Altare post eum dixerunt.

Rogantur Sorbonae Doctores, ut definiant, an hoc matrimonium, quod illicitum est, sit tamen validum in his circumstantiis, ut nempe Parochus, cum adesset, & intelligere posset, nihil tamen viderit, audierit ve, ut ipse quidem ait, onde contrahentium consensum percipere posset, quia tunc in suis functionibus animo defixus erat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiae subscriptum censet matrimonium, de quo modo dictum est, nullum esse. Quamvis enim Parochus, qui matrimonio adsistit, hujus Sacramenti, multorum magni nominis Theologorum sententia, minister non sit: quia tamen matrimonium nonnisi per ejus praesentiam celebrari potest, necesse est intelligat ipse, quod agitur, & de consensu cognoscat, quem mutuo sibi contrahentes exhibent.

Haec autem Parochi praesentia in matrimonii Sacramento non solum physica est, quae nempe in eo sita est, ut quis alicubi corpore sit; sed debet moralis esse, ita scilicet, ut ille audiat, sciatque, quod se praesente fit. Haec est Juris mens, ut Ledesma (*d*), Fevretus, & alii complures, quorum testimonia Barbosa in medium affert, animadvertunt.

(*a*) Navarr. in Manual. cap. 25. n. 144.
(*b*) Rituale Paris. de Sacram. Matrim.
(*c*) Glossa V. Causam cap. cum medicinalis de sententia excommunicat. in sexto. Sairus l. 1. c. 13. n. 2.
(*d*) Ledesma de Matrim. c. 6. dubit 3. Fevret. lib. 5. c. 2. n. 43. Barbosa de officio Parochi. cap. 21. n. 49.

tunt. Hæc autem sunt Juris verba Lege *coram Titio ff. de verborum significat. Coram Titio aliquid facere jussus, non videtur eo præsente fecisse, nisi is intelligat.*

Quamobrem cum ex proposita facti specie certum sit Adolescentis ac puellæ verba ad Parochi aures non pervenisse, quia eo tempore, quo Parochialem Missam celebrabat, maxima, qua par erat, animi intentione ad sacra Mysteria incumbebat, consequens proinde fit, hoc, de quo quæritur, matrimonium nullum & invalidum esse.

Decisum Parisiis hac die 9. Januarii an. 1695.
G. *Fromageau.*

Matrimonium Militis, qui nullum habet domicilium.

CASUS XXXIV.

1 *Miles, qui quindecim ab hinc annis castra sequitur, nullum domicilium habere censetur.*
2 *Ætatis an. 32. potest matrimonium inire Parisiis cum puella ibidem commorante, quamvis Haynaut nata fuerit.*
3 *Puella non indiget consensu Parochi, apud quem suum domicilium habebat, antequam Parisios veniret.*

QUÆSITUM.

Titius in Aquitania natus, tricesimo secundo ætatis anno, cum a Patre quindecim ab hinc annis recessisset, nullum postea certum domicilium habuit, semper castra secutus; poteftne Parisiis in uxorem ducere Corneliam Haynaut natam, ubi proprium domicilium habet, quin vel proprii Parochi, vel Episcopi Cameracensis Prælati sui consensum afferat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent in proposita facti specie, quam viderunt, expenderuntque, Titium tanquam omnis prorsus domicilii expertem spectari posse, & quod inde consequitur, ex eorum numero esse, de quibus sermo est in Tridentina Synodo *Sess. 24. c. 7. de reform. matrim.* quibus Episcopus contrahendi matrimonii veniam tribuere potest, ita ut Parocho minime liceat ejusmodi matrimoniis absque Prælati mandato interesse, & id quidem prout in laudata Synodo declaratur. At si Ordinarius matrimonii veniam concedat, subscripti putant illud peragi posse a loci Parocho, ubi contrahentes actu morantur, nec Corneliæ Episcopi, vel Parochi consensu opus esse. Ita sentiunt Sanchez *l. 3. disp. 25. n. 14.* & Barbosa *in cap. 7. sess. 24.* quam nos appellavimus.

Parisiis die 25. Martii an. 1677.
A. *de Lamet.*

Matrimonium non voluntarium, & coactum.

CASUS XXXV.

1 *Adolescens, qui falso accusatus a puella, quod geminorum, quos illa pepererat, pater esset, eam ducere coactus est vi Rescripti, mortem minitantis, vero cum ea matrimonio conjunctus non est.*
2 *Posset aliam ducere, dummodo ejus suppositam matrimoniam non innotuerit.*
3 *Confessarius eam ad Sacramenta admittere potest.*
4 *Si Ecclesia eum cogere vellet cum ea, quam vi tantum adactus duxit, conjugali more versari, censuræ, quæ quidem in eum pronuntiarentur, irretitus non foret.*
5 *Puella, quæ eum falso accusavit tanquam duorum filiorum patrem, quos ex alio susceperat, tenetur pro viribus & malum, quod ipsa perpetravit, & quæ ille subiit, incommoda reparare.*
6 *Posset adolescens matrimonium suum redintegrare, illud ab initio repetens coram Parocho, vel a Pontifice petere potestatem illius redintegrandi per consummationem, & mutuam conjugalis fidei promissionem.*

QUÆSITUM.

Adolescens, cum puellam seduxisset, & se pravo commercio per plures menses cum ea miscuisset, ei se sponsum promisit, ea conditione, si illa ei fidem servaret.

Commercio hoc aliquanto post interrupto, ventrem tamen puella gessit, & octavo post adolescentis secessum mense gemellos fratres in lucem edidit. Eum illa ad Judices tanquam gemellorum patrem detulit; post varias insectationes obtinuit Senatus Rescriptum, quo ille sub mortis pœna eam ducere jubebatur. Suam ille non semel innocentiam testatus est, ac jurejurando firmavit, sed frustra. Itaque ut mortem effugeret, ad Ecclesiam se contulit puellæ ducendæ causa; sed cæremoniis confectis, ab ea recessit, nec ut ad eam redeat, omnino adduci potest.

Puellæ judicio filii ex eo adolescente suscepti non sunt; significavit enim Confessario veri patris absentiam impedimento fuisse, quominus eos illi traderet; rata sibi jus esse eos tribuendi adolescenti, a quo primum corrupta fuerat, & conjugalem fidem receperat.

Hoc posito, quæritur,

I. An valeat adolescentis matrimonium, quamvis ille mortis formidine adactus fuerit; ac si nullum detegatur, possitne in longinquas regiones abire, ibique, quovis evitato scandalo, aliud matrimonium contrahere?

II. Quod si matrimonium valeat, quæritur, an adolescens de ductæ fœminæ infidelitate convictus teneatur in foro conscientiæ cum ea conjugali more versari?

III. Sin haud teneatur, quæritur, an ob promissa, quibus ei se obstrinxit, & ob pravum commercium, quo alias ei se miscuit, debeat numerata pecunia, vel alia ratione eam compensare?

IV. An si Superiores Ecclesiastici excommunicationem & Sacramentorum privationem adolescenti minitantur, ni ad eam suppositam conjugem redeat, causa subsit, cur inde timeat; & an excommunicatio, si infligatur, legitima futura sit?

V. Quomodo Confessarius cum hoc adolescente se gerere debeat; possitne, Superioribus Ecclesiasticis in eum minime procedentibus, ipsum absolvere?

Ad puellam quod attinet, si, quod autumant, matrimonium validum non sit; cum adolescentem in gravissima incommoda, atque ingentes impensas falsa accusatione conjecerit, & impedierit, quominus aliam duceret: tenetur necne illata ei damna farcire?

I. Nonne debet coram Judice declarare, quicquid inde mali futurum sit, tametsi turpi commercio se cum adolescente miscuerit, re tamen ipsa geminos filios ex eo susceptos non fuisse?

II. Facta hypothesi eam ad hujusmodi declarationem non obligari: nonne saltem assentiri debet, ut quoad thorum, ac bona a supposito viro separetur, quo eum a Superiorum Ecclesiasticorum minis in tuto ponat?

III. Teneturne ad aliquam compensationem ob carceris, in quo ille jacuit, diuturnitatem, & impensas, quibus obnoxius fuit?

Quid agere debet Confessarius, ut puellam hanc in salutis viam revocet?

Animadvertendum est factum esse, ut ad eumdem Confessarium uterque, alter alterius inscius accederet; iisdemque auctoribus proponitur hæc facti species?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum super prima adolescentis quæstione putat matrimonium nullum & invalidum esse, quamvis externam matrimonii speciem præsetulerit; Judices porro nonnisi juxta alle-

allegata & probata, quibus adolescens convictus est, judicare potuisse; sed ea tamen convictione non mutari naturam rei, quæ semper eadem permanet coram Deo.

Ex eo judicio, cujus fundamentum falsitas est, puellæ nullum jus existere propugnandi matrimonii, quod factum est solum formidine mortis, ad quam adolescens damnatus erat. Hac autem formidine ademptam ei fuisse libertatem, quæ ad verum matrimonium absolute necessaria est. Ita Theologorum gravissimi statuunt. Videndi D. Thomas *dist.* 29. *q. unica quæstiunc.* 1. *in corp.* S. Bonaventura *q.* 1. *n.* 5. Scotus *q. unica* §. *hic detur*, Durandus *q.* 2. *n.* 7. Richard. *art.* 1. *q.* 1. Palud. *q.* 1. *art.* 3. *conclus.* 1. *n.* 17. Navarrus *Manual. cap.* 22. Tabiena, *v. Impedimentum* 9. *n.* 3. *Respondeo*, inquit Auctor hic, *secundum D. Thomam, quod vinculum matrimonii perpetuum est; unde illud, quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium; metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem tollit, quia potest repeti in integrum. Talis ergo coactio, quæ est metus cadens in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia.* Ita pariter docent Canonistæ omnes in tit. *de iis, quæ vi, metusque causa fiunt c. Abbas c. Cum dilectus*; & in hanc sententiam Alex. III. *c. Abbas* ita locutus est: *Quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*; & titulo de Sponsalibus c. cum locum: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur: matrimonium autem solo consensu perficitur, & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire.* Idem Pontifex hanc doctrinam confirmat *c. Veniens eod. tit.* & *c. Significavit, de eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit per adulterium.*

Igitur facta hypothesi Adolescentem hunc coactum egisse, & in hoc matrimonium vere & ex animo non consensisse, matrimonium, quod cum alia contraheret juxta Ecclesiæ Regulas, validum foret; quia nempe non est ligatus coram Deo, nec peccaret, si id sine scandalo exequi posset, quin videlicet ibi ubi contraheret, prioris matrimonii species, aut quo damnatus fuit, Rescriptum omnino innotescerent. Si enim hæc non detegerentur, priore matrimonio ligatus haberetur, mulier, quam in extera regione duxisset, nunquam ut ejus veri nominis uxor spectaretur, & se obnoxium redderet pœnis, quas Leges in eos instituerunt, qui priore vivente conjuge, alteram ducunt.

Et hac quidem responsione secundæ quoque quæstioni satisfactum est.

Quoad tertiam, cum puella fidem non servaverit adolescenti, promissiones, quibus ille sub ea conditione eidem se obstrinxit, omnis omnino roboris expertes sunt.

Quoad quartam, satis quidem causæ subesset Ecclesiæ ex iis, quæ apparent, quamobrem censuris adolescentem adigeret, ut cum puella, quam juxta consuetas regulas duxit, tanquam maritus viveret, cum nihil non appareat, quo non convincatur; Sed cum ejus matrimonium re vera nullum sit, eum censuræ non irretirent.

Quoad quæstionem quintam, si Ecclesia in eum non procedat, quia vere matrimonio junctus non est, nihil impedit, quominus Confessarius perinde cum eo agat, ac cum quovis alio fideli ageret, eique Sacramenta administret, siquidem juxta præsentem dispositionem eumdem dignum judicaverit.

Ad puellam quod spectat, censet Consilium necesse esse, ut quantum licet, ac potest, injuriam, quam intulit, reparare conetur. In hunc finem Advocatos consulere debet, ex quibus, quid sibi consilii ineundum sit, intelliget. Id sane difficillimum judicat Consilium, propterea quod filiis ex Rescripto accessit titulus, ac valde timendum est, ut contraria puellæ declaratio admittatur, atque impedire possit, ne filii utantur jure, quod ex contradictorio Rescripto acquisiere.

Puella porro tuta conscientia asserere nequit adolescentem puerorum patrem esse, nec ab eo Rescripti executionem extorquere debet. Nec potiore jure vel illa in publicis Actis, quæ ederet, se adolescentis uxorem dicere potest, vel adolescens ipse se ejus virum nominare, quin mentiatur, & id, quod abest a veritate, confirmet, nisi forte statuat eam conjugis loco habere, & matrimonium rursus inire. Id quoque difficillimum factu esset, quia cum illi matrimonium jam contraxerint, eos Parochus admittere nollet, nisi priore matrimonio abrogato. Itaque id unum superesset, ut externis cæremoniis suppositis tanquam peractis, ambo in matrimonium consentirent *in ipso actu maritali*. Hoc tamen consilium nonnisi Romana Pœnitentiaria probante, creditur ineundum. Posset interim Pii V. auctoritate fulciri, referente Navar. *Consil. l.* 4. *de Sponsalib. Consil.* 14. *n.* 15. Quia tamen Pii V. definitio ad eamdem facti speciem non spectat, satius proinde foret adiri Pontificem, ac rogari, ut Pii V. decisionem ad eum, de quo agitur, casum extendat. Verum si id consilii caperet adolescens, ad quod coram Deo non est obligatus, gemellorum fratrum, qui ex ipso non sunt, specioso juri novam vim adderet.

Adjicit Consilium puellam regulariter omnibus dispendiis, ac damnis obnoxiam esse, quæ adolescenti, quem injuria insectata est, attulit; quod si tamen Adolescens ea abusus non est nisi vi promissionis conjugalis, quæ crimen præcessit: Consilium in ea est sententia, ut quamvis puella promissionis executionem jure petere non potuerit, propterea quod fidem violavit, Adolescens tamen, qui ejus infidelitati ansam præbuit per matrimonii dilationem, ad aliquam restitutionem, prout prudentes viri judicaverint, obligetur, qualis esset summa, quæ ad dotem proxime accederet. Verum si promissionem solum præstitit, postquam ipsam deseruit, & eadem abuti destitit: restitutio non ita gravis esse deberet, ac statui posset compensatio inter id, quod adolescens debet, & id, quod ipsi a puella debetur ob dispendia, & incommoda, quæ falsæ accusationis causa pertulit.

Decisum Parisiis die 8. Decembris ao. 1688.
Aug. *de Lamet*.

Matrimonia secreta, & sine contractu.

CASUS XXXVI.

1 *Matrimonia, quæ celantur, & in quibus scripti nihil intervenit, valent, modo cæteroquin omnia serventur, quæ Ecclesia præscribit.*

2 *Sed quoniam gravibus subsunt incommodis, non in perpetuum celanda sunt, & hac in re virorum, qui prudentia, & doctrina polleant, nulloque partium studio ducantur, consilio standum est.*

QUÆSITUM.

COnspicuo vir genere puellam domi suæ commorantem secreto ducere cupit. Omnia quidem, quæ præscribuntur servare vult, & coram proprio Parocho ac testibus matrimonium inire, nullo tamen exarato Contractu. Quærit, an tuta conscientia ita matrimonium inire possit?

Ejusmodi matrimonium valere videtur, cum Contractus Sacramenti essentialis conditio non sit, quin etiam passim Ruricolæ nubunt nullis scriptis, quia consuetudines hunc defectum supplent, & bonorum distributioni ac dispensationi consulunt tum quoad contrahentes, tum quoad filios.

Sed alia ex parte idem matrimonium validum non apparet, tum quia domesticum atque adeo publicum scandalum oriretur, si vir cum fœmina maritali licentia uteretur, antequam eam ejus uxorem esse publice constaret, tum quia filii patris ac matris hæreditate privari possent, prout Hallæus monet in sua Theologia: *in Gallia debent scripto fieri: alioquin civiliter irritantur*. Verum juris praxis repugnat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, ad matrimonii validitatem absolute necessarium non esse, ut partes Contractum ineant, quia matrimonii conventiones pendent a Lege, vel a Consuetudine domicilii viri.

Quamvis autem matrimonia sine scripto valida sint, modo nihil omittatur eorum, quæ ad hoc Sacramentum præscripta & necessaria sunt; si tamen hac ratione peracta sint, toto vitæ tempore celanda non sunt. Hæc nimirum Ecclesiæ mens est in multis Canonibus; hæc sanctio Edicti mensis Novembris an. 1639. art. 5. declarantis abusum in Regno esse, ut matrimonia secreta & occulta serventur; id anim reverentiæ tanto Sacramento debitæ repugnate. Ibidem subinde statuitur, ut filii, qui ex iis matrimoniis nascentur, quæ Conjugati hactenus celarunt, vel imposterum celabuat, quamdiu vixerint, quæque potius concubinatus turpitudinem, quam matrimonii dignitatem præseferunt, & nati natorum omnis prorsus hæreditatis jure careatit.

Et sane scandalo præbetur occasio, ut in expositione dictum ast, si de eorum maritali convictu constet, de quorum matrimonio ignoratur. Hæc matrimonia occulta, & sine Contractibus exaratis tum in Regno; tum in Ecclesia possunt gravia incommoda tegera; cum exempli causa matrimoniorum Codax vel misere deturpatur, vel perit; incerta redditut filiorum conditio, conjugati se mutuo deserete, & ad alias nuptias transire possuat; ex quo judicium ferri licet de malis, quæ ex his matrimoniia occultis & sine scripto possunt existere; cum in ejusmodi casibus testium probatio non admittatur juxta idem Edictum art. 7.

Opus est igitur ad matrimonia occultanda magnis & gravibus causis, quarum ii, quorum interest, judices esse non debent; & quarum examen committendum est prudentibus doctisque viris, qui tempus definient, quo matrimonia occulta remaneant, & rationes indigitabuat, quibus scandalo, & incommodis, quæ inde oriri pollent, occurratur.

Decisum hac die 11. Februarii an. 1697.

G. *Fromageau.*

Matrimonium, cui quis se non consensisse contendit.

CASUS XXXVII.

Qui puellam, qua abusus est, in uxorem ducit lubens quidem & volens, sed cum intentione eam non ducendi, nec habendi conjugis loco, ad Officialitatem accedere debet, ut matrimonii abrogationem obtineat, ostendens, intentionem suam adeo publicam fuisse, ut nec puella, nec consanguinei de ea dubitare possent.

QUÆSITUM.

Sempronius major ad Mariam ducendam ab ejus consanguineis adactus, quia illa ex eo se ventrem gerere pronunciabat, sa ab ejusmodi matrimonio valda abhorrere testatus est, palam edicens se Mariæ omnino non promisissa, atqua ante matrimonii celebrationem Parochum monens se cum ea matrimonium inire nolle.

Is autem erat Sempronii Parochus, qui in ejus Prædiis in alieaa Parochia ex Pontificis dispensatione matrimonium celebravit.

Concessa fuerat ea dispensatio super affinitate, quæ inter Sempronium & Mariam intercedebat. At da matrimonii articulis & conditionibus Pontifex ignorabat.

Momento ante celebrationem, & ad Altare ipsum, ubi peracta est, Sempronius legendum curavit Contractum Notarii manu firmatum, quo Maria se nunquam cum eo versaturam esse promittit.

In ipsa celebratione Sempronius Mariæ in conjugem ducendæ nec intentionem, nec voluntatem habuit, quamvis ore tenus consenserit.

Post matrimonii celabrationem Maria refragata est, & egit coram Judice, ut eum secum vivere cogeret; restitit ille palam edicens matrimonium juxta regulas peractum non esse; cumque Mariæ comminaretur effecturum se, ut illud abrogaretur, illa destitit ab actione.

A matrimonii celebratione anni prorsus undecim excurrere, quin ullum inter Sempronium ac Mariam commercium extiterit. Sane per aliquod tempus in eadem domo, non tamen in eodem cubiculo versati sunt. Quæritur, an post tot annorum spatium Sempronius matrimonii abrogationem petere possit?

Nota Mariam in matrimonii Contractu fidem dare se statim a celebratione in patris sui domum concessuram, quin Sempronius ei val tantillum ad sustentationem tradere teneatur, bonis tantum dotalibus eidem relictis; acceptavit eas conditiones pater, semperque apud se filiam retinuit.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quod Sempronius postulat, id ei concedendum non essa, nisi probet se in Mariæ matrimonium minime consensisse; quippe matrimonii specie subsistente, super impedimento dirimente dispensaate Pontifice, & peracta celebratione coram contrahentium Parocho, & testibus, gravibus sane probationibus opus est ad matrimonium, in quo nulla vis apparet, abrogandum. Inductio, de qua queritur, ad matrimonii abrogationem non sufficit, cum naturæ consonum sit puellæ corruptæ, ventremqae gerenris consanguineos nihil non agere, ut ad puellæ famam matrimonio reparandam seductorem adducant; præsertim cum Sempronius major esset, & sui juris. Non videtur igitur id ipse impugnare posse, quod juxta formam ab Ecclasia præscripram fecit; nec sa tueri potest decisione *C. Consultationi extra de sponsalibus*, cum nihil adleget, quo timor cadens in constantem virum evinci possit. Si tamen verum esset Sempronium in matrimonium non consensisse, quamvis externis careat probationibus, nullum sane existeret matrimonium ex defectu consensus, qui est actus internus, nec proinde aliunde quam ex externis actibus, licet æquivocis, ac fictis innotescere potest. Si tamea Sempronius ex matrimonii Contractu probare posset, quod cum Maria inivit, matrimonium ea condirione suspensum fuisse, ut nunquam vel una degerent, vel concumberent; esset, cur ad Ecclesiasticum Tribunal supplex accederet, & matrimonii abrogationem exposceret, præsertim vero si posset ostendere nunquam illud consummatum fuisse, quia ea nunquam simul habitandi conditio matrimonii fini & essenriæ repugnat, ut docet Ledesma, quem citat, probatque Sanchez *de matrim. l. 5. de contractu conditionato, disput. 10. n. 5.* cujus hæc verba sunt: *Tertio infertur, quid dicendum sit de pacto non cohabitandi simul, de quo Petrus de Ledesma de matrimonio disputatione 47. art. 3. dub. 4. in solut. confirmat. ad 6. art: si sit pactum de non cohabitando ad tempus, non vitiare matrimonium; secus, si sit pactum non cohabitandi: quia ad essentiam matrimonii non pertinet, ut omni tempore cohabitent conjuges: bene tamen mutua habitatio, ut constat ex ea particula; individuam vitæ consuetudinem retinens*, quæ pars est definitionis matrimonii.

Eamdem doctrinam tradit Suarez *lib. 11. disput. 4.* probatque auctoritate Sacræ Scripturæ *Genes. 2.* Aristotelis *8. Ethic. cap. 12.* D. Thomæ, Abulensis. Debet igitur Sempronius secum in animo reputare, an quod proponit, probare possit, cum non sit vero simile Parochum sareri Sempronium ore assensisse, non corde, & se tamen, haud perspecta ejus mutatione, ad matrimonii celebrationem devenisse.

Decisum Parisiis in Sorbona die 26. Junii an. 1689.

A. *de Lamet.*

Matrimonium, absente priore viro, cum alio contractum.

CASUS XXXVIII.

1 *Mulier, cujus vir multis ab hinc annis abest, tuta conscientia non potest alteri nubere, nisi ei de prioris viri morte certæ suppetant probationes.*

2 *Quæ ad novum matrimonium transeunt levibus præsumptionibus ductæ, graviter peccant. Possunt equidem aliquando posteriori viro in bona fide existenti conjugale debitum reddere, sed petere ipsæ non possunt.*

3 *Si de prioris viri morte dubitationes suboriantur, tum vero nec reddere, nec petere debitum possunt, quoad res ponatur in bono lumine.*

QUÆSITUM.

AN mulieri de viri morte ignoranti danda sit ea venia, ut alteri nubat?

RESPONSIO.

Super quæstione, tolerandumne sit matrimonium mulieris, quæ ex rumore, qui de prioris viri ex annis tribus militantis morte percrebuit, alteri nupsit, Consilium Conscientiæ subscriptum censet ex *cap. in præsentia de sponsalibus* mulieri minime licere novum matrimonium contrahere, *licet super hoc*, Capitis verba sunt, *sollicitudinem adhibuerit diligentem*, nisi de prioris viri morte certus ei nuntius allatus fuerit. *Viventibus viris suis non possunt ad aliorum consortium canonice convolare*, inquit Clemens III. *nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum*. Lucius III. summus Pontifex idem statuerat, ut intelligimus ex *Tit. de secundis nuptiis, matrimoniis, quæ quidam ex vobis (nondum habita obeuntis conjugis certitudine) contraxerunt, id vobis respondemus, ut nullus amodo ad secundas nuptias transire præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migraverit conjux ejus*. Innocentius porro III. scribens in caput hoc explicat, quomodo mariti mors probari debeat: *Habita præsumptione propter longinquitatem temporis, testimonium Magistri exercitus, & multum in his requirendum est . . . . vel dic, quod nunquam licet nubere, nisi prius receperint certum nuntium de morte viri, ut in præcedente Decretali*, innuens Caput *in præsentia*. Quia vero in eodem Cap. *Dominus* Pontifex de iis verba faciens, qui hanc regulam non servaverant, & novum matrimonium non percepta conjugis morte contraxerant, & post matrimonium de ejusdem morte dubitabant, reddendi quidem, non autem petendi conjugalis debiti facultatem ipsis concedit, monet eam permissionem ad præteritum tantum, non ad futurum tempus spectare, mandatque, ut imposterum certus de morte nuntius existat: *si vero aliquis, vel aliqua hactenus non servavit, & de morte prioris conjugis sibi existimat dubitandum, ei, qui sibi nupsit, debitum non deneget postulanti: quod a se tamen noverit nullatenus exigendum*. Innocentius III. super verbo: *servavit*, ita animadvertit: *in præterito, in futurum non habet, nisi habito certo nuncio de morte viri sup. de Sponsal. in præsentia*.

Atque hoc quidem sensu accipienda est Decretalis *Quoniam* Innocentii III. *ut lite non contestata l. 2. Decretal.* prout animadvertit Altaserra in hoc Caput: *Ubi autem quæritur, an mulier transire possit ad alias nuptias, tunc requiritur certus nuncius de obitu l. mulier §. miles ff. ad leg. Jul. de adult. auth. hodie C. de repud. Nec movet Pontificem periculum lapsus carnis, quoniam multi casus occurrunt, in quibus conjuges sine culpa sua continere coguntur*. Glossa porro in *C. in præsentia* explicans ea verba, *donec certum nuncium*, de muliere, cujus vir castra secutus est, *nec potest de morte per magistrum militum, vel per alium* certo cognoscere, ita pronunciat: *Tunc mittat ad locum, vel ad vicina loca, ut inquirat, si potest: alias expectet, quamdiu certificata fuerit de morte*. Hoc fundamento nixus Paulus Comitolus *lib. 1. respons. moral. q. 127.* putat defectum probationis mortis esse novi matrimonii dirimens impedimentum, etiamsi viri mors re ipsa contigerit. Itaque ad quæstionem propositam dijudicandam sciendum esset, an de mariti ab annis tribus absentis morte mulier audierit, quomodo ad eam de ejus morte rumor pervenerit, atque an idem rumor virorum, qui asserant se scire per se ipsos, vel ex aliis fide dignis auditiona accepisse, constanti testimonio nitatur, ut animadvertit Sanchez *de matrim. l. 2. disp. 46. n. 16.* Quod si probationes aliquam difficultatem patiuntur, deferendæ sunt ad Episcopum, qui earum pondus expendet; propterea quod in hujusmodi casibus, ut rectus ordo servetur, Ecclesiæ auctoritas intervenire debet, ut ex *Cap. in præsentia* licet intelligi, *nec auctoritate Ecclesiæ permittas contrahere*; quod sane fieri nequit, nisi res ad Præsulem deferatur. Si ergo ille mulieris probationes certas judicavit, eæque ejusmodi sunt, ut incolæ virum obiisse pro certo habeant, existimatur ab ea novum matrimonium valide contrahi potuisse, ipsamque potuisse, atque etiamnum posse conjugale debitum reddere, ac petere, quia juxta Glossam cap. *In præsentia, verbo, ubi verisimiliter præsumitur de morte, si mulier nubat, excusatur*, accepta tamen hac verisimilitudine juxta vim juris in hoc capite instituti. At si eadem mulier, ad viri mortem quod attinet, non extitit in ejusmodi verisimilitudine, & in præsumptione tam gravi, ut certitudo censeatur; *certum* quippe *dicitur*, inquit Armilla *de matrim. n. 44. quod per violentas præsumptiones habetur*; creditur nec secundum matrimonium contrahere, nec conjugale debitum petere sine culpa potuisse.

Decisum Parisiis hac die . . . . . .

Aug. *de Lamet*.

Matrimonium Viduæ cum sui quondam viri spurio.

CASUS XXXIX.

1 *Non potest tuta conscientia peti a Romana Curia dispensatio, qua viduam in uxorem ducere possit is, qui vulgo habetur filius spurius viri ejusdem viduæ.*

2 *Pontifex, si de hoc rumore cognosceret, eam dispensationem nequaquam concederet. Itaque divertto opus est, quæcumque tandem incommoda inde futura sint.*

QUÆSITUM.

CAja nobilis vidua admodum ægre fert continentiæ jugum; quia tamen virtute prædita est, & Deum timet, nihil absonum aggredi vellet. Adolescens nomine Cajus, qui jam a multis annis in eadem domo degit, & negotia procurat, ad peccatum illam sollicitat; at Caja, cui honestas magnopere cordi est, assentiri omnino renuit, & præpostero consilio decepta sibi persuadet posse se cum Cajo matrimonium inire, quod conscientiæ appellatur, ac subinde cum eo concumbere nec conceptum, nec partum omnino verita ob multam ætatem. Longo post tempore cum illa intellexisset matrimonium suum clandestinum esse, ac proinde nullum, utpote absque Parochi præsentia celebratum: pergunt ambo ad proprium Pastorem & senem, & valetudinarium, qui, omni re cognita, atque perspecta, ab iis priorem consensum repeti jubet; quo facto, putant illi se posse convivere; & eorum quidem commercium aliquandiu persistit.

Denique cum conscientia ipsa ejusmodi matrimonium iis exprobraret, Caja, quæ, ut dictum est, audiebat prudens ac proba, Doctorem adit, eique in aurem detegit statum, in quo versatur, initum cum Cajo matrimonium, & animi inde ortam sollicitudinem; additque adolescentem illum, quicum matrimonium inierat, viri sui filium videri, & gravem præsumptionem sibi suppetere, cur ita credat, quippe quæ fœminam noverit, cui suus defunctus vir, antequam se duceret, multorum annorum spatio se flagitiose miscuerat. Suspicionis hujus ea ratio est, quod defunctus, qui ex ea fœmina, quæ

apud

apud ipsum degebat, quinque aut sex filios susceperat, ajebat identidem, de Cajo loquens, se ei patrem non esse; tanta inter eos erat diversitas morum, indolis, ac pilorum; pater enim erat crine ruber, Cajus autem niger; cæteri porro filii quinque patrem ac matrem magnopere referebant. Inde autem extitit præjudicium, quod defunctus profectus Parisios, ubi per annum moratus est, quam domi reliquerat, fæminam rediens gravidam reperiit; quare ita exarsit ira, ut nihil aliud in animo haberet, quam ut illam dimitteret. Et sane paulo post ei virum dedit e servis, secum retinens omnes, quos ex ea susceperat, filios, e quorum numero Cajus erat, cui Caja nupsit.

Hoc posito, quæritur I. an Caja possit tuta conscientia a summo Pontifice dispensationem petere, ut Cajo nubat, quia separatio aliis quidem scandalo futura est, ipsis autem infamiæ, ac præsertim mulieri, præterquamquod Cajus de vita periclitaretur; cum enim ille domestica negotia jamdiu procuraverit, & bona non pauca in privatum commodum convertere possit, dubio procul id agnoscentes Cajæ consanguinei ulciscentur injuriam, eumque perdent, quod Cajæ bona diripuerit, postquam ipsius famam denigravit, eaque, quam superabant, successione ita omnes ejus hæredes frustratus fuerit.

II. Quid ineundum consilii, quod attinet ad Sacramenta tum in Paschate, tum in aliis solemnibus diebus festis Cajæ administranda, præsertim cum illa & pia habeatur, & ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta passim accedat, adeoque diu ab utroque hoc Sacramento abstinere non possit, salva fama, nec ad longum tempus abesse domo, tum rei domesticæ, tum matris causa, quæ apud eam degit, & indiget ejus ope? Super hac re quæritur, Doctores quid sentiant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Cajam tuta conscientia dispensationem a Pontifice postulare non posse, ut sibi liceat Cajo nubere; quamvis enim hoc matrimonium valeret, si Cajus nempe defuncti Cajæ viri filius non esset, atque in affinitatis impedimento dispensari posset, si ille idem vir Cajo pater non foret; cum tamen ea dispensatio non innotescat, & Cajus defuncti filius habeatur, utpote cum cæteris filiis domi altus educatusque non sine publico gravique scandalo: longe majus evaderet ejusmodi scandalum, si de clandestino Caji & Cajæ matrimonio suspicio suboriretur. Quoniam ergo huic malo nullum aliud remedium præter divortium afferri potest; id unum videlicet superest, ut omnis occasio peccati tollatur; nec juvat eos ad Pontificem confugere, ut dispensationem obtineant, quam profecto negabit Pontifex, si de re tota cognoverit, ac si in libello supplici id innuatur, quod dicitur *fama publica*. Ita sentiunt Theologiæ Doctores, qui unanimi sententia statuunt inter Cajum & Cajam perpetuum divortium ineundum esse, eosque secus ad Sacramenta admitti non posse, propterea quod conviventes nunquam non in proxima peccandi occasione versantur.

Decisum in Sorbona hac die 20. Februarii an. 1682.

Aug. *de Lamet*.

Rescriptum occasione dispensationis super impedimento matrimonii.

CASUS XL.

1 *Cum duplex adest matrimonii impedimentum, unum occultum, & alterum publicum, in Pœnitentiaria, ad quam ob occultum confugitur, facienda est mentio impedimenti publici; aliter nulla est dispensatio.*

2 *Adolescens, qui se pueri patrem declaravit, ut puerperæ famam in tuto poneret, potest Officiali se sistere, & ut id sibi probare liceat, postulare.*

3 *Potest Episcopus dispensare, cum contrahentes tanquam pauperes spectantur.*

QUÆSITUM.

Titius macelli minister degit apud Mævium macelli magistrum. Cum Bertha Mævii filia ex alienigena ventrem gereret: Mævius Titium sollicitat, ut se pueri, quem illa alvo gestat, patrem fateatur, eamque illi sponsam promittit. Titius ergo sponsalia contrahit cum Bertha, peraguntur publicationes; & post postremam Bertha parit, & moritur ante matrimonii celebrationem. Refertur in Actis baptizatorum puerum recens natum ex Titio patre esse, eumdem tamen Titium id fateri nolle; sed tandem post graves sollicitationes ille subscribit, ut in tuto ponat famam defunctæ, quæ mense Decembri an. 1695. mortem occubuit.

Anno insequenti 1696. prope Pascha defunctæ consanguinei Titio, cujus opera ad familiæ bonum valde indigebant, in uxorem proponunt Catharinam Berthæ sororem, annos tunc natam prope viginti. Consentit Titius; sed quia ille ob sponsalia cum eadem Bertha publicæ honestatis impedimentum cum Catharina contraxerat: communem amicum adeunt, eumque ingenue ac bona fide de re tota certiorem faciunt. Ille a Romana Curia Junio mense an. 1696. super eo impedimento dispensationem impetrat: *in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem, paris conditionis, cui nubere possit, non invenit*. Quia porro Pontifici non exposuerant, Titium se patrem fassum esse filii Berthæ, Sororis Catharinæ, idem amicus Octobris mense ejusdem an. 1696. a Romana Pœnitentiaria obtinuit Breve, quo cum Titio dispensabatur *in primo ex actu fornicario*. Titius accepto Brevi se sistit Confessario, a quo absolutionem ac dispensationem obtinet *in foro conscientiæ*, ut cum Catharina matrimonium inire possit.

Ex Conscientiæ Consilio quæritur, I. an Impetrantes hujus dispensationis declarationem tuta conscientia petere possint? Dubitandi ea est ratio, quod causa, propter quam eam obtinuerunt, non apparet veritati consona; Catharina enim inveniret ibi, ubi est, conditionis æqualis virum, & quidem facilius tunc invenisset, cum a Pontifice dispensationem petiit, utpote annos nata non amplius viginti. Et sane Titius apprime utilis Mævii familiæ, ac puella virum sibi æque idoneum ægre inveniret, quia Titius artem suam adamussim callet, & melius quam quivis alius Mævii commercium curabat. Hæc revera est ratio, propter quam Mævius Catharinam filiam ei conjugem destinat; at ratio tamen non est, ob quam impetrata est dispensatio. Quæ expressa est causa, haud ea quidem cum veritate consentit, nisi, quod ajunt nonnulli, dicere libeat per ea verba, *cui nubere possit, non invenit*, intelligi posse verba hæc, *cui nubere velit, non invenit*. Videntur tamen Impetrantes dispensationis effectu gaudere debere, quippe qui eam bona fide petierunt, & amico, in quem proinde omnis culpa rejicienda est, ingenue totam rem explicuerunt; videri potest Caput *Super litteris, extra, de Rescriptis*.

II. Necesse necne esset dispensationem a Romana Curia obtineri super impedimento *In primo ex actu fornicario*? Videtur omnino certum id necessarium esse, quia Titius fassus est se pueri patrem esse, hæc autem confessio impedimentum publicum efficit. Ad hoc porro impedimentum tollendum non sufficit Breve Pœnitentiariæ, quæ nonnisi in foro interno dispensat; & quamvis ejusmodi Diplomata satis essent, quod tamen Titius obtinuit, ei nihil prodest, quia ponit tanquam certum Titii cum Bertha copulam occultam esse.

III. Quomodo Titius a Pontifice dispensationem petere potest *super impedimento in primo ex actu fornicario*? Quandoquidem ille cum Bertha nunquam rem habuit; necesse interim est, ut ob forum externum dispensationem obtineat super hoc supposito impedimento, quia filii Berthæ pater habitus est; & matrimonium quidem, quod cum Catharina contraheret, aliquando abrogari posset, nisi de impetrata dispensatione constaret.

IV.

IV. Sed cujusmodi esse debebit hujus dispensationis expeditio? Etenim opus est, ut in ea mentio fiat ejus, quæ jam impetrata est; secus secunda dispensatio nulla esset, quia juxta regulam ex multis capitibus *extra de Rescriptis*, & aliquibus aliis titulis ductam id omne exprimendum est, quo gratiam redderet impetratu difficiliorem; & sine hac expressione Rescriptum nullum est; porro nunquam in Romana Curia conceditur hæc secunda dispensatio cum prioris mentione.

V. Satis necne esset ad tranquillandam Impetrantium conscientiam, ut Dataríæ Officialem (*a*) de priore dispensatione jam impetrata in aurem monendum curarent, & rogaretur, ut id Pontifici declararet, ac deinde secundam dispensationem, primæ nulla mentione facta, expediret? Officialis, qui secundam dispensationem pronunciaret, uteretur Epistola, quæ innuitur ad calcem capitis *super litteris, extra, de Rescriptis*.

VI. Admitteretur necne Titius in Romana Curia, ut rem omnem, prout sese habuit, Pontifici exponeret? (*b*) Se videlicet revera ejus pueri patrem non esse, se id non dixisse, nisi ut Berthæ consangaineis gratificaretur, ut ejus famam in tuto poneret, ut eam denique in uxorem duceret; se quidem eam dispensationem eatenus tantum petere, quatenus ea opus esse posset, & ut sibi caveret ab iis, qui matrimonii, quod cum Catharina inire contendit, abrogationem exposcere vellent ob eam causam, quod pueri, qui ex Bertha ejus sorore natus est, pater esse præsumitur.

VII. Admitteretur necne Titius, ut probaret se pueri patrem non esse, quamvis in baptizatorum Codice suum nomen posuerit, seque ejus patrem confessus fuerit? Ille quidem facile ostenderet se semper dixisse, antequam Acta subscriberet, se ejus patrem non esse, nec subscripsisse, sibi imposito patris nomine, nisi consanguineis, quorum famæ consulere volebat, instantibus; tum vero nonne ab alterius dispensationis obtinendæ obligatione satis se liberaret?

Conscientiæ Consilium teputare debet Catharinæ consanguineos mediocri conditione esse, ad commercium, quod exercent, Titii opera opus habere, & jam plus quam scuta centum prioris dispensationis, & itinerum, quæ ob hoc negotium instituere debuerunt, causa expendisse, quæ iis quidem summa gravis est, non ita facile fieri posse, ut Catharina, utpote annos nata 24. virum Titio parem inveniat, præsertim cum suspecta cum Titio necessitudo non mediocrem rumorem hactenus excitaverit; eos denique egisse bona fide, & secutos esse amici consilia, cui quidem, quicquid peccatum fuit, adscribi debet; cæterum fore factu difficile, ut Titii & Catharinæ amicitia dissolveretur, ex qua sane possent mala existere, nisi in matrimonium conjungerentur.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

I. Inde etiam propositi Casus difficultatem augeri posse, quod cum a Romana Curia petita est dispensatio super publicæ honestatis impedimento, rursusque a Pœnitentiaria dispensatio affinitatis *ex copula fornicaria*, omnino exprimendum fuisse existere publicæ honestatis impedimentum, super quo in antecessum impetrata fuerat dispensatio, vel in (*c*) Dataria ejus affinitatis mentionem faciendam fuisse. Is quippe stilus ac mos est, ut cum duplex adest matrimonii impedimentum, occultum unum verbi causa, publicum alterum, in Pœnitentiaria, ad quam ob occultum confugitur, impedimenti publici mentio fiat; secus nulla est dispensatio. Cum ergo Titius in Pœnitentiaria, ad quam supplex accessit, alterius impedimenti, nempe honestatis publicæ mentionem non fecerit, utraque dispensatio, vel saltem posterior, quæ a Pœnitentiaria impetrata est, nulla esse videtur.

II. Ad evitanda propositi Casus incommoda videtur alterutrum fieri posse; ut nempe vel id fiat, quod occurrit in expositionis articulo 6. declareturque præterea super honestatis publicæ impedimento dispensationem paulo ante impetratam fuisse; vel ut Titius ad Officialem confugiat probaturus se revera ejus pueri, de quo in libello supplici dictum est, patrem non esse. Id cum probaverit Titius, ab Officiali deinde mittetur ad Episcopum, ut dispensationem, quantum quidem indiguerit, consequatur.

III. Potest Episcopus eam dispensationem concedere, quia contrahentes tanquam pauperes spectandi sunt, qui libras tercentas, hoc est summam quoad eos gravem jam expenderunt. Præterea timendum est, ne Titius & Catharina graviter peccent, quippe cum in gravi nec semel nec leviter delinquendi periculo versentur, eorumque familiaritas suspicione non careat; præterquamquod non est adeo facilis separatio; ex quo inferri potest in his circumstantiis paupertatis, & periculi proximi incontinentiæ *difficilem esse recursum ad Summum Pontificem*; ac proinde dispensandi jus ad Episcopum in hac facti specie devolutum esse, presertim cum nullum re vera adsit veri nominis impedimentum; Officialis declaratio id evincet, & Episcopi auctoritas, quæ interveniet, aut dispensatio, quam, prout opus fuerit, concedet, efficiet, ne amplius ejusmodi impedimentum quoad exteriorem speciem futuri matrimonii obstaculum sit.

IV. Quod attinet ad difficultatem initio statim propositam, nempe contrahentes neque in Dataria, neque in Pœnitentiaria duplicis impedimenti inter eos existentis ullam mentionem fecisse; id vero nihil negotii facessere debet, quia Romanæ Curiæ stilus, & mos, qui in hac facti specie vim legis obtinent, de duobus impedimentis veris, quæque re ipsa, & non solum specie tenus ejusmodi sint, explicari possunt.

V. Ad id quod spectat, an scilicet Catharina in supplicatione Pontifici exhibita vere dixerit alium virum sibi congruum in Parochia non adesse; respondetur, Titium, ut in expositione quidem dicitur, adeo Mævii familiæ, & quod inde consequitur, Catharinæ utilem esse, ut proinde illa, quin mentiretur, ea verba proferre potuerit: *Virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, non invenit*; atque adeo censetur, in dubio, an Catharina in eum modum legitime loqui potuerit, necne, in impetratæ dispensationis favorem judicandum esse; quia (*d*) Juris mens in hujusmodi casibus ea potius est, ut Actus subsistant, quam ut destruantur; præsertim cum bona fide contrahentes egisse comperiantur.

VI. Nihil aliud superest, quam ut nonnihil expendantur ea duo, quæ expositionis articulo 4. proposita sunt; quorum primum est, in dispensationis negotio faciendam esse mentionem ejus, quæ jam impetrata est; alterum est, id omne exprimendum esse, quod favorem impetratu difficiliorem reddere posset; secus in utroque casu Rescriptum nullum fore. Ad ea duo principia firmanda complures Juris textus ad marginem afferuntur, ad quos facilis responsio est.

VII. (*e*) Quod attinet ad primum, videtur illud quidem latius patere, quam par est; si enim posterior dispensatio cum priore nihil conjunctionis habet, quamvis ad eamdem materiam spectet; dubitatur, an priorem dispensationem exprimi necesse sit, nisi Jus quidem in eam rem sit expressum. Verum quidem est, cum agitur de matrimonii dispensatione, Romanæ Curiæ stilum ac morem ejusmodi esse, ita ut stilus & mos hic Legem constituant, verum satis clare non occurrit, ut videtur, necessitas hæc in allatis Juris textibus. In eorum enim Capitum nullo de impetratis dispensationibus agitur, quæ ideo nullæ sint, quia priores expressæ non fuerint; in iis locis, seu Rescriptis quæstio est de Justitia, ut in *Cap.* 20. *super litteris*, *de Rescriptis*. In aliis quæstio est de Beneficiis, a Pontifice impe-

(*a*) Cap. Ad aures 8. Cap. Cum adeo, 17. Cap. Constitutus. 19. cap. super litteris 20.
(*b*) Cap. Postulati 27. Cap. quod super his. 7. & cap. cum teneamur 6. de præbend. & dignit.

(*c*) Banacina de legibus disp. 1. quæst. 2.
(*d*) ff. lib. 34. tit. 5. leg. Quoties de rebus dubiis.
(*e*) Bonacina loco cit. p. 4. n. 3.

impetratis absque mentione qualitatis eorum', quæ possidantur, vel absque expressione Beneficiorum, quæ anteqnam posteriora peterentur, possidebantur, cum ajusmodi rerum expressam mentionem Jus fieri velit; vel in eorum Capitum nonnullis agitur de Votis, quæ nulla daclarantur, ut in Capite *super bis de fid. Instrum.* quod vel celata veritas, val obrusa falsitas fuerit. Porro singulares Casus in his Juris Textibus contenti non videntur apte posse matrimonii dispensationibus accommodari, præsertim cum minime lateat communi Canonistarum sententia fete peculiarem Casum ad alium non extendi, nec unius regulam alterins regulam assa, præsartim si adsit materiæ diversitas.

VIII. Non minorem patitur difficultatem, quod secundo loco positum ast, nempe Rascriptum nullum asse, cum aliquid reticetur, quo quidem audito ægrins ac difficilius Pontifex dispensasset. Hæc quoque propositio aliquam postulat explicationem. Hic vero longiore sermone opus esset ad eos Casus indigitandos, in quibus ea propositio vera ast, & in quibus vera non ast, multorum saltem Canonistarum judicio. Satis erit recentioris Auctoris, qui alios veteres in medium affert, sententiam proferri. Pyrrhingus is est in titulum de Rescriptis. (*a*) Distinguit ille finalem ac principem causam, propter quam Pontifex Rescriptum concedit, a causa excitante & impellente, qua scilicet ad id citius libentiusque concedendum movetur; aitque juxta probabiliorem sententiam, cum falsitas, ant veritatis omissio priorem causam respicit, Rescriptum nullum essa, non item, cum posteriorem. En ejus verba:

Probabilius tamen est Rescriptum quodcumque sive justitiæ, sive gratiæ non esse subreptitium, nisi suppressio veritatis, vel expressio falsitatis ad rem postulatam per se, & intrinsece pertinentis contingat circa causam finalem, & principalem concessionis; quia scilicet Princeps falsitate non allegata, vel veritate expressa & cognita probabiliter rem petitam non concessisset, vel non tali modo ac forma concessisset, sed cum certa conditione ac restrictione. Quod si vero subreptio sive per expressionem falsi, sive suppressionem veri tantum fiat circa causam impulsivam concessionis, quia nimirum etiam ea remota & veritate cognita Princeps rem petitam eodem modo concessisset, quamvis difficilius; non debet censeri Rescriptum obreptitium, nisi jus vel stilus Curiæ veri expressionem requirat. (*b*) *Ita Decius*, *Covarruvias*, Sanchez, *Bonacina*.

Longius quoque progreditur Auctor hic; contendit enim loco laudato n. 106. rem Pontifici occultatam, vel eidem adlegatam falsitatem ad obtinendam dispensationem, quam denegasset, si veritatem vel silentio, val mendacio celatam cognovisset, non afficere, ut Rescriptum nullum sit, cum & res est extranea, & pure axtrinseca substantiæ causæ dispensationis; quemadmodum donatio facta pauperi, cujus prava sit vitæ ratio, vel falsa aliqua ratione usus ast, ut elcemosynam axtorqueret, valida tamen est, quamvis ei facta non fuisset, si ejus improbitas & mendacium innotuisset. Paulo fusius discussus ast casus hic, quia in materia non levibus difficultatibus obnoxia versatur.

Decisum in Sorbona hac die 6. Februarii an. 1700.
G. *Fromageau*.

Matrimonium, in quo adest affinitatis impedimentum.

C A S U S XLI.

Potest vir uxorem ducere sibi tertio affinitatis gradu conjunctam.

Q U Æ S I T U M.

Frater	Et Soror
Natalis *Perochet* uxorem habuit Margaritam *Chevet*.	Catharina *Perochet* nupta Francisco *Midou*, cujus.
Margarita *Chevet* secundis nuptiis nupsit Gervasio *Saillard*.	|
Margarita *Chevet* tertiis nuptiis nupsit Nicolao *Poulard*.	Maria *Midou* filia;

QUæritur, an Nicolaus *Poulard* tertins maritus Margaritæ *Chevet*, uxoris prioribus nuptiis Natalis *Perochet*, qui erat avns Mariæ *Midou* possit in uxorem ducere eamdem Mariam *Midou*. D . . . . . rogatur, ut ad hujus libelli supplicis calcem aperiat sententiam suam, eorum Parocho usui futuram.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, axistimat Margaritam *Chevet*, utpote nuptam in primis nuptiis Natali *Perochet*, cum Maria *Midou*, filia Catharinæ *Perochet* primo affinitatis gradu conjunctam asse; sed Nicolaum *Poulard*, qui tertiis nuptiis Margaritam *Chevet* in uxorem duxit, non assa in primo affinitatis gradu cum Maria *Midou*, & quod inde fit consaquens, nullum ex hac parte Canonicum impedimentum existere, quia Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. redegit hoc impedimentum ad primum gradum, ut intelligi licet ex *C. non debet de consanguinitate*, & *affinitate*, & ex Glossa ejusdem capitis *v. in secundo*, & *tertio*, ubi quæstio accurata & anuclaate dijudicatur; ax quo apparet inter Nicolaum *Poulard*, & Mariam *Midou tertium* tantum affinitatis gradum intercedere; ac proinde vi constitutionis laudati Concilii nullum in hac facti specie impedimentum occurrere,

Decisum Parisiis die 3. Septembris an. 1680.
A. de Lamet.

Matrimonium cum affinitate supposita.

C A S U S XLII.

Claudius, qui uxorem duxerat Catharinam, ex primo thoro Renesii filiam, post ejus mortem ducere potest Joannam, quæ fuit altera conjux Renesii, dummodo Claudius, & ipsa quarto gradu conjuncti non sint.

Q U Æ S I T U M.

REnesius his iniit matrimonium, prius quidam cum Barbara, & ai nata ait Catharina, posterius autem cum Joanna.

Claudius uxorem ducit Catharinam ax prioribus nuptiis ortam Renesiio, qua fato functa, perinda ac Renesio ajus patre, & Claudii socero, Joanna vidua remanet. Claudius, & Joanna de mutuo cogitant matrimonio, si tamen inter eos impedimenti nihil intersit. Quamobrem quærunt, an affinitate jungantur, quia & Joanna Renesii conjux, & Renesius Claudii socer fuit.

R E S P O N S I O.

Consilium subscriptum, quod proposita vidit, axistimat nullum adesse impedimentum affinitatis inter Claudium & Joannam viduam ex secundis nuptiis ajus soceri, si dictus Claudius quarto consanguinitatis gradu ei minime conjunctus fuit, quandoquidem ad hoc impedimentum contrahendum requiritur cum conjugatorum alterutro consanguini-

(*a*) Pyrrhing. de Rescriptis. sect. 4. §. 4. n. 103.
(*b*) Sanchez lib. 8. disp. 21. de matrim. Bonacina de legib. disp. 1. q. 2.

atis gradus quartus. Facta igitur hypothesi Claudium cum socero consanguinitatis gradu quarto conjunctum non fuisse, nihil affinitatis cum Joanna contraxit, quamvis affinis fuerit Renesio, qui primus Joannæ maritus fuit. Ratio est, quia affinitas nunc temporis haud longius extenditur, quam ante Concilium Lateranense quartum extenderetur, cum in præsentia revocata fuerit ad primum gradum, ut constat ex *c. non debet extra de consanguinitate & affinitate L. 4. tit. 14.* & ex Glossa ejusdem Cap. *v. in secundo & tertio*. Ex quibus Textibus sequitur secundum & tertium affinitatis gradum matrimonio non amplius impedimento esse, & Claudii cum Joanna matrimonium valide iniri posse.

Decisum hac die 8. Martii an. 1678.
A. de Lamet.

Matrimonium Patrui cum Nepte.

CASUS XLIII.

1 *Peti potest à Romana Curia dispensatio, cujus vi Neptis Patruo suo nubat, cum hoc matrimonium est necessarium ad Avi familiæ excidium impediendum.*

2 *Ad id opus est, ut quæ timentur, litigia nitantur maxima verisimilitudine, ac solidis difficultatibus, quæ in discussione bonorum avi, & neptis occurrerent.*

QUÆSITUM.

Titius Officio fungens ex pluribus, quos habet, filiis majorem natu virum dat puellæ, quæ eum grandi patrimonio locupletat; ille vero vicissim suorum bonorum omnium præsentium ac futurorum dimidium, propriumque Officium filio tribuit.

Moritur filius, eique filia tantum ex matrimonio superstes est; haud contenta mater egreditur soceri domo, sibique filiam petit a Judice, qui eam adjudicat Avo, qui quidem Nurui reddit, quicquid attulit; vidua & ipsa moritur, & Socer repetit ejus bona, iisque omnino fruitur, quæ ad Neptem pertinent. Quia porro non temere creditur fore, ut, hac puella nubente, ex ejus matrimonio Avi familiæ graves lites oriantur: Quæritur, an ad hæc evitanda litigia, atque Avi, necnon ejus filiorum perniciem avertendam peti possit à Romana Curia dispensatio, qua huic puellæ liceat suorum Avunculorum uni nubere?

RESPONSIO.

1 Consilium Conscientiæ subscriptum censet peti posse a Romana Curia dispensationem, qua puellæ liceat Patruo nubere, ne Avi familia pessum eat; dummodo lites, quæ possunt existere, si illa per matrimonium ad extraneam familiam migraret, non excitarentur a Patruis; qui nepti, quod debent, solvere nollent, nisi juris difficultatibus, quæ Patruorum & Neptis rationes dubias redderent. Si enim eæ lites nullo alio fundamento niterentur, quam prava Patruorum voluntate, dispensatio, de qua sermo est, peti non posset, quia injustitia & dolus hac ratione compensarentur. At si bona fide lites graves & juris specie nexæ timeantur, ea dispensatio tuta conscientia peti potest, ea tamen conditione, ut puella sui juris compos fiat, quo nempe funditus rerum suarum rationem cognoscens integra cumulataque quoad hoc matrimonium gaudeat libertate; si eam ex improviso circumvenirentur & de propriis juribus celaretur; hæc agendi ratio dolosa esset. Facta igitur hypothesi re vera necesse esse pro bono pacis, ut Maria suorum Patruorum uni nubat, adiri potest Romana Curia, a qua dispensatio obtinebitur. Id nempe non caret exemplo, cujusmodi affert Sanchez *c. 8. de mat. disp. 19. num. 30.* & nos haud ita pridem in Gallia vidimus.

Decisum Parisiis die 21. Novembris an. 1679.
Aug. *de Lamet.*

Matrimonium cum impedimento erroris personæ.

CASUS XLIV.

1 *Matrimonium nullum est, cum adest error personæ, ac dolus actionis substantiam afficiens, ut si quæ mulier Petro nubat loco Pauli, cui nominatim nubere in animo habet.*

2 *Error, qui ea tantum afficit, quæ sunt accidentaria, cujusmodi sunt nobilitas, pulcritudo, divitiæ, matrimonium nullum non efficit.*

QUÆSITUM.

Quidam forte existens in Provinciæ Urbe sibi *de Mouchi* titulum arrogabat, seque ex Marchionis d'Hoquincourt familia, ejusque consobrinum dictitabat. Accessum habuit apud gradu præstantem virum, cui unica filia erat, in quam proinde unam omnis paterna, eaque non mediocris cadebat hæreditas. Ille momentis prope singulis jactans originem, consanguineos, opes, quas quidem magnopere exaggerabat, nescio quas litteras tanquam a Patre acceptas ex quibus sibi fidem aucupabatur, ostentabat. Puellæ pater de tam egregia consanguinitate sibi plaudens mittendas curavit litteras ad Marchionissam *d'Hoquincourt*, ut cognosceret, an is esset ex familia *de Mouchi*. Respondit illa eum sibi sæpe visum, & ex familia *de Mouchi* natu majorem esse. Interea deceptor, qui nihil aliud mente versabat, quam ut eum, cujus filiam ducere volebat, circumveniret, obtrusit patris procurationem, qua ei grandia pollicebatur, perfecitque futuri Soceri consensu, ut nuptiæ indicerentur. Tantam veritatis ac juris speciem procuratio præseferebat, ut proinde matrimonium ex certa jactatæ nobilitatis fide celebratum fuerit. Sed hominis vitæ ratio, atque indoles, necnon accepti non semel nuntii, eum nebulonem ac deceptorem esse, in causa fuerunt, ut in ejus dicta factaque attentius inspiceretur. Denique interceptus litterarum fasciculus, quicquid nequitiæ, ac fraudis hactenus delituerat, satis in apricum protulit. Perdito huic nomen est Mouchi Frenoi; adeoque non est ex illustri familia *de Mouchi*, at potius sit scelestus & nequam ad crucem damnatus; quæ produxit acta, sunt omnia adulterina, & ab ipso supposita, procuratio patris, indictio nuptiarum, juridica confirmatio. Curante Socero, sistitur, & a Judice interrogatus fatetur se sibi nomen supposuisse, ut ad nuptias, quas obtinuit, perveniret, atque adeo se fictorum omnium actorum auctorem fuisse. Cum res adhuc esset sub judice, carceribus vi factis, aufugit. Patre præ dolore vita functo, deceptæ Puellæ Tutor Rescriptum impetrat, quo pronuntiatur tam ad publicationem, quam ad celebrationem matrimonii perperam, & ex abusu ventum esse; nullum proinde, & non valide contractum matrimonium declaratur, puellæ reclamatio adversus consensum, quem tum pater, tum ipsa præstiterant, acceptatur, indicuntur restitutionis litteræ, & partes revocantur ad eum statum, in quo ante matrimonii, quod rescissum atque abrogatum remanet, Contractum erant. Itaque Puella quærit ex Sorbonæ Doctoribus, an re ipsa & coram Deo, quod inivit, matrimonium nullum sit, atque ipsa, ut antea, libertate, & novi matrimonii contrahendi libertate gaudeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, si ad litteras Marchionissæ *d'Hoquincourt* pro certo habitum ait eum, de quo in proposita facti specie, esse natu majorem familiæ *de Mouchi*, & puella in animo habuit ejus familiæ natu majori nubere, ita ut ea qualitas ratio fuerit, quæ eam ad consensum præstandum determinaret, matrimonium, quod ipsa contraxit, nullum esse, quia familiæ *de Mouchi* natu major non erat. Adest in hoc casu error personæ, quod impedimentum dirimens est.

Ad id explicandum, tanquam certum ponendum est.

I. Ma-

I. Matrimonium esse stricti nominis conjunctionem inter duos, qui per omne vitæ spatium una victuri sunt; ut proinde multum intersit ejus, qui matrimonium inire vult, ut sit ea singularis & individua persona, non autem alia. Id nimirum discriminis intercedit inter matrimonium, & cætera Sacramenta; in baptismare, causa exempli, sufficit, ut Sacerdos intentionem habeat eum baptizandi, qui sibi præsens est, ut Sacramentum validum reddat, non autem necesse est, ut hæc persona potius, quam alia sit.

II. In Contractibus vero, & potissimum in matrimonii Contractu non ita res habet; nullus in jure Contractus est, ac rescindi potest, cum ejus, quicum bona fide contractum est, dolus est principium & causa Contractus. Si quis uxorem ducens, quam opibus affluentem putat, decipiatur, haud propterea nullum est matrimonium, quia error hic ad Contractus substantiam non spectat, ac si ob hanc deceptionem matrimonia rescinderentur, perturbatio, & grave damnum in rem publicam redundaret. Quamobrem Ecclesia ad hoc incommodum evitandum noluit errorem hunc esse dirimens impedimentum, satisque justam causam, cur matrimonium rescinderetur.

Hinc illud consequens fit, matrimonium in proposita facti specie non ideo nullum esse, quod contrahens se ex familia *de Mouchi* falso venditavit; cum enim qualitas hæc generalis sit, eorumque omnium, qui ex hac familia sunt, hæc proinde ejus fraus haud satis est ad id ponendum, quod dicitur error personæ, & quod inde consequitur, puellæ consensum nullum reddere omnino non potest. Nec magis ideo nullum est, quod huic matrimonio præstitus non fuisset consensus, si innotuisset id hominis ex ea familia non esse; propterea quod si consensus non ideo *præcise* est præstitus, ut huic certæ ac singulari personæ nuberetur, id matrimonii substantiam non afficit. Quod ergo matrimonium hoc nullum *præcise* reddit, illud omnino est, quod puella tota id hominis esse majorem natu familiæ *de Mouchi*, ei nupsit hoc titulo, quo singillatim a quavis alia persona distinguebatur. Cum porro titulus hic præcipuum præstiti consensus objectum fuerit, censetur ad matrimonii essentiam spectare; ita ut cum ille natu major non fuerit familiæ *de Moucus*, ei, quam ducere volebat, imposuit, & celebratio, quæ inde secuta est, absolute nulla est ex defectu veri consensus, ex puellæ parte necessarii. Uno verbo occurrit in hac facti specie error personæ, quod impedimentum dirimens est, facta hypothesi, ut jam declaratum est, eam puellæ voluntatem & intentionem præcisam fuisse, ut majori natu familiæ *de Mouchi*, & non alteri nuberet.

Decisum hac die 8. Julii an. 1699.
G. *Fromageau.*

Matrimonium cum impedimento voti.

CASUS XLV.

1 *Vota, quæ in Congregatione ab Ecclesia approbata eduntur, non minus simplicia sunt, quantumvis promittatur votorum firmitas, & nunquam fore, ut dispensatio postuletur; nisi Bullæ, quæ rata fecerunt, evidenter evincant Pontificis eam mentem fuisse, ut ea redderet solemnia.*

2 *Hinc sequitur matrimonium contractum ab homine, qui in hac Congregatione sua vota emisit, illicitum quidem esse posse, nullum & invalidum esse non posse.*

QUÆSITUM.

IN Congregatione approbata, & in Regno recepta eduntur vota, quæ tanquam simplicia spectantur, & in Constitutionibus talia nominantur. Qui porro ei nomen dant, perpetuam in Congregatione constantiam promittunt, & juri dispensationis in votis renuntiant; atque adeo Constitutiones disertis verbis declarant hujus Societatis vota æque ac Regularium esse indispensabilia, propterea quod qui ea emittunt, insolubili, & immutabili ratione Congregationi obligantur, & vicissim Congregatio iis obligatur; ex quo fieri videtur, ut ejusmodi vota solemnia sint. Hoc posito, quæritur, an qui ex hac Congregatione egreditur, emissa Professione, validum matrimonium inire possit, & an illud per edita vota nullum reddatur, cujusmodi illud esset, quod Presbyter, aut Regularis Ordinis approbati contraheret?

Dubitandi ea est ratio, quod vota simplicia in Ecclesia spectantur tanquam impedimenta, quæ matrimonium quidem illicitum reddunt, non tamen rescindunt jam contractum.

Ex alia parte cum vota solemnia, quæ matrimonii solvendi & abrogandi vim habent, ab Ecclesiastica institutione omnino pendeant: Pontifex proinde hanc indispensabilitatem ac solemnitatem simplicibus votis addere potest. Et sane Gregorius XIII. videtur ita rem dijudicasse in Societatis Jesu favorem, ut monet Suarez *tom. 4. l. 3. cap. 3. & l. 4. c. 1.* Jam vero Pontificis videtur fuisse mens eadem quoad ea vota, quæ in Congregatione, pro qua consulitur, emittuntur, quoniam ejus ratas habuit Constitutiones, in quibus vota hæc, licet simplicia, perinde tamen ac Regularium indispensabilia fore dicuntur. Illud autem summopere animadversione dignum est, eas Constitutiones publicis Regis litteris firmatas esse, in Senatuum Acta relatas, & roboratas Rescriptis Consilii Status, quæ etiam abrogarunt Testamenta ab hujus Congregationis nonnullis edita, tanquam qui mundo mortui essent.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum super exposita facti specie putat propositæ quæstionis decisionem ab hac alia pendere, videlicet Regularisne sit, an vero Sæcularis ea, de qua agitur, Congregatio. Non in eo vertitur difficultas, cujusmodi se esse putent, aut esse vellent, qui eamdem componunt, sed cujusmodi demum re ipsa sint; & an Pontifex eam tanquam peculiarem Regularium Societatem susceperit. Si enim ejusmodi sit, cum Subditi tria vota solemnia emiserint, extra omnem dubitationem est, eos, qui inde eggrediuntur, non posse matrimonium contrahere, ac si qui contraherent, id nullum fore. Sin ea Congregatio Regularis non est, sed Sæcularis, castitatis votum in ea emissum non censetur solemne votum, nec potest esse matrimonii dirimens impedimentum. Extat regula in text. *cap. unic. de voto & voti redemptione*, ubi Bonifacius VIII. ita loquitur: *Declarandum duximus oraculo sanctionis illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis: Reliqua vero vota etsi quandoque matrimonium impediant contrahendum, & quanto manifestius sunt emissa, tanto propter plurium scandalum & exemplum durior pœna transgressoribus debeatur, non tamen rescindere possunt matrimonia post contracta.* Vota porro simplicia, quæ Societatis Jesu Patres emittunt, nihil ad rem faciunt, quia Suarez non ea tanquam solemnitatis expertia spectat, sed potius contendit satis habere solemnitatis, ut eos, qui ea emittunt, per obligationem, quam ineunt cum Religione devinciant. At cum in hac Congregatione Religio locum non habeat, & nonnisi in Religione approbata solemne votum emitti possit, consequens fit, ea, quæ ibidem eduntur, solemnia esse non posse, nisi Congregatio in Religionem erecta fuerit. Ad id dijudicandum consulenda essent Institutionis Diplomata. Ibi enim occurrerent fortasse clausulæ, ex quibus palam fieret Pontificem pro ea, qua gaudet, potestate vota in ea fieri solita, quantumvis ea emittentibus appareant simplicia, solemnia reddere voluisse; quo in casu illi quidem valide matrimonium inire non possent. At id ex proposita facti specie non constat. Servandæ quippe constantiæ, nunquamque petendæ votorum dispensationis facta promissio transgressoris quidem culpam graviorem

efficit, voti autem naturam non immutat omnino. Conſulendum caput *unic.* ſupra laudatum.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 13. Maii an. 1687.

A. de Lamet.

Matrimonium inter pauperes ſpirituali affinitate conjunctos.

CASUS XLVI.

1 *Epiſcopus diſpenſare non debet in impedimento dirimente, quod vir & mulier, qui mutuo matrimonium inire volunt, cognoverunt, & de induſtria occultarunt Parocho, qui eorum proprius non erat, penes quem publicationes edendas curarunt, quique alium fefellerunt, ut eos in matrimonium conjungeret.*

QUÆSITUM.

Viduus, & Vidua mutuo nubere volentes proprium Parochum rogarunt, ut publicationes ederet. A prima publicatione orta eſt oppoſitio, idque ob ſpiritualem affinitatem, quia vir patrinus fuerat unius e filiis, quos mulier ex priore matrimonio ſuſceperat. Illi vero utpote valde rudes, de oppoſitione commonefacti, cum vel acquieſcere, vel ejus impedimenti dirimentis diſpenſationem poſtulare deberent, econtra ad alium ejuſdem Urbis, in qua habitant, Parochum acceſſerunt, qui, Parochiales necne eſſent, non inquirens, tres deinceps publicationes edi mandavit, eoſque publicationum fide munivit. Multis quidem ejuſdem Urbis Sacerdotibus ſe matrimonio jungendos ſtiterunt; ſed cum in ea Declaratione publicationes tantum continerentur, de matrimonii vero celebratione nullum verbum occurreret, neminem invenire potuerunt, qui eos in matrimonium conjungere auderet. Id ergo cœpere conſilii, ut conjugatos ſe diſtitarent, & cum veluti nuptias egiſſent, diebus circiter quindecim perinde una verſati ſunt, ac ſi reipſa conjugali vinculo conjuncti eſſent.

Cum Judex Eccleſiaſticus de re tota certior factus eos acciri mandaſſet, moniti promiſcuam ſeparationem promiſerunt, addentes ſe ex duobus omnino diebus ita facere jam cœpiſſe; quamobrem iis data ſpes eſt, fore, ut in id incumberetur, ut in poſterum legitime una vivere poſſent. Sed cum negotium nonnihil deferbuiſſet, ad vomitum rediere, quod in cauſa fuit, ut Promotor eos ad Officialis tribunal vocaret, declaraturos, quo tandem jure una verſarentur, ac viverent. Cum illi ſe ad incitas redactos viderent, ad viris Parochum, ubi eorum alter natus erat, ſe contulerunt, eumque rogarunt, ut in matrimonium ipſos conjungeret, ad publicationum declarationem, ſed eum nec de ſpiritualis affinitatis impedimento, nec de oppoſitione, quæ ad primam publicationem in domicilii Parochia peractam extiterat, monuerunt. Hic Parochus eos in matrimonium conjunxit. Officialis commonefactus eos inſectari non deſtitit, ratus ſe non debere ei matrimonio auctoritatem addere, in quo impedimentum dirimens occurrebat, quodque præterea non a proprio Parocho celebratum fuerat, ſed a Parocho nativitatis alterius, qui ex Parochia anno ante diſceſſerat.

Ita implexis rebus, non defuere pietate præſtantes Viri, qui horum miſerorum crimine tacti, rurſus ad diſpenſationem iis obtinendam incumberent. Restitit initio quidem Epiſcopus, eorum paupertate, quæ vera & genuina eſt, haud permotus; verum ſubinde ſecum reputans eos admodum rudes eſſe, ad Romanam Curiam confugere omnino non poſſe, negata diſpenſatione, in perpetuum concubinatum, atque in apertum æternæ ſalutis diſcrimen adduci, ſe ad concedendam diſpenſationem magnopere propendere ſignificavit, atque adeo conceſſit. Is porro, cui eam tradidit, ut ad matrimonii celebrationem deveniretur, ipſum monens ſibi non videri penes eum poteſtatem eſſe diſpenſationis ejuſmodi concedendæ *ante matrimonium contractum*, ei auctor fuit, ut rem Sorbonæ Doctoribus expendendam proponeret. Quamobrem quæritur,

I. An ſpectata contrahentium paupertate, poſſit Epiſcopus ſuper hoc affinitatis impedimento diſpenſare in ejuſmodi facti ſpecie, quæ occulta non eſt, in qua nullum adeſt vere celebratum matrimonium, in qua denique adeo apparet mala fides, aut ſaltem adeo craſſa ruditas, cum in hujuſmodi hominibus ſtuporem quam malitiam adeſſe ſit veroſimilius?

II. Facta hypotheſi non videri Epiſcopum poſſe, aut debere diſpenſationem concedere, an e re ſit urgeri, quod apud Officialem fieri cœptum eſt, eoſque anathemate percelli, atque adeo ad ſæcularem Judicem denuntiari, ut omnino cogantur illi divortium facere, vel alio abire?

Animadverſione dignum eſt adeo pravam apparere horum hominum animi præparationem, ut ad turpe commercium rediiſſe videantur, diſpenſationis dilationem ægre ferentes, timendumque ſit, ne ita pergant, quoad poterunt, ſi ipſis diſpenſatio abſolute negetur; quia fœmina curam gerit quatuor aut quinque puerorum, quos homo ex priore matrimonio ſuſcepit, & quorum educationi ipſe per ſe vacare omnino nequit, cum ſit mercenarius, qui in vultus ſudore vitam ſuſtentat.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum ſuper expoſita facti ſpecie cenſet, quamvis docentibus Auctoribus bene multis Epiſcopus diſpenſare poſſit vel in iis, quæ ad ſummum Pontificem ſpectant, cum neceſſitas id requirit, nec Pontifex ob paupertatem, vel aliquod aliud obſtaculum adiri poteſt, & cum diſpenſatione non conceſſa aliquod ſcandalum, aut aliquod grave malum conſequeretur, in re tamen, quæ præ manibus eſt, hanc neceſſitatem adeo gravem non apparere; præterquamquod periculum foret, ne, ſi Epiſcopus diſpenſaret, aliis eadem aggrediendi anſa præberetur, ſperantibus ſibi facilem fore Prælati diſpenſationem. Quibus addi & illud poteſt complures Auctores eſſe, qui putent Epiſcopum in impedimentis dirimentibus tum ſolum diſpenſare poſſe, cum ea occulta ſunt, contractumque, ac notum eſt matrimonium. Diſerta ſunt in hanc rem Navarri verba in Manuali *cap. 22. n. 85. Tertio dicendum, quod Epiſcopus non poteſt diſpenſare in aliquo impedimento, quod dirimit, ſecundum omnes, niſi quando impedimentum occultum eſt, & matrimonium publicum, & ſeparatio magno ſcandalo foret, & apud Papam, & apud Nuntium poteſtatem ad id habentem confugi non poteſt propter magnam paupertatem, aut alia impedimenta, ut affirmavit Angelus, & Sylveſter.* Sane non deſunt Auctores, qui Epiſcopalem auctoritatem longius extendant; ſed nimirum neceſſe eſſet graviorem neceſſitatem fore, & diſpenſationem non iis concedi, qui egere cum tanto Eccleſiaſticarum Legum contemptu. Itaque in hac facti ſpecie veræ paupertatis habenda non eſt ratio, quandoquidem hi homines ſcandalum publicum attulerunt. Doctrinam hanc Conſilium ſubſcriptum Tridentinæ Synodi definitioni conſonam putat *Seſſ. 24. Decret. de reform. matrim. cap. 5.* ubi de impedimento quidem, quod præſentis negotii difficultatem parit, ſermo non eſt; ſed cum ratio, quam affert, generalis ſit, indubitata in hanc facti ſpeciem inductio deduci poteſt: *Si quis*, Synodi verba ſunt, *intra gradus prohibitos ſcienter matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit.* Ratio, quam Synodus affert, eſt temeritas ac præſumptio, qua contracto, atque adeo conſummato matrimonio Eccleſiæ Regulæ de induſtria contemptui ductæ eſſent. Cum porro præſumptio hæc in hominibus, de quibus quæritur, locum habeat, non apparet, qui demum in tuto poni poſſint ab hac regula, quæ quidem eo pluris facienda eſt, quod alteri apud omne genus hominum receptæ conſonat, ſuam nemini malitiam prodeſſe debere. Jam vero ſi res in ſe ipſa ſpectetur, de mala eorum fide liquido conſtat; I. quod matrimonium ſimularunt, & in eum finem quaſdam veluti nuptias celebra-

lebrarunt; II. quod publicationes ab aliis Urbis Parochis edendas curarunt, & ad se in matrimonium conjungendos sollicitarunt; III. quod ad nativitatis Parochum confugerunt, quin tamen impedimentum, quod cognoscebant, ei declararent; id quod fraudem ac dolum ostendit. Ex quo sequitur cum iis agendum esse juxta regulam in eo Tridentinæ Synodi loco, quem laudavimus, institutam.

Ad alteram quæstionem quod attinet, in hos homines, quod cœptum est, negotium urgendum esse. Scandalum hoc nonnisi scelestorum punitione reparari potest. Quamobrem post Ecclesiasticæ Curiæ sententiam, sæcularis potestatis subsidium implorari potest, ac debet, ut illi Legum vi adigantur ad scandalum, quod afferunt, de medio tollendum. Quod si vir aufugeret, pueris, quos desereret, ita cavendum esset, ut vel in Hospitali collocarentur, vel alia ratione eorum indigentiæ tum spirituali, tum corporali prospiceretur.

Decisum Parisiis die 8. Junii an. 1681.
Aug. *de Lamet*.

Matrimonium cum duplici consanguinitatis impedimento.

CASUS XLVII.

1 *Matrimonium, in quo aderant impedimenta duo, nullum est, cum unum tantum ad obtinendam dispensationem Pontifici expositum est.*
2 *Matrimonium haud minus firmum validumque est, cum bona fide, & absque impedimento, quod expositum non fuit, contractum est.*

QUÆSITUM.

Titius, ac Mævia intra gradus prohibitos ex duplici capite consanguinei petunt a Pontifice dispensationem, duplici consanguinitate minime exposita. Hujus dispensationis impetratæ vi matrimonium bona fide contrahunt; & per annos triginta quinque convivunt prolis expertes. Titius post id temporis in morbum incidit, editque testamentum, quo usus ea libertate, qua gaudet pro loci consuetudine, Mæviam, tanquam legitimam conjugem ex asse hæredem instituit.

Quæritur, an matrimonium, ac testamentum valeant?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, existimat Titii Mæviæque, qui dispensationem petentes duplicem consanguinitatem inter ipsos existentem non exposuere, matrimonium nequaquam valere, quia ea duplex cognatio duo non ejusdem generis impedimenta secum affert. Itaque Pontificis, utpote qui non satis de re cognovit, dispensatio tanquam nulla spectanda est. Hæc Theologorum & Canonistarum communior doctrina est, & quidem Romanæ Curiæ praxi, ac stilo firmata. Pyrrhus Corradus *Dispensationum Apostolicarum l. 7. c. 5.* explicans ea verba, *Communi stipite*, id tradit expressis hisce verbis: *Nisi verba hæc adderentur, redderetur profecto subreptitia dispensatio, si forte id impedimentum ex duobus stipitibus proveniret*, & *cap. 6.* eodem loco *n. 74. & 75. sicut docet quotidiana praxis*, de hujusmodi duplici consanguinitate verba faciens: *Quando adsunt plura impedimenta, ut valeat dispensatio, omnia sunt exprimenda, quia tametsi id nulla jure caveatur, clarum est nihilominus, quod eo ipso quod jura præcipiunt, omnia impedimenta narranda esse in dispensatione, & nihil tacendum ex iis, quæ alias non expressa redderent illam nullam, sine dubio videntur id tacite præcipere, quia satis est dicere, quod pluribus impedimentis existentibus, difficilior est Princeps ad concedendam dispensationem Cap. Pastoralis de privileg.*

II. Bonam fidem, qua dispensationem obtinuerunt, in causa esse, ne triginta quinque annorum commercium eis culpæ vertatur, dummodo de vitio, quo impetrata dispensatio laborabat, omnino ignoraverint, eamdemque bonam fidem satis futuram fuisse, ut filii, si quos suscepissent, legitimi essent.

Quo quidem posito, ad quæstionem alteram respondetur, Mæviam testamento, quod Titius in ejus favorem edidit, uti posse; quia I. bona fides efficit, ut ei legitimæ conjugis commoda ac jura competant, ut animadvertit Cassaneus ex Burgundiæ consuetudine Rubric. 4. §. 5. n. 12. in hæc verba: *Extende hanc consuetudinem, ut habeat locum in matrimonio putativo, cum matrimonium putativum habeat privilegia ea, quæ habet verum respectu mulieris, L. Si cum dotem*. Et quamvis non eadem Jureconsultorum sententia sit *inter conjuges putativos*, nulla occurrit difficultas quoad commoda, quæ ipsis ex testamentariis dispositionibus proveniunt, ut monet Covarruvias *tom. 1. de matrim. part. 2. c. 7. §. 5. n. 9.* II. constans firmumque est, Titium, dum testaretur, eo animo fuisse, ut sua traderet Mæviæ, tanquam legitimæ uxori, quia eam ut talem spectabat; & cum in ea donatione personæ rationem habuerit, ob eam, qua illa cum eo se gesserat, rationem ita ei placuisse censendum est; atque ita determinata fuit ejus voluntas ad bene ei faciendum tum ob ipsius personale meritum, tum ob conjugis titulum. Magnam sane ejus personæ rationem habuerit oportet, cum eam suismet consanguineis anteposuerit. Putatur itaque Mævia frui posse bonis, quæ ex Titii testamento eidem proveniunt, pro testamenti, quod patriis Regulis congruit, dispositione.

Decisum Parisiis in Sorbona hac die
9. Junii an. 1677.
Aug. *de Lamet*.

Error qualitatis in Matrimonio.

CASUS XLVIII.

1 *Qualitatis error non semper est dirimens impedimentum.*
2 *Talis est, cum ad contrahentium voluntatem refertur.*
3 *Si Puella nobilis edicat, se, si is, cui nubit, nobilis non sit, assensum non præbere, nullum est matrimonium, si vir sit ignobilis.*

QUÆSITUM.

Mariam nobilem Matronam sibi conjugem petit Petrus ignotus homo, qui se nobilem prædicat. Illa ei edicit se illi nubere omnino nolle, ni nobilis sit, ex eoque requirit, ut sibi nobilitatis titulos exhibeat, seque de familia certiorem faciat. Petrus, qui nobilis non erat, Mariam fallere voluit, inquiens se esse ex familia, quam nominavit, quæque in Regno præclara sanguinis claritate præstabat. Suppositos nobilitatis titulos, qui huic familiæ congruebant, ad Mariam detulit, quæ eos peritis Viris expendendos proposuit, qui quidem eidem testati sunt eos titulos legitimos esse, atque optime consulere nobilitati Petri, qui ex ea se familia dictitabat. Maria titulos Petro restituens pronunciavit se in matrimonium consentire, quoniam nobilis erat; secus se nunquam fuisse consensuram.

Celebratum est matrimonium vi duplicis Declarationis, quam Petrus tanquam a suis suppositis consanguineis factam proposuit. Aliquanto post Maria se deceptam cognovit, & Petri ignobilitatem detexit; ergo ea rogante editum est Senatus Rescriptum, quoad Petri fraudem ab ea expositam probatamque matrimonium solutum fuit.

Itaque Maria interrogat, an tuta conscientia possit a Petro abesse, & ullamne cum eo conjunctionem contraxerit, quam Senatus dissuere non potuerit; atque an, cum Petro nupserit ea tantum conditione, si nobilis esset, nullum necne extiterit veri nominis matrimonium, quo tempore contraxit ea conditione absoluta, & sine qua in matrimonium minime consensisset?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat matrimonium inter Petrum & Mariam nullum esse, ac non immerito in foro externo rescissum fuisse. Et sane quamvis error ratione qualitatis fere dirimens impedimentum non sit, quia qualitas ipsa per se aliquid tantum matrimonium accidentarium atque exterius est; cum tamen hic qualitatis error alterutrius contrahentis voluntatem respicit, atque adeo luculenter ostendit absque ea qualitate nullum matrimonium contractum iri, hoc in casu conditio hæc interna est, & ad matrimonii substantiam spectat, quoniam quod Contractus validitatem efficit, voluntas est. Porro hæc Mariæ voluntas non fuit, cum nupsit Petro, dummodo nobilis esset, ut ajebat; ei quippe disertis verbis significavit, se, si secus res haberet, nunquam in matrimonium consensuram. Concluditur ergo matrimonium inter Petram & Mariam nullum esse; præsertim si Maria adhuc in suscepto consilio matrimonii tempore persistebat, ut est admodum verosimile.

Et sane Maria visis litteris, quibus etsi falso Petri nobilitas denuntiabatur, ei nupsit; neque vero consilium prius revocasse censenda est. Constat enim Mariæ matrimonium invalidum futurum fuisse, si dum Petro nupsit, adhuc ita fuit animo comparata, ut nisi nobilis esset, litteris non obstantibus, ei omnino nubere nollet. Jam vero hæc eadem dispositio censetur adhuc virtualiter subsistere in litterarum falsitate quamvis occulta: quod ad matrimonii invaliditatem satis est. Præterea in hujusmodi matrimoniis conditione suspensis nemo fane unquam assentiretur, si se decipi crederet; ergo bis in easibus non sequitur pristinam dispositionem revocari; immo vero semper censetur virtualiter permanere. Denique dici nequit Maria a proposito destitisse, nisi sub conditione, videlicet facta hypothesi veritatem Petri litteris contineri; cum autem eæ fictæ essent, ac post matrimonium eorum falsitas innotuerit, pristina Mariæ dispositio adhuc permanere censetur. Ita ratiocinantur Sanchez, Basilius Pontius, Bonacina, aliique complures, qui probant errorem quoad qualitatem in specie ei, de qua agitur, simili impedimentum dirimens esse posse, ac re ipsa efficere, ut matrimonium irritum sit. Quamobrem Senatus Rescripto suo matrimonium hoc jure abrogavit.

Decisum in Sorbona hac die 19. Maii an. 1705.
G. *Fromageau*.

Matrimonium filiifamilias absque Patris consensu.

CASUS XLIX.

1 *Matrimonium, quod nullum dignoscitur ex defectibus, quibus obnoxium est, debet a contrahentibus redintegrari.*

2 *Adolescens a Patre, quod eo invito matrimonium inierit, exhæredatus, nihil non agere debet, ut in gratiam cum Patre redeat, ejusque consensum obtineat.*

3 *Si pater assentiri renuat, qua par est observantia cum eo aget, prout Constitutio præscribit iis, qui ætatis annum trigesimum attigerunt.*

4 *Si pater legitimis de causis ad exhæredationem devenit, eam revocare non tenetur.*

QUÆSITUM.

Titius annos natus plus quam 24. data matrimonii fide, abutitur Sempronia, paris conditionis annorum 27. eamque in uxorem ducit absque suorum parentum consensu, a quibus propterea exhæredatur.

Ut Titius votorum suorum damnaretur, se majorem esse, sibique nec patrem, nec matrem superstites esse supposuit; falsoque teste usus, in cujus domo degebat, se per tres menses & amplius in Parochia, ubi matrimonium peractum est, residere confinxit, quamvis nonnisi diebus quindecim ibidem moratus esset, quo Parochi, qui matrimonium celebravit, subditus censeretur; quæ quidem postrema circumstantia matrimonium invalidum efficit. Titius ad hoc usque tempus cum Sempronia versatus ast, & filios quatuor ex ea suscepit. Id in quæstionem venit, an Titius in foro conscientiæ matrimonium suum redintegrare teneatur; quod ei hactenus impedimento fuit, id nimirum est, quod ipse contendit, cum matrimonium nullum sit, exhæredationem, quæ nullum aliud fundamentum habuit, subsistere omnino non posse.

Animadversione dignum est Titiam post hanc inobedientiam magna moderatione, ac reverentia erga parentes suos usum esse, publica obsequii argumenta, etiam in Ecclesia, præbuisse, & per annos sex sacros quosque in Urbe Oratores, ac multos etiam graves viros ejusmodi conciliationi vehementer studuisse, iis tamen patrem pertinacia nemini non perspecta semper restitisse.

Quæritur, an Titio matrimonium, ut par est, redintegrare volente, teneatur & pater assensum præbere, ut filii conscientiam, ad se quod attinet, in tuto ponat? Id etiam scitu dignum videtur, qui tandem pervicacis hujusce patris animus molliri possit, atque an filius, triginta jam annos natus possit Semproniam ducere, quin exhæredationem pertimescat, ea reverenter cum patre præstans, quæ præstanda præscribit Constitutio?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti haud putant necesse esse, ut super matrimonii, quod Titius ætatis an. 24. & Sempronia 27. contraxere, validitate sententiam dicant, quandoquidem ex omnibus quæ illud comitantur, circumstantiis invalidum satis apparet.

Super priore quæstione sentiunt, opus omnino esse, ut Titius suum cum Sempronia matrimonium redintegret, prout legimus Exodi *cap.* 22. & Juri Canonico insertum est *lib. 5. Decretal. de Adulteriis cap. Si seduxerit*, in hæc verba: *Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in uxorem*. Verum quia reverentia, qua filius patrem prosequi debet, requirit, ut ejus consensum quam humillime petat, ac persuadeat se omnino debere cum ea, qua tamdiu abusus est, matrimonium inire; ideo videntur imprimis exhibenda longe maxima observantiæ, ac subjectionis officia ad impetrandam ejusmodi permissionem, antequam impendatur ea juris actio, quam Ludovici XIII. Constitutio an. 1639. edita concedit, quippe cum constans firmumque sit eam semper Ecclesiæ mentem fuisse, ut nonnisi parentibus consentientibus filii matrimonium contraherent. Præsto sunt in hanc rem argumenta non in multis tantum Canonibus, ut in Capitibus *Aliter*, & *Nostrates* 30. *q.* 5. *&c.* verum etiam apud Tertullianum in Libro ad Uxorem, cujus hæc verba sunt: *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater pro rato habet; nam nec in terris filii sine consensu patrum recte & jure nubunt*. Cum porro Titius matrimonium, quod iniit, firmare omnino debeat, si pater semper refragari perstiterit, tum vero ejus consensum de scripto petet juxta Constitutionem.

Ad Patrem quod attinet, Subscripti, qui ejus consilii causas ignorant, de ipsius proinde obligatione judicare non possunt; quippe cum ejus consilium non modo Romanorum Legum, sed etiam Regum nostrorum Constitutionum auctoritate nitatur, adeoque rationes maxime legitimæ subesse possint, quamobrem in proposito, salva charitate, ipse persistat; cujusmodi esse posset exemplum, quod exhibere vellet punitionis, qua dignus ast filius, qui patriam auctoritatem ita violat, contemnitque. Hanc nimirum rationem affert Henricus II. ut Constitutionem confirmet, quæ patribus eos filios exhæredandi, qui eorum ingratiis matrimonium inierint, potestatem concedit.

Exhæredationis porro negotium hoc loco non attingitur; ea quippe quæstio ad sæculares Judices spe-

ſpectat; id unum dicitur, cum patri graves cauſæ præſto eſſe poſſint, ejus obligationem dijudicari non poſſe. Ad id enim, quod dicitur oportere, ut pater de filii conſcientia ſollicitus ſit, eamque ob cauſam in ejus matrimonium non conſentire non poſſe; reſpondetur, ita tamen ut reſponſio propoſitæ quæſtionis terminos haud prætergrediatur, filium poſſe in præſentia matrimonium contrahere, quoniam ad trigeſimum ætatis annum pervenit, petito patris conſenſu, propriæque conſcientiæ ſatisfacturum eſſe, etiamſi quam petiiſſet, veniam non obtineret; patrem vero non teneri id reſcindere, quod antea facere potuit juſta de cauſa, cujuſmodi foret intentio publici boni. Quod ſi Patrem hunc ad exhæredationem impuliſſet vindictæ cupiditas, odium, alterius filii prædilectio, vel aliqua alia ratio charitati, aut juſtitiæ contraria: ejus conſilium ſummopere damnandum eſſet. Sed cum id omne Subſcriptos lateat, ſententiam dicere proinde non poſſunt.

Deciſum in Sorbona die 25. Februarii an. 1672.
De Lamet.

Epiſcoporum poteſtas quoad diſpenſandum in matrimonii impedimentis.

CASUS L.

1 *Impedimentorum matrimonia dirimentium diſpenſatio Summo Pontifici nulla generali Eccleſiæ Lege reſervata eſt, id juris Pontifex longa poſſeſſione præſcripſit.*

2 *Epiſcopi, qui jus hoc ſibi reſervarunt, eo uti poſſunt, eorumque diſpenſationes validæ ſunt.*

QUÆSITUM.

Antonius N.... Armiger N.... cum Annam Magdalenam in uxorem ducere ſtatuiſſet, comperit eam ſibi quarto conſanguinitatis gradu conjunctam eſſe; quod in cauſa fuit, ut Antonii Patruus conſanguinitatis diſpenſationem a Generali Vicario peteret; qua impetrata, Parochus ejus vi matrimonium celebravit, annuente Vicario Generali, ut idem Parochus declaravit. At Antonii ſorores matrimonium in Gratianopolitano Senatu abrogandum ſuſceperunt. Accitæ ſunt apud Conſiliarium Præſidis N.... ut an illud matrimonium in Acta relatum eſſet, cognoſceretur, id quod comprobatum fuit, miſſumque Gratianopolim cum verbali judicio Commiſſarii, & declaratione, quam Parochus exhibuit, poteſtatis a Generali Vicario receptæ, præſtantibus ſororibus, at innuitur in Reſcripto die 29. Auguſti an. 1693. Gratianopoli edito, ex quo liquet dicti Commiſſarii verbalem ſententiam ibidem acceptam fuiſſe tanquam comprobatam, ut paulo ante dictum eſt. Atque hoc quidem Reſcriptum rem omnem componit, matrimonium firmum, validumque declarans, quicquid ſorores molitæ fuerint, ut illud concubinatus declararetur.

Cum tamen Eccleſiaſtici nonnulli Viri Antonii conſulentis animo ſcrupulos injeciſſent, obtinuit ille a Romana Curia conſanguinitatis diſpenſationem, cujus quidem pronuntiatio haud e re eſſe viſa eſt Generali Vicario, quippe qui diſpenſationem, quam Parocho ipſe conceſſerat, ſatis eſſe judicaret. Verum Caſuiſtis aliis alia ſentientibus, & adhuc proinde nonnullis ſcrupulis Antonii animum exagitantibus, accedit ille ad Sorbonæ Doctores eoſque rogat, ut ſibi omnem omnino tranquillitatem afferant, definiantque, an ullo ex capite matrimonium, quod contraxit, irritum ſit, & aliquidne defuerit, quod ad eſſentiam ſpectaret?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum judicat matrimonium Domini N..... cum Puella N.... inter quos adeſt conſanguinitatis gradus quartus, valide contractum fuiſſe vi diſpenſationis ac venoiæ, quam Diœceſis Vicarius Generalis ipſis conceſſit cum cauſæ cognitione, ut ſupponitur. Si qua porro eſſet ratio dubitandi de hujus diſpenſationis validitate, ea maxime foret, quod videtur ex conſuetudine penes unum Pontificem jus eſſe ſuper impedimentis dirimentibus diſpenſandi. Ad Pontificem quidem id juris pertinet, non tamen vi generalis Eccleſiæ Legis, aut ullius expreſſi Canonis auctoritate; id ille in Epiſcopis conſuetudine, longaque poſſeſſione præſcripſit.

Et ſane intelligimus ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, ſuper controverſia, quæ in Tridentino Concilio diſcuſſa fuit, an ſcilicet matrimonialium impedimentorum diſpenſatio ad ſolum Pontificem pertineret, ut Itali contendebant, an vero Epiſcoporum communis eſſet, ut ajebant Galliarum & Hiſpaniarum Epiſcopi, Concilium nihil definiviſſe; ſed tantummodo decreviſſe, ut nonniſi raro, & cum cauſa diſpenſaretur; ex quo licet inferri, Epiſcopos, qui in poſſeſſione diſpenſandi in quarto gradu perſtiterunt, uti poſſe jure, quod habent tum ob Epiſcoporum titulum, tum ob perpetuam, quam retinuerunt, poſſeſſionem.

Jam vero prope eſt, ut contrahentium, de quibus quæſtio eſt, Epiſcopus ex eorum numero eſſe credatur, qui ſibi poſſeſſionem hanc reſervarunt; atque ita poteſtatem ſuam cum Generali Vicario communicaſſe. Id autem non ex eo ſolum compertum fit, quod Vicarius in impedimento, de quo agitur, diſpenſavit, id quod nonniſi gravi fundamento nixus feciſſet; verum etiam apertius conſtat ex Gratianopolitani Senatus Reſcripto adverſus conſulentis ſorores, quæ matrimonii abrogationem petebant; hoc quippe Reſcripto diei 23. Auguſti an. 1693. matrimonium ratum habitum eſt, valideque contractum. Judicium hoc omnem prorſus dubitationem de medio tollit; Gratianopolitanus enim Senatus non ita totum negotium compoſuiſſet, ſi qua ex parte matrimonium hoc impugnari potuiſſet.

Deciſum in Sorbona hac die 15. Junii an. 1696.
G. Fromageau.

Matrimonium non conſummatum.

CASUS LI.

1 *Mulier poſt cohabitationis triennium, quia maritus matrimonium conſummare potuerit, ejus abrogationem petere poteſt.*

2 *Poteſt Pontifex matrimonium non conſummatum diſſolvere.*

QUÆSITUM.

Petrus accuſatur impotentiæ a Joanna conjuge, matrimonii abrogationem poſtulante. Poſt cohabitationis annos tres, inquiſitione, atque exploratione peractis, judicatum eſt, nulla affulgente ſpe, fore, ut matrimonium conſummari poſſet, illud nullum eſſe, & utrique conjugi ad alias nuptias tranſire permiſſum eſt. Hujus ſententiæ vi Petrus cum Antoniola, & Joanna cum Paulo matrimonium ineunt; ambo matrimonium conſummant; cum autem Petrus & Joanna forte ſimul eſſent; *copulantur carnaliter*, rati per errorem id culpi vacare, & præteriti matrimonii vi ſe poſſe *tuta conſcientia* conjugalem rem facere. Quæritur, *quid juris, & quid opus facto?*

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum reſpondet, nonnullorum Auctorum ſententia, poſſe (*a*) Pontificem in matrimonio valido quidem, ſed non conſummato de cauſis gravibus diſpenſare. Probabile id eſt Sanchez, Gregorii a Valentia, Pyrrhinghi judicio; atque Sanctus Antoninus Martinum V. & Eugenium VI. in hac facti ſpecie diſpenſaſſe. Dominicus quidem Soto

(*a*) Sanchez l. 7. diſp. 102. n. 3. Greg. a Val. tom 4. diſp. 10. q. 5. p. 3. v. Impotentia pag. 2073. S. Antonin. 3. p. titul. 1. §. 3. cap. 21. Pyrrhing. tom. 4. lib. 4. titul. 5. num. 21.

Soto Cardinalem Cajetanam confuraos contrariam ſententiam tuetur. Priorum opinione difficultas ſolutu facilis eſſet ; id unum præſtandum eſſet, ut nempe a Romana Curia prioris matrimonii ſolutio, & poſterioris confirmatio peteretur. Verum hujus ſententiæ veritate in medio relicta, casus, de quo in præſentia ſermo eſt, ita dirimi poteſt, ut pronuncietur Joannam ratione Petri *nimis arctam* fuiſſe, ac *laxiorem* evaſiſſe, atque hinc factum eſſe, ut cum Petro deinde conſummare poſſet ; ſed abſque poſteriore commercio Joannam ſemper *arctam futuram* fuiſſe, quod inde conſequitur, ejus impotentiam ratione Petri vera perpetuam fuiſſe. Itaque Judex Eccleſiaſticus matrimonium nullum non immerito declaravit. (*a*) Conſuli poſſunt in hanc rem Bonacina pariter, ac Sanchez.

Deciſum in Sorbona hac die . . . . . .
G. *Fromageau*.

Matrimonii diſpenſatio, in qua copulæ ſuſpicio tantummodo expreſſa eſt.

CASUS LII.

Ad obtinendum diſpenſationem exprimenda eſt copula carnalis, non autem ſuſpicio tantum ; alioquin nulla eſt diſpenſatio.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an diſpenſatio *in ſecundo grada*, in qua id unum exprimitur, quod *orta eſt gravis ſuſpicio licet falſa, quod ſe carnaliter cognoverint*, Subreptitia necne ſit, cum Impetrantes, antequam ad Romanam Curiam miſiſſent, ſe carnaliter cognoverunt, & an Officialis eos de factis in Libello ſupplici contentis interrogans abſtinere poſſit ab iiſdem interrogandis, an carnaliter necne ſe cognoverint ? Id perſuaderi contenditur eos non teneri propriam turpitudinem declarare, & cum eorum commercium nonniſi ad faciliorem diſpenſationis impetrationem pertineat, haud ægre cum iis diſpenſandum eſſe, id quod multorum gravium Virorum ſcientiæ apparet maxime oppoſitum. Id quoque contenditur perſuaderi, *periculam vitæ*, quod occurrit in omnibus diſpenſationibus *in ſecundo in forma pauperum* puram putamque ſtili formulam eſſe. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut id ediſſerant, quod ſuper hac re cogitant.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum haud putat *periculum vitæ*, quod in matrimonii diſpenſationibus occurrit, eſſe puri putique ſtili clauſulam, ſtili ſcilicet, qui vim Legis omnino non habeat. Non latet haud deeſſe, qui credant id ad ſtilum ſolammodo pertinere ; verum ſemper Provinciarum Officialibus reſponſum fuit, non ita Facultatis Doctores ſentire ; ut proinde cum non adeſt probabile mortis periculum, diſpenſatio nulla eſſe cenſeatur.

Super altera difficultate Doctores idem ſentiunt, quod eſt expoſitum. Verum quidem eſt, ſi eam ſequamur ratiocinationem, & cogitationem, quæ prima fronte ſe menti exhibet, videri Pontificem, ſi ad gravem carnalis commercii ſuſpicionem inter conſanguineos diſpenſat, multo potiore jure diſpenſaturum fuiſſe, ſi ei declaratum fuiſſet re ipſa ejuſmodi commercium interceſſiſſe. Apparet itaque in Caſu propoſito priorem diſpenſationem ſufficere, ac valere, hujus principii vi, quod pravi commercii mentio faciliorem diſpenſationis impetrationem reddidiſſet. Quamvis porro Contrahentes Pontifici mentiti ſint, nullum inter ſe commercium extitiſſe teſtantes, & hoc in ſenſu diſpenſatio ſit ſubreptitia ; ea tamen valida videtur, ac pronuntiari poteſt, quin eos interrogari neceſſe ſit, ullum nec ne inter ipſos commercium extiterit.

Si tamen Romanæ Curiæ ſtilus, & Pontificis intentio ſpectetur, dum ſi ejuſmodi facti ſpecie veritatem dici vult, intelligetur, diſpenſationem, de qua quæritur, nullam eſſe, ſi contrahentes, cum ſeſe vero commercio miſcuerint, Romanæ Curiæ nonniſi carnalis hujuſce commercii gravem ſuſpicionem expoſuerunt ; ideo enim jubet Pontifex hoc commercium, cum contigit, explicari, ut contrahentes intelligentes ad diſpenſationem obtinendam ſibi propriam turpitudinem declarandam fore, a præpoſtera ejuſmodi licentia, dedecore, atque ignominia abſterreantur. (*b*) Videri poteſt in hoc negotio Pyrrhus Corradus in ſuo tractatu de diſpenſationibus Apoſtolicis.

Si contrahentes tenentur propriam crimen fateri, ut in Romana Curia diſpenſationem obtineant, non apparet, quamobrem ſuper hoc articulo interrogari non poſſint. Uno verbo monendi ſunt contrahentes ante diſpenſationis pronunciationem, eam nullam eſſe, ſi turpe inter ipſos commercium extitit. Quod ſi commercium hoc extitit, ad Romanam Curiam iterum mittendi ſunt, ut obtineant id, quod dicitur, *Perinde valere*, ſiquidem in matrimonium conjungi volunt. (*c*) Conſuli poteſt Sanchez, ut in ſimili facti ſpecie, quid facto ſit opus, intelligatur.

Deciſum Pariſiis hac die 8. Junii an. 1701.
G. *Fromageau*.

Secundum matrimonium, in quo conjugis bonum ſpectatur.

CASUS LIII.

1 *Qui duos filios imbecilles habet a Judice interdictos, non poteſt cum eorum damno procurare bonum puellæ, cum qua ſecundas nuptias inire vult.*

2 *Nemo niſi vi Legum, & Conſuetudinum eſt ſuorum bonorum dominus, atque ea debet diſponere, prout eadem præſcribunt.*

3 *Judices harum Legum, & Conſuetudinum ſunt interpretes, nec licet eas interpretari, contra atque ipſi judicaverint.*

4 *Sententia hæc non opinio quædam eſt, ſed inconcuſſa veritas ſacrarum litterarum, & ſanctorum Patrum auctoritate firmata.*

QUÆSITUM.

SCitu dignum videtur, an pater, aut mater tuta conſcientia filiorum alteri plus dare poſſint, alteri vero minus, ſecus atque obtinet conſuetudo, quia filius poſterior imbecillis animi eſt ?

Franciſci II. Conſtitutione, quæ ſecundarum nuptiarum Edictum dicitur, an. 1560. edita, & ex Lege *Hac Edictali Cod. de ſecundis nuptiis* ducta prohibetur, ne mulieres cum filiis, aut filiorum filiis ad ſecundas nuptias tranſeuntes poſteriori viro largiantur ex propriis bonis mobilibus, acquiſitis, aut propriis plus quam filio minus accipienti conveniat, vel patribus, matribus, ſeu filiis dictorum virorum, aliiſve perſonis, id quod præſumi poſſet dolo malo, ac fraude fieri, ita ut, ſi inter dictos filios, aut dictorum filiorum filios diviſio contingat, vir nequeat plus ſumere de dictæ conjugis bonis, quam is ex filiis, qui minus habuerit. Hoc tamen Edicto non intendimus mulieribus de ſuis bonis donandi, ac diſponendi majorem poteſtatem, & libertatem concedere, quam ipſis competit per locorum Conſuetudines, quibus per has præſentes non derogatur, quatenus, ad hanc rem quod attinet, mulierum libertatem coarctant.

Obtinet Edictum hoc contra viros ad ſecundas nuptias tranſeuntes æque ac contra mulieres ; atque ita judicarunt Reſcripta univerſa ; adeoque hoc idem Edictum de eo dono verba faciens, quod mulieres a priore viro acceperunt, & quo poſterioris viri filii frui nequeunt, declarat idem judicii ferendum eſſe de bonis, quæ ad viros liberalitate conjugum devenerunt. Id in foro certum omnino, humanumque eſt.

An-

(*a*) Bonacina q. 3. punct. 13. n. 8. Sanchez lib. 7. diſp. 93. n. 10. & ſeq.

(*b*) Pyrrhus Corradus lib. 8. cap. 1. n. 35. de diſpenſ. Apoſt.
(*c*) Sanchez lib. 8. diſp. 25. n. 2. de matrim.

Andegavensi pariter, ubi ii degnut, de quibus est sermo, Consuetudine firmatum est, ne quis propriam hæreditatem donare possit, *liberis extantibus*; hæc Consuetudinis verba sunt. Ita duobus hisce positis tanquam indubitatis, quorum primum est, virum ad secundas nuptias transeuntem non sine filiis plus dare non posse futuræ conjugi, quam id quod sumeret is ex filiis, qui minus haberet in hæreditate; alterum, Andegavensis Consuetudinis vi neminem propria bona, *liberis extantibus*, donare posse.

Titius ætatis an. 57. vel 58. duos habens liberos, nempe filium annorum 26. aut 27. qui suorum quidem studiorum curriculo magna cum laude perfunctus est, sed nonnulla deinde vesaniæ signa præsetulit, adeoque consanguineorum consilio interdictus est, ut bonorum administratio eidem adimeretur, ac filiam pariter interdictam consanguineorum ipsorum sententia, quod omnino sit mentis impos; quærit, an ad alteras nuptias transire volens, puellæ, quam ducere constituit, donare possit summam librarum 4000. quasi ipsa dotis titulo eam summam attulerit, tametsi non ita res habeat, & e converso Titius ipse summam librarum 400. ei tradere possit, quibus nonnihil æris alieni solvat, quo se obstrinxit, ut subsisteret?

I. Titius hanc donandi libertatem ex eo repetit, quod filius uterque interdictus est, ac proinde non esse censetur.

II. Quod cum ipse Caja, quam sibi conjugem petit, senior sit, rationi consonum est, ut subsidia, quam ex ea sperat, compenset, atque ita ipsam de se quam maxime sollicitam reddat.

III. Quod favet bona fides, propterea quia Theologi maximi nominis in hac donatione nihil absonum detegunt, quamvis Edictum de secundis nuptiis, & Andegavensem Consuetudinem non ignorent.

I. Econtra dicitur, *ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus*; cum igitur Consuetudo inter filios interdictos, & non interdictos nequaquam distinguat, standum est ejus institutioni, quæ quidem tuta conscientia violari nequit; hæc Lex est, cui se populi subdiderunt, & cui suos quoque posteros subdere voluerunt; recepta est in trium Provinciarum Conventu, & in Senatu firmata; alioquin frustra Leges instituerentur, si pro arbitratu, propriaque lubidine quivis agere posset.

II. Id quod proponitur, est falsitas, quam divina Lex improbat.

III. Fraus est ad hæredes legitimos iis bonis frustrandos, quæ ad ipsos pertinent; non licet Legem eludere; in iis casibus non aliter judicandum, quam ordinarii Judices judicarent; cum porro certum sit, si Titius, & Caja faterentur, Cajam ipsam libras 4000. de quibus quæritur, non attulisse, futurum, ut eo commodo a Judicibus privaretur; quod satis firmo argumento est Titium id tuta conscientia tribuere non posse.

IV. Opinionis probabilis disputatione in medio relicta, tutius est opinionem tutiorem sequi.

V. Esto Titius esset omnis omnino prolis expers, dictas 4000. libras donare non posset, quia ut summum sua bona mobilia, acquisita, & conquisita, ac propriorum immobilium partem tertiam, id quod eam summam non conficeret, donare posset.

Sed omnium gravissima ea est ratio, quod Lex eludi nequit mendacio, quod a Judice, si ei innotesceret, minime toleraretur. Ea nimirum bona filiis, hæredibusque legitimis acquisita sunt, iisque proinde nonnisi servato juris ordine adimi possunt. Cæterum si Titii filii hoc quidem tempore administrandis propriis bonis inepti sunt, apti aliquando evadere possunt, præsertim vero filius, qui cum humaniorum litterarum, ac Philosophiæ curriculum confecerit mentis compos, ad eamdem deinceps mentem redire potest. Neque illud omittendum ambos quidem filios Judicis sententia interdictos esse, carcere autem conclusos non esse, quod argumento est eos quidem infirmi levisque animi esse, at vere dementes non esse.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui proposita expenderunt, existimant 4000. librarum summam tuta conscientia a Titio Cajæ tribui non posse; quod enim possidet, ad eum non pertinet nisi vi Legis, illudque non aliter, quam ut ea præscribit, disponere potest. Debet igitur Titius se subdere, quoniam certum est, Leges, quæ bonorum dispositionem spectant, in conscientia obligare, atque adeo qui iis non pareret, Deo ipsi reluctaretur, ut docet Apostolus *ad Rom.* 13. Nec minus certum est bonorum possessionem, cum nitatur humano jure, pendere a Principum Legibus, quæ non modo tanquam eorum auctoritatis effectus, sed etiam ut a Deo provenientes spectandæ sunt, ut Tractatu 6. in Joannem tradit Augustinus his verbis: *ipsa jura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano*; ex quo concludit jus, quod in sua quisque bona habet, non aliunde esse, quam ex Legibus, quæ ab Imperatoribus editæ sunt: *Tolle jura Imperatorum; quis audet dicere? mea est villa, aut meus est ille servus, aut domus hæc mea est.*

II. Leges explicandas esse, prout a Judicibus explicantur; cumque Judices instituti sint, ut populos Legibus subdant, tuta conscientia ab eorum sententiis deflecti non posse. Itaque qui contra mentem Magistratuum, qui Legum, & Constitutionum Principum interpretes, seu potius executores sunt, aliquid possideret peculiaris interpretationis prætextu, inique possideret, iisque restituere teneretur, quibus illud Lex adjudicat juxta ordinariam Judicum declarationem.

III. Inusitatum non esse, vi Consuetudinum patres ac matres propria bona pro arbitratu disponere prohiberi, cum fere certi fines præscribantur non modo patribus ac matribus, sed quibusvis etiam privatis, ne scilicet de propriis bonis aliter statuant quam juxta Leges, quæ variæ sunt pro locorum varietate.

IV. Hoc loco non agi de probabilis opinionis discrimine, propterea quod assertio hæc una cum veritate consentit; id enim ex Francisci II. Constitutionibus, & Andegavensi Consuetudine liquido constat, ut proinde pro certo habendum sit Theologis, iisque gravibus, qui consulti sunt, aliam facti speciem fuisse propositam.

V. Posse quidem Titio præsto esse rationes, ob quas futuræ conjugi gratificetur, sed eas tamen in hac facti specie locum habere non posse, quia illi potestas deest, nihilque liberi boni suppetit, quo ei hoc grati animi argumentum exhibeat.

Decisum Parisiis hac die 20. Julii an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Matrimonii promissio, qua quis Ancillæ, qua abutitur, sese obstringit.

CASUS LIV.

1 *Qui Ancilla abutitur, matrimonii data fide, debet promissa complere, cum ipse non temere præsumitur ex animo promisisse, & puellæ nulla gravis causa suppetit credendi non eam ejus voluntatem fuisse, ut se in uxorem duceret, aut ob conditionem ei jus esse petendi, ut promissio rescindatur.*

2 *Ille tamen consequi posset, ut a data fide liberaretur, si ipse prævideret ex eo matrimonio graves in familia discordias futuras esse, ac matrem certum vitæ periculum subituram, quippe quæ octogenaria est, seque ab eo matrimonio magnopere alienam esse testatur.*

3 *Hoc in casu curare debet, ut, quam dedit, fides sibi a puella restituatur, prolis curam suscipere, & matri dotem tradere, ut pro conditione nubere possit.*

QUÆSITUM.

Filius familias ætatis an. 30. ancilla abusus est, data matrimonii fide. Hactenus puella admodum honesta fuerat.

Ado-

Adolescentis matet octuagenaria est, e vita decessit pater. Ex eo commercio natus est infans, cujus se ille patrem testatus est, siquidem eam sun nomine baptizandum curavit, & matri suppeditavit, quæcumqne tum ipsi, tum filio necessaria essent.

Ei de illa in uxorem ducenda cogitanti restitere consangninei ob conditionis inæqualitatem, quamvis uterque careat nobilitate.

Puella adolescenti ob oculos posnit nbstrictam fidem, in mentem revocavit, quam vehementer rogasset, ne promissa detegeret, oppottuno tempore sibi certo servanda. Ille qnidem haud repugnat, fatetnrqne eam promissionem, ut pnella se corrumpi pateretur, in causa fuisse. Teneturne ipse ineluctabiliter ipsam ducere?

Prima dubitandi ratio ea est, quod puella fideliter silentium servavit, promissione omnino nemini patefacta. Quod si nunc temporis promissio publica fiat, dubio procul rnmorem ae seandalum pariet; atque adeo fortasse falsa videbitur.

II. Adolescens, si hoc matrimonium contraxetit, consangaineorum indignationem subibit, & gravia in propriis bonis detrimenta.

III. Illud aatem est omnium gravissimum, quod ejus mater octuagenaria & infirma ab hoc matrimonio adeo aliena est, ut, si contrahatur, præ dolore moritura prævideatur.

Quæritur, an hæ causæ sufficiant, ut adolescens a promissione liberetur, ea conditione, ut pueri curam gerat, & matri det, qun nnbat pro conditione?

Monendi sunt etiam Doctorea, qui consuluntur, ab adolesceente post ancillæ puerperium altam paris eonditionis uxorem petitam fuisse, id quod vulgo innotescit, tametsi nibil adhuc scripto sit exaratum.

Rasponsio.

Consilinm Conscientiæ subseriptum, quod exposita vidit, existimat Adolescentis, pro qno consulitur, promissionem ex earum numero esse, quæ tanquam sinceræ spectandæ sunt, & cnm voluntate contrahendi matrimonii, quod ipse puellæ promisit, ea conditione, ut suis cupiditatibus assentiretur. Non ergo hic agitur de fictis promissionibus, in quibus excusationes prætexi possint ad contendendum puellam potuisse ac debuisse cognoscere eas ingenuas non esse, nec implendas fore, adeoque ipsam volentem scientemque deceptam fuisse. Et sane in proposita facti specie nihil apparet, unde innotescat adolescentem haud ex animo se conjugali fide obstringere voluisse. Hoc posito creditur adolescens ancillæ in uxorem ducendæ veri nnminis obligationem promissionis vi contraxisse; dummodo tamen ex eo matrimonio grave malum non orivetur, atque incommoda, quæ prævisa non sunt, bono, quod inde redundaret, majora non fuerint. His ita se habentibus censet Consilium adolescentem teneri puellam ducere; I. ob eam, quæ proximo debetur, fidelitatem; II. ratione justitiæ, quoniam puella ideo tautum se violari passa est, quod ille promiserit, eique persuaserit se ita ejua sponsum evadere coram Deo, vi pacti, quod cum eorum commercio eonjunctum erat. Sanctus Antoninus hanc controversiam decidit in summa *part. 2. tit. 5. cap. 6.* in hæc verba: *Si promisisset ducere eam in axorem, ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum, & multo magis juramento firmatam*. Addit tamen exceptionem, quæ talis est: *Et hoc nisi nimis distans esset eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis & potens; non enim mulier præsumitur fraudem ignorasse; vel etiam si aliquod magnum scandalum inde creditur proventurum; & tunc petat remissionem promissi. & aliter satisfaciat secundum suam facultatem, & mulieris indigentiam*. Exceptio porro, quam ex conditionum discrimine ducit, non alio nititur fundamento, quam hac hypothesi, fœminam de fraude cognoscere, cum nempe, qui promittit, implendi promissi voluntate carere. At ni fraus adsit, ut in præsenti facti specie pro certo ponitur, exceptioni locus non est, nisi grave malum ex ejusmodi cognatione contingat, puta gravis in familia discissio, parentum obluctatio, qui ut in ejusmodi negotio se vinci paterentur, addnci nollent, aut cognationem adeo imparem sibi dedecori fore putarent; quæ quidem incommoda prævisa non fuerint. Quia vero proponitur timendum fore, ne, si adolescens ancillam duceret, mater dolore obruta mortem occumberet, videtur adolescens obligationis solutionem petere posse, eaque impetrata, ancillæ dotem tribnere debere, ut pro eonditione nnbere possit; sed optimum factu fuerit, ut ille puellæ consensum obtineat, atque ipsa libere ac voluntario receptæ promissionis juri renuntiet.

Decisum Parisiis die 28. Octobris an. 1679.
Ang. *de Lamet*.

Matrimonium puellæ, qua quis abutitur ex promissione.

CASUS LV.

1 *Adolescens, qui promissione verbali pluries repetita abusus est puella, teneatur in foro conscientiæ eam in uxorem ducere.*

2 *Si tamen contrahentium maxime diversa conditio sit, & inde adolescenti grave damnum immineat, debet ille puellæ prospicere.*

QUÆSITUM.

PEtrus Major an. 30. Mercatoris domnm frequentans cum ejus filiarum una, 14. circiter aut 15. annos nata amore conjungitur; & cum facile accederet, aliquamdiu sollicitatam ad sibi gratificandum pertraxit; eam non semel, & quidem consentientem cognovit quinque aut sex mensium spatio, non sine seria, sed verbali tantum matrimonii promissione. Nihil ex eo commercio prolis extitit, nihilque, quod puellæ, aut familiæ nomen inobscuraret. Consanguinei, quibus de bae omni re nihil ereditur suboluisse, eum intetim urgent, nt matrimonium eoncludat ejus pura putaque frequentatione permoti; ille vero sibi cavit, ae distulit variis de causis, tum quæ familiam, tum quæ res proprias respicerent; non destitit tamen a suscepto consilio, ac puellæ promissa iteravit, quotiescumque, remotis arbitris, eam videre, atque alloqui potuit. Post annos aliquot se subduxit a familia, quæ sollicitationes instauravit, ut eum ad puellam ducendam, conficiendumque negotium impelleret. Petrus, qui eam ex animo magni facit, ac vehementer amat, & ab ea vicissim se magnopere amari experientia edoctus intelligit, cupit ei se gratum præstare, maxime licet ab eo matrimonio propria eum negotia absterreant.

Rationes, quibus excusari videtur, præter eas, quas Doctores supplere poterunt, sunt I. quia, tametsi non gravis cæteroquin sit inæqualitas utriusque familiæ, puellæ tamen familiæ notam inussit patris decoctio. II. quia nunc temporis nibil boni puellæ est, quod dotis titulo afferre possit, quamvis ei pars suppetat materni boni, admodum tenuis, si cum Petri bonis, imposterum firmis, & quæ ei deesse non possunt, conferatur. III. quia cognovit ex puella ipsa, eam tresdecim annos natam a consanguineo admodum proximo ad turpia sollicitatam fuisse, atque adeo complures tactus ei permisisse, ipsumque non sine ejus consensu semel ea frui conatum esse, nec tamen rem facere potuisse, obstante acerbiore ætate puellæ, quæ malum, quod patrabat, non satis intelligebat; has porro incestuosas licentias ex parte non negavit illa coram matre, atque eæ quidem eodem tempore in aliquot aliorum familiæ necessariorum notitiam venerunt.

Addit & illud Petrus in sui gratiam, sibi quamvis majori, tamen esse patrem, ac matrem, qui suo ipsius subsidio opus babent, ac per hoc matrimonium eo privarentur, seque probe nosse fore, ut honesta, e qua est, familia nunquam assentiatur, sed potius quam maxime reluctetur. Esse vero proximum, tristibus eventis & calamitatibus puellæ fami-

familiæ immiaentibus, futurum, ut ipsa ei se conjungens non possit, quin universum onus subeat, & ad ejus levamen ac sustentionem gravibus dispendiis nunquam compensandis obnoxius sit. Horum autem pleraque, ad puellam, ejusque familiam spectantia innotuere Petro commercii ac promissionis verbalis tempore. Se denique valetudinarium esse, adeoque ejusmodi curis ac matrimonio minus idoneum. Non est omittendum in puella, quæ humana, de quibus in expositione, passa est, esse multa, quæ valde laudentur, iis ipsis fatentibus, qui nullo partium studio ducuntur.

Quamobrem quæritur, an Petrus tuta conscientia possit ab hoc matrimonio abstinere, vel ad aliquamne compensationem puellæ reddendam obligetur, ac præsertim quatenus deberet eidem consulere, si forte cum ea matrimonium contrahere non teneretur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Petrum id, quod puellæ, de qua in libello supplici dictum est, promisit, præstare debere, cum ea promissio, & quidem pluries iterata prorsus in causa fuerit, ut illa pergeret ei se dedere. Et sane Petrus puellæ injuriam inferret, si, postquam ei bona fide promisit, eademque abusus est, nihil aliud sibi præstandum putaret, quam ut eidem prodesset.

In ea facti specie non versamur, in qua puellæ, quæ matrimonii promissione violata est, dote tradita, injuria eidem illata satis reparata censetur. Cum sane adolescentis conditio puellæ conditionem longe multumque superat, aut cum grave, illudque haud provisum detrimentum imminet adolescenti, si obstrictam matrimonii fidem præstet; in utraque facti specie non tenetur ille stricto jure promissis stare, debetque, ut a promissis eximatur, postulare, ac deinde puellæ pro viribus, ac pro ejusdem indigentia prospicere. Ita Cardinalis Toletus, ac præsertim Sanctus Antoninus, cujus hæc verba sunt: (*a*) *Si promisit eam ducere in uxorem, ut ab ea extorqueret copulam, servet promissam*. Deinde subdit exceptiones duas: *Et hoc, nisi nimis distans esset eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis, & potens; non enim mulier præsumitur fraudem ignorasse; vel etiam si magnum aliquod scandalum inde crederetur proventurum, & hinc petat remissionem promissi, & aliter satisfaciat secundum suam facultatem, & mulieris indigentiam*. Navarrus, & nonnulli alii Theologi ejusdem sententiæ sunt (*b*).

Porro in casu, de quo agitur, non ita gravis est inæqualitas conditionis; si puella non tantum, quantum Petrus in bonis habet, iis tamen peculiaribus dotibus insignita est, quæ Petri, fatente ipso, æstimatione, atque amore dignæ sunt; præterea nihil incommodi ex eo matrimonio timeri potest, quod vel omnino evitari, vel saltem imminui non possit. Infirmitati vero, cui se Petrus obnoxium dicit, facile remedium adhiberi potest, si matrimonio cum modo uti velit.

Objiciuntur duo; I. Si Petrus puellam duxerit, fore, ut patrem ac matrem subsidio privet, quo indigent; II. Eosdem Petri parentes nunquam in matrimonium hoc consensuros esse. Quibus respondetur;

I. Subsidium patri ac matri præstandam ejusmodi non apparere, ut necesse proinde sit Petrum id non præstare, quod quia puellæ promisit, eadem abusus est. Præterea non deerunt fortasse rationes, quibus patri ac matri necessaria Petrus exhibeat.

II. Ad familiæ obluctationem quod attinet, Petrus matrimonium, de quo agitur, ad tempus differre potest, ut interim qua propriis officiis, qua amicorum gratia, qua gravium denique Virorum auctoritate consanguineorum consensum obtineat. Ut ut casum res sit, ea Petrus ætate est, ut, consanguineis assentiri nolentibus, a proposito absterreri non debeat, servatis in antecessum formulis iis, quæ in hujusmodi negotiis usui esse consueverunt.

(*a*) Tolet. lib. 5. c. 11. n. 2. S. Antonin. 2. part. tit. 5. cap. 7. §. 1.
(*b*) Navar. in Manual, cap. 16. n. 18.

Sane triste quid accidit puellæ, cum junior esset consanguineo ea abuti volente. Sed ne id quidem Petrum eximit a matrimonio. Sanchez, Bassæus, (*c*) aliique propugnant Adolescentem non teneri fidem puellæ, qua abusus est, obstrictam præstare, cum virgo haberi voluit, postea vero innotuit eam corruptam fuisse; porro ea, de qua quæritur, *non fuit deflorata*. Petrus præterea de eo eventu cognovit, æque atque eorum plerique, qui ad familiam, quo tempore puellæ promisit, eaque abusus est, accesserunt. Se ille obstrinxit lubens ac volens, & quin suspicio esse posset eumdem seductum esse. Ætatem habebat, ut proinde quid ageret, cum promisit, cognoscere posset, quoniam trigesimum annum attigerat. Egregiæ animi dotes, quas Petrus in puella detexit, quibusque ea ipsa prædita est, ad subeandam obligationem eum impulerunt. Hac de causa eam sibi conjugem petiit, & ut matrimonii obligationem magis ineluctabilem redderet, ejus animum sollicitavit, eaque potitus est. Quamobrem debet, quamprimum poterit, promissa facere.

Decisum in Sorbona hac die 20. Decembris an. 1694.

G. Fromageau.

Matrimonii promissio de præsenti, non de futuro.

CASUS LVI.

1 *Verba, quæ ad matrimonii fidem mutuo exhibendam usurpantur, sunt promissio de præsenti, ac veri nominis matrimonium constituunt, quod redintegrari non debet.*

2 *Valet matrimonium adolescentis ac puellæ, qui sibi mutuam matrimonii fidem coram Parocho, ac testibus in Ecclesia dederunt.*

QUÆSITUM.

Titius & Bertha, uterque liber, ultro, mutuoque consensu sibi conjugalem fidem obstringunt, & in legitimum matrimonium consentiunt hac ipsa die, & quidem coram proprio Parocho, ac testibus, ut ex Actu, quem subdimus, apparet.

Nos Titius ac Bertha, ambo liberi, sponte, mutuoque consensu promittimus coram D. N. . . . nostro Parocho, ac testibus præsentibus subscriptis nos legitimum matrimonium inituros, ex hac ipsa die, & ad promissionem nostram firmiorem reddendam nobis mutuo fidem dedimus in Ecclesia coram ipsis, pronuntiantes verba, quæ sequuntur. Ego Titius promitto, ac juro Berthæ hic præsenti me eam veræ ac legitimæ conjugis loco habiturum, promittens, ac jurans me aliam nunquam ducturum; & ego Bertha promitto, ac juro Titio hic præsenti me ex hac ipsa die veri ac legitimi sponsi loco habituram, promittens ac jurans me alium nunquam ducturam. In cujus fidem nos præsentem promissionem ambo subscripsimus, & a nostro Parocho hic præsenti, ac testibus pariter præsentibus subscribendam curavimus. Editum Avenione hac die 2. Junii an. 1696.

Post menses decem iis ortus est filius, qui ab eodem Parocho baptizatus, & ipsis instantibus in codicem Actorum baptismatum relatus est; cumque iidem conjugati deinde perstiterint una vivere, in eadem Avenionis Urbe tanquam matrimonio juncti publice habiti sunt. Itaque quæritur,

I. An ea promissio sit *de præsenti* juxta cap. *Ex parte de sponsal.* an vero sit tantum promissio *de futuro* ex cap. *Si inter virum*.

II. An si promissio sit *de præsenti*, ut creditur ob rationes, quæ afferuntur, quæque apud Sanchez occurrunt, matrimonium validum sit? Præsertim cum Avenione quidem nuptiarum indictio ad matrimonii validitatem necessaria non sit. Et hoc in casu quæritur, an Avenionis Ordinarius possit tu-

ta

(*c*) Sanchez de matrim. l. 1. disp. 10. n. 21. Bassæus v. sponsalia 2. n. 4.

ta conſcientia iis permittere, ut novum matrimonium contrahant, & commissionem *de matrimonio contrahendo* ipsis expediendam mandare, prætextu præjudicii, quod prius matrimonium quoad effectus civiles in bonis, quæ in Gallia possident, iisdem afferre posset?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Titium inter ac Bertham veri nominis matrimonium existere, ita ut verborum, quibus ad mutuam matrimonii fidem usi sunt, notio legitime referri nequeat ad simplicem promissionem matrimonii imposterum contrahendi. Quamvis enim proposita verba (promittens, ac jurans nunquam fore, ut alteri nubam) significent, ut videtur, consensum, qui effectum suum imposterum sit habiturus; tamen hæc alia verba (promitto, ac juro Berthæ me ex hac die eam pro vera ac legitima conjuge habiturum esse) determinant priora ad tempus præsens, & quod inde consequitur, ad veri nominis matrimonium contractum *de præsenti*.

Canonistæ in Caput *ex parte*, *de sponsalibus* sibi fingunt facti speciem ei geminam, de qua agitur, & prout a nobis explicatur, eamdem definiunt. Videri possunt Barbosa, Joannes Andreas in hoc caput, (*a*) Pyrrhingus in quartum librum Decretalium; quorum postremus declarat, quandonam & quomodo viri ac mulieris mutuam sibi fidem exhibentium verba sint accipienda de matrimonio præsenti, vel solum de matrimonio futuro, simplicibusque sponsalibus.

Ad factum præsens quod attinet, scitu dignum est, quemadmodum hic Auctor loquatur: *Notandum I. si vir, & mulier juraverunt, vel etiam sine juramento promiserunt per verba importantia executionem, quæ sonant de futuro, sed significant consensum de præsenti se invicem pro conjugibus habituros, vel mutuam fidem conjugalem servaturos; hinc inter eos censetur matrimonium contractum, ut si dicit, Ex nunc, vel ab hoc tempore, vel deinceps, habeo te pro uxore, vel tractabo te semper ut uxorem, quia verba hæc, etsi sint futuri temporis quoad sonum, tamen re ipsa important consensum de præsenti; si enim quis promittat, quod ex nunc & deinceps semper hanc fœminam habebit pro uxore, seu tractabit ut uxorem; ergo modo est uxor ipsius*. Citat deinde Caput *Ex parte de sponsalibus* in suæ sententiæ confirmationem. Decisio hæc videtur esse casus propositi definitio.

Præterea si Titii ac Berthæ mutuam sibi fidem dantium spectetur intentio, prout quidem exposita est; ac si id quoque spectetur, quod Parochus eos conjungens de mutua hac fide sensit: concludendum est Titium ac Bertham non in sponsalia solummodo, sed in veri nominis matrimonium *de præsenti* consensisse. Sane Titius ac Bertha, conjugali fide coram Parocho ac testibus in Ecclesiæ facie sibi vicissim exhibita, nihil impedimento esse judicarunt, quominus tanquam vir & uxor una versarentur. Parochus, qui eos copulavit, & qui cæteroquin eorum animum, dum se mutua fide obstrinxerunt, probe nosse poterat, cum proprius ipsorum Pastor esset, puerum ex ejusmodi consortio genitum in suo Baptismatum Codice legitimum declaravit. Non apparet igitur, quo jure credi possit verum proprieque dictum matrimonium in proposita facti specie non extitisse.

Ad extremum ut adhuc in hujus conjugalis fidei sensu dubitationis aliquid superesset, judicandum tamen esset pro matrimonio, quod contractum est, cum id favorabile sit. Ita sentiunt Joannes Andreas, & Anchoranus in Caput Juris *Ex parte* supra laudatum; *nam*, inquiunt, *in talibus, & similibus dubiis pro matrimonio judicamus*. Quæ quidem regula eo magis ad rem, quæ præ manibus est, accommodanda videtur, quod Titius & Bertha non censentur in hac facti specie mala fide agere voluisse.

Ex hactenus dictis sequitur nihil esse, quamobrem illi novo matrimonio jungantur, iisque mandetur expedienda ab Avenionensi Ordinario Commissio *de contrahendo matrimonio*, siquidem ex Jure, & Canonistarum sententia, quemadmodum probatum est, matrimonium, de quo quæritur, validum est; posset id unum in hoc matrimonio improbari, quod nempe nuptiarum indictione caruerit; verum super hoc defectu ea mens est Tridentinæ Synodi, ut ille illicitum quidem reddat matrimonium, non autem invalidum.

Decisum in Sorbona hac die 2. Octobris an. 1700.

G. Fromageau.

Viri potestas ratione conjugis.

CASUS LVII.

1 *Virum in aliam Provinciam habitandi gratia proficiscentem conjux sequi debet, nec omnino obluctari potest.*

2 *Non potest illa proprio viro, siquidem prodigus non sit, dotis, & omnium, quæ matrimonii titulo attulit, bonorum fruitionem denegare.*

QUÆSITUM.

Duxit quis conjugem adeo ludo deditam, ut ejus domus sit aleatorium; locus ibi est omni ludorum generi, solemnioribus quoque diebus festis; comeduntur carnes jejunii tempore. Vir quidem nullum non movit lapidem, ut uxorem revocaret in viam; sed laterem lavit, quod ajunt. Quamobrem quæritur,

I. An ille ejusmodi ludos, & hanc a recto tramite conjugis aberrationem tuta conscientia pati possit?

II. An eidem ad Præfecturam proficiscenti ea se comitem addere debeat?

III. Quid agendum viro, si illa obsequi, ac subsequi nolit?

IV. An eadem conjux dotem, & quicquid attulit matrimonii titulo, viro tradere teneatur? Ait illa, si is fruatur iis bonis, fore, ut nil sibi tribuat, ac proinde ludo vacare nequeat, cum sibi tamen ludendi libertatem promiserit, dum matrimonium inierunt.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet ex eo, quod vir sit caput mulieris, ut docet Apostolus in 1. *ad Corinth. cap. 11.* & in Epistola *ad Ephes. cap.* 5. necessaria consecutione fieri, ut ipse eam moderari, & illa quoque eum sequi debeat, ubicumque locorum est, vel in habitationis sede, vel ubi suum domicilium constituit. Hæc communis sententia est, cui Jus quoque concinit, statuens, ut mulier virum sequatur. (*b*) Præterea quoniam penes maritum est propriæ conjugis moderamen, penes eum quoque est ejus puniendæ facultas, cum gravis causa suppetit, & cum illa ei monenti auscultare, atque obsequi renuit. (*c*) Sanctus Thomas, & Sanctus Antoninus asserunt virum quoad uxorem hac auctoritate pollere; adduntque eum quoque posse ad tempus ab ea recedere in pœnam, siquidem id ad ejus emendationem conferre possit. Sylvester ita statuit: *Quando conjux per suum peccatum est scandalum, dimitti potest quoad cohabitationem corporalem, quousque corrigatur*. Hoc posito, respondetur.

Ad quæstionem primam; virum, de quo sermo est, pati non debere, conjugem suam ita, ut expositum est, se gerere, hoc est cum vero gravique scandalo; atque adeo nihil non agere debere, ut eamdem ad bonam frugem pertrahat.

Ad secundam; oportere, ut vir, si id expedire judicaverit, curet, ut illa aliam vitæ rationem ineat, ac si in ordinem redire nolit, eam ad tempus dimittat, tum quo ipsam puniat, tum quo palam faciat se scandalo, quod illa nequiter vivens, ac prave se gerens affert, sua quidem conniventia non suffragari.

Ad tertiam; sponsam, de qua quæritur, statim atque

(*a*) Pyrrhing. In 4. Decret. tit. 1. sect. 3. §. 3. n. 83.
(*b*) 13. q. 2. c. unusquæque.

(*c*) S. Thomas in 4. dist. 30. q. unic. art. 6. in fine corp. S. Anton. 3. p. tit. 1. cap. 21. §. 4. Sylvest. v. matrim. q. 12

atque habitationis locum a viro mutatum noverit, ei se comitem addere debere, nullamque excusationem prætexere posse, præsertim cum vir id se cupere, eidem significaverit; in præsenti quidem facti specie dicta conjux nullam legitimam causam, quominus virum sequatur, afferre potest. Frustra nimirum in sui excusationem adducit ei se nupsisse, quod sibi promiserit fore, ut semper in ea vitæ ratione, quam servabat, quo tempore matrimonium initum est, persistere posset; ut enim id ita esset, quod tamen non est, vir tuta conscientia promissis stare non posset; quandoquidem cum promissio culpa non vacaverit, longe gravius peccatum esset promissionis executio.

Quod si mulier, etiam postquam a viro monita, ac vel a Parocho, vel ab Episcopo, vel ab aliis gravibus viris rogata fuerit, ad ipsum renueret sese conferre; & ibi ubi est, omnino consistere vellet, ut ludo vacaret, & vitæ, quam gravi cum scandalo ibidem ducit; viro jus esset ad Judicem confugiendi, obtinendique, ut in bene moratam Communitatem conjiceretur, tum ut a pravis occasionibus abduceretur, tum ut mutandæ vitæ, seque melius gerendi rationes edisceret.

Ad quartam; eamdem mulierem ob eas, quas adducit, causas dotem, quam contracti matrimonii vi attulit, viro denegare non posse; secus autem se res haberet, si ille prodigus esset; id quod non innuitur in proposita facti specie.

Decisam Parisiis hac die . . . . an. 1700.
G. *Fromageau*.

Adolescens eam in uxorem ducere coactus, qua abusus est.

CASUS LVIII.

1 *Matrimonium, ad quod Senatus adigit adolescentem sub mortis pœna, nullum est, quamvis quoad formam, & agendi rationem edita sententia justa sit.*
2 *Posset ille aliam ducere in extranea regione, ubi de ipsius priore matrimonio prorsus ignoraretur.*
3 *Ex iis, quæ apparent, non immerito Ecclesia in adolescentem agere posset, ut eum maritali ratione cum priore, quam duxit, uxore versari cogeret.*

QUÆSITUM.

AGitur de adolescente, qui post menses non paucos, clam quidem, & sine publico scandalo cum puella rem habet. Extitit & matrimonii promissio, ea conditione, ut illa fidem servaret, aliique nemini sese dederet. Sed eo commercio soluto, Puella deinde, cum ventrem gereret, decimo octavo post solutum commercium mense geminos filios in lucem dedit; ea tamen adolescentem accusavit, enuntians pueros ex eo esse, eum vocavit in jus, & post multas actiones obtinuit, ut ad se ducendam sub mortis pœna damnaretur senatus Rescripto, quamvis ille se ejus quidem culpæ purum esse maxime testaretur. Itaque ut mortem effugeret, ad Ecclesiam demum profectus eam servato juris ordine duxit in conjugem, & inde eggressus ipsam deseruit, nec amplius deinceps vidit.

Puella ipsa fatente firmum stat geminos filios ex eo adolescente susceptos non esse; id illa declaravit Confessario, & quicquid supra dictum est, coram aliis confirmavit, inquiens ejus absentiam, ex quo conceperat, in causa fuisse, ut tuendæ famæ gratia filios ei priori supponeret, tum quia ille sibi conjugalem fidem obstrinxerat, tum ut se derelictam, id quod suæ ipsius licentiæ causa fuerat, ulcisceretur.

Hoc posito, quæritur I. in gratiam adolescentis, an ejus matrimonium, cum coactum, & vi extortum fuerit, validum sit? Et facta hypothesi non valere, an ille in exteras regiones abiens tuta conscientia novam matrimonium contrahere possit, ita tamen, ut nihil inde scandali existat?

II. Constante matrimonii validitate, adolescens, cui puellæ infidelitatis certæ probationes suppetunt, teneturne in foro conscientiæ ei se conjungere?

III. Si cohabitare non teneatur, debetne obstrictam fidem, ac rem, quam cum ea se primum habuisse fatetur, pecunia, vel aliter compensare?

IV. Superioribus Ecclesiasticis excommunicationem, & Sacramentorum privationem, ni degat cum conjuge, minitantibus: estne, cur adolescens inde pertimescat, & ea quidem excommunicatio satisne firmo fundamento niteretur?

V. Quomodo quoad hunc adolescentem se gerere debet Confessarius? Ac Superioribus Ecclesiasticis non ulterius in eum progredientibus, potestne eumdem absolvere, & ad Communionem recipere? Atque ita quidem, ad adolescentem quod attinet.

Quod autem ad puellam singillatim spectat: facta hypothesi ejus matrimonium invalidum esse, cum ipsa in causa fuerit, ut adolescens gravibus impensis obnoxius esset, nec amplius in patria matrimonium inire posset ob geminos filios sibi suppositos, quomodo se cum illo gerere debet?

I. Teneturne in foro conscientiæ, quodcumque tandem ei damnum immineat, Judici declarare accusationem falsam fuisse, & quamvis antea cum eo rem habuerit, re tamen vera geminos filios nec ex eo esse, nec vero esse posse?

II. Ni ita declarare teneatur, debet necne saltem separationi quoad thorum, ac bona cum viro supposito consentire, ut a Superiorum Ecclesiasticorum minis eum tueatur?

III. Debetne illa pecuniariam aliquam reparationem facere ob diuturnam in carcerem adolescentis inclusionem, & ob impensas?

IV. Quid consilii Confessarius inire debet, ut puellam hanc in salutis viam revocet?

Animadversione dignum est ambos, utroque inscio, ad eumdem Confessarium accessisse, & has quidem quæstiones omnes ex ipsorum ore proponi.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod expositam facti speciem, & adjectas quæstiones vidit, existimat,

Quoad quæstionem primam, matrimonium, quod inter adolescentem ac puellam contigit, nullum esse ob eam causam, quod licet vi Rescripti, cujus sententia quoad formam & agendi rationem justa fuit, initum fuerit, cum tamen factum, de quo agitur, veritati non congruat, & Judices re ipsa decepti sint, vere dici potest Dei judicio hoc idem Rescriptum a justitia alienum esse, quia Deus ex veritate judicat, non autem, ut homines, ex præsumptione. Puellam porro nihil juris adeptam esse ex eo judicio, cujus fundamentum falsitas est, quæ Judicibus palliata, & tanquam veritas ex præsumptionibus proposita fuit. Adolescentem, quicquid egit in hoc negotio, non egisse nisi metu mortis, ad quam damnatus erat, & quam subiisset, ni Rescripto paruisset; & cum timor hic satis gravis sit, ut constantis hominis animum prosternere possit, defuit, proinde consensus ad matrimonium contrahendum necessarius.

Hæc Theologorum doctrina est, ut Sancti Thomæ, (*a*) Sancti Bonaventuræ, Scoti, Durandi, Richardi, Paludani, Navarri, Tabienæ; quorum postremus: *Respondeo*, inquit, *secundum D. Thomam, quod vinculum matrimonii perpetuum est; unde illud, quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium; metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem tollit, quia potest repeti in integrum; talis ergo coactio, quæ est metus cadens in constantem virum, tollit matrimonium, & non alia.* Eadem omnium quoque Canonistarum sententia est in titulum: *De iis, quæ vi metusque causa fiunt, cap. Abbas cap. Cum dilectus.* Et in hac sententia, quæ semper in Ecclesia tanquam regula habita est, Alexander III. in cap. Abbas

(*a*) S. Thom. in 4. dist. 9. q. unica art. 3. q. 1. in corp. S. Bonavent. q. 1. num. 5. Scotus q. unic. §. hic dicitur. Durandus q. 2. num. 7. Richard. art. 2. q. 5. Paludanus q. 1. art. 3. Concl. 1. num. 57. Navarr. Manual. c. 22. Tabienas v. impedimentum Impedim. 9. num. 3.

Abbas laudato pronuntiat: *Unde quia quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*. Et in titulo *De sponsalibus cap. cum locum*, leguntur hæc: *Cum locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit, necesse est, ut ubi assensus cujusque requiritur, coactionis materia repellatur; matrimonium autem solo consensu contrahitur; & ubi de ipso quæritur, plena debet securitate gaudere, cujus est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, & sequatur exitus, qui de invitis nuptiis solet provenire*. Idem Pontifex hanc doctrinam confirmat in *cap. Veniens*, quod eumdem titulum proxime sequitur, & cap. *Significavit, Tit. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium*.

Facta igitur hypothesi adolescentem non nisi coactum egisse, & proprie dictum consensum non præbuisse, consequens fit matrimonium, quod ipse deinde juxta Ecclesiæ Regulas cum alia contraheret, validum fore; quia coram Deo ligatus non est, eumque non peccaturum, si id sine scandalo facere posset, ita scilicet, ut ibi, ubi contraheret, nec suppositum matrimonium jam contractum, nec Rescriptum, quo ad illud adactus est, innotesceret; quandoquidem si hæc in apertum proferrentur, conjugatus haberetur, & quam ibidem duxisset, mulier ejus uxor haberi non posset, adeoque obnoxius fieret pœnis in eos per Leges inflictis, qui, priore vivente conjuge, alteram duxerint.

Atque hoc quidem responso satis est factum quæstioni secundo loco propositæ.

Quoad tertiam, respondetur, cum puella fidelis non fuerit adolescenti, promissa prorsus omnia ab ea conditione pendentia soluta esse.

Quoad quartam; Ecclesiam jure posse ex iis, quæ apparent, in adolescentem agere, ut cum puella, quam secundum consuetas formas duxit, cum conjugali ratione vivere cogat, cum nihil externum, quo non damnetur, occurrat; verum re quidem ipsa, cum matrimonium non adsit, censuras in eumdem latas coram Deo ejusmodi non fore, utpote in hominem latas, qui reus non esset.

Quoad quintam, si Ecclesia in adolescentem non agat, quoniam ille innocens est coram Deo, nihil proinde impedire, quominus Confessarius cum eo perinde se gerat, ac cum quovis alio fideli se gereret, eumque admittat ad Sacramenta pro præsentibus dispositionibus, ut ipsi videbitur.

Quod attinet ad puellam; Respondetur necesse esse nihil eorum ab ea prætermitti, quæ necessaria judicabuntur, ut injustitiam reparet, quam attulit adolescenti, atque impediat, ne filii, quos ex alio suscepit, eidem adjudicentur. In eum finem consulendi sunt Advocati, ex quibus ipsa, qua id ratione assequi possit, intelligat, id quod apparet factu difficillimum propter infantes, quibus ex edito Rescripto titulus advenit; nec leviter dubitatur, an futurum sit, ut puellæ tribuatur facultas negotium apud Judicem declarandi; atque an ipsa impedire possit, ne infantes utantur jure, quod contradictorii Rescripti vi sunt consecuti. Nunquam fæmina dicere potest adolescentem geminorum fratrum patrem esse; immo vero debet suos monere eum talem non esse, nec in ipsum, ut ad Rescripti executionem adigatur, agi posse, ne scilicet, si ea forte moreretur, ejus consanguinei in intentata actione persisterent. Non eadem nimirum hujus mulieris ratio est atque ejus, quæ constante matrimonio filios ex alio viro suscipit.

Si nulla occurrat ratio impediendi, quominus Rescriptum in puerorum favorem effectum suum sortiatur, semper tamen puella, quantum in ipsa est, adolescentis innocentiam profiteri, ac prædicare debet; adeoque si instante Promotore adolescens impeteretur, ut cum puella degere cogeretur, deberet ipsa niti pro viribus, ut eas actiones reprimeret. Haud censetur puella in iis, quæ ederet, Actis adolescentis sponsam se dicere posse, cum monita sit se talem non esse; quemadmodum & adolescens ejus se virum nominare nequit, quin mentiatur, & rem veritati non consentaneam confirmet; nisi ille quidem ejus pro conjuge habendæ consilium ineat, & ambo sibi mutuo conjugalem fidem obstringant *in actu maritali*, edita in foro externo declaratione rectam fuisse Rescripti sententiam.

Hoc tamen remedium usui esse non posset, si posset iniri matrimonium in foro externo, & in facie Ecclesiæ, quæ quidem eos non reciperet, qui ad ipsam jam accessissent, quique externa specie contraxissent matrimonium, in quo nullum appareret impedimentum, vel nisi prius illud matrimonium nullum a Judice declaratum esset, & partibus alterius ineundi matrimonii facultas concessa. Verumtamen quod proponitur, consilium adhibendum esse non videretur, nisi ea venia a Romanæ Curiæ Pænitentiaria peteretur, quamvis, docente (a) Navarro, id ipsum Pii V. auctoritate firmari possit; cum enim Papæ decisio non sit in eadem facti specie, satius proinde foret conquiri summi Pontificis auctoritatem, judicantis rationem decisionis ab uno e suis Decessoribus editæ vi prorsus eadem pollere in negotio, quod est in manibus. At si adolescens susciperet consilium hoc, ad quod coram Deo omnino non obligatur, geminorum fratrum, quorum pater non est, supposito juri novum robur adderet; id quod novam perturbationem afferret.

Additur puellam, regulariter loquendo, omnibus impensis, ac damnis, quæ adolescenti injusta vexatione intulit, obnoxiam esse. Si tamen adolescens non nisi vi promissionis in antecessum obstrictæ puella potitus esset; quamvis illa propter violatam fidem jus amiserit promissionis executionem petendi, videretur adolescens, quippe qui occasionem præbuisset ejus inchoatæ licentiæ, & deinceps propagatæ, quod matrimonium distulisset, ad aliquam pecuniariam restitutionem erga eam obligari juxta sapientum ac prudentum Virorum judicium, cujusmodi esset summa, quæ ad puellæ dotem proxime accederet. Verum si tum solum promisisset, cum eam deseruit, & postquam ab inhonesto commercio cessavit: longe minor esse deberet restitutio, & quantam Judices præscripsissent, si de re tanquam ita se habente cognovissent. Atque ita quidem statui posset inter utrumque compensatio, prout statuendam esse judicaretur.

Decisum in Sorbona hac die 8. Decembris an. 1687.

A. de Lamet.

Matrimonium hominis duas uxores ducentis.

CASUS LIX.

1 *Patrui vidua in uxorem duci non potest.*

2 *Cum prius hoc matrimonium nullum sit, alia deinde duci potest, & ex posteriore matrimonio nati filii dubio procul legitimi sunt.*

QUÆSITUM.

GHerardus *da Val* nobili quidem genere, sed nullo insigni titulo vel Comitis, vel Baronis ornatus cum in Lotharingiam an. 1654. profectus esset, ibi sibi conjugem petiit viduam Patrui sui Domini *du Val* Legionis Ducis, cui filius superstes erat; eamque duxit præsente quidem Sacerdote, non autem Parocho, ut statuit Tridentina Synodus. Illi una versati sunt mariti, & uxoris more ab an. 1654. ad Januarium an. 1660. neque alia eis proles extitit præter puellam, quæ adhuc in vivis est. Gherardus hoc ipso Januarii mense in Angliam se contulit, & ad suppositam conjugem Londino dedit non semel litteras per quam suavissimas, atque ardentissimi amoris plenas, eam suam dilectam conjugem nuncupans, sibique viri titulum tribuens. Sed biennio post, an. nempe 1662. idem Gherardus in facie Ecclesiæ duxit Elisabeth, cum qua vixit tanquam cum conjuge, ex eaque duos filios suscepit, quorum natu major ejus hæres deinde fuit, quem quidem pater postea in matrimonium collocavit.

Matrona *da Val* Gherardi sponsa prior anno trigesi-

(a) Navar. Consil. lib. 4. de sponsal. consil. 24. n. 25.

gesimo post suppositi viri absentiam Hiberniam petiit, eum ibi adhuc vivere non ignorans, ea spe, fore ut vi dispensationis, quam obtinuerat, matrimonii sui validitatem probaret; quamvis, ut ipsa fatetur, post impetratam dispensationem ne dum cum Gherardo versata fuerit, sed eum ne viderit quidem: nulloque argumento posset ostendere Gherardum dispensationis ejus participem, atque adeo conscium fuisse, quoniam quatuor tantum mensibus post Gherardi in Angliam secessum de ea petenda, & obtinenda cogitavit. In hac facti specie quæritur ex Sorbonæ Doctoribus,

I. An matrimonium, de quo sermo est, seorsim a qualibet dispensatione, nullumne sit, & invalidum, utpote coram Parocho non peractum, prout mandat Tridentina Synodus, quæ in Provincia, ubi celebratum est, recepta est, & Legis vim habet, ut dispensationem legenti compertum sit. Constat enim hanc Synodum rotundis verbis declarare, matrimonia, quæcumque coram Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia celebrata non fuerint, nulla fore, nec tanquam legitima tum de jure tum de facto spectari posse.

II. An ea dispensatio, qualiaqualis est, firma sit & valida, circumstantiarum ratione habita, & an dictum matrimonium validum ac legitimum reddere possit?

III. Facta hypothesi dispensationem sufficere, postquam impetrata est, debetne matrimonium redintegrari, & solemniter in facie Ecclesiæ celebrari, præsertim cum appareat matrimonium prius ratum non esse, utpote coram Parocho non celebratum?

RESPONSIO.

Sorbonæ Doctores subscripti censent matrimonium Gherardi *du Val* cum Patrui vidua nullum & invalidum esse, duplici ex capite; primo quidem quia aderat impedimentum affinitatis in secundo gradu, cujus nulla dispensatio impetrata fuerat; deinde vero quia matrimonium celebratum non fuit coram Parocho, juxta Decretum Tridentinæ Synodi sess. 24. cui Constitutio Blesensis consonat.

Ad hæc ejusmodi matrimonium haud firmius evasit, quamvis ab Episcopo Tullensi, qui gradus affinitatis mentionem fecit, mulier dispensationem obtinuerit, & quamvis ostendi possit Episcopum ejus dispensationis concedendæ potestate pollere; propterea quod in eo quidem a dispensationis tempore nihil accidit mutationis; contrahentes post dispensationem ad Parochum, aliumva Presbyterum, quem ille, vel Ordinarius delegasset, non accesserunt; & Contractus in facie Ecclesiæ renovatus omnino non est; id quod adeo necessarium est, ut ne ipse quidem summus Pontifex matrimonii Contractum ob aliquod dirimens impedimentum ab origine nullum possit validum reddere, cum novus Contractus non sequitur juxta Ecclesiæ regulas, & formam, quam ipsa præscribit.

Tertio loco Gherardus cum ea vidua matrimonii vinculo non obstrictus, quoniam eorum nullum est matrimonium, omnino liber erat, cum in Angliam profectus est, cum Patrui viduam, cui secundo affinitatis gradu, id quod dirimens impedimentum est, conjunctus erat, in uxorem ducere non potuerit.

Quarto Elisabeth ipse valide in Anglia ducere potuit, & inde nati filii sunt maxime legitimi, dummodo nullum aliud impedimentum extiterit; ut proinde patrui vidua nullum jus habeat Gherardum tanquam proprium virum sibi vindicandi, sive Londino datas litteras proferat, sive longum temporis spatium adleget, quo una versati sunt. Gherardus tamen gravissime peccavit, tam indigna ratione, matrimonii specie patrui viduam decipiens, ac tenetur filiæ ex ea susceptæ curam suscipere, & in ejus educationem, & collocationem, ut decet, incumbere.

Decisum Parisiis hac die 26. Januarii an. 1690.
G. *Framageau*.

Separatio Matrimonii propter Polygamiam.

CASUS LX.

1 *Fœmina non ignorans virum suum cum alia matrimonium iniisse, & non semel adulterii crimine se obstrinxisse, non potest separationem petere, si postquam de hac omni re certior est facta, si conjugale debitum petenti reddidit.*

2 *Si vir licentius, ut solet, vivere pergat, & male uxorem excipiat, illa potest, atque adeo debet se ab ea Judicis auctoritate sejungere.*

QUÆSITUM.

Titius sempronia vir eam sæpenumero male habet, & vehementer nonnunquam verberat. Vendidit aliquando, quicquid potuit, uxorem deseruit, & quo ipsi libuit, profectus est. Id ei contigit non semel; aliquando regressus de more conjugi fassus est se anno ante coactum fuisse aliam, qua abutebatur, uxorem ducere. Sempronia, quæ apud viri consanguineos degebat, ab ejus conjugali commercio non abstinuit, ignorans, ita se petendæ separationis jure cadere.

Cum Titius eam iterum deseruisset, ejus adulterium, & posterius matrimonium vulgo innotuerunt, & negotium id omne publicum factum est. Ille quidem rursus Sempronium rogavit per litteras, ut se vellet excipere; sed illa respondit se cum eo habitare, aut concumbere non amplius velle. Quærit ipsa igitur,

I. An quia conjugale debitum Titio reddidit, postquam de scelesta ejus vitæ ratione cognovit, petendæ separationis jus, quo gaudebat, amiserit?

II. An quas hactenus pertulit, & quas imposterum sibi timet, acerbitates, & an gravis timor, quo percellitur, ne vir ære alieno gravatus, quæ supersunt, bona dissipet, & rursus deinde recedat, ut consuevit, novum necne sibi jus offerant petendæ separationis?

III. An cum Titii scandalum publicum sit, obtinenda proinde sit, & a quo tandem Judice separationis sententia?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum super proposita facti specie quoad quæstionem primam censet, Semproniam, cum conjugale debitum Titio concesserit post ejus adulterii notitiam, non amplius gaudere jure in eum agendi apud Judicem adulterii causa. Ea nempe censetur injuriam hanc ei condonasse, dum cum ipso in conjugis modum versata est.

Quoad quæstionem alteram, si Titius adulterio se iterum polluit, postquam a Sempronia veniam obtinuit, si eam indignius excipit, ut est expositum, si bona dilapidat, si redire pergit, ut deinde deserat, Semproniæ jus esse separationis sibi comparandæ. Verum ut id assequatur, implorare publicam auctoritatem, causam suam Judicibus exponere, & eorum sententiam expectare debet.

Quoad tertiam, separationem ad civiles Judices pertinere, quantum spectat ad bona, ad Ecclesiasticum autem Judicem, quantum ad cohabitationem, ac thorum spectat. Quoad utrumque tamen ad Judicem civilem acceditur.

Decisum in Sorbona die 24. Septembris an. 1673.
A. *de Lamet*.

Quæstiones magni ponderis super matrimonii promissione.

CASUS LXI.

1 *Qui puellæ, ut eadem abuteretur, se sponsum promisit conditionibus, quarum executionem difficillimam judicabat, promissa præstare debet:*

2 *Si ex eo matrimonio gravia sibi incommoda imminere provideat, vel per se, vel per alios curare debet, ut congruæ dotis ope a puella obstrictæ fidei solutionem obtineat.*

3 *Si puella consenserit, uterque pro arbitratu matrimonium inire potest.*

QUÆSITUM.

SErmo est de adolescente, qui puellæ, qua abusus est, conjugalem fidem dedit, sed eam deinde ducere non vult, propterea quod puellæ consanguinei factu difficillima eidem proponunt. Sed juvat ipsum in libello supplici ita loquentem audire.

Octavus jam annus est, ex quo in puellæ domum mihi aditus patuit; eo me sæpe traxit ejus dexteritas, ingenua indoles, ac vivida, gratia denique singularis, cum eo quidem tempore nec gravibus negotiis distentus essem, & non nisi animi relaxationem quærerem. Puella, ac mater me passim redeuntem de matrimonio cogitare crediderunt, quamvis re ipsa tunc equidem nihil aliud in animo haberem, quam ut tempus fallerem; cum nec puellæ, nec mihi satis bonorum esset, ad matrimonii onera sustinenda.

Duo, tresve anni in his frequentibus quidem sed honestis officiis transacti sunt, cum ego satis superque palam facerem mihi quidem puellam magni fieri, sed ex me nihil præterea expectandum esse, tum quod ipse me a conjugali re alienum sentirem, tum quod proposuissem me nunquam in matrimonium consensurum, quod mihi haud temere in lucem prodire volenti detrimentum aliquod afferre posset.

Id in causa fuit, ut mater me monitum vellet, quamvis angustam domi rem sibi esse appareret, non defuturum tamen, quicquid ad honestam sustentationem requireretur, si qua negotia ad exitum perduxissent, ac necesse fore, ut ejus frater centum mille scutorum Officium, quo insignitus erat, puellæ sponso cederet, tum quia prolis expers erat, tum aliis de causis.

Ut hæc negotia funditus nossem, amorem mihi fingendum duxi. Amoris exhibitum mihi plus est, quam ipse exhiberem; id quod mihi suspicionem attulit, cum adeo celeres progressus viderem, ac me quidem incesserat abeundi cogitatio; quæ cito tamen evanuit; ex una parte centum mille scutorum Officium, quod jam præ manibus habere mihi videbar, obtinendi cupiditas, ex alia parte florentis ætatis æstus, cui amare & amari præcipuum est, ire scilicet adduxerunt, ut idem sanuoi volverem. Itaque privatis colloquiis locus fuit, in quibus puella mihi non nisi de matrimonio. Et ego significavi, si qua meum animum occupare posset, eam unam fore; ipsam esse, quæ mihi sola placere posset, ei me quidem fidem obstringere; sed nec ejus negotia, nec mea pati, ut tam cito negotium conficeretur; interea tamen eam posse obsequi mihi pro libito, minime veritam, ne id infamia, vel tristis aliquis exitus consequeretur; me quippe satis habere consilii, mihique arcana remedia præsto esse, ad utrumque impediendum; meque id certo promittere. Quid plura? Partim dexteritate, partim vi, dolisque, partim cohortationibus, duos tresve post annos, quod cupiebam, obtinui. Sed illa ex eo tempore flere nunquam desiit, atque urgere, ut matrem alloquerer, eique mentem meam aperirem, ni id facerem, oleum & operam perditurus. Ergo statui matrem alloqui, quæ me excepit quam humanissime, ac singularem lætitiam testata est, meque coegit fratrem imprimis alloqui; qui me, cum ad eum venissem, & de negotiis verba facerem, excepit admodum oscitanter; ut facile intelligerem, quicquid mihi sperandum propositum fuerat, irritum fore. Matri ac puellæ fideliter retuli, quemadmodum inter Patruum, ac me se res habuisset; iis quoque, testatus sum ita eum respondisse, ut mihi quidem nihil ex eo sperandum esse videretur; tantumque, dum loquerer, mærorem exhibui, ut iis mutatæ voluntatis timorem incuterem, cum in negotiorum procuratione ipsis utilis esse cœpissem. Reposuit mater me animo cadere non debere, quod is ita me exceperit; eum quippe ita natura comparatum esse; ut ad ea, quæ primo proponuntur, se difficilem præstet; præsertim cum eo quidem tempore ita publicis negotiis addictus esset, ut animi sui sensa ingenue aperire non posset. Cæterum si iis, quæ ipsa ex eo expectabat, ultro assentiri nollet, se quidem eum in extremam perniciem esse adducturam, cum sibi defuncti Viri codices præsto essent; adeoque, cum ego eum urgere cœpissem, ipsum dubio procul, quæcumque eo petiissem, facile concessurum, at propriæ saluti consuleret.

Nolui equidem huic me negotio immiscere, ratus nimis immane facinus esse, meamque super ea re mentem aperui puellæ, ex cujus responsione non obscura intellexi, eas quidem id sibi proposuisse, ut me deciperem; itaque idem mihi licere credidi. Liberius quam unquam antea mecum deinceps actum est; ego porro ajebam puellæ, ut mihi quidem perspecta erant earum negotia, nihil e scriptis, quæ Patruus ipsis tradiderat, & ex quibus decem mille scuta se percipere posse putabant, deduci posse. Quoniam vero me quidem promissis, quibus me ipsis obstrinxeram, solutum censebam; cum viderem eas, quod promiserant, præstare omnino non posse; puella id suspicata, me, ne recederem, vehementer rogavit, mihique majorem, quam unquam antea, licentiam concessit, ut me magisque irretiret. *Ego ei promisi me eam non relicturam, & in ejus gratiam omnia facturum, excepto conjugio, cui equidem assentiri non poteram, nisi decem mille scuta mihi traderentur, aut ipsa expectare voluisset, dum mea negotia matrimonii sustinendis oneribus paria essent.* *Recepit illa fidem*; Paucis post diebus missus est ad me Sacerdos, qui monuit alterutrum mihi faciendum esse, vel nempe ab invisenda puella abstinendum, vel conjugalem e scripto fidem exhibendam; ita renuens eam fidem dare, domo cessi, animo non amplius redeundi. Sed eum vehementissimo tunc quidem amore flagrarem, non potui, quin puellam reviserem, eique, quam antea negaveram, fidem obstringerem. Dixit ea mihi se id non alia de causa postulare, quam ut matri gratificaretur; cæterum sibi quidem datam fidem satis superque fore; ergo fidem scripto exaratam exhibui; quia porro liber remanere volebam, eam proinde verbis nullam obligationem inducentibus concinnavi; ea quidem ejusmodi erat: *Promitto Puellæ N. me eam uxoris loco habiturum, dummodo quindecim librarum quindecim mille summa mihi tradatur, quin tamen ad eam ducendam adigi possim, nisi cum mihi placuerit, & non citius, etiam sex annorum spatio, vel amplius.* De industria posui verba hæc: *promitto me conjugis loco habituram*, non autem *meæ conjugis*, fideque aliis omnibus condictionibus circumscripsi, ut significarem puellæ ducendæ voluntatem mihi non esse. Et sane illa eam fidem mihi repetenti statim restituit, confirmans, magis meis dictis, quam quibusvis scriptis se fidere. Hujus matrimonii ratio magis in me deferbuit, statuique negotium omnino rescindere; primo quidem quia ex codicibus intellexeram, quæcumque ab iis jactabantur, nullo fundamento niti, adeoque centum mille scutorum officium suppressum esse; deinde vero quia deprehenderam puellam ex matre esse, quæ non semper recte se gesserat. Nimirum ea tori nata erat ex patre Caupone, ad quem cum forte venissent Histriones, seu Circulatores, brevissimo licet tempore constitissent, se passa est seduci ab eorum uno, qui eam in conjugem duxit, cumque illa deinde patris domo cum viro ejecta esset, histrionam facere coacta est; postea vero cum audivisset fratrem non exigua bona congessisse, venit illa Parisios cum viro, qui histrionicæ nuntium remisit, ut aliam artem haud majoris ponderis exerceret, se cum conjuge turpibus innumeris negotiis immiscens, plurimisque latrocinans, ob quæ, siquidem innotuissent, ambo mortem subiissent. Duos habuere filios, qui inter flagitia e vita excesserunt; duæ tantum puellæ supersunt, e quibus natu minor admodum proba est; & natu major, quæ apud Patruum educata est, eorum, quæ dicta sunt, nunquam omnino particeps fuit, immo vero Patrui domo egressa est, quod fæminam, quam is secum detinebat, male excepisset.

Hæc nimirum ad omne commercium dissuendum me permoverunt; sed cum persuasum haberem en natalium defectu omnem prorsus obligationem de medio tolli, qua demum cumque ratione nos inter se res haberent, ad vomitum redii, ita tamen, ut ei non semel testarer, ejus patris ac matris vitam mihi mærori esse, & quominus eam in uxorem ducerem, impedire. Qua de re sæpe illa mecum conquesta est; ego vero nihil respondi; ploravit, ut me flecteret, & non semel in ipsa voluptatis prurigine sua manu meam strinxit, inquiens se mihi conjugis fidem obstringere, rogansque, ut ego quoque idem dicerem; quod cum non facerem, ea ipsa proferebat verba hæc, ego te meæ conjugis loco habeo, omnino volens, ut eadem singillatim repeterem, quod equidem præstabam, ut meæ cupiditati satisfacerem, sed semper subridens, ac veluti joci causa; quod eam quidem quandoque sensisse puto. Hunc in modum multorum annorum spatium decurrit; ac demum statui datis ad eam litteris ingenue mentem meam aperire. Legisti tu quidem ejus responsum, ex quo cognovisti eam meæ libertati officere nolle, tametsi me semper tanquam suum virum habeat, nec a proposito recedere velit; te quoque non latet eam, de mea mutatione audientem acerrimo dolore perculsam fuisse, & in extremam ægritudinem tocidisse.

QUÆSTIONES.

His omnibus positis, quæritur ex Doctoribus, I. censeantne extitisse in adolescente obligationem, quæ dissolvi non posset, quin libere ac voluntarie puella desisteret, aut honesta compensatio in modum dotis ei tribueretur?

II. An adolescens possit tuta conscientia rationes & emolumenta, quæ percipiet, si destiterit, per Confessarium, vel ipse per se puellæ proponere?

III. An si puella desistat, & adolescens aliud matrimonium contrahat, ipsa non amplius nubere possit? Quo loco non omittendum eam trigesimum secundum ætatis annum jam prætergressam esse.

Responsio.

Theologiæ Doctores subscripti putant, utile fore, priusquam propositis tribus quæstionibus occurratur, expendi primum varias, quibus is, qui consulit, Puellæ se obstrinxit, obligationes.

Prima continetur his verbis: *en alia parte florentis ætatis æstas, cui amore & amari præcipuum est, me scilicet addnaxerant, ut eadem puella frui pergerem. Itaque privatis colloquiis locus fuit, in quibus puella mihi nonnisi de matrimonio. Et ego significavi, si qua meum animum occupare posset, eam unam fore; ipsam esse, quæ mihi sola placere posset, et me quidem fidem obstringere; sed nec ejus negotia, nec mea pati, ut tam cito negotium conficeretur; interea tamen eam posse obsequi mihi pro libito, &c. Quid plura? Partim dexteritate, partim vi, dolisque, partim cohortationibus, duos tresve post annos, quod cupiebam, obtinui.*

Hæc loquendi ratio argumento est, eum, qui consulit, id in animo habuisse, ut puellam ad sibi obsequendum alliceret, & verbis matrimonii spem facientibus deciperet, atque irretiret; ac proinde lapsum esse in eam Legis speciem, quæ Exodi *cap.* 22. *v.* 16. occurrit in hæc verba, quæ in Jure Canonico *L.* 5. *Decretal. de adulteriis c. si seduxerit*, tanquam Regula proponuntur: *Si seduxerit quis Virginem, nec dum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit eam in uxorem.*

Altera obligatio his verbis comprehenditur: *Ego ei promisi me eam non relicturum, & in ejus gratiam omnia facturum, excepto conjugio, cui equidem assentiri non poteram, nisi decem mille scuta mihi traderentur, aut ipsa expectare voluisset, dum mea negotia matrimonii sustinendis oneribus paria essent. Recepit illa fidem.*

Obligatio hæc est ejus ducendæ proprie dicta promissio, si ea summa tradatur, vel puella expectare velit, dum ille par sit matrimonii oneribus sustinendis; ac puella quidem ipsa acceptavit eam promissionem, quæ proinde conditiones omnes ad obligandam necessarias adjunctas habet.

Tertia obligatio ibi occurrit, ubi puella eum rogat, ut scripto promittere velit, quo matri gratificetur, ei declarans se ejus verbis fidem facientibus maxime acquiescere; quod evincit puellæ persuasum non fuisse eum a fide, quam obstrinxerat, solutum esse. Ea porro loquitur in hunc modum: *Ergo fidem scripto exaratam exhibui, ut ei gratum facerem; quia porro semper liber remanere volebam, eam proinde verbis nullam obligationem inducentibus concinnavi.* Ita vero eam proposuit: *Promitto Puellæ N. me eam uxoris loco habiturum, dummodo librarum quindecim mille summa mihi tradatur, quin tamen ad eam ducendam adigi possim, nisi cum mihi placuerit*, &c.

Ex quibus apparet, hanc scripto expositam promissionem, quæ dolo malo concinnata est, ejus auctori prodesse non posse, & quod inde consequitur, cum secunda promissio suam vim ac robur retineat, eumdem obligari ad ea præstanda, quæ ipse promisit, & puella acceptavit, ea ex Juris Regula, quæ *lib.* 5. *Textus Decretalium Tit. de Reg. Juris* occurrit in hæc verba: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*; adeoque teneri puellam in uxorem ducere, facta hypothesi scutorum decem millia eidem tribui, vel puellam expectare velle, dum ille possit conjugii onera sustinere.

His animadversionibus fundamenti veluti loco jactis, Subscripti quoad Quæstionem primam sentiunt consulentem adstringi ejus ducendæ conjugis obligatione, quæ solvi nequit, nisi illa quidem libere ac voluntarie desistat; nec eum in sui excusationem id posse *prætendere*, quod matris res minus digne gestas, & ejus familiæ infamiam post promissa cognoverit; quamvis enim ea probe nosset, non tamen a commercio destitit cum puella, quæ ideo ei se facilem præbuisse creditur, quod vi prioris obligationis ei se nupturam speraret, ut ex eo liquet, quod eum lacrimabunda coegerit Matrem alloqui, eique mentem suam aperire, & palam eidem edixerit, se, ni id faceret, nulla amoris argumenta imposterum præstituram; quod argumento est id, quod illa sperabat, eum promisisse, & quod inde consequitur, eum id præstare debere, quod promisit, ut fidelitati satisfacere, juxta D. Thomæ doctrinam 2. 2. *q.* 110. *art.* 3. *ad* 5. *Dicendum, quod ille, qui promittit, si habeat animum faciendi, quod promittit, non mentitur, quia non loquitur contra id, quod gerit in mente, si vero non faciat, quod promisit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat.* Neque vero Adolescens ex eo sibi præsidium quærere potest, quod addit Sanctus Doctor, eos casus recensens, in quibus implendæ promissionis obligatio non tenet; en ejus verba: *Potest tamen excusari ex duobus: uno modo, si promisit illud, quod manifeste est illicitum, quia promittendo peccavit, mutando autem propositum benefacit. Alio modo, si sunt mutatæ conditiones personarum & negotiorum; ut enim Seneca dicit in libro de beneficiis, ad hoc quod homo teneatur facere, quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant, alioqui non fuit mendax in promittendo, quæ promisit, quod habeat in mente sub intellectis debitis conditionibus; nec etiam est infidelis non implendo, quod promisit, quia eædem conditiones non extant.* Nimirum præter rationes, quas supra in medium attulimus, de simplicibus promissionibus, de quibus D. Thomas post Senecam, hoc loco non agitur, sed de iis, quæ firmatæ ac roboratæ sunt commercio, quod intercessit, id quod adeo gravem circumstantiam adjunctam habet, ut Jure Ecclesiastico statutum sit, ut mutuæ promissiones in Sponsalibus editæ, quas quidem nihil absonum consequeretur, per aliud matrimonium solverentur; sed cum carnale commercium intervenit, nulla prorsus ratione dissolvi possent, *Lib.* 3. *Decretal. de sponsal. & matr. c. Veniens ad nos.* Addi & illud potest eum promisisse, postquam eam, quam prætendit, infamiam cognovit, & ad verbum repetita puellæ promissione id summopere imminui, quod ait, se scilicet id ridentem fecisse; eoque magis, quod id aliquando tantum puella sensit, ac ne id quidem tanquam omnino certum ipse proponit.

Hæ omnes rationes in eam sententiam Subscriptos pertrahunt nonnisi per puellæ consensum posse a promissis eum, qui consulit, liberari; ac si forte ejus recessus tanto puellæ dolori fuerit, ut pro-

inde versetur in vitæ discrimine, debet ille promissa confirmare, eamque in uxorem ducere, cum ejus agendi ratio tanti mali causa fuerit, eique propterea merito accommodari possit ea Juris Regula : *Damnum, quod quis sua culpa fecit, sibi debet imputare*.

Quoad quæstionem secundam, facta hypothesi puellam de vita minime periclitari, potest ille iterum ad eam scribere, ac rogare, ut se cum alia matrimonium inire patiatur, exponens, quibus id causis permotus faciat; atque adeo puellæ Confessarium adire potest, si matrimonium, quod cum ipsa contraheret, sibi triste, atque ominosum fore judicet, eumque obsecrare, ut puellæ consensum obtineat, eique persuadeat, quæcumque liberius gesta sunt, ejus famæ haud nocitura, quippe quæ alto silentio tecta fuerint; ei præterea proposita dote conditioni respondere, quam ei debet justitiæ titulo, ut liquet ex Exodo, & ex Juris Canonici Capite tit. *de Adulteriis*, ut supra innuimus. Verum antequam Confessario rem aperiat, rationi consonum creditur, ut ita se gerendi veniam postulet a puella, cui quidem se fidere nequaquam debet, ne forte consuetis criminibus se iterum polluant.

Decisum in Sorbona die 26. Aprilis an. 1675.
Aug. *de Lamet*.

Vide Dissitatium D. PONTAS.

M E L I T A.

(*Vide* EQUITES.

Melitensis Ordinis translatio.

C A S U S.

1 *Presbyter Congregationis Doctrinæ Christianæ non est Regularis, propterea quod ea Congregatio dubio procul est sæcularis, cum in ea non edantur nisi vota simplicia, in quibus dispensandi penes Generalem facultas est.*

2 *Itaque Doctrinarius in Melitensem Ordinem, qui Regularis Ordo est, & Vota solemnia adjuncta habet, cooptari potest.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Clericus sæcularis Congregationis, cujusmodi Doctrinæ Christianæ Congregatio est, in qua eduntur tantum vota simplicia, in quibus Generalis dispensare potest, possit necne recipi in Ordine Melitensi, in quo tria solemnia vota emittuntur?

Quæ occurrit difficultas, oritur ex hujus Ordinis statuto, quod ita habet: quicumque in alio Ordine professionem emiserit, Sancti Joannis Hierosolymitani Ordinem subire nequeat.

Porro Doctrinæ Christianæ Congregationi, quæ Sæcularis est, nec in ulla suarum Constitutionum sibi Ordinis rationem sumit, non videtur Ordinis nomen accommodari posse, quemadmodum id nominis ei nunquam tribuitur in Bullis, aut in Brevibus, in quibus de ea sermo est.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, cum Ordinis, in quo vota eduntur, vocabulum de Regulari Ordine fere accipiatur, videri Doctrinæ Christianæ Congregationem, quæ quidem certe sæcularis est, Melitensi, quod supra allatum est, Statuto non contineri. Ex quo inferri potest Clericum, de quo agitur, huic Ordini nomen dare, & ibidem recipi posse. Præterea videtur Melitense statutum de ejusdem, ac Melitensis est, generis Ordine accipiendum esse. Jam vero Sancti Joannis Hierosolymitani Ordo profecto Regularis Ordo est, & in eo solemnia Religionis vota emittuntur; & quod inde consequitur, nisi consuetudo, aut aliquod Decretum adsit, quod illud Statutum explicet, extendatque ad omnem Congregationem, in qua Superiore administrante vota emittuntur, non apparet, quamobrem ejusmodi Doctrinarius ejus Ordinis suscipiendi incapax censeri possit; ille quidem de re cognoscat.

Decisum hac die 24. Aprilis an. 1701.
G. *Fromageau*.

M E N D A C I U M.

MEndacium, docente (*a*) D. Augustino, est alicujus rei falsa significatio facta animo decipiendi, & *omnis, qui mentitur, contra id, quod sentit*, ejus verba sunt, *loquitur voluntate fallendi*. Ex quo apparet in mendacio duo sæpe occurrere, scilicet externam enuntiationem verbo, scripto, vel alio quocumque signo, quod animo contrarium sit, & voluntatem, seu consilium ad proximi deceptionem id adhibendi, ita ut in id incumbamus, ut ei persuadeamus eam rem veritati consonam esse, quam nos quidem falsam esse non ignoramus. Quamvis porro intentio fallendi fere in mendacio locum habeat, ad mentiendum tamen absolute necessaria non est, quoniam ut idem Sanctus Augustinus auctor est, mentiri est aliud in mente habere, quam in ore, vel quolibet alio signo ad sententiam aperiendam accommodato. Et sane si fallendi consilium omnino requireretur, mendacia, quæ proferuntur jocandi gratia, vel ne cui tristitia afferatur, quæ item dicuntur, tametsi certo constet fore, ut ne iis fides adhibeatur, & id genus alia, non essent proprie dicta mendacia; quod D. Augustini, ac (*b*) D. Thomæ doctrinæ repugnat, ajentium, ut id, quod dicitur, mendacium sit, fallendi intentionem necessariam non esse, sed in causa esse solummodo, ut gravius ejusmodi peccatum sit.

D. Augustinus (*c*) ad eorum errorem refellendum, qui putant mendacium aliquando licere posse, pronuntiat, cum dubio procul peccare, qui verbis in eum finem institutis, ut homines sua cogitata vicissim significare possent, non autem ut se mutuo deciperent, utitur ad fallendum, & non prout illa inventa, & excogitata sunt. Neque vero dici potest mendacium aliquod culpa vacare posse, alicujus utilitatis prætextu, quæ mentiendo offerri proximo posset, quandoquidem idem prorsus de furto asseri quandoque posset, causa exempli si in levamen, (*d*) & quidem non mediocre pauperis conferretur, quod diviti, absque ejus incommodo, oblatum esset. Quamobrem concludendum nunquam peccati expers mendacium esse posse, ac ne tum quidem probandum esse, cum ad alterius utilitatem referretur; semper quippe peccatum est, quod benevolentia excusat, & deceptio condemnat. Ita sentit D. Thomas, docens id quod in se & in suo genere malum est, nunquam bonum ac licitum esse posse.

Non

(*a*) S. August. lib. contra mendacium c. 12. & Enchirid. c 22.
(*b*) S. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 1. in corpore, & ad 3.
(*c*) S. August. in Enchirid. de fide, spe, & charitate cap. 22. refertur in can. Is autem 22. q. 2.
(*d*) Idem lib. contra mend. cap. 19.

Non igitur credere possumus, inquit S. Augustinus, eos, qui contendunt aliquando mentiendum esse, cum veritate sentire, dum ita loquuntur; atque illi quidem magnopere saltem a communi sententia recedunt, dum inquiunt veritate ipsa doceri nos, ut mentiamur; ex quo concludit sanctus Pater ne tum quidem licere mendacium, cum nulla alia ratio præsto est alicujus vitam tuendi; ejusve æternæ saluti consulendi. Hujus porro Sancti Doctoris vestigiis insistens (*a*) S. Isidorus Hispalensis relatus in Can. *Omne* pronuntiet: fuge sedulo quodque mendacium, & etiam atque etiam cave, ne cujus vitam quacumque demum falsitate tuearis; quoniam docente Alexandro III. in Lateranensi Consilio, prohibent sacræ litteræ, ne vel alicujus vitam servandi gratia mentiamur. Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona. D. Paulus id definivit.

Cum referuntur exempla non pauca ex sacris litteris ducta complurium sanctissimorum virorum, qui in gravibus casibus mentiti esse creduntur, cujusmodi sunt sapientes mulieres Hebræorum in Ægypto, Rahab in Jericho: vel ideo tentum ea mendacia putantur, inquit S. Augustinus, quod non intelliguntur, vel si mendacia sunt, imitatione digna non sunt, quia cum virtute conjuncta esse non possunt. Itaque sapientes eæ mulieres compensationem non acceperunt, quod mentitæ fuerint, sed quod erga eos, qui ad Deum spectabant, misericordiem exercuerint; earum humanitas & miseratio, non autem fraus & mendacium in causa fuerunt, ut a Deo bone obtinerent, quod de Rahab quoque sentiendum. D. Augustinus in libro de mendacio doctrinam hanc susius explicat.

Neque vero magis æquivocis aut mentelibus restrictionibus in salebrosis ejusmodi negotiis uti possumus, ut aliquam non exigui ponderis veritatem celemus, atque periculoso negotio nos expediamus; quia enim ea sunt mendecii species, ideo vetita sunt tanquam mendacium. Æquivocis verbis uti nihil est aliud, quam verba ambigua, quorum duplex significatio est, adhiberi, & in id adhiberi, ut qui audit, aliud intelliget, quam quod cogitatur, & contra atque ex usu communi ea verba intelligi consueverunt. Uti restrictioae mentali est sensum, qui non explicatur, in animo retineri, & quidem audientem fallendi consilio retineri; causa exempli ex me quæris, an Missæ interfuerim; ego vero respondeo, ita sane; heri ego quidem intelligo, tu vero ut scias, an hodie, interrogas; equidem non ignoro te mea responsione deceptum esse. Id venit restrictionis mentalis nomine. Qui porro æquivocis vocabulis, ac mentalibus restrictionibus utitur, mentitur; mendacium enim tum semper committitur, cum ad proximum decipiendum aliud ei credendum proponitur, quam quod in mente geritur. (*b*) Hac de causa Cleri Congregatio an. 1700. Propositionem hanc numero 64. tanquam temerariam, perniciosam, januam aperientem mendaciis, ac deceptionibus, &c. proscripsit: *suppetit justa causa circumlocutiones & ambiguitates inter loquendum adhibendi, quoties id necessarium & utile est ad salutem, ad famam, ad bona, vel ad quidvis agendum, quod cum virtute conjunctum sit, ut proinde veritatis occultatio tunc utilis esse judicetur*. Et hanc aliam, quæ sexagesima sexta est: (*c*) *Patriarchæ, Prophetæ, Angeli, & ipse Christus Dominus, ac potiori ratione Sancti æquivocis, amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt*. Eædem Propositiones damnatæ jam fuerant an. 1679. Decreto Innocentii XI. diei 4. Martii.

D. Augustinus recenset mendaciorum genere octo. Primum, idque omnium gravissimum, inquit, est illud, quod in Religionis doctrina versatur. Secundum, quod in aliquod proximi damnum tendit. Tertium, quod uni prodest, & alteri nocet. Quartum, in quo sola quæritur oblectatio, quæ mentiendo, & proximi credulitate abutendo percipitur; atque hoc quidem nuncupari potest *merum mendacium*. Quintum, quod ad aliis placendum, & eutrapeliæ famam comparandam refertur. Sextum, quod nemini nocens aliquem juvat, ut si quis intelligens esse, qui velit alterius pecuniam furari, & ubinam ea pecunia existat, interrogatus se id ignorare respondeat, tametsi re vera sciat. Septimum, quod nemini pariter officit, & alicui prodest, ut si quis mentiatur, ne eum detegat, qui quæritur interficiendus. Octavum denique, quod nullum proximo damnum affert, & ad personam ab aliqua turpitudine liberandem adhibetur; cujus quidem eam rationem edducit Augustinus, quod animi puritas longe majus bonum est, quam corporis castitas, & mala, quæ nos ipsi patramus, sunt iis multo pejora, quæ patimur perpetrari.

Potest præterea tribui mendacium in perniciosum, officiosum, & jocosum. (*d*) Sanctus Bonaventura, & Sanctus Thomas posteriorem hanc divisionem secuti sunt post Sententierum Magistrum, qui brevior apparet, ordini conformior, & latius patet, quam alia; propterea quod qui mentitur, potest in eo vel alterius utilitatem, vel sui ipsius delectationem, vel proximi denique damnum sibi proponere. Si cui gratificari velir, ejus mendacium est officiosum; si non nisi sese oblectare, jocosum est; si demum proximo nocere velit, damnosum est. Hunc in modum loquitur D. Bonaventura.

Addit idem S. Doctor mendacium absolute loquendo non semper mortale peccatum esse, sed ejusmodi fieri ob ea, in quibus versatur, vel ob contemptum seu damnum, vel ob vehemens mentiendi studium, & ob has circumstentias perniciosum ac lethale mendacium evadere; Quia porro in mendacio eæ non semper occurrunt, propterea concludendum illud aliquando veniale, & aliquando mortale esse posse. Hac de re consulendus D. Thomas, qui rem enucleatius edisserit.

Men-

(*a*) S. Isidorus in synonimis, vel cap. de mendacio. Refertur in can. Omne 21. q. 2.

(*b*) Vide censuram & Declarationem Cleri Gallicani in Fano S. Germani die 4. Septembris Proposit. 63. 64. 65. & 66.

(*c*) S. August. lib. de mendacio cap. 24. & 25. Refertur in can. Primum. 22. q. 2.

(*d*) S. Bonavent. in 3. sent. dist. 38. art. 1. p. 5. in corpore. S. Thomas 2. 2. q. 110. art. 2. in corpor.

Mendacium, Amphibologia, Æquivoca, & Restrictiones mentales.

CASUS.

1 *Dux, qui dimissionem militi promisit, debet, promissa facere, eique de capite periclitanti consulere, qui, dimissione non scripta, recessit.*
2 *Deficiente schedala magni momenti, quæ periit, concinnari non potest alia ei simillima, quæ Judici exhibeatur.*
3 *Ex contrascriptis litteris declarari non potest libras centum deberi Petro, quas constat Joanni deberi.*
4 *Janitor dicere nequit dominum non adesse, cum is vere domi est.*
5 *Mentitur, qui ait se nescire, quod solum in aurem scit.*
6 *Mentitur quoque, qui dicit nil pecuniæ sibi præsto esse, dum mutuam dare non vult.*
7 *Purgantur sancti viri a suppositis aliquibus mendaciis, quæ eis adscribuntur.*
8 *Peccatur, dum respondetur ad mentem interrogantis.*
9 *Traditur mendacii proprie dicta notio ac definitio.*
10 *Vir nihil uxori tribuere debet fideicommissi titulo, quantumvis illa servitium ei exhibuerit.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut super non paucis quæstionibus ad mendacii & restrictionum mentalium negotium spectantibus dicant, quid sentiant.

I. Dux promisit militi dimissorias litteras stato tempore; quod cum advenisset, miles, cui multa proles erat, recessit Ducis fide, qui & ipse militæ nuntium remisit, quamvis nondum pro juris ratione dimissionem ediderit. Inquiritur miles puniendus ut profugus, & adhuc Dux opem ei ferre potest, si dimissionem in eum diem referat, quem promisit. Quæritur, an Dux dimissionem antevertere tuta conscientia possit? Ita quidem nonnulli contendunt, ajuntque permissionem virtute & interpretatione quadam, jure non facto promissionis tempore ipso militi a Duce tributam esse; & complura proferunt exempla, quibus nullum mendacium subesse contendunt, ut cum tanquam acceptum ponitur, quod permutatoriis litteris continetur, aut quod Prætori debetur, quamvis nonnisi multo post accipiatur.

II. Cum amisso magni ponderis exemplari; & ad litem evincendam absolute necessario, conficitur exemplum simillimum Judici proponendum.

III. Cum declaratur deberi Petro libras centum, quas liquido constat deberi Joanni, cui Petrus contrascriptas litteras dedit?

IV. Quoties omnino adest fictio juris.

V. Cum Janitor, aut servus ajunt eorum dominum non esse domi, tametsi domi sit, sed alloqui non vult, & hæc quidem loquendi ratio vulgo innotescit.

VI. Si quis dicat se nescire, quod scit, sed in aurem.

VII. Si quis mutuum petentibus nil pecuniæ sibi esse respondeat, licet re vera pecuniam habeat, quam tamen mutuam dare non vult.

VIII. Si quis fœminas, quæ se dicteriis lacessivere, componere aggressus excuset utramque, inquiens pravo animo neutram fuisse. Sancta Monica a D. Augustino commendata in iis ita conciliandis strenue se gerebat.

IX. Contenditur non deesse casus, in quibus graviter peccaretur, si ad mentem interrogantis responderetur. Consuli potest Cabassutius *lib. 4. cap. 4.*

X. Mendacii germana definitio hæc esse videtur: *studiosa veritatis occultatio per dicta, vel per facta, illi, qui jus habet, ut veritas ipsi manifestetur.* Cum porro non desint facti species, in quibus interrogans id juris non habet, ut sibi veritas patefiat, & qui loquitur, qui scribit, qui denique agit, jure gaudet eam occultandi, consequens proinde fit licere fallere citra mendacium, & in hisce occasionibus uti æquivocis verbis, amphibologia, restrictionibusque mentalibus.

Altera difficultas ad virum spectat, cui conjux haud mediocre servitium exhibuit; quod ut compenset, edito testamento legat uni amicorum ejusdem conjugis, nullis dictis, tercentarum librarum summam, persuasum habens amicum satis intellecturum Testatoris eam mentem fuisse, ut eam pecuniam ipsius conjugi traderet.

Super hac re quæritur, I. an amicus possit ea scuta centum tuta conscientia retinere? II. an possit, atque adeo debeat ea tradere defuncti conjugi? III. An illud fideicommissum sit, cum nec propriæ conjugi, nec amico vir id innuerit? IV. an potius sit actus justitiæ, gratique animi, cum uxor singulare servitium præstiterit viro, cui compensationis exhibendæ nulla alia prorsus ratio præsto est?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Ducem, de quo in libello supplici dictum est, nequaquam posse permissionem, quam militi promisit, ad eam, qua promisit, diem referre, quia ea esset veri nominis anticipatio, ac proinde falsitas, quæ mendacium foret; neque enim unum & idem sunt, permissionem promittere, eamque tribuere. Dux hic permissionem, quam ei militi concedit, ut a militia recedat, antevertens, & in eam, qua promisit, diem referens, illa ipsa die eam concessam fuisse significat, quod a vero alienum est. Et sane si miles, quo die dimissio promissa est, recessisset, penes Ducem ejus puniendi jus fuisset; ex quo sequitur dici non posse eam promissionem *æquivalenter*, seu *virtualiter* permissionem esse. Non ita porro se res haberet, si Dux militi, de quo quæritur, permissionem ostensus tribuisset; eam enim tunc eadem die citra mendacium signare potuisset.

Quod autem opponitur, minime evincit veras subscriptionum anticipationes permissas esse, aut citra mendacium contra veritatem aliquando dici, vel scribi posse. Quod enim affertur,

I. De publicis solutionibus, quæ ferre multo ante notantur, quam præstitæ sint, facile declaratur, nempe satis esse inde apparere solutionem receptam esse, quam quidem eo ipso, quo notata est, die receptam nemo unus putat, cum neminem lateat, quid consuetudinis obtineat quoad ea solutionum genera; ut proinde in hac facti specie proprie dicta anticipatio non adsit, ut in expositione contenditur.

II. Exemplum, quod Judici proponitur, haud censetur exemplar esse schedulæ, qua opus est, adeoque regulis congruit, ut, cum periit exemplar, aut Syngrapha, petatur a Judice, ut alia describi liceat ex schedula apud Notarium deposita, ut proinde ex notis eidem appositis non ignoretur illud exemplum esse, seu secundam syngrapham; neque id Judices ipsos latet.

III. Cum Petro solvitur, quamvis Joannes proprie creditor sit, Petrus censetur veluti Procurator Joannis, qui per eum accipit, sentiendumque in hac facti specie nihil mendacii subesse, quia cum solvitur, ratio tantum habetur tituli, ex quo constat Petrum creditorem esse, quin expendendum, aut videndum sit, an contra scriptæ litteræ sint, necne; id quippe inter Petrum & Joannem negotium est, quod ad solutionem minime spectat.

IV. Fictiones juris omnino mendacia non sunt, quia explicationem, ac significationem, qua fere accipiuntur, secum afferunt, & continent; verbi causa cum dicitur Regularis esse homo mortuus, vel vir & uxor esse una caro, vulgo innotescit, quæ sit eorum verborum notio; ut proinde, pro communi intelligentia, duo varii sensus iisdem non subsint.

V. Mentitur Janitor, dum Dominum egressum esse, vel non adesse respondet, cum tamen domi est; in Congregationibus enim tum Sæcularibus, tum Regularibus, adeoque in bene multis privatis Familiis bene moratis, ex quibus sumendus usus est, qui regulæ loco sit, ut quid faciendum, quidque evitandum sit, cognoscatur, in usu non sunt

ex

eæ respondendi formulæ, ut quempiam se prodere & alloqui nolle significetur; id enim mendacium esse crederetur. Ac re quidem ipsa Janitoris, aut servi responsiones eæ dolum præseferunt, siquidem cum exprimi libet quempiam non esse domi, hæc eadem omnino verba usurpantur.

VI. Mentitur, qui ait se nescire, quod scit, quamvis in aurem sciat. Nempe Confessarii tantum, si interrogentur, in eum modum respondere possunt, propterea quod nemo nescit, Confessarii utpote a Deo instituti, a quo peccata absolvendi potestatem accipit, ministerium personæ potius Deum repræsentantis, ejusque locum tenentis, quam hominis esse. Verum quoad alia omnia arcana, si Confessionis secretum excipias, eæ respondendi rationes adhibendæ sunt, quæ id quidem, quod tacendum est, nequaquam detegant, sed quæ tamen disette non significent id nesciti, quod scitur.

VII. Is quoque mentitur, qui dicit sibi pecuniam non esse, quam mutuam dare non vult, si revera pecunia præsto sit; ea saltem mentalis restrictio est, quæ redigitur ad mendacium.

VIII. Mentiti non sunt sancti Viri, dum ad eos conciliandos, qui mutuo dissidebant, ajebant eos pravo animo non fuisse; quod jure dicere poterant, quia juxta charitatis leges de proximo cogitabant, ut par est cogitari, cum ignoratur, an interna proximi dispositio mala sit.

IX. Cum ad mentem interrogantis respondendo graviter peccatur, tunc respondendum non est; sed quærendæ sunt rationes, & quidem licitæ, ut eludatur, vel nequaquam id pateſiat, quod reticendum est; restrictionibus autem mentalibus, æquivocis, amphibologiis, ut in expositione contenditur, uti non licet; hæc enim prohibita sunt 26. 27. & 28. Propositionibus ex sexaginta quinque, quas Innocentius XI. anathemate perculit, quod idem præstitit Clerus Gallicanus in Generali Congregatione an. 1700. *tit.* 12. qui aliam quoque Propositionem addidit, quam proscripsit, videlicet Patriarchas, Prophetas, Angelos, Christum ipsum Dominum, ac potiori jure Sanctos æquivocis, & restrictionibus mentalibus usos esse. Eminentissimus Cardinalis Noviliacensis Archiepiscopus Parisiensis in postrema Constitutione an. 1703. edita, qua damnat Conscientiæ Casum a Doctoribus quadraginta subscriptum, æquivoca pariter, & restrictiones mentales proscribit.

Ex his omnibus sequitur, æquivoca verba, & restrictiones mentales admitti non posse, multoque minus in praxi adhiberi; & fundamento carere, qui iis uti licere contendunt, cum is, qui interrogat, eo jure non gaudet, ut sibi veritas detegatur; exempli causa dum interroganti, an pranderis, an a deambulatione redieris, respondes, utique, quia heri quidem prandisti, vel deambulasti, licet ea die, qua interrogaris, neutrum præstiteris. Hinc fit, ut mendacii definitio, quæ in expositione proponitur, haud bona sit, quippe quæ illud ponit tanquam certum mentalibus restrictionibus uti licere, quæ tamen, ut supra declaratum est, proscriptæ sunt: *Mendacium est studiosa veritatis occultatio per dicta, vel per facta, illi, qui jus habet, ut veritas ipsi manifestetur.*

Ad postremam quæstionem respondetur, uxorem teneri viro præstare ea omnia, quibus ille opus habet, & quæ ipsa potest, officia; idemque de viro quoad uxorem sentiendum esse, quin propterea alterutri compensatio ulla debeatur; ac proinde virum nec posse, nec vero debere conjugi quicquam donare, vel si inusitatum ac singulare servitium eidem præstiterit, seu directe, seu indirecte, exempli causa per Fideicommissum.

Si vir tantum speravit fore; ut amicus id, quod ei relinquebat, suæ conjugi traderet, adeoque rem omnem ejus bonæ voluntati commisit, quod ex eo cognosci potest, si nempe nullam vel expressam vel tacitum inter eos pactum intercedit; hoc in casu potest amicus salva & incolumi remanente justitia id retinere, quod vir sibi reliquit, quia in his circumstantiis censetur ille voluisse amico liberum esse, ut vel ipse legatum teneret, vel conjugi traderet; ita tamen, ut ejus conjugi daturum speraret; hæc enim duo in donantis voluntate conjungi possunt, ut is nempe vere ac proprie donet, & speret fore, ut donata res alteri tribuatur. Quod si amicus ex aliquo satis gravi indicio cognosceret virum id sibi legaturum non fuisse, nisi persuasum habuisset futurum, ut ille id ipsum conjugi traderet; hoc in casu amicus nihil retinere posset, sed omnia protsus viri hæredibus reddere teneretur.

Decisum in Sorbona hac die..... an. 1703.

G. *Fromageau.*

MERCES.

QUin hic repetatur, quod de Mercium, quæ emuntur, pretio alibi dictum est: illud generale principium est, minoris emi non licere, eo prætextu, quod a venditore solutionis dilatio non petitur, sed numerata pecunia solvitur, & quandoque in antecessum, videlicet aliquanto ante traditam mercem, nisi emptor sit in casu lucri cessantis, aut damni emergentis, causa exempli si mercator pecuniam cum fœnore mutuari cogeretur eius bona, a quo aliud emeret: in hac facti specie liceret emptori sibi sumere fœnus illud, quod ipse subiret, ut rem sibi venditam ante tempus solveret. Qua in re notandum est has circumstantias in praxi nunquam occurrere, atque ita spectatis rebus, prout fere se habent, asseri posse fere nunquam permissum esse quicpiam infra pretium infimum emi, tum quoque cum emptor solutionem anticipat. Illud interim verum est minoris emi posse, cum solutio antevertitur, & probabiliter creditur fore, ut merx minoris valeat eo tempore, quo eam emptor debet accipere. Verum hac de re non agitur in sequenti facti specie, quæ quidem ad Mercatorem spectat, qui minori, quam valent, pretio gemmas emit, ut mox apparebit.

Vide (EMPTIO.

Pretium mercium pretiosarum, quales sunt gemmæ.

CASUS.

1 *Non licet Mercatori rem emere multo minoris, quam valet.*

2 *Negotiator margaritarius, qui 330. librarum pretio sapphirum vendidit, quam 70. tantummodo libris emit, tenetur ad restitutionem, quia pretium illud nimium est.*

QUÆSITUM.

TItius negotiator margaritarius Parisiis officinam tenens ad omnium generum exquisitas gemmas vendendas, emendasque, nonnullis identidem conscientiæ stimulis agitatur, vendendis, emendisve pretiosis lapillis, ex quibus non mediocre percipit emolumentum; ac de ratione quidem, qua in hisce occasionibus se gerere debeat, moneri se cuperet. En facti speciem.

Mævius ignotus Titio ad ejus officinam venit, eique vendendum exhibet adamantem, qui sapphirus est, nummorum aureorum duodecim pretio.

Titius

Titius perspectam examinatamque gemmam judicat saltem libras 200. valere posse, postquam eapoliendam, & ad meliorem formam redigendam curaverit; offert Mævio libras 60. hic vero plures obtinere conatur, aitque gemmam in hæreditatis divisione ad se devenisse; & ultra quinquaginta nummos aureos olim constitisse. Sed tandam post leves aliquas contestationes 70. librarum pretio eam cedit Titio, qui elaboratam vandit post dies quindecim pretio 330. librarum ejusdem generis Mercatori.

Objicitur Titio lucrum hoc immodicum esse, ipsum venditori saltem duodecim nummos aureos, quos pro sapphiro petebas, tribuere debuisse, siquidem pretii prope dimidium se lucraturum esse prævidebas, adeoque ad restitutionem aliquam ergu pauperes obligari, si Mævium vendisorem cognoscere nequeat. Ille vero se his rationibus ab hujusmodi restitutione liberare conatus.

I. Non eadem harum mercium ratio est, ac granorum, pannorum, argenteæ suppellectilis, aliarumque rerum, quarum pretium certum ac definitum est Magistratus auctoritate, vel consuetudine ab earumdem rerum negotiatoribus vulgo recepta ac servata; nihil ejusmodi lapilli conferuus ad vitam; earumque valor a vulgi tantum vanitate & ambitione pendet; ex quo fit, ut pro immaginationis varietate iidem lapilli aliquando pretiosi sius, aliquando vilescant. Ejus rei satis exploratum exemplum occurrit in margaritis; siquidem torques, qui apud omnes negotiatores margaritarios centum nummos aureos decem ab hinc annis valebat, post aliquot annos nonnisi quingentas aut sexcentas libras valet, propterea quia falsæ margasitæ inventæ & in usu positæ sunt.

II. Quod de margaritis allatum est, non minus occurrit in gemmarum negotiatione; hoc enim tempore fere unus adamas in pretio est; quod in causa est, ut multo minoris quam olim æstimentur omnes lapilli, qui colorati dicuntur, cujusmodi sunt smaragdi, topatii, sapphiri, & id genus alii. Quod adeo verum est, ut hic idem Titius, qui consulit, nunc forte vendat coloratum lapillum, quem annorum plusquam quindecim spatio vel cum damno, aut pro numerata pecunia vendere nunquam potuit. Quam quidem rationem ipse attulit Mævio, qui antequam 70. librarum pretio sapphirum cederet, proposuit Titio, ut illud sibi pretium persolveret, quod eam valere posse ipse persuasum haberet. Respondit Titius id se præstare non posse, quia ejusmodi lapillorum nullus in mercatura usus erat; ut facile Mævius cognosceretur, illum nolle eam emere, nisi se decursu temporis magnum inde emolumentum percipere posse sperares.

III. Merx oblata censetur pretii longe minoris, præsertim cum emptori offertur ab eo, cui ejus prope notus est valor. Mævius Titium convenit sapphirum offerens, & inquiens alias eam quinquaginta nummis aureis constitisse; proinde Titius eam putat se emere salva justitia 70. librarum pretio, cui Mævius assentitus, quamvis noverit eam alias multo pluris valuisse.

Quod Titium in sententia confismat, illud est, quod non ipse solus Parisiis, immo vero in eadem via plures alii eam mercaturam exercent. Quamobrem potuit Mævius sapphirum suam Mercatoribus multis offerre, ut eam carius venderet; & sane fit verosimile id eum facere non destitisse; atque adeo certum ast ipsum jam negotiatori prope Titium axistenti eam ostendisse.

IV. Ait ad extremum Titius se gravi dispendio obnoxium esse, præserrim ob pretium domicilii, quod occupat, utpote coactus ibi degere, ubi carius domicilia locantur; atque ita se non posse subsistere, si hujusmodi quæstus damnentur, non solum quia fere, haud facile tales merces venduntur, verum etiam quia præsertim ab anni spatio ejusmodi commercium prope de medio sublatum est propter annonæ caritatem, pecuniæ penuriam, vectigalia, vicissitudines, quæ in publicis negotiis passim occurrunt, & quod inde consequitur, in familiis. Ex quo Titius concludit se sibi non videri ad ullam restitutionem in proposita facti specie obligari, præsertim cum hæ merces non congruant nisi divitibus, & sæculo deservientibus, quos proinde par est earum usum cæterorum carissime solvere, ac cæteroquin hi casus perraro contingant.

Expensis his omnibus, Titius interrogat, an tuta conscientia sit, quæstu proposito non obstante, ac si quid forte restituere debeat, quatenus obligetur. Denique restituere eum debeat, possitne id facere in inopum consanguineorum gratiam, quibus ex longo tempore opitulatur, id sibi proponens imposterum tanquam justitiæ, ac restitutionis opus?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet in proposita facti specie duo spectasi posse; I. (a) emptionem sapphisi, quam Titius exequitur; II. ejusdem venditionem, quam peragit, postquam eam elaborandam curavit.

I. Quod attinet ad emptionem; quamquam, ut est in communi proloquio, *merces ultroneæ vilescunt*, nec necesse est mercatorem tanti rem emere, quanti eam vendendi jus habet, quia rationi consonum est, Mercatorem, cujus officium ad publicum bonum spectat, ex emptis mercibus aliquid lucri percipere: non inde tamen sequitur a mercatore quicquam legitime posse minoris emi, quam valet. Itaque fieri potest, ut Titius sapphirum, de qua agitur, 70. libris emens, infra justum pretium emeris.

Et sane sapphiro huic suum re ipsa, & ut ita dicam, intrinsecum pretium est; sed quoniam consueta commercii ratione, perinde ac cætera ad vitam spectantia non continetur, ejus proinde pretium communi æstimatione non est determinatum; atque illud quidem alia ratione statuendum est, nempe judicio viri rei margaritariæ periti, qui ejus pretium definies, id non omitsens, quod ejus valorem imminuere potest; exempli causa ejusmodi lapillos non amplius ita ut antea in usu esse, fierique verosimillimum Mævium ostendisse, atque exhibuisse sapphirum Mercatoribus multis, antequam Titius eamdem emerit. Ut igitur intelligatur, an sapphiri emptio a Titio præstita cum Justitiæ legibus congruat, hujus idonei viri judicio standum omnino est.

II. Sapphiri venditio, quam Titius edidit, ultra justum pretium esse potuit, ac proinde ipse, cum justitiam violaverit, restituere teneretur. Porro 330. librarum, quod venditionis est, pretium cum libris 70. quibus sapphirus empta est, comparatum videtur immodicum. Demum enim vel emptionis pretium nimis exiguum est, & hoc in casu venditori, nempe Mævio restituendum est, cum venditio 330. librarum pretio facta fuerit; vel emptionis pretium justum & legitimum est; & tunc Titius sapphirum carius vendidit; ex quo sequitur ipsum emptori restituere debere; neque enim est verosimile ex elaboratione tantum valoris accessisse sapphiro, ut post quindecim ab emptione dies ejus pretium 260. libris augeri potuerit.

Non creditus Titius ad tuendam venditionem sapphiri, quam edidis, id ponere velle principii loco, quod pretiosis & raris rebus accommodatur, ut nonnulli Auctores contendunt, nempe *tantum valent, quantum vendi possunt*. Hanc enim regulam tanquam cupiditati atque avaritiæ patrocinantem rejiciunt Theologi bene multi, atque illi ipsi, qui inter Casuistas in Morali strictiores non audiunt. Videri hac in re possunt Diana, Lessius, aliique. (b) Latius quoque serperet hæc alia regula, affectum, quo quis rem prosequitur, aut usum, quem ejus facit emptor, & commodum, quod inde percipit, satis justos titulos esse, ut venditor ejus pretium augere possit: *Pretia rerum non ex affectu, neque ex utilitate singulorum, sed communiter funguntur*, inquit Lex.

Nec juvat Titium dicere, 1. Mercatori, propterea quia ut suam professionem quæ cæteroquin reipublicæ prodest, exerceat, dispendiis obnoxius est, jus esse ratione habita mercium, quas vendit, pretium

(a) Bassæus v. venditio n. 8.

(b) Diana 2. part. tract. 2. resol. 36. Lessius de jure & justitia lib. 2. c. 21. dub. 3. Digest. l. 63. lib. 35. tit. 2. & tit. 63. ad Falcidiam.

tium augendi, easque proinde multo carius vendendi, quam emit. II. Mercatorem exempli causa pretiosos lapillos, qui non amplius facile veneunt, ementem subire periculum eos apud se diu retinendi, atque ita longo temporis spatio nihil ex sua pecunia lucrandi. III. Cum ejusmodi pretiosæ res nobilius potissimum, vel opulentis viris venduntur, qui eas fere non emunt nisi ut propriam vanitatem explcant, ac voluptatis gratia, videri tunc eas vendi posse multo carius, præsertim vero quia cum illi emere consueverint, quin fere de pretio discetent, id quodammodo Mercatoribus donare censentur, quod in soluto pretio nimium est. Ad has nempe rationes tres, quas afferunt Mercatorum plerique, respondetur

Ad primam. Eas omnes impensas, quibus Mercator obnoxius est, ut suam negotiationem exerceat, cujusmodi sunt locatæ domus pensio, ministrorum stipendia, denique curæ omnes, quas in mercatura suscipit, nihil aliud evincere posse; quam licere Mercatori carius fere vendere, quam emit, & ex propriis mercibus lucrum percipere, non tamen ultra justum pretium, definitum æstimatione communi, si de consuetis mercibus agitur, vel æstimatione peculiari virorum rei verbi causa margaritariæ peritorum, si de pretiosis lapillis vendendis ageretur. Illud porro tanquam certum semper ponendum est, in alicujus mercis, quæcumque tandem ea sit, æstimatione sumptus omnes legitimos comprehendi, certique pretii ratione pensari.

Ad alteram: Non esse necesse, ut Mercator emat rem, quam se non facile prævidet venditurum; aut si quidem emit, ei non licere eam vendere ultra justum pretium, quod non aliud esse debet, quam quod peritus vir, rebus omnibus ponderatis, definivisset, si cum res est vendita, consultus fuisset.

Ad tertiam. Ambitio, vel affectus emptorum nequaquam legitimus titulus est, quamobrem Mercatores ultra justum pretium vendant; idemque sentiendum est, si qui emunt, sint viri principes, aut opulenti; nihil enim horum quicquam afficit rerum pretium. Sæpe quidem hi viri principes suam pecuniam largius erogant quam cæteri; verum non propterea ultra justum pretium exigendi, aut vendendi jus suppetit Mercatori, atque adeo nisi constet eos viros divitiis & opibus affluentes fere rerum pretium non ignorare, aut nisi idem pretium iisdem significatum fuerit, non censentur Mercatoribus id donasse, quod mercis, quam emunt, justum pretium excedit; etenim in universum non censentur emptores velle donationem facere immodici pretii, quod pro aliqua merce solvuntur, nisi noverint ejus pretium, & id, quod excedit, ultro concedant.

Ex his omnibus consequens fit Titium videri justitiam violasse, vel emendo Mævii sapphiro, vel vendendo, atque adeo fortasse in utruque casu. Nihilominus ut de re certior sit, probi viri, & harum rerum peritia instructi judicio stare debet, qui quidem definiet, quodnam esse potuerit sapphiri pretium eo tempore, & in iis circumstantiis, in quibus eam Titius emit, & ex alia parte quodnam potuerit esse, postquam eam Titius elaborandam curavit, suaque industria perfecit, ut venditioni magis esset accommodata, quam fuerit emptionis tempore. Ex hoc periti viri judicio Titius intelliget, quicquamne Mævio, eique pariter, cui 330. libris eam vendidit, an vero solum alterutri restituere teneatur.

Facta hypothesi restitutione aliqua opus esse, & maxima licet diligentia ad eos, quibus restituendum est, cognoscendos adhibita fuerit, eos tamen non detegi: potest Titius in hac facti specie restitutionem hanc in suorum inopum consanguineorum solatium ea, qua supra dictum est, ratione conferre.

Decisum Parisiis hac die 20 Januarii an. 1701.
G. *Fromageau*.

M I S S A.

Liquido constat *Missæ* vocabulum, quod apud (a) Sanctos Ambrosium & Leonem occurrit, a latino verbo *mittere*, unde Missa ad missionem, seu dimissionem significandam, derivari. Vocabulum hoc initio statim ad exprimendam Catechumenorum dimissionem usurpatum est: *usque ad Missam Catechumenorum*, inquit Concilium Carthaginense IV. Can. 84. & deinde ad Sacrificium ventum est; hinc omne initium Missæ, ad quod Catechumeni admittebantur, dictum est *Missa Catechumenorum*, & quicquid Liturgiæ supererat, cui quidem solis Fidelibus interesse licebat, *Missa Fidelium*. Sed cum hæ duæ partes deinde conjunctæ essent, & unum idemque Liturgiæ corpus constituerent, iis inditum est Missæ nomen, quod tandem prævaluit, solumque remansit in consueto Ecclesiæ sermone, & vulgo receptum est ad Eucharistiæ oblationem significandam. Hæc fere de hujus vocabuli origine sententia est.

Nonnulli docti Viri credidere *Missæ nomen ductum esse* ab hebraica voce *Missach*, quæ voluntariam oblationem significat, & ab Apostolis, aut proximioribus eorum Discipulis Sacrificio tributum fuisse. At si ita res haberet, apud veteres Ecclesiasticos Auctores dubio procul occurreret, quemadmodum in Liturgia nostra servata sunt Hebraica vocabula *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Hosanna*, & *Missach* nomen & ipsum retentum fuisset apud priorum Sæculorum Fideles, qui eo perinde ac cæteris, quæ attulimus, usi essent. In hujus quidem denominationis confirmationem nonnulla eorum temporum testimonia proferuntur; sed pleraque depromuntur ex Epistolis Decretalibus, quæ omnium Eruditorum judicio tanquam Impostoris, Isidori nempe Mercatoris, malarum mercium venditoris opus rejiciuntur: quæ porro ducuntur ex Sanctorum Pontificum Pii, & Cornelii ad Episcopos duos Viennæ Allobrugum datis Epistolis majoris momenti non sunt. (b) Earum quippe Epistolarum falsitatis probationes bene multæ occurrunt apud Auctorem, qui cum omnium maxime valeat in decidendo, audet omnium minime. Sed esto nonnullis eæ probationes satis graves non videantur ad falsitatis eas Epistolas convincendas, saltem suspectæ sunt, ut de iis dubitetur: dubiis porro testimoniis quid ponderis inesse potest ad factum firmandum? Haud graviori nititur fundamento sententia Albaspinæi Aurelianensis Episcopi derivantis *Missæ* vocabulum ex antiquo septemtrionalium Populorum nomine *Mess*, quod *Festum*, seu Congregationem significat. Has omnes opiniones generatim repudiant, quicumque graviter hanc rem discusserunt; & unanimi sententia statuunt a *Missione*, scilicet a dimissione tum Catechumenorum, tum Fidelium Missæ vocabulum ductum esse.

Missa constat partibus duabus; prima est Missa vetus Catechumenorum; altera vero celebratio & consecratio Eucharistiæ, addita Communioni, quæ ex antiqua consuetudine consecrationem subsequitur. Quod attinet ad Orationes peculiares, & cæremonias, quæ in Missæ celebratione usurpantur, eæ quidem pro temporum, & Ecclesiarum varietate variæ fuerunt. Hinc extitit Liturgiarum diversitas apud Orientales, & Missarum pro locorum diversitate apud Occidentales. Olim Missæ omnes solemnes

(a) S. Ambros. Epist. 20. Clas. 1. n. 4. Edit. Benedictin. S. Leo Epist. ad Diosc. c. 1.

(b) Tillemont. adnotat. in S. Pium, & adnotat. 3. in S. Irenæum.

nes erant, & in iis Populus communicabat. Sæculo VI. pedetentim obtinuit consuetudo celebrandi peculiares Missas, quæ privatæ nuncupantur, cum tamen *regulariter loquendo* id nominis iis tribui non debeat, quippe quæ pro universa Ecclesia offeruntur; sed illæ in Sacellis, locisque peculiaribus offerri possunt Episcopo permittente, ut SS. Joannes Chrysostomus, & Gregorius Magnus non uno in loco testantur. Posteriorum temporum Hæretici privatas Missas eas appellarunt, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, easque damnarunt; sed Tridentina Synodus *Sess.* 22. *Can.* 8. iis os obstruxit, & in hoc articulo eos ipsos damnavit.

Quamvis constet Missam ideo institutam fuisse, ut publice in Fidelium conventu celebraretur; non inde tamen sequitur eam a Sacerdote peculiariter absque solemnitate, & cum unius tantum Clerici, qui eidem respondeat, adsistentia celebrari non posse. (*a*) Nihil, quod id prohibeat, occurrit vel in sacris Litteris, vel in Traditione, vel in Conciliis; immo vero, ut monet recentior Auctor, est, cur ea praxis firmetur ex iis Christi Domini verbis in Evangelio: *si duo ex vobis consenserint super terram, quicquid petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est; ubi enim fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*. Ex quo infert Auctor hic, Sacerdotem, si unus vel duo tantum Fideles adessent, posse eos in Christi nomine congregare ad offerendum Patri cœleste Sacrificium, cujus hic idem Salvator est Sacerdos, & Victima. Semper porro, addit idem Auctor, ita celebrari posse creditum est usque a prioribus Ecclesiæ sæculis, vel cum necessitas postularet, vel etiam ad alicujus tantum id cupientis utilitatem; & ad id ostendendum laudantur (*b*) Sanctus Cyprianus, Sanctus Paulinus in vita S. Ambrosii, Sanctus Augustinus, Innocentius I. & Concilium Chalcedonense.

Fit tamen admodum verosimile ex eo Missas privatas originem suam traxisse, quod Pontifices & Episcopi Regularibus Missæ in suis Monasteriis celebrandæ veniam concesserint. Cum autem nonnulli Episcopi Monachos ad vetus institutum redigere vellent, non patientes inter eos existere Sacerdotes: Gregorius M. in eorum gratiam ad quemdam Episcopum scripsit, ut eos in Monasterio celebrare pateretur; ex quo potissimum extitere Missæ privatæ, quarum retributio confert ad multarum Regularium Communitatum sustentationem. Animadvertitur & illud X. & XI. pietatem eam fuisse, ut aliquoties duæ Missæ celebrarentur, addita dici Missæ Missa Defunctorum. Cardinalis Petrus Damianus cujusdam Abbatis mentionem facit, qui cum se officio abdicasset, Missas duas quotidie celebrabat. Hæc lucri studiosa devotio plus quam semel in die celebrandi facile apud Sacerdotes est propagata, & etiamnum fortasse obtineret, ni Concilia ejus impetum cohibuissent. In Angliæ Provincialibus Constitutionibus an. 1525. typis editis prohibetur, ne duæ Missæ una eademque die celebrentur, exceptis Festis Paschatis, & Natalis, ac die, quo mortuus sepeliretur. Consuetudo hæc nunc temporis abrogata est, excepto Natalis Dominici festo die, quo Sacerdotes Missas tres, ablutionem in posteriore sumentes celebrare possunt. Atque haud ita pridem præter consuetam Missam recitabant Sacerdotes id, quod dicitur Missa nautica, aliter *Missa sicca*; adeoque probabile est Evangelia, quæ multis in locis, in iisque præsertim, in quibus erga Beatam Virginem devotio maxime viget, nunc temporis leguntur, earum Missarum siccarum reliquias veluti quasdam esse. Hoc autem loco de privatis tantum Missis sermo est, quæ a Monasteriis ortum traxere.

Affert Martene exempla nonnulla sanctorum Abbatum, aut (*c*) Monachorum VII. VIII. & IX. sæculi, qui Missam quotidie celebrabant; ex quibus concludit earum Missarum partem id fuisse, quod nos privatas seu peculiares Missas nuncupamus. Sed ille super eorum sanctorum Monachorum praxi prudenter animadvertit, quotidie celebrandi consuetudinem his ipsis sæculis admodum raram fuisse, & Regularium quosque sanctissimos, atque integerrimos sacro quodam horrore perculsos a quotidiano Sacrificii usu abstinuisse, tam sæpe ad illud accedere non audentes. Si enim id moris inter omnes Monachos commune fuisset, ut monet idem Auctor, quid causæ fuisset, cur eorum praxis tanquam aliquid singulare commendaretur? Sacerdotes Cluniacenses & Cistercienses Missam quotidie non celebrabant; sæpe etiam Cistercienses ab ea abstinebant die Dominico, eisque liberum erat eo die, si voluissent, in magna Missa communicare. Ex historia compertum fuit Cisterciensibus ne unam quidem Conventualem Missam ferialibus diebus fuisse, ne dum eorum Sacerdotibus quotidie Missam celebrare liberum foret; & hic quidem mos usque ad sæculi XIV. dimidium inter eos viguit. In Statutis an. 1303. editis a Monachis S. Germani Pratensis n. 50. præcipitur ejus Monasterii Sacerdotibus, ut Missam dicerent bis in mense, vel saltem semel. Benedictus XII. in sua pro Benedictinis Monachis Constitutione mandat, ut Sacerdotes in Conventu degentes bis aut ter in hebdomada Missam celebrent; qui autem sunt in Prioribus, aliisve locis non Conventualibus, semel tantum, modo tamen id faciant ea reverentia, atque observantia, quæ tanto Mysterio debetur, *salva honestate, & debita devotione*, Constitutio hæc longo admodum tempore apud Benedictinos servata est; atque in Constitutione, quam Cœlestini an. 1629. Romæ imprimendam curarunt, Sacerdotes nonnisi tertio quoque die jubentur Missam dicere.

Est admodum verisimile Mendicantes eorum Monachorum, qui cæterorum maxime regulam servabant, praxim initio quidem secutos esse. Id sane de Fratribus Minoribus constat, quoniam Sanctus Franciscus Assisii in epistola ad sui Ordinis Sacerdotes scripta eos monet, hortaturque, ut unam tantum in die Missam celebrent, & in Monasteriis, ubi plures sint Sacerdotes, unus solummodo celebret, cæteri vero Missam audire contenti sint. En ejus verba: *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantum Missa celebretur in die, secundum formam sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si vero in loco plures fuerint Sacerdotes, sit per amorem charitatis alter contentus audita celebratione Sacerdotis alterius*. Cardinalis Bona affert responsa, quibus nonnulli hunc textum interpretantur, atque eadem refellit ut parum solida, & violentas explicationes asserentia Textui, in quo S. Fran-

(*a*) Tractatus Historicus de Liturgia Sacra Auctore Bocquillot in 8. Parisiis an. 1701. pag. 383. Matth. 18. v. 19. & 20.

(*b*) S. Cyprian. Epist. 5. S. Paulin. in vita S. Ambros. August. l. 22. de C. D. cap. 8. n. 6. Innoc. 1. Epist. ad Decent. n. 5. Conc. Chalc. can. 6. & 8. Petrus Damian. Epist. lib. 6. Epist. 15.

(*c*) De Antiq. Monach. ritibus lib. 2. c. 6. n. 3. Vide epistolam de antiqua Ecclesiæ disciplina quoad Missæ celebrationem, quæ tribuitur Duppino pag. 73. 74. & seq.

Franciscus aperte Fratres cohortatur, ut una tantum Missa quotidie in quoque Conventu celebretur, cæteri vero Sacerdotes eam audiant. Quamdiu hæc praxis perduraverit, non constat; sed asseri potest, donec apud eos viguit manuum labor, qui ii partim sustentabantur, ipsos una tantum Missa contentos fuisse. Fidelium devotio, qua plures Missæ expetitæ sunt, eum morem mutavit; sed cum frequens Missarum celebratio fovendæ cupiditati inserviret: jussit (a) Tridentina Synodus, ut, quicquid avaritia aut superstitio Sacrificii dignitati contrarium induxisset, aboleretur.

Nolebant Episcopi, ut Sacerdotes privatas Missas Dominicis Festisque diebus publice celebrarent; ne populus, qui monitus acervatim ad eas Missas veniebat, solemnem Missam, quæ pro eo celebrabatur, non amplius audire vellet. Theodulphus Aurelianensis Episcopus permittit quidem suis Sacerdotibus, ut diebus Dominicis peculiares Missas celebrent; sed ea tamen conditione, ne ullo dato signo populum moneant, quo populus a solemni Missa non abducatur; & sequenti capite mandat Sacerdotibus tam Urbanis, quam Suburbanis, ut eidem intersint ipsi, quamvis privatim Missam jam celebraverint. (b) Ex hujus Episcopi Capitulari intelligimus Sacerdotes privatim matutino tempore celebrasse, quoniam, postquam ipsi celebrassent, solemni Missæ, quæ hora tertia celebrabatur, interesse debebant. Quod si Sacerdotes, potiori jure Fideles ea obligatione adstringebantur, cum Parochialis Missæ institutio eo demum spectet, ut ob beneficia per hebdomadam accepta Deo gratiæ reddantur, & ei quæ debentur, officia præstentur in propria Ecclesia, duce ac Magistro Pastore proprio, una cum cæteris omnibus ovibus, quæ eodem tempore ejus vocem, & salutares instructiones audire debent. Ut igitur ei Missæ intersint, Fideles omnes sedulo tenentur incumbere, nisi legitimo impedimento distineantur; id quod disertis verbis præcipitur in Canone *Ut Dominicis*, in quo statuitur, ut qui de solemni Missa in sua Parochia audienda nequaquam sollicitus, ad eam in aliena Ecclesia Dominicis Festisque diebus audiendam se confert, arceatur, & in propriam Parochialem Ecclesiam compellatur. Eorum, qui sequuntur, Casuum postremus obligationem hanc solide firmat.

Ex quo Fideles, solemnium Missarum loco in propriis Parochiis, satis habuere privatas Missas audire, qui inter cæteros eminebant, sibi in propriis ædibus Sacella, & Sacerdotes, qui ibidem sacrum facerent, quæsiverunt. Ita passim irrepserat abusus hic ætate Agobardi, qui Seculo IX. vivebat, ut fere nemo unus esset, quin Sacerdotem domesticum, ad nutum celebraturum, & aliis quoque usibus inservientem haberet. Eo prætextu publicis officiis Fideles non amplius intererant, eamque tantummodo, quam in propriis domibus celebrandam curabant, Missam audiebant; in quem abusum acriter Agobardus invehitur. Hi Sacerdotes ex ipsorum Domini nomine nuncupabantur; quem abusum damnat Nicolaus I. in epistola ad quemdam in Gallia Episcopum, quæ in Hugonis Flaviniacensis Chronico refertur; in qua Epistola Pontifex ait ridiculum sibi videri, quod Episcopus scribat, eum, quem mittebat, Comitis Gherardi Sacerdotem esse. Fateor, inquit ille, me nescire, quid isthæc tua loquendi ratio sibi velit, & quid ea denominatione intelligere possis? Hiccine Comes Gherardus eum Presbyterum consecravit? Ejusne Diœcesanus est? Ubinam ejusmodi rem legisti, undenam didicisti? Ideone, quod Presbyteri, juxta Ecclesiæ Leges in peculiaris Ecclesiæ gratiam ordinati non sint, sed in Laicorum domibus instituti, non Dei, vel certæ Ecclesiæ, sed Comitis, aut Ducis Presbyteri nuncupantur? Hi Clerici suorum Patronorum gratia freti propriorum Episcoporum jugum excusserunt, & acephali evaserunt; id quod damnatum fuit in Concilio Romæ habito an. 850. & ab Urbano II. in nono Canone Concilii Melphitici.

Post Tridentinæ Synodi, ad Missarum celebrationem quod attinet, reformationem Presbyteri novas explendæ avaritiæ rationes excogitarunt. Nonnulli adstricti celebrandæ Missæ obligatione vel ob Capellam, vel ob aliud Beneficium, vel ob Legatum acceptatum, vel ob acceptam in antecessum retributionem, novas alias retributiones accipere non sunt veriti, contendentes se unius Missæ ope pluribus personis satisfacturos. Abusus hic ad Cardinalium congregationem ad Tridentinum Concilium interpretandum institutam delatus, & ab eadem proscriptus est an. 1616. Neque ex Parochis ipsis defuere, qui contenderent sibi jus esse retributiones accipiendi, & fundationibus applicandi Parochiarum Missas, quas diebus festis ac Dominicis celebrant, quasi vero non propterea solverentur ipsis proventus ii, quos ex suis Ecclesiis percipiunt. Aliorum pravitas ulterius quoque progressa est; in ejusmodi devotionibus fœminarum animis inspirandis industrii atque ingeniosi ad se trahunt, quam plurimas possunt, missarum retributiones, longeque plures, quam ipsi per se possint satisfacere; Sacerdotes deinde conquirunt, qui minore, quam ii acceperunt, retributione contenti, missas, ipsorum loco, celebrant. Hunc abusum proscripsit Urbanus VIII. non solum adversus eos nominatim Sacerdotes, qui, quod superest, retributionum sibi retinent, verum etiam contra Sacristas, & alios Ecclesiarum Administratores, qui quod ex retributionibus remanet, compensationis loco pro Luminarium, Ornamentorum, &c. procuratione sibi retinent. Urbani VIII. (c) prohibitio non impedit, quominus cupiditas prævaleret, atque adeo Casuistarum nonnulli auderent eidem patrocinari, & asserere non dubitarent, post Urbani VIII. Decretum Sacerdoti complurium Missarum obligatione obstricto licere earum celebrationem, tradita solum portione eleemosynæ, aliaque sibi reservata, alii committere. Sed hanc propositionem rursus Alexander VII. anathemate perculit.

(a) Concil. Trid. sess. 22. de sacrif. Mis.
(b) Capitul. Theodulp. Aurelian. c. 45.
(c) Bulla Urbani VIII. quæ incipit: Cum sæpe contingit. Decret. Alexandri VII. adversus laxas Casuist. propositiones, propos. 9.

Missarum Fundatio.

C A S U S I.

1 *Tenetur hæres Missis defuncti testamento institutis satisfacere pro testatoris voluntate.*
2 *Non debet hic hæres viles ac sordidas obligationis implendæ rationes quærere, ut has Missas in earum locum sufficiat, quæ in ipsius Sacello celebrari solent.*
3 *De earum celebrandarum locis Episcopus est consulendus.*

QUÆSITUM.

VIr gradu præstans multorum bonorum ad varias personas, in diversis Provinciis degentes spectantium hæres, eorum testamentis, ut preces pro ipsis jam fato functis Deo offerendas curaret, obligatione se obstrictum intelligens scire cupit, an Sacerdotem secum habere possit ad tutiorem universæ obligationis executionem; siquidem Testatorum intentio non videtur iis locis, ubi e vita excesserunt, Missas addicere, certa solum pecuniæ summa destinata huic intentioni, quæ non censetur ullum definitum locum spectare; præterquamquod ea quidem ratione, quæ alicubi obtinet, minime satisfit. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut suam super hoc negotio sententiam scripto proferant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

I. Si res in Libello supplici distinctius & enucleatius proposita esset, videlicet si declarata esset Testatorum intentio, & precum ratio, an titulo fundationis, in perpetuum, an ad tempus, in unane, an vero in pluribus Diœcesibus, & præsertim Exponentis intentio, sane magis adamussim responsum esse potuisse. Nihilotamen minus expectata majore declaratione;

II. Pronunciatur secundo loco omnino oportere, ut defunctorum sibi impositam voluntatem, quoad potest, ad unguem exequatur.

III. Exponentis intentionem prorsus ingenuam, & a proprio commodo alienam non apparere, atque adeo minus honestati consonam esse, quandoquidem videtur ex testamentaria defunctorum dispositione sibi prospicere, sibi honorem quærere, aut se iis Missis liberare, quas vel ad proprium commodum, vel ex obligatione domi suæ celebrandas curare consuevit; id autem omne aliorum impensis; quæ sordida est animi abjectio, quippe ad Dei servitium imminuendum tendit.

IV. Si occurrant difficultates & obstacula, quæ prorsus impediant, quominus preces offerantur, ac Missæ celebrentur iis in locis, quæ fere defunctorum voluntati congruant, Exponentem posse atque adeo debere ad loci Episcopum se conferre, ut ipse defunctorum voluntatem interpretetur, statuatque, quod optimum factu videbitur.

Decisum Parisiis hac die 17. Martii an. 1674.
de Lambre.
Porcher.

Missa bis dicta absque consecratione.

C A S U S II.

1 *Sacerdos in Missæ celebratione non consecrans gravissimo se crimine obstringit, excommunicationem tamen non incidit.*
2 *Debet a celebrando abstinere, jejunare, orare, eleemosynas erogare, & in Seminarium ad tempus sese recipere.*

QUÆSITUM.

MInus castigatæ vitæ Sacerdos, cum missam celebrare non consuevisset, bis celebravit officii gratia, & ut nonnullis, alioquin missam non audituris obsequeretur; verum seu quod gravis alicujus culpæ ipse sibi conscius esset, seu aliis de causis nequaquam perspectis, in utraque Missa verborum pronuntiationem & consecrationem omisit. Quæritur, ideone in excommunicationem inciderit, & quænam ei pœnitentia sit imponenda?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum nihil expressum invenit vel in Jure, vel extra Jus, unde constet Sacerdotem, de quo præsens quæstio proponitur, in ullam excommunicationem, quod absque consecratione Missam celebraverit, incidisse. In Capite quidem *Relatum de consecratione dist.* 2. communione privatur Sacerdos, propterea quod non communicans celebraverit; sed ea proprie non est facti species, qua de agitur in præsentia. Præterea monente Castro-Palao (a) in Tractatu de censuris ea potius suspensio est, quam excommunicatio. Ut ut res habeat, videlicet esto Sacerdos hic nullam censuram subiisset, ei tamen ob tantum crimen gravis: eique respondens pænitentia imponenda esset; puta ut abstineret a missæ celebratione, per aliquod tempus in Seminario moraretur, jejunio vacaret, eleemosynas erogaret, orationi se dederet. Ut uno verbo res expediatur, rationi consonum est, ut Sacerdos, de quo sermo est, ætatem suam, sua bona, suam denique valetudinem perpendat, quo sibi pænitentiam definiat. Deceret fortasse ejus Directorem ab Episcopo petere irregularitatis remittendæ facultatem, si pænitens in eam inciderit, Ecclesiasticis muneribus post suspensionem perfunctus. Sed his omnibus consiliis initis; ei tamen absolutio haud ita cito tribuenda est.

Decisum Parisiis hac die 29. Septembris an. 1704.
G. *Fromageau.*

Missa in peccati mortalis statu audita.

C A S U S III.

1 *Eorum opinio, qui ajant missæ auditionem cum habitudine, & affectione ad peccatum esse gravissimum, & aliquando mortale peccatum, haud ullo satis gravi nititur fundamento.*
2 *Peccator missæ interesse debet attente, reverenter, ac religiose.*

QUÆSITUM.

ANtistita Regularis Familiæ cum ex Confessario, quem extra ordinem ad cujusdam e suis Monialibus confessionem audiendam acciverat, audivisset, eum, qui cum habitudine & affectione ad peccatum mortale sacrosancto Missæ Sacrificio interest, gravissime, atque adeo mortaliter aliquando peccare, monendum sibi esse credidit Directorem Missionis Regularium Mendicantium, qui eo nimirum tempore ibidem erant. Eo igitur auctore impugnata est Confessarii doctrina habito Sermone, qui eo spectavit, ut probaretur eam a Tridentino Consilio damnatam fuisse, dum in eos anathema pronunciavit, qui ajunt omnes actiones, quæ ante justificationem fiunt, quacumque demum ratione fiant, vere ac proprie dicta peccata esse; id quod quærendi occasionem præbet,

I. An Ecclesia damnans propositionem hanc: in actionibus justificationem præcedentibus, quomodocumque fiant, existunt veri nominis peccata; & hanc aliam, quam Bajus proposuit: quicquid peccator, seu peccati captivus facit, peccatum est; ex consequenti hanc quoque damnaverit: Missam audiens cum habitudine & affectione ad peccatum mor-

(a) Castro-Palao Disput. de Censuris disp. 4. §. 2. n. 6.

mortale, gravissime, & quandoque etiam mortaliter peccat?

II. An doctrina hæc propugnari, & ad judicium in Pœnitentiæ Tribunali ferendum firmari possit, utpote quæ a Catholicis Auctoribus asseratur, cujusmodi sunt Pater Alexander in Theologia dogmatica & morali *tom. 9. l. 4. Regula 9. pag.* 819. Merbus in Summa *tom. 1. pag. 67. & tom. 2. pag.* 412. *Tourneaux* in libro de meliori modo audiendi Missam *c. 1.* Auctor Moralis Christianæ super *Pater l. 3. sect. 3. art.* 4. an vero asseri possit eum, qui ita sentit, erroris suspicione non carere?

III. An revera doctrina hæc a Romana Sede proscripta sit, damnato Libro Moralis Christianæ super *Pater*, ut Missionarii Mendicantes pronuntiare non dubitarunt?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Confessarium ajentem, Missæ auditionem cum peccati habitu, atque affectu peccatum esse gravissimum, atque adeo aliquando mortale, secutum non esse hac in re sententiam, quæ fere obtineat inter Theologos, & maxima probabilitate nitatur; sed aliquorum Theologorum opinionem, cujus haud satis grave fundamentum occurrit. Non est tamen confundenda hæc opinio cum Hæreticorum errore, quem Tridentina Synodus his verbis proscripsit: Si quis dixerit opera justificationem præcedentia, quocumque modo fiant, vere ac proprie peccata esse &c. vel cum hac propositione Baji, a Pio V. damnata: quicquid facit peccator, vel servus peccati, peccatum est. Qui enim contendunt sacrosanctæ Missæ auditionem in mortalis peccati statu mortale peccatum, non propterea de quibusvis operibus extra gratiæ statum peractis idem statuunt; id unum dicunt sanctum hoc Sacrificium ob reverentiam a Fidelibus eidem debitam postulare tanquam necessariam dispositionem ab iis, qui intersunt, ut in gratiæ statu sint, & a lethali peccato abhorreant. Sane qui hanc opinionem tuentur, satis gravia momenta non afferunt, spectant id, quod decet, tanquam pertinens ad præceptum, & dispositionem ad consecrandum, vel sumendum Christi Domini Corpus necessariam juxta Apostoli verba, *probet autem se ipsum homo* &c. non satis secernunt a dispositione, quæ ad sanctam Missam audiendam requiritur. Profecto Fideles ad Missam in gratiæ statu audiendam incitandi sunt, ac docendi futurum alioquin, ut Missæ auditio fructus omnis meritique sit expers, & a tanti Sacrificii dignitate, ac sanctitate maxime aliena. Verum tametsi Missam quis audiat lethali peccati conscius, non ideo tamen novum mortale peccatum committit, modo Sacrosancto Sacrificio intersit attente, reverenter, ac prout Religionis ratio requirit. Si huic sententiæ non acquiescitur, & opinionem non satis firmatam proponi lubet, nec pauca, nec levia incommoda timenda sunt quoad bene multos, qui lethalis culpæ sibi conscii, nec pœnitentiæ spiritu ducti sibi persuadebunt se sancto Sacrificio interesse non posse, & id reputantes ab adsistentia eidem præstanda abstinebunt. Ex his illud consequitur, quamvis opinio Confessarii minus sit probabilis, quam contraria, & parum firma detegatur, in eam tamen tanquam in eorum proscriptum invehi Concionatorem non debuisse, ac satis fuisse, ut Missionis Director Antistitæ, a qua rogatus fuerat, suam super ea sententiam declararet, & in id incumberet, ut ad implendum audiendæ Missæ præceptum necessariæ dispositiones, attentio scilicet, ac reverentia, quam divinus Cultus in sanctis Mysteriis exigit, Populo explicarentur, & Fideles propositis de causis, ut semper adessent in statu gratiæ, vel saltem in pœnitentiæ spiritu, permoverentur; quin Concionator in disputationes & contestationes parum pietati consonas rem adduceret.

Pater Alexander loco appellato *Regula 9. pag.* 819. de iis tantum loquitur, *qui cum peccati lethalis affectu missam audiunt diebus Dominicis & festis*. Ait Christifideles, qui sancto Sacrificio intersunt, non quidem tanquam publicos Ministros, sed tanquam cooperatores idem sanctum sacrificium offerre; affert in id nonnulla Missæ verba, ut *Orate Fratres*, & Canonis; ex quibus probat eos offerre cum Sacerdote. Docet præterea Christianos sanctam Missam audientes esse Victimas, quæ offeruntur; Christus enim Dominus se ipsum, & universam Ecclesiam, tanquam suum Corpus mysticum offert Æterno Patri; ex quo concludit, eam, utpote victimam Deo gratam esse debere; ejusmodi autem esse non potest, *quin pœnitentiam profiteatur, Deumque diligere incipiat; peccati namque lethalis affectus sola charitate saltem inchoata excluditur*; affert etiam ea Missæ verba, *sursum corda, habemus ad Dominum*; quod contra se habet, siquidem *pondere & affectu depressi in terra jacemus*.

Monemur, inquit hic Auctor, de pœnitentiæ spiritu, qui nobis ad Missam audiendam necessarius est, ex *Confiteor*, quod Respondens recitat ab exordio. Porro non dicit omnino, eum, qui in peccato mortali Missam audit, mortale peccatum committere.

Denique qui Missam audit, communicat spiritualiter; ex quo fit, ut in mortali peccato existens notabilem irreverentiam committat.

Auctor Moralis super *Pater* loco citato ait hominem mortalis peccati reum, obfirmatoque animo in peccato suo persistentem magnam quidem irreverentiam committere; mortaliter autem peccare omnino non dicit. In medium liceat eas fere rationes, quæ supra allatæ sunt, & quæ mox afferentur ex Merbo, ad ostendendum, eum, qui hac voluntate deliberata Missam audit, injuriam Deo irrogare, nec omnino Missæ fructus participem esse.

Tourneaus loco appellato nihil ad rem.

De Merbe in priore loco laudato ait duo esse distinguenda, *statum peccati mortalis, & affectum peccati lethalis*.

Deinde ponit tanquam certum, eos, qui Missam audiunt *cum lethali affectu peccati*, peccare, & *eo gravius peccare, quo ejusdem affectu peccati fuerint implicati, & graviter peccare nemini dubium est; ita ut si non peccent lethaliter, quod quidem non sine fundamento quidam asserunt, & certe in magnum & non infrequens lethalis peccati periculum, ob insignem irreverentiam in Missæ Sacrificium admissam, sese conjicere manifestum est*.

Triplici ratione probatur peccare: I. ex parte amoris divini, cujus actus debet elici; II. ex parte orationis; III. ex parte hypocrisis.

Tum concludit: *e: his omnibus constat eos peccare, qui cum peccati lethali affectu audent divinis adesse mysteriis, & ob irreverentiam, qua ea afficiunt; quæ irreverentia ad peccati lethalis malitiam pervenire potest; & sæpenumero pervenit, ut neminem latet; verum cum id in particulari dijudicandum erit, inspicienda erit affectio hominis, hujusmodi culpæ conscii. Examinandum nempe erit, an diuturna peccandi consuetudine implicatus sit, necne; utrum crebro adeat Ecclesiam, & aliam suæ salutis curam gerat; in hoc enim viro minor fortassis inerit malitia; sed si quis ex aliis alia peccet, quod in ejus animum inveterata consuetudo altas radices impresserit, & sacris intersit ex veteri dumtaxat Christianorum more, ac omnino perditus & nefarius habeatur; valde metuendum est, ne quoties adest divino Sacrificio, lethalem irreverentiam admittat; quod plerisque peccatoribus accidit, & præsertim libidinosis & mulierosis hominibus.*

Et Tom. 2. pag. 412. & 413. ita loquitur: *Tertia Conclusio; Nemini dubium esse debet, quia homines, qui in statu lethalis peccati adsint Sacrificio Missæ, nec ex teterrimo statu peccati emergere per pœnitentiam, quoties se peccandi occasio obtulerit, peccare, & vitam detestabili proposito perseverare statuerint, gravi se flagitio devinciant.* Affert deinde exemplum filii, qui a patre veniam petens, ejus tamen occidendi, vel male excipiendi voluntatem semper retinet.

Et pag. 413. *Quisquis interest Sacrificio Missæ in statu & affectu peccati lethalis, in quo hærere & perseverare apud se statuit, peccat: in eo collineat Conclusio, ut diserte asserat eos abuti tali Sacrificio, qui in statum & affectum peccati lethalis, & in obstinatam in eo perseverandi voluntatem immersi, nihilque de pœnitentia ethica ad Deum conversione meditati, Christo Domino præsenti & immolato in divinis mysteriis sese præsentes sistere non pertimescunt.*

Eo igitur spectat nostra Conclusio, ùt omnes Catholici rescifcant homines in statum peccati & affectam, & in peccato perseverandi in voluntatem pertinaciter implicatos, in gravem Dei offensam incurrere, si divino Sacrificio intersint.

Minime dicit hic Auctor vel in primo vel in secundo Tomo locis laudatis hominem simpliciter in peccatò mortali existentem, dum Missæ interest, peccare mortaliter; idemque de iis sentiendum, qui supra laudati sunt.

Tridentina Synodus *Sess.* 13. *c.* 8. de spiritali Communione, deque iis, qui spiritaliter communicant, verba faciens loquitur in hæc verba: *Qui voto propositum panem cœlestem edentes fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus & utilitatem sentiunt.*

Si ad audiendam Missam, & præceptum implendum Communio juxta hanc definitionem requireretur, necessarius esset gratiæ status, id quod nemo Theologorum postulat ad præcepti satisfactionem.

Gamachius *de usu & sumptione Eucharistiæ* pag. 443. spiritualem Communionem ita definit: *dicitur Communio spiritualis, quando non sumitur Eucharistia ore corporis, sed ardenti solum voto & desiderio, per pias meditationes, per suspiria & gemitus, tunc accipitur res Sacramenti, licet non Sacramentum.*

Isambertus eodem titulo pag. 624. supponit audiri Missam posse, quin spiritualiter communicetur, prout Tridentina Synodus definivit: *At interdum accidit iis, qui dum intersunt missæ Sacrificio, & se a reali communione abstinent, non desinant tamen in tanti mysterii consideratione, per dilectionem conquiescentes, fructum ejus, & utilitatem sentire.*

Et sane ad Missæ auditionem satis est moralis & religiosa præsentia, qua fiat, ut Missa spectetur a nobis tanquam res sancta, & cui intersumus, ut Deum honoremus Religionis actione, quam edimus, quæque ad divinum Cultum pertinere debet. Tam qui mortalis peccati reus est, Deum honorare potest, & quod inde consequitur, Religionis actum elicere potest, & Missam audire. Videndus Sylvius in D. Thomam 2. 2. *q.* 80. *art.* 1. *pag.* 341. ubi ita loquitur: *Dicendum est non omne votum, seu desiderium hujus Sacramenti esse spiritualem manducationem, sed illud solum, quod fidei vivæ conjunctum est; ac proinde peccatores in statu peccati mortalis existentes non pertingere ad spiritualem manducationem.*

Decisum hac die 8. Septembris an. 1701.
G. *Fromageau.*

C A S U S IV.

Regulæ in Parochorum gratiam quoad Missas, quas pro suis Parochianis celebrare tenentur.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Parochus officii sui vi Dominicis & Festis quibusque diebus Missam pro Parochianis celebrare debeat? Hac in re occurrunt sententiæ tres.

Prima est, Parochum singulis diebus Festis & Dominicis non posse, quin celebret; sed sacrosanctum Sacrificium, cui voluerit, applicare posse; quod si iis quidem diebus in Parochia Missam celebrat, id eo solum spectare, ut Parochiani Ecclesiæ præceptum implere possint.

Altera est, Parochum pro Parochianis celebrare debere, non tamen quibuslibet diebus Festis, sed tantummodo primæ classis, ut Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, &c. reliquis autem diebus Festis minus præcipuis Missam pro arbitratu applicare posse.

Tertia denique sententia est, teneri Parochum omnibus diebus Festis, quæ de Ecclesiæ præcepto sunt, celebrare, nec ei licere Sanctum Sacrificium juxta alterius singillatim, quam Fidelium sibi concreditorum intentionem applicare. Tridentina Synodus hanc posteriorem sententiam insinuare videtur *Sess.* 23. *cap. de reformat.* Quo fundamento nitantur reliquæ duæ, mihi quidem non constat.

Vos rogamini, ut definire velitis, quæ potissimum ex allatis sententiis in conscientiæ foro tenenda sit? Et an Parochus, qui diebus Festis celebraverit, & pro aliquo devoto missam applicuerit, facta hypothesi non potuisse, restitutionis obligatione adstringatur?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, antequam proposita quæstio dijudicetur, animadvertendum esse,

I. Tridentinam Synodum *sess.* 23. *c.* 1. *de Ref.* id tanquam divino jure certum ponere, Parochos, & quicumque Fidelibus præsunt, Sanctum Missæ Sacrificium pro sibi concreditis Fidelibus offerre debere: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves cognoscere, & pro his sacrificium offerre*; & cap. 14 ejusdem Sessionis: *Caret Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus, si autem curam habuerint animarum, frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent.*

II. Parochos, universim quidem, quotidie celebrare debere non apparet, nisi Beneficii ratio, peculiaris lex, consuetudo, vel aliquod Diœcesis statutum id requirant; alioquin fere convenit eos nonnisi Festis & Dominicis diebus, quibus Parochiani Missam audire debent, celebrare debere. Ita sentiunt Navarrus, (*a*) Barbosa, Sylvius, Vasquez, Suarez, aliique Theologi bene multi.

III. Non inde tamen sequitur oportere, ut, quibus diebus Parochi Missam celebrare debent, ut eam Parochiales audiant, sanctum Sacrificium ad eorum intentionem offerant, atque adeo a Parochianorum aliquo, ut ad ejus mentem Deum orent, nullam eos retributionem accipere posse. Interest enim inter obligationem celebrandi, qua Parochus adstringitur, ut Parochiani Missam audiant, & Missæ fructum iis applicandi. Præter Auctores modo appellatos ita sentit Major, (*b*) aitque Parochum aliquod stipendium a Parochiano sumere posse, ut Missæ, quam in Parochia generatim celebrat, ei fructum applicet. Sylvius loco laudato rem hanc pluribus verbis explicat, pronuntiatque quandoque Parochum retributionem aliquam accipere posse pro Missa, quam suis Parochianis audiendam Festis, & Dominicis, aliisque præterea pro consuetudine diebus celebrare tenetur: *Quamvis autem Parochus obligatus sit celebrare pro suo populo Dominicis præsertim & Festis diebus, non videtur tamen illicitum, si aliquando stipendium accipiat ab uno particulari, qui pro se cupit celebrari; ut si contingat aliquem peregrinum, vel aliquem Parochianum ægrotum, vel aliquam Confraternitatem probatam die festo peteret Missam pro se fieri.* Objectionem sibi proponit Theologus hic, & solvit in hæc verba: *Nec obstat, quod* (Parochus) *a populo sive ex decimis, sive aliunde alatur; Parocho cum debeantur proventus Pastorales, non præcise ut celebret ad intentionem populi, sed ratione totius Officii Pastoralis. Tenetur quidem omnibus Festis, & Dominicis, ac pro locorum consuetudine etiam quibusdam aliis diebus Missam in Ecclesia Parochiali facere; sed aliud est teneri ad eam dicendam, ut possint illam audire, aliud vero ad offerendam particulariter pro ipsis.*

IV. Tenetur quidem Parochus pro suarum Ovium intentione Missam dicere, juxta Tridentinam Synodum supra laudatam; sed eum ejusmodi obligatione teneri, quoties celebrat, non declarat, ut adsumus explicaturi. Haud ita facile definiri potest obligatio hæc, aut statui Missarum numerus, quarum fructum Parochianis suis applicare Parochus teneatur. Quamvis nempe Sylvius universim Parocho licere velit Missæ, quam Festis, ac Dominicis diebus celebrat, aliquam retributionem quan-

(*a*) Nav. in man. c. 25. *n.* 132. Suarez tom. 2. disp. 86. sect. 1. Barbosa de Off. & potest. Parochi c. 11. n. 10. & de Off. & potest. Ep. p. 2. alleg. 24. n. 23. Sylvius in 3. p. q. 83. art. 1. quæst. 17. Vasquez in 3. disp. 234. c. 4. Bonacina tom. 1. disp. 4. q. ult. punct. 7. propos. 2. Bassæus v. Missa 3. *n.* 4. Reginald. l. 23. c. 57. *n.* 238. Diana 2. p. tr. 14. resol. 26. Layman. l. 5. tr. 5. c. 3. n. 3. Gavantus 3. p. tit. 12. *n.* 27.

(*b*) Major in 4. dist. 45. q. 2. §. contrahunt.

quandoque recipere, non vult tamen id ab eo passim fieri: *Addendum*, inquit, *hic videtur, caveadam esse; ne Parochi frequenter in Festis & Dominicis stipendium ab aliquo particulari accipiant. Cum enim non facile possit determinari, quoties obligentur ad celebrationem pro suo populo, non debent periculo se exponere; & prout majores sunt reditus, sæpius obligantur.* In ea ia igitur sententia est, ut quo major Parochiæ proventus fuerit, eo sæpius Missæ Sacrificium pro iis, quorum curam agit, offerre Parochus debeat. Sunt, qui putent hujus obligationis modum ac rationem ex consuetudine petendam esse, ut Navarrus; alii, ut Suarez, ejus definitionem ad Episcopum pertinere, vel saltem, ut ait idem Auctor, Parochum debere consilium sequi prudentis & docti Viri, qui hunc Missarum numerum determinare poterit, habita ratione fundationis, qualitatis, ac proventus Beneficii, Diœcesis denique consuetudine, si qua est. Non desunt Casuistæ, qui sentiant, ut Bonacina (*a*), Parochum, dummodo non ei major aliunde adsit obligatio, pro populo celebrare debere præcipuis anni Festis, & Dominicis diebus, aut saltem semel in hebdomada; ita enim prudentem virum, si consuleretur, judicaturum. Idem Auctor monet D. Carolum in primo Mediolanense Concilio *p. 16. de freq. obl. Sacr.* statuere, ut Parochi præter Festos & Dominicos dies ter insuper in hebdomada Missam celebrent; & in quarto Concilio *pag. 148. Titulo de his, quæ pert. ad Sacr. Miss.* prohibet, ne iis diebus aliis Missas celebrandas sibi sumant, nisi Episcopus ob exiguum Parochiæ proventuum cum ipsis in ferialibus diebus dispenset. Bassæus, & Barbosa pronuntiant prudentis viri consilio hac in re standum esse; ac posterior quidem *de offic. Par. n. 13.* addit Cardinalium Congregationem sub Urbano VIII. die prima Septembris an. 1629. statuisse decreto suo, Parocho non licere, quibus diebus Missam celebrare tenetur, retributionem accipere.

V. Asserit Sotus Parochum teneri quotidie (*b*) pro populo celebrare, si ex Parochia satis habeat, unde vivat; quod si non satis habeat, prudentem virum consulet; sed tatius audiet Episcopum, ut intelligat, quoties debeat, terne scilicet an quater in hebdomada celebrare. Consentit tamen hic Auctor Parochum, cum congruus proventus est, teneri quotidie pro Parochia celebrare, quod communi sententiæ repugnat, & posse nihilominus aliquam retributionem, ultro quidem ab aliquo Fideli oblatam, non autem extortam accipere, ac pro universa simul Parochia, eoque singillatim Fideli Sacrificium offerre; quod pariter de Sacrificiis, quæ offeruntur in die obitus, quæque Defuncti sibi petierunt, est accipiendum; ita enim loquitur: *Attamen non obstante obligatione, qua tenetur pro Parochia offerre, potest particulares pitancias ab iisdem Parochianis ultro oblatas recipere, dummodo illas non extorqueat, idemque sacrificium potest & pro Parochia, & simul pro tali Parochiano facere; idemque censendum de defunctorum exequiis, & testamentorum Missis.* Quod autem proposuit Sotus, ita confirmat: *Ratio hujus est, quod defunctos sepelire, & piorum Missam offerre propria est functio ipsius Pastoris, neque debeat Parochiani foras exigere Sacerdotes ad hoc munus quæstum; quocirca hæc non sunt incompatibilia.* Denique concludit in hæc verba: *Hoc autem documentum, ut cuncta moralia, cum moderamine temperandum est, videlicet ne Missarum proventus immodice sit exuberans; nam tunc deberet Pastor, qui curam habet animarum, auxiliares Sacerdotes ad se adjungere.*

VI. Quoniam Parochus, Auctoribus fere statuentibus, qui non aliunde tenetur aut ratione Beneficii, aut consuetudine, aut aliqua peculiari lege statis diebus pro Parochianis sacrum facere, gaudet jure celebrandi, cum sibi videbitur, & in cujus gratiam voluerit; consequens inde fit, eum posse, cum pro aliquo singillatim celebrabit, retributionem accipere.

His in hunc modum constitutis, ad quæstiones duas propositas respondetur

Ad primam, potiorem esse eorum sententiam, qui asserunt Parochum, siquidem aut Beneficii qualitate, aut aliquo Diœcesis statuto, aut consuetudine nonnisi Festis & Dominicis diebus Missam celebrare teneatur, posse eam celebrare diebus cæteris, & retributionem accipere, ut dictum a. a. atque adeo aliquando eam celebrare & offerre pro aliquo e suis Parochianis, aut alicujus devotionis gratia iis diebus, quibus celebrare tenetur, & retributionem accipere, modo id frequentius non fiat, ut declaratum est *n. 4.* quod autem ad Missarum numerum spectat, quas Parochus pro iis offerre tenetur, quorum sibi cura demandata est, debet Episcopum, aut prudentem doctumque virum consulere, expositis ingenue Beneficii qualitate, ac redditibus, & Diœcesis consuetudine, si qua est, ut quid in hac facti specie sibi facto sit opus, intelligere possit.

Ad alteram, Parochum, qui aliquibus diebus festis juxta peculiarem aliquorum devotionem celebravit, cum id ei non liceret, cum scilicet pro sibi concredito populo celebrare teneretur, ad restitutionem obligari, ni vel ipse celebraverit, vel celebranda curaverit ea sacrificia, quibus eos privavit, ad quorum intentionem celebranda erant.

Decisum hac die 3. Maii an. 1698.
G. Fromageau.

Vide Bullam Benedicti XIV. super hac materia emanatam, cui standum est.

Missa a Sacerdote mentis impote celebrata.

CASUS V.

Sacerdos factus mentis impotens Missam celebrare non debet; & Superior eum celebrare patiens peccat mortaliter, eumdemque Episcopus punire debet tanquam irreligiosus, & sacrarum rerum profanationis complicem, si monitus id rursus patiatur.

QUÆSITUM.

CUm Sacerdos amens evasisset, Missam tamen ex habitu celebravit, scientibus, & hactenus tolerantibus Superioribus, propterea quod scandali nihil afferat.

Quæritur, an hic Sacerdos Sacrificium peragere, & Superiores tuta conscientia pati possint eum imposterum celebrare?

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut aliquibus auctoritatibus suam sententiam confirment.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet huic Sacerdoti minime permittendum esse, ut, cum in dementiam inciderit, sacrum faciat, tum quia sacrificium, quod offert, nullum est, tum quia eas dispositiones habere non potest, quæ ad nostra sacrosancta Mysteria celebranda requiruntur; potest enim Missa spectari, vel prout Sacrificium est; vel prout Sanctam Communionem conjunctam habet.

Imprimis si Missa spectetur ut Sacrificium, si Sacerdos intentionem ad consecrandum sufficientem non habeat, Sacrificium, quod affert, nullum est; ille vere ac proprie Missam non celebrat; habitualis intentio, quæ communis Theologorum sententia est, non sufficit, ut Sacramentum conficiatur. Et sane intentio sufficiens ad Sacramentum est suo quodammodo causa, quæ ad Sacramentum conficiendum influere debet. Jam vero intentio moraliter interrupta, cujusmodi habitualis est, quæque non amplius subsistere, atque eadem esse censetur, ad Sacramenti productionem non influit. Ea porro Sacerdotis, de quo agitur, quippe qui in dementiam inciderit, intentio est; non agit nisi ex habitu, prorsus ut qui inter dormiendum Sacramenti verba pronuntiaret; atque ita in præsenti negotio Sacer-

(*a*) Bonac. loco cit. & Fagn. tom. 2. in cap. Fraternitatem sepult. *n.* 95.

(*b*) Sotus l. 9. quæst. 3. art. 1. §. nihilominus de just. & de jur.

dotis actio humana non est, ac vere voluntaria, & quod inde consequitur, Sacrificium, quod offert, nullum est.

Illud etiam addi potest ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum longe maximis tum corporis, tum animi præparationibus opus esse, ut aliquando a celebratione abstinendum devotionis gratia videatur, aliæque dispositiones in animo requirantur, ut digne tantum Mysterium celebretur. D. Carolus Actorum suorum *l.* 4. *n.* 54. titulo de Sancto Missæ Sacrificio statuit, ut in omnibus Sacristiis existant parvæ cellulæ, vel angusta receptacula, quo se Sacerdotes orandi commodius, & se, antequam ad Altare accedant, præparandi causa recipiant: *Ut antequam celebrent, se colligant, & orantes mentem in tanti ministerii cogitatione defigant; quod ut commodius fieri possit, curent Episcopi, ut in singulis Sacristiis singulæ cellulæ ad hunc orandi & meditandi usum instruantur.* Sacerdos porro, de quo quæstio est, non satis intellectus habet, ut omnes eas dispositiones cognoscat.

Multa denique inter celebrandum vel ante vel post consecrationem contingere possunt, quæ vel prævenienda sunt, vel iis, cum evenerint, prompto remedio occurrendum est; is autem Sacerdos nihil horum animo reputat, atque adeo reputare non valet, ut supponitur, etiamsi verum esset eum posse valide consecrare. Concludendum est igitur ei permittendum non esse, ut Missam celebret, quamvis hactenus nil minus recte contigerit, nullumque scandalum extiterit.

Quod si secundo loco Sancta Missa spectetur, quatenus Sacram Communionem adjunctam habet: Sacerdos insania correptus ejus est incapax; cum enim de adulto agitur, ejus suscipiendæ intentio proprie dicta requiritur, ut proinde non vere communicare censeretur, qui sumeret consecratam Hostiam, quam talem esse non crederet; hujus autem intentionis hic Presbyter impos est. D. Paulus in prima ad Corinthios c. 11. mandat, ut Fidelis, antequam ad Communionem accedat, sese probet; is autem Sacerdos ejus probationis, & quod inde consequitur, communionis incapax est. Re ipsa venerandum hoc Sacramentum devotionem postulat, dum suscipitur, quod in causa est, ut Tridentinæ Synodi Cathechismus titulo de Sancta Eucharistia *n.* 68. iis, qui rationis usum amiserint, eam tribui nolit: *amentibus, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, Sacramenta dare minime oportet*; tantumque patiatur iis Sanctam Communionem in mortis articulo administrari, atque adeo cupiat, ut antequam insanirent, pietatis & Religionis erga Sacrosanctum Sacramentum signa præbuerint: *Si antequam in insaniam inciderint, piam & religiosam animi voluntatem præsetulerint, licebit eis in fine vitæ ex Concilii Carthaginensis decreto Eucharistiam administrare.*

Hac porro doctrina posita, quam etiam tradunt D. Thomas, (a) ac Theologi, quorum testimonia Bassæus in medium adducit, non apparet, qui Sacerdoti rationis experti permitti possit, ut Missam celebret; quippe cum longe major dispositio requiratur in Sacerdote, qui celebrat, & ipse sibi Communionem administrat, quam in Laico, qui eam tantum recipit, etiamsi, quod ita non habet, supponeretur, eum vere consecrare.

Hinc illud necessaria consecutione conficitur, Superiores Presbyterum in amentiam lapsum celebrare patientes peccare mortaliter; ac si illi moniti ab hac indulgentia non destiterint, Episcopum commonendum esse, ut eos tanquam irreligiosis, & rerum Sacrarum profanationis complices puniat.

Decisum hac die 8. Julii an. 1697.
G. *Fromageau.*

Missa ante Matutinum celebrata.

CASUS VI.

Communior opinio est, eum qui ante Matutinum Missam celebrat, lethali se crimine non obstringere, nisi quod in Ecclesia servari solet, formaliter contemptui ducatur.

QUÆSITUM.

Sacerdos in Parochia quotidie Missam celebrat ex officio, & quidem ad publicum commodum æstivo tempore hora quarta matutina cum dimidio, & hora quinta cum dimidio hiberno tempore; & præterea tanquam ejusdem Parochiæ, in qua diebus singulis Horæ Canonicæ recitantur, Cantor mercede conductus immediate postquam celebravit, tenetur Choro interesse, ibique canere Matutinum cum Laudibus, &c.

In quæstionem vocatur, an Officium prævenire debeat, & juxta Rubricam, ante Missam Matutinum cum Laudibus recitare, quamvis immediate post ea sursus cum Choro canere debeat, hac ipsa de causa a regula Matutinum & Laudes ante Missam recitandi hoc in casu solutus sit; ei enim injungi non potest, ut Officium suum in ea ratione præveniat, quin eodem tempore ad idem bis in die recitandum adigatur. De obligatione porro aut dispensatione quæstio est non pro una vice tantum, sed quotidie.

Quid S. Antoninus, Moralis Gratianopolitana, Collationes Rupellæ, & *Bonal* super hac re scriptum reliquerint, non ignoratur; sed non temere dici potest in eorum generalibus decisionibus peculiarem hanc facti speciem prævisam non fuisse. Durior est in hoc negotio S. Antoninus; Bonacina est longe mollior; nullus tamen in hoc articulo Canon occurrit, nulla Lex; una & unica Rubrica præsto est. Moralis ipsa Gratianopolitana videtur insinuare principium, quo a Matutino ac Laudibus ante Missam celebrandis hic Presbyter liberetur; ejus quippe *Tom* 3. *tr.* 5. *cap.* 7. *num.* 2. dicitur videri ab hoc ordine sine rationabili causa citra culpam recedi non posse; hic porro rationabilem causam adesse apparet; sed alia ex parte, cum de perpetua regulæ dispensatione agitur, semper timendum est.

Illud animadversione dignum videtur hunc Sacerdotem nulla studiorum, vel id genus alia cura distentum esse; Officio celebrato, quod diei superest, ei liberum est.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

I. Juxta communiorem sententiam obligationem nullam adesse, sub mortalis peccati pœna, Missæ post Matutinum celebrandæ, nisi ejus praxis, quæ fere in Ecclesia obtinet, formalis contemptus extiterit.

II. Complurium Auctorum sententia, eum, qui ante Matutinum sine causa legitima, & quidem sæpenumero celebraret, ab aliqua levi culpa immunem non fore. Super hoc duplici articulo consuli possunt *Bonal*, & Theologi ab eo citati *l.* 2. *c.* 16. *de Hor. Can.* Bonacina *Disp.* 4. 3. *punct.* 4. *num.* 12. *de Hor. Canon.* Castro Palao 2. *p. disp.* 2. *tr.* 7. *punct.* 4. *n.* 6. *de Hor. Can.* Respondent Auctores hi ad rationes, quæ ad Matutini ante Missam recitandi strictam obligationem probandam fere afferuntur, quæque ex Rubricis petuntur.

III. Satis justam causam esse in proposita facti specie, quamobrem Missa ante Matutinum celebretur, ne scilicet bis in die Matutinum recitari necesse sit.

IV. Denique si quæ hactenus dicta sunt, Sacerdotis, de quo agitur, animum tranquillare non possint, ad ejus scrupulos penitus disjiciendos, tametsi nulla necessitas urgeat, a Romana Curia privilegium peti posse, quo eidem liceat, antequam Matutinum recitet, celebrare, quamdiu Missam eo, quo dictum est, tempore celebrare teneatur.

Decisum Parisiis in Sorbona die 14. Septembris an. 1699.
G. *Fromageau.*

Mis-

(a) S. Thomas 3. p. q. 80. art. 9. Bassæus v. Com. Sacr. num. 24.

Missarum celebratio commissa Parocho.

CASUS VII.

1 *Missarum in aliena Ecclesia fundationem Parochus una cum propria Parochia possidere non potest.*

2 *Parochus Missarum in Cathedrali Ecclesia V. a propria Parochia sex leucis dissita fundatarum Commissionem non potest possidere.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Titius, cui Parochia sex leucis majoribus distans ab V. concredita est, possidere possit Missatum in Cathedrali Ecclasia V. fundatarum commissionem, quæ quidem ejusdem Ecclasiæ Presbyteris habituatis & incorporatis, titulo fundationis, affecta est?

Titius persuasum habet sibi licere eam tuta conscientia una cum Parochia possidere, propterea quod cum ejusmodi Beneficium sit suapte natura simplex, nec residentiæ obnoxium sit, ejus servitium per alium præstare potest. Econtra dicitur, habituatis Ecclesiæ V. ex ejusdem Ecclesiæ statatis actualem & continuam residentiam injunctam esse, eosque propterea in iisdem statutis appellari *continuos servitores Ecclesiæ*; ex quo fit, ut Missarum commissiones, quæ iisdem affectæ sunt, per acidens cum aliis Beneficiis residentiam requirentibus constare non possint non *ex natura Beneficii, sed ratione incorporationis*.

Eam Fundatorum intentionem fuisse judicatur, ut ejus Ecclesiæ incorporatis suppeditarent, unde illi commodius subsisterent, & ad promptius fideliusque servitium excitarentur.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, expenderuntque, in ea sunt sententia, ut credant Titium Parochiæ sex majoribus leucis ab Urbe V. distantis Pastorem non posse commissionem Missarum in Ecclesia V. fundatarum simul cum Parochia possidere, licet ejusmodi Beneficium natura sua simplax habeatur, quia Beneficium idem ejus Ecclesiæ habituatis & incorporatis vi fundationis affectum est; neque eum solummodo peccaturum, si illud vel obtineret, vel retineret, sed etiam devoluto locum fore, quod ab eo obtineri posset, qui qualitatibus, quas titulus postulat, possideret; præterquamquod doctrina hæc Galliarum Jurisprudentiæ consona est, eamque tanquam generalem regulam proponit Tridentina Synodus *Sess.* 25. *de Reform. c.* 5. in hæc verba: *Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur .... & aliter facta provisio subreptitia censeatur*; id quod Cardinales ejusdem Synodi interpretes, & Doctores amplexi sunt, ut Barbosa in eamdem Synodum animadvertit. Cum ergo Parochus hic Ecclesiæ Cathedralis V. habituatus esse non possit, quippe quia propriæ Parochiæ actualem ac perpetuam residentiam præstare debet, quia habituationes eæ continuam pariter præsentiam requirunt, quia denique qui eas possident, sunt *continui servitores Ecclesiæ*, ipsisque eædem Missarum commissiones affectæ sunt; extra omnem dubitationis aleam positum est eumdem Parochum ea, de qua quæritur, frui omnino non posse.

Decisum Parisiis in Sorbona die 14. Februarii an. 1680.

A. de Lamet.

Missarum Reductio.

CASUS VIII.

Missarum celebratio acceptis retributionibus respondere debet.

QUÆSITUM.

EPiscopus N. certior factus in suæ Diœcesis Ecclesiis diligenter Missis votivis non satisfieri, propterea quod retributio solidorum quinque in Urbe, & trium ruri pro quaque Missa de more oblata tenuis nimium foret, instituit, ut imposterum in Urbe quidem solidorum ut minus octo, sex autem in cæteris Diœcesis locis unius Missæ stipendium esset.

Hæc legitime facta Constitutio, quamvis indicta fuerit, recepta non fuit; adhuc enim solidi quinque tantum in Urbe ad Missæ retributionem traduntur, quod in causa est, ut ne Missis in Ecclesia N. fideliter satisfiat, nisi Presbyteris eas celebrantibus integra retributio tribuatur; id autem gravi detrimento est eidem Ecclesiæ, cujus fere proventus fortuiti sunt, & admodum tenues, quippe cum Decano nonnisi ducentarum librarum, Canonicis librarum centum & sexaginta, Beneficiatis reliquis ac Vicariis centum & viginti librarum certi reddituus sint, qui omnino pendent ex fundatione Missarum, quibus satisfaciendum est.

Quæritur, an sequi liceat Episcopi reformationem, ita ut quotidie certus Missarum numerus celebretur, acceptæ pecuniæ respondens, ad octo solidos pro quaque Missa; an vero fideliter satisfaciendum sit, & significandum Missas nonnisi quoad eam Reformationem celebrari posse?

In hoc negotio duplex incommodum occurrere potest; primum est, Parochianos, Sacerdotibus aliter quam juxta Reformationem Missas celebrare nolentibus, obmurmuraturos; alterum est, eos Missarum celebrationem commissuros aliis Ecclasiis, ubi sine scrupulo Missarum plurium stipendia junguntur; quo posito, Ecclesia, de qua sermo est, longe maxima Missarum inopia laboraret, quippe quod impar esset sustentando majori Sacerdotum numero, quam quibus Collegium constat, scilicet non amplius quatuordecim, qui sane numerus non respondet indigentiæ Parochiæ, quæ in Urbe primas tenet, e viginti mille circiter homines communioni aptos complectitur.

Hæc eadem Ecclesia, quod animadversione dignum est, a Parochianis decimas omnino percipit, æque atque aliæ Urbis Parochiæ, nullosque alios redditus tenet, quam qui ex aliquibus Missarum fundationibus, & ex ejusdem Ecclesiæ censu, qui votivis Missis ex parte maxima continetur, proveniunt.

Neque illud omittendum, ea in Urbe tam caro vivi, quam Lutetiæ Parisiorum.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Constitutionem super retributione præbenda Presbyteris pro Missarum celebratione servandam esse, populoque, ut eidem se conformet, explicandam; nec posse tuta conscientia pro Missa celebranda quinque solidos accipi, quin ea deinde celebretur juxta ejus voluntatem, qui ea mente ac spe offert, ut pro se singillatim Missa dicatur; ac citra fraudem juxta Episcopi Reformationem, quæ in usu non est, Missam, offerente non admonito, celebrari non posse; propterea quod oblatæ pecuniæ acceptatio, cognita offerentis intentione, censenda est consensio, quæ præbetur ejus voluntati, quam ipse patefecit, quæque ordinaria loci consuetudine nititur; atque adeo hanc agendi rationem intentioni contrariam infidelitatem quamdam fore, ut proinde qui ea culpa se obstringeret, ad restitutionem obligaretur, quamvis quod oblatum est, ad Sacerdotis sustentationem satis non esset; quia qui id acceptat, nec Episcopi

Re-

Reformationem, quæ in usu non est, sequi se velle declarat, id in se recipit, ut offerentis voluntatem sequatur. Doctrinam hanc confirmat id, quod statuit Urbanus VIII. & ejus auctoritate Congregatio Cardinalium Tridentinæ Synodi interpretum, ut refert Fagnanus *in primam partem* 3. *Decretal. de sepultaris c. fraternitatem n.* 66. verbis hisce: *Deinde pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantacumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque tam sæcularibus, quam regularibus: Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ elemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Ex quibus apparet incommoda, quæ in libello supplici recensita sunt, impedire non debere, quominus ii, qui in Ecclesia, pro qua consulitur, auctoritate pollent, opponant sese rei, quæ suapte natura mala est, atque adeo gravis scandali occasio esset, si in populi notitiam veniret, quæque Fideles, intentionem suam frustrari cognoscentes tribuendis Missarum oblationibus avocaret, & in causa demum esset, ut non modo Sacerdotes, qui detecti essent, contemnerentur, sed insontes quoque suspicione laborarent.

Decisum Parisiis hac die 25. Novembris an. 1676.

Aug. *de Lamet*.

Missæ votivæ, quarum celebratio in alium locum distrahitur.

CASUS IX.

Missæ votivæ nequeunt alibi celebrandæ mandari, quam in Ecclesia, in qua Fideles eas celebrari volunt.

QUÆSITUM.

Clericus Titularis Capellæ, ad quam populus frequens accedit, & in qua septem aut octo Sacerdotes existunt, qui Confessiones audiunt, & Missas celebrent, quas Fideles petituri veniunt, super hisce tribus sequentibus difficultatibus Sorbonicorum Doctorum sententiam scire desiderat.

Prima ejusmodi est: licetne sibi Missarum, quarum stipendia recipit, celebrationem extra Sacellum committere, cum Sacerdotes, quos secum habet, iis satisfacere nequeunt, & cum Missarum copia Sacerdotum numerum excedit? Ipse quidem id sibi licere putat; I. quia pluribus Sacerdotibus excipiendis locus non est; II. quia si retributiones, ac Missas, quæ petuntur, ipse respueret, Fidelium animi turbarentur, & devotio, quæ in Sacello maxime fervet, refrigesceret; III. quia Missæ, quas extra Capellam celebrandas committit, minore, quam percepta est, retributione celebrantur; id autem non cedit in ejus privatum commodum, sed Sacelli sustentationi ad decorationi cum proprii patrimonii parte deservit.

Secunda est hæc; an ipse, aliique Presbyteri Sacello deservientes, cum absunt per aliquot dies, raro quidem, & ex necessitate, possint necne Missas eidem Capellæ devotas celebrare? Eo ipse principio nititur, eum, qui servit Altari, de Altari vivere debere, suosque proinde Compresbyteros, quibus præter Missarum stipendia nullus alius proventus est, quo subsistant, cum absunt ob negotia, posse eadem stipendia percipere, dummodo ibi ubi sunt, pro iis peculiariter celebrent, qui in Sacello stipendia obtulerunt. Huc accedit eosdem Presbyteros alia populo officia præstare, nempe conciones edere, Confessiones audire, Divina Officia celebrare, &c.

Tertia talis est; an Vicarius, cui Parochiam Sacello unitam ipse concredidit, possit necne celebrans in Ecclesia Parochiali ab eodem Sacello sejuncta iis Missis satisfacere, quas Populus in Sacello requirit? Id ipse sibi persuadet ex eo, quod magna anni parte Vicarius ei præsto est in Sacelli servitio.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum respondet

Ad quæstionem primam, Ecclesiasticum Titularem Sacelli, de quo agitur non posse Missarum sibi creditarum celebrationem alio distrahere, quoniam Fideles fallit, quorum ea est intentio, ut in Sacello celebrentur. Et sane Deus quasdam gratias concedit alicubi, ubi Sanctos honorari vult, quas fere alibi non concedit; praxis ipsa Fidelium sancta ejusmodi loca invisentium evidenter ostendit, quid ii semper crediderint, ad peculiaria beneficia quod attinet, quæ iis devotionis locis addicta sunt. Ex quo sequitur, I. plurium, quam in Sacello celebrari possint, Missarum obligationem suscipi non posse, quia hac ratione fides offerentibus Christifidelibus præstita falleretur, II. ad hujus sancti loci devotionem tuendam non licere Missas distrahi, ut, dato minore stipendio, id facilius obtineatur, quandoquidem nunquam licet malum facere, vel bono fine proposito.

His ita se habentibus, ad alias propositas quæstiones duas facilis est & expedita responsio; ac demum quæ modo dicta sunt, ex eo quoque magis magisque firmantur, quod in Decreto Congregationis Cardinalium, quod Urbanus VIII. an. 1625. roboravit, quodque refertur in Bullario n. 45. statuitur, ne novæ Missæ celebrandæ suscipiantur, antequam jam susceptis satisfactum fuerit, ne frustretur intentio Fidelium, qui eleemosynas conferunt, ut Missæ, quibus diebus ipsi postulant, celebrentur: *Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab ejusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis; & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa, (eleemosyna pro Missis) vel alia similia, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis*, (loquitur de interdicto) *ne fideles hac ratione frustrentur*.

Illud hoc loco venit animadvertendum, si liceret, ut contenditur, Missas, quibus in devotionis loco, de quo agitur, satisfieri nequit, alibi celebrari, frustra Pontifex allatis Decreti verbis vetaisset, ne nova onera susciperentur, nisi veteribus satisfactum fuisset; semper quippe Missis potest satisfieri per Sacerdotes aliis in locis celebraturos.

Præterea ad ostendendum, intuitu devotionis erga sanctum locum, servandisque visitantium concursus, a fide peregrinis præstita recedere non licere, nisi eorum consensus adsit, exempli causa Missarum celebrationem differre; idem Pontifax in alio Decreto, quod aliud paulo ante allatum consequitur, mandat §. 15. ut Missæ iis ipsis diebus, de quibus convenit, celebrentur: *ne alias cultus, & devotio, & concursus fidelium, ut ajunt, minuantur, non posse nisi de consensu eorum, qui Eleemosynas tribuunt, Missas differri*.

Cum porro §. 7. proposita esset quæstio hæc, an scilicet ex eleemosynis pro Missarum celebratione oblatis aliqua portio decerpi ac retineri possit, ea mente, ut in Ecclesiæ sustentationem, atque ornamenta conferatur, Pontifex in hunc modum respondet: *Ad tertiam respondit permissum non esse, ut Ecclesia, ac loca pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcumque minorem portionem retineant ratione impensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesia, & loca ipsa alios non habeant redditus, quos in usum earumdem personarum erogare licite possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ sacrificio necessario sunt subeundæ; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

Ex his omnibus concluditur nec consilium Sacerdotis,

dotis, de quo agitur, nec rationes, quibus illud fulcire contendit, probari posse.

Decisum in Sorbona hac die 3. Julii an. 1705.
G. Fromageau.

Sacrificium Missæ interruptum.

CASUS X.

Interrumpi potest Missæ Sacrificium, in casu necessitatis, ad audiendam infirmi morti proximi confessionem, ad ei tribuendam absolutionem, atque ad Extremam Unctionem morienti administrandam, in Hospitali.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Missæ Sacrificium interrumpi possit, atque adeo debeat, ut ægrotanti jamjam morituro Extrema Unctio administretur, & quidem cum celebrans ad Canonem nondum pervenit; præsertim vero in peculiari Sacello, ubi pauci adsunt, & interruptæ quidem Missæ causam non ignorant; causa exempli in Hospitali, ubi ægroti tantummodo missam audiunt.

Quid, si celebrans ad Missæ Canonem jam pervenerit? Potestne Sacrificium intermittere, ut infirmo, qui morti proximus est, Absolutionem conferat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ad generalem controversiam quod attinet, an scilicet Sacerdos Missam celebrans possit Sacrificium deserere, atque interrumpere, ut Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis Sacramentum administret ei, qui jamjam animam efflat, quique ad salutem utroque indiget, censet animadverti posse tria.

Primo quidem in Jure *cap. 15. illud, & cap. 16. nihil 7. q. 1. & Cap. 57. nullus Episcopus distinct. 1. de consecrat.* prohibetur, ne quis Presbyter a Missæ Sacrificio, quod semel inchoavit, absque legitima causa recedat; verum in his Juris Capitibus de Missa sermo est, quæ interrumperetur absque animo eam ad exitum perducendi. Theologi infra laudandi declarant, quænam legitimæ causæ, quænam sint occasiones, in quibus Missa interrumpi possit.

Deinde vero a sacrosancto Sacrificio ad tempus desistere, atque illud postea repetere Sacerdos potest, ut proximo in gravi salutis discrimine posito opituletur, ut si ageretur de puero, qui tunc in Ecclesia in lucem editus de vita periclitaretur, baptizando. Exemplum hoc affert Bonacina *Disp. 4. q. ult. punct. ult. n. 25.* Glossa *in Cap. nullus Episcopus* supra citatum adhæret eidem sententiæ, dum ita statuit *verbo Recedere: Sive casu cum videret puerum sine Baptismo morientem, dum est etiam ad Altare, consulo, ut baptizet.* Ratio, quam affert, evincit Sacerdotem, si id facere negligeret, salutis, cujus is infans jacturam subiret, reum fore; illum quippe cum eo comparat, qui pauperi fame pereunti panem præbere cum possit, & non præbet, ejus mortis reus esse censetur: *Si non pavisti, occidisti.* Bonacina Divum quoque Thomam in suæ sententiæ confirmationem adducit *3. p. q. 83. a. 6.*

Et sane ex iis, quæ tradit hic sanctus Doctor, videtur inferri posse ob proximi gravissimam, magnique momenti indigentiam posse Sacrificium interrumpi; hoc enim loco *ad secundum* D. Thomas id ponit tanquam certum posse Sacerdotem a Missa, quam celebrat, desistere; saltem id tutius esse, modo cæteroquin scandalum nullum adsit, si ante consecrationem meminerit se non esse jejunum, vel excommunicatum esse: *si vero*, inquit, *ante consecrationem alicujus prædictorum sit memor, tutius reputarem maxime in casu manducationis, & excommunicationis, quod Missam inceptam desereret, nisi grave scandalum timeretur.* Si illud reputetur naturali ac divino Jure præstandam esse opem proximo, cum in extrema necessitate versatur, ita ut si id negligas facere cum possis, gravius pecces, quam si Sacerdos celebret non jejunus, id quod Ecclesiastico tantum præcepto adversatur; ac præterea minorem culpam esse, Missam, cum ejus ad finem ducendæ voluntate, intermittere, quam eam omnino deserere: videtur concludi posse, si D. Thomas in ea, quam proponit, facti specie Missam deseri posse credidit, futurum potiori jure fuisse, ut crederet eam ad breve aliquod tempus posse interrumpi, ad necessitatis Sacramentum proximo administrandum in aperto mortis periculo, ne ipse in æternum periret.

Utut porro de hoc Sancti Thomæ textu, deque ratiocinatione, aut consecutione, quæ ex eo duci potest, sentiendum sit: certe Theologi bene multi diserte sentiunt Missam interrumpi posse, ut proximo in urgenti gravique periculo consulatur. Sylvius *in 3. p. q. 83. art. 6. q. 3.* pronuntiat Missam posse intermitti ad Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis Sacramentum moribundo administrandum: *Ex causa vero legitima potest Missa interrumpi, seu discontinuari etiam notabiliter, veluti ad baptizandum infantem moribundum, vel ad excipiendam confessionem infirmi; quorum ille aloquin sine baptismo, iste sine Sacramento Pœnitentiæ esset moriturus. Idem judicium est, si foret Extrema Unctio administranda infirmo, qui aliud Sacramentum non potest recipere.*

Tertio loco illud convenit, allatos Auctores absolute loqui, nec omnino distinguere, an ea interruptio ante, an vero etiam post consecrationem fieri possit; quamobrem in medium adducuntur alii, qui expressis verbis asserunt idipsum post consecrationem licere; ejusmodi sunt Layman *l. 5. tr. 5. c. 7. n. 2. de Sacrif. Miss.* qui putat etiam post consecrationem Sacerdotem a Missa cessare posse, ut Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis Sacramentum moribundo administret, Homo-bonus in *Tractatu 4. cap. 97.* qui cum antea hanc opinionem propugnasset, eam deinde complurium Auctorum testimoniis confirmat; sunt autem inter alios Dionysius Carthusianus in libro de quadruplici hominis fine *art. 37.* Pelizarius *tom. 2. tr. 5. c. 12. q. 28. n. 37.* Diana *tom. 5. tr. 3. resolut. 70.* Castro Palao *tom 4. tr. 22. disp. un. punct. 11. n. 5. de observ. in celebrat. Miss.* Gavantus *p. 3. tit. 10. in Rubr. Miss. n. 18.* qui ita habet: *Quæritur, an possit interrumpi & discontinuari Missa ob aliquam causam? Respondeo, ob concionem, & publicationes edictorum, quæ fiunt a Parochis; præterea ad confessionem audiendam moribundi, custodita, si opus est, interim ab alio Eucharistia, vel ad ungendum infirmum, cui nullum aliud Sacramentum administrari potest.*

Quamvis autem quæstio hæc theorica potius quam practica videatur, quia raro fit, ut is casus existat, eorum tamen Auctorum bene multi post Layman monendum putant magna prudentia opus esse, cum casus accidit, ac valde cavendum, ne levi de causa Missæ Sacrificium interrumpatur. Requirunt igitur, ut proximi, cui subveniendum est, grave sit urgens periculum; ut præterea expendat Celebrans, an ab Altari recedens Sacerdotalia indumenta deponere necesse habeat, ac futurumne sit, ut diu absit necne. Fieri enim potest Sacerdotem in Altari sacrum facientem in ea circumstantia versari, ut citra grave scandalum, & quin magnis obmurmurationibus occasionem præbeat, recedere nequeat; quo in casu Missa interrumpi nequit, etiamsi id ageretur, ut moribundo, qui maxima necessitate premeretur, charitatis officium persolveretur. Cæterum probabilius esse videtur licere Sacerdoti Missam interrumpere, ut homini in extremis agenti necessitatis Sacramentum administret.

Nec juvat dicere Sacerdotem in Altari existentem publicum Ministrum esse, qui universam Ecclesiam repræsentat, & Sacrificium offerens publicum officium exercet, atque adeo cultum exhibet, qui ad Deum immediate ac Religionem spectat; quod autem præstat, dum cuipiam vel morienti Sacramentum administrat, privati tantum hominis utilitatem, non autem publicam respicere; ac proinde a publico officio cessandum non esse, ut privato bono consulatur, utcumque casura res sit. Etenim respondetur Sacerdotem a Sacrificio quidem desistere, sed nonnisi ad breve tempus, atque ut gravissimum malum impediat, cujusmodi est æterna dam-

damnatio; tale quippe periculum adesse supponitur; Sacrificium non interrumpit, ne scilicet illud absolvat; atque ita allata disputatio ad hanc facti speciem Deum immediate spectantem legitime accommodari non potest. Ipse Divinus Filius in Crucis ligno positus suæ mortis sacrificium suspendit, ut Matrem alloqueretur, & Joanni commendaret; *l. de instit. virg. c. 7. paulisper publicam differt salutem, ne matrem inhonoratam relinquat*, ut loquitur D. Ambrosius. Ille porro ea dilatione nihil egit, quod Sacrificii Crucis dignitati ac venerationi adversaretur, quamvis Æterno Patri, & quidem ad totius humani generis salutem illud offerret.

Ut verbo expediam, propositam objectionem haud grave pondus habere vel eo licet intelligi, quod nemo Theologorum occurrit, qui præsentem quæstionem pertractans neget a Sacerdote Missæ Sacrificium posse interrumpi, ut moribundo necessitatis Sacramentum administretur; quod quidem in oppositam opinionem magnum præjudicium est.

Ex hactenus dictis duo inferri licet, quæ interrogationibus duabus initio statim propositis responsioni esse possint.

Primum est, certis quibusdam in casibus licere Sacrificium interrumpi, sive peracta non sit consecratio; sive etiam peracta sit, atque adeo longe potiori jure credi posse, quod demonstratum est, illud ante Canonem interrumpi licere, ut moribundo Extrema Unctio conferatur, in peculiari Sacello, causa exempli in Hospitali, ubi infirmi tantum Missam audiunt, facta hypothesi moribundum hunc eo Sacramento indigere, quia aliud ei administrari non potest; hoc enim in casu nonnisi parumper Celebrans interrumpit; necesse non habet egredi, vel Sacerdotalia indumenta deponere, denique non apparet id gravi scandalo fore; & sane is casus est, in quem Theologi maxime atque universim conspirant, ut ex allatis eorum testimoniis licet intelligi.

Alterum est, Missæ sacrificium interrumpi posse, atque adeo debere, ut ægrotanti jamjam morituro absolutio conferatur, etiamsi ad Canonem Sacerdos pervenerit. Si enim vel post Consecrationem interruptio fieri potest, ut statuunt Theologi bene multi: procul dubio citius fieri intermissio poterit, atque adeo debebit in proposita facti specie.

Decisum hac die . . . . . Augusti an. 1701.
G. *Fromageau*.

Missarum retributiones in Peregrinationis locis oblatæ.

C A S U S XI.

De abusu, quem in Peregrinationum locis perpetrant Administratores, quod attinet ad eleemosynas, & pecuniam, quam Missarum celebrandarum gratia Peregrini conferunt.

QUÆSITUM.

Cum Peregrinationis locus, de quo sermo est, haud plus quam tertiam partem proventus possideat, qui necessarius est tam ad sustentationem ac decorationem Ecclesiæ, quam ad subsistentiam Sacerdorum duodecim in eum finem institutorum, ut Peregrinorum devotioni satisfaciant; stipendii pro Missis oblati portione suppletur id, quod aliunde deest, & ea quidem portio ex omnibus injunctis Missis decerpitur; itaque satisfit, ut iidem Sacerdotes numero duodecim possunt, nisi deductis, quas innuimus, expensis, majori Missarum numero conficiendo par fundus supersit, & tunc quidem vel Sacerdotibus illac peregrinantibus celebrandæ Missæ mandantur, vel Parochis indigentibus, ad quos ea mittitur eleemosyna, quæ Diœcesis praxi respondet.

Consuetudini, quæ ibidem obtinet, excusatio ac defensio ex eo petitur, quod interest rei publicæ, ac Peregrinis utile est, hunc Peregrinationis locum servari, & Sacerdotes, quorum numerus immodicus non est, habere, quo congrue subsistant, ita denique ab immemorabili tempore quoad caput hoc se res habuisse.

Prostat in Ecclesia capsula Peregrinorum eleemosynis recipiendis accommodata, in qua nihil inscriptum est; quæ in ea deponitur pecunia, inter Episcopum, Capitulumque dividitur.

Huic quoque partitioni quæritur patrocinium; I. quia dona & oblationes, quæ Ecclesiæ fiunt, ab Episcopi dispositione pendent, ut ex antiquis Galliarum Conciliis, & ex secunda seu tertia Marculphi formula constat, & quia ea partitio ante omnem hominum memoriam obtinet; II. quia oblationes ac munera pertinent ad Administratores, declaratum est autem initio statim, Episcopum, & Cathedralis Capitulum Peregrinationis Administratores esse.

Capitulum una cum Episcopo Canonicum eligit, qui Peregrinationis locum nonnullis leucis ab Episcopali Urbe dissitum visitet; habitat ille, nutritur, sustentaturque Peregrinationis impensis, ejus autem Præbendæ proventum inter se Canonici partiuntur.

Ad hanc duplicem praxim tuendam adlegatur, quoad primam quidem, Canonico Administratori eam subsistentiam deberi ratione sollicitudinis, qua Peregrinationis loco deservit; quoad alteram vero, cum idem Canonicus Administrator proprii Canonicatus officia non obeat, ejusque proinde proventus ad eum spectare non possit, licere, quemadmodum in aliis Ecclesiis assolet, inter alios Canonicos eumdem distribui; ut cum Regularis ad Ordinis Beneficium curandum mittitur, ejus ordinarius & portionalis proventus Communitati cedit.

Additur animadversio ex eo ducta, quod proventus Canonicatuum ejus Cathedralis tenues sint.

Contigit, ut Capitulum, sciente ac vidente Episcopo, quandoque sibi sumeret aliqua de muneribus, quæ olim plurima offerebantur, magnique momenti erant in Peregrinationis Ecclesia.

Propugnatur hæc quarta praxis, eadem ratione, qua secunda, quia nimirum Episcopi & Capituli propria est Peregrinationis administratio.

Rogantur Doctores, ut Responsioni subjiciant, quid Canonicus quisque facere debeat, ut propriæ conscientiæ consulat, si quid forte in propositis Casibus minus rectum occurrat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet consuetudinem, quam sequuntur Administratores Sacelli Peregrinationis, de qua in Expositione dictum est, quæque indigitatur in quæstionibus, quarum solutio petitur, proprie dictum abusum esse, cujus causa cupiditas est, quique Fidelibus, si quidem innotuerit, scandalum afferre potest; & quod inde consequitur, in ordinem redigendus est. Sed ut hujus abusus veritas distinctius pateat, respondetur

Ad quæstionem primam; Cum Peregrinationis locus proventuum non satis habeat ad reparationes, & generatim ad eas omnes impensas, quæ necessario faciendæ sunt, sumendum esse id quo opus est, ex oblationibus & eleemosynis, quas Fideles eo conferunt, non autem ex susceptarum Missarum stipendio, nisi Fideles, qui ea intentione pecuniam tribuunt, ut sibi certus Missarum numerus celebretur, ea de re moneantur. Abusus præterea est plures Missas celebrandas suscipi, quam in ejus Peregrinationis loco celebrari possint; est contra bonam fidem Peregrinorum pecuniam accipi, ut in usum eorum intentioni oppositum conferatur; alius quoque abusus est, Missas alibi, quam in Peregrinationis loco, ubi eas Fideles expetunt, celebrandas mandare. Videndi super hac re Azorius 1. *p. l.* 10. *c.* 24. *q.* 8. Sylvester *v. Missa q.* 10. *ad fin.* Navarrus *c.* 25. *n.* 134. *in Man.* Cardinalium Congregatio in Decreto *an.* 1625. edito *n.* 45. ab Urbano VIII. confirmato *§.* 8. & relato in Bullario declarat, plures, quam celebrari possint, missas suscipiendas non esse: *Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum accipere possint, si oneribus impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab ejusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futuram recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum in-*

ferr-

ſcriptione illa (Eleemoſyna pro Miſſis), aut alia ſimilia ſub iiſdem pœnis ipſo facto incurrendis, ne Fideles hac ratione fruſtrentur.

Ad ſecundam; ſi ſpectentur oblationes univerſim, & Fidelium eas conferentium intentio, palam fiet, poſt D. Thomam, oblationes, quæ ad Dei cultum fiunt, fieri quoque ad ſubſiſtentiam Miniſtrorum Eccleſiæ, atque etiam ad victum pauperum, qui ex iis, quoad fieri poteſt, ſuſtentandi ſunt; ita porro S. Doctor a. 2. q. 86. art. 2. *Et ideo oblationes, quæ a populo Deo exhibentur, ad Sacerdotes pertinent, non ſolum ut eas in ſuos convertant uſus, verum etiam ut eas fideliter diſpenſent, partim expendendo eas in his, quæ pertinent ad cultum divinum, partim vero in his, quæ pertinent ad proprium victum, quia qui altari deſerviunt, cum altari participant*, Corinth. c. 1. v. 9. *partim etiam in uſum pauperum, qui ſunt, quantum fieri poteſt, de rebus Eccleſiæ ſuſtentandi.*

Epiſcopus antiquis temporibus, ut traditur in Adnotationibus libri 1. c. 1. ad Marculphi formulas, quæ referuntur Tomo ſecundo Capitularium pag. 873. diſtribuebat, prout ei videbatur, oblationes, quæ in Urbium Eccleſiis fiebant, tum quoad Eccleſiarum, tum quoad Miniſtrorum ibi deſervientium ſuſtentationem; cui quidem Conſtitutioni convenit id, quod occurrit in Aurelianenſi Concilio tertio, Childeberti Regis ætate celebrato *can. 3. ſi quæ oblationes in quibuslibet rebus, atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in civitatibus conſtitutis, ad poteſtatem ibi redigantur, & in ejus ſit arbitrio, quo ad reparationem Baſilicæ, aut ſervientium ibi ſubſtantiam deputentur.*

Auctor animadverſionum in Marculphum eodem loco tradit & illud, Epiſcopi oblationes omnes ſibi ſumere volentibus Canonum ſanctione ſtatutum fuiſſe, ut illi, ſumpta parte ad ſe ſpectante, quicquid ſupererat, Eccleſiis relinquerent: *Verum cum omnia ſibi vindicarent Epiſcopi, Canonibus demum proviſum fuit, ut certa parte ab Epiſcopis percepta, reliquum immune Eccleſiis, ſive Parochiis ſupereſſet*. Citat deinde ad veritatem hanc confirmandam Carpentoractenſe Concilium ſub Leone I. cujus hæc verba ſunt: *Et ideo quia Carpentoracte convenientes hujuſmodi ad nos querela pervenit, quod ea, quæ a quibuſdam fidelibus Parochiis conferuntur, ita ab aliquibus Epiſcopis præſumantur, ut parum, prope nihil, Eccleſiis, quibus collata fuerant, relinquatur, nobis juſtum & rationabile viſum eſt, ut ſi Eccleſia Civitatis ejus, cui præeſt Epiſcopus, ita eſt idonea, ut ipſa nullius indigeat, quicquid Parochiis fuerit derelictum, Clericis, qui in ipſis Parochiis deſerviunt, vel reparationibus Eccleſiarum rationabiliter diſpenſetur. Si vero Epiſcopum multas expenſas, & minorem ſubſtantiam habere conſtiterit, Parochiis, quibus largior fuerit collata ſubſtantia, hoc tantum quod Clericis, vel Architectis rationabiliter ſufficiat, reſervetur.*

Hæc generatim Eccleſiæ mens eſt, ad Fidelium oblationes quod attinet, cum voluntatem ſuam non declararunt, vel cum ea non præſumitur; cum enim illa preſpecta eſt, vel de ea dubitari non poteſt, Eccleſiarum, in quibus fiunt, Adminiſtratores, ſive Epiſcopus, ſive alii fuerint, debent eaſdem juxta offerentium intentionem impendere: *Hæc enim eſt regula*, inquit Fagnanus tom. 2. in cap. Paſtoralis n. 29. *ut res oblata ſemper illi acquiratur, cujus contemplatione facta eſt oblatio, ut in cap. 2. relatum de Teſtam.* Jam vero dici nequit, Peregrinos in hujus peregrinationis Eccleſia eleemoſynas & oblationes tribuentes id facere *intuitu perſonæ, non Eccleſiæ*, eo nempe animo, ut ejus Sacelli Adminiſtratores eas inter ſe dividant, & in commodum proprium convertant, nihil, aut parum divino cultui, & Sacelli ſuſtentationi relinquentes.

Sane reparationes exempli cauſa Eccleſiarum Parochialium non ſumuntur ex oblationibus, quæ ſunt aliquid fortuitum Parochi, quod fere modicum eſt; ſed juxta Reſcripta id oneris in Parochianos rejiciendum eſt, ſi Fabricæ redditus non ſufficiat, ut animadvertit *Brodeau* in *Louet litt. O. n. 6.* Sacellum porro, de quo quæritur, id unum habet fundi veluti loco, quod ex Fidelium devotione provenit; eleemoſynæ, & oblationes fieri ſolitæ magnæ ſunt; ejus Eccleſiæ ſuſtentatio & reparationes in alium neminem refundi poſſunt; non ergo legitime poſſunt Epiſcopus & Capitulum eas oblationes, ea munera, eas eleemoſynas inter ſe diſtribuere, ejuſque ſancti loci ſuſtentationem ex ea pecunia deſumere, quam Peregrini quotidie conſtituunt, ut ſibi certus Miſſarum numerus celebretur, Miſſis ad minorem numerum reductis.

Conſuetudo, quæ prætendi prætenditur, verus abuſus eſt; quem reprimi neceſſe eſt, quoniam eſt offerentium intentioni, & bonæ fidei repugnat, Miſſis, quarum celebratio ipſis promiſſa eſt, minime celebratis. Neque vero dici poteſt Peregrinos, utpote ejus conſuetudinis conſcios cenſeri tacite conſentire in eum eleemoſynarum atque oblationum ſuarum uſum; immo vero contrarium præſumendum eſt; neque enim præſumitur, quempiam velle intentionem ſuam irritam fore; præterea tacitus conſenſus non ſufficit, cum expreſſa Peregrinorum voluntas facile cognoſci poteſt. Si Epiſcopus & Capitulum earum eleemoſynarum atque oblationum fideles adminiſtratores eſſe volunt, eas poſſunt impendere, quemadmodum D. Thomas loco paulo ante allato præſcribit.

Ad tertiam; Cathedralis Canonicus potius, quam quivis alius nominatus videtur, ut ita ejus Præbendæ proventus diſtribui poſſet; quod ſane non aliunde quam ea cupiditate maxime vituperanda originem ducere potuit; eum quippe potiſſimum eligi neceſſe non fuit, qui cæteroquin vi Beneficii ad reſidentiam obligaretur; nulla ſane apparet neceſſitas, atque ut ita opus facto eſſet, Canonicatus ejus proventum ſibi ſumere Canonici non debent, ſed potius unire Menſæ Capituli, vel in Fabricæ beneficium, aliudve pium opus conferre; ita cum hoc Canonico agendum fuit, ut generatim cum Canonicis non reſidentibus agitur. Garcias *3. p. c. 2. n. 146. & ſeqq.* Congregationis Cardinalium Declarationes affert, ut oſtendat, eum, quem diximus, uſum faciendum eſſe fructuum Præbendarum, quas ii poſſident, qui non reſident.

Et ſane Tridentina Synodus non aliam ſibi mentem eſſe non obſcure ſignificat, dum ſtatuit *Seſſ. 21. cap. 3. de Reform.* ne quædam extraordinariæ diſtributiones, quæ dantur Canonicis, qui Officio interfuerint, ob aliorum abſentiam præſentibus accreſcant; ſed *Fabricæ Eccleſiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicentur*. Vide Barboſam *de Canon, cap. 22. n. 17.* Lateranenſe Concilium ſub Leone X. idem antea ſtatuerat quoad eos, qui ſex menſium ſpatio poſtquam Beneficium obtinuerant, Breviarium non recitaverint: *Beneficiorum ſuorum fructus ſuos non faciant, pro rata omiſſionis officii & temporis, ſed eos tanquam injuſte perceptos in Fabricas hujuſmodi Beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare teneantur.*

Hinc inferri poteſt, ſi quæ ſint Capitula in quibus contrarium ſervetur, abuſum eſſe, & quidem reformandum, non autem exemplum imitatione dignum, quoniam Eccleſiæ menti adverſatur. Quod autem in expoſitione dicitur de Regulari, cujus portio Communitati cedit, dum ille Beneficio deſervit; evincit uniendum eſſe Capituli communi Menſæ proventum Præbendæ ejus Canonici, cui Peregrinationis locus adminiſtrandus committitur, non autem Canonicos eo privatim potiri poſſe.

Ad quartam; multo minus Capitulum ſibi vindicare poteſt aliqua ex donis non exiguis, quæ huic Peregrinationis Eccleſiæ traduntur, quandoquidem dubio procul ea dantur in loci gratiam, ad ejus decorationem, & ad ejus tantum utilitatem; huc potiori jure referri poſſunt, quæ ſupra de eleemoſynis, atque oblationibus dicta ſunt. Denique quicquid contra dicatur; Adminiſtratorum titulus Epiſcopo & Capitulo nullum jus tribuit, quo munera, quæ ibidem fiunt, aut eleemoſynas, aut oblationes ſibi vindicent, præſertim ſi Locus ad propriam ſuſtentationem, ac reparationes non ſatis proventuum habeat.

Quod ſi hujus Capituli Canonicatus (a) tenues ſint, ad minorem numerum redigi poſſunt, præſer-

tim

(a) Capitulum Cathedralis jure ſibi ſumere nequit de muneribus, quæ in Peregrinationis loco fiunt, quæ cedere debeat, æque atque oblationes, & eleemoſynæ, decorationi, utilitati, ac ſuſtentationi ejuſdem loci.

tim si multi sint, ac facta reductione, satis multi supersint ad obeundum divinum servitium cum ea dignitate, quæ Cathedralem Ecclesiam deceat; verum Præbendarum earum redditus augeri eleemosynis, oblationibus, & quandoque muneribus in Peregrinationis loco præstitis; contra offerentium Fidelium intentionem, & cum ejusdem loci, cui necessarius proventus deest, detrimento: hic vero abusus est minime tolerandus, probique viri prudentia, prout tanti ponderis negotium postulat, reformandus; ut proinde, ni res e voto cesserit, optimi quique de Capitulo monendi sint, ne ejus injustitiæ participes fieri velint, sed, ut omnes Canonici tenentur ob rationes allatas, respuant, quicquid sibi cedere posset ex eleemosynis, oblationibus, & muneribus loci, de quo quæritur, & quicquid etiam ex ejus Canonici, cui loci cura demandata est, Præbenda possent percipere.

Decisum hac die 8. Aprilis an. 1698.
G. *Fromageau*.

Peregrinorum Missæ, quæ reducuntur.

C A S U S XII.

1 *Missæ, quarum stipendia in Peregrinationum locis a Peregrinis offeruntur, ibidem ad eorum intentionem celebrari debent, & non alibi; aliter enim iis satisfactum esse non censetur.*

2 *Missarum celebratio in alium diem, quam Peregrini postularunt, differri nequit, nisi Peregrinis commonefactis, & consentientibus.*

3 *Celebranda est omnino Missa pro ratione pecuniæ a Peregrinis acceptæ, etiamsi pro quaque Missa quinque tantum solidi oblati essent.*

4 *Exigi nequit pro Missis majus stipendium, quam in Diœcesi generatim taxatum est.*

5 *Missarum reductio nonnisi ex Episcopi Mandato fieri potest.*

QUÆSITUM.

SUnt in Regno plures Ecclesiæ, cujusmodi sunt Ecclesiæ Beatæ Virginis L. & G. & Salmuri, aliæque, ad quas Peregrini frequentes devotionis gratia conveniunt, & Missas postulant. Tantus est quandoque concursus, ut Sacerdotes earum Ecclesiarum servitio addicti non sufficiant iis omnibus Missis ibidem celebrandis, quas Populus petit, quæque ei directe, vel indirecte promittuntur. Harum Ecclesiarum nonnullæ nullum prope alium proventum obtinent, quam Missarum; nec desunt, quæ præter Missarum stipendia non mediocres redditus habeant; sed ii tamen redditus alendis ac sustentandis tot Sacerdotibus pares non sunt, quot ad excipiendas peregrinorum confessiones, & pro eorum postulatis celebranda Sacrificia requirerentur. Rogantur ergo Sorbonæ Doctores, ut iis Sacerdotibus indigitent, quemadmodum possint tuta conscientia, quin sinceritati ac justitiæ desint, Peregrinorum devotioni satisfacere.

Id autem tanquam certum ponendum est plerosque ad hæc devotionis loca venire ob gravia tum spiritalia tum etiam temporalia negotia, quæ Deo, ac Beatæ Virginis precibus accedunt commendaturi.

Episcopi in propriis Diœcesibus fere Missas taxant decem solidis, Peregrini vero solidos tantum quinque tribuunt pro quaque Missa.

1. Cum ii Sacerdotes Missas omnes, quæ postulantur, in eadem Ecclesia celebrare non possint, videntur posse earum partem committere pauperibus Presbyteris, qui illac transeunt, quique eas, ubi poterunt, celebrabunt, vel saltem se celebraturos promittent.

Si Sacristæ scrupulus injiciatur, quod Missas alibi, quam in propria Ecclesia, in qua petitæ sunt, celebrandas curet, ea specie, quod Peregrini retributionem ea mente contulerint, ut in eadem Ecclesia celebrarentur, earumque alibi facta celebratio dolosa sit, & ab offerentium animo aliena; eos quippe suam pecuniam tradituros non fuisse, quam in eum usum converti credidissent; id enim sinceritati, bonæ fidei, veritati, atque adeo justitiæ adversari; denique veri nominis fraudem esse, quoniam privantur offerentes eo Sacrificii fructu, qui oblationi in eo potissimum devotionis loco peractæ respondet.

Respondere potest Sacrista se bona intentione fecisse; eamque, si quidem fraus sit, piam fraudem esse; se contra veritatem non egisse, ex Peregrinis suscepta pecunia pro certo Missarum numero, qui re ipsa quidem explebitur; nec vero magis egisse contra sinceritatem, bonam fidem, justitiam; quamvis enim ii boni homines futurum crediderint, ut Missæ, quas expetebant, ea in Ecclesia celebrarentur; in iis tamen, ad hanc rem quod attinet, intentionem duplicem esse distinguendam; præcipuam unam, in eo scilicet positam, ut Missæ Sacrificium sibi prosit; alteram minus præcipuam, ut nempe idem Sacrificium in hac potissimum Ecclesia offeratur; se porro intentioni priori ac principi satisfacere, siquidem explebitur Missarum numerus. Quod autem spectat ad intentionem minus præcipuam, quæ in eo sita est, ut Sacrificium ibi offeratur; Sacrista quidem fatetur ingenue ei se quoad litteram non satisfacere, sed satisfacere tamen contendit quoad effectum, ac ratione non solum æquali, sed etiam meliore cum ipsorum Peregrinorum utilitate, cum & ii sane offerant, sanctæque proinde Virgini honorem exhibeant, & nullum præterea Sacrificium in ea Ecclesia offeratur, quin conjunctam intentionem habeat, inquit Sacrista, pro iis omnibus orandi, qui aliquid contulerunt. Illi omnium bonorum operum, quæ ibidem fiunt, participes sunt, ac si eorum intentio ad litteram non perficitur, suppletur defectus hic perutili commutatione. Si in voti negotio, inquiet Sacrista hic, potest vovens ipse per se id mutare, quod Deo promisit, modo in melius mutatio fiat: quidni licuerit mihi similem commutationem in re, de qua agitur, instituere, & charitatem, quam erga pauperes Presbyteros transeuntes exerceo, aliasque Missas, subsidia, & preces, quæ in hac Ecclesia juxta intentionem meam persolvuntur, Peregrinorum intentioni substituere? Quid causæ est, cur in votis, Deoque obstrictis promissionibus commutatio fieri possit, in promissione hominibus obstricta fieri non possit? Quid si promissio nulla sit? Reponet enim Sacrista se minime promisisse, sed tantum Peregrinorum suppositionem seu cogitationem tacitam esse, fore ut in ea Ecclesia Missa dicatur. Cæterum promissiones hominibus obstrictæ, siquidem re ipsa obstrictæ sunt, majoremne obligationem inducunt, quam quæ in Votis Deo ipsi obstringuntur?

Dum votum Deo factum egomet in melius muto, nequicquam aliud ago, quam meam ipsius intentionem priorem interpretor, prout nempe tacite, cum votum ederem, semper majorem Dei gloriam minori præferre censebar. Nonne potest idem dicere Sacrista? Datur a piis hisce hominibus retributio, ut hac in Ecclesia Missam obtineant: nonne æquitati consonum est eorum intentioni interpretationem adhiberi, credique eos huic loci & Ecclesiæ circumstantiæ non adeo litteraliter addictos esse, ut ne id velle censeantur, quod Dei gloriæ magis accommodatum, ac sibimetipsis utilius extiterit? Ejusmodi porro Sacristæ mutatio est.

Hinc constare videtur, quid respondendum sit ad id, quod dicitur, nempe futurum non esse, ut, si Missam non ibidem celebrandam crederet, pecuniam suam Populus erogaret; eum de re monendum, ejusque consensum obtinendum esse; ejus pecuniæ usum alia ratione institutum dolosum esse.

Responderi nimirum potest, oleum & operam perditurum, qui rudi populo jacta principia non assequenti eadem explicanda susciperet; atque ita Sacristam omnino non posse universos ac singulos ad se accedentes erudire, ad mentem quod attinet, qua retributionem plerique tradunt; cumque tantam in iis tarditatem animadvertat, satius proinde ac necessarium fore, ut ipse eorum intentiones dirigat, & cordium motus interpretetur, quin errores omnes ex eorum animis extirpare contendat.

Nedum porro contra bonam fidem agatur, dum horum bonorum hominum cogitationi non respondetur,

detur, videtur potius ad bonam fidem spectare, ut ne fiat, quicquid ii cupiunt, & quicquid expectant, pertinet ad bonam fidem eos non averti, præposteris importunisque instructionibus, & quominus oblationes, eleemosynas, retributiones conferant, impediri, atque ita privari fructu, quem ex Sacrificio pro ipsis oblato percipere possunt. Si eorum cogitationibus non respondetur omnino, imperfectis quidem cogitationibus non respondetur; verumtamen juxta eorum rectam agitur intentionem, in eo positam, ut Sacrificium sibi sit, ut oretur sibi Deus, ut sibi impendatur Sancti, vel Sanctæ, quibus honor ibi exhibetur, intercessio. Ea est, ut videtur, eorum piorum hominum intentio recta, quæ quidem non fallitur; cætera, quæ illi in animo habent, non censentur investiganda.

Ita videlicet ejusmodi Ecclesiis deservientes Presbyteri se tueri contendunt; quod si iis objiciatur eos pauperes Sacerdotes, qui transeunt & quibus earum Missarum aliquæ celebrandæ mandantur, quas Peregrini de causis urgentibus postulaverant, eas fortasse longo post tempore celebraturos; respondent, non propterea Peregrinos ullum damnum passuros, ullumve detrimentum subituros, Deo scilicet eorum intentionem optime cognoscente.

Fieri & illud potest, ut ii transeuntes Presbyteri promittant quidem se sibi injunctas Missas celebraturos, sed eas tamen omnino non celebrent; sed respondet Sacrista, se, cum ex charitate, ac prudenter, ut sibi videtur, egerit, id, quod casu, & contra intentionem suam accidit, in se recipere non debere.

II. Cum duo Peregrini quisque dedere Sacristæ solidos quinque pro Missis duabus, quas petierunt, quæque ipsis promissæ sunt saltem tacite: nonne ille potest tuta conscientia unam tantum Missam pro utroque celebrandam committere, quoniam Episcopus, ut supponitur, decem solidis in sua Diœcesi Missarum stipendia taxavit.

Cardinalium autem Decretum ab Urbano VIII. confirmatum & approbatum huic praxi, cæterisque hactenus dictis adversari non videtur. Ab eo sane statuitur, ut tot omnino Missæ celebrentur, quot promissæ sunt, quamvis percepta eleemosyna modica sit; deinde ipse revocat Privilegia a Sede Apostolica concessa, eidem Decreto contraria; ex quo infertur Cardinalibus, & Urbano Pontifici persuasum fuisse eorum intentioni religiose standum esse, qui stipendia tribuerunt, eumque contra bonam fidem facere, qui ab ea vel tantillum deflectit.

Ad hujus Decreti articulum III. Sacrista respondet Pontifices olim id privilegii nonnullis Communitatibus concessisse, ut Missis imposterum suscipiendis certo Missarum, vel Collectarum, atque Orationum numero satisfacerent: *Privilegia & Indulta concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum & Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfaciant*. Ex his verbis clarum videtur ejusmodi Indulta a Pontificibus concessa fuisse, quoniam revocantur omnia, nec sane revocarentur, nisi pro certo haberetur ea re ipsa fuisse concessa, & Pontifices credidisse posse se certis quibusdam de causis eadem concedere.

Neque omittendum ea privilegia non ad præteritum, sed ad futurum tempus spectasse: *Oneribus Missarum in futurum suscipiendis*.

In hac hypothesi idne Pontifices permisissent, si credidissent a bona fide alienum esse, ut nova Missarum onera, quibus nonnisi Collectarum & Orationum recitatione satisfieret, susciperentur? Id tamen peculiares ob causas se posse permittere Pontifices crediderunt; putabant ergo id ab omni fraude remotum esse, quandoquidem nequeunt Pontifices dispensare, ut mentiri, frustrari, & mala fide agere liceat. Ex quo Sacrista putat sibi jus esse concludendi se mala fide non facere, si minus fidelium Missas petentium intentionibus omnino respondeat.

Si ergo ea privilegia revocat Urbanus VIII. videtur id alia de causa facere, quam ad malam fidem tollendam; fortasse scilicet, ut verosimillimum fit, propterea quod quæ res ab initio recta erat, vel apparebat, abusus evasuerat eorum improbitate, atque avaritia, qui ea privilegia obtinuerant.

Spectat Sacrista hic Congregationis Cardinalium rescriptum, Pontificis tamen auctoritate firmatum non tanquam decisionem, sed tanquam Decretum, quemadmodum etiam inscribitur. Decretum nempe videtur eo tantum referri, ut imposterum prospiciatur; & est positiva veluti Lex; positivæ autem Leges pro advenientium circumstantiarum varietate mutari possunt; cum contra decisiones ad res immutabiles referantur, & coortas disputationes definiant. Quod si Pontifex Cardinalium Decretum confirmans decisionem edere in animo habuisset, decidisset Pontifices Decessores suos ea privilegia concedere non potuisse, vel eadem privilegia subreptitia fuisse.

III. In earum Ecclesiarum aliquibus id moris obtinuit, ut Missæ, inscio prorsus Episcopo, taxarentur. Supposita nempe, nullo tamen monumento nixa traditione, Missas olim a Superiore, vel a Prælato solidis viginti taxatas fuisse: Sacrista cum quinquaginta libras exempli causa pro Missis ducentis in Sacristiæ libro descriptis percepisset, acceptam pecuniam numerans, & quinquaginta solum libras reperiens, Missas tantum quinquaginta celebrandas committit: tutusne erit coram Deo, & coram Peregrinis? An vero ad restitutionem tenebitur? Peregrinis porro, quos nec cognoscit, nec unquam amplius videbit, qui poterit restituere?

Ad hujus praxis & præcedentium propugnationem affertur interesse non parum, ne devotio remittatur, tum quia Deus in iis sanctis locis miracula perpetrans, & benedictiones effundens se ibidem potissimum honorari velle non obscure significat, tum quia fideles ibidem temporalia simul & spiritualia subsidia percipiunt. Ex una parte nequit ibi tanta Sacerdotum copia sustentari, quanta ad omnes conficiendas Missas requireretur; ex alia parte eo tantum Missarum onere suscepto, quod Sacerdotibus iisdem respondeat: fideles semel rejecti non amplius accedent, sparsoque rumore, nulla demum Missarum stipendia tribuentur, ac devotio pessum ibit. Itaque concluditur Missas reduci posse, vel alibi celebrandas tradi, præsertim in iis Ecclesiis, in quibus Beatæ Virgini peculiaris honos defertur, & ad quas non ita frequens convenit populus, qui Missas postulet.

IV. Quæritur, an ut iis omnibus incommodis occurratur, satius fuerit eum morem institui, qui in Lauretanæ Virginis alma Domo servatur, ubi nulla Missa pro ullo singillatim Peregrino celebranda suscipitur, monitis offerentibus se omnium Missarum in eo Sacello celebratarum participes fore? Eos quippe Sacrista commonefaceret, vel poneretur tabella in Ecclesia de Episcopi mandato exposita, quæ id Peregrinis significaret.

V. Sunt inter alios Auctores quatuor, qui post Urbani VIII. Decretum super hoc negotio scripserunt, nimirum *Hurtado* Scriptor Hispanus, Fagnanus Prælatus Romanus Secretarius Congregationis Cardinalium, qui Decretum hoc concinnarunt, Gonetus Ordinis S. Dominici, & Cabassutius Oratorii Presbyter, Cardinalis Grimaldi Theologus & Confessarius; quorum posteriores duo Galli sunt. Itaque Sorbonæ Doctores rogantur, ut horum non unius generis Auctorum principia & rationes expendant, & consulentibus indigitent, quibusnam subscribere debeant, ac sinceritati, aut justitiæ desint.

Alter Libellus supplex occasione Missarum in Ecclesia Beatæ Virginis Salmuri.

Non is animus est, ut ex professo confutetur sententia, quæ damnat Missarum reductionem in devotionis locis fieri solitam, & praxim, quæ ibidem obtinet, nonnullas Missas alibi celebrandas mandandi, siquidem in iisdem piis locis omnes celebrari non possint, sed solum ut instituantur difficultates, exponanturque rationes, quæ ei consuetudini favere, ac robur addere videntur.

I. Haud quæsita perfecta cumulataque certitudine, potest tamen sententia hæc haberi probabilis, quamvis non desint Auctores, qui contra sentiant,

& rationes ; quæ contra ſtent . Opponitur Leo X. Urbano VIII. Tridentina Synodus Cardinalium Decreto, Theologi Theologis opponuntur ; & in Oratorii quidem Congregatione Theologis eam conſuetudinem excuſantibus non addi non poſſunt Cardinalis *de Berulle*, P. *de Gondren*, aliique Theologicæ Pariſiorum Facultatis Doctores, qui cum eo Cardinali Congregationis fundamenta jecerunt . Eos hujus praxis conſcios fuiſſe dubitari non poteſt , cum ipſis videntibus ſervaretur in iis Eccleſiis , quas adminiſtrarunt, aut viſitarunt ; ab ipſis tamen nec mutata, nec damnata eſt , & etiamnum viget. Porro eorum nos doctrinam & ſanctitatem tanti facimus, adeo colimus , & veneramur, ut praxim , quam ii cognoverunt , ac propemodum approbarunt , cenſoria virga notare, ac vituperare non audeamus .

II. Oppoſui equidem Leonem X. Urbano VIII. propterea quod ne dum prioris Bulla ſubreptitia ſit , eam potius probat confirmatque Tridentina Synodus, quæ Epiſcopis, atque adeo Ordinum Abbatibus, ac Generalibus eam facultatem tribuit , ut eas Miſſas reducant, quarum eſt tam tenue ſtipendium, ut nemo unus ſit, qui eas celebrandas ſumere velit : *Eleemoſynam adeo tenuem* , &c. ac ſatis habeant aliquas Collectas pro Fundatoribus recitare : *Eorum ſemper defunctorum commemoratio fiat* . Ex quo concludi licet non ſolum Pontifices, ſed Ordinarios quoque earum Miſſarum numerum reducere poſſe , quarum retributio ſufficiens non eſt , quin bona fides , vel quæ Fundatoribus , inito contractu , obſtricta eſt , violetur, aut reſtitutione opus ſit. Animadvertendum eſt Bonacinam ponere tanquam certum Leonis X. Bullam authenticam eſſe, eique loco infra citando ſubſcribere .

III. Ut Urbanus VIII. & Cardinalium Congregatio Concilii non opponantur, duo tanquam certa ponenda ſunt ; unum, eam reductionem in abuſum, cui illi remedium afferre voluerint , abiiſſe ; alteram retributionem, de qua loquuntur, tenuem eam quidem fuiſſe , ſed Sacerdotis tamen ſuſtentationi ac victui ſufficere potuiſſe ; ſi enim ejuſmodi non fuiſſet, impoſita reſtitutionis obligatio fuiſſet injuſta , quoniam Fideles , qui commodum ex ſacro miniſterio percipiunt, ad Altaris Miniſtros decenter ſuſtentandos omnibus , quæcumque tandem eæ ſint, auctoritatibus obligantur . Eodem accedit Urbani VIII. Bullam ad Sæculares tantum Presbyteros pertinere , qui quidem privatam utilitatem quærerent , non autem ad Congregationes univerſas, quæ Eccleſiæ emolumentum , & generale Fidelium bonum procurant .

IV. Allegati Theologi non ita ſunt oppoſiti, ut contenditur , quoniam fatentur & ipſi Pontificem , & Epiſcopos juſtis de cauſis Miſſarum numerum reducere poſſe . Jam vero, inquit Bonacina : *Sicut ſummus Pontifex poteſt ex juſta cauſa Miſſas reducere , ita etiam poteſt concedere , ut unum , vel pauca Miſſæ ſacrificia offerantur* . Præterea illud omnes unanimi ſententia pro certo habent inter retributionem , & congruam Miniſtri ſubſiſtentiam juſtitiæ æqualitatem eſſe debere , & Bonacina non alia de cauſa eleemoſynam pro Miſſa , quæ celebrata non fuerit, oblatam reſtitui vult, quam *ut hoc pacto tollatur inæqualitas , & occurratur damno illato* . Cabaſſutius docet hac in re commutativam juſtitiam locum habere , eoſque tantum condemnat , qui *poſt acceptum pro Miſſa juſtum & rationabile ſtipendium* , &c. Porro quinque ſolidos *juſtum & rationabile ſtipendium* eſſe dici nequit . Concludendum eſt igitur obligationem integræ Miſſæ pro quinque ſolidorum retributione celebrandæ injuſtam eſſe , quippe quæ ne ex parte quidem congruæ Sacerdotis ſuſtentationi ſufficiat . Denique juſtitiæ congruit integram Miſſam pro quinque ſolidorum duabus retributionibus celebrari, cum retributio ab Ordinario ſtatuta eſt , a juſtitia autem abhorret eamdem pro una tantum ſolidorum quinque retributione celebrari . Nituntur hæc omnia ſacris Litteris , & Traditione , ut mox conſtabit .

V. Accedit ratio , & quidem duplex . Prima eſt grave malum , quod evitari omnino non poteſt ; videlicet , exactis pro cujuſque Miſſæ ſtipendio , decem ſolidis, ea devotionis loca peſſum ibunt ; populus enim quinque tantum ſolidos tribuere ſolitus nil amplius offeret, nec amplius eo turmatim conveniet ; Presbyteri porro non amplius habentes, unde ſubſiſtant, abire cogentur . Idem orietur incommodum , ſi quot ibi Miſſæ celebrari poterunt , tot non amplius ſtipendia ſuſcipiantur . Fideles enim videntes , quas poſtulant Miſſas , haud ſibi concedi , non amplius de Miſſis petendis cogitabunt ; atque ita gloria , quæ in ſanctis ejuſmodi locis Deo exhibetur , quæque ei provenit ex miraculis , quæ ibidem perpetrat , honor , quem Beata Virgo, cæterique Sancti in cœlis regnantes inde percipiunt , Eccleſiæ Catholicæ ædificatio, peccatorum converſio, quæ ibi non raro contingit , ſanctificatio , & perfectio juſtorum, ſpiritualia & temporalia bona , quæ ibidem Fideles obtinent : hæc nimirum omnia penitus excident , nec ſine ſcandalo , ſi a praxi, quæ hactenus obtinuit, recedatur ; quia fideles mutationis cauſam inveſtigantes veterem conſuetudinem pravam & injuſtam fuiſſe ſibi perſuadebunt , quod ſane Eccleſiaſtico Ordini dedecus afferet .

VI. Altera vero ratio eſt congrua ſubſiſtentia , quæ in quovis Religionis genere Altaris Miniſtris jure debetur. Dabantur primitiæ Sacerdotibus antiquæ Legis , & Decimæ Levitis , qui decimarum decimas iiſdem Sacerdotibus perſolvebant. In nova Lege , quamvis omnino ſpirituali Chriſtus Dominus ſacrum Miniſtrum mercede dignum declarat ; nec ſolum ei victum deberi dicit , *dignus cibo ſuo* , ſed domicilium quoque tribui mandat, *ibi manete* . Evangelii ſui Miniſtris initio ſtatim prohibuerat , ne aurum & argentum , duas tunicas , & calceamenta deferrent . Quid ita ? Niſi quod ejus Miniſter dignus eſt , cui , quicquid opus habet, tribuatur . Hæc ſane vis eſt conjunctionis *enim* ; *dignus eſt enim operarius cibo ſuo* ; quod a D. Luca dicitur *merces* , ſtipendium ſcilicet , & compenſatio , quæ ſtrictæ juſtitiæ titulo debetur ſecundum hæc D. Pauli verba : *Ei , qui operatur , merces non imputatur ſecundum gratiam , ſed ſecundum debitum* . Idem Apoſtolus ipſis id juris eſſe contendit , ut habeant, cujus opera utantur : *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi* ? Porro quinque ſolidi poſſuntne , quæſo, quicquid eſt neceſſarium , conficere ? Nonne Apoſtolus videtur eos alloqui , qui eam retributionem æquo animo ſuſcipi volunt, dum inquit : *non alligabis os Bovis trituranti*, nempe Miniſtro, qui non modo Sacrificium offert , ſed confeſſiones audit , hortatur, inſtruit fidelem Populum, ac cæteris , quæ ſuperſunt , horis ad ea præſtanda ſe comparat , eique ita ſe totum devovet ?

VII. Nonne concludendum injuſtitiæ reum eſſe , qui velit , celebrantem ſolidis quinque contentum eſſe, & e converſo veri nominis juſtitiam eſſe plures retributiones conjungi , atque ita celebranti neceſſaria ſuppeditari : *Hoc pacto* , inquit Bonacina , *tollitur inæqualitas* . Id ſane *non ſumitur* , ut loquitur D. Thomas, *tanquam pretium mercedis , ſed tanquam ſtipendium neceſſitatis* . *Unde* , pergit idem S. Doctor , *ſuper illud* 1. *ad Timotheum* 5. *Qui bene præſunt Preſbyteri , dicit Gloſſa Auguſt. accipiant ſuſtentationem a populo , mercedem diſpenſationis a Domino* .

VIII. Non propterea tamen malum faciendum eſt, ut bonum eveniat, ſed monendus eſt populus , ne circumveniatur , ſeu decipiatur . Id nimirum objicitur . Ad quod reſpondetur I. ejuſmodi populum adeo rudem eſſe , ut iis excipiendis admonitionibus impar ſit , ac futurum , ut a loco ſancto averteretur , & omnibus , quæcumque inde percipit , emolumentis privaretur . II. bonæ fidei non deeſſe , quiſquis & ipſe juſtitiam exercet , & ut ab aliis exerceatur , in cauſa eſt ! Nam bona fides , fidelitas, & veritas tres ſunt juſtitiæ partes , quas Theologi potentiales appellant , quæque in ejus quidem idea continentur, ſed eam cumulate non exæquant ; veritas quippe ad alterum quidem eſt , eique reddit , quod debetur ; juſtitia vero æqualitatem perfectam addit . Cum ergo alicui tribuitur , quod juſtum eſt , id non negligitur , quod veritas eidem debet ; ſita eſt in eo veritas , ut proximo quæ debetur, cognitio tribuatur ; non debetur autem cognitio , qua conſtat eum contra Dei gloriam , contra Eccleſiæ generale , & ipſius ſalutis privatum bo-

bonum

num esse absurdum. III. Esto justitia & veritas duæ dicti nctæ leges essent, quæ ambæ variis temporibus implendæ essent; cum tamen ambæ uno eodemque tempore impleri nequeunt, nobilior implenda est, altera vero non obligat. Itaque Confessarius interrogatus, id quod ex Confessione tantum scit, inficiatur; ita etiam me charitas adigit ad conjurationem, quæ in ejus vitam struitur, proximo detegendam, quamvis in aurem mihi commissa fuerit. Non alia ratione quia nobilior est veritate justitia, hanc equidem servo, cursque servandam, de ea interim non sollicitus.

IX. Sed, inquiunt, novam sibi legem, novamque obligationem imposuit, qui de solidis quinque pro Missa, & quidem in eo devotionis loco celebranda convenit. Ut enim est in Juris regula, *contractus ex conventione legem accipiunt*. Ad quod respondetur eam regulam tum solum locum habere, cum conventio justitiæ regulis conformis est. Id ni ita esset, usurario jus foret percipiendi lucri ex pecunia, quam mutuam dedit, postquam de ejus solutione cum debitore convenit; ita qui se malum facturum jurasset, aut promisisset, vi promissionis ac jurisjurandi id facere posset, atque adeo deberet. Conventio igitur nec legem facit, nec obligationem inducit, si justa non est. Probatum est autem injustitiam esse, Deo judice, integram Missam exigi ob retributionem, quæ ad sustentandum Altaris Ministrum satis non sit. Ad celebrationis locum quod attinet, de quo pariter conventum est, non magis ea conventio vim legis habet, cum sit impossibilis, tritumque sit illud, *nemo tenetur ad impossibile*. Quemadmodum autem ejus executio obtineri nequit, ita nec respui potest, quin universa loci devotio, & omnis inde proveniens utilitas de medio tollatur. Inita quidem est conventio cum Fundatoribus, eorum fundationibus acceptatis; Contractus fidei publicæ testibus firmati sunt. Tridentina tamen Synodus nec ullam legem, nec bonam fidem violari censet: quod plures Missæ cum simplicibus Collectis commutentur. Quid ita? *Quia hoc pacto tollitur inæqualitas*. Conventionem eam retributionis tenuitas injustam efficit.

X. Additur, non solum Peregrinorum intentioni non responderi, sed eos etiam utilitate privari, quam ex Sacrificio, quod afferendum curant, percipere debent. Sunt sane loca, quæ potissimum elegit Deus, in quibus sibi, Matri suæ, Sanctis peculiaris honor exhiberetur, & quorum gratia largitur beneficia bene multa, quæ alibi non concedit; illud quoque est æque certum fideles illuc accedentes quædam exposcere, quibus indigent in præsentia, quæque alio proinde tempore opportuna non essent. At huic postremæ circumstantiæ, & huic incommodo facile remedium afferri potest, exploratis intentionibus, causis, & finibus, quibus fideles ad Sacrificium postulandum adducti sunt, iisdemque præpositis Missis omnibus ibidem celebrandis; & quoniam ejusmodi urgentes indigentiæ haud ita multæ sunt, iis poterit satisfieri, quin, iisdem ob ingentem retributionum jam receptarum numerum rejectis, devotio lædatur.

Præterea sperare juvat fore, ut Deus, quæ ejus bonitas est, tunc id perficiat, quod per Prophetam promisit verbis hisce: *Præparationem cordis eorum audiet auris tua*, & impleat eorum vota ac postulata, antequam ea ipsi impleverint externa specie per oblationem Sacrificii, quod in antecessum ejus Præscientiæ oculis præsens est. Quamvis enim peregrinatio, preces, statim obtinendæ Sacrificii celebrationis intentio, & Sacrificium ipsum quoad homines tempore, ac forsan loco dissita sint; quoad Deum tamen, qui nec temporibus, nec locis subjectus est, sed omnia in se ipso tempora & loca complectitur, ea omnia conjuncta sunt, & simul fiunt in ejus æternitatis præsentia; ac si veteris Testamenti Patres justitiam adepti sunt intuitu mortis Christi, cujus Sacrificium in temporum plenitudine delitescebat: quid ni beneficia concedat Deus intuitu Sacrificii ad aliquot menses dilati; & jam obla-

Lamet Tom. II.

ti in eorum voluntate, qui sibi illud expostulant?

Addo & illud huic Sacrificio nihil deesse, quo Peregrinis utile sit; neque enim locus ipse per se ab orationibus & Sacrificio sejunctus gratias obtinet, quæ petuntur, sed peregrinatio, preces ibidem peractæ, intentio adorandi Divini Numinis, & Sanctos colendi, quos ibi Deus honorari vult, denique Sacrificium ipsum per se, & proprii meriti vi; ut enim ait Bonacina, *Missæ Sacrificium æque prodest omnibus quoad impetrationem*, nec suum valorem ac meritum ex loco trahit, ubi offertur. Ad extremum si quid adhuc supplendum erit, supplebitur, ut monet idem Auctor, *per communicationem bonorum operum Monasterii*, & quod idem est, & facit ad rem nostram, per Ecclesiasticæ Congregationis preces, functiones sacras, benefactorum commemorationem, quæ in omnibus Sacrificiis ibidem oblatis peragitur.

XI. Huic, quantulacumque est, declarationi finis imponi potest ea fere disputatione, qua utitur D. Thomas, (*a*) ad Beneficiorum pluralitatem quod attinet. Eam quippe pronuntiat S. Doctor nec absolute malam esse, nec ex eorum genere, quæ promiscue se habent, sed mali speciem præseferre, quæ statim evanescit, atque ei adjunctæ sunt congruæ circumstantiæ, cujusmodi sunt Ecclesiæ utilitas ac necessitas, dispensatio rationi consona, vel recepta consuetudo. Idem statui potest de praxi, quæ præ manibus est; ne dum enim ea mala sit, efficit potius, ut res ad justitiam redigantur. Quamvis autem specie tenus sinceritati, veritati, & Peregrinorum intentioni contraria videatur; cum tamen alia agendi ratio cum iis institui, simulque loci dignitas servari non possit, cum justitia, quæ malam fidem pati nequit, exerceatur; cum denique Missarum stipendia ad Episcopi taxationem redigantur, & consuetudo in iis devotionis locis instituta mutari nequeat, quin ibi quicquid agitur boni, funditus evertatur: omnia proinde recta evadunt, & quæcumque prima fronte occurrebat, mali species disjicitur.

XII. Et sane si, quod Doctorum decisio statuit, id adeo malum esset, ut malam fidem, injustitiam, & restitutionis obligationem involveret; fieri ne posset, ut Deus ita se propitium ibidem præberet, ut Ministrorum suorum preces ibidem audiret, eorumque sacrificia adeo sibi accepta esse significaret, ut ipsorum gratia tot singularia beneficia concederet, & multorum annorum spatio, ex quo quidem ea praxis obtinet, tot mirabilia patraret, quibus plurimæ verbales sententiæ fidem faciunt?

Denique D. Paulus nos sane monet nihil non faciendum, ac tolerandum non esse ad scandalum impediendum, qui toto vitæ tempore carnis usum sibi interdicit, si frater scandalum patitur. Quamquam ea quidem praxis scandali nihil afferre videtur, quoniam Fideles ex tot annis ea pietatis loca tanta cum fiducia, ac devotione frequentant.

At enim, inquiunt, ignorant Peregrini, quid praxis obtineat; quod si Urbani VIII. Decretum est proprie dicta decisio ad universam Ecclesiam spectans, ei omnes obsequi debent. Id nimirum est, quod probari, & confirmari necesse esset.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ (*b*) subscriptum censet, antequam Sacerdotibus, de quibus sermo est, indigitetur, quid in proposita facti specie servare debeant, e re fore satisfieri nonnullis quæstionibus in Libello supplici propositis, & rationibus, quibus illi fulcire conantur eam praxim, quam quoad Missas ex Peregrinis undique eo convenientibus sibi quotidie injunctas, & celebrationis data fide susceptas hactenus custodierunt.

Respondetur igitur,

Ad quæstionem primam, ejusmodi Sacerdotes in iis devotionis & peregrinationis locis degentes non posse legitime majora Missarum onera suscipere, quam non modo utcumque iis satisfacere, verum etiam & loco & die, quam Peregrini potissimum

I 2 postu-

(*a*) Quodlibet 9. art. 15. cui subscribunt Navarrus, & Lessius.

(*b*) Responsio præliminaris ad quædam in libello supplici quæsita, & ad rationes, quibus sa tuentur.

postulant, vel ipsi per se celebrare valeant, vel per alios; atque omnino opus esse, ut Sacrista suscipiendis ejusmodi Missis præfectus Peregrinos commoneat, præ Missarum multitudine, quibus Sacristia obstricta jam est, iis, quas ipsi requirunt, seu quoad locum, seu quoad rempus satisfieri non posse.

Id certum apparet, præsertim post Decretum Congregationis Cardinalium, approbatum, confitmatumque ab Urhano VIII. an. 1625. quod in Bullatio *n.* 45. inter alia ejusdem Pontificis Decrera refertur. In eo Decreto §. 8. ita statuitur: *Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demam accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova qaoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab ejusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futuram recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis, cum inscriptione,* (Eleemosynam pro Missis) *vel alia simili, sub pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.*

Illud hoc loco animadvetti potest, si, quod Sacrista noster contendit, aliis Presbyteris forte fortuna transeuntibus earum Missarum celebratio mandari posset, quibus in devotionis loco satisfieri non potest, nil causæ fuisse, cur allatis Decreti vetbis prohibeterur, ne Presbyteri novæ Missarum onera susciperent, nisi veteribns satisfecissent, quoniam semper inveniri possunt Presbyteri, qui easdem Missas alibi celebrent.

Non ergo ea Decreti mens est, ut suscipiantur Missæ, quarum deinde celebratio non in ea, in qua susceptæ sunt, Ecclesia, sed alibi peragatur, quoniam Peregrini eam Ecclesiam potissimum elegerunt ob mirabilia, quæ Deus ibidem perpetrat in eorum gratiam, qui adveniunt devotionem suam erga Beatam Virginem testaturi. Sane Deus certis quibusdam in locis, in quibus Sanctos suos honorari vult, beneficia tribuit, quæ alibi non concedit; in iis præsertim locis, quæ Beatæ Virginis honori dicata sunt, ut nimirum Fidelium devotionem erga suam sanctam Matrem vehementius excitet. Praxis ipsa Fidelium sancta ea loca ex dissitis regionibus passim invisentium, magnæ eorum fiduciæ, ad singularia ea beneficia quod attinet, satis firmo argumento est.

Hinc illud conficitur, Missas, quas in sanctis iisdem locis Peregrini sibi postulant, ibi celebrandas esse pro eorum intentione, & non alibi; aliter enim iis satisfactum esse non censeretur. D. Carolus in quarto Mediolanensi Concilio ita statuit in hanc rem: *Quicumque Sacerdos in Altari certo Missam celebrare debet, si in alio celebrant, ne, quod debet, præstitisse censeatur, nisi Episcopi, alteriusve, cui ille id curæ commiserit, jussu, concessu, permissave aliquando fecerit.* Verba hæc referuntur in Actis Mediolanensibus *l.* 4. *de Missis sine canta* a. 14.

Sylvester *v. Missæ* 1. *q.* 10. *ad fin.* hæc habet: *Si etiam promisisset* (Sacerdos) *Missam de Spiritu Sancto, vel in tali loco, & diceret alias, vel in alio loco, infideliter ageret contra promissum, & non satisfaceret.*

Navarrus *in Man. c.* 25. *n.* 135. rem eo deducit, ut ita pronuntiet: *vigesimo tertio peccat mortaliter, qui non dicit tot & tales Missas, quot, & quales, & quo in loco tenetar, absque justo impedimento.* Auctores alii, qui strictiores non audiunt, hanc sententiam tuentur, ut Bonacina *de Sacram. Euchar. disp.* 4. *q. ult. pag.* 7. §. 4. *num.* 2. & Diana 2. *p. tract.* 14. *resol.* 29.

Frustra autem objicitur Sacerdotes in eo devotionis loco degentes iis omnibus Missis, quæ ibidem petuntur, satisfacere non posse, ac proinde curare posse, ut alibi celebrentur. Etenim respondetur, eos fere prævidentes fore, ut, quæcumque petitæ sunt Missæ, ibi celebrari nequeant, non debere juxta verba superius allata Decreti Urbani VIII. nova Missarum onera subire; & in hoc quidem iidem Presbyteri graviter peccant, Peregrinorumque intentioni satisfacere non censentur.

Auctores in medium adducti, aliique apud ipsos bene multi Peregrinorum stipendia pro Missis in eo devotionis loco celebrandis offerentium cogitationes imperfectas esse, minusque rectas, quas proinde Sacrista in ordinem redigere possit, ut contenditur, quin Peregrini commoneflant, easdemque Missas alibi celebrari consentiant; sed illud potius pro certo habuerunt eas ibidem pro Peregrinorum intentione dicendas esse; secus infidelitatem existere, graviterque peccari.

Atque ut res ad principium exigatur, extat Juris regula, quæ 85. est, & ita habet: *Contractus ex conventione legem accipiunt*, scilicet ex conventione partium, unde oritur actio eorum executionem petendi. Monendum hoc loco non creditur hanc regulam, cum Juris sit, de iis tantum rebus accipiendam esse, quarum legititima possit esse conventio. Si Peregrini pecuniam tribuunt, ut eo in loco, eoque die, quem postulant, Missæ celebrentur, & pecunia accepratur ea conditione, seu expresse, nempe obstricta fide, seu tacite, scilicet accepta pecunia, nullis dictis, & quia constat ipsos ea conditione pecuniam tradere, secus non traditutos; non satisfit bonæ fidei quoad ipsos, atque initæ conventioni, si prout receptæ sunt, Missæ non celebrentur. Iis enim Presbyteris liberum est, ut Peregrinorum retributionem quantumvis modicam vel accepten, vel respuant. Dum igitur eam acceprant, censentur cedere, vel remitrete jus, quod habent, petendi solidos quinque, quæ Diœcesana pro singulis Missis taxatio est, & in eo quidem nihil a justitia alienum occurrit. Id expressis verbis tradit Bonacina *disp.* 4. *ult. punct.* 7. §. 2. *n.* 8. ubi quærit, an Sacerdos, pluribus modicis rettibutionibus acceptis, possit satisfacere unius Missæ celebratione, vel reducere Missarum numetum, quas, iis modicis retributionibus acceptatis, se celebraturum receperat. Respondetque hunc Sacerdotem non posse eas Missas reducere, sed teneri integrum Missæ fructum ei, qui Missam petiit, applicare, eamque juxta ipsius intentionem offerre: *Cum autem juxta consuetudinem tradi soleat eleemosyna, applicetur Missa juxta mentem tradentis eleemosynam, qui præsumitur velle totum sibi Missæ valorem applicare, nec posse Missarum numerum diminuere; tum quia Sacerdos debet sibi, suæque imprudentiæ incommodum imputare, ob exiguam eleemosynam; nam censetur voluntarie cessisse juri suo, quo poterat eleemosynam exigere juxta taxam, tum quia sicut tenuem acceptans Capellaniam quotidianam, tenetur ad onera illius Capellaniæ, donec numerus Missarum redigatur a legitimo Superiore: ita qui promisit Sacrum exigua contentus stipe, tenetur totum Missæ valorem applicare usque ad numerum petitum.*

Sequitur ex hoc principio,

I. Antequam contrahatur, eos, quibuscum contrahitur, monendos esse, si fieri nequeat, quod postulant, & ratione, qua postulant, vel id prevideatur; bona fides, ac rectitudo, qua ii potissimum se gerere debent, qui Deo se devoverunt, id postulant. Non igitur alia ratione contrahentium intentio explicanda est, quam prout cum ipsis conventum est, cum explicare se possunt, & in id consentire, quod in eorum gratiam in melius (ut quidem contenditur) fieri potest. Ad Ecclesiæ Superiorem, exempli causa ad Episcopum pertinet in aliquibus casibus fundationes a Fidelibus statutas mutare, ut monet Tridentina Synodus *Sess.* 25. *c.* 4. *de reform.* & eorum intentionem interpretari; sed extendendum non est jus hoc ad Sacristam, qui nullam officii sui titulo jurisdictionem obtinet in Ecclesia ad Fidelium intentionem explicandam.

II. Missarum celebratio in alium diem, quam Peregrini postulant, differri non potest, ipsis non monitis; Superior ipse id facere non posset; multo minus Sacrista. Quod autem ii, qui devotionis locum administrant, vererentur, ne Peregrini non amplius accederent, si monerentur Missas, quas postulant, celebrari non posse, atque ita peregrinatio defervesceret, id vero non satis evincit eorum consensum petendum non esse. Et sane Urbanus VIII. in Decreto, quod supra citatum consequitur, rotundis verbis declarat, Missas, quas Peregrini petierunt, absque eorum consensu differri non posse, cum fides ipsis obstricta est, quamvis futurum dicatur, ut loci cultus imminuatur. Ita porro Cardinalibus quæstio proponitur: *Decimo quinto; an Administratores Ecclesiæ magnæ devotionis, & concursus possint Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis nonnisi post longum tempus satisfacere valeant,*

ac

ne aliae cultus, & devotio, ac concursus Fidelium, ut ajunt, minuatur. Ejusmodi est autem Cardinalium responsio, quam quidem Pontifex probat: *Ad decimum quartam, non posse differri, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt.*

Sacrista, de quo supra, sententiam suam eo deducit, ut contendat, etiamsi celebratæ Missæ non essent, nisi postquam cessavit causa, propter quam postulatæ sunt, perinde tamen fore, eas scilicet non minus utiles fore, causa exempli post litis exitum, vel post ægrotantis mortem, quam si antea celebratæ fuissent; propterea quod Deus Peregrinorum intentionem spectavit, & Sacrificium nonnisi elapsa occasione, ob quam postulatum fuerat, oblatum in antecessum compensavit. Propositio hæc videtur propugnari non posse, & abhorrere a praxi Fidelium, qui de Missarum, quas sibi postulant, celebratione sunt valide solliciti; quod argumento est eos credere Missam urgentis negotii tempore celebratam sibi magis prodesse, quam si postea celebretur.

Cabassutius sane ne dum allatæ propositioni suffragetur, eam potius explodit, dum *l. 6. c. 13. n. 18.* ita pronuntiat: *Restituere tenetur Sacerdos Missarum stipendia, quibus non satisfecit, aut quarum celebrationem nimium distulit, adeo ut verisimiliter non profuerit secundum specialem intentionem ejus, qui stipem dedit, ut si ad obtinendum aliquem successum petita Missa fuerit, eo usque dilata, ut occasio praterierit ante celebrationem; sic enim frustrata per Sacerdotis culpam intentione potentis, non potest retinere stipendium oblatum, quin violetur commutativa justitia.*

Bonacina, cujus Moralis inter severiores non recensetur, hanc sententiam amplectitur *Disp. 4. q. ult. p. 7. §. 5. nu. 2. & 3. de Sacram. Euchar.* aitque Presbyteros, qui Missas differunt, quæ urgentibus de causis petuntur, peccare mortaliter.

De Missis igitur, quæ ob urgentes causas postulatæ sunt, id asseri nequit, quod vulgo dicitur de Christi Domini morte, ac de sacrificio, quod obtulit in Crucis ligno, quod quidem anticipatum effectum habuit quoad eos, qui Divini Filii mortem antecesserunt, & cujus meriti participes illi fuerunt, vel multo antequam Incarnationis opus perageretur. Si enim fructum mortis Christi multo antequam ipse in Mundum veniret, & pro humani generis salute eamdem offerret, homines perceperunt; id eo factum est, quod inter æternum Patrem, & divinum Filium ita convenerat, vel Pater ipse ita potissimum ordinaverat, ut ait D. Petrus *Epist. 1. c. 1. v. 20.* atque ita Filium suum, antequam mundum conderet, prædestinaverat: *Præcogniti quidem ante constitutionem mundi; manifestati autem in novissimis temporibus propter vos.* Itaque ad Dei bonitatem spectavit, ut homines, qui ante Incarnationem vixerunt, meritum mortis Christi participarent; ac re quidem ipsa participarunt; id quod sibi voluit Joannes, cum dixit Apocalypsis *c. 13. v. 6.* Agnum hunc sine macula *ab origine mundi occisum* fuisse. Ut verbo expediam, id nos docet fides; at nulla nos sacrarum Litterarum, nulla Sanctorum Patrum auctoritas certos reddit, eamdem ex Missis effectum percipi, quo tempore petitæ sunt, seu non celebrentur omnino, seu tantum longo post tempore, quam occasio, ob quam petitæ sunt, præteriit, celebrentur; id enim quæritur in præsentia, non autem an Peregrini, dum Missas efflagitant, ita animo comparati sint, ut aliquod apud Deum meritum habeant.

Tertio loco quoniam Missæ Peregrinis, & eo quidem in loco promissæ sunt, conventio servanda est. Nec se purgare Sacrista potest, inquiens se in melius conventionem mutasse tam quoad Peregrinos, tum quoad locum; quoad Peregrinos quidem, quoniam præter fructum Missarum, quæ pro ipsis a Presbyteris transeuntibus, quamvis alibi, celebrantur, omnium quoque orationum, bonorumque operum, quæ in eo Peregrinationis loco peraguntur, participes sunt; quoad locum vero, quia ita ei honor, & frequentatio servatur, cum contra ejus cultus magnopere imminueretur, si Peregrini monerentur in ea Peregrinationis Ecclesia Missas, quas postulant, celebrari non posse, quia ita illi removerentur.

Etenim respondetur, Sacristam, de quo quæritur, nulla auctoritate pollere, ut hanc commutationem instituat. Peregrini porro nullum ei jus dedere mutandi, quod petierunt, quodque ipsis promissum fuit; ut proinde, quia is, qui cæteroquin suarum actionum dominus est, potest, quod emisit, votum in melius mutare, non propterea concludi possit id æque licere tertio, cujusmodi Sacrista est. Denique ex pluribus bonis, quæ sese offerunt, cuique liberum est eligere pecunia sua, quod maluerit, atque adeo minus perfectum, quin ejus intentio legitime vituperari, & ipso non commonefacto, mutari possit.

Ad secundam. Standum est eorum intentioni, qui nonnisi quinque solidos pro Missa dederant, tametsi Diœcesis taxa sit decem, si Sacrista quinque solidos acceptans Missam promisit. Decretum Congregationis Cardinalium ab Urbano VIII. probatum in hanc rem disertum est §. 2. *Sub obtestatione divini judicii mandat, & præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Verba hæc singula sunt ponderanda.

Ac duo quidem in allatis verbis animadverti possunt. I. Pontifex absolute mandat, ut Missa celebretur, quantumvis exiguum stipendium sit, cum Missa a Sacrista petita est, & ipse pecuniam acceptavit. Non ait Pontifex, cum Sacrista eam Missam promisit; etenim promisisse censetur, statim ac, Peregrinis postulantibus, pecuniam accepit, & omnino conticuit. Præterea per hæc verba, *sub obtestatione divini judicii mandat, & præcipit*, ostendit Pontifex abusum, quem proscribit, in Ecclesia tolerandum non esse, seque de eodem evellendo, ac penitus extirpando summopere sollicitum esse.

II. Id præterea venit animadvertendum, eos, qui pro duabus Missis retributiones duas, quamvis modicas receperunt, & unam tantum celebrandam mandarunt, ad restitutionem teneri; quæ quidem restitutio ex regula vulgo recepta in pauperum gratiam facienda est, cum ii, quibus potissimum facienda esset, non cognoscuntur; ita ut non dicat Pontifex satisfactum iri, si Missæ, quæ celebrandæ erant, suppleantur.

Frustra autem opponitur, ad eludendam Decreti vim, Urbanum VIII. non credidisse mendacii fraudis, & malæ fidei reum esse, qui pro Missis pluribus pecuniam accipit, & unam tantum celebrandam committit; quoniam in eo ipso Decreto §. 3. revocat Pontifex, inquit Sacrista, privilegia nonnulla Societatibus Regularibus, aliisve concessa, ut per aliquas Orationes, seu Collectas in aliquibus Missis recitandas pluribus, iisdemque fundatis Missis satisfacere possent; quod argumento est nihil veritati, rectæque agendi rationi contrarium fieri, celebrata pro multis exiguis stipendiis una Missa, quamvis multiplex promissa fuerit. Secus enim Urbanus VIII. in eo suos Decessores damnasset, quod contra veritatem agendi facultatem tribuissent.

Nempe respondetur I. post allatum Urbani VIII. Decretum saltem indubitatum esse non amplius hoc quidem tempore plura parva stipendia ita conjungi posse, ut cum Diœcesis taxatione conveniant, & unam porro Missam celebrandam mandare, quamvis Peregrini pecuniam tradentes peculiarem sibi quisque Missam petierint; ac nimirum ita se gerere necquicquam aliud esse, quam huic Decreto adversari; II. tantum abesse, ut Urbanus VIII. modicarum plurium retributionum reductionem veritati, justitiæ, bonæque fidei minime repugnare crediderit, ut potius in allati Decreti Præfatione super articulis, quos proscribit, ita pronuntiaverit: *obstricta benefactoribus fides violatur . . . . . Christi fideles gravi scandalo afficiuntur*; & singillatim ad propositam difficultatem descendens: *quinimo peccent, & ad restitutionem teneantur*. Quæ sane loquendi ratio probat I. eam Bullam non ad singulos tantum Presbyteros, sed ad societates universas spectare; gravius porro scandalum, graviusque proinde peccatum esset huic eidem praxi, quam Urbanus VIII. damnat, societates insistere; II. ex ejusdem Decre-

ti verbia haud consequens fieri damnatos esse a Pontifice Decessores, quasi vero bonæ fidei ac justitiæ contraria permiserint. Respondetur enim tertio loco ea indulta & privilegia, quæ nonnullos Pontifices quibusdam Communitatibus, aut potius Regularibus quibusdam Ordinibus concessisse contenditur, ut nempe Missarum obligationibus per aliquas inter celebrandum Collectas ant Orationes satisfacerent, subreptitia esse, & cum causæ cognitione concessa non fuisse, eosque proinde, qui ea consecuti sunt, Poutificibus imposuisse.

Ita sentit Fagnanus *in cap. Significatum, de Præb. n. 37.* dum inquit: *cavendum est omnino, ne quis utatur hac concessione*, (loquitur aurem de simili concessione, quam ajunt Leonem X. Ordinis Minorum Fratribus tribuisse) *quia revera nullius est valoris, prout multi & celebres Theologi & Jurisperiti super hoc consulti responderunt, & constat eam fuisse subreptitie obtentam*. Portellus ex Ordine Fratrum Minorum *v. Missa a. 6. dub. Regal.* hæc habet: *Cavendum omnino a concessione, qua Leo X. in compendio v. Missa concessit Minoritis, ut pluribus Missis possint satisfacere cum una, quando pro quavis Missa tenuissima Eleemosyna datur: hæc enim concessio non fuit in usu, neque in Ordine practicata, ut ibidem advertit Collector Minorita*.

Quæ cum ita se habeant, Leo X. Urbano VIII. legitime opponi nequit, & qnia non desint Auctores, qui putent Pontificem in aliquibus casibus statuere posse, ut per unius Missæ celebrationem, vel Collectæ inter celebrandum recitationem pluribus Missia satisfiat, ideo Bullam Leonis X. subreptitiam habendam nou esse. Etenim respondetur magnopere dubitari, utrum, si Pontifex eam reductionem statueret ea ratione, qua Leo X. eam instituit, in casibus ab eo diversis, quem Tridentinum Concilium proponit, eorum Auctorum doctrinam Presbyteri, de qnibus sermo est, admittere velint.

Ut ut res habeat, arrogata Bulla Leonis X. non est opponenda Urbani VIII. Decreto, quod maximam æquitatem præsefert, eo tendit, ut graves abusus in Ecclesia grassanres de medio tollantur, & prærerea omnia contraria a summis Pontificibns antea concessa privilegia revocat.

Hoc autem Decretum non Ultramontani tantum, sed nostri quoque Auctores recipiunt, exempli gratia Cabassutius, Sylvius in D. Thomam *in 3. p. q. 83. a. 1. q. 17.* Gonetus *disp. 11. art. 6. nn. 10. & 14. de Sacrif.* Frassen *tom. 4. pag. 617. de Missæ Sacrif.* & vim legis habere putant, ut proinde prætendi nequeat idem Decretum receptum non esse.

Neque vero dici porest, quod ait Sacrista, Decretum hoc ipsum ad disciplinam tantum spectare, quæ quidem mutationi obnoxia est, ita ut praxis eidem opposita ab initio sancta esse potuerit, & decurrentibus tamen temporibus abusus evaserit; siquidem in facti circumstantiis Urbanus VIII. pronuntiat Decreto suo graviter peccatum esse, nbligationi per praxim contrariam satis non esse factum, & justitiam violatam esse, atque adeo restitntionis obligationem induci: *suæ obligationi non satisfaciunt*, ejus verba sunt, *quinimo graviter peccant, & ad restitutionem tenentur*, cum initio statim de se dixisset: *Satagite teterrimum abusum e Republica Christiana convellere, atque eradicare*. Concluditur ergo disciplinam allato Decreto contrariam induci non posse.

Ad tertiam quæstionem quod attinet, majus pro Missis stipendium exigi nequit, qnam generali Diœcesis taxatione statutum fuerit; nam communi sententia, & ex consuetudine jus definiendæ Missarum retributionis ad Ordinarium spectare. Et sane juxta Tridentinæ Synodi menrem *Sess. 22. de evit. & observ. in celebrat. Miss. & sess. 25. c. 4.* id juris ei cnmpetere debet, quoniam qnæcumque ad Missæ celebratinnem spectant, ab eadem Synodo ejus nutui subduntur. Potest quidem infra taxationem accipi; si enim gratis pro aliquo celebrari licet, potest proinde ab eo quicpiam accipi, quod Diœcesis taxatione minus sit.

Hoc posito, si Sacrista in suo codice inveniat quinquaginta libras pro Missis ducentis, quas Peregrinis promisit, eas celebrandas curare debet; id enim ex hactenus dictis sequitur. Quod si nonnisi quinquaginta celebrandas mandat, restituere debet, quod superest, hoc est librarum quinqnaginta tres quartas partes, cum Missas ducentas, singnlas pro quinque solidis celebrandas susceperit. Ea porro restitutio Peregrinis facienda est, siquidem innotescant; si minus, in pauperes est eroganda. Omnino adeundus est Ordinarius, ut, cui tandem restituendum sit, ex eodem intelligatur.

Cæterum contendi non porest, ut in supplici libello proponitur, ad tuendam devotionem, qua in iis sanctis Peregrinationis locis Deus honoratur a Fidelibus turmatim undique convenientibus, necesse esse, ut plures Missæ, Sacerdotum defectu, jungantur, aut alibi celebrandæ mandentur; Peregrinos nempe, si quas petunt, Missas celebrari, & qnod offerunt, acceptari non posse moneantur, non amplius ea devotionis loca frequentaturos, ac pedetentim devotionem omnem interituram.

Respondetur nimirum rationem hanc Urbano VIII. non satis firmam visam fuisse, vel ut in longum tempus Missarum celebratio differretur, vel ut ex Missis pluribns una conficeretur, ut supra in responsione ad quæstionem primam declaratum est. Et sane nnnquam licet in boni gratiam malum fieri, obstrictamque fidem, & id de quo convenit, non servari, ut Sanctuarii devotio custodiatur, & quominus Fideles eo se conferre desistant, impediatur.

Ad quæstionem quartam respondetur Presbyteros iis sanctis locis deservienres non posse, ut ex hactenus dictis constat, consnetudini, in qua versantur, insistere; si enim ex una parte Fidelium nndique advenientium pietate ibi honore afficitur Beata Virgo, dedecus ex alia offertnr Deo, Ministrorum mala fide, atque injustitia, necnon eorum scandalo, qui non ignorant, quomodn satisfiat Missis, quæ in Peregrinorum singulorum gratiam celebrandæ quotidie suscipiuntur.

Si Sacerdotum ibi deservientium Communitas Ordinario subsit, ad enm accedendum est; sin minus ad Superiores Majores, ut, quid agendum ad praxim in ordinem redigendam, & Populorum pietatem fovendam, ex ipsis intelligatur; nisi forte id optimum factu videatur, quod in Alma Domo Lauretana fieri consuevit, ubi prostat Tabella, qua Peregrini Missarum stipendia offerentes monentur, nullam ibi Missam pro singulis celebrari, sed eos omnium Missarum, quæcumque in Sacello celebrentur, participes fore; aut nisi Peregriui ipsi de solidorum decem taxatione monendi videantur, ut proinde si sibi potissimum celebrari Missam velint, eam omnino, non minorem retributionem exhibere debeant, secns futurum, ut duplex solidorum quinque retributio conjnngatur, atque ita Missa, indigitato fere tempore, pro duobus una celebretur.

Ad quintam & postremam quæstionem respondetur Fagnanum, Cabassutium, Gonetum nnanimi sententia statuere Congregationis Cardinalium Decreta, quæ Sedes Apostolica probavit, confirmavitque, jamque in medinm allata snnt, in celebrationis Missarum negotio regulæ loco esse debere; ut proinde Gonetus *tom. 5. disp. 11. art. 6.* a. 14. *de Sacram. Euch.* pronuntiet post eorumdem Cardinalium ad Tridentinam Synodum interpretandam delegatorum declarationem ah eorum opinione, qui autumant pluribus modicis stipendiis unius Missæ celebratione posse satisfieri, quamvis tot Missæ promissæ fuerint, quot stipendia recepta sunt, tanquam minus tuto recedendum esse: *Sed post determinationem*, inquit, *seu prohibitionem prædictæ Congregationis Concilii nec est tuta, nec ad praxim reducenda*.

Sed Auctor in hoc negotio gravissimus Fagnanus est, quippe qui Congregationi, in qua ea Decreta edita sunt, a Secretis fuerit, ejusque proinde mentem ac sententiam optime, si quis alius, assequi debuerit; is ergo in *cap. Fraternitatem de sepult.* controversiam hanc ex professo ad trutinam revocans, an scilicet Missa pro pluribus oblata perinde iis prosit, ac si pro uno tantum oblata esset, & quod inde consequens sit, an unius Missæ gratia plnres eleemosynæ, quantumvis tennes accipi possint: concludit opinionem negantem fere apud Canonistas & Theologos obtinere; eorum testimonio producit, ac tandem postquam ostendit Sacrosancti Sacrificii fructum, qui ipse per se infinitus est, ex-

eer-

renſione tamen , & peculiari applicatione nonniſi finiti valoris eſſe, pronuntiat Cardinalium Congregationem , cum autea Theologos in conſilium adhibuiſſet, & pto tanti negotii tatione controvetſiam exagitaſſet , in ſententiam hac deſcendiſſe : *atque ita* , inquit , *conſultis Theologis , & articulo pro rei gravitate mature diſcuſſo, Sacra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum , hanc ſententiam poſtea ſecuta eſt , in iiſdem Decretis de celebratione Miſſarum juſſu SS. D. N. Urbani VIII. me Secretario, editis , & a Sanctitate ſua approbatis , & confirmatis* . Hoc eodem in loco nonnullas ſuper hac re difficultates expendit , enodatque auctoritate tum Decreti Urbani VIII. tum eorum , quæ Alexandro VII. Eccleſiam adminiſtrante , a Cardinalium Congregatione ſancita ſunt .

Ad Hurtadum , quod attinet , ne ejus doctrina io aliis capitibus , in qoibus longe maximam laxitarem præſefert , ad examen revocetur : haud temere dici poteſt , eum , qnod ad rem præſentem ſpectat , æquo ſane laxiorem eſſe ; cauſa exempli Numero 209. *tom.* 2. *lib.* 6. *pag.* 205. ſtatuit licere Presbytero retributionem accipere a petente, ut pro ſe oretur in Miſſa, quamvis cæteroquin idem Presbyter juxta alterius intentionem celebrare teneatur ; quod ſane Sacerdotum avaritiam fovet, & duplicis accipiendæ pro uon Miſſa retributionis anſam præbet , damnatumque proinde fuit Decreto Congregationis ſub Alexandro VII. *n.* 8. quod Decretum affert Cabaſſutius in Ptaxi *l.* 3. *c.* 13.

Numero 215. pag. 206. contendit poſſe Presbyterum retributionem accipere pro fructus , qui ſibi proprius & ſpecialis eſt , applicatione ; in quo nominatim refellitur a Diana ipſo *II. p. tr.* 7. *reſol.* 27. *Dico igitur ſeatentiam Hurtadi eſſe refellendam , nec in praxi reducendam , nec juſte poſſe accipi &c.* Conſuli poreſt Vericelli *tr.* 2. *q.* 29. Præterea appellata Congregatio ſub Alexandro VII. loco laudato hanc propoſitionem proſcribit : *Duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licite accipere, applicando petenti partem etiam ſpecialiſſimam fructus , ipſimet Celebrantis correſpondentem ; idque poſt Decretum Urbani VIII.* Cabaſſutius *l.* 6. *c.* 13. *num.* 19. docet Sacerdotem , qui pro Miſſæ fructu , qui ſibi ſpecialis eſt , applicando pecuniam accepit , ad reſtitutionem teneri .

Pluribus io locis , & præſertim *nn.* 442. & 451. *pagg.* 233. & 234. contendit Hurtadus juſtam, honeſtamque cauſam , quamobrem plura ſtipendia pro eadem Miſſa Sacerdos accipiat , quamvis id vetet Lex Eccleſiaſtica , ſive Sacrificii valot finitus ſit , ſive infinitus , tum præſto eſſe , cum gravi ille & urgenti neceſſitate laborat , quia de naturali jure tunc agitur ; id quod non modo de victu & veſtitu , inquit hic auctor *n.* 494. *pag.* 238. accipiendum eſt , verum etiam de emptione librorum , quibus Confeſſarius , aut Concionator ad obeundum munus ſuum vehementer indigeant : *Similiter ſi erit Confeſſar , Prædicator , aut Theologus , & indigeat libris , ſine quibus non poteſt populo , & proximo inſervire , & animabus proficere , poterit eos , qui ſimpliciter neceſſarii ſunt , emere , & eadem poterit ea ſtipendia accipere , &c.*

Docuerat antea *n.* 446. *pag.* 234. Regulares potiore jure quam ſimplices Sacerdotes ſtipendia plura accipere poſſe , ob emiſſum ſolemne pauperpatis votum , quo illi quidem peculiati ratione ſe Deo devoventes , ad orandum proinde pro populo ſunt aptiores , quam Presbyteri ſæculares .

Id autem eo deducit Hurtadus , ut putet *n.* 496. *pag.* 238. Sacerdotem , vel Communitarem , qni iis de cauſis , quas recenſet , ære alieno ſe obſtrinxerint , poſſe pro eadem Miſſa ſtipendia plura ſumere : *Si Sacerdos* , inquit , *vel Communitas Religioſorum habeat debita juſte contracta , ad congruam ſuſtentationem cibi & potus , habitationis , ornamentorum altaris , reparationis domus , & ſimilium , poteſt licite ſolvere ex Miſſarum ſtipendiis , quia hæc debita pertinent ad congruam perſonalem Sacerdotis* ; quod ſane de pluribus ſtipendiis in unam Miſſam reductis hic Auctor intelligit , ut verba , quæ præcedunt , quæque ſequuntur , aperte ſignificant .

His animadverſis , Presbyteri Peregrinationis loco , de quo ſermo eſt , deſervienres haud ſane cenſentur eam praxim , cui hactenas inſtitetunt , Hurtadi auctoritate tueri velle ; id enim ſi facerent , hujus Anctoris laxitas præjudicium foret ipſis minime ſavorabile , iidemque propterea non recte ſe gerere , ſummorumque Pontificum Decreta , & Eccleſiæ Leges non ſatis vereri merito viderentur .

Denique principia , quibus nititur Sacriſta noſter, ad tria potiſſimum rediguntur , quorum falſitas , aut conſecutionum , quas iude ipſe deducit , pravitas facile oſtendi poreſt .

Primum eſt , cum Pontifex , atque adeo ex Tridentina Synodo *Seſſ.* 25. *c.* 4. Epiſcopi poſſint Miſſas reducere , ea igitur in re nihil eſſe , quod injuſtitiam redoleat ; & quod inde conſequitur , Presbyteros ibidem degentes , ſeu potius Sacriſtam , eum Miſſæ ſingulæ ex Peregrinis ſuſceptæ celebrari nequeant , abſque peccato , & abſque injuſtitia poſſe plures ad onam reducere .

Si Sacriſta hic ad Ordinarium conſugiſſet , eiqoe cauſas omnes aperuiſſet , propter quas plura , quam ot ſatisfieri poſſit , Miſſarum onera quotidie ſuſcipit , Miſſaſque reducendas Epiſcopus judicaſſet ; ſi quid in eo peccatum eſſet , Sacriſtæ nequaquam imputaretur . Poſſet fortaſſe Sacriſta tatiocinatione ex Pontifice & Epiſcopis ducta ſuam praxim purgare ; ſed hactenus ad Epiſcopum non acceſſit , uec porro audet accedere ; dictum eſt autem non ſemel ita facto opus eſſe , cumque auctoritare ptopria nihil in hoc negotio aggtedi debere .

Additur & illud , Tridentinam Synodum de Miſſarum reductione ſtatuentem ejuſmodi Presbyteris nihil facultatis concedere , ut ex Miſſis pluribus unam conficiant .

I. Mandat Synodus , ot hæc reductio fiat Epiſcopi auctoritare ; hi vero Presbyteri ſua ipſorum peculiari auctoritate agunt .

II. Loquitur Synodus eo loci de fundationibus , Miſſiſve a Fidelibus teſtamento inſtitutis , quarum tam ingens numerus , & tam exiguum ſtipendium ſit , ur qui iis ſatisfacere velit , oon inveniatut ; hic vero de manualibus eleemoſynis ad Miſſas quotidie celebrandas oblatis agitut , de quibus Synodus ne verbum quidem . Et ſane in Urbani VIII. Decreto hæc duo Miſſarum genera diſtinguuntur ; primi generis Miſſæ quæ fundationis ſunt , ea ratione reducendæ mandantur , quam loco laudato Concilium præſcribit ; quoad quotidianas autem Miſſas non idem præcipitur , ſed potius ſtatuitur , ne quid ſtipendii accipiatur , ſi quotidianis Miſſis ſatisfieri oon poſſit .

Nihil ergo ex allato Concilii capite concludi poteſt , quod ſaveat Presbyteris , aut Sacriſtæ , de quibus agimus .

Alterum eſt , ſe quinque ſolidos ex Peregrinis ſumenrem , & Miſſam , quæ tamen non celebtatur , iis promittenrem contra juſtitiam non peccare ; ſed Peregrinos potius ejus injuſtitiæ reos eſſe , qui ſolidos quinque pro decem tribuunt , quæ Diœceſia taxatio eſt , nec Sacerdoti pro ſe ipſis celebranti ſuppeditant , quo decentet vivat .

Falſa eſt hæc propoſitio . Sacriſta enim aperte iojuſtus eſt , qui Miſſam pluribus communem mandat celebrandam , cum Peregrinis ſingulis quinque ſolidos offerentibus peculiarem promiſerit . Mendacium ſimulque injuſtitia eſt , pecuniam accipi ea eondirione , quæ non implebitur , & cujus implendæ , dum pecunia accipitut , voluntas non adeſt .

Quod autem Peregrini , dum quinque ſolidos offerunt , ad congruam celebrantis ſuſtentationem non ſatis conferunt : reſpondetur , ſive intelligat Sacriſta celebranrem non poſſe ſuo juri renuntiare , ſive offerentem de ejus cumulata ſuſtentatione ſollicitum eſſe debere , primum quidem adeo falſum eſſe , ut probationis non indigeat , alterum veto oon minus a veritare abhorrere , ut oſtendit Sylvius *quæſt.* 83. *art.* 1. *de Sacrificio.* Negat hic Auctor , & petnegat offerentem id tribuere debete , quod ad celebrantis ſuſtentationem ſufficiat ; additque , tametſi putent Auctores nonnulli poſſe Sacerdotem ſtipendiis pluribus , & iis quidem exiguis una eademque Miſſa , eum pro ſtipendiorum numero totidem Sacrificia promiſerit , ſatisfacere , ſententiam tamen oppoſitam propius ad veritatem accedere : *Exiſtimant quidem*

dem

dem nonnulli, Sacerdotem; qui ab uno pitantiam solito minorem accepit, posse etiam ab alio unam accipere, & utrique per eamdem Missam satisfacere. Verum si priori Missam petenti illam annuerit, & similiter posteriori, unam, & alteri aliam facere debere, verius est. Uterque enim petit fructum Sacrificii pro se particulariter offerendi, cui petitioni non debet annuere, si non vult præstare. Et in hanc sententiam affert Navarri, Cordubæ, Toleti, Bonacinæ, & Dianæ testimonia, ac demum Urbani VIII. Decretum.

Tertium Sacristæ principium est, ad ejus peregrinationis, quæ tantum Religioni decus, tantamque Fidelibus convenientibus utilitatem affert, devotionem sartam tectam servandam, Peregrinos monendos non esse, propter oblatum solidorum quinque stipendium peculiarem Missam, quamvis singulis promissa fuerit, non celebrari, quia nimirum illi de re moniti ad eum devotionis locum non amplius sese conferrent, atque ita omnis devotio quamprimum excideret; sed inveteratæ potius praxi insisti posse, atque adeo debere, ut scilicet Peregrinis quinque solidos offerentibus peculiaris Missa promittatur, tametsi non celebretur; si enim ejusmodi praxis mala esset, haud verosimile fore Deum assiduis ibidem quotidianisque miraculis & benedictionibus eidem praxi patrocinaturum.

Religionis quidem interest, peregrinationis ejus devotionem, quoad per regulas licuerit, propagari; quamobrem Sacrista propositis difficultatibus permotus Ordinarium rogare deberet, ut sibi indigitaret, quomodo salva justitia, veritate, bonaque fide id assequi posset; nunquam enim exempli causa mentiri licet, quodcumque tandem bonum sequatur. Quod si Deus ibidem singularia suæ miserationis argumenta præbet, id vero Peregrinorum simplicitati, fidei, pietati tribuendum est, nec sane evincit Sacerdotes, de quibus sermo est, recte se gerere, nulliusque tum apud Deum, tum apud homines culpæ reos esse.

Nec vero satis apta inde petitur excusatio, quod Fundator Congregationis eorumdem Presbyterorum, quique in ejus locum suffecti sunt, Doctores mentis acie præstiterint, eam praxim non passuri; si præposteram credidissent. Etenim respondetur probandum fore abusum hunc eorum temporibus, & ab ejusdem Congregationis incunabulis irrepsisse; quod verosimile non est, cum ejus peregrinationis devotio nonnisi decursu temporis incrementa ceperit; Sacerdotum ab initio deservientium pietate atque integritate ad loci famam augendam, eoque pertrahendos in dies magis Fideles dubio procul magnopere conferente. Potuit autem abusus irrepere, multo antequam primis illis Superioribus innotesceret; sed tandem si illi abusum cognoverunt, nec impugnarunt, non tamen sequitur, praxim, quam illi tolerarunt, malam ac vituperatione dignam non esse; qui sane mos ibidem obtinet in præsentia, ejusmodi argumentis omnino firmari nequit.

Decisum hac die . . . . Julii an. 1705.
G. *Fromageau.*

Missarum reductio ad Sacelli sustentationem.

C A S U S XIII.

1 *Cum peregrinationis locus redditum non satis habet, ut subsistat, dona ac munera, quæ eo deferuntur, vendenda sunt, & congesta pecunia impensis ad ejus sustentationem necessariis occurrendum est; quod si fundus non sufficiat, possunt, Episcopo permittente, Missæ reduci, Peregrinis de reductione ad Episcopi mentem commonefactis.*

2 *Missæ, propter quas accepta pecunia est, ibidem, non autem alibi celebrandæ sunt, quoniam ea quidem extitit Peregrinorum intentio.*

QUÆSITUM.

Administratores Ecclesiæ, ad quam Peregrini frequentes accedunt, cum redditus perinde atque oblationes Officiis impares sint, quodque in Missarum gratia tribuitur, non exæquet Sacerdotum stipendia, audire cupiunt, recte necne se gesserint, non omnibus & singulis Missis, quæ sibi præscriptæ fuerant, celebratis.

Illi quidem hisce notoriis & constantibus factis se tueri conati sunt, semperque contenderunt, cum impensæ necessariæ desumi nequeant nisi ex peregrinationis fundo, hic autem Missarum oblationibus fere contineatur, se proinde perficere non posse, ut omnes Missæ singillatim, sed tantum pro Sacelli Benefactoribus universim & collectione quadam sumptis celebrentur.

Præterea cum quindecim solidos Presbyteris habituatis retributionis loco solvere teneantur, dum Peregrini fere decem tantum solidos exhibent, alterutrum faciendum est, aut habituati Presbyteri dimittendi, aut pauciores Missæ celebrandæ.

Incommoda hæc ineluctabilia videntur; si enim habituatorum stipendia minuantur, nulli imposterum præsto erunt, quibus attamen opus est, tum ut Peregrinorum devotioni satisfiat, tum ut eorum Confessiones audiantur; quod si respuatur id, quod offertur, non deerit illegitimi lucri quæsiti suspicio. Quid? quod hi fere Peregrini pauperes sunt, & in patria non ultra solidos octo, ut summum decem pro Missa dant; iis sæpe desunt, quibus opus habent, eorumque non pauci plura Missarum stipendia susceperunt, quibus de suo quicquam addere nec possunt, nec vero vellent. Sacello non satis proventuum est, ut impensis necessariis dimidia ex parte respondeat; atque ita ne dum ex Sacelli proventibus addatur, quod Missarum stipendiis deest, ejusdem sustentatio ex ipso Missarum fundo petenda est.

Ajunt alii Administratores hos cujusdam infidelitatis reos esse; sed illi respondent adeo notorias expensas esse, ut Peregrini non ita rerum ignari probe intelligant omnino fieri non posse, ut solidorum decem stipendium Missæ par sit, non ignorantes habituatum solidis decem contentum non fore; cæteros vero utpote rudiores, nec acute cernentes, dum offerunt stipendia, non alia ratione Missam petere, quam prout loci mos obtinet.

Alii vero pronuntiant necesse fore, ut viginti pro quaque Missa solidi statuerentur, Sacelli spectatis oneribus; sed præterquamquod pauperibus Peregrinis id valde onerosum esset, extingueretur potius, quam faveretur peregrinationis devotio; & quidem a ratione prorsus alienum esset ob ejusmodi puros putosque scrupulos Peregrinos averti.

Alii denique contendunt in Sacristia Tabellam saltem ponendam esse, ex qua innotesceret aliquid ex Missarum fundo ad Capellæ, ac deservientium Sacerdotum sustentationem necessario decerpi; atque adeo oportere, ut qui sibi potissimum Missam voluerint, Sacristæ, vel alteri Delegato viginti solidos tribuant. Sed respondetur, consilium hoc, quod hactenus servatam praxim aperte damnaret, re ipsa prorsus inutile, & pauperibus hominibus onerosum fore, ac demum consuetam praxim ita in bonum sensum suapte sponte recidere, ut absque Tabella facile intelligatur; cæterum Administratores sibi re ipsa non deesse, caventes, ut quicquid offertur, recte ac decenter, quoad fundus æquetur, Sacelli Officiis, & Missarum celebrationi tribuatur.

Illud etiam expendendum venit, an anno elapso possint Administratores pauperibus Sacerdotibus ad alias Diœcesis Ecclesias spectantibus eas Missas celebrandas committere, quæ ex Peregrinorum oblationibus supersunt, cum omnem diligentiam adhibuerint, ut omnes susceptæ Missæ in Sacello celebrarentur.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet ad pietatem, curamque Administratorum spectare, ut pro viribus impediant, ne proventuum defectu corruat locus,

locus, cujus sanctitas Fidelium devotioni addita peregrinationem adeo celebrem reddidit; quemadmodum ad ipsos pertinuit (*a*) ex donis atque muneribus, quæ ibidem oblata fuerint, (siquidem & magna & multa sint) fundum statuere, quo impensis ad loci sustentationem necessariis satisfiat. Si enim Administratores hi spectentur tanquam Tutores, hi quidem Minorum suorum bono invigilare tenentur, ac si neglexerint, ad rationem reddendam adigi possunt; ut est in Lege *Tutori Cod. de neg. gest. l. 2. tit. 19. Cum non tantum dolum, & latam culpam, sed & levem præstare necesse habeat, a se conveniri potest.* Glossa *v. Restituimus C. cum venissent, de integ. restit.* in Jure Canonico idem tradit.

Hoc posito, respondetur, cum aliter Sacello, de quo quæritur, prospici nequeat, fas esse videri, ut Administratores ex Missarum fundo necessaria decerpant, dummodo Episcopus loci, rationibus utrinque perpensis, Missarum numerum reducendum judicaverit. Neque vero Peregrini de reductione monendi videntur; cum enim Sacello consulendi nulla alia ratio præsto sit, ut expositum est, illud tanquam certum statui potest, eos in reductionem hanc consentire nisi forte de Sacelli subsistentia parum solliciti esse dicantur, quod de sanæ mentis hominibus, & vere Christianis præsumi non debet. Missarum porro, quarum nimis tenue stipendium sit, numerum ab Episcopis reduci posse constat ex Tridentinæ Synodi verbis hisce *Sess. 25. de refor. c. 4. Possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc, quicquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.* Barbosa in hunc Concilii locum contendit hanc Episcoporum potestatem ad multiplicis generis Missas extendi: *Episcopus potest reducere numerum Missarum, & Anniversariorum, non modo quæ præscribuntur in testamentis, & aliis similibus dispositionibus causa mortis, sed etiam quæ in donationibus, & aliis actibus inter vivos.*

Quamvis autem sententia hæc sit valde probabilis, fit tamen verosimilius, Missas, quas certa erogata pecunia Peregrini postulant, iisdem non monitis, reduci non posse; violaretur enim quoad eos, ut videtur, fidelitas, & bona fides, fidelitas quidem, quoniam læderetur conventio tacita, qua alter pecuniam certa conditione dat, alter acceptat; bona vero fides, quia Peregrinorum decem solidos offerentium eam intentionem esse constaret, ut peculiaris Missa celebraretur, & pecunia tamen absque satisfaciendi animo reciperetur.

Nec dici potest, inutile esse, ut Peregrini de reductione certiores fiant, præsumendumque fore eos assentiri, seu quod noverint Sacelli proventus exiguos esse, Presbyteros autem decem solidis pro Missa contentos non fore, seu quod ab Administratoribus (*b*) id unum legitime requiri potest, quod ipsi, spectata Sacelli indigentia, melius esse judicaverint. Administratores enim timere debent, ne ipsi sibi in hac facti specie fucum faciant, & ad suam, vel Decessorum in curandis Sacelli proventibus oscitantiam has, similesve rationes excogitent contra fidem Peregrinis obstrictam, quorum scilicet ea mens est, ut ob decem solidos, quos præbuere, Sacrum fiat. Dum Ecclesia Anniversaria atque alia legata, prout Fideles edito testamento instituerunt, acceptat, initio statim satisfacere in animo habet, deinde vero, si quidem fundus defecerit, Episcopi reductionis statuendæ jus habent; at rei, quæ præ manibus est, non eadem prorsus est ratio, nec præsumenda est eorum intentio, qui disertis verbis mentem suam declarare possunt. Itaque cum alia multa, tum id quoque fortasse in causa esse potuit, ut Cardinalium Congregatio in Decreto an. 1625. *n.* 45. confirmato ab Urbano VIII. & relato in Bullario ita statueret *§. 2. Deinde ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Congregationibus, Domibus, ac Locis piis quibuscumque, tam sæcularibus, quam Regularibus, Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin imo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Quia porro dubitabatur, an ea Decreti verba (*præscriptæ fuerint*) de eo Missarum numero accipienda essent, quem Ordinarius constituisset, an vero de eo, quem is petiisset, qui eleemosynam erogaverat, ideo proxime habita Congregatio in Decreto, quod idem Pontifex approbavit, ita suam mentem aperit: *Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui Eleemosynam tribuit, non ab Ordinario.*

Quæ quidem duo Congregationis Cardinalium Decreta ut non tanquam vim legis, & regulæ ad universam Ecclesiam spectantis habentia reciperentur, non tamen spectari non possent *tanquam responsa prudentum*, quæ magni ponderis esse debent, præsertim cum a Pontifice probata sunt.

Ex his omnibus duo consequuntur.

Primum est, si Sacello, de quo quæritur, non satis fundi suppetit, ut subsistat, antequam ad Missarum reductionem, prout proponitur, deveniatur, eam, quam Fideles dono dedere, supellectilem vendendam esse, ut ejusdem Sacelli necessariis impensis prospiciatur ex pecunia inde percepta.

Secundum est, si non satis inde congeratur, ut sufficiens fundus statuatur, Missarum (*c*) numerum, siquidem id Episcopo visum fuerit, reduci posse, atque ita necessaria suppeditari; sed oportere, ut Peregrini de reductione, deque rationibus, propter quas instituta est, commonefiant, ut fidei publicæ satisfiat; quomodo autem ea reductio declaranda sit, definire ad Episcopum spectat; nec vero timendum est, ne hujusmodi declaratione peregrinatio deferveat. Ut ut res habeat, cum id factum fuerit, quod fieri par est, Deo preces offerendæ sunt, & acquiescendum est Providentiæ, quæ sane perficiet, ut opus subsistat, siquidem ipsius gloriæ, & Fidelium ædificationi utile fuerit.

Ad quæstionem alteram respondetur Missas in peregrinationis loco ipso, non autem alibi celebrandas esse, quoniam ea Peregrinorum intentio fuit. (*d*) Ita sentiunt Azorius *tom. 1. l. 10. c. 24. q. 8.* Sylvester *v. Missa, q. 10. ad fin.* Navarrus *in Man. c. 25. n. 134.* Imposterum haud plura stipendia sunt accipienda, quam ut iis possit per annum Missarum celebratione satisfieri; id quoque Cardinalium Congregatio statuit in priore Decreto *§. 8. Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omnino abstineant ab ejusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa (Eleemosyna pro Missis) vel alia simili, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.*

Ad extremum non licet Missas celebrandas suscipi, easdemque Presbyteris alibi minore stipendio celebraturis demandari; est hic etiam Decreti laudatæ Congregationis articulus: *Ad decimum, debere absolute integram eleemosynam tribui Sacerdoti celebranti, nec ullam ipsius partem sibi retineri posse.* Ita Urbanus VIII. *an. 1625. n. 45. in Bul.* Alexander VII. hanc eamdem propositionem proscribit. Vide Cabassutium *l. 3. pag. 317. & 319. n. 9.*

Decisum in Sorbona die 28. Martii an. 1693.

G. Fromageau.

Mis-

(*a*) Cum in peregrinationis loco proventus servitium non æquat, ad illud perficiendum dona, & munera a Fidelibus oblata vendi possunt.

(*b*) Super Missarum reductione consulendus est loci Episcopus, qui, quod ipsi videbitur, statuet; monendique sunt Peregrini, qui, dum eleemosynas offerunt, pro sua ipsorum intentione Missas celebrari contendunt.

(*c*) Si Peregrinorum dona Sacelli sustentationi paria non sint, Missæ reduci possunt; sed fides publica postulat, ut Peregrini de re moneantur. Cabassut. l. 3. c. 13. l. 6. c. 13. n. 18. in praxi.

(*d*) Ibi celebrandæ Missæ, ubi eas Peregrini postulont; qui alibi vel celebrat, vel celebrandas committit, eorum intentioni adversatur.

Missa solemnis Fundationibus applicata.

C A S U S XIV.

1 *Collegiatæ Ecclesiæ Canonici Chori Missam applicare non possint ad Missarum quarumdam fundatarum satisfactionem.*

2 *Missas fundatione præscriptas ad minorem numerum redigere nequeant absque Episcopi auctoritate.*

QUÆSITUM.

Capitulum, cujus admodum tenuis proventus est, quia fundi veteres alienati fuerunt, & novorum minima accessio facta est, cum se nonnullis per hebdomadam Missis adstrictum sentiat, tantum ad conscientiæ tranquillitatem, implendasque fundationes aliquas, quibus ex aliquo tempore non amplius satisfit, nec vero satisfieri potest pro prima earum institutione, quarum tamen stipendia suscipit, dum aliis multis satisfacit, quarum fundi periere majore vi, ut subventione, bellis, incendiis;

Quærit, I. An Missa solemnis, quæ ad Ecclesiæ Altare primarium quotidie canitur, cum vix aut ne vix quidem ob veterum fundorum excidium fundata sit, applicari possit in earum satisfactionem, quibus forsan adstringeretur, capto maturo aliquo Capitulari consilio?

II. Facta hypothesi id licere, fierine possit propria Capituli auctoritate, accedente potissimum eorum prudentia, ex quibus componitur, an vero Episcopi auctoritas necessario requiratur?

Dubitandi rationes sunt inter alias multas; quoad primam difficultatem, ex una parte Capitulum præ paupertate suis omnibus oneribus satisfacere nequit, præsertim cum in iis angustiis versetur, ut novas identidem summas, quas ignorat, undenam comparet, erogare necesse habeat, nec fundationibus, quæ omissæ sunt, in alia magis Ecclesia, quam in Collegiata satisfieri possit; cum porro alias consultum esset, responsum fuit, in peculiari specie iis in posterum in Collegiata satisfieri posse; ex alia parte pariter independenter ab omnibus peculiaribus fundationibus, quamdiu quidem Capitulum subsistet, Chori Missa, seu solemnis semper est celebranda; quod si veteres fundi dissipati sunt, non id Fundatorum culpa contigit; atque ita eæ quidem Missæ non videntur tendere posse ad explendas peculiares fundationes, quæ ob preces & Missas peculiares & supererogationis institutæ sunt.

Quoad difficultatem alteram, sane convenit satius fore, ut Episcopi auctoritas intercederet; sed respondetur, I. ejusmodi negotia ex Societatis arcanis & œconomicis rebus esse, quas ad alios deferri incommodum est.

II. Societatibus suam quibusque jurisdictionem & œconomiam esse, quam in aliis multis rebus exerceut; ut porro ejusmodi negotia ad Episcopos deducantur, hoc quidem tempore, & in hac Diœcesi multis ambagibus, longisque circuitionibus opus esse, quæ non sine magnis expensis parantur, & rumore, qui vitari non potest, Societatibus nocent; neque vero semper Superiores paratos esse Societatum negotia componere, & jus, quod in foro conscientiæ petendum videatur, iisdem reddere; uno verbo negotium, de quo agitur, periculo non carere.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, antequam propositis quæstionibus satisfaciat, animadversione dignum putat solemnem Missam, quæ in Collegiatis Ecclesiis cani consuevit, ipsam per se obligationi obnoxiam esse *C. cum creatura de celebr. Miss.* atque adeo citra peccatum a Canonicis omitti non posse. In Actis Mediolanensibus l. 4. tit. de Miss. Convent. extat Decretum *n.* 15. *&* 16. ex quarto ejusdem Provinciæ Concilio ductum, in quo Sanctus Carolus, postquam allatum caput in medium adduxit, statuit, ut Canonici, cum Chori Missam omiserint, distributionibus suis priventur: *Quod si Capitulum præstare omiserit, neglexeritve, non solum illius diei distributionibus mulctetur, & alio die suppleantur omissa*. Canonistæ in hoc Juris Caput unanimi sententia idipsum definiunt. (*a*) Affert Gavantus Congregationis Cardinalium Declarationes bene multas, quæ hanc Canonicorum obligationem declarant. Reginaldus *l.* 29. *num.* 168. id verbis hisce distinctius explicat: *In singulis Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus debet quotidie offerri sacrificium, si conveniens seu mediocris sit Sacerdotum numerus. Id probatur ex communi Ecclesiæ consuetudine, quam habere obligandi vim satis insinuatum est in cap. cum creatura de celebr. Miss. esse vero obligationem sub mortali intelligi, ex eo quod versetur in re gravi, atque multum pertinente ad commune bonum Fidelium: cujus gratia prædictis Ecclesiis assignati reditus, ad sustentationem Ecclesiasticorum celebrantium divina Officia, qui non satisfacientes tali muneri, tanquam perverse agentes, scandalizant eos ipsos Fideles; nisi habeant aliquod justum impedimentum.*

Et sane fere distributiones adjunctas habet hæc Missa Capitularis, quam proinde omittentes Canonici justitiam violarent. Missa hæc merito dici potest Missa fundationis Capituli; quamobrem nuncupatur Missa Capituli, & Canonicorum, qui quidem in Ecclesia ad divinum Officium celebrandum sunt instituti; Missa hæc Capitulo intima, quasique intrinseca est; ut proinde quamdiu Capitulum subsistet, subsistere & ipsa debeat, ac potiori jure quamdiu fundationis aliquem proventum percipiet.

Illud inter Conventualem (*b*) Regularium & Canonicorum Missam discriminis intercedit, quod Canonici de jure & sub peccati pœna Chori Missam celebrare tenentur, cum eorum sufficiens est numerus, ut docent Theologi; Regulares non ita, nisi forte peculiari Constitutionum statuto, vel inveterata consuetudine idem & ipsi præstare cogantur; itaque Conventualem Missam hi quidem citra culpam omittere possunt, complurium Auctorum sententia; ac proinde ejusdem fructum, siquidem eam celebrandam judicaverint, cui maxime voluerint, applicare, ejusque stipendium percipere posse videntur.

Hoc posito, respondetur.

I. Non licere Canonicis Ecclesiæ, de qua sermo est Collegialem, seu Chori Missam, quæ fere celebranda est, ad nonnullarum peculiarium Missarum, ad quas alio ex capite vi fundationis tenentur, satisfactionem convertere. Collegialis enim Missa Capituli fundationi debetur; instituta est in Canonicorum simul & Fidelium gratiam, quoniam, ut dictum est, in eum tantum finem Canonici in Ecclesia existunt, ut Fidelibus deserviant, & divinum Officium persolvant; & propterea non ipsis integrum est, Fideles, suosve Benefactores precum suarum fructu privare; quod si Missarum olim Capitulo, de quo quæritur, injunctarum fundi perierunt, ab iis celebrandis abstinere possunt; si qua fundi pars adhuc superest, Missæ ad minorem, & proventui respondentem numerum redigendæ sunt.

II. Œconomica potestas, quam quidem Capitulum, de quo quæritur, habere potest, ut sua temporalia negotia procuret, & alias Reformationes ad rectum ordinem, vel Ecclesiæ bonum spectantes instituat, haud satis est hac in re, cujus interest reipublicæ, sed publica auctoritas & jurisdictio requiritur. Itaque ut fundatæ Missæ, quatum fundi decreverunt, ad minorem numerum redigantur, a Capitulo consulendus Episcopus est, ut expressis verbis mandata Tridentina Synodus *Sess.* 25., *c.* 4. *de Reform.* nisi idem Capitulum ex peculiari aliquo privilegio, vel ex legitima consuetudine reductionis hujus instituendæ jus habeat. Capitulum porro ad Ordinarium confugiens vereri non debet, ne jus obtineat, quippe cum reductioni sit locus; nec vero

(*a*) Gavantus in Rubr. Miss. p. 3. tit. 12. nn. 7. & 8. & pag. 2. tit. 4. n. 3. in fin.

(*b*) Vericelli tr. 8. q. 30. qq. Moral. & Legal. Suarez in 3. p. disp. 80. sect. 2. concl. 2. Bonacina to. 1. disp. 4. quæst. ult. punct. 7. §. 2. n. 1. Diana p. 10. tr. 12. resol. 40. & 3. p. resol. 51. tract. 13. 4. p. tract. 4. resol. 6. Antonius a Spiritu Sancto tom. 2. tr. 3. disp. 6. sect. 11. §. 10. Pelizarius tom. 2. tr. 5. c. 9. sect. 2. q. 9.

ro est ; cur in hac facti specie actionum prolixitatem, & impensarum incommoda reformidet, quoniam ad puram putamque Supplicationem reductionis rationes complectentem Episcopus vel ex cognita exponentium probitate de rei veritate convictus, verbo, momento temporis, sine forensi strepitu Missas, de quibus quæstio est, redacendi facultatem Capitulo facile concedet. Quod attinet ad periculum, cui se Capitulum dicit obnoxium fore, si ad Episcopum accesserit, periculum, quod proponit, luculentius explicet necesse est, priusquam eidem significetur, quomodo sibi cavere debeat. Si demum adeundi Episcopi consuetudinem sibi periculosam fore Capitulum non temere judicet, potest ad Romanam Sedem confugere, & in hoc singulari Casu uti potest Urbani VIII. Decreto *n.* 45. & id amplecti, quod Cardinalium Declarationibus post Decretum allatis definitum est.

Decisum hac die 20. Novembris an. 1693.
G. *Fromageau*.

Missarum Fundatio.

CASUS XV.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut aperiant sententiam suam super hac facti specie: utrum simplex Missæ fundatio in Sacello instituta Simoniæ obnoxia esse possit.

QUÆSITUM.

I. AN plurium per hebdomadam Missarum fundatio in Sacello ad Patronatum Laicum spectante ex testamento ita instituta, ut Presbyter, aut saltem Clericus nominetur, qui vel ipse per se, vel per alium eidem deserviat, cum neque in Beneficium erecta sit, neque ab Episcopo ad spiritalem formam redacta, ac proinde Beneficii rationem non habeat, simoniæ subjecta sit..... Vide Cabassutium *l.* 2. *c.* 1.

II. An de Capellaniæ similis abdicatione a Titulari facienda cum pensione, inconsulta Romana Curia, agi possit?

III. An vendi possint ejusmodi jura Patronatus?

IV. Tribuine, aut promitti possit aliquid temporale, ut a Patronis, præsertim cum necessitate premantur, ad ejusmodi Capellanias nominatio obtineatur?

V. An Titularis Clericus ejusmodi Capellania potitus, qui tanquam cataphractorum militum ductor biennii spatio suam operam Regi navat, irregularis sit, & ad eamdem Capellaniam possidendam ineptus?

VI. An ad irregularitatem necesse sit, ut occidisse probetur, an vero ipse vel ex eo satis incapax, ejusque Præbenda impetrabilis ostendatur, quod arma gestaverit, & vitæ rationem mutaverit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat,

I. Eum, qui fundationem, de qua in libello supplici dictum est, possidens cataphractorum militum ductor duobus ab hinc annis evasit, eam fundationem legitime retinere non posse. Alius tamen in ejus locum nominandus non est, nisi ille antea monitus fuerit, ut ad Ecclesiasticum statum redeat, intra certum tempus; quo elapso sedes vacans declarabitur, & alter nominabitur, qui fundatis Missis, de quibus quæstio est, vel per se, vel per alium satisfaciat.

II. Eam Missarum institutionem proprie tanquam simoniæ materiam spectandam non esse; quamvis enim illa aliquid spirituale contineat, vel potius ad res spiritales, Missas nempe vel per se vel per alium celebrandas referatur, id tamen non sufficit; ut eadem fundatio pure spiritalis censenda sit. Non desunt sane Tituli, vel Officia, quæ, quia referuntur ad aliquid spiritale, simoniæ materia censentur in Jure, eorumque venditio, utpote vetita Simoniaca est, Juris quidem Ecclesiastici simonia. Consuli Jus potest *c.* 8. *si quis Episcopus q.* 1. *c.* 8. *Salvator* 1. *q.* 3. *& cap. consulere de simonia*, ubi tanquam simoniacum prohibetur commercium, quod institueretur Officiorum Œconomi Ecclesiæ, Defensoris bonorum, & jurium Ecclesiasticorum, Syndici, &c. Verum de annuis Missarum fundationibus Canones non eodem modo loquuntur.

Non igitur simonia stricte sumpta locum habet, si quid temporale accipiatur, aut detur, ut obtineatur fundatio, vel ut fundatis Missis per alterum satisfiat. Id sane, non inficior, saperet Simoniam; sed simonia tamen proprie non esset, si quis Sacerdos quotidianam Capellaniam obtinens, Missas alteri minore stipendio celebrandas committeret, stipendii parte, quæ superesset, sibi retenta; ea quidem injustitia esset, qua proinde ad restitutionem obligaretur, quoniam nullus ei titulus præsto esset, quamobrem ejus stipendii partem sibi retineret, nihil aliunde conferens ad Fundatoris utilitatem. Et sane Alexander VII. hanc propositionem damnavit: Missa alteri Sacerdoti celebranda mandari potest, minore stipendio, quam receptum est, retento sibi, quod superest; consuli in hanc rem potest Cabassutius *l.* 3. *c.* 13. *in Praxi*.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur;

Ad primam, satis ei factum esse per ea, quæ hactenus dicta sunt.

Ad secundam, Titularem non posse de ulla pensione agere, eamque ex dicta Missarum fundatione sibi sumere, quia, si ita se gereret, retineret ex parte illud Missarum stipendium, quod Fundator ei tribui voluit, qui fundationi deserviret, ut in more positum est quoad fundationes omnes, quæ non nisi Missarum quotannis celebrandarum obligationes sunt, videlicet quæ nec in Beneficium erectæ, nec certo alicui officio addictæ sunt. Non igitur eadem ratio est, exempli causa, Capellaniæ, quæ in Beneficium erecta esset, & certum Missarum numerum per hebdomadam adjunctum haberet; Capellanus nempe, cui ex fundatione liberum esset alii Missas celebrandas committere, integrum Beneficii proventum celebranti tribuere non teneretur; sed satis esset, si stipendium pro quaque Missa in Diœcesi statutum tribueret; ita ut id omne, quod superesset, legitime retinere posset. Hic enim Capellanus utpote Beneficiarius non modo tonsuram, & habitum Clericalem deferre, ex Tridentina Synodo *sess.* 14. *c.* 6. *de Reform.* suæque Diœcesis Constitutionibus, sed etiam divinum Officium quotidie celebrare, ac fortasse proprii Beneficii fundum curare deberet. Uno verbo nil causæ occurrit, quamobrem fundationis hujus suppositus Titularis jure possit pensione gaudere, quam ex eadem fundatione sibi sumere vellet.

Ad tertiam, jus nominandi ad hanc fundationem, quod in Expositione dicitur juspatronatus, vendi non potest, quia hæc venditio aliquid odiosum esset, bonis moribus adversaretur, simoniam redoleret, & re ipsa foret injustitia, quæ contra Fundatoris mentem, Ecclesiæque sanctionem & consuetudinem ad imminuendum fundationis stipendium tenderet.

Ad quartam, de hoc Patrono, seu de eo, qui ad hanc fundationem nominandi jus habet, id dici potest, quod in Jure de Beneficii Patrono dicitur, cui ad gravem paupertatem redacto Beneficiarius, cujus ille Patronus est, opitulari tenetur, non tamen ex conventione, quæ Beneficii collationem præcesserit, & qua Beneficium uni potius quam alteri collatum fuerit ea conditione, ut provisus certam pecuniæ vim ei quotannis tribueret, qui ad Beneficium præsentat. Eodem pacto Patronus, de quo quæritur, Episcopi, & eorum, qui fundationis executioni invigilare tenentur, auctoritate certam summam ab eo recipere potest, qui eidem deserviet, in eum finem institutum, ut ei gravi paupertate laboranti subsidio sit dummodo cæteroquin supersit, quo Missis a Fundatore præscriptis satisfiat.

Ad quintam, hic Cataphractorum militum Ductor, dummodo nec ipse occiderit, nec pugnæ interfuerit, in qua interneciones contigerint, vel sanguis effusus fuerit, irregularis, atque adeo fundationis, de qua quæritur, retinendæ incapax non censetur.

Ad

Ad sextam & postremam quæstionem respondetur armorum gestatione Ductorem hunc *ipso facto* fundationi huic retinendæ ineptum fieri, cum ei liberum sit eam, quam profitetur, artem deserere, & Clericalem statum suscipere. Denique *non est privatus ipso jure* fundatione, quam possidet, *sed venit privandus*; probandum est eum homicidia patrasse, ut fundatione spolietur; atque ut ea impetrabilis efficiatur, in eum procedendum est ea ratione, quæ initio statim declarata fuit.

Decisum hac die 15. Julii an. 1703.
G. *Fromageau*.

Missa Feriæ Quintæ in Cœna Domini, & Sabbati Sancti.

CASUS XVI.

Nullo Canone, nulloque Juris Textu expresse prohibetur, ne Feria Quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto aliæ Missæ præter solemnem celebrentur.

QUÆSITUM.

I. QUæritur, an Parochus in Ecclesia Collegiata & Parochiali, sententia & mandato Archiepiscopi, Feria Quinta in Cœna Domini, & Sabbato Sancto Missam dicere nec possit, nec debeat ea hora, quæ Canonicum Servitium non interrumpit, ut hostias consecret, eos præparet, qui accedunt Pascha celebraturi, & satisfaciant devotioni complurium ex Parochianis, quos multiplices occupationes non sinunt interesse solemni Missæ Capituli, quæ nonnisi post horam decimam celebratur?

II. An cum Parochus per annos duos consequentes, ab inita possessione Feria Quinta in Cœna Domini Sacrum fecerit, absque ullo tumultu, impedimento, vel oppositione Capituli, non sibi possessionis jus acquisierit, & an opposita consuetudo, quæ, ut dicitur, perantiqua est, ut scilicet una tantum Missa eo die celebretur, prævalere debeat, & Parocho jus adimere?

III. An Parochus postulare non debeat, ut scandalum reparetur, quod nonnullorum ex eo Capitulo Canonicorum vis attulit, ei his ademptis Calice, & Ornamentis in Capella, ne Missam, ad quam se hora sexta matutina comparabat, eo die celebraret?

IV. An cum hi Canonici eum apud Sæcularem Judicem in jus vocaverint, ut sibi vetus, quam jactant, possessio servaretur unius Missæ Feria Quinta in Cœna Domini a Canonico celebrandæ, hic Parochus haud satis gravi fundamento nitatur, ut se remitti petat ad suum naturalem Judicem tam quoad petitorium, quam quoad possessorium, quia scilicet agitur de re pure spirituali?

V. Ac si forte quoad possessorium damnaretur, an non Judex Ecclesiasticus ei petitorium concedere posset, possessorii damnatione nihil obstante?

VI. An Capitulum non possit eumdem Parochum subdere Constitutionibus, quas edit, ut eum cogat toti Officio Divino, & Processionibus interesse, & albam deferre; & an ex jure, & Ecclesiæ praxi ab ejusmodi obligationibus ille non eximatur, cum Sacramentorum administratione, aliisque Pastoralibus curis eo fere tempore distineatur; atque an non debeat Officio toti præsens censeri, omnium distributionum particeps esse, an vero, si abfuerit, mulctari possit?

VII. Potest necne Parochus hic sibi portionem congruam scutorum centum exposcere, præter sui Canonicatus proventum, qui est admodum modicus, & solum ex quibusdam fundationibus in dicta Ecclesia institutis, non autem ex decimis, aut ex dicti Parochi primitivi reditu derivatur?

VIII. An non Parochus jure petere possit oblationes, quæ Festis & Dominicis diebus, obituum, & Servitiorum gratia a Capituli Sacrista percipiuntur, prætextu consuetudinis, & transactionis cum ejus Decessoribus initæ; quia nempe dictus Sacrista Ecclesiæ luminare omnino non affert, & Regis Declaratio distributiones omnes Parocho adjudicavit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat Parochum, de quo agitur, ad Episcopum suum confugere debere, ut ejus mentem assequatur, & mandata faciat, antequam quicquam aggrediatur eorum, quæ allato libello supplici continentur. Porro ille hoc observantiæ officium proprio Episcopo, tanquam Superiori persolvens sperare potest fore, ut ejus auctoritate & gratia se ab adversariis tueatur, suisque legitimis contentionibus vim afferat.

Post hoc generale consilium, sigillatim ad quemlibet quæstionis articulum respondetur.

I. Parochus, de quo quæritur, de Episcopi sententia & mandato potest & debet Missam dicere Feriis Quinta & Sexta Majoris Hebdomadæ, ea hora, quæ Capituli officium non interrumpat, ob rationes in expositione allatas, quibus mandatum ab Episcopo editum niti est verosimile.

Illud vulgo convenit, nullum Canonem, nullumque Juris Textum occurrere, quo expressis verbis prohibeatur, ne duobus iis diebus aliæ Missæ præter solemnem celebrentur. Antiquis sane temporibus una tantum missa celebrabatur. Vetus Ordo Romanus titulo *de Cœna Domini*, Alcuinus *tit. de Divin. Offic. de Cœna Dom.* & S. Gregorii Sacramentarium huic rei fidem faciunt. Verum postquam Fidelium numerus excrevit, & ob eorum evidentem utilitatem, iis ipsis diebus præter solemnem privatæ & peculiares Missæ visæ sunt celebrandæ; qui mos in Ecclesia passim obtinuit, jamque usitatissimum est, ut in frequentibus Parœciis, & magnis Urbibus Missæ non paucæ præter solemnem per eos duos dies celebrentur.

Quod autem in hoc negotio majorem difficultatem parit, & Auctores in aliam alios sententiam trahit, illud est, an scilicet Feria Quinta in Cœna Domini post solemnem Missam, & ante Sabbatum Sanctum aliæ Missæ celebrari possint, idque propterea quod post eamdem solemnem Missam in peculiari loco, in hunc finem in Ecclesia parato clauditur adorandum Christi Domini Corpus, atque adeo post eam cæremoniam celebranda non videntur Divina Mysteria. Sabbato ipso Sancto aliæ missæ ante solemnem non videntur celebrandæ, quia usque ad solemnis Missæ tempus adhac Ecclesia censetur in Dominicæ mortis dolore luctuque versari, & nondum ob Domini Resurrectionem lætitiæ signa exhibere cœpisse.

Ut ut de hac difficultate sentiendum sit, cujus quidem utrimque rationes, ac denique decisio videri possunt apud Cardinalem de Lugo in Tractatu de Eucharistiæ Sacramento *disput.* 20. *n.* 4. & Dianam 11. *p. tractatu* 5. *&* 8. *resolut.* 32. *&* 62. peculiares Missæ commemoratis diebus dici posse videntur, si Fidelium utilitas ac necessitas id requirat, præsertim vero accedente Superioris Ecclesiastici permissione; & sane Canonici, de quibus agitur, plus æquo de proprio jure solliciti essent, si ad illud propugnandum Parochianorum evidenti bono in hoc negotio adversarentur.

II. Tempus in expositione declaratum non sufficit, ut possessio statuatur, & contraria, quæ vetustissima esse dicitur, abrogetur; porro dictus Parochus potissimum nititur Episcopi Constitutione, qui, re ad trutinam revocata, dictis Parochianis utile atque adeo necessarium esse judicavit, ut duobus memoratis diebus peculiares Missæ celebrarentur.

III. Idem Parochus apud communem Superiorem de injuria sibi irrogata conqueri potest; nihil tamen esse videtur, quamobrem ad consuetum Juris ordinem reparationis gratia confugiat, quia timendum est, ne id dissentientium animos amplius exasperet, litigia multiplicet, ac fortasse a præcipui negotii, quod Parochianorum bonum spectat, sollicitudine mentem abducat. Aut enim Parochus illatam sibi vim personalis injuriæ loco ponit, & hoc in casu ejus oblivisci debet, ut Christianum hominem decet, secum reputans fere semper eum, qui bo-

bonum facere vult, aliquid mali subire; aut eamdem vim spectat tanquam injuriam illatam personæ publicæ, Superioris mandata exequenti, cujus postulata reparatio non parum ad causam principem conferre poterit; & ita quidem potest, ut dictum est, conqueri, sed reparationis postulatio ad ejusdem causæ successum parum utilis fore creditur, immo scandalo potius erit Laicis, qui Ecclesiasticos viros se mutuo exprobrantes, sibique invicem subiratos viderint; si tamen Parochus eam reparationem sibi postulandam existimaverit, antea Episcopum consulere debet.

IV. & V. Hic vero potissimum Parochus ad Episcopum confugere debet, ut sua ipse auctoritate & gratia usus Ecclesiasticam jurisdictionem tueatur adversus molimina Laicorum Judicum, qui specioso prætextu (nempe non nisi de puri facti quæstionibus agi, *& ne partes veniant ad arma*) inde ansam arripiunt ad se trahendi spiritualium rerum judicium. Debet igitur petere Parochus, ut ad Ecclesiasticum Superiorem mittatur, si apud sæcularem Judicem in jus vocetur; quod si obtinere non possit, Episcopus suam ipsius, & Cleri auctoritatem interponere debet, & a Regis Consilio petere, ut quicquid sæcularis Judex egerit, nullum declaretur; ac proinde contestatio inter Canonicos eumdemque Parochum instituta ad Episcopum ipsum remittatur, utpote quæ sit inter personas Ecclesiasticas, quarum ipse Superior est, & quidem in negotio mere spiritali. Neque expectandum est, dum sæcularis Judex super possessorio pronuntiaverit, quia valde timendum est, ne qui de eo judicaverit, petitorium involvat, aut ne deterius, & quoad exitum difficilius negotium evadat.

VI. Memoratus Parochus, qui pariter Canonicus est, Officio, & Processionibus præsens habendus est, & omnium distributionum particeps esse debet, dum suis Curialibus functionibus actu vacat, nedum mulctari possit. Ita sentit Barbosa *de Can. & Dignit. c. 24. n. 11. Animarum curæ incumbentes, imminenti suæ Dignitati, vel Canonicatui, dum sunt in actu ministrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ spectant ad ipsam curam, distributiones quotidianas lucrantur, & tanquam præsentes in Choro habentur.*

Canonistas multos id ipsum sentientes producit Auctor hic, additque controversiam a Cardinalium Congregatione die 24. Novembris an. 1617. verbis hisce decisam esse: *Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Episcoporum & Regularium Præpositorum censuit Canonicum a Choro absentem, occasione servitii Curæ, ejus Canonicatui annexæ, quotidianas distributiones lucrari.* Sane idem Auctor Parochum Canonicatu insignitum negat eodem privilegio gaudere posse, si suis Curialibus functionibus in alia Ecclesia vacaverit: *At si haberent curam animarum in aliis Ecclesiis, dum in eis residerent, ac Sacramenta administrant, non possunt percipere distributiones, quas perciperent, si in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, in qua habent Canonicatus, vel Dignitates, residerent.*

Garcias *5. p. de Benef. c. 5. n. 125.* pronuntiat rem a Cardinalium Congregatione definitam fuisse: *Non solum censetur præsens in Choro, sed etiam in processionibus, & exequiis defunctorum, & lucratur omnes distributiones, & emolumenta, ut in sequentibus Declarationibus* &c.

Idem judicium, ad hanc rem quod attinet, ferri posse videtur de Canonico curam habente, ac de Pœnitentiario; jam vero certum est Pœnitentiarium, Confessionibus vacantem, Choro præsentem haberi: *Qui dum Confessiones in Ecclesia audiet, interim præsens in Choro censeatur*, inquit Tridentina Synodus *Sess. 24. c. 8. de Reform.* quæ verba expendens Barbosa n. 30. ita loquitur: *Pœnitentiarius dum confessiones audit in Ecclesia, censetur præsens & Processionibus, & orationibus.*

Turonense Concilium an. 1583. celebratum idem statuit in hæc verba: *Qui dum audiet Confessiones in Ecclesia, interim præsens in Choro censeatur.*

Concilium Aquisgranense an. 1585. de Pœnitentiario eodem modo loquitur: *Qui dum in Ecclesia audiendis Confessionibus vacabit, quod suum in proprium munus est, ita distributiones quotidianas assequatur, ac si in Choro Divinis Officiis adesset.*

VII. & VIII. Subest timendi causa, ne Parochus de litis contestatione nimium sollicitus suarum Ovium curam deserat, id quod zelo, quo de earumdem salute cogitat, ut ex libello supplici apparet, non satis congrueret. Si porro Canonici vellent Episcopi, qui, ut creditur, communis Superior est, vel alterius Arbitri judicio se subdere vellent, id sane utrisque foret utilius; quod si noluerint, eorum rationes, ob quas Parocho portionem Congruam denegant, accuratius expendendæ, antequam definiatur, an idem Parochus eam a Judice petere debeat; aliquæ fortasse circumstantiæ cognoscendæ restant, ut appareat, an expediat in præsentia actionem hanc adversus eosdem Canonicos intentari.

Quod attinet ad caput aliud in octava quæstione contentum, communi Jure, quæ in eadem quæstione commemorantur, ad Parochum pertinere videntur; sed quoniam iis derogatum fuit peculiari Lege, quæ supra memorata transactione continetur, & diuturnæ consuetudinis auctoritate firmatur, est, cur dubitetur, num Parochi consilium prosperum exitum sit habiturum. Sane ex transactionis lectione, & rei totius examine tutius quoad caput hoc Parochus, quid sibi facto opus esset, cognosceret. Illud unum certissime pronuntiari potest, Parochum non debere in præsentia tot tantaque adversus dictum Capitulum aggredi, ne forte vindictæ, aut contentionis impetu abripi videatur.

Decisum hac die . . . . . .

G. *Fromageau.*

Missarum citra Ordinarii potestatem instituta reductio.

CASUS XVII.

Missæ in Ecclesia fundatæ reduci nequeunt absque Ordinarii Mandato.

QUÆSITUM.

PArisiensis Parœciæ Curatores, in Fabricæ Martyrologiis accurate expendentes, an omnibus fundationibus satisfieret, intellexerunt Missas tercentas quadraginta duas pro pluribus fundationibus, quæ non implebantur, quotannis celebrari, nec ullum earumdem fundationum reductionis Actum reperere, sed tantummodo veterem librum, editum an. 1635. inscriptumque: ratio multarum veterum fundationum in gratiam Fabricæ, quæ non amplius implentur. Earum loco visum est, tercentas quadraginta duas Missas celebrari, videlicet tercentas & tredecim in peculiari Capella, & viginti novem, quæ earum partem constituunt, quæ quotidie hora undecima celebrantur, & quarum fundatio mediocris erat, ex accurata inquisitione peracta eodem an. 1635. juxta quam fundationum dictarum descriptio enuntiatur, & ad singulas ponitur Missarum pro iisdem celebrandarum numerus.

Quæritur, an id sufficiat, & an iidem Curatores possint tuta conscientia quadraginta annorum consuetudinem sequi, perspectum non habentes, an Archiepiscopus ea de re quicquam mandaverit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod Expositionem hanc vidit & expendit, existimat Æditiuos quadraginta septem annorum consuetudini acquiescere non debere, sed oportere, ut ad Archiepiscopum confugiant, qui super ejusmodi reductione, quam opportunam ac necessariam cognoverit, definiat. Porro idem sacrarum ædium tutores id omnino propria auctoritate facere non potuerunt, præsertim cum postremo Senonensi Concilio, quod exactam & fidelem omnium fundationum executionem distinctim præcipit, subjecti essent. Vide Senonense Concilium *Decretor. ad mores Decret.* 13. Neque vero supponi potest Ordinarii auctoritatem intercessisse, cum potius ex veteris Libri titulo: ratio plurium antiquarum fundationum, in Expositione

allato appareat adfuisse tantummodo Curatorum sententiam & constitutionem, quæ absoluta est, nec refertur ad Præsulis auctoritatem, quæ prætermissa non fuisset, si fuisset implorata; eoque magis, quod ejusmodi reductiones non sine certis formulis peraguntur ex communi more, & constitutione Tridentinæ Synodi *sess.* 25. *de Reform. cap.* 4. quæ quidem Episcopis hanc facultatem concessit, & in hoc articulo, generali praxi recepta est.

Decisum Parisiis die 4. Martii an. 1682.
Aug. *de Lamet.*

Missæ manuales, quibus devotionis gratia injunctis satisfaciendum est.

CASUS XVIII.

Satisfaciendum est Missis singulis, quas ii petierunt, qui eleemosynas tribuerunt, quæque receptæ sunt, nec iis per alias preces satisfaciendum est absque partium consensu.

QUÆSITUM.

DEvotionis locus, seu Peregrinatio supponitur, ubi tam ingens Missarum numerus ex assiduo Fidelium concursu recipitur, ut singulæ celebrari omnino non possint, quamvis tot celebrentur, quot possunt, tum ibidem, tum alibi passim.

Nullum pius hic locus proventum adjunctum habet, & Missarum stipendia sunt inæqualia, & nonnunquam admodum exigua.

Existunt ibi, quam plurimi possunt, addicti Sacerdotes, quibus sexdecim solidi pro quaque Missa tribuuntur, cum decem tantum tribuantur externis Presbyteris, idque cum Ordinarii approbatione, & ex antiqua eorum consuetudine, qui hunc locum administrarunt, & docti probique viri habiti sunt.

Quæritur, an, cum privatorum hominum & Peregrinorum Missis singillatim satisfieri omnino non possit, Sacerdotum ibidem vel alibi Missas has celebrantium intentio dirigi nec ne possit in eorum favorem, qui aliquid ad Missæ celebrationem contulerint?

Si illud asseratur, pecuniam, certa recepta summa, respuendam esse, consequens fiet, ut, devotione, qua una Sacerdotes subsistunt, cessante, vel magnopere decrescente, quemadmodum contigit pestis, famis, bellique tempore, & urgente magnarum reparationum necessitate, habituatos Presbyteros dimitti necesse sit, qui tunc quidem difficilius quam ullo unquam tempore comparari potuerunt.

Consuetudo ab Ordinario approbata, Sancti Sacrificii Missæ infinitus valor, omnibus generatim Benefactoribus applicatus, cum fieri omnino non possit, ut Sacrificium pro singulis offeratur, videtur aliquod fundamentum habere in Synodo Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* dum inquit, *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum numerum* &c. Idem tradunt Emmanuel Sa *in summa, parte prima cap.* 252. *num.* 13. & Navarrus *cap.* 25. *Manual. num.* 137. ubi dicit, *Episcopum posse disponere pro sua conscientia de numero exorbitanti Missarum.*

Animadversione dignum est, in hoc devotionis loco singulis præcipuis anni diebus festis cani consuevisse Matutinum & solemnem Missam, Vesperas autem & salutationem quotidie, quæ omnia ad Benefactorum utilitatem referuntur, & id omne absque ulla peculiari obligatione. Quoniam porro sub anni cujusque finem, maxima licet diligentia ad Missarum celebrationem collata fuerit, tamen aliquid pecuniæ superest; quæritur, an ea ipsa, quæ superest, pecunia inservire possit Ecclesiæ reparationibus, & ornatui, eorumque sustentationi, qui loci, atque adeo Diœcesis necessitatibus præfecti sunt?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem expendit, non id amplecti non potest, quod Romæ definitum est a Congregatione instituta ad solvendas difficultates super Tridentino Concilio, die 21. Junii an. 1625. cujus actus refertur in Bullario tom. 4. typis edito Lugduni *an.* 1655. *p.* 88. *n.* 45. *§.* 2. in hæc verba: *Pro pluribus Missis etiam ejusdem qualitatis celebrandis stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive a pluribus personis collata fuerint, aut conferantur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam regularibus, quam sæcularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Prosper Fagnanus, qui hujus Congregationis Secretarius erat, & cum allata decisio ederetur, & ab Urbano VIII. confirmaretur, intererat, ait non ante ita captum esse, quam negotium summopere expenderetur, & Theologi consulerentur; ita enim loquitur in *C. Fraternitas ext. de Sepulturis* n. 65. *Consultis Theologis, & articulo pro gravitate mature discusso, S. Congregatio Cardinalium Concilii Interpretum hanc sententiam postea secuta est, in eisdem Decretis de celebratione Missar. editis, & a Sanctitate sua approbatis & confirmatis in §. deinde.* Quamobrem ex doctrina in hoc Decreto proposita illud constans firmumque esse debet non pauciores Missas celebrari posse, quam ii postulaverint, qui stipendia tribuerunt, quæque receptæ fuerint. Neque vero Tridentinæ Synodi auctoritas prætendi potest, cum appareat Synodi Patres juxta antiquas fundationes ante ejusdem Synodi celebrationem institutas locutos esse; nec censetur per alias preces, ut Salutationes, aliasve similes satisfieri posse voluntati Fidelium, qui eleemosynas ob certum Missarum numerum tribuerunt, sed tantum iisdem Missis juxta ipsorum voluntatem celebratis. Nec recipienda est pecunia, cum id, quod illi postulant, perfici nequit; vel iidem monendi sunt, ipsos, cum tam ingenti Missarum numero satisfieri non possit, fore participes aliarum precum, quæ pro Benefactoribus offeruntur, quemadmodum etiam Missarum, quæ pro ipsis in universum celebrantur; quo in casu, si Fideles assenserint, eorum pecunia accipi potest, & non aliter.

Contraria praxis justitiæ adversaretur, ut visum est Cardinalium Congregationi, utque ipsa in eodem Decreto declaravit; quod in causa fuit, ut ita statuens asseret se charitatis & justitiæ regulas sequi: *Sacra Congregatio Concilii Tridentini Interpretum animadvertens factarum se rem gratissimam Deo, charitatique, & justitiæ maxime consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum e Christiana Republica convellere, atque eradicare, Sanctissimi D. N. Urbani divina Providentia P. P. VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infra scripta Decreta edidit.* Hac de causa eadem Congregatio in eodem Decreto §. 8. prohibet, ne manualia & quotidiana stipendia pro Missarum celebratione accipiantur, nisi jam susceptis fuerit satisfactum: *Eleemosynas vero manuales & quotidianas pro Missis celebrandis ita demum accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa (Eleemosyna pro Missis).* Atque eadem Congregatio ad quæstiones super hoc eodem Decreto sibi propositas respondens explicat, quid Ecclesiæ sibi retinere possint ex eleemosynis, quas pro Missis celebrandis perceperint; ut proinde præsenti negotio satisfiat, ejusdem Congregationis Responso in medium allato; occurrit autem in eodem Bullario post Decretum, de quo dictum est, & est responsum, quo quæstio septima dirimitur: *Ad septimam respondit permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum Administratores ex Eleemosynis Missarum celebrandarum, ullam etiamque minimam portionem retineant, ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca pia alios non habeant reditus, quos in usum earum expensarum*

rum

ſum erogare licite poſſint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expenſarum, quæ pro ipſomet Miſſæ Sacrificio neceſſario ſunt ſubeunda, & nihilominus eo etiam caſu timendum eſt, ut ex pecuniis, quæ ſuperſunt, expenſis ut ſupra deductis, abſolute tot Miſſæ celebrentur, quot præſcripta fuerint ab offerentibus Eleemoſynas.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 25. Auguſti an. 1682.

de Lamet.

Miſſa in die Natalis Domini.

CASUS XIX.

1 *Sacerdos, qui in prima mediæ noctis Miſſa purificationem ſumpſit, alias duas Miſſas celebrare non poteſt.*

2 *Prior vel prima tantum Tonſura initiatus Clericalem habitum deferre tenetur.*

3 *Epiſcopi Magnus Vicarius eam facultatem Confeſſario tribuere poteſt, ut Paſchatis tempore, independenter a Parocho, familiæ confeſſiones excipiat.*

QUÆSITUM.

I. QUidam Sacerdos, cum in prima mediæ noctis Miſſa purificationem ſumpſiſſet, duas alias Miſſas celebrare non deſtitit, ne ſcandalum pareret, & ſubſecutis deinde diebus, quin ſe accuſaret, celebravit. Dominus de Sainte Beuve, qui eumdem caſum decidit, minime declaravit, cujuſmodi demum peccatum hoc eſſet, vel quænam ejus ſatisfactio eſſe deberet; ſed tantummodo pronuntiavit, eum, qui ita ſeſe geſſiſſet, alias duas Miſſas celebrare non poſſe.

II. Longævus Prior, qui Tonſura tantum eſt inſignitus, habitum prope Laicalem geſtare ſolet, raro nigri coloris veſte utitur, nec dubitat cineraceo veſtitu ſe indutum ſiſtere, nigro tantum pallio, eoque haud identidem uſus. Secum detinet aliquot alterius ſexus perſonas, nonnulloſque domeſticos, in quos cadit mala ſuſpicio; nec ex iis defuit, qui pravitatis non minima ſigna daret.

Quæritur, quomodo Parochus, aut Director, ne ſuo muneri deſint, in hac facti ſpecie ſe gerere debeant?

III. Id etiam proponitur definiendum, an penes Epiſcopi Magnum Vicarium jus ſit delegandi Sacerdotem, vel aliquem alium Confeſſarium ad certæ Familiæ confeſſiones in Parochia excipiendas toto Paſchali tempore, nec audito Parocho, nec eidem Familiæ impoſita lege, ut ipſius Parochi conſenſum obtineat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſita vidit, & ponderavit, exiſtimat quoad quæſtionem primam, Sacerdotem, quamvis, cum in priore Dominici Natalis Miſſa ablutionem ſumpſerit, aliam dicere non debuerit, juxta *c. ex parte extra de celebrat. Miſſ. c. quod a Patribus diſt.* 75. *nihil 7. q. 1. liquido de conſecrat. diſt.* 2. nullam tamen pœnam ſubiiſſe cenſeri, tametſi *in c. nihil*, quod appellavimus, id ipſum excommunicatione plectatur. Cum enim pœna hæc ad eos tantum ſpectet, quos præſumptionis impetus ad agendum impulerit, is autem, pro quo conſulitur, haud exiſtat in facti ſpecie, quippe qui ex tempore conſilii impos, & ſcandali timore perculſus ſecundam & tertiam Miſſam celebraverit: excommunicationis proinde pœna hæc eumdem non afficit. Non tamen ipſe culpa vacaſſe creditur ob eam cauſam, quod Rubricas callere debebat, & re quidem ipſa ſcandalo non fuiſſet, ſi a ſecundæ & tertiæ Miſſæ celebratione abſtinuiſſet. Itaque firmum ſtat oportuiſſe, ut ille erratum ſuum in confeſſione aperiret, ejus veniam a Deo poſceret, & pœnitentiam, quæ ſibi impoſita fuiſſet, omnino perficeret.

Quoad quæſtionem alteram, Parochus, ſeu Director hunc Priorem monere debent de Clericalis habitus deferendi, qua tenetur, obligatione juxta Tridentinam Synodum *de Reform, cap. 6. ſeſſ.* 14. nec vero omittere debent, opus eſſe, ut irreprehenſibilem vitæ rationem ineat, eoſque de familia, qui haud caſtigate viventes ſcandalum afferunt, dimittat. Quod ſi ille ſcandali, ſiquidem fundamento non careat, occaſionem de medio tollere nolit; Director quidem ei abſolutionem denegare, Parochus vero Epiſcopum de re tota monere debet, ut ipſe quod opportunum crediderit, remedium afferat.

Epiſcopi Magnus Vicarius, ad tertiam quæſtionem quod attinet, Regulari, vel cuivis alii Confeſſario eam facultatem tribuere poteſt, ut Paſchali tempore, independenter a Parocho, Familiæ confeſſiones audiat; non eſt tamen rationi conſonum, ut ille eadem poteſtate utatur abſque gravi cauſa, quæ ad Pœnitentis bonum ſpectet; porro Magnus Vicarius, æque ac Epiſcopus, utpote Parochi Superiores, ipſi per ſe agere poſſunt.

Deciſum Pariſiis in Sorbona die 20. Junii an. 1689.

Aug. *de Lamet*.

Sacerdos interdictus, qui Miſſam celebrat.

CASUS XX.

Sacerdos, qui vi Statutorum Diœceſis interdictus fuit, & Religioni nomen dat, in eadem Diœceſi Miſſam celebrare non poteſt, quin ab Epiſcopo abſolutus fuerit.

QUÆSITUM.

CUm Presbyter in Diœceſi N. Miſſam celebraſſet, quin ſuum *Exeat* attuliſſet, ab Epiſcopo interdictus fuit. Idem Clericus in Monaſterio exempto, quod in eadem Diœceſi exiſtit, Religioni nomen dare vult. Quæritur, an Novitiatus ſui tempore celebrare poſſit, quamvis a loci Epiſcopo interdictus fuerit?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum putat interdictum, de quo ſermo eſt, trifariam ſpectari poſſe.

I. Si Sacerdos, de quo quæſtio inſtituta eſt, a Miſſa interdictus fuit, quod ſuum *Exeat*, ſeu Dimiſſorias Litteras non attulerit, ac ſi interdictum hoc nonniſi ſimplex prohibitio eſt, qua ſtatuit Ordinarius, ne ille in ſua Diœceſi ſacrum faceret; cum jam exempti Monaſterii Novitius exiſtat, videtur non amplius, perinde ac cæteri Familiæ Religioſi, eidem Ordinario ſubjectus eſſe; atque adeo quemadmodum ejuſdem Monaſterii Fratres, exemptionis gratia, nulla petita venia, in proprio Monaſterio celebrare poſſunt, ita & Novitius poteſt. Quid? Quod neceſſe eſſe non videtur, ut qui Religionem amplecti vult, Patentibus Litteris munitus ſit, aliudve vitæ ac morum teſtimonium afferat, quam bonam mentem, firmumque propoſitum omnia relinquendi, ut ſe Deo in Religione devoveat.

II. Quod ſi Sacerdos, vi Diœceſani Statuti, non oblatis Patentibus Litteris, Miſſam celebrari prohibentis, abſolute interdictus fuit, ac deinde celebravit, ſuſpenſus eſt, & hæc ſuſpenſio generalis eſt, & ubique tenet; ut proinde Sacerdos idem nec in Diœceſi, in qua exiſtit, nec prorſus alibi celebrare poſſit, quippe qui cenſura, a qua quidem, antequam celebrare valeat, abſolvi debet, innodatus eſt.

III. Veroſimillimum fit, interdictum ob Diœceſanum Statutum inflictum fuiſſe, & ſolummodo Miſſæ in Diœceſi celebrandæ prohibitionem adjunctam habuiſſe; neque enim deſunt ſuſpenſiones locales, ut oſtendit Suarez *tom. 5. diſp.* 26. *nu.* 7. & 13. utque ex *cap. Ambitioſe de reb. Eccleſ. non alien.* licet intelligi; ut propterea dictus Sacerdos in Diœceſi celebrare non poſſit, quin antea ab Epiſcopo abſolutus fuerit. Eſt enim regula ab Auctoribus in *cap. nuper de ſentent. excomm.* vulgo recepta, ut qui

Censuram subiit *ab homine per sententiam particularem*, ab eo tantum, qui eamdem inflixit, solvi possit, aut a Judice Superiore, servato Juris ordine, exempli causa interposita appellatione.

Sentiunt sane Auctores bene multi, ut refert Sayrus *l. 2. c. 2. n. 6. de Cens.* Novitios a propriis Superioribus posse ab omnibus censuris absolvi juxta tritum illud, *Novitii gaudent privilegiis Ordinis*; & quod inde consequitur, illi statim ac Monasterio exempto adscripti sunt, Ordinarii Jurisdictioni non amplius subsunt.

Pelizarius *tom. 1. tr. 2. c. 7. q. 14. & tom. 2. tr. 9. c. 3. sect. 3. q. 15.* & Suarez *tom. 5. disp. 7. sect. 3. nu. 29. & 30.* Pontificias Bullas producunt, ex quibus apparet licere Superioribus Novitios suos a quibusvis censuris absolvere; sed Suarez quidem ibidem monet ejusmodi privilegia locum non habere quoad censuras, quæ sunt *per sententiam particularem*. En ejus verba: *intelligendum censeo de sententia generali; nam illa, quæ in particulari fertur, præsertim nominatim, & in causa deducta ad forum contentiosum, nunquam comprehenditur sub his privilegiis, quæ semper loquuntur vel in generalibus sententiis, vel in casibus occultis*. Et numero præcedenti de Novitiis verba faciens: *Si vero fuit lata per sententiam propriam & specialem, tunc juxta commune jus servanda erit regula proposita, tam quia ratione litis, seu causæ inchoatæ jurisdictio permanet apud priorem Judicem, tum etiam quia nulla sufficienti ratione aut jure constat, talem jurisdictionem translatam esse in alium Prælatum.*

Bonacina *tom. 1. de Cens. disp. 2. q. 3. p. 1. a. 8.* hæc habet: *Secundo excommunicatam ingredientem Religionem posse a Superiore illius Religionis absolvi ab excommunicatione lata per sententiam generalem, a censura vero lata per sententiam particularem non potest, secluso speciali privilegio.*

Consequens proinde fit, Sacerdotem, de quo in libello supplici dictum est, siquidem ex iis, quædum interdictus fuit ipsum inter & Episcopum intercesserunt, & ex facti circumstantiis cognoscere nequeat, utrum interdictum censura sit, an vero Missæ in Diœcesi celebrandæ pura putaque prohibitio, ad eumdem Episcopum accedere debere, ut ex ipso intelligat, quænam in hoc negotio ejus mens fuerit, ac pro responsi ratione ita se gerat, ut supra declaratum est. Si enim interdictum in eum latum Censura est, non potest ipse in Diœcesi, in qua interdictus fuit, Novitiatus sui tempore celebrare, nisi a loci Episcopo, vel a Superiore absolutus fuerit.

Potest ille quidem in eam Regularem Familiam, in qua est, cooptari, tum vero in aliam Ordinis Familiam extra Diœcesim positam Novitiatus edendi gratia mitti, atque ibi celebrare; at si peracto Novitiatu, emissaque Professione, in Diœcesis, de qua sermo est, Monasterio celebrare velit, antea ab ejusdem Diœcesis Episcopo absolvi debet; (a) Religiosa quippe Professio, quoscumque demum effectus producat, non liberat a Censura *ab homine per sententiam particularem*; & quamvis SS. Hieronymus, & Bernardus eam secundum Babtismum appellaverint, legaturque in vita veterum Patrum *l. 6. n. 9.* referente D. Thoma *2. 2. q. 189. a. 3. ad 3.* eam esse Baptismum, quo omnes pœnæ delentur: *eamdem gratiam consequuntur Religionem intrantes, quam consequuntur baptizati*; id tamen de peccatorum pœnis, quæ coram Deo peccatis debentur, est accipiendum, quia Regularis Professio, qua quis omnia relinquit, ut Deo se totum dedat, argumentum est perfecti erga Deum amoris, qui suapte vi culpam, atque adeo pœnam peccatis debitam delere potest; verum id ipsum de omnibus omnino pœnis, præsertim vero de iis, quæ ad exterius forum spectant, non intelligitur. Id sane convenit, Episcopum in Religiosæ Professionis gratiam ad Regularem, qui antequam Religionem ingrederetur, nominatim in aliquam Censuram inciderit, absolvendum se facilem præbere debere.

Decisum in Sorbona hac die . . . .
G. *Fromageau.*

(a) Sanchez l. 5. n. 2. Moral.

De Missæ Parochialis audiendæ obligatione.

CASUS XXI.

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut super insequenti Quæstione dicant, quid sentiant.

Feria sexta proxime elapsa in Collatione, quæ singulis mensibus haberi solet N. . . . disceptatum est, an omnino peccato mortali se obstrinxerit, quisquis a Parochiali Missa sine causa tribus immediatis diebus Dominicis abstinuerit.

Congregatio ex viginti & amplius Ecclesiasticis Viris, quorum duo Sorbonici Doctores, iidemque gravissimi sunt, conflata in contrarias sententias abiit; & cum de re convenire non posset, unanimi consensione statutum fuit, ut super adeo gravi negotio Sorbonici Doctores consulerentur.

Utrinque convenit;

I. Eam Ecclesiæ mentem esse, ut Parochianus quisque, quantum fieri poterit, Parochiali Missæ singulis Dominicis diebus intersit. Probatur hæc veritas omni tum veteri tum novo Jure, innumerisque Canonibus ab Apostolicis temporibus ad hæc usque, qui fere in Parisiensi Rituali referuntur pag. 502. & sequentibus.

II. Ubicumque Lex id ipsum præcipiens viget, nunquam ejus transgressionem a culpa vacasse. Ut enim loquitur D. Thomas *1. 2. q. 96. art. 4. c. Leges, si justæ sunt, habent vim obligandi in conscientia a lege æterna, & earum transgressio vera est inobedientia.* Jam vero ullane unquam lex esse potest æquitati magis consona, quam quæ Parochiales Missas audiendas jubet?

III. In iis Diœcesibus, in quibus sub pœna excommunicationis *ipso facto* vetitum esset a Parochiali Missa tribus proxime sequentibus Dominicis Festis abesse, eum, qui ita absuerit, peccare mortaliter.

IV. Lethaliter tum quoque delinqui, cum absentia Parochiæ contemptum, & scandalum conjunctum habet, vel cum is, qui abest, in eorum omnium, quæ fere semper inter Missarum solemnia docentur, ignoratione versatur.

De quatuor hisce propositionibus utrinque convenit.

Sed quod contestationem parit, illud nimirum est, utrum *peccetur mortaliter ob id omnino, quod sine causa Parochialis Missa tribus diebus Dominicis audita non fuerit?*

Qui porro triplicem hanc consecutivam absentiam excusant, sententiam suam rationibus hisce confirmant.

I. Legem, quæ Parochialem Missam tertio quoque saltem die Dominico audiendam præcipit, Ecclesiasticam tantum esse; *en lege Ecclesiastica*, inquit *de Sainte Beuve* (b); & quidem Doctor hic ipse dubitare videtur, an ea nunc temporis vim habeat: *sed an vigeat?*

Saltem, Ordinariis omnibus videntibus & scientibus, Regulares possessione gaudent Conventualem Missam canendi, quo tempore Parochialis celebratur; nec ignoratur, bene multos, nemine magnopere refragante, omissis Parochialibus, ad Regularium Missas audiendas se se conferre. Id si mortale peccatum esset, possentne Episcopi cum tanto suarum Ovium incommodo conticescere?

II. Quamvis Episcopi nostri in Congregationibus ann. 1625. 1635. & 1645. habitis mandaverint, ut saltem tertio quoque die Dominico Parochialis Missa audiretur, non tamen videntur id sub mortalis peccati pœna statuere voluisse, quippe cum in Congregatione an. 1655. ex contemptu tantum & inobedientia mortale peccatum repetant. „ Huic obligationi, Parochialis scilicet audiendæ Missæ, non „ satisfit nisi in Ecclesiis, quæ vulgo Parochiæ dicuntur, vel in Cathedralibus, quæ sunt earum „ matres & matrices, quæ contemnuntur, cum abs- „ que

(b) sainte Beuve tom. 2. cas. 88. ibidem.

„ quæ honesta causa negligitur ibidem adesse, prout „ Ecclesia præcipit, & major quidem commoditas „ houesta causa non est „. Ejusmodi porro contemptus & inobedientia existere potest, ut omissio peccatum mortale futura sit.

Congregatio igitur in contemptu tantum, vel inobedientia, nequaquam vero in trium Dominicorum dierum omissione mortale peccatum collocat.

Eamdem sententiam præsefert Rituale Alectense *parte 2. pag. 248.*

„ D. Adestne obligatio Parochialis audiendæ Missæ?

„ R. Quicumque ab ea abstinuerit fere ob con„ temptum, aut negligentiam, peccaret graviter „ tum propter inobedientiam, tum propter malum, „ quod exhiberet, exemplum.

Sanctus hic Antistes nonnisi absentiam consuetam ex contemptu aut negligentia, vel inobedientia tantum, pravumque exemplum mortalis culpæ damnare videtur.

D. de Sainte Beuve huic omnino sententiæ patrocinatur: Ad Parochialem Missam quod attinet, inquit, ei adsistentia præstanda est (a) *ex lege Ecclesiastica, sed an vigeat?* Juverit cohortationibus & admonitionibus tantum uti.

Id valde conciuit cum Tridentinæ (b) Synodi verbis hisce: *Moneant Episcopi Populum, ut frequenter ad suas Parœcias saltem diebus dominicis, & majoribus festis accedant.*

Et sane eane loquendi formula usurpari posset, si Missæ Parochialis omissio per tres insequentes dies Dominicos mortale peccatum esset?

III. Complures summi Pontifices omnem in hoc negotio scrupulum exemisse videntur, dum Missam apud Regulares & Festis & Dominicis diebus citra mortale peccatum audiri posse, & ejusmodi audiendis Missis, Ecclesiæ Præcepto satisfieri declararunt.

Leo X. an. 1517. in Bulla *Intelleximus*: *Nos* .... inquit, *notum facimus, omnes Christifideles, qui non contempto proprio sacerdote, in Ecclesiis Fratrum Mendicantium, Dominicis & festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de Missa audienda, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnamve incurrere.*

Quia porro Parochi post Tridentinam Synodum contenderunt hanc Bullam revocatam fuisse, Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Et si Mendicantium*, eamdem confirmat, declaratque, perinde atque ille, Fideles &c. *Præfati Christifideles audiendo Missas, & alia divina officia in Ecclesia Fratrum Mendicantium hujusmodi diebus Dominicis præcepto Ecclesiæ de illis audiendis satisfecisse censeantur.*

Hic idem Pontifex Bulla *Ex supernæ* .... privilegium ad omnes alios Regulares extendit.

Sane Gregorius XIII. in Bulla *In tanta rerum*, an. 1573. allatas Leonis X. & Pii V. Bullas revocat, & rem omnem ad Tridentinæ Synodi verba redigit.

Sed respondetur, I. hanc Synodum sub mortalis peccati pœna non jubere, ut Parochialis Missa tertio quoque saltem die Dominico audiatur. Nimirum exhortationis tantum formulis utitur: (c) *Moneant Episcopi populum, ut frequenter ad suas Parœcias accedant.* Et alio in loco ita loquitur: (d) *Moneat Episcopus populum, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse* (non loquitur autem de Parochiali Missa, sed de Concione) *ad audiendum verbum Dei*. Præterea I. hanc addit conditionem, *si id commode fieri poterit*; II. non determinat, quandonam ea lex obliget, singulis ne Dominicis diebus, an vero tertia quaque tantum Dominica die, aut denique an solum aliquoties per annum, puta præcipuis diebus festis obliget.

Quamobrem ex Tridentina Synodo concludi nequit, mortalis culpæ reum esse, qui tribus immediatis vicibus a Parochiali Missa abfuerit.

Respondetur II. Clementem VIII. an. 1592. ea privilegia redintegrasse, præsertim quoad Parochialem Missam, prout ea Pius V. posuerat. Bulla hæc Clementis VIII. incipit verbis hisce: *Significatum nobis*, & contra Belgii Parochos edita fuit: *Præsenti nos Decreto sancimus*, inquit, *Sæcularibus universis libere Missas diebus Dominicis, & aliis majoribus Festis audire in Ecclesia Fratrum Mendicantium licite posse, dummodo in contemptum Ecclesiarum Parochialium non faciant.*

Urbanus VIII. in Bulla, *Ex plenitudine potestatis* an. 1625. idem privilegium confirmat: *Populus potest libere in diebus Dominicis .... accedere ad Ecclesias Regularium pro audienda Missa*, &c.

Turpiter porro deciperetur, quisquis cum Merbe duas hasce Bullas supposititias esse contenderet, quod in Bullario non reperiantur. Omnes enim Summistæ eas vel afferunt, vel citant.

Atque Illustrissimus quondam Archiepiscopus Parisiensis a Patre Alexandro laudatus *tom. 21. dissert. 4. num. 82.* easdem agnoscit in Collatione publica in Archiepiscopatu habita, in qua de Regularium privilegiis, eorumque cum Parochis contestationibus verba faciens ita diserte pronuntiat: *Summi Pontifices secundum Religiosos semper tulisse sententiam, ut ex Clementis VIII. contra Belgii Curatos, & Innocentii X. contra Bardigalensem Archiepiscopum diplomatibus compertum est.*

Addere debuisset Archiepiscopus: *Et Alexandri VII. contra Episcopum Andegavensem*. Hic enim Pontifex in suo Brevi diei 26. Februarii an. 1659. ad Episcopum Andegavensem, damnans propositiones sex temerarias & scandalosas a nonnullis Regularibus pronuntiatas, eidemque ab hoc Episcopo denuntiatas, quarum quarta ejusmodi est: *Nullus in foro conscientiæ Parochiæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missas parochiales, nec ad audiendum verbum Dei*; hic, inquam, Pontifex eam propositionem hanc tantum apposita restrictione damnavit, *quoad primam partem simpliciter accepta est erronea, et temeraria, suppositis vero privilegiis, nullam meretur censuram; quoad tertiam vero partem de auditione verbi Dei, servetur dispositio Concilii Tridentini*; ubi Pontifex, ut facile intellectu est, de prima ac tertia propositionis parte, quarum ea Communionem Paschalem, hæc Prædicationem spectat, tantum pronuntiat; Secundæ igitur parti, quæ de Parochiæ Missa est, *nec ad Missas audiendas*, nullam notam incurrit, de ea ne verbum quidem habet, eamdemque in medio relinquit.

IV. In omnibus facultatibus, quas nostrates Episcopi concedunt, ut privatæ Missæ in peculiaribus Sacellis celebrari possint, præcipuos tantum dies festos excipiunt, ut olim primis Ecclesiæ sæculis fieri consueverat, quibus diebus Fideles universos ac singulos ad Parochiam accedere volunt; si porro crederent adeo strictam quoad dies Dominicos obligationem esse, ut saltem tertio quoque die Dominico Missa in propriis Parochiis audienda esset sub mortalis peccati pœna: dubio procul illi mentem distinctius clariusque aperirent.

Rationes porro, quæ vulgo afferuntur ad ejusmodi obligationem stricti juris & sub lethalis peccati pœna firmandam, ut nempe saltem tertio quoque die Dominico Parochialis Missa audiatur, sunt I. quod in ea habetur concio, & indicitur, quicquid unumquemque scire opus est.

II. Excommunicationis denuntiatione terrentur, qui per tres continuos dies Dominicos abfuerint. Jam vero pœna hæc, inquiunt, cum adeo gravis sit, nonnisi propter mortale peccatum infligi debet.

III. Pontificum & Conciliorum loquendi formulæ stricte sumptum & præcisum audiendæ Parochialis Missæ præceptum significant. Inter alios Sixtus IV. citatus *lib. 1. Extravag. de tregua & pace cap. 2.* ita loquitur: *Cum jure cautum sit, Parochianos his diebus Dominicis teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia.*

Concilium quoque Tridentinum hæc habet: (e) *Moneat Episcopus diligenter Populum*, teneri *unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commode fieri potest, ad audiendum verbum Dei.*

IV. Firmatur præterea obligatio hæc traditione non interrupta, qua semper Parochialis Missa audiri consuevit, quæque innumeris Canonibus, statutisque Synodalibus, id ipsum universis ac singulis inculcantibus.

Verum nonne responderi potest?

(a) Tom. 2. Cas. 88.
(b) Sess. 22. Decret. de observ. & evit. in celebr. Miss.
(c) Sess. 22. de observ. &c.
(d) Sess. 24. de Ref. c. 4.
(e) Sess. 23. de Ref. c. 4.

Ad I. Sub mortalis igitur peccati pœna Parochialem Missam singulis diebus Dominicis audiendam fore. Quod si ratio bæc locum haberet: Clerusne Gallicanus optionem dedisset, ut diebus Festis & Dominicis vel in Parochia, vel in Cathedrali Missa audiretur, quandoquidem in Cathedralibus nec conciones amplius, nec indictiones peraguntur? Id tamen præstitit, declaravitque an. 1655. congregatus, cujus verba supra in medium allata sunt.

Ad II. Excommunicatio, cujus formidine terrentur, quicumque a Parochialibus Missis absuerint, non triplicem quidem omissionem afficit, sed ad eos tantum spectat, qui post eamdem triplicem omissionem moniti, rebelles, contumaces, & inobedientes perstiterint, seque proinde dignos reddiderint, quos Promotores persequantur, & Censuria adigendos curent.

Id hoc sensu accipiunt Concilia, Senonense an. 1524. Carnutense an. 1526. Parisiense an. 1528. Narbonense an. 1551. ita etiam id explicant Eustachius Bellicensis, & Henricus Condiacensis Episcopi Parisienses in sui Constitutionibus; utuntur enim bis loquendi formulis: *Promotori nostro deferant, denuntientur statim Promotoribus*; vel ut loquuntur Gallicani Cleri Congregationes an. 1625. & 1640. „ concessa facultate per censuras ad id po-
" pulum adigendi. „

Ad III. Responsum jam est ad *teneri* Tridentini Concilii; idemque sentiendum de Sixti IV. verbis illis, *cum jure cautum sit Parochianos teneri*, &c. videlicet si eæ loquendi formulæ præceptum cum mortalis peccati pœna conjunctum inveherent, non inde concludi posse peccare mortaliter, quisquis tribus immediatis Dominicis diebus absuerit, quoniam Lex non determinat, quandonam quis hujus peccati reus efficiatur.

Ad IV. Non negatur hanc longam Canonum seriem satis quidem ostendere eam Ecclesiæ mentem esse, ut Parochiali Missæ omnes intersint, atque adeo quisquis absuerit sine causa, peccare; sed triplicem immediatam absentiam mortale peccatum esse id vero negatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, si spectentur Missæ Parochialis antiquitas, utilitas, & emolumenta, sollicitudo, quam adhibuit Ecclesia, ut eam disciplinam, quæ Parochialis Missæ adsistentiam spectat, identidem instauraret, cura, qua usi sunt Episcopi, ut ejus custodiam inculcarent, pœnæ denique, quas inflixerunt, aut minitati sunt iis, qui id officii violassent; inferri posse Parochialis Missæ non quamcumque, sed gravem obligationem adesse. Ex quo sequitur hanc mortalis culpæ materiam esse, ac proinde mortale peccatum fore, ni saltem tertio quoque die Dominico eidem officio satisfiat, cum id commode fieri possit, etiam secluso formali contemptu, vel scandalo, quod ejusdem præcepti transgressionem comitari posset.

Illud igitur hoc loco, ut Casui proposito fiat satis, ostendendum est in Ecclesia proprie dictum præceptum existere, quod ipsum per se ad Parochiæ Missam obliget, nulla scilicet habita ratione contemptus & Scandali, atque obligationem, quæ inde provenit, quæque his temporibus adhuc subsistit, in gravi, magnique momenti materia versari.

Quamvis initio statim ex Libello supplici constare videretur, adesse Legem, quæ ad Parochiæ Missam obliget; nihilominus ex multis ejusdem Libelli supplicis locis, ex Pontificum Bullis, quibus declaratum esse contenditur nullam ejusmodi obligationem existere, ex Concilio Tridentino, quod, ut dicitur, iis verbis utitur, quæ cohortationis quidem vim habent, nullam autem obligationem imponunt, ex eo denique, quod proponitur, siquidem adsit obligatio, dubitari, ne quid amplius dicatur, an vigeat: facile licet intelligi, non satis exploratum esse proprie dictam in Ecclesia Legem existere, quæ ipsa per se singulis diebus Dominicis ad Parochiæ Missam Fideles adigat, sed eam tantum Ecclesiæ mentem & olim suisse, & etiamnum esse, ut quilibet Parochianus eidem Missæ, quantum quidem potuerit, intersit.

Quamobrem interest in ipso disputationis exordio hanc primo loco propositionem statui, scilicet a Parochialis Missæ institutione, quæ ad Apostolorum tempora spectat, ad hoc usque tempus Fideles, nisi legitime impediti fuerint, eidem interesse omnino debere.

Parochialis Missa est Fidelium sub uno, eodemque Pastore conventus, in quo conjunctis viribus eduntur preces, quæ longe majorem, quam quæ privatim fiunt, vim ac robur habent; in quo, qui adsunt, Sacrificii, quod ibidem offertur, participes sunt; in quo denique quicquid credendum est, agendumque, percipitur. Ita sane apud nascentis Ecclesiæ Fideles in more positum erat, ut memoriæ proditur *Act. cap.2. v.42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, in communicatione fractionis panis, & orationibus*. Hæc est ratio Parochialis Missæ, ac partium, quæ eamdem constituunt, seu potius hæc primitivorum Fidelium est praxis, quæ ejus institutioni occasionem præbuit. Ex his fortasse primitivorum Christifidelium Congregationibus Parochialis Missa progressu temporis dicta est *σύναξις* hoc est congregatio solemnis, quæ in Ecclesia habebatur, ut loquitur Concilium Carthaginense IV. an. 398. celebratum Canone 88. *Conventus solemnis Ecclesiæ*, vel ut loquitur Agathense Concilium habitum an. 506. can. 21. Fidelium legitima & ordinaria Congregatio: *Si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus*.

Non hic afferrentur in medium Canon 9. ex Apostolicis, caput 61. libri 3. Constitutionum Sancti Clementis, textus Apologiæ S. Justini ad Imperatorem Antoninum, ac cætera testimonia, quæ indigitantur in Rituali Parisiensi titulo de Concione, ad ostendendum ab institutione seu traditione Apostolica Parochiæ Missam esse repetendam; constans ea veritas est; ac saltem veteris institutionis esse dici potest.

Et sane Concilium Eliberitanum sub initium sæculi 4. celebratum (*a*) obligationem hanc satis distincte declarat, & omnium primum meminit Dominicorum dierum trium, quibus qui absuerit a Parochiæ Missa, puniendum statuit. Idem statuit Sardicense Concilium, (*b*) cui Osius præfuit.

Horum autem Conciliorum duorum auctoritas in dubium revocari non potest; consuli potest Cabassutius in annotationibus ad utrumque.

Concilium Constantinopolitanum in Imperatoris Aula an. 692. celebratum, quod vulgo Trullanum dicitur, can. 80. clarius quoque sese explicat in hæc verba: *Laicus, qui nullum habet graviorem necessitatem, vel negotium difficile, ut a sua Ecclesia absit diutissime, sed in Civitatibus agens tribus diebus Dominicis, in tribus septimanis, non conveniat, si sit Laicus, segregetur*. Hoc sane Concilium Pontifex non approbavit; fatendum tamen & illud est, quamvis Ecclesia ejus universim Canones non receperit, eorum tamen bene multos adoptavisse, præsertim eos, qui antiquis Canonibus conformes essent. Porro is, de quo agitur, cum antiqua Ecclesiæ disciplina concordat, ut ex supradictis apparet. Præterea idem Canon in multis Ritualibus, ad Parochialis Missæ obligationem quod attinet, in medium affertur; complures etiam, iidemque celebres Auctores eumdem citant; ut proinde, quominus receptum fuerit, legitime dubitari non possit.

Theodulphus Aurelianensis Episcopus, qui sæculo nono florebat, ita loquitur in Epistola apud Baronium *ad an. 835. tom. 9. n. 25. Omnes ad sanctam Matrem Ecclesiam, Missarum solemnia, & prædicationem audituri, conveniant*. Et n. 45. *Ut Missæ, quæ per dies Dominicos peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Missarum solemniis*,

(*a*) Concilium Eliber. an. 305. can. 21. Si quis in Civitate positus tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineat, ut correptus esse videatur.

(*b*) Concil. Sardic. an. 347. Can. 11. vel 14. ex versione Dionysii Exigui: Meminit autem Superiori Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis Laicos in aliqua Urbe agens tribus diebus Dominicis in tribus hebdomadibus non conveniat, is communione moveatur..... Omnes Episcopi dixerunt, hanc quoque sententiam convenientissimam esse.

lemniis, quæ hora tertia canonice fiant, abstrabatur.

Silentio prætereuntur tum Concilia, tum testimonia complura, quæ ex non paucis insequentibus sæculis afferri possent, quibus ostenderetur in Parochialis Missæ gratiam non interrupta traditio; ea quippe apud Auctores, qui hanc materiam pertractant, videri possunt.

Sæculo quinto decimo Basileense Concilium propositiones non paucas, quas nonnulli Mendicantes eutuletant, tanqaam erroneas damnavit, & banc inter alias, referente Spondano: (a) *Parochianos non teneri de jure Dominicis, & solemnibus diebus Missas propreis Ecclesiis Parochialibus audire; hanc opinionem inquinat acta*, Spondani verba sant, *Synodus per suas litteras damnavit, ut erroneam*. Quamvis porro bujus Concilii non tanta ubique locorum, quanta in Galliis auctoritas sit, tamen hoc saltem Decretum produci potest tanquam testimonium traditionis, quæ eo sæculo, quo celebrata est eadem Synodus, obtinebat; quod quidem Decreram, cum conforme sit iis, quæ tum antea, tam postea Ecclesia præcepit, in hoc negotio probationis loco, atque adeo magni ponderis esse potest.

Antequam eupendatur, quid super Parochialis Missæ obligatione Tridentina Synodus declaraverit, non est omnino prætermittendum Juris insigne Caput illud, in quo Sixtus IV. an. 1484. (b) controversia inter aliquos Germaniæ Parochos & Regulares coorta, præcapit, ne, cum Fideles de Jure Parochiali Missæ interesse tenerentur, Mendicantes contrarium in fais Concionibus inculcarent: *Fratres Mendicantes non prædicent populos Christianos non teneri Missam in Parochiis diebus festivis, & Dominicis audire; cum jure cautum sit illis diebus Parochianos audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia, nisi forsan ex honesta causa, ab ipsa Ecclesia se absentarent.*

Tria porro in hoc Sixti IV. Decreto veninnt animadvertenda.

I. Pontificem novam legem non edere, sed jam editam supponere, dum inquit, *cum jure cautum sit*; ut proinde adeandæ Ecclesiæ disciplina sit vetus Ecclesiæ prauis.

II. Cum eam Pontifex exceptionem addit, *nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent*, eum quidem his verbis non intelligere omnes omnino honestas causas legitimam, ne Parochialis Missa audiatur, excusationem esse; ut proinde eadem verba accipi possint lata significatione, nullaque adhibita restrictione, ut quis possit causa exempli Dominicis diebus Parochialem Missam deserere, & in aliam Ecclesiam devotionis explendæ gratia sese conferre, qaia servitium ibidem melius peragitur, quia ibidem majore cum dignitate consilitar, animus minus distrabitar, conciones melius habentur; vel ut ibi confessionem edat, Indulgentias lucrandi causa; uno verbo quacumque de caasa, dummodo bonesta sit. Si enim Pontifex verba illa, *nisi ex honesta causa se absentarent*, tam lata significatione accipi voluisset, id, qaod antea dixerat, inutile reddidisset, Parochianos scilicet de Jure communi suæ ipsoram Parochiæ interesse debere; frastra Mendicantibus inhibuisset, ne contra concionarentur; quoniam quoad praxim & executionem Parochianis januam aperuisset, ut raro tantum ad propriam Parochiam accederent. Ita quippe dici non amplius posset adeundæ Parochiæ obligationem strictam esse, ac Fideles ad eamdem implendam adigi posse; quam tamen facultatem Tridentina Synodas Episcopis tribuit: *fidelem populum compellant*. Ea igitur verba, *nisi ex honesta causa* ita sant accipienda, ut vulgo accipiantur, & ut in Ritualibas explicantur, ut nempe Dominicis diebas a Parochia abesse liceat, cum adest honestum & legitimam impedimentum.

III. Pontifex in eo Decreto Constitutiones omnes & Privilegia Apostolica revocat, quæcumque tandem vel generatim vel singillatim Regularibus (c) Mendicantibas concessa fuerint, contraria communi Juri, quo Fideles diebus Dominicis propriæ Parochiæ interesse obligantur. Igitur inferri potest, Ballas & Constitutiones, quæcumque Sixti IV. Decretum illad præcesserunt, nullias auctoritatis, nulliusque roboris esse posse, ad ostendendum licere Fidelibus a propriis Parochiis abesse.

Quoniam vero Tridentina Synodus, & hac in parte recepta est, & in hoc negotio regulæ loco esse debet; proinde interest quoad rationem obligationis audiendæ Parochialis Missæ, ejus mentem plene planeque cognosci. Loquitur autem Synodus de Parochiæ Missa in locis omnino tribus.

In primo, nempe *Sess. 22. C. de observ. & evit.* &c. ita pronunciat: *Moneant etiam* (Episcopi) *eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus festis accedant, ut non solam ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsa prædita sibi a sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ probibeant, mandent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda, censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, & exemptionibus quibuscumque.*

Locus alter *Sess. 24. c. 4. de Reform.* ubi hæc habentur: *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commode fieri possit, ad audiendum verbum Dei.*

Tertius tandem locus occurrit eadem *Sess. 24. c. 7. de Reform.* ubi Synodus Parochis mandat, ut *inter Missarum solemnia sacra eloquia, & salutis monita vernacula lingua diebus festis vel solemnibus explanent*. Antea porro, scilicet *Sess. 22. c. 8. de Sacrific. Missæ* Synodus ita statuerat: *Mandat Synodus Pastoribus singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera SS. hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis & festis.*

Hi porro tres Tridentinæ Synodi textus non seorsim sumendi sunt, sed potius copulandi, & conjungendi, ut melius eorumdem vis & notio percipiatur. S. Carolus, qui Concilii mentem perfecte possedit, quique tanquam fidelis & ingenuus ejus interpres spectari potest, in suo Mediolanensi Concilio sexto eos singulos textus conjunxit. Ita enim habet, ut refertur *l. 3. Act. Tit. de Paroch. num. 43. Nuper Sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Episcopis Fideles non solum hæc moneri voluit, ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias, saltem Dominicis diebus, festisque majoribus, accedant, sed etiam diligenter ostendit unumquemque teneri, ubi id fieri commode potest, Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei; ac proinde id præterea statuit, a Parochis, animarumve Curatoribus inter Missarum solemnia aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur, exponi, & SS. illius Sacrificii Mysterium aliquod explanari, tum in unaquaque Ecclesia Parochiali pueros fidei rudimentis instrui.*

Neque vero haud temere dici potest, Tridentinam Synodum Parochialis audiendæ Missæ obligationem Fidelibus non imponere, sed tantum velle, ut illi ad id cohortationibus & admonitionibus excitentur, idque satis constare ex verbo, *Moneant*, quo laudatis in locis Synodus utitur; ac demum, si qua adsit obligatio, eam, quanta quanta est, ad Dei verbum, easque, quæ pro concione traduntur, instructiones referri.

Dicendum est enim I. hoc verbo, *Moneant*, non semper puram putamque admonitionem significari, sed eo ipso verbo veram obligationem, verumque debitum, cui ut satisfaciant, monentur homines, sæpe supponi. Posset id bene multis ejusdem Synodi locis in medium allatis ostendi; sed eo ipso, qui jam productus est, contenti sumus, in quo quidem verbum, *Moneat*, haud simplicem admonitionem significat: *Moneat Episcopus diligenter populum, teneri* &c. Ea porro de causa verbo *monendi*, non autem alio, quod Parochialis Missæ obligationem magis magisque declararet, Synodus usa est, quod ostendere voluit se novam Legem non instituere, quoniam Legem jam in hoc negotio a Conciliis, &

Sam-

(a) Spondan. ad an. 1443. n. 8.

(b) Sixtus IV. extrav. de Tregua & pace c. Vices illius.

(c) Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac privilegiis eisdem Fratribus in genere, vel in specie concessis, cæterisque contrariis quibuscumque.

Summis Pontificibus institutam, omniumque sæculorum usu ab ipsis Ecclesiæ incunabulis confirmatam inveniebat. Voluit tantum Synodus hujus Legis praxim commendare, & Episcopos cohortari, ut ejusdem custodiæ sedulo ac diligenter invigilarent:

Credi non potest Concilium hoc, quod Divini Spiritus instinctu afflatum fuit, mandare, ut Episcopi Fideles de re moneant, quæ omitti possit, quæque ut fiat, aut non fiat, eorum voluntati liberum relinquatur. Si ita se res haberet, non ergo Episcopi possent eos ad id agendum Censuris adigere; cum tamen hanc ipsam facultatem iis tribuat Ecclesia in Decreto Sessionis 22. ut ad Parochiæ audiendam Missam *fidelem Populum compellant*; adest igitur obligatio. Nec dici potest id Concilio propositum non fuisse, ut veram obligationem ingereret, quod ad Parochiæ Missam tum solum obligare voluerit, *ubi commode fieri poterit*.

Cum enim Concilium dixit teneri populum, cum commode poterit, Parochiali Missæ diebus Dominicis interesse, non id sibi voluit, si Parochiano commodius fuerit Missam alibi audire, id eum facere posse, perinde ac si Concilium spectasset Parochiæ Ecclesiam, ut Ecclesiam propemodum indifferentem, a qua recedi posset, ut alia, quam adire commodius foret, eligeretur. Nullam Concilium comparationem instituit, sed positiva ratione sese explicavit, *ubi commode fieri poterit*, videlicet cum Parochianus legitime impeditus non fuerit, ut si quod urgens ac salebrosum iter instituerer; id uno verbo Synodus sibi voluit Parochianum non teneri cum propriæ salutis, suorumque negotiorum, atque adeo urgentium charitatis erga proximum officiorum notabili detrimento. Et sane Ritualia illud *commode* hoc sensu explicant, videlicet si qua legitima suppetat excusatio; vel ut hoc ipsum alia quoque ratione, sed eadem fere significatione explicetur, adverbium *commode* accipitur in sensu negante, nimirum cum nullum grave damnum contrahitur. Quæ quidem exceptio, licet eam Synodus non posuisset, subintellecta semper fuisset, cum Leges Ecclesiasticæ in ejusmodi casibus fere non obligent, nisi qua circumstantia, quæ obligationem magis ineluctabilem reddat, occurrerit.

II. Respondetur S. Carolum, ut ex allatis ejus verbis apparet, inter Missam, & instructiones, quæ in eadem traduntur, nequaquam distinguere. Hic magnus Antistes Parochiæ Missam spectat ut totum ex Concione compositum & Sacrificio, quod præcipua Missæ pars est, utpote fons & origo gratiarum omnium, quas Fideles percipiunt, & omnium, quæ Catholica Religione continentur, longe præstantissimum; ex quo fit, ut obligatio non minus, ne dicam amplius, Parochialis Missæ, quæ Sacrificium est, quod in commune offertur, adsistentiam, quam Dei verbum, quod in eadem explicatur, afficiat.

Et sane ex veteri disciplina Concio post Evangelium habebatur; absolutaque (*a*) Concione, Missa continuabatur, & id quidem ut Fideles utramque non audire non possent. Consuetudinem hanc, quæ etiamnum non paucis in locis obtinet, Synodus Sess. 22. supponit. Hinc duo consequuntur, I. S. Carolo docente, obligationem Parochiæ diebus Dominicis adeundæ in eo positam esse, ut Sanctum Missæ Sacrificium & Dei verbum ibidem audiantur, ac proinde hæc duo supponantur fere conjuncta; II. hoc Dei verbum proprie nihil aliud esse, quam Instructiones, quæ *inter Missarum solemnia* fiunt, juxta Concilium, & ut statuit S. Carolus, non autem alio tempore, quod Missæ tempus fere non esset.

Id ergo firmum maneat necesse est, ex Tridentina Synodo Parochialis audiendæ Missæ obligationem adesse. Non explicat quidem Synodus, quot demum Dominicis diebus Parochialem Missam neglectam esse opus sit, ut Episcopi possint Fideles Censuris compellere; sed tantum generatim ait Parochialem Missam, siquidem id commode fieri potuerit, singulis diebus Dominicis audiendam esse. Verum non inde concludi potest, antiqua Concilia, quæ Tridentinum anteverterunt, ac deinceps Ecclesiam vel in Conciliis particularibus, vel in Ritualibus ejusmodi absentiam ad tres immediatos Dominicos dies redigere non potuisse. Nempe Synodus satis habuit declarare teneri populum Parochiali Missæ singulis diebus Dominicis interesse, integrum relinquens Episcopis, ut seu in Provincialibus Conciliis, seu in ipsorum Ritualibus omissionum numerum definirent, quarum qui rei essent, Censuris, aliisve pœnis, quas ipsi opportunas crederent, punirentur.

Neque vero mirandum est, Concilia particularia Tridentinum secuta, & deinceps bene multis in locis habita hanc audiendæ Parochialis Missæ obligationem insinuare: *vetus illud Decretum Parochi denuntiens*, inquit Concilium Burdegalense an. 1583. c. 5. ad finem, a Gregorio XIII. confirmatum, *quo proposita excommunicationis pœna præcipitur, ne quis tribus diebus Dominicis Parochialis Missæ celebrationi absit, quod ut servetur accuratius, sciscitentur Confessarii a pœnitentibus, an huic officio satisfecerint, & peccati gravitatem, ut ab eo arceantur, proponant.*

Concilium quoque Turonense an. ipso 1583. celebratum, & a Gregorio pariter XIII. confirmatum ita statuit *Cap. de fid. Laic.* num. 15. (*b*) *Sanctorum Patrum antiqua Decreta renovantes, omnibus & singulis Christifidelibus, suis Missis Parochialibus, singulis diebus Dominicis & Festis interesse districte præcipimus, a quibus si per tres dies Dominicos continuo sequentes illos abesse contingat, nisi legitimo impedimento retineantur, pœnas a Sacris Canonibus indictas incurrere declaramus.*

In Diœcesis Parisiensis Statutis an. 1608. idem traditur in hæc verba: (*c*) *Parochi frequenter admoneant Parochianos, ut, cessante legitimo impedimento, Missam Parochialem tam dominicis, quam aliis diebus devote audiant; quod si tribus Dominicis continuis audire neglexerint, eos nostro Promotori deferant debitam pœnam recepturos.*

Stephanus Poncher, Episcopus Parisiensis in suorum Statutorum uno ante Tridentinam Synodum, scilicet ineunte sæculo sexto decimo ita pronuntiaverat: (*d*) *Idcirco ex generali statuto universalis Ecclesiæ hortamur omnes Christifideles, singulis diebus dominicis & festivis Missam in Ecclesiis vestris audire de die Parochialem, cessante legitimo impedimento. Vos autem Curatos monemus in Pronis Missarum vestrarum hortari Parochianos vestros sub pœna excommunicationis incurrendæ, & emendæ, audire, nec discedere, antequam finiatur divinum servitium.*

S. Carolus, qui Concilii mentem assequebatur, veroque zelo ad ejus inculcanda Decreta ducebatur, Burdegalense & Turonense Concilia imitatus loco laudato pronuntiat Parochiæ Missam non jam novum præceptum esse, sed antiquam Ecclesiæ disciplinam, quam Canones ad imprimis urgentes, ut Fideles quam sæpissime ad propriam Parochiam conveniat, præscripserunt: *Canonum ratio*, inquit, *& disciplina Ecclesiastica id maxime postulat, ut ad Ecclesiam Parochialem fideles quam frequentissime conveniant, id quod ab Episcopis accurate eos moneri œcumenica Synodus Tridentina pie salutariterque decrevit; ejus decreti auctoritate pro eo, quod debemus, plane obtemperemus litteras monitionis, &c.*

Ex ea loquendi ratione, qua utuntur Concilia, quaque S. Carolus, & Statuta jam in medium allata sese explicant, haud facile judicabitur universa hæc testimonia eo tantum tendere, ut Fideles ad Parochialem Missam cohortentur; sed legitime potius inferri poterit, veram, proprieque dictam ejus obligationem adesse, veteri Ecclesiæ traditione firmatam.

Denique naturalis obligatio Pastoris erga proprias Oves Parochianos Missæ Parochiali addictos confirmat; si enim Pastoris est easdem cognoscere, idque ei tot Concilia ac Statuta commendant, is quidem certe

(*a*) Concil. Tridens. Sess. 22. c. 8. de Sacr. Miss. Mandat Synodus Pastoribus, & singulis curam gerentibus animarum, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant.

(*b*) Hoc Concilium a Gregorio XIII. approbatum fuisse constat ex Conciliis Patris Labbæi.

(*c*) Synodicon Parif. Henrici Gondii n. 7.

(*d*) Stephan. Ponch. 1503. Synodicon Parif. tit. de Eucharistia.

certe huic obligstioni satisfacere neqnit, nisi alia quoad Dues ipiss obligatio ponatur, ut nempe suo se ipsæ Pastoris conjungant, & spiritale pabulum recepturæ ad ipsum accedant; quandoquidem, ut Tridentina Synodus (*a*) loquitur, is unus est, a quo licite Sacramenta suscipiantur, Superioribus tamen non exelusis. Quod si qua dies est, qua Fideles convenire debeant, ut ea percipiant, ediscantque, quibus suæ ipsoium æternæ salnti prospiciant, ea certe Dominica dies est, prout sancte ab Apostolicis ad hæc usque tempora custodirum fuit; ex quo jam inde Parochiales Missæ, quemadmodum supra dictum est, *Synaxes* sunt appellatæ. Declarat id luculenter ac distincte Fillesscq in libro, quem scripsit *de origine Parœciarum c. 7.* verbis hisce: *Teneatar itaqae Parœci suos Parochianos instruere, quod nec melius, aec fructaosius, aisi diebas Domiaicis, & in Missa Paræciali; tenentur ergo Paræciani tunc temporis Paræcum audire docentem & monentem: quod si illi Paræciali Missæ adesse non teneantar, quæ ratio æqui & boni Paræcos magis obligare potest, at doceant suos; itaque par ratio obligationis atrosque constringit, aut pari facilitate ab omni onere solventur.*

Objiciuntnr Bullæ Pontificum, ut Leonis X. v. *Intelleaimas* an. 1517. & Pii V. v. *Etsi medicamentum*; sed eas Bullas revocavit Gregorius XIII. alia Bulla, qnsm Navarrus refert in Manuali cap. 27. adeoque non amplius earum habetur ratio. Bulla porro Clementis VIII. (*b*) v. *Significatum* an. 1592. nihil evincit adversus ohligationem Parochialis Missæ præceptis diebus audiendæ; quin potius Pontifex ea tantum conditione Regularibus privilegia concedit, ut passim Fideles ad Parochialem Missam audiendam excitent, & cohortentur. Non est autem vero simile, Clemeutem VIII. dum Regularibus mandat, ut populum ad eamdem Missam hortentur, velle, diebus Dominicis festisque solemnibus alibi andita Missa, huic eidem obligationi satisfieri. Loquitur ergo Pontifex de peculiaribus tantum Missis, quss festis diebus apud Regulsres audiri licet, atque ita Ecclesiæ præceptum impleri, quin aliam obligationem excludat, qua Fideles propriæ Parochiæ Missam audire tenentur. Hoc fsne sensu Bulla omnino explicanda est, ne Clemens VIII. in contradictionem, quæ aperta apparet, conjiciatur, ac ne idem Pontifex, quod omni caret veri specie, quicquam Tridentinæ Synodo oppositum msndasse videatur.

Opponitur etism Bulla, quam mense Martio an. 1625. edidit Urbanus VIII. sed hæc Bulla suppostitiam ipsa se prodit, & in Bullario non reperitur. Eam qnidem affert Jacobus Vernantius; sed ei non magna fides est adhibenda, quoad Auctoris tantum proscripti testimonio ac fide nitetur.

Quæcumque porro Congregationis Cardinalium Declsrationes hoc loco adversus audiendæ Parochialis Missæ ohligationem afferri possent, haud magni ponderis esse debent contra Tridentini Concilii, aliorumque complurium, quæ rum præcesserunt, tum subsecuta sunt, formale Decretum; idque eo magis, quod si quæ proponerentur, earumdem sinceritas ægre admodum ostendi posset.

Ut appareat, harum suppositsrum Declarationum Congregationis quæ tandem auctoritas esse possit, sstis fuerit animadverti, in iis inter alias, quas afferunt Zerola, (*c*) & Barbosa, ne in notabilis quidem negligentiæ aut contumaciæ casu populum censura, pœnis], &c. ad audiendam Psrœciæ Missam ab Episcopo compelli posse.

Utut res habeat, ejusmodi Declarationibus haud multum delatum fuisse necesse est, quoniam in Burdegalensi Concilio, (*d*) quod an. 1624. habitum est, qnodque Urbano VIII. Pontifice Maximo comprobatnm fuisse contenditur, veteres Canones quoad obligationem, imposita excommunicationis pœna, Parochialis audiendæ Missæ instaurati sunt. Concilium hoc declarat plura; primum, ne ulla privata Missa, solemnis & Parochislis tempore, celebretur; secundo loco renovatur antiquum Decretum alterius Burdegalensis Concilii an. 1583. celebrati; tertio monentur Confessarii, sacrique Orstores, ut Parochianos ad Parochialem audiendam Missam tum privatim tum publice cohortentur; quarto suspenduntur *ipso facto* Confessrii, Concionatores, & Theologiæ Professores, qui a Parochiali Missa abstineri posse publice docere, val consulere ausi fuerint. Msndatur autem Episcopo, ut, si quis adeo sacris Canonibus refragetur, ut ejusmodi errorem doceat, Metropolitanum moneat, ne cæteri Provinciales Episcopi eum ullo Ecclesiastico munere fungi patiantur.

Illustrissimus *de la Rochepozai* Episcopus Pictaviensis, qui huic Concilio interfuit, edits deinde Constitutione, allatum Decretum in propria Diœcesi custodiendum mandavit. Ejus autem Constitutionis hic tenor est: Cum ad aures nostras pervenerit turbari ex aliquo tempore multorum animos super obligatione, qus quisque obstringitur, freqoentandæ Parochialis Ecclesiæ, ut pro nostri officii ratione remedium afferamus, & observantism, quæ Provincialis Concilii, a Sede Apostolica confirmati auctoritati debetur, sartam tectamque servemus, declaramus, & mandamus, ut postremi Burdegalensis Concilii super hac re Decretum omnino servetur, cujus quidem tenor ejusmodi est, &c.

Si quæ porro Poatificum Bullæ extitissent, ut in Libello supplici contenditur, quæ declarassent, audita Missa in Regulsrium Ecclesia, Parochialis Missæ præcepto satisfieri: Burdegalense Concilium earum aliqusm mentionem fecisset, & Csrdinalis Surdieosis, qui eidem Concilio præfuit, earumdem rationem habuisset. Præterea si, qnemadmodum Pictaviensis Episcopus in sua Constitutione testatur, Urbanus VIII. Concilium idem Bardegalense probavit, non est, cur credatur, quod tamen proponitur, eum obligationi, qua fideles Psrochiali Missæ interesse tenentnr, esse refrsgatum.

Antequam propositionis primæ, quæ initio statim proposita fuit super Missæ Parochialis io universum obligatione, probatio absolvatur, & ad alteram gradus fiat: animadversione dignum est, contrariæ sententiæ fundamentum ex una parte Bullas esse vel perperam intellectas, vel fere abrogatas; ex alia parte censuram nec satis rationi consonam, nec satis firmam eorum textuum, qui in hujus obligationis gratiam producuntur. Ex paucis Auctorum contra sentientium plerasque rstiones, quæ quam parnm probabiles sint, haud difficile intellectu est.

Hand satis est ostendisse Parochialis Missæ adsistentiam cum proprie dicta obligatione conjunctam esse; illud præterea ostendendum est, eamdem obligationem in re gravi versari, quæ est altera propositio,

(*a*) Concil. Trid. Sess. 2. Refarm. Eas cognoscere valeat, & a quo solo licite sacramenta suscipiant.

(*b*) Clemens VIII. v. significatum. Ut in concionibus, & catechismis populum ipsum ad eorum Missas præsertim Dominicis, & aliis solemnibus festis diebus audiendas frequenter moneant, & adhortentur.

(*c*) Zerola 1. p. v. Missa §. 6. Barbosa in Concil. Trid. Sess. 22. c. 8. Sacra Congregatio dicit non posse Episcopum cogere populum mulctis, pœnis, etiam casu notabilis negligentiæ aut contumaciæ ire ad audiendam Missam in Parochiam primam.

(*d*) Concil. Bordegal. an. 1624. art. 3. de Divin. Offic. Nullum autem Sacrum privatum, durante solemni, publico, & parochiali, fieri prohibentes: Patrumque ultimi Provincialis vestigiis inhærentes decernimus vetus illud Decretum, &c. Confessarios quoscumque sæculares, sive regulares scrutari, &c. obligatos esse declaramus, iisdem omnibus & singulis Concionatoribus, & Confessariis præcipientes inter concionandum, & audiendum Confessiones, consulendumque privatim, exhortentur, & moneant populum Missæ Parochiali intersit devote ad verbum Dei, & ad divina Officia audienda. Si quis autem Concionator, Confessarius, aut Theologiæ Professor eo temeritatis devenisse reperiatur, ut contra hoc Decretum aliquid prædicare, consulere, docere publice val privatim ausus fuerit, eum ipso facto suspensionem & interdictum incurrere decernimus, nulloque eum in loco Provinciæ nostræ, nostræ contumacem, & sacris Canonibus adversantem ad functiones suas nunquam admittendum esse mandamus; eoque sine Episcopus, in cujus Diœcesi patrata fuerit hæc rebellio, hominem audacem ad Metropolitanum deferat, cæteros comprovinciales Episcopos certiores facturum, ne virum contumacem, & sacris Canonibus adversarium usquam recipiant; sed a se abjiciant, quo scilicet suo periculo discat Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem haudquaquam esse turbandum.

ctio, quæ in ipso disquisitionis hujus exordio posita est, & de qua agitur in præsentia.

S. Carolus in sexto Mediolanensi Concilio (a) pronuntiat Parochialis Missæ diebus Dominicis celebrandæ adsistentiam olim a priscis Ecclesiæ Patribus tanti habitam fuisse, ut antequam incoharetur, inquiri soleret, adessetne aliquis Parochianus extraneus, ut siquidem extitisset, ad propriam Parochiam mitteretur.

Idem statuit, iisdemque propemodum verbis Nannetense Concilium canone primo: *Ut Dominicis, & Festis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam velit audire, quem si invenerint, statim ex Ecclesia abjiciant, & ad suam Parochiam redire compellant*. Habet quidem Canon, si id ex Parochi contemptu fecerint, *qui proprio contempto Presbytero*; verum non inde sequitur, alibi Parochialem Missam audiri posse, si proprii Parochi contemptus non adsit; ea quippe verba *proprio contempto Presbytero*, non de formali, ac proprie dicto, sed de generali contemptu accipiuntur, perinde ac si diceretur, *omisso proprio Presbytero*. Si quis igitur alienæ Parochiæ fidelis inventus esset, interrogabatur, qua demum de causa Parochiam suam deseruisset, & alio se conferret audiendæ Missæ gratia, & cum nullam legitimam causam afferret, quemadmodum causæ nonnullæ in secundo ejusdem Concilii Canone recensentur, tum vero proprium Parochum, propriamque Ecclesiam contemptui ducere censebatur, remittebatur, & ex Ecclesia expellebatur. Hunc autem contemptum formalem esse necesse non erat; cum enim contemptus hic sæpe occultus internusque sit, nec agi proinde, nec hominem ex Ecclesia ejici licuisset, id obiter dictum sit, ut nimirum intelligatur, hanc loquendi rationem, *proprio contempto Presbytero*, sicubi vel in Conciliis, vel in Ritualibus, vel in statutis occurrant, non semper de formali contemptum accipiendam esse, sed sæpe significare generalem & interpretativum contemptum, videlicet omissionem, aut simplicem negligentiam, qua quis diebus Dominicis relicta proprii Parochi Missa, audiendæ Missæ gratia in alienam Ecclesiam se conferre maluerit.

Ut ergo ad id, quod supra dicebatur, revertatur oratio, multo ante S. Caroli tempora in Ecclesia id consuetudinis obtinebat, ut, antequam Parochialis Missa celebraretur, ullusne alterius Parochiæ fidelis adesset, inquireretur. Id quidem vulgo non amplius in usu est; sed non paucis in locis adhuc id moris obtinet, ut Missæ solemnis, & Concionis tempore, privatæ Missæ omnino non celebrentur, ne, quod Concilia, & multa quoque non pauca Synodalia Statuta monent, ab audienda Parochiali Missa populus avocetur; quod argumento est, audiendæ Parochialis Missæ obligationem in Ecclesia levem habitam non fuisse.

Theodulphus Aurelianensis Episcopus in Epistola jam laudata cap. 46. *omnes*, inquit hic magnus Episcopus, qui sæculo nono florebat, *ad suam matrem Ecclesiam Missarum solemnia & prædicationem audituri conveniant, Sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas tam caute ante secundam horam celebrent, ut populus a publicis solemnitatibus abstrahatur*.

Innocentius IV. sæculo tertio decimo, referente Azorio, (b) Bullam edidit, qua Regularibus cum alia præcepit, tum illud prohibuit, *ne item conciones haberent ad populum in suis Templis, donec omnia in singulis Parochiis Missarum Sacrificia facta essent, nec ullas Confessiones audirent absque Parochi permissu & consensu*.

Joannes Episcopus Nannetensis in suis Statutis Synodalibus an. 1383. prout Pater Martene (c) memoriæ prodit, *inhibemus*, inquit, *sub pœna excommunicationis, ne ante magnas Missas prædictas in dictis Parochialibus Ecclesiis celebratas, dictis diebus Dominicis, aliquis Presbyter in Capellis, vel Ecclesiis vestrarum Parochiarum Missas aliquas celebrare præsumat, propter quarum celebrationes retroactis temporibus Parochiani ad suas Ecclesias dictis diebus pro Missis & præceptis audiendis accedere non curabant*.

Concilium Senonense (d) an. 1528. statuit, ne quis ante Parochi Missam, & ante concionem celebrare præsumat; idem sancit Coloniense an. 1556. cap. 24. S. Carolus, cujus opera Tridentinum Concilium feliciter absolutum fuit, quique ejus mentem optime, si quis alius, assequebatur, in primo Mediolanensi Concilio mandat, ut, si Missæ, quæ ante Parochialem celebrari consueverunt, impediant, quominus illa audiatur, minime celebrentur.

In Statutis Henrici *de Gondy* Episcopi Parisiensis an. 1606. n. 17. ita legitur: *Inhibeantes sub simili pœna excommunicationis omnibus & singulis Presbyteris habituatis & Beneficiatis in Ecclesiis nostræ Diœcesis, & aliis quibuscumque, ne durante concione sacra, & Missa Parochiali majore, incipiendo a benedictione aquæ usque ad decantationem Agnus Dei, privatas Missas celebrent*. Quod si quando Episcopi in Capellis privatis celebrandi facultatem concedunt, id tum solum indulgent, cum propria Parochia commode adiri nequit, iisque impositis conditionibus, quæ a Parochialis Missæ auditione non omnino privatos eximant.

Fevretus in Tractatu de Abusu *l. 3. c. 2. n. 8.* meminit Rescriptorum duorum, quibus Parisiensis Senatus hanc eamdem disciplinam firmavit, ne scilicet ullæ privatæ Missæ, solemnis tempore, celebrarentur.

Ex his omnibus testimoniis inferri potest, Parochialis Missæ, tertio saltem quoque die Dominico, audiendæ obligationem, tanquam gravem magnique momenti rem habitam fuisse. Fatendum tamen hactenus allata monumenta generales tantum rationes esse. Ut ergo hujus obligationis gravitas ex essentialibus & fundamentalibus rationibus, quæ *a priori* dicuntur, appareat; expendendum est, quæ tandem ejus institutionis extiterint causæ, videlicet quæ, quantaque sit Missæ Parochialis utilitas, quæ, quantaque ex ea commoda Fideles percipiant; ac deinde ostendetur *a posteriori* ejusdem obligationis vis ac pondus ex ratione pœnarum, quas iis imponit Ecclesia, qui huic Parochiali officio defuerint.

S. Carolus, qui Diœcesanis suis id commendaverat, tanquam quod veterum Conciliorum & Tridentini Decretis, ut jam declaratum est, conforme esset, ut Suffraganeos suos vehementius excitet ad eorumdem Decretorum custodiam, quoad Parochialem Missam audiendam, a Populis eorum curæ concreditis obtinendam, ejus utilitatem, atque emolumenta iis explicat, eosque vehementissime cohortatur, obsecratque, ut eam praxim in sua quisque Diœcesi propugnent. Hæc Cardinalis adeo doctrina & sanctitate præstantis fere verba sunt. Excitati ejusdem Tridentini Concilii Decretis, nostrorumque etiam Majorum exemplo, ac vehementer optantes Diœcesis ac Provinciæ Mediolanensis populum ad salutem necessaria callere, ut bonorum operum praxi æternam in Domino mercedem consequi possit; proinde hortamur universos & singulos, eosque per viscera misericordiæ Jesu Christi obsecramus atque obtestamur, ut saltem diebus Dominicis, aliisque solemnibus Festis ad suas quisque Parochiales Ecclesias frequenter accedant, quamvis proxime non desint Oratoria, Capellæ, aliæque Ecclesiæ, in quibus sacrosancto Missæ Sacrificio interesse possint.

Por-

(a) Concil. 6. Mediol. Fuit olim tanti apud antiquos Patres ille frequens in Ecclesiam propriam Parochialem fidelium conventus, ut ad hanc disciplinam populi Christiani institutioni valde accommodatam retinendam certis Decretis cautio aliqua adhibenda sit. Primo enim hoc justum est, ut Dominicis Festisque diebus, Parochi, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, an alterius Parochiæ fidelis adsit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam audire velit, quem si invenerint, statim ex Ecclesia abjiciant at in Parochialem suam Ecclesiam ad Missam audiendam redire compellant.

(b) Azor. Tom. 1. l. 13. c. 2. q. 1. Inst. mor. pag. 576.

(c) P. Martene Tom. 1. l. 1. c. 3. de ant. ritibus Eccles.

(d) Conc. Senon. Ne vero populus ab hac Missa Parœciali, & ab auditione verbi distrahatur, placuit nobis, ut si quæ sint Missæ dicendæ Dominicis, hæ inchoentur primum post verbi prædicationem. *Acta Mediol. l. 4. de Miss. Paroch. n. 7.* Quod si die Festo etiam per istud Missæ Sacrificium, quod in aurora fit, populus a Parochiali Missa avocetur, tunc Episcopus illud etiam Festo die post Missam Parochialem fieri, celebrarive jubeat.

Porro si S. Carolus credidisset, ut obiter id animadvertamus, adsistentiam Parochiali Missæ tantum ex consilio, levique obligatione præstandam esse: adeone vehementibus urgentibusque verbis usus esset, cujusmodi quidem ea sunt, *per viscera misericordiæ Jesu Christi obsecramus, atque obtestamur?*

In propriis Parochiis, pergit idem sanctus Antistes, Populi divinum verbum, Christianæ fidei principia, atque alia ad salutem necessaria percipiunt ex Parocho, cui eorum cura commissa est; ibidem illi dispositiones ad Sacramenta cum fructu & pietate percipienda comparabunt, & præterea ad eadem frequenter suscipienda, prout sancta Tridentina Synodus optat, proprii Pastoris paternis cohortationibus in dies magis excitabuntur. Intelligent etiam Festos dies, si qui occurrant in hebdomada celebrandi; an ulla sint servanda jejunia; quæ ab ipsis officia postulet Christiana pietas, ullæne Processiones, aut stationes, preces, Indulgentiæ, Jubilæi, præterea quænam matrimonii publicationes, &c. quicquam ne sit, quod pro temporis ratione ad majorem eorum utilitatem monere, aut mandare Episcopus velit.

Persequitur deinde S. Carolus mala, quæ ex Parochialis Missæ negligentia proveniunt. Omnino ob hanc negligentiam, inquit Sanctus Antistes, ignorantur identidem gravissima Christianæ pietatis officia, cujusmodi est id, quod fidei articulos, & Sacramentorum usum spectat. Distinctius explicantur hæc mala verbis iis, quæ testimonium ex sexto Mediolanensi Concilio supra allatum proxime consequuntur. Denique magnus hic Cardinalis ita concludit: *His tot tantisque malis atque incommodis unusquisque occurrere studeat, diligenter exequendo, quod Sanctorum Patrum suadet auctoritas, quod Synodus Tridentina monere jubet, quod eu illius jussu de uniuscujusque vestrum salute solliciti paternis jussibus exhortamur.*

Quæ hactenus ex hoc sancto Præsule allata sunt, dubitare non sinunt, quin ipse Parochialis audiendæ Missæ obligationem gravem esse crediderit. Id nimirum vel ex Christiana Doctrina inter Missarum solemnia a Parochis tradi solita satis intelligi licet. Et sane inter ea, quæ Ecclesia proposuit, quæque Apostoli instituerunt, apprime utilis est Parochialis Missa. Cum enim Diœceseon, ac deinde Parochiarum Divisio statuta esset, atque ita suus unumquemque Gregem Pastor curaret, quod necessarium erat, ut confusio in Ecclesia vitaretur, ac ne sæpe Christianus populus sine subsidio jaceret: nihil melius, ut videtur, fieri potuit, quam ut Parochialis Missa singulis Dominicis institueretur, & fideles eidem interesse juberentur. Ita enim vel maxime non solum oves Pastori proprio junguntur, sed etiam Pastori præbetur occasio fidei dogmata iisdem tradendi, atque adeo ab erroribus, & ab iis omnibus, quæ Religioni adversari possent, Fidelium animos avertendi.

Christiani nominis sæculo nono, scilicet an. 844. duo Monachi, ut pecuniam congererent, in Sancti Benigni Divionensis Ecclesia suppositas Reliquias nescio cujus ignoti Martyris exposuerunt, commenti sunt eum Sanctum patrare miracula bene multa, quæ nonnullarum fæminarum sibi addictarum adminiculo doloque vulgarunt. Sparsus rumor illuc populos traxit undique, ut proinde Thibaltius Episcopus Lingonensis Amulonium Archiepiscopum Lugdunensem de re per litteras monitum vellet. Respondit sanctus hic Archiepiscopus has arrogatas Reliquias supprimendas esse, ut ita iis quidem Monachis fortuiti quæstus ex adeo damnanda suppositione percipiendi, Populis autem in superstitionem incidendi occasio penitus adimeretur; Christianum nempe populum ad propriam Parochiam vocandum esse, monendum sibi consistendum ibi esse, (a) *ubi sacrum Baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi a Sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur; ubi etiam decimas & primitias suas afferre præcipitur, ubi filios suos baptismatis gratia initiari gratulatur; ubi verbum Dei assidue audit; & agenda, ac non agenda agnoscit: illuc, inquam, vota sua, ac oblationes suas alacriter perferat: ibi orationes suas & supplicationes D. effundat, ibi suffragia omnium Sanctorum quærat . . . . hæc est enim legitima & ecclesiastica Religionis forma: hæc antiqua Fidelium consuetudo, per quam & vanitas novitatum amputatur, & vetusta & recta Evangelicæ atque Apostolicæ institutionis semita custoditur.*

Fillesacq *de origine peræc. c. p.* 621. ita loquitur in hanc rem: *cum felicissimæ recordationis B. Ludovicus bono Galliæ publico natus nullam vel priorem, vel magis congruam evellendæ istorum mentibus hominum hæresis viam rationemque esse putavit, quam si omnes Missæ Parœciali, ubi est legitimus populi conventus, diebus Dominicis interessent, quibus Pastores vere Pastores suæ curæ commissum recta docerent; ut non modo quod vere & sincere credendum sit, sed etiam quod probe & integre vivendum, intelligeret*. Id autem sanxit sanctus Rex sæculo decimo tertio an. 1229. ut Tolosanæ Provinciæ, aliisque circum prospiceret. Quamobrem, prosequitur idem Auctor, *S. Ludovicus tria in his regionibus Concilia Provincialia* celebranda curavit, *quorum unoquoque lata est lex de Missa Parœciæ qualibet die Dominica audienda, unde satis posteros moneret homines pravo & impio errore fascinatos nec melius nec commodius ad rectam Catholicam fidem revocari posse, quam publicis illis Missæ Parœcialis, Festo die, convenientibus, quibus legitimi Pastoris vocem, quæ mera est Ecclesiæ vox, audiant.*

Quocirca merito Tridentina Synodus *sess.* 25. *c.* 2. ita statuit: *Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel per alios, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis plebes sibi commissas, pro sua capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione exemptum se esse prætenderet, etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio extra Diœcesim existenti forsan annexæ vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint, provida Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur, parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

Ita nimirum res habet; Parochialis Missæ frequentatio Fidelium animos in fide confirmat; & sane Familiæ, quibus saltem qui præsunt, ad Parochialem Ecclesiam fere conveniunt, optime, si quæ aliæ, Religionis nostræ dogmata callent, & integerrimam vitæ rationem tenent. Id autem dubio procul in causa est, quamobrem Parochi sui in concionibus non placere studeant, sed prodesse, non blandiloqui, & prurientes auribus, sed paterna & familiari ratione audientium captui se accommodantes solidæ germanæque doctrinæ pabulo populum sibi creditum nutriant.

Neque vero est, cur asseratur, Parochianum Religionis nostræ mysteria non ignorantem Parochiali Missæ interesse non teneri. Etenim respondetur, Lege, quæ id præcipit, quod plerisque faciendum esse præsumitur, inferiores universos & singulos obligari, ac ne eos quidem excipi, in quibus ratio, quæ Legislatorem ad legem instituendam movit, non existit. Satis nempe est Ecclesiam, dum Parochiæ Missam instituit, judicasse, quod verum est, fere omnes Fideles indigere nostræ Religionis Mysteriis & Dogmatis instrui, ut vel qui ea callent, Parochiali Missæ interesse teneantur. Et sane Tridentina Synodus *Sess.* 24. *c.* 4. *de Reform.* nullam exceptionem adhibet, & generatim loquitur, dum pronuntiat *unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ad audiendum verbum Dei.*

Præterea sunt alia, quæ scire Parochianus debet, quæ quidem ab iis ipsis, qui Religionis dogmata sciunt, ignorantur, & audienda parochiæ Missa, percipiuntur; hæc autem, quæ sunt adeo scitu digna, paulo ante explicata sunt. Quid? Quod Parochialis Missa est Fidelium sub uno eodemque Pastore coeuntium communis oratio, quæ proinde majorem vim habet ad id, quod a Deo petitur, obtinendum, non solum quia publica & generalis ea est,

(a) Agobardus Tom. 2. pag. 244.

est, quasique cœlo vim infert, quæ quidem vis Deo cæteroquin injucundu non est, ut loquitur Tertullianus in sua Apologia, (a) verum etium quia cum eæ preces ex Ecclesiæ, quæ suum cuique gregi Pastorem dedit, diemque præscripsit, quo fere grex Pustorque conveniant, instituto offerantur, dignæ proinde sunt, quurum gratia Deus obedientiam exaudiut, quam ita communi matri Fideles præstunt. Id animadvertit Archiepiscopus Purisiensis in Constitutione die 20. Decembris un. 1696. edita, in qua de uudiendæ Purochiulis Missæ obligatione verba faciens, disertis verbis pronuntiat, in Parochiulibus Ecclesiis instructionem orutioni & Sacrificio adjunctam esse, prout ab Apostolicis usque temporibus in more positum fuit, ibique oves cum Pastore orantes, & dicentes *Amen* una voce, unoque spiritu, quemudmodum monet S. Athanasius, obtinendis iis, quibus indiget, aptiores esse.

Ac demum ud eos magis mugisque convincendos, qui a Parochiali Missu se abesse posse contendant, quod Christiana, quæ in ea traduntur, dogmata calleant, illud conveniat necesse est, ne attingatur obligatio, qua quisque eidem Missæ adesse debet, ut nempe aliis exemplo sit, ea ipsa dogmata ad salutem necessaria multo altius in unimis imprimi, ac firmius hærere, dum enunciantur, explicanturque legitimi voce Pastoris, cujus zelus cum vitæ integritate conjunctus sermoni vim, ac prope dixerim, vitum tribuit: quam si eudem dogmata simplici librorum lectione, vel alia theorica ratione perceptu fuerint. Pastor, quippe qui suas Oves cognoscit, singulorum sibi concreditorum Fidelium officiu non ignorat, multo sane facilius in suis Catechesibus, iisque paternis ac fumiliaribus descendere potest, nemine quidem indigitato, ad peculiares cujusque status obligationes, suisque Purochianis, quid in quaque conditione faciendum, quid evitundum sit, declarare plenius ac planius, quam alii fere Concionutores, quorum sæpe generales sermones sunt. Enucleata hæc explicatio non raro est iis ipsis apprime utilis, qui se cæterorum maxime eruditos præseferunt, quia contingit, ipsos, quid facto sit opus, non satis cognoscere, seu quod umor proprius eosdam excæcat, seu quod ud propriæ vitæ rationem non sutis unimum referentes impediuntur, quominus proprias obligationes cognoscant. Si ergo magna earum Pustoralium catecheseon utilitas, quæ cum Purochiali Missa conjunctæ sunt, ex iis rationibus una fuit, quæ Ecclesiam ud eamdem instituendam impulerunt, id satis firmo urgumento est, haud leviter, ut in expositione contenditur, eum peccare, qui eidem Missæ interesse neglexerit.

Satis porro non est ostendisse rutionibus ex naturu, prope dixerim, Parochiulis Missæ, seu potius ex ejus institutione depromptis, ejus audiendæ obligationem esse rem gravem, summique momenti, atque adeo ejusdem omissionem haud leve peccutum esse; id præterea probandum est, veritatem hanc in Ecclesia constantem firmamque habitam fuisse, id quod evinci potest ex pœnis in eos statutis, qui huic præcepto parere neglexerint, & ex zelo, quo non semel Episcopi eos cohibuerunt, qui contrariam doctrinam propugnare, ac vulgare ausi essent.

Plura Concilia ex iis, quæ supra allata sunt, & monumentu non pauca ad Tridentinam usque Synodum, & etiam deinceps excommunicationis pœnam exhibent in eos inflictam, qui tribus continuis diebus Dominicis ubsque ulla legitima excusatione Parochiali Missæ non interfuerint. Quod si variarum Diœceseon Ritualia Tridentinam Synodum tum præcedentia tum subsequentiu percurrantur, intelligetur eorum pleraque gravem aliquam pœnam injungere, seu potius prout quidem se explicunt, significare non levis culpæ reos esse, qui ne tertio quidem quoque die Dominico Parochialem Missam audierint.

Ex ingenti Ritualium, seu Stututorum Synodulium, præsertim Gallicorum numero, quæ in medium udduci possent, tum ante tum post Tridentinum Synodum, nonnullu seligi placuit, quæ tribuuntur in classes quatuor;

Quurum prima eorum est, ex quibus apparet Parochianos, qui a Parochiali Missa tribus continuis Dominicis diebus absuerint, *ipso facto excommunicari*.

Altera eorum est, quæ excommunicationem tantummodo minitantur.

Tertia est eorum Rituulium, quæ generatim loquuntur de pœnis in eos inflictis, qui absuerint ab eadem Missa.

Quartu demum classis ea complectitur, quæ nullam expressis verbis pœnam designunt, sed satis tamen significant Parochialis Missæ per tres immediatos dies Dominicos omissionem esse necessariam Confessionis muteriam. Hæc autem omnia Ritualia, seu Statuta in ejusmodi facti specie excusationem legitimam deesse supponunt.

Ut ergo a primæ classis Ritualibus initium ducutur, Rituale Petricoriense *an.* 1509. *pag.* 103. Nos vobis denuntiumus excommunicutos omnes veneficos, veneficas, &c. & omnes pariter utriusque sexus, qui ubsque legitima excusatione a Parochiali Missa tribus Dominicis diebus ubsuerint. Rituale un. 1651. redigit obligationem ad excommunicationem comminatoriam.

Rituule, seu Manuale Viennæ Allobrogum anno 1587. pag. 246. In eo declarantur excommunicati Patresfamilias, qui tribus continuis diebus Dominicis ubstinent ub audienda Parochiæ Missa, qui quidem legitimo impedimento cessante, incurrent excommunicationis sententiam.

Rituale Rothomagense un. 1640. pag. 408. alterum quoque an. 1651. pag. 31. Declaramus excommunicutos .... eos omnes, qui Purochiurum ordinem perturbant, & qui cum veterum stututorum Synodalium contemptu non intersunt; uut impediunt alios, quominus intersint per tres continuos dies Dominicos, ut loquitur Ecclesia primitivu, Parochialibus Missis, absque legitima excusatione. Manuale an. 1651. indigitat, tomo primo sub initium, antiquitatis omnia monumenta, quæ Parochialis Missæ obligutionem inducunt.

Ea vetera Statuta Synodulia, de quibus in hoc Rituali sermo est, sunt, ut videtur, ea, quæ anno 1544. edita sunt, in quibus dicitur oportere, ut Parochus interroget potissimum Parochianum, accedat necne Dominicis Festisque diebus ud Purochiulem Ecclesiam; ita ut si tribus continuis Dominicis diebus absuerit, sit excommunicatus (b).

In veteri Concilio Rothomagensi au. 1581. quod refertur in posttemo Rituali Parisiensi titulo de Parochi concione, mandutur, ut Parochus deferat ad Episcopum Parochianos, qui moniti, ut Purochiali Ecclesiæ diebus Dominicis interessent, tamen absuerint. Pater Juveninus tom. 2. de Sucrum. pag. 448. de hoc, ut & de Remensi Concilio ita loquitur: *Gregorius XIII. post Sacræ Congregationis examen Concilium Rothomagense sub Cardinale Borbonio habitum 1581. speciali Rescripto confirmavit.*

Item Remense sub Cardinale a Guisio celebratum anno 1583. & in his Conciliis mulctaruat Episcopi excommunicationis pœna, qui statutis diebus Missam Parochialem audire detrectabant.

Rituale Bellovucense un. 1637. pag. 260. loquitur in hunc modum: Vos monitos volumus, ex mandato sancti Tridentini Concilii, Provincialis Concilii Remensis, & Synodalium Statutorum Diœcesis, necesse esse, ut populus in Parochiam propriam conveniat, congregeturque omnino saltem singulis diebus Dominicis, Festisque solemnibus, & unusquisque Parochiali Missæ, quantum quidem commode poterit, dictis diebus intersit; declaratur deinde, absentes per Dominicos dies tres, juxta antiquos Canones, excommunicatos esse.

Et

(a) Tertull. Apolog. c. 30. coimus in cœtum, & congregationem, ut ad Deum quasi manufacta precationibus ambiamur orantes: & hæc via grata Deo est.

(b) Natalis Alexander tom. 3. Moral. de Sacr. Euchar. pag. 575. Si Parochianus lu Parochiu tribus diebus Dominicis continuis ad Missam non venerit, excommunicetur, & sic in Ecclesiis frequenter publicetur: item inquirat specialiter a pœnitentibus Parochianis, an venerint diebus Dominicis.

Et ejusdem Ritualis pag. 245. recensentur omnia antiquorum remporum testimonia, quæ de audiendæ Parochialis Missæ obligatione verba faciuut; denique pag. 248. hæc omnia Patrum & Conciliorum super Parochiali Missa testimonia Adventus & Quadragesimæ sanctis diebus Domiuieis legenda mandantur.

In Manuali an. 1544. pag. 36. titulo de Confessione generali leguntur bæc: & Parochialibus Missis sedulo non intersui quibusque diebus Dominieis, & quibusque præceptis diehus Festis, prout debebam.

Rituale Meldense an. 1645. pag. 201. Quieumque Concilia, hujusque Diœcesis Statuta Syuodalia eontemnentes tribus eontinuis diebus Dominicis absque legitima excusatione Parochiali Missæ non interfuerint, excommunicati declarantur. Et in Mannali an. 1546. pag. 75. Nemo ad sanctam Domini nostri Mensam, antequam eonfiteatur, accedat, si per tres Dies Dominicos absque legitima excusatione Parochialem Missam non audiit.

Rituale Lingonense an. 1679. pag. 526. idem tradit, & adhæret alteri an. 1612. pag. 123.

Rituale Veroduneuse an. 1691. pag. 282. Statuitur etiam in pluribus Conciliis & Synodis, præsertim hujus Diœcesis, ut Patresfamilias, qui tribus eontinuis diebus Dominieis absque justo impedimento Parochiali Missæ adesse neglexerint, excommunicationis pœnam incurrant.

Ad hanc primam elassem revocari potest id, quod refert Pater Martene (*a*) de veteribus Eeclesiæ Remeusis Statutis, quæ Eeclesiæ aditu & sepultura privant eos, qui a Parochiali Missa absuerint: *Statuta Synodalia Ecclesiæ Remensis*, inquit, *Sonnatio 22. Archiep. attribata cap. 7. an. 630. caret, inquiaat, Pastor ovem suam, & non negligat, & injuagat interesse Missæ Sacrificio diebus solemnibus & Dominicis, agnoscat ejas faciem, & si bis absit in anno, prohibeatur eidem Ecclesiæ ingressus, & careat pastorali sepultura, & consolatione.*

Denique ad hanc quoque elassem referri potest Extravagans Sixti IV. c. 2. *v. vices illius*, in qua excommunicantur *ipso facto* Regulares Mendicantes, qui in publicis concionibus docere ausi fuerint Parochianos non teneri Parochiali Missæ interesse.

Secunda classis. Redigi possunt ad hane elassem Ritualia, Statuta Syuodalia, & aliqua Concilia particularia, quæ audiendæ Parochialis Missæ obligationem excommunicationis pœna definiunt.

Concilium Agatheuse (*b*) sæculo sexto celebratum Can. 47. ita statuit: *Missas die Dominico Sæcularibus totas audire speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis eggredi populus non præsumat; quod si fecerint, ab Episcopo publice confuadantur.*

Coneilium Vaurense sæculo quarto decimo, nempe an. 1368. celebratum can. 84. hæc verba habet: *Ut honor debitus Parochialibus Ecclesiis abservetur, ac animarum periculis obvietur, salubriter statuendam duximus, si per duos Dominicos dies continuos in dictis Ecclesiis legitima causa cessante Missam non audiverint, & tunc babeant Parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelaturos in Ecclesiis nominatos, postea excommunicandos.*

Nannetes. In Statutis Synodalihus Simonis Episcopi Nannetensis sæculo decimo quarto, referente Pater Marrene loco eit. a. 6. pag. 334. hæc habentur: *Item præcipimus eis*, Parochis, *quod singulis diebus Dominicis & Festis solemnibus Missas celebrent infra horam tertiam, & moneant ex parte nostra Parochianos, ut ipsi, vel saltem sufficientior persona a qualibet domo compareat personaliter in Ecclesiis suis Parochialibus Missis, & alia divina præcepta facienda auditari, sub pœna excommunicationis, & dimidiæ libræ ceræ a qualibet deficiente solvendæ pro luminari Ecclesiæ Parochialis.*

Articulus 11. c. 3. Statutorum Synodalium ejusdem Diœcesis an. 1682. his verbis affertur, juxta Tridentinum Concilium, & Synodalia nostrorum Confratrum Decreta præcipimus omnibus nostris Rectoribus, ut suis in Concionibus declarent Fidelibus sibi subditis obligationem, qua tenentur, audiendæ Parochialis Missæ diebus Festis & Dominicis, saltem tertia quaque Dominica die, iisque denuntient se ab hoc officio abstinere non posse, quin Ecclesiæ ordini refragentur, eitra grave peccatum.

Rituale Clarmontiense an. 1518. pag. 24. Prohibeo sub excommunicationis pœna, ne quis, aut ne qua, qui per tres continuos dies Dominieos ad Parochiam suam non accesserint, si rationabilem axcusationem non afferant, Domini nostræ Mensæ aute Confessionem se sistant.

Statuta Synodalia Cameracensia an. 1531. pag. 52. excommunicationem minitantur iis, qui singulis diebus Dominicis propriæ Parochiæ Missam nequaquam audierint.

Mannala Clermontii, & S. Flori an. 1525. pag. 21. excommunieationem pariter miuitantur.

Concilium Narbonense an. 1551. ean. 36. in Parisiensi Rituali relatum, & Concilium Burdegalense an. 1583. supra eitatum in eamdem sententiam loquuntur.

Statuta Synodalia S. Maelovii an. 1620. art. 24. pag. 742. Ut juxta præceptum Apostoli omnia in Ecclesia eum dignitate atque ordine fiant, præeipimus secundum nostrorum prædeeessorum Statuta, ut magna Parochialis Missa inchoetur diebus Dominieis hora decima, quo Parochiani adesse valeant, ut communi jure tenentur, & obligantur; ob hanc eausam qui in Capellis privatis, aliisque Sacellis ab Ecclesia Parochiali sejunctis celebrant, jubentur hora septima eelebrare, vel expectare, dum magna Parochiæ Missa absolnta sit, ut & ipsi, & eorum plerique, qui ipsorum Missam audierint, pro temporis & loci ratione ad Parochialem Missam pervenire possint.

Et articulo eit. 24. instituta matutina Missa, ad quam Patresfamilias jubentur suos Domesticos mittere, adduntur hæc; & si forre eorum Dominorum vel Patrumfamilias nonnulli huic matutinæ Missæ Interesse voluerint, non proinde exempti aut soluti sint obligatione audiendæ magnæ Missæ in propria Parochiali Ecelesia: spectatis pœnis, eensurisque in eos indictis, qui ad eam venire negligunt, ut te ipsa quicumque absque urgenti necessitate, vel rationabili & honesta eausa per tres eontinuos dies Dominieos ab eadem absunt, graviter peccant, digni sunt, qui a Fidelium Communione removeantur, qua de causa nonnulla Concilia excommunicationis pœnam in boc hominum genus proponunt, ut magnus Osius ajebat in magno Sardicensi Concilio. . . . . atque adeo necesse est, ut ex quaque familia aliqui saltem, & qui primas tenent, quovis Dominico Festoque die Parochialibus Missis intersint.

Nam præter Missam, quam singuli Christifideles audire tenentur, debent illi insuper auscultare, intelligere, & suscipere eatecheses, eonciones, admonitiones, quas inter Missarum solemnia Parochi tradent, Festos quoque dies, & jejunia per bebdomadam ... & seeum in animo reputare, cum aliqua fiet aut nuptiarum indictio, aut Monitionis publicatio, aut excommunicatorum denuntiatio; aliter peccaturi, si nempe id pereipiendi, quod Christianus quisque seire tenetur, occasionem tibi elabi patiantur.

Lugdunum. Alphonsus Ludovicus *da Plessis* Richeliensis, Archiepiscopus Lugdunensis Statuto edito die 7. Maii an. 1631. quo instauravit Diœcesis Statuta, quæ expressis verbis sub excommunieationis pœna Parochialis Missæ audiendæ obligationem declarant. Statutum deinde ita habet: & ne populus ab hoc ufficio abducatur, inhibemus, ne ulla Missa ante magnam & Parochialem dicatur; monitos quoque volumus suffraganeos nostros, ut idem præstent, caveantque, ne quis exeat ex Ecclesia, nondum completa Parochiali Missa, cujus tempore omnes orationi vacabuut.

Rituale Cenomanense an. 1647. pag. 522. Excommunicationem minitanur iis omnibus, qui per tres eontinuos dies Dominicos absque legitima excusatione ad propriæ Parochiæ Missa n non venerint.

Rituale Catalaunense an. 1649. idem tradit. In Manuali Parochorum an. 1509. pag. 28. titulo de catechesibus ad Dominicæ Resurrectionis diem pertinentibus: equidem definio, ne quis, aut ne qua veniant ad Domini nostri Mensam ante Confessionem, si absque rationabili eausa Parochiæ suæ

(*a*) Martene tom. 1. c. 3. a. 9. pag 332. de aat. Eccles. ritib.

(*b*) Conc. Agath. an. 506.

non adfuerint saltem tertio quoque Dominico die.

Rituale Petricoriense an. 1651. parte 4. sub finem minitatur excommunicationem.

Rituale Bituricense an. 1666. tom. 2. pag. 14. Cum oves proprii Pastoris vocem audire, & Pastor gregem suum videre & cognoscere teneantur, præcipimus omnibus utriusque sexus Fidelibus, præsertim vero Parentibus, Dominis, cæterisque Patribus, Matribusque familias, ut saltem tertia qualibet die Dominica Parochiali Missæ adsistant, ut propriæ Ecclesiæ reddant, quod debent, audiant concionem, dictum Festorum, & jejuniorum indictionem, & cætera, quæ sciri opus est, idque sub excommunicationis pœna; mandamus in eum finem Parochis, ut diligenter explorent, quinam e Parochianis solemni Missæ adesse negligant ut nos certiores faciant, & necessarium malo remedium afferamus; ne quis autem prætextus, aut ansa populo suppetat, quamobrem absit a Parochi Missa, prohibemus omnibus Presbyteris sæcularibus aut Regularibus, ne concionentur, neve Processiones, Congregationes, aut Conventus publicos quocumque in loco, Parochialis Missæ tempore peragant.

Ratio potissima, quæ Conciliorum Patres impulit ad Parochiarum frequentationem Fidelibus imponendam, est vetus institutio Parochiarum, quæ non alia de causa fundatæ ac positæ fuerunt, quam ut Fideles congregarentur, &c. Altera, institutio Parochorum, qui residere tenentur, ut solemnibus Officiis fungantur, quique suas oves cognoscere nequeunt, si a se recesserint &c. Tertia, beneficia sunt, quæ nos ex Parochia tum bene valentes, tum ægrotantes percipimus. Quarta, ut preces nostræ conjunctis viribus editæ majus pondus haberent. Quinta, ut Fideles inter se arctiore vinculo, quasique glutine jungerentur. Consuli super hac re potest S. Carolus.

Manuale Vesontionense an. 1674. parte prima, exponens præceptum primum, affert Tridentini Concilii Decreta, Sixti IV. Constitutionem, & Synodi Vesontionensis Statuta an. 1592. quæ iis anathema minitantur, qui saltem diebus Dominicis propriæ Parochiæ Missæ non interfuerint.

Rituale Constantiense, seu Augustæ Romanduorum an. 1682. pag. 195. profert antiquorum temporum monumenta, quæ probant excommunicationis reos fuisse, qui tribus continuis Dominicis diebus a Parochiali Missa recessissent.

Rituale Bajocense an. 1687. pag. 394. Patresfamilias, qui absque legitima causa Parochialem Missam per tres immediatos dies Domioicos non audierint, excommunicationis metu terrentur.

Rituale Carnutense an. 1689. pag. 509. titulo de Parochi concione. Juxta Constitutionem plurium Conciliorum & Synodorum, ac singillatim hujus Diœcesis Carnutensis præcipitur omnibus Parochianis, ut quaque die Dominica magnæ Parochiali Missæ intersint, caveantque ne absint, nisi excusatio legitima præsto sit.

Præcedenti pagina 508. ubi de Concione verba fiunt, & complura veterum Conciliorum testimonia producuntur, ex quibus evincitur audiendæ Parochialis Missæ obligatio, tres quoque Synodi proferuntur annor. 1526. 1575. & 1587. in quibus excommunicatione mulctantur ii, qui a Parochiali Missa per tres Dominicos dies abfuerint. Et pag. 509. ita præterea legitur: *Communis atque antiquata ubique per Galliam consuetudo, id Pronis denuntiandi, atque intimandi, & plurima variarum Diœceson Statuta quibus idem frequenter renovatum cernitur.*

In ejusdem Diœcesis Manuali an. 1583. pag. 87. & an. 1604. pag. 82. declaratur, ne qui tribus continuis Dominicis diebus a Parochiali Missa recesserint, ad Sacram Mensam, antequam confiteantur, accedant.

Rituale Suessionense an. 1614. pag. 269. & alterum an. 1622. pag. 337. Patresfamilias percelluntur excommunicationis minis, si abfuerint a Parochiali Missa per tres immediatos Dominicos dies.

In Moritis publicam Catechismo an. 1702. pag. 294. Parochiali Missæ deesse peccatum est; nititur obligatio hæc bene multis veteribus ac recentioribus Ecclesiæ Canonibus, qui Excommunicationem iis omnibus minitantur, qui ab eadem Missa per tres non interruptos dies Dominicos absque legitima excusatione recesserint.

Rituale Seense an. 1695. pag. 45. excommunicationem comminatoriam in eos affert, qui tribus continuis Dominicis diebus Parochiali Missæ defuerint; & item aliud ejusdem Diœcesis an. 1634. pag. 155.

Ad hanc classem redigi potest Rituale Urgelli in Catalaunia, typis impressum Tolosæ an. 1617. pag. 34. Moneantur Fideles utriusque sexus, ut Dominicis, Festisque diebus ad Parochiæ Missam conveniant, ibique ad benedictionem usque consistant; quicumque porro id triplici die Dominico sine justa causa neglexerit, ex Ecclesia rejiciatur.

Tertia classis. Complectitur hæc classis Ritualia & Statuta Synodalia, quæ nullam peculiarem pœnam designant, sed eas tantum generatim innuunt, quæ a Canonibus in eos infliguntur, qui legitimæ excusationis expertes tribus diebus Dominicis non interruptis Parochialem Missam neglexerint.

Rituale Andegavense an. 1676. pag. 507. Monemus vos, juxta Provincialis Concilii Turonensis Constitutionem, omnibus Parochianis præceptum esse, ut magnam Parochiæ Missam audiant Dominica quaque die, sub Canonum pœnis, si per tres continuos Dominicos dies ab ea citra legitimam causam abfuerint. Consuli quoque potest Andegavensis Episcopi Constitutio an. 1634. Rituale an. 1626. pag. 503. in eamdem sententiam loquitur.

In Formulari Concionis Senonensi an. 1639. Octavi Bellegardii Archiepiscopi Senonensis jussu typis edito idem omnino traditur.

Occurrunt eadem verba in Constitutione Renesii Trecensis Episcopi sub initium Formularis Concionis, quod ipse typis edendum curavit an. 1640.

Videri possunt Statuta Synodalia Stephani Poncherii Archiepiscopi Senonensis an. 1524. quæ ad Promotorem deferendos declarant eos, qui Parochialem Missam audire neglexerint, pro errati ratione puniendos.

Ad hanc tertiam classem redigi possunt Ritualia quæ pronuntiant juxta Tridentinam Synodum Parochiæ Missam audiri oportere, cujusmodi sunt,

Albinense an. 1688. pag. 602.

Ambianense an. 1687. pag. 258.

Albigense an. 1687. pag. 472.

Laudunense an. 1671. pag. 35. sub initium secundæ partis.

Rituale Alectense 2. parte pag. 259. Monetur ex Tridentino Concilio Christifideles omnes teneri Parochiali Missæ sanctis Dominicis diebus adesse. Afferuntur porro hujus Ritualis verba, quæ in concione leguntur, ut appareat temere in libello supplici pronuntiari nullam in Rituali Aletensi pœnam imponi, nisi eum Parochialis Missa ex contemptu negligitur; laudatum enim Rituale, ut ea, quæ laudata sunt hactenus, quæque deinceps laudabuntur, de hoc formali contempta non loquuntur omnino; refertur illud ad Tridentinum Concilium, quod, ut supra probatum est, ad Parochialem Missam obligat, & ab ea recedentes per censuras insectandi facultatem Episcopis tribuit.

Ex hoc igitur Concionis Parochialis loco petenda est allati Ritualis mens, non autem ex alio textu, qui in libello supplici ex pagina 258. depromptus est; qui quidem ipse textus distinctionem ponit, dum graviter peccati statuit omnia Parochi Missa ex contemptu, negligentia, inobedientia; ex quo liquet ejusmodi peccatum non ex solo contemptu esse.

Rituale Parisiense an. 1697. pag. 517. Vos monitos volumus nomine..... ut juxta Tridentinam Synodum, hujusque Diœcesis Synodalia Statuta cæteris adesse diebus Dominicis, &c. Porro Tridentina Synodus audiendæ Parochialis Missæ obligationem supponit, quoniam Episcopis eam tribuit facultatem, ut Fideles ad eam censuris compellant. Inter Synodalia Diœcesis Statuta non desunt, quæ hujus Missæ adsistentiam sub anathematis pœna præcipiant, quale Stephani Poncherii Statutum est, (a) cujus verba supra allata sunt, aut sub interdictu

(a) Synodus p 126.

dicti pœna, ut loquitur Guillelmus Parisiensis, (a) vel ea demum imposita pœna, ut qui tribus Dominicis diebus absuerint, ad Promotorem deferantur.

Erratur ergo, dum in Expositione contenditur, Rituale Parisiense vel saltem sub gravis peccati pœna non imponere.

Illud porro in Rituali Parisiensi an. 1654 p. 461. animadversione dignum est, quod, postquam ex Conciliis, & Synodalibus Diœcesis Statutis, audiendæ Parochialis Missæ obligationem evincentibus multas probationes attulit, addit eam esse veterem Galliarum cousuetudinem, multis variarum Diœceseon statutis firmatam, ut audiatur Parochialis Missa, prout Carnutense supra allatum Rituale declarat.

Quarta classis. Ad hanc classem referuntur Ritualia, & Statuta Synodalia, quæ nullam vel peculiarem vel generalem pœnam designant, sed ita efferantur, ut satis appareat, eorum peccatum, qui sine legitima excusatione Parochialem Missam negligunt, magni momenti esse.

Rituale Senonense, quod, ut refert Pater Martene (b), Cardinalis Borbonii jussu editum fuit, statuit, ne, oui tribus continuis Dominicis diebus Parochialem Missam omiserit, Communione Paschali donetur.

Rituale Augustodunense an. 1503. seu 1523. pagina 74. Inhibeo, ne quis, vel ne qua, qui a propria Parochia tribus Dominicis diebus absuerint, nisi rationabilis excusatio eis præsto fuerint, ad Domini nostri Mensam ante Confessionem accedant.

Rituale Ecclesiæ Maguelonienssis pag. 38. & Rituale Aurelianense anno 1581. pag. 138. idem statuunt.

In Rituali Diœcesis Aurelianensis an. 1642. pag. 277. & anno 1664. pag. 297. num. 31. & in priore quidem leguntur hæc . . . . his de causis Parochiani tenentur Parochiali Missæ interesse; ac præter grati animi significationem, quam Pastoribus suis exhibere debent, communinnem cum suis Christianis fratribus, qui unum idemque Parochiæ corpus constituunt, ut exemplum, quod iis debent, ac re ipsa præbent, dum propriæ Ecclesiæ vocant; Sancti imprimis Canones Parochiali eidem Missæ unumquemque interesse jubent, & nominatim Tridentina Synodus id postulat; atque ita Fideles ad id de jure tenentur; de quo eos & Parochi monere debent.

Num. 33. Synodalia Diœcesis nostræ Statuta, quæ in hoc capite Carnutensi & Senonensi Synodis conformia sunt, iisdem Parochis præcipiunt, ut ad Promotores deferant eos, qui nullo legitimo impedimento detenti per tres continuos dies Dominicos Parochiali Missæ interesse neglexerint, ut puniantur pro ratione culpæ & negligentiæ, cujus pœna non minor ex antiquo instituto quam excommunicationis est, ut ex Conciliis Illiberi, Sardicæ, &c. celebratis licet intelligi.

Et num. 34. Quamvis alia Concilia non adeo distinctis verbis pœnam hanc explicuerint adversus eos, qui ejusmodi assistentiam, per tres continuos dies Dominicos præstare negligunt, eis tamen inurunt omnia gravis culpæ notam, super qua proinde Confessarii pœnitentes interrogare, & vehementer arguere debent. Videri potest Manuale vetus ejusdem Diœcesis an. 1581. pag. 138. quod hujus, de qua loquimur, culpæ reos, antequam confiteantur, ad Sacram Mensam vetat accedere.

Rituale Genevense, vel potius Rituale Romanum Pauli V. ad Genevensis Diœcesis usum anno 1674. pag. 159. Monemus vos Episcopi nostri nomine, Parochianos omnes per Concilia, & nupertime per Tridentinum Parochiali Missæ, Concioni, & Catechesibus, quæ sanctis diebus Dominicis, Festisque solemnibus peraguntur, interesse teneri; peccare eos graviter, & de peccato confiteri debere, si tribus continuis Dominicis diebus abfuerint, nec ob legitimas cæteroquin causas exempti fuerint, quo in casu Patresfamilias idoneam personam mittant, ex qua intelligere possint, quid Parochus pro concione mandaverit.

Manuale Remense an. 1530. pag. 31. Titulo de Confessione generali, quæ Feria Quinta in Cœna Domini fit; equidem non honoravi, nec sanctificavi sanctos Dominicos dies, & Festa præcepta, Parochialibus Missis audiendis.

Sed ut appareat, quænam hujus Diœcesis praxis hactenus fuerit, ad Parochiæ Missam quod attinet, afferre juvat Archiepiscopi Remensis Constitutionem die 19. Septembris an. 1686. editam, quæ declarat, quam antiqua sit Parochialis Missæ institutio, quaque Fideles ejusdem audiendæ obligatione teneantur, & zeli quoque exemplum exhibet, quod Episcopos ad hanc disciplinam in suis Diœcesibus custodiendam, & Fidelibus sibi subditis proponendam excitet.

Articulus 19. Adeo vetus est obligatio Parochialem Missam singulis Dominicis diebus audiendi, omnesque, quæ in ea traduntur, catecheses percipiendi, ut pronuntiari possit nullam aliam disciplinam esse, in qua Ecclesia ex tam longo tempore tam sæpe, tamque distincte mentem suam aperuerit. Cum Fideles apertis Mendicantium Oratoriis in adeo salutari praxi post decimum tertium sæculum deferbuissent: Tridentinæ Synodi Patres *Sess.* 22. *&* 24. *cap.* 4. *&* 7. ita super hac obligatione pronuntiarunt, ut in dubium revocari omnino non possit. Magnus ille Antistes S. Carolus, qui penitus intelligebat Decreta hæc, quæ a Sancta Synodo, Pio IV. ejus Avunculo Ecclesiam administrante, edita fuerant, nihil vehementius populis suæ Diœcesis, & Provinciæ Mediolanensis commendavit; atque adeo formulam edidit, quam in suo sexto Provinciali Concilio an. 1582. celebrato appellat *Litteras monitionis de conveniendo ad Paochialem Ecclesiam*, & in omnibus Provinciæ suæ Ecclesiis vulgari mandat; jamque an. 1574. quartæ Synodi Decreto quarto idem in Diœcesi statuerat. Quoniam Constitutio hæc, cui Mediolanensis sexta Synodus omnino conformis est, plena est Divino spiritu, totumque hoc negotium definit: propterea præcipimus omnibus Parochis Urbis nostræ ac Diœcesis universæ Remensis, ut eam Parochianis suis lectam velint quater quotannis, nempe primis Dominicis diebus mensium, Januarii, Aprilis, Julii, & Octobris post suas conciones, ad eos magis magisque firmandos in praxi, quam tenent, diligendi & frequentandi proprias Parochias, in quibus scimus eos parentum suorum exemplo assidue versatos esse; in hunc finem hanc S. Caroli Constitutionem ad hujus calcem typis edendam curabimus.

Articulus 20. Quia tamen difficile factu est, ut in tam frequenti populo non desint, qui tam gravi officio satisfacere negligant; declaramus nos usuros esse auctoritate nostra ordinaria, eaque, quam sancta Synodus nobis tribuit Sess. 22. ad eos utriusque sexus Ecclesiasticis Censuris cohibendos, qui legitima excusatione carentes a Parochiali Missa per tres continuos Dominicos dies absuerint; ex quo illi tamen inferre nequeunt se nonnisi tertia quaque Dominica die eidem Missæ adesse teneri, cum ea potius Ecclesiæ mens sit, ut ne una quidem die Dominica absint, cum legitime impediti non fuerint. Dum ergo nos dicimus, post triplicem tantum, eamque continuam ejusmodi omissionem nos in eos Ecclesiasticis Censuris usuros esse, id unum significamus nos erga eos indulgentia uti velle, ut disciplinæ nos conformemus, quam Illiberitanæ Synodi Nicæna antiquioris Canon 21. induxit in hæc verba: *Si quis in Civitate positus per tres Dominicas ad Ecclesiam non accesserit, tanto tempore abstineat, ut correptus esse videatur.*

Articulus 21. Prohibemus Regularibus, ne directe, vel indirecte in publicis concionibus, privatisve colloquiis Diœcesanos nostros a propriis Parochiis avertant; ipsisque præcipimus, ut potius eos ad easdem frequentandas, & propterea Concilii Gangrensis Canonem quintum animo retinendum extimulent: *Si quis docet Domum Dei contemptibilem esse & Conventus, qui in ea celebrantur, anathema sit.*

Articulus 22. Visum est postremo nostro Provin-

(a) *Synodus p.* 17. *an.* 1240. Præcipitur, quod Presbyteri Parochianos suos, qui tribus Dominicis continuis se ab Ecclesia absentant, sine justa causa & necessaria, interdicant, & ad Episcopum mittant interdicta.

(b) Marten. tom. 1. de ritib. ant. pag. 334.

ciali Concilio ita Ecclesiæ cordi esse Fideles diebus Dominicis ad suas quosque Parochias convenire, ut non satis babuerit ita statuere: *Diebus Dominicis & Festis in suas Parœcias popu'us conveniat, & Missæ, & Concioni, ac Vesperis intersit*, verum etiam addiderit: *Fraternitates, & Societates in diebus Dominicis hora Missæ Parœcialis non fiant*. Quod in causa fuit, ut nos longo post tempore Confratribus .... Diœcesis nostræ probiberemus, ne suos conventus matutino diei Dominiei tempore celebrarent, quippe cum magna in Urbe, cujusmodi nostra est, omnes Parochiales Missæ eadem hota celebrari non possent, iis eodem tempore concedentes, ut diebus Dominicis post meridiem, vel alio hebdomadæ die, quo maluissent, ac diebus ipsis Festis convenirent. Hujus autem Constitutionis praxim nos adeo rationi consonam ducimus, ut ad eam deinceps in Diœcesi nostra firmandam, cum magnopere commendemus observantiam, qua iidem ...., quinque ab binc annis & amplius id executi sunt, quod nos ipsis tantum verbo tenus an. 1681. in dictarum Congregationum negotio mandavimus; id eis præsenti nostra Constitutione iterum præcipiamus, eamdemque permissionem tribuamus, injungentes, ut quod hac in re nobis placere noverint, id sancte custodiant.

Inhibemus pariter omnibus hujus Urbis Regularibus, cujuscumque demum Ordinis fuerint, ne quem conventum Confraternitatis nomine celebrent in suis Ecclesiis, diebus Dominieis ad meridiem usque, iis liberum relinquentes, ut dictos Confratres, a nobis quidem, vel a Decessoribus nostris probatos congregent diebus Dominicis post meridiem, vel alio per hebdomadam die, pro arbitratu, vel si festus extiterit. Id autem Regulares omnes exequentur libentius, si laudati Gangrensis Concilii Canonem sextum ob oculos habuerint: *Si quis extra Ecclesiam seorsum Conventus celebrat, & despiciens Ecclesiam, ea, quæ sunt Ecclesiæ, voluerit usurpare, non conveniente Presbytero juxta decretum Episcopi, anathema sit.*

Sane non ignoramus, Gangrense Concilium habitum fuisse quatto sæculo adversus quemdam nomine Eustathium, Episcopum, seu Monachum Armenum, qui singulari schismaticaque, prurigine populos ad multa singularia trahebat, & a legitimis Pastoribus abducebat. Quamquam porto Regulares similis schismatis accusare nec volumus, nec vero possumus, quippe qui ita se gerant, itaque se nobis obsequentes exhibeant, ut eos paterna nos benevolentia complectamur; eas tamen loquendi formulas, quibus hujus Concilii Patres usi sunt, usurpamus, quod easdem aptissimas judicemus ad altius infigendam in Regularium animis Ecclesiæ doctrinam, quod attinet ad obligationem, qua Fideles Parochiali Missæ adesse tenentur, cui doctrinæ eos se conformare omnino volumus.

Ex omnibus hactenus allatis variarum Diœceseon Ritualibus, & Constitutionibus, seu Statutis Synodalibus liquido constat, eorum peccatum, qui tribus continuis Dominicis diebus a Parochiali Missa abfuissent, grave semper habitum fuisse, ac proinde ejusdem Missæ, cum id commode fieri poterit, ut Tridentina Synodus loquitur, audiendæ obligationem & magni ponderis, & peccati mortalis materiam esse.

Quod si qui Episcopi Parochialis Missæ obligationem non ita vehementer in suis Ritualibus, aut Constitutionibus commendarunt, ut ii, quorum testimonia supra retulimus; id eo fecerunt, quod crederent Conciliis particularibus, quæ variis in locis, variisque temporibus in Gallia post Tridentinam Synodum habita fuerant, obligationem hanc, de qua ii quidem nunquam dubitaverant, satis firmatam esse. Id non temere dici ex Cleri Congregationibus infra afferendis compertum fiet.

Illud hoc loco animadversione dignum est, si Ecclesia in Conciliis, aut Episcopi suis in Ritualibus triplicis tantum continuæ Parochialis Missæ omissionem, quæ quidem die Dominica celebratur, pœnis afficiunt, inde tamen non evinci quamlibet omissionem sine legitima excusatione peccatum non esse: sed illud evinci tantummodo eam Ecclesiæ humanitatem & indulgentiam esse, ut ne filios suos, qui semel obedire neglexerint, puniat, sed expectet, dum omnino rebelles sint. Cum enim Ecclesia ob triplicem absentiam, utpote quæ contumaciam ostendat, pœnam imponit, per absentiam unamquamque præceptum violari non obscure significat.

Non ergo mirandum superest, Episcopos persuasum habentes Parochialis audiendæ Missæ obligationem adesse, ut tum ex veteribus, novisque Ritualibus, tum ex eorum Synodalibus Statutis apparet, adeo se vehementer iis opposuisse, qui auderent contrarium docere, & ab eadem Missa Fideles abducere; vel ita ut eos palinodiam canere cogerent, vel ita ut doctrinam adeo Ecclesiæ menti, & Fidelium bono repugnantem censoria virga notarent. Ita se gessit Archiepiscopus Rothomagensis an. 1640. qua de re consuli possunt Monumenta Cleri tom. 1. pag. 1013. ubi Regularis, qui Parochialem Missam e suggesto impugnaverat, veniam petit; & cum Archiepiscopus conquereretur, coactus est in hunc modum se retractare: non licet avocare populos a Parochiali Missa, sed ad Regulares spectat eos ad ipsam extimulare, quippe quos nominatim Tridentina Synodus id facere jubeat.

Ita quoque se gessit Archiepiscopus Vesontionensis, qui die 7. Maii an. 1691. Libellum proscripsit, quo responsum fuerat Dissertationi ab Oratorii Patre in Parochialis Missæ favorem editæ. (a) Proponebat Libelli Auctor, I. nec veteri nec novo Jure audiendæ Parochialis Missæ obligationem adesse; II. ejusmodi legem, siquidem ulla sit, non amplius vigere, III. non esse peccatum a Parochiali Missa abesse, *secluso contemptu*; IV. Fidelem nullum ad id censuris adigi posse. Laudatus Archiepiscopus damnavit doctrinam banc tanquam erroneam, & Tridentino Concilio contrariam; Decessorum suorum Statuta redintegravit, eademque tanquam legem & præceptum servari voluit, quæ quidem ex longo tempore instituta & servata fuerant in Germania, Flandria, & præsertim in Gallia; declaravit excommunicatum Auctorem, & coadjutores ejusdem Libelli, vi Extravagantis Sixti IV. *c. Vices illius de Tregua & pace*, pronuntiavit eamdem pœnam contra Typographos, Bibliopolas, aliosque, qui in lucem ederent, venderent, aut legerent, &c.

Ita etiam statuerunt Episcopi an. 1700. titulo de Parochiæ Missa, confirmantes censuram Congregationis Cleri an. 1655. occasione nonnullarum propositionum contra Parochialis Missæ obligationem; censura hæc tunc missa fuit ad alios Episcopos per encyclicam Epistolam ad ipsos datam; eæ vero propositiones ejusmodi erant.

Nulla adest conscientiæ obligatio ad Parochiales Ecclesias accedendi, vel ut anniversarium Pœnitentiæ Sacramentum suscipiatur, vel ut audiatur Parochialis Missa, & Concio, vel ut ea, quæ ad fidem, bonosque mores spectant, in Catechesibus, Sermonibusque ibidem haberi solitis percipiantur.

Nec Episcopi, nec Provincialia ac Nationalia Concilia obligationem hanc instituere, nullisque pœnis aut Censuris Ecclesiasticis transgressores mulctare possunt.

Non potest populus ex Tridentino Concilio Censuris & pœnis Ecclesiasticis ad propriam Parochiam impelli diebus Dominicis, ut Parochialem Missam ibidem audiat.

In Cleri Congregatione an. 1700. rursus damnata est harum propositionum doctrina, tanquam falsa, temeraria, scandalosa, jam acriter a Gallicano Clero proscripta, sanctis Canonibus, & Apostolicæ

(a) Juveninus tom. 1. de Sacrament. pag. 441. & 442. Libelli erroneam doctrinam continentis, Sacri Concilii Tridentini decretis contrarium ..... sancita ea de re Archiepiscoporum Prædecessorum nostrorum statuta innovamus, ac restituimus, volumusque, ut impo:terum observentur tanquam lex & præcepta, quæ jamdiu in Ecclesia sancita sunt; quæque obtinent in Germania, Flandria, & præsertim in Galliis, ut pluribus in Conciliis, quæ in variis Regni Provinciis habita sunt, ut videre est; necnon etiam in Papæ Sixti IV. Constitutione, quæ incipit: *Vices illius* &c.

cæ Traditioni contraria, quoniam Apostolus præcipit, ne, quod nonnulli facere consueverunt, a Fidelium conventu recidamus. Theologiæ Facultas idem fere pronuntiaverat, dum sua censura diei 24. Maii an. 1664. damnavit tanquam falsam, & Tridentino Concilio contrariam hanc Venantii propositionem: populus non potest ex Concilio quidem cogi censuris & pœnis Ecclesiasticis adire propriam Parochiam diebus Dominicis ad Missam audiendam.

Præter allatas Congregationes annorum 1655. & 1700. eæ quoque, quæ an. 1635. & 1645. habitæ fuerant, idem edixerant, quamvis in alia facti specie, ut apparet ex declaratione, quæ refertur in judicio verbali Congregationis an. 1645. quæ eam renovavit, confirmavitque. Articulus 3. declarationis hujus, quæ in congregationibus superioribus edica fuerat, his verbis conceptus est.

Cum necessitas, quæ oves tenet, audiendi Pastoris vocem, quæque Pastorem tenet, videndi & cognoscendi gregem suum, occasionem præbuerit Ecclesiæ statuendi, ut saltem tertia quaque die Dominica Parochialibus Missis populus interesset, concessa facultate Prælatis, ut censuris Ecclesiasticis eumdem adigerent; Constitutio hæc sedulo servanda est, tum ut propriæ Ecclesiæ reddatur id, quod debetur, tum ut audiantur Concio, indictio dierum Festorum, jejuniorum, monitionum, & alia, quæ quæ scienda sunt, quæque ibidem docentur. Quamobrem prohibetur, ne Regulares contra atque institutum est, quicquam doceant, concionentur, aut consulant; ac ne populus negligendæ Parochialis Missæ ullam ansam, ullumve prætextum arripiant, prohibentur Regulares concionari, Processiones instituere, Congregationes & Conventus publicos in suis Monasteriis habere, dum Parochialis Missa celebratur. Sane sub finem harum Reformationum an. 1645. proponitur exhibenda Pontifici supplicatio, ut eas ratas babeat; eum tamen quicquam super hac re statuisse non appatet; id unum constat, ejusmodi Reformationes in omnibus deinceps habitis Congregationibus innovatas, & confirmatas fuisse.

Ex eo porro, quod in Expositione dicitur de Brevi Alexandri VII. ad Episcopum Andegavensem occasione nonnullarum propositionum, quas a Regularibus enuntiatas idem Episcopus proscripserat, cujus censuram Cleri Congregatio an. 1655. confirmaverat; adversus audiendæ Parochialis Missæ obligationem nihil evinci potest; quin potius Breve eidem obligationi patrocinatur. Etenim I. propositio ab Episcopo Andegavensi ad Alexandrum VII. delata concepta erat his verbis: (a) Nemo tenetur in foro conscientiæ ad Parochiam propriam accedere, vel ut annuam Confessionem edat, vel ut Parochialem Missam audiat, vel ut Dei verbum percipiat. Respondet Pontifex: Hæc propositio quoad primam & secundam partem nude ac simpliciter accepta erronea & temeraria est; positis tamen privilegiis, nulla censura digna est; ad tertiam partem quod attinet, quæ quidem ad Dei verbum spectat, Tridentinæ Synodi constitutioni standum est.

Priores duas allatæ propositionis partes tanquam erroneas & temerarias proscribens Pontifex, eamdem propositionem simpliciter & in se ipso spectavit, nempe juxta commune Jus adeundæ Parochiæ; commune Jus igitur ad Parochiæ Missam obligat; Pontifex id ponit tanquam certum ex ordinaria regula quemque ad Parochialem Missam audiendam obligari. Id sane addidit Alexander VII. eam propositionem, positis privilegiis, nulla censura dignam esse. Porro demonstratum est supra, si qua privilegia extitissent, omnia seu a Sixto IV. in Extravaganti *cap. Vices illius*, seu a Tridentina Synodo, seu a Pontificibus ipsis revocata fuisse.

II. Animadversione dignum est, Alexandrum VII. quoad auditionem divini Verbi Tridentinæ Synodi dispositionem servari velle. Divinum autem hoc verbum juxta S. Carolum, & Concilii mentem illud est, quod enuntiatur *inter Missarum solemnia*, quodque Parochialis concio nuncupatur. Cum porro concio hæc Parochialis Missæ partem constituat, concludi potest non eam hoc loco Pontificis mentem esse, ut Parochialem Missam a concione sejungat, atque adeo eam spectet tanquam rem separatam, quæ nullam obligationem adjunctam habeat.

Illud in expositione probari contenditur, si Parochialem Missam Fideles diebus Dominicis audire tenerentur, Cleri Congregationem an. 1655. optionem daturam non fuisse diebus Dominicis & Festis vel in Parochiali, vel in Cathedrali Ecclesia Missam audiendi. Respondetur, ut Congregatio an. 1655. id dixisset, quod eidem adscribitur, quod tamen non ita se habet, non inde legitime inferri posse, Parochialis Missæ audiendæ obligationem nullam adesse. Cathedralis enim, cum Matrix, & Episcopi Ecclesia sit, peculiari privilegio, quo ceteræ minime gaudeant, frui potest; ut non proinde consequens fiat Parochianum officio suo satisfacere, si in qualibet alia Ecclesia diebus Dominicis Missam audiat, ut, si in Cathedrali audiret, satisfaceret; fatendum tamen est, si in Cathedrali instructiones non traderentur, quæ traduntur in Missa, prout Tridentinum Concilium requirit, cum pronunciat quemque ad Parochiam convenire debere ad Dei verbum audiendum, hoc in casu Concilio standum, & quod expressis verbis in Rituali præcipitur, servandum fore.

Post hactenus dicta proponi non potuit, quod in expositione factum est, Parochialis Missæ omissionem peccatum non esse, vel si sit, esse leve, ac secluso contemptu, qui quidem formalis esse debet, mortale peccatum non esse, quod ea obligatio magni momenti non sit.

Jamdudum est, quod qui Parochiali Missæ refragantur, in eum modum loquuntur. Ad Cleri Congregationem an. 1655. delatus est liber Auctoris, qui doctrinam haud dissimilem proposuerat, quam iisdem fere verbis efferebat, ut ex hujus Congregationis verbali judicio pag. 1323. licet intelligi. Porro ex ratione, qua hujus Auctoris sententia ibidem refertur, quid Congregatio sentiret, facile dignosci potest.

Cum Parochialem Missam, & Catecheses, quæ in ea traduntur, audiendi præceptum, si quod aliud, in Ecclesia sit antiquissimum, hæc verbalis sententiæ verba sunt, Auctor bic asserere non est ausus id præstandi obligationem re ipsa nullam esse; sed eam tamen iis verborum circuitionibus imminuebat, ut cum scripsisset majorem alterius Ecclesiæ adeundæ commoditatem excusationi fore, ne ad Parochialem accedatur; Tridentinam Synodum id unum mandare, ut in Parochiali Ecclesia divinum verbum audiatur, de Missa vero nihil præcipere; dummodo non adsit expressus Parochorum & cæremoniarum Parochialis Missæ contemptus, ab eadem Missa omnino sine peccato recedi posse; Episcopos neque ex Concilio, neque auctoritate propria censuras, aliasve spirituales pœnas statuere in eos posse, qui non adfuerint: tandem pronuntiat antiquiores Canones, qui Parochiarum frequentationem præcipiunt, Parochiæ nomine usos esse ad cujusvis generis Ecclesias significandas; utque se tueatur a vetere disciplina, quæ adeo aperte ejus opinioni adversatur, obtrudit novas leges plus valere quam veteres, contenditque Superioris silentio legitimum abusum effici, perinde ac si somnus ejus, qui bonum semen in agro seminat, dum interim inimicus homo zizania superseminat, in causa esset, ut id expectatæ messi minus noceret; & perinde ac si novæ leges & Tridentinæ Synodi cohortationes audiendæ Parochialis Missæ inveteratam obligationem non supponerent.

Verum ut distinctius iis satisfiat, quæ in Libello supplici proponuntur, tum nempe solummodo, neglecta Parochiali Missa, peccari, cum formalis contemptus, aut scandalum adest; respondetur, nec Con-

(a) Nullus in foro conscientiæ Parœciæ suæ interesse tenetur, nec ad annuam confessionem, nec ad Missam, nec ad audiendum verbum Dei. Respondet Papa Alexander VII. Illa propositio quoad primam & secundam partem simpliciter accepta, est erronea & temeraria, e suppositis vero privilegiis nullam meretur censuram. Quoad tertiam de auditione verbi, servetur dispositio Concilii Tridentini.

Concilia, nec Ritualia, nec censuras, de quibus supra dictum est, formalis contemptus, aut scandali mentionem facere, cum eos damnant, qui per tres continuos Dominicos dies eamdem Missam neglexerint; ac proinde hanc præcepti Ecclesiastici violationem tanquam inobedientiam suapte natura in re gravi versantem, adeoque tanquam notabilem culpam spectari; iis enim censuris, pœnisque Ecclesiasticis, ut quod non semel dictum est, repetatur, quæ imponuntur, aut quas imponendi jure gaudent Episcopi, mortalia fere peccata supponi. Id sane convenit, formalem contemptum lethale peccatum esse, earum quoque rerum ratione, quæ nullam obligationem adjunctam habent; etenim qui verbi causa consilia Evangelica ex formali contemptu rejiceret, mortaliter peccaret. Id etiam convenit, in omnibus Ecclesiasticorum Præceptorum aliorumque transgressionibus materialem, seu interpretativum contemptum existere, qui tamen a transgressionis peccato nequaquam distinguitur.

Sed illud quoque fatendum est, cum contra legem tum solum peccatur, cum contemptus, aut scandalum adest, concludi posse legis hujus transgressionem nunquam ipsam per se mortale peccatum esse, ut quod inde consequitur, censura puniri non posse, tametsi tribus continuis vicibus iteraretur; quandoquidem fieri potest, ut ex pura putaque negligentia, vel ex præpostero libertatis usu iteretur: id quod citra specialem ac formalem contemptum potest existere. Jam vero ex omnibus hactenus allatis probationibus constat excommunicari, vel facultatem tribui puniendi censuris, aliisve pœnis eos, qui a Parochiali Missa tribus continuis Dominicis diebus abfuerint. Additur & illud; inutilem fore potestatem, qua gaudent Episcopi, censuris in eos animadvertendi, qui huic officio defuerint, quia cum eorum contemptus sæpe sit internus, ac proinde occultus, puniri non possent, quamvis propriæ Parochiæ non interessent. Præterea nisi contendatur Leges Ecclesiasticas tum solum obligare, cum adest contemptus & scandalum, qui Hæreticorum error est, ut monet Bellarminus lib. de Sacram. Bapt. c. 6. non apparet, quo jure inter audiendæ Parochialis Missæ præceptum, & præcepta cætera Ecclesiæ discrimen statuatur. Si enim in priorum transgressione independenter a contemptu & scandalo peccari potest, de hoc quoque videtur idem sentiendum, nisi forte propugnari libuerit materiam præcepti Parochialis Missæ parvi momenti esse; quod non ita habet, ut probatum est.

Illud in Expositione conceditur, mortale peccatum committi, cum diebus Dominicis universim, aut tribus continuis diebus Dominicis a Parochiali Missa receditur, dum in Rituali Diœcesis excommunicatio *ipso facto* proponitur. Sed fatendum est etiam, ut videtur, tum quoque peccari, cum in Rituali occurrit excommunicatio commioatoria, vel pronuntiatur subeundas fore pœnas a Canonibus inflictas, vel ad Sanctam Mensam, confessione non præmissa accedi non posse. Porro Ritualium, aut Statutorum Synodalium pleraque utuntur ejusmodi loquendi formulis, ut supra declaratum est. Denique generatim constat Episcoporum nullum esse, cui jus non adsit Fideles ad Parochialem Missam censuris compellendi, quod profecto evincit mortale peccatum in hoc negotio independenter a contemptu vel scandalo patrari posse.

Supervacaneum videtur inquirere, an cum Ritualia excommunicationem, aut aliquam aliam pœnam indicunt, id ita sit accipiendum, ut, posita triplici absentia, eademque per tres continuos Dominicos dies, statim delinquentes puniendi, vel persequendi jus adsit, an vero tum solummodo, cum post eamdem absentiam triplicem, secuta monitione, rursus sine legitima excusatione receditur. Ut ut enim res habeat, illud semper consequens fit, præcepti Ecclesiastici transgressionem grave peccatum esse. Quamquam Ritualia de hac quidem monitione silent, neque eam fere supponunt.

Ad ostendendum porro Parochialis Missæ diebus Dominicis audiendæ obligationem his temporibus non amplius vigere, illud imprimis objicitur, ejusmodi consuetudinem obsolevisse, quoniam plerique Fidelium ei Missæ non intersunt.

Respondetur I. optimos & probatissimos quosque fere Parochiali Missæ Dominicis diebus adesse; præterea Tridentinam Synodum, cum hujus Missæ diebus omnibus Dominicis audiendæ obligationem restituit, omnibus privilegiis & consuetudinibus contrariis derogasse *sess. 22. dec. de observ. & evit. & sess. 24. c. 3. de Reform.* his verbis: *non obstantibus exemptionibus, privilegiis, & quibuscumque consuetudinibus*. II. Rationes & causæ, quæ ad Parochialem Missam instituendam, eamdemque Fidelibus præcipiendam Ecclesiam moverunt, graviores sunt, ut jam declaratum est, quam ut ea consuetudo, quæcumque demum fuerit, non tanquam proprie dictus, & Ecclesiæ ipsi maxime perniciosus spectari possit. III. Dici nequit disciplinam hanc, quæ antiquissima, si qua alia, in Ecclesia est, quamque Ecclesia singulis quibusque sæculis innovavit, hoc quidem tempore obligare desiisse, quoniam Ritualia hanc obligationem declarant, & a Parochis pro concione singulis diebus Dominicis inculcari præcipiunt. Huic igitur arrogatæ consuetudini, quæ irrepsit, ut Fideles diebus Dominicis Parochiali Missæ non amplius intersint, Ecclesia reluctari censetur. Et sane consuetudo, ut adversus legem præscribat, ejusque obligationem aboleat, legitima & rationabilis sit oportet; quorum neutrum occurrit in hac, ut contenditur, consuetudine; non est rationabilis, quia nocet Fidelium bono; non est legitima, quia Episcopi per Synodalia Statuta, & in Ritualibus ei refragantur.

Quæ hactenus dicta sunt, quæ ex Cleri, & Theologicæ facultatis Parisiensis censuris allata, quæ ex Ritualibus constant, quæ denique singulis Dominicis diebus inter Missarum solemnia repetuntur, dubitare non sinunt, an Parochialis Missæ audiendæ obligatio adhuc vigeat.

Natalis Alexander, cujus eruditio perspecta est, quique in Expositione appellatur occasione Bullæ Clementis VIII. postquam quæstionem hanc funditus expendit, non obiter ac perfunctorie, quod nonnulli Doctores fecere, qui, an obligatio, de qua agitur, adhuc vigeat, dubitarunt, & quorum cæteroquin auctoritas nonnullius ponderis esset, si præsentem difficultatem sedulo discussissent, ita graviter pronuntiat *tom. 3. Theolog. Dogm. & Moral. de Sacram. Euchar. Regul. 11. de Miss. Paroch. pag. 581. Potest tamen fieri aliunde, ut quis peccet etiam lethaliter, non audiendo Missam in propria Parochia: at si quis eam nolit audire ex contemptu, aut quando Parochus declarat ea, quæ Parochiani scire tenentur, inquit Barbosa de Potest. Ep. p. 2. allegat. 24.* Navarrum, *aliosque secutus.*

Porro Parochus singulis Dominicis in Missa Parochiali declarat ea, quæ Parochiani scire tenentur, & ea contemptu transgredi censetur Concilii Tridentini, veterumque Synodorum decreta de Missa Parochiali audienda Dominicis diebus, qui tribus Dominicis continuis ab ea abest absque legitima causa, nec censuras timet hujus Decreti violatoribus a Prælatis intentatas: perperam vero & imperite colligeret aliquis ex laudato Pii V. Diplomate, ipsam ab audiendæ Missæ Parochialis obligatione absolvisse Sæculares, qui Missam in Mendicantibus Fratrum Ecclesiis, aut Oratoriis audivissent, cum Tridentini Concilii decretum salvum & inviolatum manere sanctus Pontifex voluerit; & si quid aliud intenderit, ejus Diploma, necnon similes contestationes de Regularium privilegiis Gregorius XIII. ejus successor ad terminos Juris communis, sacri Concilii Tridentini revocavit Constitutione, quæ incipit: In tanta &c.

Sicubi porro mos non obtinet, ut Parochiani diebus Dominicis ad propriæ Parochiæ Missam accedant, respondetur in hoc quidem Regno semper accurate custoditam fuisse hanc disciplinam, quæ tanquam Apostolica traditio, & Ecclesiæ Lex antiquissima spectata est. Et sane ubi doctrinæ ac moribus periculum imminet, subestque timendi causa, ne error & corruptio mentem inficiat; & cor obruat, audita Parochiali Missa remedium præsens est ad malum, quod adest, reparandum, & quod impendit, antevertendum; cum experientia compertum sit, eadem Missa neglecta, calamitates in Ec-

cle-

clesia gravissimas extitisse. Id jam animadvertit *Fillesacq de orig. Parœc. pag. 624.* in hæc verba: *cogitemus, obsecro, quæ tam multis vicinis Regnis & Provinciis, eu neglectis sacris illis solemnibus Pastorum legitimorum, acciderunt; dum populus spreto illo sacro Conventu Parœciali, in effrenem ruit licentiam; ac quando sibi pro arbitrio pietatem in dies singulos novam affinxit, tandem spreto Pastoris studio, & cura, & sanctis monitis, aut adulterinam aliquam suscepit, & prurientem Religionem, aut nullam omnino retinuit.*

Si ergo aliis in locis Ecclesiæ disciplinæ veteri, ac tam sancte institutæ, cujusmodi ast Missæ Parochialis auditio, consuetudo prævaluit; illud vere pronuntiari potest Galliarum Regnum, in quo praxis hæc nunquam non commendari consuevit, ut ex bene multis, quæ in medium allata sunt, monumentis liquido constat, cæterarum Nationum maxime dignum esse, cujus Religio, & Canonum ac Traditionis custodia singularibus laudibus efferatur.

Majores nostri, inquit laudatus *Fillesacq* (*a*) huic disciplinæ adhæserunt, quod eam tanquam catholicitatis, seu Fidei Catholicæ professionis notam spectarent: *Ecquis euim aescit Christiauum aliquem, si vel Judæorum Synagogas, vel Hæreticorum conciliabula non semel, sed multoties adeat, Judaismi, aut hæreseos impietate teueri.* Nimirum cum non innotescat, qua quisque ratione sit animo comparatus, hac Ecclesiæ frequentatione Fidelis tanquam publica actione testatur, quod Catholica Religio docet, id se credere.

Ea quoque fortasse de causa Episcopi nostri, pergit laudatus Auctor, in suis Ritualibus Diœcesanos diebus Dominicis Parochiali Missæ interesse jusserunt, ut vere Christianos ah iis discernerent, qui vel parum vel nihil de Religione solliciti essent. (*b*) Sed utut ras habeat, complurium Ecclesiarum Parochialium magnifica constructio, & in iis ornandis eorum, qui nos præcesseruot, sollicitudo tum ipsorum pietatis, tum vero frequentium iis quidem temporibus fidalium in ea saocta loca conventuum monumenta sunt. Sane satis apparet rationi consonum, ut Fidelas ad eas Ecclesias, obi suscepto sacro baptismate Christianæ Religioni nomen dederunt, & ubi morantur, se conferant, seque conserra pergant, nt quod credendum est, quodque faciendum, percipiant. (*c*) Itaque in Regis Pipioi Capitularibus (*d*) Parochiæ dicuntur Baptismales, seu Oracula per axcellentiam, qoia scilicet Pastoris instructiones ac verba tanquam divina quædam oracula habenda sunt.

Et sane adhærat Ecclesiæ, qui in propria Parochia persistit, nt spiritale pabulum inde percipiat, solidaque, & ab omni suspicione maxima aliena doctrina imbuatur, quoniam Ecclesia, ut loquitur S. Cyprianus Epist. 69. nihil ast aliud, quam *plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens.*

Postrema denique objectio, quæ adversus Parochialis Missæ obligationem proponitur, ex Episcoporum silentio petitur. Si enim peccat, inquiont, qui a Parochiali Missa, oisi excusatio legitima præsto sit, tribus contiuuis diebus Domiuicis abest, deberent Episcopi secus se gerere, oec in propria Diœcesi malum pati adeo commune, atque adeo cæteroquin subditis Fidelibus perniciosum.

Sed respondetur id Parochis, atque adeo magis Confessariis vitio tribuendum essa; Episcopi quippe, ut videtur, in id summopere incumbunt, ut Ecclesiasticum super Parochiali Missa præceptum servetur; obligationem hanc declarant io suis Ritualibus, & præterea Diœceseon suarum Parochis id io mandatis dant, ut singulis diebus Dominicis Fideles de hac obligatione commoneant; iisdemqua edicant, ab Episcopis puniendos fore, qui servato juris ordina deferentur, videlicet per testes eorum Promotoribus exhibitos, quorum depositione convinci possint. Fatendum tamen est, nullum promptius atque aptius remedium fore, qaam si Confessarii sedulo muneri suo satisfecerint.

Hujus igitur legis tam gravis, ad Parochialem Missam audiendam quod attinet, executio proprie ad Confessarios spectat; hujus obligationis suos pœnitentes monere debent, dum Sacrameota suscepturi se sistunt; eorum quippe tantum est, excusationes, quas Parochiani ad absentiam suam in hoc negotio tuendam afferre possunt, singillatim expendere. Cum euim Parochiaous quoad hujus absentiæ excusationes conscientiam suam Confessario fidelius aperiat, quam Episcopo, qui eumdem persequoretur, potest proinde Confessarius longe melius quam Episcopus de pœnitentis excusationibus judicare. Aliæ quippe axcusatioaes legitimæ soot, quas probari necesse est; alias varo Confessarius suscipere minime debet; omitteodæ Parochialis Missæ haud satis justa, exempli causa, Parochiano causa est, pronuntiare, quod jam dictum est, eam se melius alibi audire; nam juxta Tridentini Concilii mentem ea ona, nt videtur, rationabilis excasatio est, quæ ex legitimo provenit impedimento, quo Parochianus adeundæ atque audiendæ Parochiali Missæ ineptus efficitur.

Quia porro patres ac matres familias, aliique, quibus aliorum cura commissa est, teneotur præcipue Parochiali Missæ diebus Dominicis interesse, ut ens, qui sibi concrediti sunt, instruere valeant; ideo Confessatii operam dare debent, ut eos potissimum ad id officii præstandum extimulent. Ut enim verbo res conficiatur, si Parochialis Missæ diebus Dominicis audiendæ obligatio atiamnum subsistit, atque hæc obligatio in re gravi versatur, & quod inde consequitur mortalis peccati materia ast, ut hactenus ostendere conati sumus; Confessarii, quibus pœuitentium suorum salus commissa ast, laxiora quadam conniventia nec iis dissimulare, quod facere tenentur, nec eos legitimis excusationibus destitutos tolerare debent; sed semper alte animo infixa retineant necesse est Burdegalensis Concilii sub disputationis exordium in hanc rem laudati, & a Gregorio XIII. confirmati verba hæc: *Sciscitentur Confessarii a Pœnitentibus, an huic officio satisfecerint, & gravitatem peccati, ut ab eo arceantur, proponant.* Loquitur autem Concilium de Parochiali Missa Dominicis diebus audienda.

Ad extremum ex iis omnibus, quæ hactenus sunt dicta, concluditur, non amplius dubitandum asse, an Fideles Parochiali Missæ interessa teneantur, & quocumque tandem modo alibi se res habeat, hanc dubio procul veterem Ecclesiæ disciplinam esse, in qua quidem Gallicana Ecclesia ad hoc usque tempus firma permansit. Ex quo factum est, ut Galliarum Episcopi suo jure utentes ejusdem disciplinæ obligationem & passim, & acriter instaurarent, quod quidem eos præstitisse ostendimus supra. Quamohrem gravis culpæ rei sunt, qui huic officio, cum id commode facere possint, ut Tridentina Synodus loquitur, non satisfecerint.

Decisum in Sorbona hac die 6. Octobris an. 1703.

G. *Fromageau*, *Habert*,
Præpositus, *Debeyac*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

(*a*) D. da Fillesacq l. cit. pag. 661.
(*b*) idem pag. 662.
(*c*) Idem pag. 665. sed nihil meo judicio tam nos movere debet, et ad Ecclesias nostras Parœciales lubentius & frequentius concurramus, quam quod veteribus Gallis illæ oracula nuncupeatur .... & merito ubi oracula Dei Optimi Maximi non aliena, non amendicata, sed propria auctoritate a proprio Pastore enuntiata non tam hominis vocem, quam Dei legitimi Pastoris ore loquentis oraculum esse demonstrant.
(*d*) Capitul. l. 3. Tit. n. 17. Tom. 4. Fillesacq l. cit. pag. 665. & 666.

MISSIONARII SANCTI LAZARI.

PResbyteri Missiónis, seu Missionarii Sancti Lazari Congregationem componunt an. 1626. institutam a Vincentio de Paulo, quem Benedictus XIII. an. 1728. in Beatorum album retulit, quique ejusdem Congregationis primus Generalis fuit. Eorum primum ac præcipuum munus est de populorum tum ruri, tum minutis in Urbibus Episcopi ac Præsidis dignitate carentibus degentium instructione ac salute satagere, Missionibus obeundis, Episcopis annuentibus, & Parochis consentientibus; munus alterum in eo est positum, ut Clericorum in pietate, ac scientiis, quæ eorum statui congruunt, progressui invigilent, I. in eum finem adhibitis Seminariis, II. exercitiis Ordinandorum, quibus eos comparent ad Sacros Ordines suscipiendos, III. Collationibus Ecclesiasticis, IV. Secessibus spiritualibus, ad quos pariter admittuntur Laici, cujuscumque tandem conditionis extiterint; secessus autem hi septem aut octo dierum spatio perdurant.

Complectuntur Provincias septem; & sunt Insula Franciæ proprie sic dicta, Campania, Pitavia, Aquitania, Lugdunensis, Italia, Polonia; & hæ Provinciæ constituunt Missiones circiter octuaginta, quæ omnes a Generalis, quoad vixerit, administratione, atque auctoritate pendent. Passim nuncupantur Patres Sancti Lazari, propter eorum magnam Familiam Sancti Lazari ad caput Suburbii Sancti Laurentii Parisiis, ubi fundamenta jecerunt an. 1632. Locus hic est Seminarium internum & externum in gratiam Ordinandorum & Missionum, & Hospitale, præterquamquod ibi excipiuntur pensionarii. Adsunt vulgo viginti octo circiter, seu triginta Presbyteri, & alumni circiter quinquaginta. In hac eadem domo recipiuntur ii, qui in hanc Congregationem cooptari volunt, & appellantur Seminaristæ, ibique hoc titulo permanent biennii spatio, quo elapso edunt vota, in quibus Generalis dispensare potest.

De votis Missionariorum S. Lazari.

CASUS.

1 *Ex Jubilæo jus non oritur Confessariis dispensandi cum Presbyteris Congregationis Missionariorum S. Lazari in Votis, quæ, cum reciperentur, illi ediderunt.*
2 *Non id magis possunt Episcopi, quia potestatem hanc Sanctæ Sedis, & Generali Congregationis Pontifex reservavit.*
3 *Missionarius S. Lazari non potest a suo statu recedere, ut suis fratribus, aliisque suis consanguineis opem ferat, exceptis patre & matre, quibus ut opituletur, recedere potest.*
4 *Nec potiore jure suum statum deserere potest, ut animarum curam suscipiat, quin cum eo dispensetur in votis, neque ægritudinum & morborum prætextu.*
5 *Votorum ab hujusmodi Presbyteris de more editorum pronuntiatio satis est, ut eorum Deo obligatio inducatur.*

QUÆSITUM.

COngregationem Missionariorum S. Lazari erexit Urbanus VIII. in Diplomate nulla Votorum mentione facta. Deinde vero Vincentius ejus Institutor censens opus esse vinculo ad humani animi mutationibus semper obnoxii inconstantiam cohibendam, expedire judicavit, ut a Pontifice obtineretur facultas edendi in eadem Congregatione vota simplicia, in quibus dispensandi nonnisi penes Pontificem, aut Superiorem generalem potestas esset. Id concessit Alexander VII. facultatem tribuens ejusmodi Missionariis edendi Vota simplicia castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ita ut illi se in Congregatione permansuros jurarent, declarans suo Diplomate solum Pontificem & Superiorem Generalem in iis Votis dispensare posse, exclusu quovis alio, qui nec in iis dispensare, nec eadem commutare possit vi cujuscumque Jubilæi, vel alterius privilegii, vel indulti, vel concessionis, nisi in iis votorum ejusdem Congregationis expressa mentio facta fuerit.

Cum tamen, ea clausula non obstante nonnulli contenderent, Jubilæi Bullas eam facultatem Confessariis tribuentes, ut omnia vota, Religionis & castitatis perpetuæ votis exceptis, commutare possent, id quoque concedere, ut cum dictis Missionariis in eorum Votis dispensandi facultate gauderent: Eadem Congregatio Pontifici se stitit, interrogans, an ita sentiret, quia Jubilæi Bullæ eodem semper modo expediuntur, & Votorum, quæ in Congregatione Presbyterorum Missionariorum S. Lazari eduntur, nulla in iisdem expressa mentio fit.

Clemens X. in hoc negotio, Alexandri VII. Breve confirmans declaravit, in votis, quæ fiunt in Missionis Congregatione, nec licite nec valide potuisse aut posse dispensari, vel eadem mutari, aut dissolvi, quacumque demum ratione, vi ullius Jubilæi, vel alterius privilegii, indulti, aut concessionis, nisi eorumdem Votorum expressa fiat mentio.

Non est omittendum, eos, qui huic Congregationi suum nomen dant, biennii spatio, antequam Vota edant, in probatione versari, & per id tempus non semel iis imbui, quæ spectant ad Congregationem, cui se dedere volunt, iisdemque declarari summorum Pontificum Alexandri VII. & Clementis X. Brevia, quatenus ipsorum obligationem pronuntiant.

Id tamen nihil impediit, quominus nonnulli in hanc Congregationem cooptati contenderent, variis nixi prætextibus, ab alio, quam a Pontifice, & a Superiore Generali secum in Votis dispensari posse. Quamobrem rogantur Sorbonæ Doctores, ut hunc Libellum supplicem diligenter expendant, suamque super quæstionibus insequentibus sententiam proponere non dedignentur.

I. Quæritur, an Confessarius post Alexandri VII. & Clementis X. Diplomata valide dispensare possit in votis, quæ edunt Missionarii, vi Bullæ Jubilæi, cum in ea Votorum eorumdem expressa mentio non fiat, cumque Pontifices declaraverint non eam sibi mentem esse, ut ullo Diplomate eam facultatem concederent, nisi adsit expressa mentio eorum Votorum, quæ ad eamdem Congregationem servandam sunt adeo opportuna ac necessaria?

II. Quæritur, utrum Episcopi in iis dispensare valeant; quamvis enim Congregatio hæc a Sancta Sede erecta ab Episcopis pendeat, & quoad externa, quæ ejus Socii in Ecclesia obeunt, officia eorum Jurisdictioni subjecta sit; quod tamen ad internum regimen spectat, illa quidem a Pontifice, & a proprio Generali Superiore pendet. Constat id ex ejus erectionis Bulla, in qua Pontifex Congregationis internam administrationem Superioribus tribuit, nulla Episcoporum facta mentione. Porro Vota ejus tantum disciplinam & administrationem internam respiciunt; ac Pontifex expressis verbis eorum dispensationem sibimetipsi, & Superiori Generali reservat.

III. Quæritur, an Missionario liceat egressum petere, ut suis fratribus, aut sororibus, ejus opera ad subsistendum indigentibus opituletur, an vero permissionem hanc ad patrem tantum, ac matrem coarctari necesse sit? An non obligatio cæteris consanguineis opitulandi cedere debeat obligationi, qua ille tenetur deservire Congregationi, quæ est ejus mater, cui sese ex voto addixit, quæ eum aluit, sustentavitque suis impensis toto probationis & studio-

diorum tempore, nulla ab eo exacta pensione, quæ eum educavit, edocuit, formavitque, ea conditione, ut ille in ea toto vitæ spatio persisteret, & muneribus, quæ ipsi Ecclesia committit, obeundis, pro ingenio ac viribus ei deserviret.

IV. Quæritur, an Missionarius possit tuta conscientia Congregationem deserere, ut Parochiam administrandam suscipiat, ratus se in animarum cura utiliorem Ecclesiæ operam præstiturum? Id ei licere non videtur, quia nihil est, quod cogat Curam suscipere, cum contra teneatur in eo vitæ genere, cui per vota, & firmitatis editum jusjurandum addictus est, permanere. Jam vero obligationis officia iis sunt anteponenda, quæ libera, & nequaquam præcepta sunt; præterea potest ille æque utiliter, & cum minore propriæ salutis periculo in Congregatione, quam in Parochia Ecclesiæ deservire.

V. Quæritur, an Missionarius ob aliquam corporalem ægritudinem possit eggressum petere? Non videtur posse, propterea quod Congregatio neminem unquam e suis subditis ejicit, quacumque demum infirmitate laboret; immo vero infirmorum longe maximam curam suscipit; nihil ab iis postulat supra vires, iisque omnia subsidia comparat, quæcumque cum ratione cupere possunt. Id in causa esse debet, ut illi meminerint se absolutam constantiam ei promisisse sine ulla restrictione aut conditione, ac si quam apponere voluissent, futurum non fuisse, ut reciperentur; atque adeo melius iis sane fuisset, si nihil promisissent; Deus enim non irridetur.

VI. Quæritur, an Missionarius, qui sese abdicat, inquiens, sibi nullam fuisse intentionem edendi Vota, quamvis ea de more pronuntiaverit, vel se contendisse ea tantum Vota edere, quibus liberari posset ab iis omnibus, qui in simplicibus Votis dispensant, conscientiæ securitate gaudeat?

RESPONSIO.

Conscientiæ Consilium, quod vidit, expenditque, quod hactenus est expositum, Bullasque, & Brevia, de quibus est facta mentio, ut propositis quæstionibus occurrat, existimat,

Quoad primam, Confessarium in iis Votis dispensare non posse, quæ in Missionis Congregatione emittuntur, vel ea commutare, vi Bullæ Jubilæi, propter Brevia Alexandri VII. diei 22. Septembris an. 1655. & Clementis X. diei 23. Junii an. 1670. ibique ea nominatim excipi ex eorum numero, quæ vi Jubilæi commutari possunt: *Quod Vota in dicta Congregatione Missionis emissa, vel emittenda ab aliis, quam a pro tempore existente R. P. & Superiore generali ejusdem Congregationis licite ac valide non potuerint, nec possint dispensari, aut alias quomodolibet dissolvi vigore cujuscumque Jubilæi, &c. declaramus*. Hæc sunt verba Bullæ Clementis X. in qua fuse omnino refertur Alexandri VII. Bulla.

Id sane dici posset, cum Jubilæi Bulla castitatis & Religionis Vota tantummodo excipit, Pontificem censeri in aliis Votis dispensandi facultatem Confessariis concedere; eorum enim, quæ nominat, exceptio inutilis esset, si cætera reservata manerent.

Sed facile responderetur, in Jubilæo de ordinariis tantum Votis agi, non autem de iis, quæ in probata Congregatione emittuntur, quia illa non nisi per eadem Vota subsistit.

Cæterum non frustra excipiuntur in Jubilæo Religionis & castitatis vota, ut Confessarii cognoscentes, quo usque eorum potestas pertineat, in ordinariis tantum Votis dispensent, quorum non est distinctim facienda mentio, cujusmodi sunt Vota, quæ spectant ad peregrinationes *ad limina* &c. Verum in hac facti specie rem omnem definit Clemens X. qui a Congregatione consultus, quod Missionarii nonnulli contenderent, Alexandri VII. Bulla nihil obstante, Confessarium posse vi Jubilæi Vota ibidem edita commutare, respondit, Alexandri VII. Breve confirmans, id nec licite, nec valide fieri posse: *Non possint vigore cujuscumque Jubilæi, & concessionis non facientium expressam dictorum Votorum mentionem, tenore præsentium declaramus*. Congregationis Subditi hæc ignorare non possunt, quoniam antequam votis se obstringant, de ejusmodi Bullis monentur, & per duos probationis annos non semel ipsis Votorum obligatio declaratur; nihil igitur contra dictæ Congregationis Vota ex Jubilæi Bullis desumi potest.

Quoad secundam, Episcopum valide non posse dispensationem aut commutationem instituere Votorum Congregationis ab Ecclesia approbatæ, cum Pontifex ea reservavit; aliter reservatio nullum sortiretur effectum, & inutilis foret; dubitari autem non potest, quin hanc reservationem facere possit, si ita expedire judicet. Eam porro edidit expressis verbis: *Vota prædicta*, inquit Clemens X. *pro tempore existente R. P. & Superiore generali ejusdem Congregationis dispensari, aut commutari non possint.*

Est quidem Congregatio Episcoporum Jurisdictioni subjecta; sed quoad externas quidem functiones, quæ in Ecclesia ab ejus subditis exercentur; quod vero spectat ad ejus internum regimen, ipsa pendet a Pontifice, & a Superiore generali; apparet enim ex Bulla, cujus vi erecta est, Episcopos quoad caput hoc nulla in eam Jurisdictione pollere.

Porro vota, quæ in Congregatione emittuntur, ad ejus internum tantummodo regimen spectant, præterquamquod, ut supra dictum est, dispensationem sibi ac Superiori generali Pontifex reservavit; igitur liquido constat Episcopos ejusmodi concedendæ dispensationis facultate carere. Secus possent pro arbitratu Congregationem evertere, quam ad universæ Ecclesiæ bonum Pontifex instituisset.

Quoad tertiam; statim ac Vota quis edidit, quæ in hac Congregatione edi solent, non amplius sui juris est, ad Corpus pertinet, cui se dedidit, nec potest recedere, nisi in casibus, qui in Jure, vel Bullis excepti sunt; exempli causa patris & matris urgens necessitas casus est, in quo Missionarius a suo Generali petere possit eggrediendi facultatem, ut iisdem opituletur; verum iis fato functis, regredi debet, nisi ejus permissio absoluta fuerit, & in perpetuum.

Sed hæc eggrediendi venia non debet ad ea extendi, quibus fratres, sorores, nepotes, aliique consanguinei opus habeant; clara est hujus discriminis ratio; habent filii a patre & matre, quod sunt; est naturalis juris, & justitiæ, ut filius iis indigentibus opem afferat; quoad cæteros autem consanguineos, obligatio non nisi charitatis est, nec jus affert Missionario deserendi proprii status, ut iis præsto sit. Ille quidem plus debet Congregationi, quæ ob vota edita ipsius mater evasit, quam iis, qui eidem natura tantum & sanguine conjuncti sunt, & sine eo subsistere possunt.

Quoad quartam; Missionarius e Congregatione eggredi nequit, ut Parochiam suscipiat, quia contra obligationem ageret, quam emissis obedientiæ & constantiæ votis contraxit, a quibus non nisi per Pontificem ac Superiorem Generalem absolvi potest.

Haud sane verum est, generatim loquendo Presbyterum Congregationi huic addictum minus Ecclesiæ utilem fore, quam si Parochiam administraret; quæ enim bona ex Missionibus, in quibus rudes homines edocentur, ex Seminariis, ubi Ministri ad omnes Ecclesiæ status instituuntur, & ex cæteris functionibus Ecclesiasticis derivantur, ea longe multumque superant, quæ Parochus, quocumque tandem zelo ducatur, afferre potest.

Parochialis igitur Curæ susceptio haud satis justa causa est deserendæ Missionis, quod Missionis Presbyter se in Parochia, quam in Congregatione putet utiliorem fore.

Præterea cum in Congregatione constantiæ Votum ediderit, majoris boni, quod alibi sperat se facturum, cogitationi acquiescere non debet; præterquam quod enim id admodum incertum est, atque ea cogitatio fere oritur ex levitate, quæ humano animo ingenita est, bonum, quod editur in eo statu, qui ex voto susceptus est, illud nimirum est, quod Deus præ quovis alio bono postulat; ut proinde Missionarius omnem, quæ ipsum abducat, cogitationem rejicere, & ad proprii tantum status obeunda officia animum convertere debeat.

Denique ut se peculiari instinctu hac in re afflatum crederet, ejus obedientiæ Votum non sinit eum abripi adversus Superioris sui voluntatem, cui mul-

to

to magis se conformare debet, quam proprio judicio, ne in illusionem & errorem incidat.

Quoad quintam; corporalis infirmitas non est causa legitima, quamobrem Congregationis subditus ab ea recedat; ratio est, quia ex immutabili consuetudine neminem ipsa repellit, ob solam infirmitatem; quin potius ibi magna infirmorum cura suscipitur, nihil requiritur, quod eorum vires excedat, iisque omnia, quæ ipsos petere rationi consonum est, solatia conquirunt. Omnibus Congregationis membris perspecta est ejus charitas; atque adeo nullus Missionarius legitime potest recedere infirmitatis prætextu.

Ad sextam, eamque postremam quæstionem quod attinet, respondetur, I. Missionarium, qui Vota edidit ore tenus, quin ea edendi intentionem haberet, graviter deliquisse, quia in re gravi mentitus est; sed quamvis ejus Vota coram Deo nulla sint, cum citra veram intentionem, ac liberam firmamque promissionem existere Vota non possint; externa tamen specie suum omnem effectum obtinere debent, perinde ac si deliberato eadem servandi animo edita essent. Itaque is, pro quo consulitur, suæ semper Congregationi addictus remanet, defectu, quem obtrudit, intentionis nihil obstante; dum enim Congregatio, seu prospera, seu adversa valetudine is uteretur, se nunquam ipsi defuturam promisit, id sane præstitit, quod & ipsum sibi ad mortem usque obsecuturum existimaret. Tenetur ergo ille non quidem omnino vi voti, cujus edendi intentionem ei nullam fuisse supponitur, sed ob voti pronuntiationem, quæ non minorem apud homines obligationem inducit; obligatio quippe reciproca est; qui enim contenderet nullam sibi cum Congregatione obligationem contractam esse, tacitam conventionem, inter eam ac subditos existentem everteret, ei gravem curam, & non mediocrem impensam, quam in iis erudiendis subit, afferret, sibique campum aperiret, ut eam desereret, destrueretque, quippe qui impediret, quominus illa consisteret, & functiones, ob quas est instituta, perageret; id quod esset Ecclesiæ summopere perniciosum.

Consequens ergo fit, eum, de quo sermo est, semper votis obstrictum manere, quamvis citra intentionem edita fuerint, nec vero absque Pontificis & Generalis dispensatione eggredi posse.

II. Clericus hic, qui ait, se solum edere voluisse Vota simplicia, ex eorum genere, in quibus Episcopus, & Jubilæi tempore quivis Confessarius dispensare possunt, id egit, quod Pontificum duorum Brevibus omnino contrarium est, cum in iis expresse dicatur, ejus Congregationis vota Sanctæ Sedi, & Generali reservata esse. Ille id ignorare non potuit, quoniam eorumdem Diplomatum, antequam sese obstringeret, conscius factus est.

Itaque quamcumque demum, cum Vota edidit, intentionem habuerit, Ecclesiæ jus adimere non potuit ea reservandi. Ea igitur sunt reservata non quidem *ex vi intentionis*, *sed ex Decreto Ecclesiæ*, *seu summi Pontificis*; id quod impedit, ne quis possit in iis dispensare, excepto Pontifice, & Generali Congregationis, juxta Alexandri VII. & Clementis X. Bullas; atque ita Missionarius conscientiæ tranquillitate non gaudet, si ab aliis Votorum suorum dispensationem obtinuit.

Quamvis autem allatæ rationes seorsim sumptæ ad deserendam Sancti Lazari Congregationem satis virium non habeant, si tamen earum multæ conjunctim occurrerent, & graves circumstantiæ suppeterent, peti posset dispensatio a Pontifice, seu Generali, quorum tantum esset eamdem concedere.

Decisum in Sorbona hac die 1. Martii an. 1695.

G. *Fromageau*.

MONASTERIUM.

Vide (RELIGIOSI.
(FUNDATIO.

CASUS.

1 *Nec Fundatoris, nec Benefactoris titulus ipse per se in Monasteria ingrediendi jus affert.*

2 *Episcopus ejusmodi ingressum concedere potest de causis evidenter rationi consonis, ita tamen, ut nihil omittatur eorum, quæ prudentia requirit.*

3 *Ecclesiæ Regulæ, ad hanc rem quod attinet.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Benefactrix Conventus Sanctimonialium, eo quidem titulo, jus habeat ingressus pro libito?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Monialium clausuram rem esse in Jure, in Conciliis & summorum Pontificum Constitutionibus adeo commendatam, ut sine causa, quæ rationi consona, & a Superiore probata fuerit, in earum Monasteria ingredi nemini liceat; atque adeo Fundatores, quorum magna cæteroquin sunt privilegia, ab hac lege exempti non sint, nisi id in Fundatione sit expressum, & Fundatio quidem Ecclesiæ, vel Regulæ auctoritate firmata sit. Ita docent Sanchez (a), Bonacina, & *de Peyrinis*; nulla enim in Jure occurrit expressa clausula, quæ iis tribuat privilegium in Monasteria, quæ fundarunt, aut dote locupletarunt, pro ipsorum arbitratu ingrediendi.

Auctores nonnulli Legis hos ingressus prohibentis vim eo deducunt, ut & Imperatrices & Reginas, nisi adsit expressa concessio, eidem subjectas velint. Vide Bonacinam, & Pelizarium; alii tamen complures Theologi contra sentiunt. *De Peyrinis* in Constitutionem 6. Julii II. in medium affert Declarationem Gregorii XIII. (b) pro Minimorum Ordine, in qua declarat Pontifex non eam sibi mentem esse, ut primi gradus personas, atque adeo Fundatores, dum Monasteriorum aditum interdicit, complectatur.

Quæ tamen hactenus dicta sunt, eam Ecclesiæ sententiam non esse significant, ut Benefactores ingressus in Monasteria libertate plena cumulataque donentur, prætendentes aliquid se dono dedisse, vel expendisse, quamobrem Benefactoris, aut Fundatoris titulum obtinerent.

Abusum hunc, inquit Evellio (c) Episcopi abrogare deberent, quippe qui tum Canonibus adversatur, tum Pontificum Constitutionibus in Gallia receptis, eos adeo frequentes aditus probibentibus, Benefactoribus, ac fundatoribus non exceptis, qui proinde iis Legibus, æque ac cæteri, debent se subdere. Et sane de Peyrinis (d) in primam Julii II. Constitutionem animadvertit, cum Minimus missus esset, ut Gregorium XIII. consuleret, an in Capitulo Benefactricis titulus ei tribui potuisset, quæ annuum 50. ducatorum proventum Ordini præbuisset, Pontificem id nec permisisse, nec approbasse: *Quod tamen privilegium*, inquit, *quod Capitula Generalia possent admittere aliquas mulieres benefactrices, quæ dedissent summam perpetui reditus quinquaginta ducatorum, nunquam, quod viderim, fuit a Religione impetratum.*

Cæterum monendum est, nec Concilia, nec Pontifices repugnare, quominus Episcopi ejusmodi ingressus, cum ipsis visum fuerit, permittere possint. Evellio citato loco ingressus hos tum solum vitu-

perar.

(a) l. 6. Moral. c. 17. n. 7. q. 5. p. 2. de claus. n. 3. formul. litt. F. c. 3. n. 3.

(b) S. D. N. Gregorius 13. §. 3. n. 4. Etiam ex sententia Congregationis Concilium declaravit non censeri denegatum quoad Reginas, vel Fundatrices dumtaxat. Die 27. Nov. 1577.

(c) c. 15. art. 2. pag. 179. de excomm.

(d) §. 24. n. 51.

perat; cum inscio Superiore contingunt; Peyrinii vero animadversio id unum evincit Benefactoris titulum ob ingentia tantum benefacta esse concedendum.

Sed ut difficultas, quæ præ manibus est in meliore lumine collocetur, & facilius dirimi possit, animadversione dignum est, ea Jure, ac Tridentina Synodo compertum fieri *sess. 25. c. 5. de Regul.* ob causam evidenter rationi consentaneam aditus hos ab Episcopo concedi posse: *Nisi manifesta & rationabilis causa existat*, inquit Bonacina 8. *c. Pericaloso de stat. Regul.* Porro Episcopi prudentiæ & charitatis erga suas Regulares Familias est, ut in eas ingrediendi jus aliquando permittat; causa exempli, si piæ Matronæ liberalitate ac munificentia factum sit, ne Monasterium in præceps rueret. Hæc evidenter justa & rationabilis causa est, quia compensatio, quæ Matronæ redditur aliis incitamento esse potest ad aliis Conventibus bene faciendum, iisdemque rerum inopia laborantibus, & in excidii periculo positis succurrendum; secus quippe Moniales egredi cogerentur, gravibusque incommodis obnoxiæ forent. Ecclesiæ sane Leges, quæ Monialium domicilia concludunt, ejusmodi casus non respiciunt; aliter pronuntiari posset, Leges ad accuratam disciplinam in Claustris instituendam sancitas Monasteriis excidio fore, paupertate Puellas inde pellente; quod Ecclesiæ menti repugnat.

Eminentissimus quoque Cardinalis Noviliacensis in Constitutione *diei 7. Septembris an. 1697. art. 23.* insignes Benefactores eacipit ab ea lege, qua ejusmodi ingressus, se quidem non annuente, interdicit; ac mos hic ipse in multis Galliarum Diœcesibus obtinet, ut insignes Benefactores libertate gaudeant ea Regularia Domicilia subeundi, quæ ipsi sustentant. Cum hac in re de disciplina tantum agatur, Legis proinde severitatem non nihil remittere potest Ecclesia; verum ad Episcopi, aliorumque Superiorum prudentiam spectat, ut ingressuum numerum, qui per annum Benefactoribus concedatur, eorum comitatum, ac moræ tempus definiant.

Ex his omnibus concludendum, Benefactrices, prorsus ut ejusmodi sunt, non eo jure pollere, ut Monialium Monasteria, ni Superioris Ecclesiastici permissio accesserit, ingrediantur. Necesse est etiam, nec Monasterii Instituto, nec Constitutionibus eos aditus prohiberi; si qua enim Benefactrix ea Claustra subiret, quæ penetrari non licet, in excommunicationem Clausuræ violatoribus impositam laberetur, nisi ignorantia vel bona fides eam excusaret.

Decisum die 25. Octobris an. 1698.
G. *Fromageau.*

MONITORIA.

MOnitoria Litteræ sunt, quæ ab Ecclesiastico Judice obtinentur, & in Parochiis inter Missarum solemnia pronuntiantur, ut Fideles iis permoti accedant deposituri, quicquid noverunt eorum quæ in iisdem Litteris continentur, secus in excommunicationem lapsuri.

Inter Monitorium & Monitionem non nihil interest, quod Monitio est simplex cohortatio, & correctio ex charitate proveniens, cum alicujus pœnæ comminatione conjuncta, si forte, qui monetur, noluerit sese corrigere; Monitorium autem Præceptum est, quo Superior Ecclesiasticus universis & singulis Fidelibus mandat, ut sub excommunicationis pœna occultum aliquod crimen, siquidem, & prout noverint, patefaciant. (*a*) Definitio hæc ex Tridentina Synodo ducta est. Quia porro in Monitorio comminatoria tantum excommunicatio est, illud enuntietur necesse est, ut inobedientes reddantur ii, qui novere facinus, quod inquiritur, & ut excommunicatio contrahatur. Argentræus de Britanniæ Consuetudine verba faciens animadvertit, cum Ecclesiasticæ Jurisdictiones ad veritatem, cujus nulla probatio præsto esset, eruendam censuris uti cœpissent, id moris ad sæcularia quoque Tribunalia devenisse, quæ quidem Jurisprudentiam statuerunt in aliquibus capitibus ab ea diversam, quæ penes Officiales servata est.

Quæstio, an Monitorium ob res prorsus omnes tum temporales tum spiritales concedi possit, non semel ad trutinam revocata, remansit ad extremum sub judice; propugnavit Gersonius nunquam Monitoria nisi ob res pure spiritales concedi posse. (*b*) Propugnarunt Doctores alii rem, tametsi suapte natura temporalem, indirecte spiritalem esse, quod conscientia sit affecta vel ob actionis qualitatem, vel ob eorum inobedientiam, qui renuunt parere Ecclesiæ præcipienti, ut quod injuste detinetur, restituatur, vel magni momenti veritas detegatur. Id non impedit, quominus Paulo III. Ecclesiam administrante, Monitoria non ob omnia rerum genera concederentur; idque aliorum quoque Pontificum temporibus perstitit ad Tridentinum usque Concilium, quod *Sess. 25. cap. 3.* generalibus verbis definiit ad Episcopos tantum spectare, ut Monitoria concederent *ad finem revelationis, & pro rebus perditis aut subtractis*. In Narbonensi Concilio an. 1609. *cap. 44.* de Monitoriis absque ulla restrictione verba facta sunt, & Episcoporum prudentiæ integrum relictum est, ut pro rerum ratione censuris Ecclesiasticis uterentur. Qua quidem in re non est ita facile certas regulas assignari.

Asseri tamen potest, ob negotia mere civilia, in quibus nullius fama in discrimen adducitur, Ecclesiæ auctoritate abutendum omnino non esse.

Monitorium adversus Episcopum, & quidem id ægre ferentem.

CASUS I.

1 *Non nisi ob gravissimas summique momenti causas Monitoria concedenda sunt.*
2 *Majori quoque prudentia opus est, cum de Monitorio adversus Episcopum obtinendo agitur; atque hæc quidem tam inusitata agendi ratio tantummodo absoluta necessitate, gravique negotio probari potest.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut super hac duplici quæstione dicant, quod sentiunt.

I. Quandonam liceat Monitorium in Diœcesi, invito Episcopo, pronuntiandum curare?

II. Idne liceat in negotio, quod Episcopum ipsum attingit, & in quo ea, quæ fortasse eumdem afficiunt, investigantur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, expenditque, ad ea plenius ac planius responderi non posse putat, quam allatis Ecclesiæ regulis in Tridentino Concilio contentis, quibus statuitur, ut gravibus tantum de causis excommunicationis pœna infligatur, nec Episcopi Monitoria concedant, nisi prius, quibus de causis eadem petantur, sedulo ponderaverint; nempe *Sess. 25. de Reform. cap.* 3. leguntur hæc: *Quamvis excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad* coa-

(*a*) Concil. Trid. Sess. 15. de Reform.

(*b*) Gerson tract. de vita spirit. sect. 4. cap. 14. proposit. 5.

continendos in officio populos valde salutaris, sobrie tamen, magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia docent, si temere, & levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem. Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut aiunt, aut pro perditis seu subtractis rebus fieri solent, a nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter, magnaque maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat. Reputavit Synodus in hoc negotio hanc agendi rationem in superioribus Conciliis servatam fuisse, ut apparet ex Meldensi, & Aurelianensi IV. relatis in *Decreto* 11. *q.* 3. *C. Nemo Episcoporum, & C. Nullus Sacerdotum.*

Commendaverat Sanctus Leo Provinciæ Viennensis Episcopis, ne ob res parvi ponderis excommunicationem incurrerent; ejus enim Epistolæ 89. cap. 7. occurrunt verba hæc: *Nulli Christianorum*, inquit Pontifex, *facile communio denegetur, nec ad indignantis fiat hoc arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem invitus & dolens quodammodo debeat inferre animus vindicantis: cognovimus enim pro commissis & levibus verbis quosdam a gratia communionis exclusos, & animam, pro qua Sanguis Christi effusus est, irrogatione tam sævi supplicii sauciatam, & inermem quodammodo, exutamque omni munimine, diabolicis incursibus, ut facile caperetur, oblatam.*

Ex hac disciplina liquet, si Episcopis in Monitoriis concedendis magna circumspectione utendum est, eademque gravibus tantum de causis, non autem *pro commissis & levibus verbis*, ut loquitur S. Leo, concedere debent, multo majore animadversione opus esse, cum agitur de Diœcesani Episcopi persona ipsa, præsertim cum ejus bonum nomen ad Diœcesis regimen maxime necessarium tanti faciendum sit, ut hæc circumstantia impedire debeat, quominus imperatur, nisi gravis necessitas urgeat, agaturque de re, summopere nocitura communi Ecclesiæ bono, privatorumque negotiis, qui non mediocre subirent incommodum, nisi hoc remedium, quod ad innocentium subsidium, oppressorumque solatium Ecclesia concedit, adhiberetur. Igitur absolute loquendo Monitoriis locus esset in negotio, quod loci Episcopum afficeret, si gravis damni impediendi nulla alia ratio præsto est; sed hoc damnum, & hæc Episcopi affectio non sunt ponderanda ex actoris indignatione, sed ex re in se ipsa spectata, cujus statuendus est Judex a studio partium alienus, & juxta Regulas, quas S. Leo, & Tridentina Synodus statuerunt: *Non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat, & non ex commissis, & levibus verbis.*

Decisum Parisiis in Sorbona die 15. Junii an. 1682.

Ang. *de Lamet.*

Monitorium ad detegendam Syngrapham causæ apprime utilem.

C A S U S II.

1 *Revelanda est, ut Monitorio pareatur, secreto commissa res, si revelationis defectus grave damnum proximo sit allaturus.*

2 *Non ita facto opus est, si certo ac prorsus indubitato constet hanc revelationem unicam fore, ac proinde inutilem, magisque damno quam bono afferendo accommodatam.*

QUÆSITUM.

Ex Sorbonicis Doctoribus quæritur, utrum qui novit, quomodo, & a quo magni ponderis schedula in gravi causa subtracta fuerit, teneatur recte, quod scit, declarare, sibi jam perspectis Monitoriis in eo negotio impetratis? Id difficultatem parit, quod ille de re cognovit ex iis ipsis, qui schedulam subtraxerunt; sed ei negotium in aurem commissum est, quod proinde non putat se in conscientiæ foro teneri prodere, præsertim cum in Provincia Casuistas reperierit ita sentientes, quamvis id subtractionis probationem impediat. Non est omittendum, hominem hunc nec Procuratorem, nec Advocatum, nec Consiliarium, nec iis consanguinitate conjunctum esse, qui sibi rem crediderunt.

R E S P O N S I O.

Theologiæ Doctores subscripti censent, in negotio revelationis ob Monitorium privatum, cum de rebus agitur, quæ secreto sciuntur, eam regulam servandam esse, quam affert Navarrus *in cap. inter verba 6. conclus. perfecta n.* 402. in hæc verba: *Quicquid dicitur alicui secreto, quisquis ille sit, si id tacere non est in præjudicium animæ, corporis, famæ, vel bonorum alterius, debet secretum servari, quamvis Judex contrarium præciperet.* Hanc ipse exceptionem jam posuerat in rebus secreto notis in idem caput, ejusdemque conclusionis n. 222. *Potest facere Clericus Sacerdos, qui, licet denunciet proditiones conventas, homicidia perpetrata, aliaque delicta, propter quæ publicati amitterent vitam, non propterea esset irregularis, dummodo, quando ea revelat, protestatur se ea tantum de causa id agere, ut impediantur mala imminentia, & non inferatur pœna sanguinis malefactoribus, ut perpulchre definit, & probat Cajetanus allegando super hoc selectiores Canones. Capitulo, Episcopus, nec Clerici vel Monachi in 6. & c. Prælatis de homic. eod. lib. Tum quia hoc potest facere, qui promisit, & juravit servare secretum, & non detegere, ut definiunt multi, Innoc. recept. Panormit. & alii alibi, modo non fuerit revelatum medio Confessione Sacramentali.* Sylvius explicat adamussim D. Thomæ doctrinam in hoc negotio, 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *concl.* 6. *Qui aliquid*, inquit hic Auctor, *ex alio audivit, seu ab eo vidit fieri sub fide secreti, debet nihilominus de eo testificari, Superiore secundum Juris ordinem jubente, si redundat in Reip. damnum, vel injustum alterius nocumentum; quia contra bonos mores bonumque nullum secretum licet recipere hic commune ad 2. & q. 68. art. 1. ad 3. Si vero ea, quæ sub fide secreti sunt accepta, possunt absque ullius jactura occultari, nullo modo sunt prodenda, etiam ex præcepto Superioris, quia servare fidem est de jure naturali.* Hinc duo criminum genera distingui possunt quoad eos, qui eadem noverunt secreti fide; unum eorum est, quæ ita consummata sunt, ut omne prorsus malum contigerit, nullumque amplius seu publicum seu privatum damnum timendum sit. In hac facti specie secreti fides obligat, & qui secretum ita recepit, illud per revelationem, vi Monitorii, ad Judicem deferre non debet. At si, quod alterum criminum genus est, crimen sit adhuc rei publicæ, vel proximo perniciosum, ac malo, quod factum est, remedium per manifestationem afferri possit; secreti fides a revelationis obligatione non eximit. Quoniam itaque in præsenti causa syngraphæ gravis in causa facta subtractio semper iis nocet, quibus erepta est, & ii quidem, ea non recuperata, magnum incommodum paterentur; subscripti sentiunt, eum, qui secreto rem novit, a revelatione abstinere non posse, nisi forte subtractor parti læsæ satisfacere velit, & re ipsa satisfaciat; neque enim ille promissis acquiescere, eique, qui patitur, haud, quantum in se est, prospicere debet. Si tamen is, de quo agitur, certo sciret testimonium suum inutile fore, quod aliam probationem non haberet; & ejus quidem famam læderet, qui sibi secretum credidit, ei vero, qui injuriam patitur, minime opitularetur; non teneretur id revelare, quod probare non posset, funestoque negotio frustra ac temere se obnoxium reddere, atque adeo satius foret eum conticescere, & eorum exemplum sequi, de quibus sermo est 2. *q.* 7. *c. Plerumque*, ubi dicitur: *Plerumque boni viri propter ea sufferunt aliorum peccata, & tacent, quia sæpe deseruntur publicis documentis, quibus ea, quæ ipsi sciunt, Judicibus probare non possunt.* Quod Auctores nonnulli iis accommodant, qui haberent, quod patefacerent, sed tamen silentium servant, ne ipsi soli, & unici testes sint.

Decisum Parisiis die 27. Augusti an. 1679.

A. *de Lamet.*

Mo-

Monitorium decoctionis causa.

CASUS III.

1 *Ejus consanguinei, in quem impetratum est Monitorium, deponere non tenentur.*
2 *Nec magis tenentur criminis complices, quique possent interrogari.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an qui ea sciunt, de quibus modo, vi querelæ sub Ecclesiasticarum censurarum pœna deponere teneantur.

Quidam Mercator lanarius ex Urbe N. pridem meditatus decoctionem, in quam incidit, ut suos legitimos creditores, qui magno sunt numeto, frustarerur, usus opeta filii sui majoris natu, lanarii pariter Mercatoris, aliorumque filiorum suorum, affinium, & amicorum, subtraxit, celavitque sua quæque optima, nempe numeratam auri & argenti vim, atgenti supellectilem, lintea, telas candidas, aliasque, syngraphas, obligationes, titulos, scripta ad societates inter ipsum, ejusque dictum filiom natu majorem, aliosque Mercatores initas pertinentia, codices, diaria, & acta ad rerum suarum, suæque mercaturæ statum spectantia; suarum mercium naturam mutavit, cessiones dolosas instituit, solvitque injuria, ac dolo malo nonnullis e suis creditoribus cum aliorum damno; inivit deinde cum iis clandestinos, frandulentosque contractus, ex quibus falso apparet æris alieni trientem remissum esse; & horum contractuum vi Mercator & filius conantur creditorum miserrimos in eamdem remissionem pertrahere; in eumque finem eos in jus vocandos curarunt; sed cum dicti Creditores reluctarentur, ut id tuerentur, quod sibi legitime debebatur, non desuere, qui ipsis auctores essent, ut, cum eæ summæ decoctionis dolosæ tempore extiterint, ptopugnatent ex Constitutione conventiones frandulenter initas ei nullum jus afferre se ad eam remissionem adigendi; quamobrem adversus Mercatorem, & complices libellum supplicem obtulerunt, iisque concessum est, ut de factis in eo contentis informarent, & Monitorium, quod jam semel enuntiatum est, obtinuerunt.

Porro non ignorant, bene multos, quibus ea facta perspecta sunt, deponere volentes impediri, atque abduci ab Ecclesiasticis hominibus, potissimum a P. C. iis persuadentibus se id facere non teneri;

Alios quidem, quod reorum consanguinei sint, vel consanguineos se dicant;

Alios vero, quod, ut ajunt, domestici fuetint Mercatoris, aut consanguineorum, qui operam & consilium ad bonorum mobilium ac mercium substractionem contulerunt.

Creditores, qui post decoctionem injuria ac subdole pecuniam aut merces cum aliorum Mercatorum præjudicio susceperunt, a depositione sibi cavent, ne in communem Creditorum massam, id quod acceperunt, conferre cogantur.

Qui Mercatori pecuniam debent, eamque ejus, aut filii natu majoris nomine solverunt aliquibus ex Creditoribus, solutione in antecessum conficta, negant se testes accedere debere, tum ne cogantur bis solvere, tum quia Mercatori, vel iis, quibus pecuniam numerarunt, cognatione conjuncti sunt.

Vectores, qui e Fano S. Maclovii, vel aliunde hujus hominis nomine, pecuniam, quam filius natu majus recepit, asportarunt, se exemptos contendunt, vel quia publicæ personæ sunt, secreti lege obstrictæ, vel quia illud genus hominum sibi suppeditant, quo vitam sustentent.

Qui pecuniam debebant, aut merces ad hunc Mercatorem spectantes præ manibus habebant, dolosas cessiones contraxerunt, aut contrahi conserserunt, æris alieni ac mercium naturam mutarunt, aut mutandam curarunt; nec se putant debere deponere, prætendentes se consanguineos esse, vel futurum, ut easdem summas, ac merces in omnium Creditorum emolumentum conferre cogantur.

Non panci utriusque sexus Operarii ac Mercenarii, eidem Mercatori proximi ab iis, quæ sciunt, declarandis abstinere se posse judicant, quia domos incolunt, quæ ad ipsum, vel ad filium, vel ad consanguineos spectant, seu quia, cum apud eos laboraverint, si deponerent, sua illi opera non amplius in posterum uterentur.

Alii, quibus Mercator, quo tempore conjux e vita decessit, graves summas debebat, quibus postea Creditorum pecuniam satisfecit, quamvis ejus filii teneantur earumdem summarum dimidium ad Creditorum emolumentum conferre, sibi pariter a testimonio dicendo cavent consanguinitatis prætextu, quodque communem matris hæreditatem die ipso ejus mortis iidem filii acceptaverint.

Alii, qui societates ipsum inter, ejusque filium natu majorem, aliosque Mercatores initas norunt, sibi quoque deponendi obligationem nullam esse dictitant, eodem usi consanguinitatis prætextu.

Atque extremo quodam abusu, qui conscientiam æque ac publicum bonum perturbat, omnibus omnino testibus, sive consanguineis, sive non, persuaderi contenditur, eos a depositione penitus immunes esse, propterea quia Mercator & complices ab fraudulentæ decoctionis crimen, de quo accusantur, afflictivis pœnis affici possunt, juxta Principis Constitutiones, id quod eorum familiæ infamiam afferret, ne illud addatur, non paucos ad incitas, & ad extremam mendicitatem redactos esse mala fide dicti Mercatoris, asseclarum, coadjutorum, fautorumque decoctionis, qui bonorum, & mercium substractarum, aliarumque rerum in præsenti Monitorio contentarum notitiam ipsis adimunt, quamvis hæc una & unica ratio sit, quamobrem sperare possint fore, ut sibi, quod debetur, omnino aut ex parte solvatur.

Ejusdem Mercatoris consanguinei, aliique, qui ei distractioni opitulati, ac pattocinati sunt, contendunt pariter se non solum a dicendo testimonio, verum etiam a restitutionis obligatione exemptos esse.

Rogantur Doctores, ut decidant, an Creditores, quibus Mercator, aut ejus filius compensationem promiserunt, vel promittendam curarunt, ut eos ad trientis æris alieni remissionem subdole contrahendam adducerent, teneantur necne id ipsum deponere?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent, ejus consanguineos, adversus quem Monitorium obtentum est, non teneri deponere, ac dispensationem hanc ad quartum usque gradum extendi; criminis complices, & qui super hoc negotio inquiri possent, pariter non teneri; sed eos tamen, cum operam suam ad ejus bona in tuto ponenda contulerint, qui fidem amisit, reparare debere eorum jactutam, quibus ne solutio prestareretur, obstitit eorum subficatio, & subsidium, quod Decoctori attulerunt. Inter eos porro, quorum opera æris alieni natura mutata est; ii quidem, qui absque extremo damno revelare non possent, ipsi quoque exempti sunt; qui porro huic Mercatori adlaborarunt, ut Vectores, Operarii, consanguinei consanguineorum Decoctoris ipsius nequaquam a revelatione sunt exempti, debentque, si quid eorum sciunt, quæ Monitorio continentur, testes accedere. Jam veto si exemptio hæc non ad Decoctoris tantum, sed ad ejus quoque consanguineorum servos extenderetur, inutile redderetur remedium illud, quo Ecclesia utitur, ut suis filiis jus curet tribuendum. Neque vero contenditur, eos hac obligatione comprehendi, qui secreti fide rem cognoverunt, & qui in consilium sunt adhibiti, cujusmodi sunt Advocati, & Procuratores ad lites, nisi alia ratione in rerum Monitorio contentarum notitiam venerint; si enim ita res haberet, edicere tenerentur, quin ea cognitione, quam ipsis secreti fides attulit, uterentur.

Decisum Parisiis die 16. Maii an. 5678.
A. de Lamet.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

MONOPOLIUM.

MOnopolium græcæ originis nomen est, eumque vi suapta significat, qui unus solus aliquod genus mercis universum emit, & solus vendit; ut proinde in Monopoliis id conveniat, ut penes unum aliquem speciei alicujus vendendæ potestas sit, vel aliquid fiat, quo eadem species pluris vendatur, vel opera, quæ impeditur, majore pretio compensetur, quam valat; atque adeo unus tantum potest Monopolium facere, emptis omnibus intra angustos loci terminos mercibus, ut ab eo emi necesse sit eo prorsus pretio, quod ipse suo modo statuerit.

Monopolium dividi potest, I. in Monopolium, quod auctoritate publica fit, cum Rex, Respublica, vel Communitas id privilegii concedunt, exempli causa, alicui Mercatori, ut solus certas mercium species vendat, ut alaciei, pulveris Nicotiani, Salis, &c. II. in Monopolium, quod privata auctoritate instituitur, cum duo, pluresve Mercatores aliquam simul conventionem ineunt ad quarumdam mercium pretium augendum.

Certum est, Monopolium, quod publica auctoritate fit, prohibitum non esse, quia Principibus, & Magistratibus licet facultatem cuipiam tribuere, ut aliquam peculiarem mercem solus vendat, cum id ad bonum publicum spectat; quo in casu debent iidem hujus mercis pretium taxare, ne venditori liberum sit eam vendere, prout voluerit; Monopolium hoc ad publicum bonum est sæpenumero necessarium, ut inveniri possint, qui ejusmodi merces pretio minore vendant.

Monopolium porro, quod auctoritate privata fit, gravissimum crimen est; atque adeo, qui illud perpetrant, restituere tenentur, ac reparare damna prorsus omnia, quæ proximo, aucto mercium pretio, intulerunt. Iis accommodari potest id, quod refertur in Canone (a) *Esti illi*, qui ex Toletano Concilio dictus est: si nempe Divinus Filius eos æternis pœnis addicit, qui pauperibus de propriis bonis non tribuerunt, futurum potiore jure, ut ii damnentur, qui id pauperibus eripuerint, quod iis non ipsi dederunt; quia certum est, eos, qui de aliqua re mutuo conveniunt, ut mercium, rerumque præsertim, quæ ad vitam necessariæ sunt, prætium augeant, id auferre pauperibus, quod iis minime præbuerunt, eos adigentes ad merces illas carius emendas, quam si nulla conventio extitisset. (b) Id autem adeo grave peccatum est, ut lex jubeat, eos, qui per summam atrogantiam ac temeritatem ea Monopolia exercuerint, perpetuo exilio, & bonorum publicatione damnari.

Privatæ auctoritatis Monopolium pluribus modis fit. I. Cum Mercatores inter se de certa, eaque pro ipsorum arbitratu statuta peculiaris alicujus mercis venditione, vel emptione conveniunt, quo in casu gravissime peccant, & id omne restituere tenentur, quod ex venditione ultra pretium summum, & ex emptione infra pretium infimum perceperunt. II. Cum plures Mercatores ad omnes certi cujusdam loci merces emendas conspirant, ut eas deinde vendant majore pretio, quippe quæ non nisi ex ipsis emi possint. Ejusmodi Monopolium prohibuit Franciscus I. in Constitutione, quam die 20. Junii an. 1539. Parisiis edidit. III. Cum Artifices, aliique Operarii mutuo conveniunt, ne quis eorum emat opus ab alio Operario, qui illud intermiserit, inchoatum; id quod etiam idem Rex vetuit Augusto mense ejusdem anni in civilium societatum collatione. IV. Cum Mercatores fraude, aut mendacio impediunt, quominus merces, aut messes aliunde comportentur, quo ipsi carius eas vendant, quas possident, cum publici boni damno, ut videre est in Lege *Julia*, (c) quæ prohibet, ne naves triticum, vel id genus alia deferentes, quominus ad portum appellant, impediantur.

Monopolium in lignorum venditione.

CASUS.

1 *Cum Mercatores ad merces aliquas emendas conspirant, & corollarium dant iis, qui carius emere volunt, ut ipsos a contractu resilire cogant, eorum conspiratio tanquam Monopolium spectanda est.*

2 *Si rem infra justum pretium emant, restituere tenentur.*

3 *Qui corollarium receperunt, non tenentur id restituere.*

QUÆSITUM.

MAgni nominis Dominus ligna possidet, quæ ejus Ministri vendenda proponunt, venditione an. 1682. in triginta locis hujus Provinciæ, aliarumque proximarum indicta. Post aliquot augmenta pretii quatuor Mercatores, conspiratione facta, viginti septem mille libras offerunt, & cæteros in aurem alloquuntur in hunc modum: nos ipsi nobis jugulum petimus, si pretium augere pergimus; alterutrum faciendum; aut vos corollarium, quod vobis exhibemus, accipite, & silentium servate, ut ligna nobis adjudicentur; aut vos ipsi nobis hanc eamdem strenam date, nosque ipsi recedemus. Convenitur; quatuor Mercatores cæteris fidem obstringunt, eisque dant liratum duo millia, quæ ipsi solverunt. Cum porro tribi essent, ut concluderent, accedunt Mercatores alii, quibus illi nummos aureos centum præbent, ne pretium superaddant; ita ut negotium inter associatos, & Domini Ministros 27000. librarum pretio concludatur, & ipsi 30000. libras ex eorumdem lignorum venditione percipiant.

Quæritur, I. An Mercatores hi quatuor alicui restitutioni obnoxii sint erga Dominum, ad quem ea ligna pertinent, quia impedimento fuere, quominus alii Mercatores pretium urgerent, præsertim cum ea ligna usque ad 35000. libras, peritorum quoque hominum judicio, efferri possint?

II An qui strenæ loco librarum tria millia, ut resilirent, nec pretium adderent, acceperunt, nonnullius restitutionis lege teneantur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum monet initio statim, multorum Theologorum sententia quatuor Mercatores conspirantes nihil a justitia alienum fecisse quoad Dominum, cujus ligna emerunt, & quod inde consequitur, ad nullam restitutionem obligati, si pretium ab ipsis propositum haud justo minus extiterit. Hoc autem illi principio nituntur, quod, cum ad mercem aliquam emendam sit conspiratio, modo pretium, quod tribuitur, justum sit, nec infra justi valoris gradum consistatur, contra justitiam commutativam minime peccetur, ac proinde restitutionis obligatio nulla sit.

Adest sane Monopolii quædam species, cum ita de emptione convenitur, & ex eo charitas & justitia legalis læditur, quod privati homines statuendi rerum pretii potestatem, quæ ad Principem, aut Ma-

(a) Canon *Esti illi* 12. q. 2.
(b) L. Jubemus cod. de Monopoliis.

(c) L. Julia ff. ad legem Juliam de annona.

Magistratum, aut Communitatem tantum spectat, usurpant, & in causa sunt, ne res ipsæ pluris vendi, vel emi possint; non tamen apparet, illud contra justitiam commutativam peccatum esse: *Quando Mercatores conspirant*, inquit Sylvius, (*a*) *ut nullus eorum emat supra certum pretium, quod ipsimet statuunt, si pretium relinquant intra latitudinem justi pretii, nihilominus peccant partim contra charitatem, partim contra justitiam legalem; ita sibi usurpant potestatem Principis, vel Magistratus, aut certe Communitatis, dum se ipsos constituunt auctores ac definitores justi pretii, & causa sunt, ne aliter emi & vendi possint ejusmodi merces; non videntur tamen peccare contra justitiam commutativam, ideoque nec ad restitutionem obligari*. Alii quoque Auctores idem sentientes in medium afferri possunt, ut Bassæus, Bonacina, Molina, Reginaldus, Lessius, & Diana.

Sane emptores ii, qui alios, ne pretium addant, impediunt, ut in publicis venditionibus passim contingit, vel qui mutuo conspirant, ut emant infimo tantum pretio, venditorem ea ratione privant jure, quo gaudet, suas merces pluris vendendi; in quo quidem ei damnum important juxta Theologorum, quos modo nominavimus, principia. Sed responderi potest, emptoribus quoque jus esse non emendi summo pretio, ac dummodo nec fraudem nec vim adhibeant, ut votorum suorum damnentur, contra justitiam commutativam eos non peccare, nec restitutionis lege teneri.

Quin porro expendatur, an hæc sententia theorice cum veritate consentiat, censet Consilium, has Mercatorum conspirationes esse veri nominis Monopolia, Legibus vetita; & in praxi fere cum injustitia conjuncta esse. Ac re quidem ipsa is naus iis propositus finis est, ut vili pretio, hoc est infra infimum merces emantur. Quamobrem in præsenti facti specie vero simillimum est, eos quatuor associatos, qui ligna pretio viginti septem mille librarum emerunt, eadem viliore pretio, & infra eorum justum valorem obtinuisse; ex quo fit, ut nemorum Domino restituere debeant, quod deest, ad usque librarum triginta quinque millia, quæ justa æstimatio est, ad quam eadem ligna pervenire possent, quin ulterius efferantur.

Mercatores porro, qui librarum tria millia strenæ loco sumpserunt, nec monopolii vera causa fuisse, nec quicquam, unde illud existeret, re ipsa fecisse videntur; atque adeo ea omnis strena spectari potest ut lucri compensatio, quod ex lignis ii percepissent, nisi, quominus & ipsi pretium proponerent, impediti fuissent.

Decisum Parisiis hac die 28. Augusti an. 1702.
G. *Fromageau*.

MOTUS.

Motus, qui dicuntur Primo-primi.

CASUS.

Motus, quos Theologi dicunt Primo-primos, *cum indeliberati sint, & voluntatis omne judicium untevertunt, mortalia peccata non sunt*.

QUÆSITUM.

ID humillime proponitur explicandum, quid sibi velint verba hæc, *Motus primo-primi*, & an qui ira percitus, & furore abreptus eum occidisset, a quo vapulasset, vel alapa cæsus fuisset publice, atque innumera hominum turba spectante, homicidii, criminisque gravissimi coram Deo reus esset, nec ne?

RESPONSIO.

Respondetur, motus primos, qui *Primo-primi nuncupantur*, eos esse, qui omnes judicii actus ad mortale peccatum constituendum necessarios praeveniunt. Hinc proposita quæstio facile decidi potest.
Decisum Parisiis die 25. Augusti an. 1676.
A. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

NOTARIUS.

NOtarii publicæ personæ sunt, recipientes, & conscribentes eorum conventiones, qui contrahunt. Eorum obligationes magnæ sunt, & late patent; causa exempli sunt inexcusabiles, si quos hæreditatum, venditionum, permutationum, donationum, aliosve Contractus recipiant, nisi Contrahentes declaraverint, quo feudo, & censu res, quæ ceduntur, & transferuntur, quibusque erga feudales aus censuales Dominos oneribus affectæ sint; id quod iis injungunt Constitutiones, pœna privationis Officiorum, & Contractuum nullitatis imposita. Peccant etiam gravissime, cum partes ad simulatas permutationes adducunt, ut Dominos eo, quo gaudent, venditionis & emptionis jure frustrentur, eisque restituere tenentur in solidum cum partibus, quæ inde commodum perceperunt.

Notarius, qui Contractum exaravit acquisitionis constituti reditus, pretio forte ipsa minori, id patefacere non tenetur, quia si rem proderet, periculum feret, ne a Judice puniretur; sed in conscientiæ foro debet injustum ejusdem reditus emptorem de restitutionis obligatione monere. Quod si a venditore rogatus fuit, ut eum reditum vel cum dispendio vendendum curaret, tunc quoad venditorem nulla Notarium obligatio tenet, facta hypothesi id bona fide actum fuisse. Verum si idem Notarius tercentarum librarum ad bonum Petri, qui eas Joanni mutuas dat, obligationem transigat, & Petrus, ut censum, quem inde percipere vult, sibi certum reddat, re ipsa non nisi ducentas octuaginta libras det mutuas, idque vidente ac sciente Notario, dubio procul Notarius peccat; sed ei tamen Theologi nullam restitutionis obligationem imponunt. Hæc sententia est Domini *de Sainte Beuve*.

Declaratur in Cleri Monumentis, opus fore, ut sub excommunicationis pœna Notariis (*b*) omnibus Testamenta conscribentibus præcipiatur, ut de legatis in Ecclesiæ bonum institutis Episcopum, vel ejus Generalem Vicarium certiores faciant, mense post Testatorum mortem, ad fraudes omnes evitandas.

Officia hæc omnia distinctius in sequenti Casu censentur.

(*a*) Sylvius q. 77. art. 1. q. 2. de restitut. Bassæus tom. I. v. venditio n. 24. Bonacina de contract. disp. 3. q. 2. punct. 3. n. 23. Molina de just. & jure disp. 345. n. 4. Reginal. l. 25. n. 318. & 333. Lessius de just. & jure l. 2. c. 21. dub. 21. n. 144. Diana 1. part. tract. 8. resol. 76.
(*b*) Vide Dictionar. D. Pontas tom. 2. pag. 1530.

Notariorum Officia.

CASUS I.

Difficultates a Notario propositæ, probo viro, Deum timente, quidque sui muneris vi sibi faciendum sit, scire cupiente, ne quid agat, quod suam ipsius conscientiam perturbet, ac Divinæ legi adversetur.

QUÆSITA, & RESPONSA.

I. Quæ. Complures tum Catholici, tum ex Religione, ut dicitur, Reformata Notario huic significant sibi esse pecuniam, quam fœnori dent denario vigesimo, nempe receptis annuis quinque pro centenis; Alii vero ejusmodi pecuniam mutuam quærentes ad eum propterea confugiunt. Iisne potest Notarius hic illos indigitare, qui ita fœnori dare cupiunt? Potestne etiam hoc hominum genus inquirere?

Resp. Theologiæ Doctores subscripti censent huic Notario non licere eos indicare, qui sibi declararunt, se pecuniam fœnori dandam præ manibus habere, vel investigare, quinam habeant, ut eam hac ratione mutuam petentibus obtineat, quia Legibus vetita usura est.

II. Q. Cum duo consentiunt, unus quidem de suscipiendo, alter vero de solvendo mutuæ summæ censu; Notarius, quem ea consensio non latet, potestne in obligatione, quam conscribit, hunc censum cum sorte confundere, quasi mutuæ pecuniæ partem constituat, id partibus requirentibus?

R. Notarius in obligatione, quam exarat, censum, tanquam pecuniam mutuo datam cum sorte conjungere nequit.

III. Q. Alii, absente Notario, in similem obligationem, in qua fœnus sorti miscetur, conspirant, consentiuntque; Quomodo Notarius se gerere debet, si de conventione cognoverit, antequam obligationem conscribat? Debetne ab ea scribenda abstinere? Quid si dum scribit? Debetne consistere? Quid denique, si postquam scripsit, sed nondum obligatione consummata, & pecunia a mutuante nondum tradita? Debetne transverso calamo delere, quod scripsit?

R. Si Notarius in ejus usurariæ conventionis, se absente, initæ cognitionem venerit, obligatione nondum scripta, ab ea scribenda abstinere debet; si inter scribendum, subsistere; si demum ea jam scripta, sed non consummata, eamdem delere debet.

IV. Q. Quidam Mercatores iis pecuniam mutuam dedere, vel merces vendidere, qui in se receperunt obligationem stato tempore, de quo convenere, solvendam. Sed cum debitores intra definitum spatium non satisfaciunt, mutuantes contendunt se posse non soluti fœnoris lucrum percipere, ajentes se quoque aliis lucrum solvere; quod non facerent, si sibi satisfieret, quippe quod merces, seu fundos emerent, unde sibi quæstus existeret. Addunt, se, cum a Judice obtinere possent, ut debitores ad solvenda sibi fœnora damnarentur, id facere noluisse, quod crederent, eos suapte sponte id perfecturos. Datæ pecuniæ censum hac cogitatione a debitoribus petunt, eorumque in obligationem consensum extorquent. In hac facti specie Notarius potestne eam tuta conscientia recipere?

R. Non potest Notarius eam obligationem recipere citra peccatum, ni certo sciat Creditori verum damnum provenire ex debitoris retardatione.

V. Q. Debetne renuere Notarius recipere, partibus consentientibus, obligationes, dierum tantum quindecim spatio definitas, præsertim si sciat, vel non temere credere possit, eos, qui mutuum dant, sperantes fore, ut sibi stato tempore non solvatur, a Judice mutuæ pecuniæ censum impetraturos?

R. Nihil est, cur ille renuat ejusmodi obligationes transigere.

VI. Q. Potestne Notarius obligationem firmare ob summam, ex qua non ignorat lucrum perceptum iri, quamvis in obligatione lucri nulla mentio, neque id sorte contineatur? Idemne sentiendum, si noverit, eum, cujus gratia obligatio instituitur, eodem tempore promissionem privata fide firmatam exigere, quæ censum cum sorte conjungat?

R. Potest sane, quia nihil in ea obligatione adest, quod non liceat; partes propriæ voluntatis ultro abutuntur actu legitimo. Quamvis tamen Notarii tanquam personæ publicæ præpositi sint ad omnes actus legitimos partibus postulantibus concedendos, monentur, ut quam rarissime possint, ejusmodi actus concedant.

VII. Q. Non desunt, qui subsint obligationibus, in quibus sors censusque miscentur, quamvis omnis summa tanquam pecunia mutuo data enuntietur; & has obligationes aliis mutuantes cedunt. Potestne Notarius Acta conscribere? Potestne ea quoque exarare, in quibus ceditur census per sententiam adjudicatus, cum novit, debitores se damnari passos esse, ut creditoribus gratum facerent?

R. Scribere potest acta cessionis obligationum, in quibus cum sorte census conjungitur, cum non apparet lucrum ex mutuo in iis contineri, quamvis id ipse aliunde sciat, quia non potest acta denegare, quæ externa specie sint legitima. Prudenter tamen se geret, si quam maxime poterit, ab hujusmodi actis abstineat. Quod autem ad eos spectat, qui cedunt census sibi debitos, vi sententiæ, quam debitores ultro subiisse Notarius cognoverit: si Notario non constat consensionem defectu aliquo laborare, non ægre assentiri debet; quod si defectum aliquem adesse novit, & ea quidem privata cognitio sit: potest actum conficere, absolute loquendo; sed ei tamen auctores sumus, ut abstineat pro viribus.

VIII. Q. Quoniam exterior justitia a tutoribus & curatoribus postulat, ut minorum pecuniam in censum referant: Notarius in actis, quæ super hujusmodi negotiis conficit, potestne declarare censum esse partem pecuniæ, quam debet is, qui pupillares nummos mutuatur?

R. Minime vero; adest enim usura. Tutores, & Curatores debent Constitutionis Aurelianensis articulo 102. in pupillorum pecunia administranda se conformare.

IX. Q. Sunt, qui, acquisitis fundis, ut Dominum eo vectigali frustrentur, quod eidem emptionis & venditionis titulo debetur, venditionem dissimulantes, unanimi consensu permutationis, aut locationis contractum ineunt. Quod in causa est, ut venditio occulta remaneat, suum Domino jus non reddatur, & venditoris consanguinei ea bona vi cognationis adire non possint. In hujusmodi casibus Notario licetne contractum recipere, præsertim nullo consilio quoad articulum hunc exhibito?

R. Peccaret ille, si ejusmodi actum reciperet, in Dominorum, & legitimorum hæredum fraudem, siquidem de eadem fraude cognosceret.

X. Q. Conducunt alii domos, & agros, polliciti se justum pretium stato tempore soluturos; sed nolunt in contractu hanc clausulam apparere, ut suum tum Domino, tum consanguineis jus adimant; itaque in id actum seorsim edunt, cujus nulla Syngrapha apud Notarium remanet, quemque venditor sibi sumit, & servat. Potestne ejusmodi Acta recipere & signare Notarius?

R. Nequaquam, ratione fraudis, quæ in iisdem occurrit.

XI. Q. In Consuetudine Pictaviensi retractio vi cognationis locum habet consanguineorum bono, cum aliquam pecuniæ vim pars una vicissim alteri tradit; & Domino quoque in hanc summam sua jura sunt. Ut lex eludatur, vel in privato tantum actu, qui non apparet, summæ hujus mentio fit, vel sine ullo actu manu traditur, ut id & Dominum & consanguineos omnino lateat. Potestne Notarius permutationis contractum, & privatam promissionem sejunctim edere?

R. Non potest jam allata de causa.

XII. Q. Notarius potestne probare contractus constitutionis reditus, solvendos ex messe, vi certæ pecuniæ ei traditæ, qui solutionis obligationem in se recipit? Ea est dubitandi ratio, quod messis non certo

stat

ſtat pretio, ſed modo pluris, modo minoris eſt, pro copia, ſeu penuria.

R. Poteſt ſane, ex quadtiennii ratione ponderato meſſis pretio, eaque in contractu expreſſa declaratioue, meſſis pretium ſtatutum eſſe, prout quotannis, utcumque tempeſtas tulerit, vendi conſuevit.

XIII. Q. Cum jam conſtituti ſunt reditus, poſſuntne Notarii eoſdem firmare in eorum ſavorem, qni gaudent ipſorum titulis, ſive eorum commodo inſtituti ſuerint, ſive eos ipſi acquiſierint?

R. Ita ſane, dummodo inſtitutio uotoriam injuſtitiam nou contineat.

XIV. Q. Hominibus in aleis adverſa fortuna uſis, obligationes tanquam ob pecuniam mutuam ſtatuere volentibus, poteſtne Notarius eaſdem recipere?

R. Non poteſt tuta quidem conſcientia.

XV. Q. Quidam mutuam dant certam aliquam meſſis ſpeciem, ea conditione, ut anno inſequente debitor melioris ſpeciei tautumdem reddat. Notarius ejuſmodi conventionis cauſam ignorans poteſtne ſuum miniſterium in id conferre, eamque obligationem admitrere?

R. Nequaquam, ſi certus ſit, meſſis ſpeciem, quæ reddenda eſt, ea, quæ mutua data eſt, fore cariorem; quod ſi pretium minus futurum dubitet, obligationem recipere poteſt.

XVI. Q. Poteſtne recipere venditiones, quæ granorum, aliorumve fructuum fiunt, anrequam colligantur, quorum ſæpe pretium venditores in anteceſſum petcipiunt? An vero debet inquirere, ſitne rationi congrua venditio, an ob anticipatam pecuniam venditor tam vili pretio contentus ſit?

R. Ita quidem, ni quid uſuræ ob anticipationem eidem ſubolear.

XVII. Q. Quidam ſua bona mobilia, vel immobilia conſanguineis, aliiſve ex parre douare volentes ſe mutuæ pecuniæ titulo iis obſtrictos declarant, quia donationes Juſtitiæ formulis conſentaneæ cunteſtationibus ſubeſſe poſſent. Notarius poteſtne ejuſmodi obligationi ſavere?

R. Non poteſt, tuta conſcientia.

XVIII. Q. Qui filiorum ſuorum filios, alioſve conſangnineos apud ſe retinuerunt, quotannis iis penſionem remittunt, ne alii bæredes quoad caput hoc ipſis negotium faceſſant. Poteſtne Notarius ejuſmodi remiſſiones recipere?

R. Eas ille recipere & eonſcribere poteſt, ſi iis, a quibus fiunt, ita agendi jus adſit; ſi enim Lex, Conſuetudo, vel Conſtitutio non iis poteſtatem relinquant ejuſmodi emolumeuta tribnendi, Notarius ejuſmodi remiſſiones conſcribere omnino non debet.

XIX. Q. Quoad pecora, quæ alii aliis tradunt cuſtodienda, Pictavienſis conſuetudo ea paſſim eſt, ut alrerum lucri dimidium ei cedat, ad quem pertinent, alterum ei, qui eadem cuſtodit, alitque, laboris & ſtipendii titulo; jactura potro capitum eſt utriuſque cummunis. Nihilominus ineuntur contractus, in quibus pecorum pereuntium jactura in eum omnino caſura dicitur, cui eadem commiſſa ſunt; in aliis vero contractibus dicitur omne pecorum lucrum cuſtodi utilitari fore, ſolutis locatori quotannis novem aut decem libris pro quaque pecude, ejus lucri titulo, quod percipere debuiſſet ex grege, cujus unumquodque caput non pluris valet, quam triginta octo libris, aut quadraginta. Illud ſcitu dignum ducitur, an Notarius tuta conſcientia iſtiuſmodi contractus firmare poſſit?

R. Non poteſt tuta conſcientia prioris generis contractus expedire, quia injuſti ſunt & uſurarii; idemque de alterius generis contractibus ſentiendum, ſi novem decemve librarum ſumma pro quaque pecude dimidii lucri, quantum nempe ad locatorem pertinet, juſtum valorem excedat.

XX. Q. Sunt, qui fæminis, quas in uxores ducunt, proſpicere volentes fatentur in matrimonii contractu eas ex pecunia vel ex mobilibus bonis certam ſummam artuliſſe, quamvis uon ita res habeat. Notarius poteſtue tuta conſcientia bos contractus ſuſcipere?

R. Poreſt ſane, ſi per Legem aut Conſuetudinem liceat ejuſmodi commoda ſuis conjugibus procurare. Hac in re nihil occurrit juſtitiæ conrrarium, quoniam vir id ſponſæ ſuæ donat, qaod poteſt; dici & illud poteſt, nihil a veritate alienum eſſe, acceptis verbis ex uſu communi in ſimilibus caſibus.

XXI. Q. Adſunt etiam; qui ſummarum ſibi debitarum obligationes fictis nominibus inſtitui velint. Alii couſanguineo vel amico cedunt, quod vel obligatione, vel ſententia ſibi debetur, ut appareat id nun amplius ad ſe ſpectare. Notarius, qui hæc omuia probe novit, debetne id genus acta conficere? Poteſtne, cum indicia tantum & ſuſpiciones occurrunt?

R. Poreſt ejuſmodi acta recipere.

XXII. Q. Domini, vel alii, quorum boua decreto ſubſunt, ſe reddunt adjudicatarios, erogata ſumma admodum tenui, conſanguineorum, amicorum, vel domeſticorum nomen mutuati, quandoque quia nemo pretium additurus accedit, quandoque vero quia nemo audet ſe ſiſtere, eorum metu, quorum bona decreta ſunt. Cum vero ea ſibi adjudicanda curaverint, ea locaat iis, quorum nomen mutuati ſunt, multoque plus inde percipiunt, quam dederint. Quomodo ſe gerere debet Notarius, togatus, ut ejuſmodi locationes conſcribat?

R. Poteſt eas recipere, abſolute loquendo, ſi certus non ſit in iis fraudem & dolum adeſſe; quod ſi certus ſit adeſſe, iis ſe miſcere, ac ſui miniſterii anctoritate eaſdem roborare non debet.

XXIII. Q. Qui ſummarum obligationes obtinent, quarum rempus elapſum eſt, curare poſſunt, ut ſui debitores in jus vocentur, ad cenſus ſibi ſolvendos damnandi. Quod ſi debitores ultro aſſentiantur, propriique conſenſus actum exhibere velint, eum ne concedere Notarius poteſt?

R. Poteſt bujus conſenſus actum conficere, quin propriam conſcientiam inquinet.

XXIV. Q. Alii pecuniam mutuam dant iis, qui grati animi, & compenſationis gratia ipſis prædia locant minore pretio, quam ſi id cauſæ non interfuiſſent. Notarius, qui id non ignorat, eam ne locationem conſcribere poteſt?

R. Minime, quia conventio hæc uſura proprie dicta laborat.

XXV. Q. Poteſtue ſubſcribere venditiones ſegetum, quæ intra duos treſve menſes tradendæ promittuntur, & decem vel duodecim denariis pro quoque modio miuoris venduntur, quam valebunt traditionis tempore?

R. Ita ſane.

XXVI. Q. Non deſunt de Minoribus, qui poſtquam e propriis bonis aliquid vendiderunt, vel merces emerunt, inito contractu ſolutionem promittunt; ſed deinde vel ipſi, vel eorum conſanguinei contractum abrugandum curant per Litteras, quas a Rege obtinent, quia minores ſunt, & ſe deceptos fuiſſe conrendunt. Poſſuntne Nutarii contractus ejuſmodi coufirmare, quus Legibus prohiberi apparet?

R. Ejuſmodi contractus venditionis, emptionis, & obligationis, quos aliorum bono Minores ineunt, Notarii tuta conſcientia firmare non poſſunt.

Deciſum Pariſiis hac die 12. Decembris an. 1670.

De Sainte Beuve.

Auguſtinus *de Lamet.*

Notarius ſubſcribens, cum non adfuerit, nec actum legerit.

CASUS II.

Notarius, qui ſecundo loco actum ſubſignat, id facere non deberet, quin adeſſet, & actum legeret.

QUÆSITUM.

Regulæ Notariis præſcriptæ pro Regis Conſtitutionibus, & locorum Conſuetudinibus variæ ſunt. In aliis Provinciis unus Notarius coram duobus teſtibus poteſt acta, contractuſque firmare; in aliis vero, ut Pariſiis, & in Pictavienſi præſertim Provincia Conſtitutione & Conſuetudine firmatum eſt, ut rerum, quæ decem librarum valorem ex-

vim non intelligere certo sciret, vel ei saltem ita credendi gravis causa subesset: teneretur in foro conscientiæ verborum pondus eidem proponere, ne, instructionis defectu, graviorem, quam vellet, obligationem subiret. Hæc S. Antonini doctrina est *part, 3. tit. 6. c. 3. §. 6.* Eamdem sententiam tuetur Navarrus *in sum. c. 25. n. 53. Tertio peccat*, inquit hic Auctor, *qui rogatus ab aliquo, ut sibi det aliquod instrumentum, quod dare tenetur, non dat, ut aut adversario, aut amicis ejus displiceret, & qui non informat partem ignorantem, quæ renunciatura est alicui juri.*

Si ea declaratio desit, non immerito asseri potest id deesse contractibus, quod est præcipuum, voluntatem scilicet, & consensum, ac deceptionem adesse. Cum porro intersit boni publici, ne absque causæ cognitione obligatio contrahatur, perniciosum profecto foret, publicum Officialem, cujusmodi Notarius est, ad contrahentium alterutrum, vel etiam utrumque decipiendum ministerium suum exhibere. Contra charitatem quoque peccaret, ni eos moneret de periculo, cui se exponunt, iis, quin intelligerent, sese implicantes, quæ ipsis incommoda forent.

Hoc responso satisfit iis omnibus, quæ occurrunt in libello supplici super hoc negotio, atque adeo in allato Mercatoris exemplo, qui, defuncta conjuge ad secundas nuptias transire vellet. In ejusmodi nempe casibus, in quibus contrahentes obligationum suarum vim non agnoscunt, Notarius non potest, quin eos instruat, præsertim vero si simplices & rudes sint, & proinde nulla rerum cognitione polleant, ut S. Antoninus animadvertit.

Quod spectat ad alteram difficultatem, quæ refertur ad fidei commissa, quibus vir & conjux sibi proponunt eludendam legem, quæ prohibet, ne quid illi sibi vicissim donent: Notarius, qui id consilii præstat, probatve, grave peccatum committit, nec levius vir uxorque peccarent, si eo consilio uterentur; atque adeo singuli tres, eorumque hæredes in solidum tenerentur bonum testatoris filiis vel hæredibus restituere. Certum, prorsusque inconcussum est principium illud, homines de propriis bonis nonnisi ex Legum mente posse disponere, neque idem principium cludendum est, eo prætextu, quod humanæ Leges sint, earumque in eodem Regno maxima sit varietas, ac proinde jus cuique sit eam eligendi, quæ magis arrideat, cum in certis quibusdam regionibus Leges vigeant, quarum alibi nulla vis. Exempli causa si vir nobilis Nurmannus natu minor ea ratione sibi portionem statui vellet, qua Viris nobilibus natu minoribus in Campania statuitur, prætendens non paucas ibidem adesse consuetudines, quæ natu minoribus magis favorabiles sunt; id ille sibi arrogaret, quod nemini probaretur, quippe quod legi, & quod inde consequitur, justitiæ adversatur.

Hinc illud consequens fit, Notarium, virum, conjugem, & fideicommissarium, qui fideicommissi participes sunt, omnes & singulos in criminis societatem venire, contraque justitiam peccare. Porro fideicommissarii nomine venit is, cui suam quis intentionem declarat, quique propositioni sibi oblatæ consentit, vel expressis verbis, vel etiam silentio, quod in simili facti specie consensus proprie dictus haberi debet; ex quo concluditur eam in solidariam restitutionis obligationem incidere. Quod autem proponitur, ut curet sibi a testatore dicendum, quod nempe ei donat „ id eum conjugi destinare, si forte id ille coram Judice affirmare cogatur; Legis illusio est, quæ proinde a Judicibus, siquidem iis innotesceret, damnaretur; neque in dubium vocari potest, quin Deus, qui corda scrutatur, eam agendi rationem, tanquam Legis violationem condemnet; atque ita bonum ad eam minime pertineret, ad quam ea depravatione traheretur, quique illud retineret, possideret alterius bonum, quia hæc possidendi ratio illicita est. Illud ergo ad hæredes spectat, ut quamdiu contra eorum voluntatem retinetur, tamdiu contra injustitiam peccatur.

Decisum Parisiis in Sorbona die 27. Octobris an. 1689.

Aug. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

NOVITIATUS.

NOvitiatus est probationis tempus, quo experimentum fit eorum, earumque, qui volunt Regulari Professioni suum nomen dare. Quamvis porro Tridentina Synodus tempus hoc anni, seu duodecim mensium spatio definierit, dum *sess. 25. cap. 15.* statuit, ne quis ad Regularem Professionem admitteretur, quin integro saltem anno post sumptum habitum in Novitiatu versatus fuerit, omnisque proinde citius peracta Professio nulla foret, nullamque servandæ certæ alicujus Regulæ obligationem secum afferret: non desunt tamen Ordines, in quibus Novitiatus bienni spatio, exordio ducto ab habitus sumpti die, perdurat. Memoriæ prodit *Frapaolo* in sua Tridentinæ Synodi historia, Synodi Patres statuere voluisse, ut Professio non ante decimum octavum ætatis annum completum emitteretur, & Novitiatus biennii saltem spatio duraret; sed omnes Ordinum Generales esse refragatos, ajentes, non esse justitiæ consonum Religionis aditu eos prohiberi, quicumque Votorum suorum obligationibus cognoscendis idonei essent, ætatem annorum sexdecim accommodatam ab Ecclesia habitam fuisse, cum non ita mentis oculos homines exacuissent; atque adeo magis esse rationi consonum, ut hoc quidem tempus anteverteretur, quam protraheretur; atque eos quidem, ut duos Probationis annos impugnarent, iisdem rationibus usos esse. Itaque unanimi sententia firmatum fuit, ne quid novi super hoc capite statueretur.

Ætas porro, qua quis ætate se Votis solemnibus obstringere valeat, Religioni nomen daturus, non uno definita modo fuit, a pubertate scilicet, in qua matrimonium contrahi potest, ad plenam usque majoritatem, quæ ætas est annorum 25. Id autem Tridentina Synodus ad annos sexdecim determinavit, nullas Professiones declarans ante hanc ætatem emissas, præcipiensque, ut anni saltem spatium in Novitiatu transigeretur. Concinit Constitutio Blesensis, & bonorum dispositionem ante hanc ætatem Professionis gratia factam nullam declarat. Ad Puellarum Professionem quod attinet, Clerus Gallicanus mandavit, ne quam Novitiam Antistitæ ad Professionem reciperent, nisi ante Novitiatus finem mense vel circiter Episcopum, vel ejus Magnum Vicarium, ut eam examini subderent, monuissent; examen autem extra clausuram, & Regularia Monasterii loca perageretur. In sequenti facti specie id ex parte constabit, quod spectat ad Novitiatus tempus, & ad rationem, qua est instituendus.

No-

Novitiatus, cui dies deest.

CASUS I.

Professio anno bissextili emissa nulla est, nisi ad eam emittendam dies post bissextum expectatus fuerit, quia Novitiatus completus non est.

QUÆSITUM.

Novitius gravi correptus ægritudine, quam ipsemet cum Regulæ asperitatibus componi non posse judicabat, Professionem nihilominus edidit, & Vota pronuntiavit valde præcipitanter anno bissextili, quin expectaret, dum Novitiatus annum, diemque durasset, duoque dies bissexti, qui dies unus habendi erant, excurrissent. Super hac re quærit, an hac de causa jus habeat impugnandi Vota, quibus se obstrinxit, petendique, ut ipsius Professio nulla declaretur, utpote quæ ante elapsum Novitiatus annum emissa fuerit? Id si tuta conscientia facere possit, ultro Superiores assentientur, quia non ignorant Religiosum hunc iis, quibus laborat, ægritudinibus servandæ Regulæ ineptum effici.

RESPONSIO.

Sorbonæ Doctores subscripti, qui supplicem Libellum viderunt, existimant Professionem Religiosi, de quo ibidem agitur, nullam esse, quia deest ei dies, ut Novitiatus annus completus reddatur. Hic enim annus, quem tanquam rem absolute necessariam Tridentina Synodus postulat, non ad annum solis orbem est exigendus, sed ad civilem & politicum calculum, quo dies duo bissexti tanquam unus idemque spectantur. Id statuitur (a) in Lege *Cum bissextum*, ut nempe duo illi dies, in quibus dicitur bis *sexto Kalendas*, unus & unicus sint.

Itaque Novitiatus uno ex duobus hisce diebus inchoatus, non nisi die post secundum bissextum sequentis anni absolutus censetur; (b) ut docent Emmanuel Sa, & Barbosa, qui Doctores omnes, paucissimis exceptis, in eamdem sententiam conspirare testantur; additque posterior Cardinalium, Tridentinæ Synodi Interpretum Congregationem ita semel & iterum judicasse an. 1627. His omnibus testimoniis adjici potest auctoritas Pelizarii, Bordoni, aliorumque fere Canonistarum, qui eidem opinioni subscribunt. Quoniam ergo in ejusmodi rebus consuetudini, communique sententiæ standum est; Doctores subscripti censent, Religiosum, de quo agitur, si adhuc intra quinque priores Professionis annos versetur, posse suis ipsius Votis reclamare, & iis se solvendum curare; eoque potiore jure, quod in ejus Professione extitit præcipitatio, & ipse ægritudinibus, quæ cum Ordinis, cui nomen dedit, asperitatibus, conjungi nequeunt, obnoxius est.

Decisum in Sorbona die 8. Martii an. 1695.
G. *Fromageau*.

Novitiatus interruptus.

CASUS II.

1. *Novitius non semel e Monasterio, in quo habitum sumpsit, egressus Novitiatum suum interrupisse neququam censetur, si non nisi Superiore annuente ita se gesserit.*
2. *Non inde ei jus existit adeundæ Romanæ Curiæ, ut ipsius Professio nulla declaretur, eo prætextu, quod in Novitiatu per anni spatium non perstiterit.*
3. *Explicatio Tridentinæ Synodi in hoc negotio.*

QUÆSITUM.

Joannes sumpto Regulari habitu in Abbatia T... veterum Religiosorum Ordinis S. Benedicti die 5. Aprilis an. 1693. Novitiatum suum nec semel nec leviter, ultra tres menses scilicet interrupit; primo quidem a die 22. Junii ad usque 11. Julii, secundo a 29. Augusti ad S. Martini festum diem 11. Novembris, tertio a S. Januarii an. 1694. ad 9. ejusdem mensis; quarto abfuit novem dierum spatio mense Februario, quinto denique diebus tribus post Pascha, & quidem Superiore semper annuente. Solemnem porro Professionem emisit die 19. Aprilis an. 1694. Contendit idem Prior, cum ipse eidem Joanni Novitio permiserit, ut ex Abbatia eggrederetur, cumque diuturna absentia ex die 29. Augusti ad 11. usque Novembris ex morbo contigerit, qui eum per id tempus apud Patrem detinuit; ejusmodi proinde absentias tanquam Novitiatus interruptionem spectari non posse, ejusque Professionem validam esse, nec ei propterea licere eam impugnare.

Interim Joannes idem ad Romanam Curiam mittit, & obtinet Breve nullitatis suæ Professionis declaratorium, ob eam nempe causam, quod Novitiatum suum intermiserit. Diploma hoc ad dictæ Abbatiæ Priorem, & ad Diœcesis S... Officialem missum fuit.

Quæritur, an, quia Tridentina Synodus sess. 25. cap. 15. ad Professionis, & Regularium Votorum validitatem requirit, ut Novitius *per annum in probatione steterit*, cum re vera Joannes *per annum non steterit*, ejus Professio nulla declaranda sit, ac pronuntiari possit, Novitium, qui in suorum domo versatur, extra proprium Monasterium, re quidem vera sui Prioris permissu, procul a suis Religiosis Confratribus, in eo loco, ubi nec Regula, nec observantia regularis est, *stare in probatione*, propterea quod eum eggredi & abesse Superior permiserit?

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super Joannis contentione decidant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, quæ hactenus sunt exposita, ad hanc præcipuam difficultatem redigi, videlicet an Joannes, Superiore annuente, e Monasterio, in quo Novitium agebat, eggressus, ut ad suos se conferret, quibuscum reparandæ valetudinis animo trium mensium spatio moratus est, probationis annum, prout statuit Tridentina Synodus, confecisse censeatur, ejusque propterea deinde emissa Professio valida sit?

Respondetur, Auctorum (c), qui hanc controversiam exagitarunt, judicio, trium mensium absentiam a Monasterio, ubi Joannes Novitii habitum sumpserat, nihil impedire, quominus Novitiatus proprie dictus & legitimus censeatur. Ea enim Tridentinæ Synodi verba, *per annum in probatione steterit*, non ita Novitium obstringunt, ut integri anni spatio in Monasterio, ubi habitum sumpsit, consistere debeat; satisque est, si eo se conferat, quo a Superiore mittitur, ibique moretur animo redeundi, cum Superior eum revocaverit, ut integrum completumque annum in Novitiatu transigat, nec Novitii habitum deponat. Quæ quidem postrema conditio non ex eo tantum apparet necessaria, quod in Religionibus hæc praxis obtinet, sed etiam ex eo, quod ea esse videtur Concilii mens, dum probationis annum a suscepti habitus die numerandum pronuntiat: *Nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit*. Ex quo inferri potest Novitium probationis tempore habitum gestare debere, quamvis e Monasterio, ubi eum suscepit, eggrediatur: qua de re Pelizarius, alii(que).

(a) L. Cum bissextum ff. de verb. signif. lib. 5. q. ult. 16. leg. 98.

(b) Emman. Sa tom. 5. art. 3. Barbosa collect. in Conc. Trid. ad cit. cap. 15. de Regular. sess. 25. Pelizar. tract. 2. c. 2. q. 22. n. 36. Bordonus de Profess. Regul. c. 6. n. 20. & 21.

(c) Panormit. in cap. ex Rescripto de jur. a. 5. Barbosa in Conc. Trid. Sess. 25. c. 15. n. 30. Navarr. tom. 2. de Regular. Emmanuel Sa v. Novitiatus, Bassæus v. Religio 3. n. 8. Suarez Tom. 3. de Religione lib. 5. cap. 14. n. 13. Petrus de Grassis lib. 3. cap. 5. n. 18. Sanchez lib. 5. in Summa c. 4. n. 7, Diana 3. p. tract. 3. resol. 8. de dub. reg. Azor. l. 12. c. 2. q. 8. 1. p. Antonius a Spiritu Sancto tom. 2. tr. 3. disp. 1. sent. 2. n. 91. Pelizar. tom. 1. tr. 2. cap. 1. q. 5. n. 6. & q. 18. n. 25.

aliisque Auctores ad marginem laudati consuli possunt. Jam vero occurrunt hæc omnia in ea facti specie, quæ præ manibus est.

Nec obest Joannem Religionis asperitates integri anni spatio non subiisse, nec Monasterii, ubi Vota edere volebat, exercitia servasse, quippe qui per menses omnino tres in paterna domo permanserit, procul a Superiore, & a Religiosis suis fratribus segregatus. Etenim respondetur verbis quam paucissimis, satis esse, eum, quo a Superiore missus fuerat, esse profectum. Navarrus appellatus hanc sibi objectionem proponit; quam postquam solvit, addit quæstionem hanc a Cardinalium Tridentinæ Synodi Interpretum Congregatione decisam fuisse.

Gravissima quidem objectio desumi posset (a) ex Bullis Clementis VIII. & Urbani VIII. statuentibus, ut Novitiatus peragatur *in locis designatis*, videlicet in Ordinis Monasteriis nominatis electisque ad Novitiatus peragendum, sub nullitatis pœna. In posteriore sane Decreto a Cardinalium Congregatione die 15. Januarii an. 1636. edito præcipitur, ut intra quinquennium reclametur, quo illud obtineri possit, ut Professio nulla declaretur; sed paterna Joannis domus locus ad peragendum Novitiatum institutus esse dici non potest.

Videri potest responsio, qua hanc objectionem solvit Pelizarius loco supra laudato. Præterea Joannes maximam annuæ probationis partem in Monasterio transegit, ubi habitum sumpserat; reliquo autem spatio temporis Superioris tantum permissu abfuit, qui quidem id ei permittere potuit, & cui ante oculos semper versatus fuisse censetur, quoniam ubi esset, & quid ageret, non ignoravit, potuitque eum pro libito revocare. Quamobrem per eam trium mensium absentiam ab Abbatia T . . . Novitiatus interruptus non fuit.

Ex hactenus dictis conficitur Joannis Professionem validam esse, nec eum proinde ad Romanam Curiam, ut Breve, quo nulla declararetur, accedere debuisse.

Decisum in Sorbona hac die 4. Aprilis an. 1695.
G. *Fromageau*.

Novitiatus in duabus distinctis Monasteriis peractus.

CASUS III.

Religiosa ad Professionem admitti potest, quamvis in duobus ejusdem Ordinis Monasteriis Novitiatum peregerit, quia Superioribus ita placuit.

QUÆSITUM.

MOnialis M. T. B. Novitia in Visitatione B. Novitiatus menses octo ibidem peregit, quibus elapsis ad Monasterium Cl. Superiorum jussu profecta est, ubi reliquos quatuor probationis menses confecit; non est omittendum eam non ultra tempus illud extra clausuram moratam esse, quod ab uno Conventu ad alium transitus postulavit.

Quæritur, an cum in iis duobus Monasteriis Novitiatus annum confecerit, possit illa in Monasterio Cl. ubi quatuor tantum mensium spatio permansit, Professionem emittere, an vero cogenda sit Novitiatum ab exordio repetere, initio ducto ab ea ipsa die, qua in Monasterium Cl. ingressa est.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, Novitiatum Monialis M. minime interruptum censeri, quod eum incboaverit in Monasterio Visitationis B. & in Monasterio Cl. ad exitum perduxerit. Nimirum non aliam ob causam, ut ad Cl. se conferret, eggressa est, quam ut obediret; & præterea Conventus Cl. ejusdem Ordinis, & ejusdem Superioris, Diœcesani nempe Episcopi jurisdictioni subjectus est. Videri in hanc rem potest Pelizarius *tom. 2. tr. 10. c. 2. sect. 2. num. 52.*

Hoc posito, potest in Monasterio Cl. ad Professionem admitti Novitia, de qua agitur, quamvis nonnisi quatuor Novitiatus menses ibidem confecerit, reliquos autem octo transegerit in Conventu B. dummodo utriusque Monasterii consensum obtineat. Sententiam hanc præsefert Pelizarius *tom. 1. tract. 3. c. 3. n. 2. & seq.*

Decisum in Sorbona hac die 2. Aprilis an. 1698.
G. *Fromageau*.

Novitiatus confectus, qui deseritur, ut sæcularis habitus suscipiatur.

CASUS IV.

Puella, quæ, cum Novitiatus annum in Monasterio complevisset, eggredi coacta est, ut prosperam valetudinem recuperaret, potest reversa, quin Novitiatum ab exordio repetat, ad Professionem admitti.

QUÆSITUM.

ADolescentula annos nata 22. Religioni nomen dat, & complet probationis annum, quin ullus in ea defectus appareat, qui Professionem impediat; quin potius ea est indole, iis moribus, ea pietate, ut Communitati valde probetur. Sed quinto post mense morbo corripitur, atque ita languet, ut reliquo probationis tempore servandæ Regulæ impar existat. Quamobrem Moniales edicunt se non posse ad Professionem Puellam admittere, ni convalescat, paratæ, cum primum pristinæ valetudini restituta fuerit, eamdem admittere.

Illa ergo ex Medicorum consilio, & Monasterii Superiore annuente, patriam auram ductura, habitu deposito, perrexit ad suos, quibuscum ad menses quinque morata est, pietati vacans, & secessui, atque in vocatione, & Professionis edendæ voluntate persistens. In præsentia bene valet, & Moniales eam recipere paratæ sunt; sed utrum Novitiatum suum iterare, an vero sufficiat, quem confecit, haud satis sciunt.

Exemplum permissionis concessæ Puellæ N. Novitiæ Monasterii N.

„ Nos subscriptus Superior Monasterii N. audita
„ sententia Dominorum M. & Fi. Medicorum Fa-
„ cultatis Parisiensis concedimus Puellæ N. in Reli-
„ gione N. receptæ Novitiæ ante annum & amplius,
„ ut e Monasterio eggrediatur, ad suos, prout iidem
„ Medici præscripserunt præfectura, naturalis auræ
„ gratia, ex qua illi futurum sperant, ut perfectam
„ valetudinem recuperet, & Regulam sustinere va-
„ leat; & in eum finem concedimus, ut Religionis
„ habitum exuat, quo minore cum rumore, & in-
„ commodo iter instituat, ea tamen lege, ut eum-
„ dem iterum sumat, statim atque ad dictum Mo-
„ nasterium redierit.

Datum Parisiis die 28. Augusti an. 1683.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod expositionem, & permissionem, de quibus supra, vidit, & expendit, existimat Novitiam, quæ suscepto Religionis habitu in Monasterio, de quo agitur, integro anni spatio ibidem constitit, sed ejus valetudine ob languorem in discrimen adducta, ad Professionem admissa non est; quæ proinde a Superiore permissionem obtinuit Monasterii deserendi, ut in patria ex aura sibi congrua valetudini suæ prospiceret; quæ denique in eum finem deposuit Religionis habitum, ejusdem Superioris auctoritate, ut negotium minore cum strepitu conficeretur: in præsentia ad Professionem a Sanctimonialibus admitti posse, quin cogatur alium probationis & Novitiatus annum conficere, dummodo Monasterii status mutatus non fuerit, sed adhuc eadem observantiæ ac regulæ ratio vigeat, quæ ejus Novitiatus tempore servabatur, ex ea regula Juris in 6. *Eum, qui cer-*

(a) Bulla 60. Cl. VIII, an. 1601. c. nullus §. 20, & 83. c. insuprema. §. regularis. Bulla 115. Urb. VIII, an. 1631. c. Religiosus,

certus est, certiorari clarius non oportet. Quare cum Puella Communitati probetur, utpote quæ Novitiatus tempore se Regulari vitæ idoneam exhibuerit, juxta Tridentinæ Synodi Constitutionem *Sess. 25. de Regularibus & Monialibus cap. 15.* ad Professionem proinde admitti potest. Confirmat id Glossa regulæ *eum qui* jam laudatæ, ubi similis quæstio proponitur, & eodem modo deciditur. En glossæ verba: *Et est hæc regula in argumentum ad quæstionem, qua quæritur, an is, qui ingressus Religionem in fine anni exivit, si iterum eamdem Religionem ingrediatur, an debeat habere annum, & satis videtur, quod non, per hanc regulam, nisi conditio personæ, vel religionis mutata esset*. Cardinalium Congregatio ad difficultates, quæcumque super Tridentina Synodo occurrerint, enodandas delegata quæstionem diremit, nec omnino iterandum Novitiatum esse pronuntiavit. Rem affert Prosper Fagnanus *in 2. part. 3. Decretal. de Regularibus c. ad Apostolicam*. Ita autem loquitur: *Cum olim dubitatum esset in Sacra Congregatione Concilii, an is, qui habitu Religionis suscepto, annum integrum mansit in Religione, eoque elapso, gravi morbo correptus, & propterea Professione nequaquam emissa, permissu Superiorum ad sæculum rediit, si posset inde ad triennium morbo liberatus, & ad Monasterium reversus protinus emittere Professionem, vel potius per alium annum stare in probatione teneretur; S. Congregatio censuit posse statim emittere Professionem, non expectato alio probationis anno, nisi Religionis, aut personæ conditio sit mutata; idque Superiorem Religionis animadvertere diligenter debere*. Facta igitur hypothesi mutationem nullam in Puella, vel in Familiæ observantiis contigisse, censetur a Monialibus absque nova probatione recipi posse, si eam illæ idoneam cognoverint, & in ipsa qualitates omnes ad proprii status officia digne obeunda necessarias detexerint. Quæ enim varietas occurrere posset in ea specie, quam Congregatio sibi propositam dijudicavit, nempe Novitiam, de qua agebatur, suo jam Novitiatu omnino perfunctam fuisse, quo tempore in morbum incidit, ea quidem haud magni momenti est in præsenti facti specie, in qua illud inquiritur, an Professio, quæ citra novam probationem fieret, valida foret, quandoquidem dubio procul, si Puella, morbo, quo probationi vacans correpta fuit, non obstante, a Communitate recepta fuisset, ac deinde Vota de more edidisset, valeret ejus Professio ex *C. Tener. eut. de Regularibus*, & Glossa ejosdem Capitis *v. eutra mortem*; ac proinde discrimen illud in præsenti facti specie nihil omnino conficit.

Decisum Parisiis in Sorbona die 28. Martii anno 1684.

de Lamet.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

OBEDIENTIA.

Obedientia virtus est, qua quis Superiorum suorum voluntati, ac nutui se subdit in iis, quæ quidem justitiæ ac rationi consentanea præceperint; si quid enim contra Dei Legem juberent, tunc, D. Paulo docente, Deo, quam hominibus obsequi satius foret. Regulares, & Moniales in facie Ecclesiæ virtutis hujus, æque ac castitatis, & paupertatis praxim expresso Voto promittunt. Eam porro vel ad minimas quasque res, & æque ad eas, quæ sibi solatio futuræ sunt, atque ad cæteras extendant, oportet, illud animo reputantes, eam unam esse, qua valeat, quicquid is agit, qui Deo se devovit, atque adeo vel maximas asperitates tanquam oblationes mortuas a Deo contemni, nisi eas vivificet virtus hæc, quæ omnium prorsus operum, nullo excepto, una & unica ratio esse debet; ut maximæ quoque relaxationes, quæ naturæ conceduntur, ex hac ipsa virtute sanctificationem consequantur, cum nempe propterea suscipiuntur, quia præscribuntur; atque hac ratione executioni mandandum D. Pauli consiliom nos admonentis, ut, etiam dum manducamus, ac bibimus, omnia in Domini nomine faciamus.

Obedientia Monialis, quam in Antistitam eligi placet.

CASUS.

1 *Superior nihil præcipere potest, quod ad Regulam omnino non spectat, vel supra regulam est.*
2 *Monialis ad agendum ultra quam vovit, adigi nequit.*
3 *Vetat Urbani VIII. Bulla, ne Moniales e suis Monasteriis eggredi cogantur, ut in alia se conferant; ad quæ quidem non mittantur, nisi ipsæ voluerint.*

QUÆSITUM.

Monialis in proprio Monasterio tranquille vivens, de servanda Regula valde sollicita alterius Familiæ regimini destinatur. Ejus Antistita virtute voti obedientiæ, quod Monialis edidit, eidem in mandatis dat, ut propositum munus acceptet, & ad eggressum se comparet. Quærit Monialis, an parere teneatur in hac facti specie, in qua jubetur e proprio Monasterio recedere, ut in alia Familia Antistitam agat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, hoc loco non id inquiri, quid nempe in Obedientiæ negotio perfectius sit, & quo usque virtus hæc ducere Religiosum animum possit, exequi cupientem ea, ad quæ vi Regulæ non tenetur, & in omnibus id quærentem, quod ad majorem perfectionem spectat, prout D. Paulus primitivis Christianis auctor erat, dom iis ajebat: (*a*) *Æmulamini Charismata meliora*. Constat enim ex spiritualis vitæ Patribus, & præsertim ex Sanctorum Bernardi, & Thomæ doctrina, Obedientiam in maximo perfectionis gradu positam in causa esse, ut Religiosus (*b*) non in iis modo Superiori pareat, quæ ad Regulam pertinent, sed in iis etiam, quæcumque legitime permitti possunt; ut ejus voluntatem præveniat in iis omnibus, quæ ei grata fore pro certo habet, ejus jussu non expectato; atque adeo, ut S. Benedictus in sua Regula declarat, conetur id quoque, quod fieri omnino non potest, siquidem id Superior præceperit: *Si cui fratri*, inquit, *aliqua gravia, aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia...... & ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat*.

Sed illud hic quæritur, quid proprie, ac strictiore significatione spectet ad obedientiæ votum, scilicet ad præceptum, quidque Religiosus vi voti, quod edidit, facere teneatur, ut Superioris sui mandata faciat. Jam vero doctrina est apud Auctores, qui de hujusmodi rebus agunt, vulgo recepta, Superiorem nihil jubere posse, quod omnino ad Regulam non pertineat, vel eamdem excedat. (*c*) Bassæus Religiosus Ordinis S. Francisci, cujus Regula in hoc Obedientiæ capite maxime, si qua alia, stricta est, ita pronuntiat in hanc rem: *Prælatus regularis non potest subditos obligare ad ea, quæ sunt omnino supra Regulam. Ratio est, quia Prælatus non est dominus, sed custos, sed minister Regulæ, ejusque potestas non se extendit ultra ipsius Regulæ terminos: ergo non potest ejus terminos excedere juxta D. Bernardum*.

Et sane ait idem Pater, mensuram Obedientiæ, qua Regularis Prælato subditur, Professionis ratio-

nem

(*a*) 1. Corinth. c. 12. v. 30.
(*b*) S. Bernard. lib. de præcept. & disp. cap. 6. S. Thom. in 2. dist. 44. q. 2. art. 3.
(*c*) Bassæus v. Prælatus n. 7.

nem esse, videlicet eam ex obligatione, quæ per Professionem contracta est, repetendam esse; nempe Superioris potestas ultra votus, quod Religiosus subditus edidit, extendi non debet; nullique Professo, quamcumque tandem vitæ rationem elegerit, imponendum, nisi quod Obedientiæ legi, cui se Professione subjecit, consonum sit: *modus obeditionis*, ita concludit S. Bernardus, (*a*) *est tenor Professionis, nec se valet extendere potestas imperantis, nisi quatenus attigerit votum profitentis . . . . . Quamobrem quisque Professus in quovis genere salutiferæ vitæ ultra obedientiæ leges cogendus non est . . . . Jussio Prælati, vel probibitio non prætereat terminos Professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nihil me Prælatus prohibeat eorum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. Vota mea nec augeat sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate.*

Positis principiis his, respondetur, in Regula, & Constitutionibus Familiæ, in qua Monialis, de qua agitur, versatur, nihil esse, quod evincat necesse fore, ut ipsa e proprio Monasterio exeat, si alterius Monasterii administrationem suscipere jussa fuerit. Dum Vota edidit, iis tantum se rebus obstrinxit, quas in Regula & Constitutionibus legit, quasque in Monasterio, in quo Professionem emisit, in more positas vidit. Non ergo ultra quam vovit, ex principiis jam explicatis adigi potest. Superioris in Monialem potestas non provenit nisi ex Votis, quorum vi illa eidem subjicitur. Ex quo fit, obligationem cum obedientiæ voto conjunctam non aliunde reputandam esse, quam ex Regula, Constitutionibus, ac praxi, quæ hactenus in Monasterio, in quo Monialis existit, servari consuevit. Quod si quæ sunt eggressæ, ut alibi aliquot Ordinis Familias fundarent: id illæ quidem ultro, non autem coactæ fecerunt.

Non desunt Moniales, quæ sic Professionis Conventu in alium, vel suscipiendi regiminis causa, se mitti posse scivissent, nunquam Religioni, quam profitentur, nomen dedissent. Est igitur æquitati consonum, ut cum bona fide se obstrinxerit, & nil tale in Constitutionibua, usuque positum viderit, eggredi non cogatur, quin ipsa consentiat, & in longinquam Regionem sese conferre, sub cœlo fortasse sibi non congruo, & una cum iis degere, quarum indoles longe alia sit, quam earum, quibuscum hactenus versata est, & apud quas magis quam alibi se propriæ saluti operam daturam putat. Objici potest ad Ordinis bonum spectare, ut hæc Puella in præsenti facti specie Superioribus suis obtemperet; sed respondetur I. id ut summum peculiaris Familiæ, de qua agitur, non Ordinis bonum esse; II. Ordinis Familias in Congregatione non esse positas, alias ad alias mutuo non referri, sed invicem sejunctas esse. Denique ad peculiaris præsertim Familiæ Superiorem boni ad universum Ordinem spectantis procuratio non pertinet; sed ad eum, qui in Ecclesia generalis Superior est. Si Provinciale Monasterium, cujus regimini Monialis hæc destinatur, a Parisiensi fundatum est, non inde consequens fit, posterius hoc Monasterium sub peccati pœna teneri Monialem mittere, quæ priori præsit, vel Monialem ipsam sub eadem pœna teneri eo se conferre; ex eo enim quod aliquid sponte & ex charitate factum fuerit, non conficitur, idem servandum esse, vel aliud simile statuendum, ac proinde id omitti non posse citra peccatum.

Verum proposita quæstio prorsus deciditur, omnisque difficultas de medio tollitur ex Urbani VIII. Bulla diei 26. Julii an. 1695. quæ ad finem Constitutionum Familiæ, in qua Monialis hæc degit, posita est. Bulla hæc ad Parisiensem Officialem mittitur, statuitque, ut Monialis quam e proprio Monasterio extrahi, vel transferri libuerit, ut alio mittatur ad aliud nempe Ordinis Monasterium administrandum, libere, sed tamen cum licentia transferatur. En Bullæ verba: *si eis bene visum, permanere possent, transferri libere & licite valeant, dummodo translatio gravibus & honestis Matronis easdem comitantibus fiat*. Et infra: *Moniales expresse professas, vitæque integritate, ac regularis disciplinæ peritia laudatas, voluntarias de Superiorum suorum licentia & consensu ad dictum Monasterium* &c. Quod ita explicandum est, ut Monialis nec cogatur, nec, nisi ipsa voluerit, transferatur; ut proinde non amplius agatur in præsentia, ut ratione ostendatur, Monialem, de qua in expositionem sermo est, e proprio Conventu exire non teneri, etiamsi Superior id ei præciperet, quoniam adest expressa Pontificis Bulla, quæ prohibet, ne exire cogatur, nisi ultro consenserit.

Quamvis enim hactenus productæ rationes ex ipsa Monialis hujus Professione, ac Regula, quam vovit, depromptæ solidæ sint, ac satis ostendant, eam ex proprio Monasterio ad aliud, quin assentiatur, transferri non posse; aliquid tamen in ejusdem Monialis gratiam luculentius firmiusque præsto est, Bulla scilicet Urbani VIII. de qua dictum est, in qua Superiori præscribitur, quid in casu proposito facere debeat, ejusque potestas, ne in ejusmodi negotiis Moniales cogat, certis terminis circumscribitur.

Sequitur ex his omnibus, oportere, ut Monialis electa, ut alteri sui Ordinis Monasterio præsit, primo quidem ad Deum confugiat, rogatura, ut a suscepta translationis cogitatione Superiorem abducat; deinde nihil eorum omittat, quæ suggeret prudentia, ut ab eodem Superiore obtineat, ne eo ab ipso mittatur, quo eam vocat Episcopus; tum qua decet, humilitate animi sui sensa proponet, nixa rationibus, quas consilio suo favere crediderit, & potissimum Urbani VIII. Diplomate, semper etiam meminerit sibi cum suo Superiore sermonem esse, ipsumque ea observantia alloquatur, quæ personam ratione status & Professionis alteri subjectam decet; ad extremum si nihil ipsa a proprio Superiore obtinere potuerit, ei Doctorum Consultationem exhibeat, eumque humiliter roget, ut se quidem in hoc negotio eorum decisioni adhærere patiatur, se dolere significans, angique, quod videat eum sibi velle in ea se vim inferre, quam ut vel acceptet, vel respuat, sibi liberum fore vult is, qui in universa Ecclesia Superior est, Papa videlicet.

Quod spectat ad difficultatem de Prælatione propositam, si id agitur, ut in alio Monasterio Antistita statuatur, quoniam illa eo mitti nequit, nisi consenserit, ea quidem dissentiente nullus superest quæstioni locus; sin illud agatur, ut Monialis in ea ipsa Familia, in qua Professionem edidit, Antistita fit; hoc in casu in Constitutionum cap. 4. disertis verbis præcipitur, ut Monialis Prælationem, ad quam electa fuerit, acceptet, quin ullam, ne demandatum officium subeat, excusationem afferre possit.

Decisum Parisiis hac die . . . . . an. 1699.
G. *Fromagrau.*

OCCULTATIO CADAVERUM BENEFICIATORUM.

QUia nonnunquam contingit Beneficiatorum, qui Beneficia *mortis causa* resignarunt, mortem celari, ut Cursor Romam perveniat, suique adventus die datas litteras sumat, ne appareat ante dies viginti completos, qui a resignatione excurrere debent, Beneficiatum e vita excessisse; ideo nostrorum Regum Constitutionibus, ut ejusmodi abusui occurreretur, accurate vetitum fuit, ne Beneficiatorum defunctorum corpora celarentur; ita quidem in Constitutione Regis Francisci I. *Villers-Cotterest.* edita an. 1539.

Articulo 50. Capitula, Collegia, Monasteria, & Parochi jubentur personarum Beneficia possidentium sepulturam in Acta referre, ac mortis tempus describere, quod litigiis, in quibus de ejusmodi mortis

(*a*) S. Bernard. ut supra c. 5.

mortis tempore quæretur, dijudicandis, & omnino quoad novam institutionem inserviat. Articulo 54. mandatur, ut iisdem Beneficiatis fato functis, eorum mors nulla interjecta mora a defuncti Domesticis enuntietur in iis Ecclesiis, in quibus funera & acta sunt edenda, & quidem vero mortis tempore, sub corporalis vel arbitrariæ punitionis pœna, declarato. Articulo 55. antequam dicta funera celebrentur, instituenda præcipitur inquisitio summaria, ac veritati consona relatio temporis ejusdem obitus, ut fideliter ac statim in Acta referatur. Ad extremum articulo 56. vetatur, ne ante ejusmodi revelationem eadem cadavera retineantur, in pœnam quoad Laicos proscriptionis corporum & bonorum, & quoad Ecclesiasticos privationis omnis juris possessorii, quod in Beneficiis ita vacantibus habere vel sibi arrogare possent, & præterea punitionis arbitrariæ.

Prohibitiones hæ Beneficiatorum cadavera occultandi subsecutis temporibus instauratæ fuerunt, quoniam per Declarationem die 9. Februarii an. 1657. editam Episcopi, & Generales eorum Vicarii mandare possunt, ut in Ecclesiis & Cæmeteriis exemptis & non exemptis, & in domibus aliisque locis sæcularibus de Beneficiatorum cadaveribus inquiratur. Suæ Majestatis Litteris in Magno Consilio die 12. Februarii an. 1661. datis Jurisdictio cognoscendi de custodia & occultatione cadaverum Beneficiatorum tributa fuit Magno Consilio, quod die 23. Septembris an. 1670. Rescriptum vulgavit in privatos non paucos occultati Beneficiati cadaveris complices, qui in exilium pulsi fuerunt; aliisque Rescripto ejusdem Magni Consilii die 1. Martii an. 1669. *Bonnet*, *Bossard*, *de Villiers*, aliique expulsi pariter fuerunt ad triennium ex Arverniæ Provincia, ex Urbe, Præpositura, & Vicecomitatu Parisiensi, damnatique ad libras tercentas Regi solvendas, ad tercentas pariter libras in eorum alimonia erogandas, qui in Arcis Episcopus carceribus detinentur, ad alias denique tercentas conferendas in pietatis opera, & in expensas, quod cadaver Canonici Ecclesiæ S. Geraldi Aurillacensis celassent, ac retinuissent.

Beneficiati cadaveris occultatio, ad quam recens Provisus operam suam contulit.

CASUS I.

1 Ecclesiasticus, qui, ut Beneficium obtineat, dat operam, ut Beneficiati corpus post ejus mortem celetur, quo sibi per tempus liceat illud a Romana Curia obtinere, eidem possidendo ineptus est; nulla est ejus Provisio; intrusus est; Canonicas tamen pœnas omnino non subit.

2 Devolutarius, qui legitimo in hoc Beneficium jure gauderet, et citra Simoniam renuntiare non posset, exacta impensarum, quas fecit, solutione.

3 Si ejus jus illegitimum foret, nil posset exigere, & quicquid percepisset, restituere teneretur.

QUÆSITUM.

MÆvius, Titularis dimissione, Beneficii provisionem consecutus, ejus possessionem inivit; sed cum ad obtinendam Actus insinuationem se conferret, supremum diem obiit Titularis, antequam quadraginta octo horæ, quas Regis Declaratio postulat, excurrissent; quod in causa fuit, ut Mævii consanguinei ejusmodi mortem celarent. Mævius occultationis particeps fuit, & ad Romanam Curiam misit petendi gratia Beneficium *per obitum*. Cum negotium publicum evasisset, quoniam Beneficiatus Julio mense occubuerat, quidam Graduatus Beneficium petiit, ejusque possessione suscepta, rem detulit ad Magnum Consilium, quod in ejusmodi occultatorum cadaverum negotio competens Judex est. Mævius ab Advocato commonefactus se omnino causa laborare, devolutum edidit in se ipsum nomine Bruti amici sui, eoque inscio, ignorans, an ejus gradus legitimi essent necne. Celavit devolutum hoc fere anni spatio, nec de eo Brutum, nisi desperatis rebus, certiorem fecit. Et re quidem ipsa litem perdidit.

Tum vero Brutus, Mævio sollicitante, Beneficii possessionem inivit vi devoluti. Graduatus, qui jam possessione gaudebat, Mævio significavit se nihil impensarum ei remissurum, nisi Devolutarium cogeret renuntiare juri suo, quod admodum ambiguum est, quia semper in Graduati favorem contra Devolutarium judicatur. Devolutarius ratus jus suum sustineri posse, initio quidem renuit ei renuntiare; sed tardem urgente Mævio, omniumque impensarum solutionem offerente, se ei renuntiaturum, siquidem negotium componeretur, scripto promisit. Super ejusmodi expositione rogantur Doctores, ut definire velint,

I. An Mævius, qui occultationis particeps fuit, aliquam censuram subierit?

II. An cum in Supplicatione, qua Beneficium a Pontifice petebat, nullam occultationis mentionem fecerit, sit intrusus, & quid, ut erratum corrigat, facere debeat?

III. An Devolutarius citra simoniam repetere possit, quæ expendit, ut compositioni Mævium inter & Graduatum viam sterneret, jus suum optimum ratus?

IV. An se juri suo renuntiaturum promittens, in Simoniam, suasque deinde functiones obiens, in irregularitatem inciderit?

V. An Mævius, qui devolutum obtinuit, inscio Bruto, idque celavit, quoad potuit, confidentiæ crimen commiserit?

VI. Cujusmodi sit Medicorum & Chirurgorum culpa in eviscerandum cadaver incumbentium, ut Beneficiati mora celaretur?

Quæstionum harum dilucidatio ac resolutio multorum animis tranquillandis, aliisque non paucis erudiendis inserviet.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, provisionem, quam a Romana Curia Mævius obtinuit, obreptitiam esse, ac proinde nullam; si enim cadaveris occultationem Pontifici detexisset, nunquam Sua Sanctitas Beneficium ei concessisset. Præterea ex Francisci I. Constitutione an. 1539. quicumque Beneficiatorum cadavera occuluerint, Beneficiis eorum retinendis inhabiles sunt. Rebuffus, qui in hanc Constitutionem animadversiones edidit, ita sentit: *Gloss. q. n. 15. de Regiis Constitut. Et sic per ista patet, celantem cadaver, ut Beneficium impetret a Papa, nullum jus habere ex illa provisione, tum quod est subreptitia; nam si Papa scivisset, illum celavisse mortuum, ut præveniret, et non contulisset; tum quia præventio est fraudulenta, & nulla; & ideo est falsarius, & sic est inhabilis.* Ludovicus XIV. Declaratione sua anni 1657. Constitutionem hanc renovavit; Gallicano Clero petente. Videri potest Tomus Secundus Collectionis Cleri 2. *partis tit.* 15.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur.

I. Mævium, quod occultationis particeps fuerit, nullam pœnam Canonicam subiisse.

II. Certum esse, provisionem Mævii, quippe qui a Romana Sede Beneficium petierit *per obitum*, de occultatione alte silens, nullam esse, ut supra declaratum fuit. Dici potest intrusus, quoniam Beneficium retinet, quod dedita opera Collatori, vel Graduatis ademit. Vide Castellum Verbo *Intrusus* in Juris Canonici definitionibus.

III. Simoniæ reus esset Devolutarius, si erogata pecunia ageret de jure suo, facta hypothesi jus ejus

bonum

bonum esse, & Graduati jus ob aliquem essentialem defectum, qui in ipsius gradibus extitteret, propugnari non posse; in hac enim facti specie tribueretur res spiritualis pro remporali, videlicet pro impensarum solntione, qnam Graduatus præstaret, id quod foret Simoniacum. Quod si res inter Graduatum & Devolutarium dubia esset, iniri posset conventio *pro bono pacis*; sed transactio indigeret Romanæ Curiæ confirmatione.

Quod si Devolutarii jus firmum non est, Graduati autem legitimum est jus, potest bic quidem pecuniam, qua se a vexatione liberet, Mævio, vel alteri tradere; Mævius porro, vel ejus amicus legitime pecuniam hanc accipere neqnit, & restituere tenetur.

IV. Etiamsi inter Mævium & Devolutarium Simonia locum habuisset, cum tamen perfecta & consummata non fuerit, Mævins & Devolntarius Juris pœnas in Simoniacos inflictas non contraxerunt. Prætetea posset etiam Devolntatius coram Deo excusari ex bona fide, qua egit in hac facti specie.

V. Licet Mævius a Romana Curia devolutum obtinuisset, eo animo, ut si Devolutarius victor evaderet, Beneficium sibi redderet; non sequeretur, eum confidentiæ reum fuisse, quia amicus nec expresse, nec tacite de bac Mævii intentione cognovit.

Uno verbo potuit Mævius prava intentione duci, ut devolutum vel ipse per se, vel pet amicum statueret; nulla tamen adest confidentia; nempe casus hic non est ex eorum numero, qui in Bullis Pii IV. & Pii V. contra Confidentiarios indigitantur.

VI. Deniqne Medici, & Chirurgi, qui Beneficiarii cadaver eviscerarunt, ut ejus mortem celare cupientibus obsequerentur, celati cadaveris participes extiterunt, ac proinde pœnis Francisci I. Constitutione inflictis subjecti sunt. Non tamen subierunt excommunicationem, Sanctæ Sedi *cap. Detestand. Extravag. de Sepult.* reservatam, quia non in hujusce Capitis casu versantur; seu potius asseri potest cum Cabassutio, Bullam hanc in Gallia receptam non esse, ubi sæpenumero cadaveris viscera, & cur extrahuntur, ut alibi, quam corpus, sepulturæ tradantur.

Decisum Parisiis bac die 19. Junii an. 1698.
G. Fromageau.

Occultatum Beneficiati Cadaver, eo inscio, qui Beneficium obtinuit.

CASUS II.

Is, cui Episcopus Canonicatum confert, quam dimissione ab ejus, quem nominat, fratre edita vacare putat, recte provisus est, quamvis consanguinei, inscio ipso, defuncti mortem celaverint, at dimissionem regulis consonam exbiberent.

QUÆSITUM.

Titius in Cathedrali Ecclesia per annos viginti & ampliua Canonicatu potitus, Mævio Presbytero ejusdem Ecclesiæ Beneficiato Canonicatum resignat.

Mittitur procuratio *ad resignandam*, nt ejus Beneficii provisiones obtineantur. Interea temporis innotescit, Titii fratrem natu majorem, qui eumdem Canonicatum ante eum possederat, e vita excessisse, antequam resignationem, quam ipse in fratris sui natu minoris favorem ediderat, loci Episcopus acceptaret; eoque penitus ignaro, quippe qui adhuc infans esset, consanguineos tridui spatio Canonici mortem celasse, quo Cursori, quem resignationis deferendæ gratia Parisios miserant, redire per tempus liceret; neque eos ante de hujusmodi morte verba fecisse, quam Canonicatus possessionem Titius iniisset.

Titius decursu temporis de re tota certior est factus; sed cum in Ecclesiasticorum Canonum, ac Legum inscitia versaretur, cumque ei nemo unus introitus defectum exprobraret, vel obtinendæ redintegrationis obligationem ob oculos poneret, per annos viginti & amplius Beneficio potitus est. Probe tamen novit, Episcopum, qui fratris dimissionem admiserat, cum Parisiis reversus esset, publice coram multis Canonicis patri suo, sibique dixisse, se ei Canonicatum contulisse in gratiam patris, & ut familiæ gratum faceret.

Non est omittendum, eum tanquam Cathedralis Canonicum ab Episcopo in Seminarium receptum fuisse, ad Subdiaconatus Ordinem fuisse promotum, atque adeo futurum fuisse, ut Diaconus crearetur, nisi Episcopum, ut differret, Titius rogasset.

Additur claritatis ergo, satis Episcopo notum fuisse, cum ea, de quibus modo, declaravit, fratris Titii mortem tridui spatio celatam fuisse.

His ita se habentibus, quæritur, an resignatio Canonicatus a Titio in Mævii favorem edita valeat? Quid utrique faciendum sit, ut ambo propriam conscientiam, & id, quod sibi vindicant, in tuto ponant, cum se ambo in bona fide esse putent?

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ne renuant eos erudire, & difficultatem hanc expedire.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Titium vere ac proprie Titularem esse Canonicatus, de quo quæritur, quemque in Mævii favorem disposuit.

I. Asseri potest, Beneficium hoc tanquam vacans ei ab Episcopo collatum fuisse; quamvis enim in eo ille deceptus fuerit, quod illud Fratris Titii dimissione vacare crederet, cum re ipsa nonnisi morte vacaret; hic tamen error non videtur ad Collationis substantiam spectare. Nam etsi cognovisset Episcopus Beneficium vacare per mortem; perinde tamen illud Titio contulisset, ut apparet ex sermone, quem habuit, cum Titius una cum patre, gratias acturus, ad eum venisset. Error hic quoad gratiam concessam purum putumque, ut ita dicam, accidens est, quod eam re ipsa nullam non efficit. Dimissio quidem occasio est, qua præsente Beneficium Titio collatum fuit, sed collationis tamen præcipua causa omnino non est; quandoquidem, etiam ea non existente, Episcopus gratificari non destitisset.

II. Sed esto hæc prior ratio satis virium non habeat ad ostendendum, Titium Beneficii sui legitimum possessorem esse; certe bona fides, & possessio plusquam triennalis cum titulo colorato, Collatoria nempe Provisionibus ei jus tribuunt Beneficium retinendi, quamvis fratris sui mortem celatam fuisse non ignoraverit; de ea quippe re, ut verosimile fit, nonnisi post impetratas provisiones cognovit; ea erat ætate, ut scire non posset ejusmodi occultatione Beneficii possessionem impediri; ei denique nulla unquam super hoc negotio dubitatio, nullus scrupulus obortus est; atque ita concludi potest, eum in bona fide versari, ac tuta conscientia Decreto *de pacificis* uti posse, ut suum Canonicatum retineat.

Addi demum potest, pœnam Constitutione inflictam, quæ Beneficiis eorum, quorum cadavera celata sunt, possidendis ineptos reddit, ad eos tantum spectare, quæ hujusmodi facinoris participes extiterunt. Consuli potest Francisci I. Constitutio an. 1539. & Rebuffi Commentarium in præcedenti casu laudatum.

Jam vero Titius occultationis hujus omnino conscius non fuit. Itaque illud unum concludi posset, Mævii fortasse titulum impugnari potuisse, atque obtineri, ut nullus declararetur, si cæteroquin negotium ad forum externum deductum fuisset; statui tamen non posset eum *ipso facto* nullum esse.

Ex hactenus dictis illud conficitur, cogiturque, Titium tanquam Canonicatus sui possessorem legitimum spectandum esse, ac posse, cuicumque voluerit, eum resignare, quin ei quispiam possit super hac re negotium facessere.

Decisum Parisiis hac die 26. Decembris an. 1698.
G. Fromageau.

OFFICIALES.

Cum Episcopi ipsi soli grave Episcopatus onus ferre non possent, Regum & Principum, qui cum olim ipsi per se subditis suis jus tribuerent, id deinceps officii in Ministros suos contulerunt, exemplum secuti ipsi quoque Ecclesiastico Viro, qui eorum Officialis nuncupatur, cujusque idem atque Episcopi Tribunal est, non paucarum causarum judicium commiserunt. Episcopus porro tenetur eorum rationem reddere, quæ gesserit Officialis, qui videtur in Archidiaconi locum suffectus, qui olim, Episcopis annuentibus, de causis Ecclesiasticis cognoscebat.

Officialium origo videtur ad Sæculum XIII. spectare. Primus omnium Innocentius IV. eorum mentionem facit, Officialem memorans cujusdam Episcopi, qui Remensis Metropolis Suffraganeus erat. Hic Pontifex memoriæ prodit, Officialem hunc, qui suos Vice-gerentes habebat, a Remensi Archiepiscopo communione privatum fuisse. Vaurense Concilium an. 1368. celebratum, cui Provinciæ Narbonensis, Tolosana, & Auscienfis interfuerunt, Canone 27. Officialis quidem nomine non utitur, sed Episcopis tamen, qui matrimonii causas delegant Ecclesiasticis, mandat, ut eos tantum eligant, qui Ecclesiæ Canones calleant. Narbonense Concilium an. 1609. habitum, de hoc Episcoporum jure minime dubitans *Canonibus* 42. & 43. eos cohortatur, ut, si ad jus partibus reddendum ipsi per se animum convertere nequeant, Officiales nominent. Ludovicus Rex XIII. Episcopis id juris servavit; atque in Gallicani Cleri Monumentis an. 1637. Regii privati Consilii Rescriptum occurrit, quo abrogatum fuit Senatus Decretum, cujus vi Officialis sui Jurisdictionem ipse per se exercere Claramontanus Episcopus prohibebatur.

Quamvis porro id juris Episcopis præsto sit, ut contentiosam nempe Jurisdictionem ipsi per se exercere possint, usu tamen obtinet in præsentia, ut eam Officiales exerceant; atque adeo id firmatum videtur articulis 31. & 37. Edicti ad Jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentis, quo Ludovicus XIV. an. 1695. mandat Archiepiscopis, & Episcopis, ut Officiales instituant, qui contentiosam Jurisdictionem exerceant in eorum Diœcesis locis aut Provinciis, quæ subsunt alicui Senatui, a quo non eximitur Episcopalis Urbs, in qua eorum Officiales suam fere sedem habent. Jurisprudentia hæc, quæ ipsam Episcopi personam contentiosæ Jurisdictionis exercitio exuere videtur, fere universim in Regno obtinet, si excipiantur nonnulli Occitaniæ Episcopi, iique, qui Diœcesani non desunt in extera ditione degentes, cujusmodi est Tullensis Episcopus, cui magna ex parte Lotharingia subjecta est.

Officialis igitur is demum est, qui Episcopi, Archiepiscopi, vel Primatis loco Ecclesiasticam contentiosam Jurisdictionem exercet. Triplex enim distinguendum est Officialium genus, ut alius nempe Ordinarius sit, alius Metropolitanus, alius denique Primatialis. Primus per universam, quam iste patet, Diœcesim jurisdictione gaudet; secundus de judiciorum, quæ ab ordinariis Officialibus edita sunt, appellationibus judicat; ac tertius est eorum judex, quæ Officiales Metropolitani gesserunt. Hæc autem Primatialis Officialis Jurisdictio olim latissime pertinebat; sed eidem subductæ sunt Provinciæ complures, & in una Lugdunensi Primatis nunc temporis exercetur. Officialis est privativus judex actionum omnium civilium & personalium Ecclesiasticorum, in defendendo tantum occupatus. De ordinariis quoque delictis cognoscit; at si casus extraordinarius sit, & afflictiva aliqua pœna dignus, Regium Judicem appellare, & cum eo causam instruere debet; tum vero suum uterque judicium sejunctim edit; Officialis quidem pœnis Canonicis, Regius autem Judex afflictivis pœnis crimina plectit, punitque.

Ante Tridentinam Synodum ex Ecclesiæ veteri disciplina id unum requirebatur, ut Officialis seu Ecclesiæ Judex Ecclesiasticus esset. Post hanc Synodum necesse præterea est in Galliis quidem, I. ut ex Edicto Henrici II. an. 1554. Regni nativus sit, vel institititius. II. Ut Presbyter sit; quia non decerct Clericum aut Diaconum eorum Judicem fore, qui superiore Ordine sunt insigniti. III. Ut graduatus sit, videlicet quemadmodum Declaratio Ludovici XIV. diei 20. Februarii an. 1680. explicuit, Doctor, vel Licentiatus in Jure; vel ut in alia Declaratione diei 20. Maii ejusdem anni dicitur, Doctor vel Licentiatus in Theologia, vel in Jure Canonico. Illud est animadvertendum in Galliis ab Officiali Laicum delegari non posse, ut de facto, vel causa dispensationis inquirat. Ita judicavit Tolosanus Senatus Rescripto diei 20. Martii an. 1608. Est & Parisiensis Senatus Rescriptum die 28. Junii an. 1651. editum, quo rescissa est Augustodunensis Officialis sententia, quod ex Notarii Apostolici, quem ipse ad audiendas partes nominaverat, inquisitione de matrimonio judicasset. Officialium porro cæteras obligationes cursim attingimus.

I. Non potest Officialis eam permissionem concedere, ut matrimonium sine Parochi præsentia contrahatur, nisi adsit contestatio, vel aliqua dispensatio; atque ad Officiales quidem mittit Pontifex dispensationes, ut enuntientur. II. Appellatio Sententiæ in casu dispensationis a Romana Curia impetratæ est ad Pontificem, vel ad Senatum tanquam abusus. III. Potest decernere, ut quis capiatur absque *pareatis* Judicum sæcularium, & ut decretum executioni mandetur, efficere. IV. Officiales matrimoniorum judices sunt, exceptis Principum matrimoniis, & matrimonii promissionibus, dummodo ea Minorum non fuerint absque Parentum vel Tutorum consensu initæ. V. Nec de oppositionibus, quæ Regiis Constitutionibus nituntur, nec de Tutoribus civilibus judicant. In Senatu denique Parisiensi de factis incidentibus judicant, & instruere possunt. Officialis porro ut hoc quidem pacto suam Jurisdictionem exerceat, Regularis esse non debet. Parisiensis Senatus Rescriptum an. 1689. ab hoc munere Benedictini Ordinis Religiosum excludit. Videndi Liber *de Casse*, Tomusque VII. Monumentorum Cleri, ubi materia hæc fuse discutitur.

Stipendium Officialium ob dispensationum pronuntiationem.

CASUS I.

1 Prohibitio, qua Pontifex dispensationem concedens inhibet Officialibus, ne quid pronuntiationis causa recipiant, puri putique stili esse videtur.

2 In Galliis id moris obtinet, at hi quidem Officiales pronuntiationem sibi solutam velint.

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an in Galliarum Regno Officiales ob matrimonii dispensationum in Romana Curia expeditarum executionem ac pronuntiationem quicquam recipere possint, sive eæ sint *in forma pauperum*, sive non?

Ex eo oritur difficultas, quod in omnibus Apostolicis matrimonialium dispensationum Rescriptis prohibet Pontifex, ne Officialis, ad quem Rescripta mittit pronuncianda, quicquam *etiam sponte oblatum* percipiat, in pœnam excommunicationis sibi reservatæ, atque adeo nonnunquam in pœnam nullitatis dispensationis, quam concedit. Probi tamen viri propugnant licere Gallicanis Officialibus aliquid operæ, quam impendunt, causa percipere. Ita porro illi ratiocinantur.

I. Probatissimi Auctores, & Laymann (*a*) inter alios tuentur sententiam hanc. Auboxius Officialis Divonæ Cadurcorum in sua praxi de Officialium Dignitatibus inter ea, quæ sunt *in forma pauperum*, quæque non sunt, Rescripta distinguit, atque ob posteriora quidem aliquid accipi posse, ob priora vero non posse. At si periculum adsit in aliis, in cæteris quoque adesse videtur.

II. Ita, inquiunt, in universo Regno servatur, servatumque semper est in Diœcesibus, in quibus Officialis nulla certa mercede gaudet, ejusque omnia emolumenta continentur eo lucro, quod ex proprio labore percipit, prout Episcopus definierit.

III. Episcopalium redituum tenuitas Episcopum Officiali stipendia tribuere non patitur; præterquamquod id ibi non est in more positum.

IV. Si Officiales ad ejusmodi Rescriptorum executionem gratis ministerium suum exhibere tenerentur, ea quidem reliqui fierent, & vix, ac ne vix quidem, non raro certe oscitanter, nec qua par est, diligentia ac sedulitate executioni mandarentur.

Officialis, qui sibi super hac difficultate lucem afferri cupit, ab eo lucro, quod horum Rescriptorum gratia ex Episcopi definitione sibi adjudicatum est, percipiendo quatuor aut quinque ab hinc mensibus abstinet, aliquo super hac re scrupulo tactus, & animo non nihil anxius. Cum primum iniisset officium, id quidem emolumenti pro taxæ ratione non respuit, quod ita sibi licere crederet.

Ejusmodi rescriptorum formulæ perantiquæ sunt; atque in Romana Curia pro certo ponitur, in Galliis, quemadmodum & in Italia Officiales non deesse, quibus non mediocria stipendia sint, vel saltem olim fuerint.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod vidit propositam facti speciem super Officialium stipendio ob matrimonialium dispensationum pronuntiationem, ad hanc difficultarem quod attinet, censet, Auctores quidem aliter alios sentire, sed se tamen ægre adduci posse, ut adeo constantem consuetudinem damnet, cujusmodi ea est, quæ in Gallia servari cernitur, ubi Officiales, ut Brevium, quæ in Romana Curia super matrimonii dispensationibus obtinentur, pronuntiationi satisfaciant, aliquam proprii laboris gratia retributionem percipiunt, cum eadem Brevia pronuntiant. Sunt etiam, qui sibi scutum aureum statuerint, ut prodit Auboxius (*a*) Officialis Caducensis in tractatu, quem de Apostolicis Litteris edidit; eoque magis, quod de hac consuetudine Romanam Curiam ignorare non est verosimile. Quamobrem est, cur pronuntietur, quicquid in hisce Apostolicis Rescriptis, ac Brevibus repugnare videtur ei consuetudini, quæ in Gallicano Officialium foro servatur, quoad Regnum ad stilum redigi; id quod aliis Regionibus accommodari non potest, in quibus Officiales ob sui muneris exercitium ab Episcopis stipendium accipiunt; quæ videtur esse Innocentii III. ratio, ab Auboxio loco paulo ante in medium allata. Possunt ergo Officiales in ea consuetudine persistere, quæ in Galliis obtinuit, ut nempe ob matrimonialium dispensationum publicationem aliquid percipiatur.

Decisum Parisiis hac die 6. Martii an. 1687.
A. de Lamet. Pirot.

Dispensationis Votorum pronuntiatio ab Officiali edita.

CASUS II.

1 Cum Breve dispensationis votorum ad Officialem datum est, una cum Monasterii Superiore, ab eo pronuntiande Superior abstinere non potest.

2 Non potest Officialis ipse solus illud pronuntiare.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Officialis possit ipse solus devenire ad Pontificii Brevis pronuntiationem, ob nullitatem votorum Adolescentis, cum pariter ad Monasterii, ubi facta est Professio, Superiorem missum est, quin declaratum fuerit, unum tantum id præstare posse, altero absente, vel recusante. Ut autem difficultatis enodatio facilior evadat, en ejus Brevis exemplum.

Innocentius PP. XI. Dilectis filiis salutem & Apostolicam Benedictionem. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Jacobus C. . . . . Clericus vel Presbyter Parisiensis Diœcesis, quod alias dictus exponens suscepit habitum per Monachos Cisterciensis Ordinis gestare solitum, & Professionem per eosdem Monachos emitti solitam in Abbatia, seu Monasterio de Bono P. . . . ejusdem Ordinis Ebraicensis Diœcesis, per vim, & metum, qui caderent in constantem virum, expresse emisit regularem, adversus quam Professionem, seu illius nullitatem, intra quinquennium Regularibus a Concilio Tridentino ad reclamandum præfixum reclamavit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, exponens prædictus nullitatem ejusmodi via juris declarari facere intendit; ideo nobis humiliter supplicari fecit, quatenus vobis, ut si inquisita super præmissis diligentius veritate, rem ipsam ita reperiretis, prout superius enaratur, in dicta causa reclamante juxta quinquennium, a die emissæ Professionis nullitatis prout juris fuerit, procedatis, procedique mandetis, & faciatis, ac judicetis: dictum exponentem præmissarum occasione ordini prædicto vel religioni in genere vel in specie non adstrictum esse: sed habitum regularem dimittere, & ad sæculum redire, ac matrimonium cum quavis muliere, nullo alias sibi jure probibitum contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere, nec non in paternis & maternis, aliisque undequaque sibi legitime obvenientibus bonis succedere libere & licite posse, prolemque ex matrimonio hujusmodi suscipiendam legitimam fore & esse declaretis, præmissis Constitutionibus & Ordinibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus . . . . . hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestræ per præsentes committimus, & mandamus, quatenus vos conjunctim procedentes, vocatis ad id, qui fuerint vocandi, dictoque exponente in habitu & tonsura Regularibus sub obedientia suorum Superiorum remanente in præmissis omnibus & singulis, dummodo exponens prædictus Professionem hujusmodi tacite vel expresse non ratificaverit, & tempore reclamationis prædicta quinquennium a dicta Professione elapsum non esset, auctoritate nostra faciatis, & declaretis, prout fuerit faciendum, & declarandum. Volumus autem, & dicta auctoritate decernimus, quod in eventum declarationis hujusmodi remaneat suspensus ab exer-

(*a*) Laymann lib. 4. tr. 10. cap. 8. §. 4. n. 4.

(*b*) Auxboux tractatu de Litteris Apostolicis c. 10. §. 9.

citio sacrorum Ordinum, si in eis, vel eorum aliquod constitutus existit, donec de patrimonio, vel Beneficio Ecclesiastico competenter illi provisum fuerit. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 16. Februarii 1679. *Pontificatus nostri anno tertio Signatum*. Et supra: *Dilectis filiis Superiori Abbatiæ Monasterii de Bono P.... vulgo nuncupati, Monachorum Ordinis Cisterciensis Ebroicensis Diœcesis, & Officiali Ebroicensi*.

Cum porro ex subscripto Consilio quæsitum esset, an Eboricorum Officialis ad recitati Diplomatis executionem ipse solus devenire posset, Prior *de B. P.* interesse noluit, ter accitus.

RESPONSIO.

Concilium Conscientiæ subscriptum existimat,

I. Priorem *de B. P.* non posse, quin Pontificio Diplomati, quo ad præsens negotium committitur, obsequatur, nisi rationes, quibus ejusmodi delegationem evitet, afferre velit. Expressa est in hanc rem Juris sanctio *cap. Seisciatus est, de rescriptis*, quoniam delegatio absoluta est, nec ullam clausulam adjunctam habet, qua se ille tueri possit, ut est in laudato capite: *Nisi forte sic in rescripto habeatur expressum: si non omnes interfuerint, vel simul nequiverint, aut noluerint interesse*. Quamobrem cum Brevis executionem ejus arbitratui Pontifex non reliquerit, peccat graviter Prior, nisi illud exequatur, quemadmodum etiam decisum est in *Cap. Prudentiam* duobus prioribus §. ubi sermo est de delegatis cum ea tantum clausula, *ut si omnes interesse nequiverint*, e quibus unus abesset, nullam absentiæ suæ causam afferens, nec se excusans; & ibidem dicitur is fore *gravissime arguendus, pro eo quod Mandatum Apostolicum exequi subterfugiat*; quo loco addit Glossa: *immo puniendus, pro eo quod Mandatum Apostolicum exequi non vult*.

II. Regulariter Officialem E...... solum ad ejus Brevis executionem devenire non posse, siquidem, cum Pontificis facultatem delegatus uterque in solidum non acceperit, sed conjunctim tantum, ut liquet ex verbis hisce: *Mandamus, quatenus vos conjunctim procedentes, vocatis ad id, qui fuerint vocandi*, &c. proinde iidem delegati, unus sine alio agere nequeunt, ut constat ex distinctione Judicum in ordinarios & delegatos, quam proponit Glossa in *cap. Prudentiam, verbo teneatur*, in hæc verba: *Ad hoc distinxit Joann. & bene, utrum Judices sint ordinarii, vel delegati. Si Judices sint ordinarii, uno absente, reliqui possunt procedere per jura, quæ ad hoc sunt inducta, cum quilibet per se in solidum habeat jurisdictionem. In delegatis, & arbitris secus est: quia uno absente, reliqui nihil possunt facere, nec tenet, quod fit ab eis, cap. eodem, causam matrimonii, & 1. eodem, uno delegatorum*. Et Panormitanus *in c. Causam*, eodem titulo: *item nota*, inquit, *quod plures delegati simpliciter dati, non habent exercitium jurisdictionis in solidum, unde unus sine altero procedere non potest*. Quamobrem distinguenda censentur delegatorum genera duo; unum eorum est, qui pure & simpliciter delegati sunt, quin ulla in eorum delegationibus adsit clausula, cujusmodi sunt, ut agi possit, si cæteri delegati procedere nequeant, aut nolint, ut dicitur in *cap. Prudentiam* §. 1. & 2. eorum alterum, qui pure & simpliciter ejusmodi non sunt; de quibus agitur in *cap. Uno delegatorum*. Primi generis delegati, de quibus Panormitanus, enim a delegationis verbis ne latum quidem unguem recedere debeant, nulla, nisi conspiraverint, actione gaudent, si delegatio ad plures missa fuerit; atque adeo eorum, æque ac arbitrorum potestas tollitur unius morte, ex *cap. uno deleg. de officio deleg. Uno delegatorum*, inquit Greg. IX. *vel arbitrorum rebus humanis exempto, eorum officium expiravit, nisi aliud in delegatione, vel compromisso fuisset expressum*; propterea quod cum eorum singulis in solidum potestas concessa non fuerit, unius mors alterius jurisdictionem non abrogat; id quod non est in delegatione, in qua clausula, *si non omnes*, occurrit, quia clausula hæc potestatem iis tribuit, qui delegantis Mandato parere voluerint, delegatis aliis id non facientibus. Cum porro Officialis E.... non hoc modo cum Priore Abbatiæ *de B. P.* delegatus fuerit, sed pure & simpliciter: juxta Canonici Juris principia omni actione caret, quoniam auctoritas iis conjunctim concessa est, nec adest clausula, quæ alterutri auctoritatem tribuat, altero adesse nolente; & quia, ut ait Ostiensis in *C. Prudentiam, necesse est, quod forma Mandati diligenter servetur; & fines mandati custodiendi sunt... hoc est quod nedum fiat contra formam, sed nec extra, & hic & c. de major. & obedien. dilecti resp. t. idem est quoad substantialia nihil addatur*, consequens proinde fit, Pontificis delegationem puram ac simplicem quoad obvium verborum, quibus concepta est, sensum explicandam esse. Id autem animadversione dignum est, Pontificem in ejusmodi delegationibus Tridentinæ Synodi Constitutioni inhærentem non ulterius delegatorum suorum potestatem extendere, quam statuatur *Sess. 25. c. 19. de Regular.* ubi Religiosi hominis Superiori, & Ordinario id genus negotia cognoscenda mandantur: *Et tunc non aliter*, inquit Synodus, *nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario*. Sentit Pyrrhus Corradus unam tantum facti speciem esse, in qua Ordinarius potest ipse solus in negotio simili judicare, cum nempe Religiosus reclamans ad Monasterium pertinet, quod Episcopatui conjunctum est. Ita enim loquitur *l. 5. dispensat. Apost. cap. 14. n. 22. Si Ordinarius sit Superior, nimirum si Episcopatui est unitum Monasterium, solus Ordinarius potest de hujusmodi nullitate cognoscere; ex quo dum Concilium utrumque conjungit, præsupponit utrumque adesse*, quæ verba sunt Barbosæ, quem citat *de officio Episcopi part. 3. alleg.* 104. *n.* 11. Quamobrem stat sententia, eum, qui reclamavit, & cujus interest, ut de ipsius negotio pronuntietur, curare debere, ut Prior vocetur; atque adeo uti posse interpositione Officialis, qui per actum aliquem Sedis Apostolicæ delegationem & mandatum eidem Priori significabit, ipsique ejus exemplum exhibendum curabit; ac si ille tamen procedere noluerit, ad Romanam Curiam redeundum esse, exposita Prioris recusatione, ac postulandum, *ut* vel alter detur Commissarius, vel Prior ipse censuræ vi compellatur.

Consilium Conscientiæ hanc viam breviorem putans, quam si ad Episcopum, qui ejus inobedientiam puniat, confugiatur, quod nonnulli Canonistæ contendunt, ut apud Ostiensem videre est, se quoque censet fateri debere nonnullos Auctores sentire in hac facti specie unius Officialis judicium peti posse, sed id etiam debere animadvertere, quæcumque afferuntur testimonia, non nisi delegationibus iis congruere, quibus apposita est clausula, *ut si omnes*, quæ species est ab ea, de qua agitur, omnino diversa.

Decisum Parisiis die 24. Octobris an. 1679.
Aug. *de Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

OFFICIUM DIVINUM.

PUblicæ Preces, quas nos Officium seu Servitium Divinum dicimus, ab Ecclesiæ incunabulis Apostolica traditione institutæ, ac deinceps non uno modo pro cujusque Regionis consuetudinibus in certum ordinem redactæ fuerunt. Clerici omnes ac Monachi Psalmos in Choro canebant; sacræ deinde Scripturæ Libros cuique tempori alligatos legebant, ac reliquas cæremonias, suorum quidem Majorum exemplum secuti, servabant. Disciplina hæc longo post tempore in Regulis Monasticis conscripta fuit, ut in Sancti Benedicti Regula, in qua Psalmodiæ ordinem singillatim expositum cernimus; atque in publicis Ecclesiarum Libris, quales sunt Psalterium, Lectionarium, Antiphonarium, Sacramentarium, & id genus alii, in quibus precum ordo, & quæ eas comitarentur, actiones brevibus.

bus, iisdemque rubris litteris declarabantur. Hinc extitere Rubricæ, quæ in hoc negotio leges fere solæ sunt, & de quibus Gavantus consuli potest.

Divinum Officium in eum finem institutum erat, ut publice cum cantu, cæterisque decentibus cæremoniis celebraretur. Hac de causa unus saltem in quaque Diœcesi locus erat, in quem diebus, horisque singulis, prout commode fieri poterat, & cujusque pietas ferebat, convenire populus posset. Tales nostris temporibus Cathedrales & Collegiatæ Ecclesiæ sunt. Clerici plerisque civilis vitæ curis, ut orationi vacarent, exempti, publico Officio, quantum quidem poterant, interesse tenebantur; sin id, Ecclesiæ utilius addicti, præstare non possent, privatim saltem easdem preces peragere debebant. Hinc Officii recitandi obligatio quoad omnes Clericos, sacris Ordinibus initiatos, vel Beneficia possidentes originem traxit. Posterioribus sæculis obligationem hanc expressis Constitutionibus declarari, & Beneficiarios hac in re deficientes, pro ratione temporis ad fructuum restitutionem damnari necesse fuit, ut supra explicuimus, de Canonicis verba facientes.

In Divino, quod quidem publicum est, Officio se quisque omnino debet ejus, in qua illud canit, Ecclesiæ peculiari consuetudini conformare; qui vero idem privatim recitant, regulas non adeo stricto jure servare tenentur, seu quoad horas Officii, seu quoad posituram, standi scilicet, aut genuflectendi rationem; satis est summo jure, si intra viginti quatuor horarum spatium Officium integrum recitetur. Satius tamen est preces antevertere, quam differre; & hujus principii vi permittitur, ut omnes Horæ parvæ matutino tempore recitentur, Matutinum vero cum Laudibus hora quarta post meridiem diei præcedentis. Sed longe melius se gerit, qui singulas preces, quantum potest, stata hora persolvit, ut, qui sanctæ hujus institutionis fructus est, identidem ad Deum animum cogitationemque convertat, & ad continuam orationem, quam omnibus Fidelibus sacra scriptura commendat, quam proxime potest, accedat. Tenetur unusquisque Diœcesis, in qua domicilium habet, Officium recitare, nisi Romanum Officium, cujus usus in universa Latina Ecclesia permittitur, recitare maluerit. Reformatum illud est, ut Tridentinæ Synodi Constitutio executioni mandaretur, & ab omnibus recentioribus Presbyterorum Congregationibus receptum fuit; atque adeo illud complures Galliarum Provinciæ adoptarunt, majoris uniformitatis servandæ prætextu. Re tamen ipsa Librorum defectu, eosque emendandi difficultate fit, ut hoc idem Romanum Officium, tametsi non semel correctum fuerit, adhuc non levem reformationem pati possit, seu variato aliquanto amplius Officio, ne tam sæpe una eademque res repetatur, seu expunctis ex Lectionibus factis non paucis, quæ nullo satis firmo fundamento nituntur.

Hoc Divinum Officium complectitur horas septem, si Matutinum & Laudes tanquam una hora spectentur, & horas octo, si sejungantur. Quatuor porro prioribus Ecclesiæ sæculis ejus tres solummodo partes erant, quas D. Hieronymus in sua ad Demetriadem epistola enumerat hoc prorsus ordine, ut sint Tertia, Sexta, Nona, ac preces, quæ ad vesperam, media nocte, & mane, seu vespertino, nocturno, ac matutino tempore recitari consueverant: *Præter Psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum; statue, quot horis sacram scripturam exercere debeas*. Et in epistola ad Lætam super ejus filiæ educatione easdem precationis horas recenset, sed exorsus a prece, quæ media nocte persolvitur. Huic enim puellæ comparari cupit prudentem virum, ex cujus exemplo discat, *ad orationes & Psalmos nocte consurgere, mane Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona stare in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucerna reddere sacrificium vespertinum*. Itaque ex hujusmodi sex Officii partibus tres diei, Tertia, Sexta, & Nona, reliquæ tres nocti deserviebant; Vesperæ quippe non nisi sub noctis initium, Laudes vero noctis finem, quod diei exordium est, dicebantur; Prima & Complettorium deinceps instituta sunt.

Vera igitur ac propria *Matutina* precationis hora nox est. Qua de causa olim eæ preces dicebantur *Vigiliæ*, quia nempe vigilando fiebant, aliis dormientibus. Nunquam illæ ante mediam noctem inchoabantur, nec nisi duabus horis post antiquorum temporum Regulares post S. Benedictum easdem exordiebantur; quod argumento est longe satius fore eas matutino quam vespertino tempore recitari: *Laudes* sub auroram, & ante solis ortum recitabantur; hinc *Matutina* vocabantur, utpote mane dicendæ. Sed postquam Vigiliis conjunctæ sunt, ambo hæc Officia commune *Matutini* nomen sortita sunt, & id nominis deinde Vigiliis concessum est, quippe quæ majorem, ac potiorem partem constituant. Hora, quæ *Prima* dicitur, proxime solis ortum consequitur, prima propterea nuncupata, quod ab oriente sole diem Veteres inchoarent, & quavis anni tempestate in horas duodecim partirentur, quæ quidem inæquales erant, prout dies longiores essent, breviores que; id quod ostendit, quænam proprie dictæ horæ Tertia, Sexta, & Nona fiat. Tertia quippe est hora diei tertia ab orto sole, videlicet apud nos hora nona æquinoctiorum tempore, & ultra citrave, prout dies magis minusve noctem excedunt, vel exceduntur. Sexta erat hora diei sexta, quæ semper meridies erat. Nona est hora nona, tribus circiter horis post meridiem. Vesperæ ad finem vergente die, & Completorium post solis occasum.

Petrus Damianus in suis Opusculis de parvo Virginis Officio commemorat, quod ante ejus ætatem in usu fuisse apparet ex eo, quod memoriæ proditur S. Uldaricum Augustanum illud quotidie recitasse. Cum Urbanus II. an. 1096. Concilium, cui ipse præfuit, Claramontii in Alvernia congregasset, in eo bellum adversus Christiani nominis hostes, elato Crucis vexillo, indicendum curavit; atque ut ad tantum opus a Deo singulare subsidium impetraret, in eodem Concilio mandavit, ut parvum Virginis Officium, quod jam S. Petri Damiani opera apud Monachos obtinuerat, a Clericis recitaretur. Hinc orta est consuetudo, quæ in nonnullis Cathedralibus viget, Officium hoc statis diebus post magnum Officium recitandi.

Vide (BREVIARIUM.
(CANONICUS.

Officio Divino adstrictæ Moniales.

CASUS I.

1 Monialis lethaliter peccat, si, cum ab Officio, quod in Choro canitur, absuerit culpa sua, illud privatim non recitet.
2 Potest Antistita ab Officio Chori cum Moniali dispensare, si ita recte factum judicet.
3 Voluntaria inter Officii recitationem distractio non semper mortale peccatum est.

QUÆSITUM.

MOniales, in quarum Constitutione occurrit ea verborum formula, quæ mox subditur, tenenturne sub mortalis pœna, siquidem suapte culpa a Choro absuerint, Magnum Officium privatim recitare? Constitutionis porro hæc verba sunt: „ Nos Breviarii Officium tum solum vobis injungimus „ recitandum, cum in Choro cum cæteris adfueritis: eæ vero, quibuscum hoc in capite dispensatum fuerit, recitent Officium parvum Beatæ Virginis. „ Et in earum quoque novis Constitutionibus, a Magno tantum Vicario approbatis dicitur: „ Si qua Breviarii Officium dicere non potuerit vel „ ob ægritudinem, vel ob aliquod aliud legitimum „ impedimentum, quod eam eximat, impediatve, „ quominus intersit Choro; illa quidem, neque ex „ obligatione, sed ex devotione recitet Officium „ parvum Beatæ Virginis. "

Sentiunt nonnulli Doctores, eas extra Chorum non obligari; e converso contendunt alii, Moniales professas, Choro addictas ad Officium privatim recitandum sub mortalis peccati pœna obligari, si a Choro absuerint, excepto morbi casu; & ab hac regula eas tantum Religiosas excipiunt, quæ Constitutionibus a Pontifice approbatis ab hac ipsa regula exemptæ fuerint.

II. Quæritur, an mortaliter peccaret Monialis, a Choro abstinens culpa sua, satisque habens Officium privatim dicere?

III. Potestne Prælata in Chori præsentia, & Officii recitatione cum Monialibus aliquibus dispensare, quod ita Familiæ bono expedire judicet, vel ne earum, quas agere debere putat, valetudini officiat?

IV. Facta hypothesi, ad Officium eas obligari; quousque tandem voluntaria distractio est deducenda, ut eadem mortale peccatum sit? Non est omittendum, Moniales has, de quibus agitur, Sancti Augustini Ordini adhærere, nec Canonicissas esse.

V. Constitutiones obligantne communiter sub mortalis peccati pœna, saltem cum notabilis materia est.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ex maxime recepta sententia Moniales, (*a*) quæ vi proprii status ob cantum sunt institutæ, sub mortalis peccati pœna vel in Choro, vel privatim Officium recitare teneri. Clementina *de celeb. Miss.* cujusmodi sit obligatio hæc, his verbis declarat: *Si Dei, & Apostolicæ Sedis indignationem evitare voluerint*. Id animadvertunt Auctores bene multi; & Caput quoque *Dolentes* eodem titulo utitur vehementibus verbis hisce: *Districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent, & devote*. Ut proinde Moniales ad Chorum institutæ ad Officium obligari non solum ex Regula, & *ex vi Professionis suæ*, ut nonnulli post S. Antoninum Auctores asserunt, verum etiam ex Consuetudine legitime præscripta, quæ Legis vim habet, ut plerique propugnant. Atque hæc quidem Consuetudo tam firma & constans est, ut non sine temeritatis nota, ut Reginaldus statuit, eadem negari possit: *Tot eam*, inquit, *testantur Auctores, ut temerarium sit ipsam negare*. Cum Auctores hujus Consuetudinis obligationem declarant, ei similem esse pronuntiant, qua Clerici sacris Ordinibus initiati Divinum Officium recitare tenentur. Hoc posito, respondetur,

Ad quæstionem primam; Moniales, de quibus in libello supplici dictum est, peccare mortaliter, si culpa sua Officium in Choro dicere negligentes, illud privatim non recitent, quia obligatio Monialium, quæ Instituti sui vi ad Officium in Choro recitandum destinatæ sunt, non modo Moniales in commune, & conjunctim sumptas, & quatenus in Choro congregatæ sunt, verum etiam Moniales singulas afficit, ut ex Auctoribus ad marginem laudatis licet intelligi. Itaque Regulares & Moniales, quos Institutum ipsum addicit Choro, ex generali Ecclesiæ consuetudine, quæ in legis formam abiit, ad Divinum Officium tenentur; neque ab eo eædem Moniales singillatim propriis Constitutionibus eximi, & Breviarii loco solum ad Beatæ Virginis Officium parvum ex devotione recitandum obligari potuerunt, nisi eædem Constitutiones a Sede Apostolica approbatæ fuerint; inferior enim, siquidem facultatem non acceperit, in generali Ecclesiæ lege dispensare non potest.

Ad secundam; Monialem a Choro vel ex propria culpa absentem, mortaliter non peccaturam, si cæteroquin Officium privatim recitaret, nisi vel ex Constitutionibus, vel ab Antistita, quæ verbi causa quoad caput hoc magnam in Monialibus sibi subditis negligentiam animadverteret, Moniales singulæ adesse juberentur. Quamvis enim communiter sub culpæ lethalis pœna Moniales Breviarii Officium dicere teneantur, non inde tamen consequitur eas singillatim teneri illud in Choro dicere; neque etiam, quia generatim Communitas ex vi præcepti in iis Religionibus, quas proprii Instituti ratio Choro devovet, Officium in Choro recitare tenetur, absolute & immediate consequens fit, unamquamque singillatim Monialem eadem obligatione teneri; obligatio enim adsistentiæ Choro præstandæ, vel in Choro canendi non nisi ex Regula derivatur, quæ nisi sub aliqua pœna, vel ut summum sub alicujus culpæ pœna fere non obligat. Ita disputant Suarez, (*b*) Pelizarius, Bonacina, Tamburinus, aliique complures Auctores, quos Diana in medium adducit.

Ad tertiam; Antistitam cum Moniali dispensare posse, ne Choro intersit, cum ita ei videtur, quemadmodum etiam in aliis Regulæ capitibus potest dispensare, nisi Regula ipsa, vel Constitutiones hanc ei facultatem ademerint, & dispensandi potestas Superiori majori, vel alteri reservetur. Quoniam porro recitandi Officii obligatio quoad Moniales, quæ suo ipsarum Instituto Choro addictæ sunt, generali Ecclesiæ consuetudine, quæ legis rationem obtinuit, instituta est; minime pertinet, inquit Reginaldus, ad Prælatam, ut in hac re dispenset, si contrariæ leges adsint, ut dictum est. Si tamen impotentia, vel necessitas ejusmodi foret, ut cum Moniali dispensandum esset, tunc quidem dispensatio locum haberet. Prælatus & Prælata videant, oportet, quæ tandem facultas ex Regula vel ex Constitutionibus sibi competat.

Ad quartam; ut distractio, qua quis Officium Divinum, ad quod obligatur, recitans occupatur, mortale peccatum sit, ea quidem per Officii partem notabilem voluntaria esse debet, ut proinde Monialis cum iis dispositionibus, quas Decretalis jam allata iis verbis complectitur, *studiose & devote celebrent*, notabilem Officii sui partem recitasse non cen-

(*a*) Peliz. tom 1. tr. 5. c. 8. sect. 2. q. 2. n. 53. Idem tom. 2. tr. 10. c. 6. q. 7. Reginal. l. 18. n. 140. c. 11. Sotus de just. & jure l. 10. q 5 art. 2. sub fin. m. Suarez Tom. 2. de Relig. l. 4. c. 17. n. 4. Tambur. de Jur. Abbat. disp. 25. q. .. n. 1. & 8. S. Antonin. 3 part. tit. 13. cap. 4. §. 1. Bonacina tom. 1. de hora Canon. d. 1. q. 1. p. 2. n. 4. & 5. Navarr. in Manual. c. 25. n. 97. Tolet. l. 2. c. 12. sub finem. Sanchez l. 7. c. 2. dub. 3. Opusc. n. 6. & 12. Azor. 1. part. l. 10. c. 6. & c. 7. quæst. 1. Layman l. 4. tr. 1. c. 4. n. 2. Vericelli q. 35. n. 18. & 19.

(*b*) Suarez ut supra c. 10. n. 15. Peliz. tom. 2. l. 2. q. 6. n. 11 Bonac. l. 1. n. 8. Tamburin. l. 4. n. 3. Diana part. 3. tr. 2. resol. 18.

censeatur. Videri potest, quid Auctores a Bonacina (*a*) laudati vulgo doceant.

Ad quintam & postremam quæstionem quod attinet, respondetur Regulam sub culpa fere non obligare, ac raro admodum, iis exceptis, quæ in Votorum materia versantur, in cæteris Regulæ capitibus mortale peccatum existere.

Decisum Parisiis hac die 1. Febrarii an. 1697.
G. *Fromageau*.

B. Virginis Officium extra Chorum recitandi obligatio.

CASUS II.

1 *Officium Virginis publice non dicitur ex ullo Canone, qui generatim receptus fuerit, sed ex consuetudine post Mendicantes Ordines instituta.*
2 *In Ecclesiis, in quibus in Choro certis quibusdam diebus dicitur, ejus privatim recitandi obligatio non adest. Consuetudo & Statuta ad id non obligant.*

QUÆSITUM.

IN quadam Cathedrali Ecclesia, cujus Breviarium vetus est, & a Romano diversum, mandatur, ut in Quadragesimæ Feriis post Officii magni Laudes Matutinum cum Laudibus Officii parvi Beatæ Virginis recitetur. Idem servatur in aliis Officii partibus; post Primam dicuntur septem Psalmi Pœnitentiales; post Vesperas dicitur Officium Defunctorum, & per Completorium toti Officio finis imponitur. In eorum favorem, qui Officium extra Chorum dixerint, in Rubricis exceptio nulla. Convenit, eos, qui Breviarium Romanum recitant, ad hæc addita Officia non obligari, si in Choro non fuerint; sed hoc privilegium, ut docent S. Thomas, Laymann, & P. Alexander, ad eos tantum, qui Breviarium hoc recitant, spectare videtur.

Canonici porro, aliique Cathedralis Beneficiarii, pro quibus consulitur, ejusdem privilegii possessione gaudent, nec extra Chorum ad Officium magnum teneri putant. Capitulum, quod ordinaria jurisdictione pollet, neque adversus hanc consuetudinem, neque adversus Officium Defunctorum quotidie recitandum quicquam instituit, quamvis illud Rubrica præcipiat, Festis tantum diebus exceptis.

Scitu dignum est, singulis horis Officii B. Virginis distributiones suas esse, iisque præstandam assistentiam strictioris esse obligationis, quam quæ Officii magni horis præstatur; nulli enim absenti, ac ne ægrotantibus quidem conceduntur; cum contra tum morbo laborantes, tum Capituli negotiis distenti Officii magni distributiones lucrentur; quod argumento est ea esse Officia omnino distincta, licet una dicantur. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut hanc difficultatem decidant, declarentque, an ii, de quibus agitur, ea omnia Officia extra Chorum recitare teneantur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Canonicos & Beneficiarios Cathedralis Ecclesiæ, in qua illacis diebus B. Virginis Officium dicitur, quoad Officium idem extra Chorum recitandum consuetudinem sequi debere; ut proinde si Canonicorum & Beneficiatorum plerique, ac potissimum optimi & doctissimi quique illud tantum in Choro recitent, ejusdem privatim recitandi obligatio nulla sit.

Et sane hujus Officii publice recirandi non adeo vetus est in Ecclesia, ac Breviarii consuetudo. Ea quippe non ad annos extenditur quinquaginta supra trecentos, ut animadvertit Soto, (*b*) quippe cum hæc tam magna erga Deiparam Virginem devotio, ut ejus Officium in Ecclesia conficeretur, non nisi post D. Bernardi tempora, & Mendicantium Ordinum institutionem coorta fuerit: *De Officio*, inquit, *B. Mariæ Virginis controvertitur inter Doctores, utrum sit etiam in præcepto, eo quod hac de re nullum extat jus, sed sola consuetudo; immo vero si historias consulas, res non est antiqua, sed forte a trecentis annis. Nam ante D. Bernardi tempora, & Religiosorum Mendicantium institutionem, non increbuerat tanta Virginis devotio. Quocirca si conjecturis agere licet, hæc consuetudo non cœpit, tanquam vim habens præcepti, alias alicubi legeretur; sed ex pietate & devotione, qua sanctissima Virgo dignissima erat.* Non desunt Auctores, qui institutionem hanc altius repetant. Qua de re Azorius, (*c*) & Gavantus consuli possunt.

Quoniam ergo B. Virginis Officium in Ecclesiis ex consuetudine tantum obtinuit, ut Soto, & Auctores laudati sentiunt; fit vero simile alia consuetudine factum esse, ut Capitulorum Canonici & Beneficiarii ad ejus recitationem extra Chorum se teneri non crederent. At enim duo hæc Officia unum tantum constituunt, quoniam utrumque simul in Choro dicitur; prætetea privilegium Officii B. Virginis extra Chorum minime recitandi eos tantum afficit, qui Romanum Breviarium recitant, ac proinde quicumque alio Breviario utuntur, tenentur privatim B. Virginis Officium dicere, quoties in Choro dicitur, si illi quidem non adfuerint.

Sed facilis est ad hæc & expedita responsio; Gavantus enim loco laudato de duobus Officiis hisce tanquam de uno eademque non loquitur; sed posterius quidem non nisi appendicem, vel additionem Horis Canonicis factam putat: *in fine Breviarii*, inquit, *addita fuat quædam, quæ dici possunt appendices, quia non sunt partes Horarum Canonicarum, nec ad eas nisi remote pertinent*. Et sane in Cathedrali, de qua agitur, distinctæ pro ambobus hisce Officiis distributiones existunt, quod evincit ea tanquam distincta Officia spectari.

Convenit cum laudatis Auctoribus, quibus Laymann, (*d*) pluresque alii addi possunt, Canonicos, qui Romanum Breviarium dixerint, non teneri B. Virginis Officium privatim dicere; hæc sane Pii V. Bullæ notio est; sed non ideo tamen Canonici, & Beneficiati, de quibus agitur, a Virginis Officio privatim recitando exempti censentur; verum quia fere omnes illud omittere consueverunt, quin tamen appareat eos ad id unquam fuisse obligatos.

Denique si qua difficultas super hac consuetudine superesset, Ecclesia Metropolitana consuli posset, ut innotesceret, utrum Canonici, qui eam constituunt, teneantur B. Virginis Officium extra Chorum dicere, quoties in Choro dicitur, eidemque Ecclesiæ ii, de quibus agitur, se conformare deberent. Porro hæc obligatio Metropolitanæ Ecclesiæ consuetudini, ad Officium quod attinet, se conformandi nititur Canone *De his qui dist.* 12.

Decisum in Sorbona hac die 23. Septembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

Officium B. Virginis in quadam Ecclesia abrogatum.

CASUS III.

1 *B. Virginis Officium cum distributionibus inter præsentes in quadam Ecclesia institutum intermitti non debet, & qui ei non intersunt, tuta conscientia distributiones percipere nequeunt.*
2 *Consuetudo huic obligationi contraria abusus est, qui a Capitulo tolli debet.*
3 *Longe major evadit hæc obligatio, cum Provinciale Concilium Ecclesiis, quibus Provincia constat, expressis verbis eamdem imponit.*

QUÆSITUM.

UT controversia hæc in meliore lumine collocetur, Officii B. Virginis institutio in Ecclesia generatim ab origine repetenda est.

Certum apparet non ante Claramontanum Conci-

(*a*) Bonacina l. c. quæst. 3. p. 1. §. 2.
(*b*) Soto de Justit. & jure lib. 10. quæst. 5. art. 4.
(*c*) Azor. 1. part. l. 10. c. 16. Gavantus in Rubric. Offic. B. Virg. c. 10.
(*d*) Laymann l. 4. tract. 1. cap. 5. n. 4. §. 5.

cilium, Urbano II. præside, ab Archiepiscopis tredecim, eorumque Suffraganeis an. 1099. celebratum illud recitari cœpisse. Ei Concilium vim legis addidit, urgente Pontifice, illudque libenti animo Clerus suscepit, ut in fragmento, quod ad Concilii calcem legitur, memoriæ proditum est. Et sane ex eo tempore consuetudinis hujus in Ecclesiis institutæ varia occurrunt monumenta.

Nihil in hoc negotio gravius est, quam Constitutio Odonis Episcopi Parisiensis, qui anno 1175. 80. post Claramontanum Concilium vitam cum morte commutavit, & Provinciale Turonense Concilium an. 1365. Andegavi congregatum.

Ita habet Constitutio: *Ad horas Beatæ Virginis: Cantentur cum nota & devotione in Ecclesia*.

Andegavensis Concilii Canon ejusmodi est: *Item approbante Concilio statuimus, quod in singulis Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, Regularibus, Collegiatis Matutinæ & aliæ Horæ de B. Maria singulis diebus decantentur, nisi alias Officium esset de B. Maria, vel aliis majoribus Festis anni, vel in Adventus Domini, & ab hoc volumus astringi sub præcepto*.

Coloniensis Concilii an. 1280. habiti Canon primus longius progreditur; omnes enim Clericos, præsertim vero Beneficiatos, & sacris Ordinibus initiatos hac obligatione devincit.

Tradit Fagnanus Doctores sæculo decimo secundo sectos fuisse super quæstione, an quos Breviarii obligatio teneret, ii ad parvum quoque Officium etiam privatim recitandum obligarentur.

Litigium hoc sub Judice fuisse videtur ad usque Pii V. Bullam an. 1568. editam, in qua S. Pontifex declaravit, se, cum varias Clericorum curas ponderasset, optimum factu credidisse, si definiret Officii B. Virginis recitandi nullam in posterum sub peccati pœna obligationem fore; II. se non contendere ejus in Choro publice recitandi laudabili consuetudini derogare, sed potius eamdem servari velle: *servetur ipsa laudabilis, & sancta consuetudo celebrandi more solito prædictum Officium in Choro*.

Concilium Mediolanense IV. *parte 2. titulo de celebratione Missarum, & Officii*, statuit I. ut omnis Clerus intersit Officio B. Virginis in iis Ecclesiis, in quibus obtinet, quique ab aliqua ex ejus Horis abfuerint, distributione ob eamdem magni Officii Horam percipienda priventur.

Secundo loco peculiares circumstantiæ in Cenomanensi Ecclesia notandæ veniunt. Videlicet Guillelmus Passavantius ejus Episcopus an. 1145. quinquaginta post Claramontanum Concilium annis Officio magno B. Virginis Officium addidit, mandans, ut statis diei horis decantaretur. Itaque Cenomanensis Ecclesia ex earum numero fuit, quæ omnium primæ hujus Officii recitandi obligationem subiere, illudque Statuto firmavit ante Concilium Andegavense, quod ad universas Provinciæ Ecclesias legem extendit.

In ea deinceps Ecclesia regula a laudato Concilio præscripta fideliter servata est ad hæc usque tempora, quibus ad Festos tantum dies, exclusis Feriis, hoc Officium redactum est, ea conditione, ut Canonicus quoque Sabbato privatam B. Virginis Missam vel ipse celebrare, vel alteri celebrandam tradere teneretur.

Addendum & illud est, ibidem quadraginta librarum pro quoque Canonico retributionem huic Officio affectam existere, ita ut ejus distributionis fundus a Capitulari Mensa sejunctus sit, ejusque receptio ad peculiarem Ministrum pertineat. An fundus hic ex Capitulari Mensa ab origine ductus sit, an omnino hujus tantum Officii gratia traditus fuerit, difficile scitu est.

Posterius suadere posset Receptorum distinctio. Ex Cenomanensium Episcoporum historia certum exploratumque est Guillelmum Passavantium Ecclesiæ suæ bona non mediocria dedisse, vel procurasse, in gratiam Officii B. Virginis, quod ipse instituerat. In antiquis rationibus legitur, quosdam fundos receptionis partem constituentes ob hoc, de quo sermo est, Officium tributos fuisse. Denique animadversione dignum est, qui ab eo absuissent, non ante annos sexaginta accurate notari cœpisse. In præsentia Canonici extra Urbem commorantes, spectato absentiæ tempore, stipendii partem amittunt.

Fere tamen his temporibus id moris obtinet, ut huic Officio non amplius adsistentia præstetur, & elapso nihilominus anno retributio percipiatur.

Capitulum ipsum videtur ponere tanquam certum Canonicos ad hoc Officium non obligari, quoniam diebus Capitularibus immediate post Officium diei Capitulum congregatur, dum interim Vicarii cum Sub-Chori magistro B. Virginis Officium canunt.

Qamobrem quæritur, I. An ex hactenus dictis præsumi possit ab origine B. Virginis Officium in Cenomanensi Ecclesia supererogationis esse, an vero strictæ obligationis quoad unumquemque Canonicum, etiamsi cum ejus recitatione nullum stipendium conjunctum esset?

II. An Andegavensis Concilii Canon ad obligationem, si nulla Lex præcessisset, inducendam sufficeret?

III. An Pii V. laudatum Diploma hac in re peccatum omne sustulerit?

IV. An ei non amplius adsistendi consuetudo, sexaginta ab hinc annis introducta, itemque habendi Capitulares Conventus Officii parvi tempore, an, inquam, duplex ea consuetudo satis evincat Canonicos ad id non amplius in conscientiæ foro obligari, & Vicariis illud in Choro canere non desistentibus acquiescere posse?

Ad quadraginta librarum retributionem quod attinet, quæritur, an justa credendi causa suppetat, eam ex Capitulari Mensa, non autem ex Fundatorum liberalitate ductam fuisse?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat B. Virginis Officium in Cenomanensi Ecclesia ab initio quidem supererogationis opus esse potuisse; sed postquam illud ibidem cani cœpit, & Concilium Andegavense consuetudini vim legis addidit, quæ ad hæc usque postrema tempora servata est, Officium hoc tanquam ad præceptum pertinens spectandum est. Hæc antiquorum Doctorum sententia est, ut ex celebri Canonista Fagnano 2. *part. 3. Decretal. de celebratione Miss. C. Presbyter num.* 35. ubi localium consuetudinum vim demonstrat, licet intelligi.

Bulla vero Pii V. nullam in hoc capite exceptionem tribuit Ecclesiæ Cenomanensi, eamdemque ne respicit quidem; I. quia de iis Ecclesiis omnino non loquitur, quarum aliud a Romano Breviarium est; II. quia non id in animo habuit, ut nempe a Virginis Officio eas Ecclesias eximeret, in quibus ejus dicendi mos obtinet, tametsi Breviarium Romanum ibidem recitetur. Id satis luculenter evincit Gavantus ex duplici decisione, una quidem an. 1607. altera vero Urbani VIII an. 1627. Vide ejus Commentarium in Rubricas *sect. 9. cap. 6. n. 6.* Et posterior quidem decisio eo majoris momenti est, quod edita fuit in gratiam Ecclesiæ, quæ proprium Breviarium repudiaverat, ut Romanum amplecteretur: *Tandem*, inquit Auctor hic, *Urbanus VIII. de consilio rituum Congregationis decrevit 2. Januarii 1627. etiam mutato proprio Breviario, & Romano acceptato, adhuc teneri ad quotidianam Officii B. Virginis recitationem, qui antea ex consuetudine tenebantur; & Decretum fuit impressum Romæ, instante Abbate Ripolensis Monasterii in Catalonia*.

Est porro, cur credatur B. Virginis Officium in Cenomanensi Ecclesia fundatum fuisse, non solum quia ibi instituti sunt Exactores duo, unus quidem ob fundos Mensæ Capitularis, alter vero ob fundos distributionum, quæ B. Virginis Officio annexæ sunt, sed etiam quia rationes veteres horum fundorum in hunc finem datorum mentionem faciunt; iisque verbis utuntur, quæ eos fundos a Capitulo non derivari non obscure significant. Quorsum enim ii dicti fuissent dati esse, si Capitulum eos fundationis titulo non percepisset? Quorsum autem Exactores duo, nisi ut bona ad hoc pium opus spectantia a cæteris dignoscerentur? Fit ne porro verosimile Capitulum adversus semetipsum hac circumspectione usurum fuisse, si ii fundi ex Capitulari Mensa prodiissent? Jam vero posita Fundatione negari nequit officium hoc inposterum ea ra-

tione dicendum esse, qua Audegavensis Concilii tempore dicebatur. Nempe liquido constat id citra injustitiam negligi non posse, quippe quod est, quod dicitur *lex dicta fundo*, cum justum sit onera Beneficio addita non detrectari, & executioni mandari, quæ fundatores instituerunt, quæque ex antiquis rationibus ad præsentem facti speciem accommodandis adeo luculenter apparent. Tridentini Concilii Decretum sess. 25. cap. 5. *de Reform.* prohibet, ne quid decerpatur eorum, quæ instituta sunt Fundationibus Beneficiorum, in quibus nulla mutatio facienda, facta hypothesi fundos possideri, & ad injuncta onera implenda satis esse. In qua facti specie Fagnani principium in *cap. Conquerente de Cler. non resid.* verum detegitur; *in hoc casu non attenditur ultimus status contrarius*. Quod in Gallia potissimum verum est, ubi mutationes in fundationibus, quæ subsistunt, haud facile tolerantur. Magistratus de iis cognoscunt, nisi de rebus agatur ad Ecclesiam tantum spectantibus. Nulla ergo ratio ejus abusus habenda est, qui in Ecclesiam Cenomanensem quoad Officii parvi distributiones irrepsit, quia non nisi præsentibus tribuendæ erant. Jurisprudentiam hanc omnia generatim Tribunalia sequuntur; id expressis verbis tradit Synodus Tridentina sess. 25. cap. 12. ejusque sanctio novam vim addidit Decreto Bonifacii VIII. c. *Consuetudinem in 6. Distributiones*, inquit Tridentina Synodus, *qui statis horis interfuerunt, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii Decretum, quod incipit, Consuetudinem, quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis & consuetudinibus*. Et quod inde consequitur, Canonici Cenomanenses, qui B. Virginis Officio non adfuerint, ad ejusmodi distributiones nullum jus habent, nec in Capituli, vel singulorum potestate positum est, ut absentibus eas concedant.

Neque vero Canonici Capitulum cogere possunt, dum B. Virginis Officium dicitur, quia ipsi a Choro absentes nequeunt distributiones lucrari; & reliqui Choro addicti illud interim recitantes non eximunt Canonicos ab obligatione, qua tenentur, in Choro consistendi, ibique canendi, quippe cum ejusmodi Vicarii sint instituti, ut Canonicis subsidio sint, non ut ab obligationibus, quibus subsunt, eosdem eximant: *Omnes divina per se, & non substitutos compellantur obire officia*, Tridentinæ Synodi verba sunt, *atque in Choro ad psallendum instituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter distincteque laudare*. Concilium primum Mediolanense Canonicos non canentes distributione privat; idem statuit Bituricense an. 1583. *titulo de Canonicis & Dignitatibus*, mutuaturque Pragmaticæ Sanctionis verba, ducta ex Capite, *Quomodo Divinum Officium sit celebrandum: cum psallendi gratia ibidem conveniant, muta, aut clausa labia tenere non debent; sed omnes, qui majori funguntur honore, in Psalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur*.

Verum Andegavensis Concilii Canon ad Officii parvi ob canendi obligationem statuendam sufficeret, etiamsi antea non extitisset, quandoquidem in Canone jam laudato occurrunt diserta verba hæc: *& ad hoc volumus astringi sub præcepto*. Concilium Coloniense, de quo in expositione dictum est, eamdem Constitutionem edidit, quemadmodum etiam Odo Parisiensis Episcopus.

Decisum Parisiis die 2. Januarii an. 1691.
A. de Lamet.

Decanus Capituli recitans Officium aliud, quam quod in ejus Ecclesia adhibetur.

CASUS IV.

1. *Capituli Decanus debet juxta propriæ Ecclesiæ praxim Divinum Officium recitare.*
2. *Præsertim cum canere debeat una cum cæteris, ut eum decet, qui aliorum caput est.*

QUÆSITUM.

Decanus Ecclesiæ, in qua nullum unquam aliud Officium, quam quod in Diœcesis Breviario continetur, recitari consuevit, potestne tuta conscientia ab eo recitando, ut Romanum Officium recitet, abstinere? Atque eo quidem magis, quod in Episcopi Mandato ad ejusdem Breviarii initium posito declaratur, eos, qui illud non recitaverint, Horarum præcepto minime satisfacturos, quamvis aliud Breviarium legerint. Confratribus porro id ei non nihil exprobrantibus, accedit in præsentia ad Ecclesiam cum Diœcesano Breviario, sed omnino simulate; ac sæpe Canonicis Matutini Lectiones ex Diœcesis ritu dicentibus, Primam ac Tertiam in Diurno Romano recitat.

Quæritur, an ille possit ita se gerere, quin Deo injuriam irroget? Isne formalis contemptus sit auctoritatis Episcopi, a cujus jurisdictione exempta quidem ea Ecclesia est, sed in ea tamen nunquam aliud Breviarium recitatum est, quam quod Episcopus suæ Diœcesi proposuit?

II. Estne tutus in conscientia Decanus hic, nec sentiendum est eum teneri fructus, quos percipit, restituere pro rata Officiorum Ecclesiæ, quæ minime recitat?

III. Potestne hoc in statu sacrum facere? Quique in eum auctoritate pollent, possuntne, ad ejus agendi rationem quod attinet, dissimulatione uti?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod quæstionem modo propositam vidit, & expendit, existimat, Decanum Capituli debere Divinum Officium dicere, prout in ejus Ecclesia dici consuevit, & cum Ecclesiæ Capitulique sit caput, oportere, ut & animo & ore Canonicis se conjungat, quandoquidem etiam una cum iis canere, & perinde atque illi, Dei gloriæ vacare debet. Quorsum enim ei, quemadmodum cæteris confratribus mandatur ut Divino Officio intersit, nisi ut illud eorum more persolvat, nempe canens, orans, laudansque Deum Ecclesiæ nomine, ita ut aliis exemplo sit, quoniam omnes & singuli Ecclesiæ Titulares hac obligatione tenentur? Hac de causa Pragmatica Sanctio ex Basileensi Concilio ducta pronuntiat Canonicos ad Ecclesiam accedere, ut psallant, nec eos clausis labiis, mutis similes, esse debere; & qui Dignitate cæteris præstant, debere canendis Psalmis, Hymnis, & Canticis ad Dei honorem incumbere; ita legitur in Titulo, *Quomodo Divinum Officium sit celebrandum?* Et Tridentina Synodus (a) *Sess. 24. de Reform. cap. 12.* hæc habet: *Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire Officia, ut Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire; atque in Choro ad psallendum instituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter distincteque laudare*.

Si ergo omnes & singuli canere, & Choro deservire tenentur, omnes profecto & singuli in idem Divinum Officium conspirent, & ad ea omnia animum convertant necesse est, quibus ad laudes Deo persolvendas Ecclesia utitur. Id cum ita se habeat, alia ab aliis Breviaria retineri, Officia alia recitari non possunt, quoniam standum est Breviario & Officio, quo Chorus utitur, in quod omnes una voce, unaque contentione convenire debent; & hac quidem generali regula Decanus Ecclesiæ non minus quam cæteri continetur. Major sane difficultas occurreret, si de Decano sermo esset, qui minime resideret, quique utpote a Choro absens, post Pii V. Bullam, una cum cæteris canere non teneretur; sed in eo statu accepta re, in quo hic Decanus versatur nulla superest difficultas.

Quod diximus, id S. Thomas definivit in hæc verba: *De electione Officii rationabiliter videtur, quod debet dicere Officium illius Ecclesiæ, in qua majorem habet gradum; puta si in una sit Decanus, & in alia simplex Canonicus, debet dicere Officium Ecclesiæ, in qua est Decanus . . . . Si autem fuerit in aliqua earum præsens, debet se conformare illis, cum quibus conversatur.*

(a) Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 12.

fatur. Navarrus pariter, ac Soto idem sentiunt; quibus addi posset auctoritas *cap. De iis*, & *cap. Placuit dist.* 12. & veterum Canonistarum, ut Archidiaconi, & Turrecrematæ in hæc eadem Capita; ut proinde Decanus, de quo quæstio est, cum Capituli sui Officium, quod Diœcesis Officium est, persolvere debeat, ejus quoque Breviario non uti non possit; nec ei justa causa suppetat, cur a cæterorum Canonicorum consuetudine, quæ ei legis loco esse debet, recedat; aliter peccaturus, nec minorem pœnam, quam cæteri subiturus; præsertim cum Bulla Pii V. peculiaribus Ecclesiis ea, quorum possessione jamdudum gaudebant, jura servaverit.

Et per hoc quidem responsum Consilium subscriptum singulis propositis quæstionibus se putat satisfecisse.

Decisum Parisiis hac die 6. Martii an. 1687.
Augustinus *de Lamet*.
Pirot.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

ORATORIUM.

Duplex est Oratorii Congregatio. Aliam quippe instituit S. Philippus Nerius, quæ Romæ, & in aliquibus aliis Italiæ locis existit. Sanctus hic Vir sacris Ordinibus initiatus an. 1551. collationes intra proprium cubiculum habendas suscepit eo cum successu, ut plurimis omnis conditionis hominibus convenientibus, locum amplum, spatiosumque, quem in Oratorii formam composuit, ab Administratoribus Ecclesiæ S. Hieronymi de charitate vulgo dictæ postulare coactus fuerit. In hunc igitur locum an. 1558. spiritualia exercitia translata fuere, quem locum S. Philippus non ante an. 1574. deseruit, ut ad Sancti Joannis Florentinorum Ecclesiam, in qua ad annum usque 1583. moratus est, se conferret; cum tamen Ecclesia, cui Vallicellæ nomen, an. 1575. ei data esset, consentiente Gregorio XIII. qui ejus Congregationem approbavit. Omnes ejus discipuli in hoc se domicilium contulere, unde Sanctus Fundator nonnullos abstraxit, ut ad similes institutiones Neapoli, in Fano Sancti Severini, Firmi, & Panormi edendas proficiscerentur. Nulla prorsus alia regula Sanctus Vir Congregationem suam, quam Morali Evangelii adstrictam voluit, quin ullis Monachalibus Constitutionibus subderetur. Hinc tanquam ex equo Trojano prodiere præstantes Viri, & Cardinales non pauci, quos inter Berovius, Terruggius, Colloredus, aliique.

Congregatio hæc edidit Decreta duo, qua animadversione digna sunt, quia sunt ejus duplex veluti fundamentum. Primum est, ut cum Sociis ex proprio Instituto nulli se Voto addixerint, sed mutuæ tantum charitatis vinculo sese devinxerint, semper in hac animi præparatione persistant, ne si forte contigerit, ut eorum aliquis Congregationem ad Vota adigere velit, ei omnino non auscultetur, etiamsi major numerus in ejus sententiam descenderet. Decretum alterum novis omnibus Congregationibus, nihil magis, quam suam ipsarum propagationem quærentibus satis oppositum ejusmodi est, ut ad omnem dissipationem, & confusionem, quam ingens Familiarum numerus affert, evitandam Congregatio hæc in una Romana Familia instituatur, quin ullam aliam administrandam suscipiat; Quod si aliis in Urbibus similes Congregationes ad Romanæ exemplum erectæ fuerint, ei non uniantur, ut unum corpus constituant, sed unaquæque Familia ei se conformans, ipsi se seorsim curet, ut proinde singulæ sint totidem corpora, vicissim nequaquam pendentia. Romanæ tamen unitæ sunt Familiæ tres, Neapolitana, Sancti Severini, & Anxani, in quarum postrema institutum est Seminarium; independentes sunt omnes aliæ.

Constat Oratorium Romanum P. Superiore, qui Præpositus, seu Pater appellatur, quatuorque Presbyteris deputatis, qui ei Adsistentium titulo ad administrationem inserviunt. Superior esse debet saltem ætatis anno 40. & Congregationis 15. Eligitur votorum pluralitate a Familiæ Presbyteris, qui ad decennium in ea morati sunt, nec ultra triennium in officio permanere potest, nisi elapsis annis tribus, in eo confirmetur. Ab eo pendet temporalis administratio, ejusque est in id incumbere, ne quid eorum, quæ necessaria fuerint, singulis desit. Alii Familiæ Ministri, quorum pariter officium trienni spatio concluditur, a Superiore una cum ejus quatuor Adsistentibus nominantur. Porro qui cooptantur, saltem 22. ætatis annum attigerint necesse est, qui vero 45. sunt prætergressi, Congregationi adscribi nequeunt. Cum trium annorum spatium in ea transegerint, Congregationis membra censentur, eorumque nomina in Familiæ Catalogum referuntur; tum vero non nisi ob errata gravissima expelli possunt; atque ut magis magisque sarta tectaque justitia servetur, omnes Presbyteri, quibus Congregationis decennium est, coeunt, ut de erratorum qualitate judicium ferant; suum quisque suffragium confert, & duplici tertia parte opus est, ut exclusio statuatur. Optandum sane foret, ut in omnibus sæcularibus Congregationibus eadem consilii ratio servaretur. Socii propriis bonis gaudent, qui vero in bonis non habent, eos Congregatio de suo alit, atque sustentat.

Presbyterorum Oratorii Congregatio altera Gallica est. Eam Petrus Berullius Parisinus, qui postea Cardinalis fuit an. 1611. sub Episcopi sui auctoritate Parisiis instituit. Sanctus hic Vir a Cardinali Gondio Episcopo Parisiensi ad hanc institutionem procurandam extimulatus, Lutetiam Parisiorum die Sancti Martini an. 1611. una cum Sociis quinque, iisdemque Ecclesiasticis se recepit. Constitit in quadam domo Suburbii S. Jacobi, cui nomen inditum Hospitalis Valesiani, cujus loco Vallis Gratiæ Monasterium extructum fuit. An. 1615. cum Sociis venit ad Hospitale *de Bauchage*; erecta deinque Ecclesia est, quam ii nunc possident in via Sancti Honorati prope Luparam. Piam Berullii institutionem probarunt boni quique; hujus inclyti Fundatoris votis annuit Deus, & opibus, atque auctoritate pollentes Viri ejus consiliis obsecundarunt. Regina tunc Regens ei concessit Patentes Litteras datas die 2. Januarii an. 1612. quibus statuitur Fundatio Familiæ & Congregationis in Urbe vel suburbio, Presbyterorum in societate viventium, quibus is potissimum finis propositus, ut ad Sacerdotalis Ordinis perfectionem contendant, atque ita ex Episcopi Parisiensis mandato semper in id incumbant, ut Christianæ doctrinæ rudimenta populo tradant, bonis exemplis, & catechesibus ad pietatis opera Fideles excitent, iisque omnibus generatim vacent, ad quæ Christi Domini Presbyteri ex institutione tenentur. Expressis quoque verbis in Ludovici XIII. Patentibus Litteris declaratur, ut hujus Congregationis, quæ Regiæ Fundationis titulo decoratur, Presbyteri, proprio Episcopo mandante,

Eccle-

Ecclesiasticis officiis operam navent. In acta relatæ fuerunt ex Litteræ in Parisiensi Senatu die 4. Decembris an. 1611. cum hac clausula: „ ea conditione, ut intra tres menses Episcopi, cui subjecti „ remanebunt, consensum afferant “.

Cum deinde Berullius Congregationis suæ per omnem Galliam propagandæ consilium iniisset, obtinuit a Paulo V. Bullam mensis Maii an. 1613. & ex eo quidem tempore magnopere aucta est Congregatio non solum in Regno, sed etiam in Belgio. Presbyteri, quibus ea ab initio constabat, Oratorio Romano sese admodum conformarunt. Cardinali Berullio fato functo, Oratorium novam regiminis formam suscepit. P. Carolus *de Gondren*, qui ei in Generalis munere suffectus fuit, in Congregatione an. 1631. Parisiis habita decernendum curavit, eorum statum mere Ecclesiasticum esse, nec eos votis ullis aut simplicibus aut solemnibus adstringi posse, & quicumque ad vota emittenda subditos adigere voluerint, vel ipsi eadem emiserint, etiamsi major eorum numerus fuerit, illos ex eo ipso tempore censendos esse se a Congregationis corpore separare. Decretum est etiam, ut Congregationis suprema potestas & auctoritas in corpore legitime congregato resideat, ejque Generalis subjectus maneat, & suffragiorum in omnibus sequi debeat, ita tamen, ut ipse duplici suffragio gaudeat. Nonnulla quoque statuta sunt, quæ ad Familiarum, quæ nunquam opulentæ fuerunt, temporalia spectarent. Hujus porro Congregationis sessione 9. dati sunt Generali Adsistentes tres, ad ejus potestatem circumscribendam, qui quoad temporalia negotia in Deliberationibus una cum eodem Generali decisiva voce gauderent. Declaratum præterea est, ut qui in bonis haberent, aliquam pensionem solverent, nulla operæ ab ipsis præstitæ ratione habita, quique Congregationi nomen darent, titulo non carerent.

Congregatio hæc nunquam ex eo tempore suos generales conventus tertio quoque anno habere destitit, quod non sine magnis impensis fit, Deputatis ex extremis Regni finibus eo convenientibus. Accedentibus initio statim bene multis Adolescentibus, quos exerceri necesse erat, Berullius cooptandos Collegas censuit, qui ad eorum institutionem incumberent. Iidem Patres suscepere Parochias, quarum aliquæ Familiis unitæ sunt, ad quas reditus pertinent. Denique Seminariis & Missionibus, in quibus egregiam Ecclesiæ operam navant, vacare cœperunt.

Quoniam ejusmodi Congregatio nullis omnino votis obstricta est, sequentis casus argumentum eo spectat, ut appareat, an Patres, & Confratres, ex quibus coalescit, Constitutionibus, quæ in Conventibus editæ fuerunt, se subdere debeant, ita ut peccent, si huic obligationi non satisfecerint.

Oratorii Presbyterorum Statuta.

C A S U S.

1 *Statuta Congregationis Oratorii in generalibus Conventibus edita sub peccati pœna obligant.*

2 *Peccatum hoc in aliquibus circumstantiis potest esse mortale.*

QUÆSITUM.

EXistit Ecclesiastica Communitas adamussim instituta, sed liberis personis constans. Habet illa statis temporibus generales Conventus, in quibus edit Statuta, quæ servari vult. Seniores quique Presbyteri, qui hanc Communitatem constituunt, e suis deputant ad Conventus, & Deputatos admodum ampla suo nomine agendi procuratione donant. En procurationis verba: „ Nos, & „ quidem invocato Sancto Spiritu tribuimus N. „ N. N. Deputatis facultatem & commissionem accedendi nomine Familiarum N.... ad generalem „ Conventum, sua suffragia præstandi, proponendi, „ tractandi, & definiendi omnia negotia, quæ ad „ eumdem spectant, promittentes fore, ut nos, „ quicquid actum fuerit, ratum habeamus, ejusdemque Conventus omnibus deliberationibus, & conclusionibus acquiescamus “. Conventus primus inter alia statuta hoc edidit, quod sequitur.

Nemo recipere poterit dona, cujuscumque pretii & qualitatis extiterint, ab iis, quibus in Congregationis officiis adsistit, ut ea in proprium commodum, & privatum usum convertat; sed quicquid hac ratione forinsecus adveniet, Superiori integrum relinquetur, & in Communitatis bonum conferetur.

Quæritur I. An peccet, qui ea sibi arrogat? Ex una parte videtur non ita esse; hujus enim Communitatis Constitutiones sub peccati pœna non obligant; ex alia parte videtur Statutum ita obligare, nec illud simplex reformatio esse, sed justitiæ obligatio, quam ejusdem Congregationis Presbyteris Conventus imponunt, qui quidem ultro promiserunt, se quicquid captum, actum, definitumque fuerit, æquo libentique animo probaturos. Ita porro Conventus statuunt cum ob alia, tum ob id imprimis, ut nempe privatis adimant occasionem & prætextum fovendæ cupiditatis, qua scilicet abrepti Ecclesiasticis officiis se idoneos reddere studeant, sordido sibi fine proposito; *gratis accepistis, gratis date*.

Iidem Conventus mandant Superioribus, ut eorum, qui adlaborant, rationibus consulant; quod si illi, & Œconomi facere negligant, privato cuique adeundus est Generalis, quem generosum, humanum, justumque esse omnes pro certo habere debent.

Præterea Communitatis hujus Familiæ fere paupertate laborant, & ægre subsistunt, eæque potissimum, in quibus suscipiuntur, qui nomen daturi veniunt, quorum bene multi non habent, unde anno pro pensionem solvant, quo quidem tempore nullum adhuc servitium exhibent Congregationi, quæ, juxta Conventus, haud plures recipere debet, quam ferre valeat; Conventus ipsi huic tenui proventui addixere stipendia, & inde Familiis subsidium afferri voluerunt; hoc posito

Quæritur II. Quatenus peccarent Presbyteri, qui contra Conventuum intentionem & Statutum stipendia sua retinerent; & ad quid ipsi tum quoad præteritum tempus, tum quoad futurum obligarentur?

Quæritur III. An Presbyteri, qui aliunde in bonis habent, nec re vera indigent, ut sibi stipendiorum suorum pars a Superioribus relinquatur tanquam proprie dictis pauperibus, eam partem, vel totum, quod etiam magis injustum videretur, tuta conscientia retinere possint; & quænam eorum, siquidem ita se gesserint, obligatio tam hactenus, quam imposterum?

Quæritur IV. An hujus Congregationis subditi, qui de propriis patrimonialibus titulis, qui cum effecti esse debent, haud se sustentant, nec suarum litterarum portorium solvunt, quamvis adlaborantes utrumque facere possent, peccent necne, & Congregationi restituere teneantur? Cum generales Conventus præcipiant, ut sibi quisque de proprii tituli reditu, quoad fieri poterit, vestitum comparet, suarumque litterarum portorium solvat. Ii porro, qui Familiarum impensis vivunt, sumptus longe majores faciunt, quam si ipsi se sustentarent; mitterent, acciperentque multo pauciores litteras. Familiæ nequeunt tot tantisque impensis absque gravi incommodo satisfacere.

Quæritur V. An Ecclesiarum Congregationi unitarum Parochi, qui fortuitos earum proventus sibi sumunt, ipsi quoque non peccent, nec restituere teneantur, cum in iisdem Conventibus declaratum fue-

fuerint, id ad eos minime pertinere, sed oportere, ut id omne tradant Superiori, qui ipsis tribuet, unde eleemosynas in Parochiarum suarum pauperes erogent?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet non id hoc loco in quæstionem vocari, utrum in Congregatione, de qua sermo est, Statutum existat, quod singulis eam componentibus, puta Concionatoribus, aliisve prohibeat, ne quid eorum retineant, quæ ex officiis, quibus in Congregatione funguntur, perceperint, sed potius quicquid iis hoc pacto forinsecus advenerit, Superiori tradatur, & Communitati cedat: hoc quippe Statutum constans firmumque est; quemadmodum etiam est æque certum, post Conventum primum, in quo editum fuit, illud ipsum in aliis deinceps non paucis firmatum, novaque auctoritate donatum esse; verum id maxime controverti, an Statutum hoc idem obliget, & quatenus?

Si hujus Statuti ratio ab origine repetatur, quoad eorum nempe, qui illud ediderunt, auctoritatem, eos quidem satis magna, cur ita statuerent, facultate instructos fuisse certum est. Paulus enim V. in eo Diplomate, quod die 10. Maii an. 1613. ad hujus Congregationis erectionem dedit, eidem potestatem tribuit condendi leges, & Statuta, prout Congregationis bono & utilitati expedire judicaverit. Præterea qui iis Conventibus interfuere, in quibus Statutum editum fuit, a Familiis, a quibus Deputati erant, procurationes legitimas obtinuerant, ut quæcumque ad Congregationis bonum necessaria, vel utilia credidissent, eadem statuerent. Non ergo Statutum hoc, quasi auctoritate careat, impugnari potest, vel allegari illud non fuisse perspectum; vel ejus obligationem præscriptam esse; quoniam, ut dictum est, illud ipsum in Conventibus deinceps habitis non semel firmatum fuit; quin ergo obligationem inducat, in dubium verti non potest. Quod si finis, seu rationes, quibus ad illud edendum, atque identidem iterandum Conventus permoti sunt, expendantur, intelligetur, illud sub gravis peccati pœna obligare, & Concionatores, Regentes, Confessarios, aliosque subditos, qui illud violaverint, restituere debere stipendia, munera, dona, & strenas, quæ perceperunt, quippe quod id omne ad Congregationem de jure pertinet, ita ut singuli, salva justitia, nequeant id sibi sumere; hæc nimirum Statuti verba sunt in septimo Congregationis Conventu.

Ut autem id in meliore lumine collocetur, animadversione dignum est, Congregationem, de qua sermo est, in Ecclesia institutam fuisse, ut Ecclesiastici Viri eam amplectentes Ecclesiastica ministeria perfectius obirent, & Sacerdotii Christi Domini sanctitatem honore efficerent, Sacerdotali dignitate integrius, puriusque fungentes. In eum finem I. Conventus ad cupiditatem & avaritiam, quæ singulos ad propria munia spe sordidi quæstus obeunda pertrahere posset, ex eorum animis extirpandam prohibuerunt, ne quis e subditis ea sibi sumeret, quæ ex Officiis in Congregatione peractis provenissent. II. Quia Congregationis non paucæ Familiæ sunt, quæ inopia premuntur, multique adsunt idonei subditi, qui bonis carent, ipsa proinde Congregatio Statutum hoc edidit, ut haberet, unde ejusmodi subditorum, ac Familiarum tam utili sustentationi prospiceret; cum enim Congregatio ipsa non satis proventuum habeat, ut impensis omnibus satisfaciat, profecto corrueret, nisi rationem excogitasset adigendi omnes & singulos Concionatores, aliosque in Congregatione existentes, operamque navantes ad sua stipendia Superioribus relinquenda, ut ita, quod deest, suppleri posset. Quamvis porro nullum hujusmodi Statutum existeret, naturale jus ipsum, ut videtur, id postularet; ex quo enim Societati quis se se dedit, ejusque membrum efficitur, nihil non agere debet, ut corpus, cujus quisque portionem constituit, sartum tectumque servet.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur.

Ad primam; hujus Congregationis Presbyterum quemque peccare, dum dona, seu stipendia ex propriis officiis percepta retinet, & in proprium usum convertit. Id ex eo maxime evincitur, quod in Statutis mandatur, ut de jure ac justitia ad Congregationem ea stipendia seu dona pertineant; addi & illud posset, eos, qui Congregationi nomen dedere, cum suas omnes sollicitudines, labores, ingenii, quo valent, usum, se denique totos ibidem Ecclesiæ servitio devoverint, multo magis propria stipendia, & quæcumque in Congregatione perceperint, emolumenta eidem tribuere debere.

Nec dici potest, Statuta hæc, ut Regulatium fere Ordinum Constitutiones, sub peccati pœna non obligare; in Constitutionibus enim articuli, qui Religionis substantiam afficiant, ab iis distinguuntur, qui externam tantum disciplinam respiciunt; hi quidem fere ipsi per se sub peccati pœna non obligant; at qui ad Religionem spectant in iis, quæ ad ejus essentiam pertinent, cujusmodi vota sunt, sub peccati pœna obligationem inducunt. Atque ita quidem de Statuto, quod est in manibus, pronuntiari potest; afficit enim Congregationis ipsam mentem, qua potissimum est instituta; & ad ejus statum, ac sustentationem refertur; nisi enim stipendia, seu dona a privatis percepta Superioribus traderentur, Familiæ, quæ eam componunt, ob tenues, quos possident, proventus subsistere omnino non possent. Ex quo apparet, ejus excidium, vel conservationem ab hujusce Statuti custodia, vel transgressione pendere; adeoque illud citra grave peccatum violari non posse.

Disputatio hæc solvendæ quæstioni secundo loco propositæ inservire debet.

Ad quæstionem tertiam quod attinet; ex dictis conficitur, cogiturque Statuta, quæ ad dona, ac stipendia spectant, Congregationis subditis id expressis verbis injungere, ut quicquid forinsecus advenerit, Superiori tradant; cumque in hujus Congregationis Conventu septimo pronuntiatum, stipendia, dona, & oblationes de jure & de justitia ad Congregationem spectare, Presbyteros, qui satis in bonis habent, nec indigent, ut stipendii sui partem Superiores sibi relinquant, partem hanc tuta conscientia retinere non posse; ac proinde ad præteritum tempus quod attinet, quicquid adversus Statutorum prohibitiones sibi sumpserunt, id omne ipsos Congregationi restituere debere.

Et sane cum Statuto firmatum sit, stipendia ad Congregationem juris ac justitiæ titulo pertinere, consequens proinde fit ea retineri non posse, quin justitia lædatur, & quod inde consequitur, quin restitutio facienda sit. Neque vero eo tantum fundamento nititur hæc obligatio, quod quicumque Congregationem hanc amplectuntur, ejusmodi Statutis se subdere, eademque acceptare censentur, dum Congregationi se dedunt; sed etiam quia Congregatio, dum eos acceptat, in se recipit se iis tum bene valentibus, tum ægrotantibus non defuturam, tametsi nulla animi dote emineant, vel operæ ad Congregationis utilitatem ac splendorem impendendæ impares sint; quæquidem conventio, seu expressa, seu tacita sit, satis gravis est, ut justitiæ obligationem pariat.

Quæstionum quartæ, & quintæ solutio pendet ex iis, quæ de eorum Statutorum obligatione dicta sunt, quæ ad eos spectant, qui ex titulorum suorum proventu sese sustentare debent, quique Parochias Congregationi unitas possident.

Denique ut hactenus dicta in pauca contrahantur, ostendaturque Statuta, de quibus agitur, sub gravis culpæ pœna, atque adeo ad restitutionem obligare; ejusmodi Statuta ex potestate, cui satis magna erat auctoritas, prodierunt, ea inferiores acceptarunt, gravibusque de causis, ad Congregationis conservationem spectantibus condita fuere; præterea Congregationem inter, & singulos congregatos reciproca conventio adest, quæ obligationem utrinque parit; ut nempe hi quidem ei se devoventes, obstricta fide, suas curas, suas personas, suam omnem industriam ejus servitio, bonoque exhibeant; Congregatio vero ipsa quoque se iis semper, quicquid demum contigerit, qua se cumque ratione, ibidem consistentes, habuerint, præsto fore promittat.

ne,

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut æquo animo scriptam proponant sententiam suam super casibus supra propositis, & super ea, quam ipsi exhibuerunt, decisione.

Præcedentis decisionis confirmatio.

Doctores subscripti ad solutionem, quam ad quæstiones primam, secundam, tertiam, & quartam attulere, magis magisque firmandam existimant addi posse Congregationis Statuta, quorum monumentum Consilio oblatum fuit, gravis culpæ obligationem conjunctam habere quoad eos, qui eadem ex habitu violant. Rem ita esse evincunt Conventus plures, & præsertim Conventus quintus an. 1675. Sane Congregationi visum fuisse plurimum interesse ea Statuta sancte ac religiose servari vel ex eo liquido constat, quod R. P. Generali, ejusque Consilio vehementer commendat, ut, quam maxime poterit, Statutorum in præcedentibus Conventibus editorum executioni invigilet; & in posteriore Conventu an. 1699. Deputati coram Deo rogantur, exoranturque, ut ad quærendas rationes Statutorum jam conditorum praxi accommodatas animum mentemque convertant.

Duo veniunt boc loco animadversione digna.

Primum est; dici non posse horum Statutorum violationem gravis errati loco habendam non esse, quia in iis, tum quoad spiritalia, tum quoad temporalia, Congregationis tantum disciplina spectatur; etenim respondetur, Statutum mandans, ut quod extrinsecus accipitur, Superiori tradatur, ad Congregationis, ut ita dicam, substantiam, ut in priore solutione probatum fuit, ejusque conservationem spectare. Ex quo fit, ut, licet Statutum boc multis ab hinc annis servatum non fuisset, non inde tamen legitime concludi possit, desuetudinem hanc præscriptionis speciem esse, quæ singulos in conscientiæ securitate ponat. Præterea desuetudo hæc eadem, esto subsisteret ex longo tempore, præscriptioni propriæ dictæ locum præbere non posset, quoniam omnes fere Conventus de statutorum neglectu semper questi sunt, &contra reclamarunt.

Alterum est; singularem sollicitudinem, qua Conventus Statutorum executionem commendarunt, & vehementem loquendi rationem, quam, ut id obtinerent, adhibuerunt, satis ostendere eorum, qui eadem non servant, aut violant nulla legitima causa ducti, peccatum leve non esse; immo vero id mortali peccato materiam præbere posse, quamvis ipsum per se grave non sit. Cum enim transgressio ex habitu est, tanquam Regulæ contemptus, & animi cordisque depravationis effectus spectari potest, id quod ad mortalem transgressionem constituendam sufficit ex doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 186, art. 9. ad 1. *Transgressores regulæ, quæ non obligat ad peccatum, possunt venialiter, vel mortaliter peccare, ex negligentia, vel ex libidine, seu contemptu.* Eadem ratione concludi posset, Superiores, qui ex mollitie, vel ex carnis prudentia frequentes transgressiones, ex quibus Congregationis excidium existere possit, corrigere neglexerint, gravis peccati reos esse: *Peccatum veniale, si inducat dissolutionem disciplinæ, facit mortaliter peccari, præsertim a Superiore, si non tempestive corrigat abusus de se quidem veniales, sed tendentes in subversionem Communitatis;* verba sunt Sylvii *in 2. 2. q. 33. D. Thom. art. 2. quæsito 2.*

Apparet ex bisce principiis Superiores non raro se Dei graviter offendendi periculo exponere, cum Statutorum ad Congregationis Spiritualem rationem spectantium executionem obtinere negligunt, ob eam causam, quod ea gravia esse non putent; quia nempe pravos futuros effectus non prævident, vel transgressionis impediendæ rationem non adhibent; causa exempli dum agitur, prout in Congregatione mandatur, ut identidem R. P. Generali, vel ejus Consilio ratio reddatur praxis singulorum familiæ; quoniam ejusmodi rerum, quamvis specie tenus exiguarum contemptus Congregationis bono graviter progressu temporis nocere potest. Satis ostendere debet experientia, quantum in præsentia Congregatio a prima institutione deflexerit, aut depravata fortasse sit; quod ejus futuræ destructionis ineluctabile argumentum foret, si, cum disciplinæ non mediocris mutatio contigerit, haud serio daretur opera, ut Statuta, quæ ejus rationem confirmant, ipsiusque fundamentum sunt, in usum revocarentur.

Quoad quæstionem quintam, quæ ad Parochias peculiaribus Congregationis familiis unitas spectat: horum Beneficiorum Titulares, deductis officiis, congruisque eleemosynis erogatis, fideliter, quod superest, Superiori tradere debent iis de causis, quæ in solutione allatæ sunt; non tamen omnes fortuitos proventus tenentur eidem relinquere, ab eo, quod ipsi placuerit concedere ad eleemosynas, accepturi. Hac enim ratione taxari & circumscribi videntur eleemosynæ, quas Parochus erogare debeat; id quod sæpenumero gravibus incommodis subesse potest, ut in casibus, qui ex improviso & inopinato contingunt, in quibus nempe ad Parochi charitatem spectat prompte ac large pauperibus opitulari. Quin igitur investigetur, quid Superiores, jure suo, quam late patet, utentes facere possint, satius & æquius fuerit Parochos eleemosynis erogandis, distribuendisque vacare, quin pendeant a Superioribus, qui non una eademque ratione animo affecti, possent plus minusve concedere.

G. *Fromageau*.

ORDINATIO.

ORdinatio est tum minores tum sacros Ordines conferendi actio, quæ ad Episcopos tantum pertinet: quamvis non defuerint Abbates, qui Tonsuram & minores Ordines tribuendi jus sibi esse contenderent. (*a*) Nemo igitur præter proprium Episcopum, ut Tridentina Synodus definivit, Ordinationis legitimus Minister est, nisi ejus dimissoriæ Litteræ impetratæ fuerint, quarum vi Ordines ex alio Episcopo suscipi possint. Quis autem proprii Episcopi nomine veniat, Bonifacius VIII. declarat, dum Clericum absque ipsius Superioris licentia Ordinibus initiandum non esse pronuntiat. Superioris porro nomine significatur Episcopus vel originis, vel domicilii, vel is denique, in cujus Diœcesi Beneficium possidetur. Non est omittendum, Tonsuram, quamvis proprie dictus Ordo non sit, non nisi tamen a proprio Episcopo, vel ab alio, eo quidem expressis verbis annuente, conferri posse, ut est in Capite laudato *Cum nullus*.

Possunt existere facti species, in quibus qui originis est Episcopus, proprius non censeatur; ut si conjux Oratoris, aut Ministri Principis in extera Regione pariat. Cum enim infans non ad hanc extraneam nationem, sed potius ad paternam spectare judicetur, proinde Episcopus ejus loci, in quo ille in lucem est editus, non ipsius proprius Episcopus est; ac si is labentibus annis Clericali militiæ nomen dare vellet, ad ejus Urbis Episcopum, in qua Pater domicilium suum tenet, Ordinationis gratia se conferret. Idem omnino statuendum de eo est, qui ibi natus esset, ubi transeuntis in modum existebat mater, quin prorsus de domicilio ibidem statuendo cogitaret, ut itineris tempore; id quod legi concinit præcipienti, ut filii patris sui domicilium sequantur, cujus proinde Cives habentur, non autem domicilium originis matris, licet ibidem nati sint.

(a) Concil. Trident. Sess. 23. de Reform. cap. 8. Cap. Cum nullus de temp. ordin. in sexto.

Episcopus domicilii est ejus Diœcesis Episcopus, in qua suam quis perpetuam moram, atque habitationem statuit, quamvis ibidem natus non fuerit. Quia porro multa conspirare debent, ut domicilii Episcopus cum damno Episcopi originis ordines conferre possit, fere ad Ordinum collationem quod attinet, nulla amplius ejus ratio habetur, præsertim in Gallia. Necesse est enim, ut, qui probare vult se cepisse consilium in eo loco, ubi natus non est, perpetuo habitandi, nec se ad eum locum, in quo ortum traxit, habitationis gratia redeundi voluntatem servare; maximam suorum bonorum partem eo transferat, sibique perpetuum aliquod officium ibidem comparet; ibique saltem ad decennium, quin incolatum intermitteret, eumque se deserere velle significaret, versatus fuerit; aliter quippe annorum decem, atque adeo viginti & amplius commoratio satis non esset ad Ordines ex domicilii Episcopo suscipiendos. Quamobrem domicilii Episcopus proprie in praxi quoad eum tantummodo locum habet, qui per annos tres, eosdemque continuos moratus fuerit in Episcopi ædibus ac familia, qui proinde vel absque Episcopi (*a*) originis dimissoriis Litteris potest eum ad Ordines promovere, dummodo eodem tempore absque ulla fraude eidem conferat Beneficium, ut loquitur Synodus Tridentina.

Ad Beneficii Episcopum quod spectat, quoniam omnia olim Beneficia residentiam exigebant, & in peculiari Ecclesiæ alicui officio addicta erant, quamvis exiguus reditus esset, ut ex Canonibus multis apparet, & ex Antiocheno præsertim Concilio, quod ait, si quis Presbyter, Diaconus, aliusve Clericus, quicumque demum fuerit, propriam Ecclesiam deserat, ut in aliam residendi causa se conferat, & pedetentim conetur in posteriore domicilium ponere, eum non amplius ad ministerii sui functiones obeundas admittendum fore, præsertim si eum proprius Episcopus, ut rediret, cohortatus fuerit. Hac de causa Bonifacius Pontifex juxta veterem Ecclesiæ morem statuerat, ut Beneficiis Episcopus Beneficiarii Episcopus esset; quia, cum Beneficiarius ex Beneficio in Diœcesi residere teneretur, facilius proinde ille de ejus vita, moribus, & qualitatibus ad sanctorum Ordinum susceptionem requisitis cognoscere poterat.

Verum ex quo posterioribus hisce sæculis bene multa videmus existere Beneficia, in quibus minime residetur, quæque Beneficia simplicia nuncupantur; certum propterea fit, quotiescumque ratio, propter quam beneficii Episcopum tanquam proprium Pontifex assignaverat, locum non habet, non nisi ad naturalem Episcopum, qui originis est, Ordinationis obtinendæ gratia, confugiendum esse. In hanc rem Gallicani Cleri Conventus an. 1665. prudenter animadvertet incommoda consequi, si Beneficii Episcopus tanquam proprius spectetur, quia Clerici non, ut olim, peculiaris Ecclesiæ servitio addicti sunt, sed inde ne commonefacto quidem Episcopo recedere, atque adeo Beneficia plura simplicia possunt in Diœcesibus pluribus possidere; quod proinde magnam perturbationem afferret, & apertæ Clericorum inobedientiæ locum præberet. Videri potest super hac controversia Decretum Pontificis Innocentii XII. mensis Novembris an. 1694. ad tollendos abusus quoad eorum Ordinationem, qui proprii subditi non sunt.

Declarat ibi Pontifex conceptis verbis nulli Episcopo, esto Cardinalis fuerit, licere Clericali Tonsura extraneum, qui ejus subditus origine non fuerit, insignire, quod ei vix tonsurato Beneficium se collaturum fore prætendat. Mandat præterea, ne quis Clericus a proprio Episcopo Tonsura, atque adeo quatuor minoribus Ordinibus initiatus, superiores deinde Ordines ab alio Episcopo suscipere valeat, cujuscumque tituli causa, seu Beneficii, quod in ejus Diœcesi possideat, nisi prius a proprio tam originis, quam domicilii Episcopo Litteras obtinuerit, quæ de ejus nativitate, ætate, moribus, vitæque integritate testentur; easdemque Litteras Episcopo, a quo est ordinandus, obtulerit, in ejus Episcopalis Curiæ acta referendas. Regulas deinde quoad domicilii Episcopum, & quoad eos, qui apud Episcopum triennii spatio perstiterint, servandas exponit. Quia porro Decretum hoc multis eodem spectantibus casibus solvendis inservit, en ejus exemplum.

Vide (EPISCOPI.
(ORDO.

Quinam sit quoad Ordinationem Episcopus.

CASUS I.

Constitutio Sanctissimi D. N. D. Innocentii divina providentia Papæ XII.

Qua plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus & fraudibus circa Ordinationes alienorum subditorum.

INnocentius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam Speculatores domus Israel qua est sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti, ea potissimum ab ipsis Pontificatus nostri primordiis pastoralis vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur, sacrisque addicuntur ministeriis, quippe quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur, tales sint, qui digne possint, Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.

Sane hoc inito consilio non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate & justitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac pie & fideliter in ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium assumi, sacrasque Ordinationes, juxta priscum Ecclesiæ morem, præscriptis a jure temporibus orationi & jejunio consecratis haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis indultis suscipiendi sacros ordines extra tempora hujusmodi, & interstitiis ad id designatis minime servatis, ultro nobis propositimus adhibendam rationem, qua videlicet servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minime præbeatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, ac recentes, discipuli simul ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a Majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac mul-

(*a*) Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 9.

niulto tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur; cæterum per ea ipsa indulta, quæ super præmissis parcius quidem, ac ex certis tantum, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitus improbata, salutarem illam, quam sacri Gener. Concil. Trid. decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint, præscribunt disciplinam, neqnaquam relaxatam intelligi; quinimo nec unquam ad indulta hujusmodi exeqnenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissime oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui juxta Apostoli monitum, nemini cito manus imponendas esse probe norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis Spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temere percipi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere prometetur. Omnes insuper & singulos cujuscumque tandem gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex hujns Sanctæ Sedis gratia sacros ordines præfatos extra eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit; cum divinos ordines largiri districti semper esse judicii oporteat, serio monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiose custodiant, nec eos cujusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ollatenus transgrediantur.

Verum quo impensins Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eo majori cum animi nostri dolore, ex quo quamplurium venerabilium fratrnm nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis regionibus existentium delatis ad nos querelis accepimus, graviora quotidie malignari inimicum in sancto, sacrilega scilicet illorum impudentia in die crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales ordines sibi forsan a propriis Præsulibus denegatos, seu quos aliqnibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quæ Jesu Christi, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent, oves in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot Canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum commeatu, hoc est dimissoriis, commendatitiisve eorum litteris destituti, quinimmo eis inscüs, & sæpe etiam invitis, sub minus legitimis Ecclesiastici Originis, domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ ordinantium Episcoporum commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitime suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, & nihilominus Tabernaculum Domini cum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, judicium absque misericordia sibi consciscunt. Deoque minime placentes, & tamen placare velle præsumentes, non modo enm non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret.

Hinc est, quod nos ex commissæ nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala hujusmodi penitus & omnino e medio tollere, ac irreligiosam contra facientium audaciam, quantum nobis ex alto conceditur, compescere & reprimere volentes, nec non felicis recordationis Urbani VIII. contra male ordinantes, & male ordinatos, quæ incipit: Secretis, aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, ac etiam conciliaribus hac in re editis constitutionibus, ordinationibus inhærentes, illasque quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenus opus sit, innovantes; de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ejusdem Concilii Trid. interpretum, qui quæcunque ante hac super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani populi ædificationem, hac generali nostra, & perpetuo valitura constitutione decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cujusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contracti non subditum ad Clericalem tonsuram promovere, cujusvis beneficii Ecclesiastici vi, statim ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, conferendi, seu ad quod is a Patronis jam præsentatus seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi beneficium prædictum de novo, ea expresse adjecta lege, fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post Clericalem characterem susceptum ad illud instituatur. Præterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eamdem Clericalem tonsuram, seu etiam ad minores ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo, ratione ac titulo cujuscumque beneficii in illius diœcesi obtenti, ad ulteriores ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales litteras proprii Episcopi tam originis, quam domicilii super suis natalibus ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit.

Licet vero Clericus ratione cujusvis beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinando pacifice possideatur, sublata quacumque facultate supplendi, quod deficeret, fructibus ejusdem beneficii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem seu alia quavis diœcesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit.

Cæterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas presentare teneatur.

At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

Subditus autem ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu se vere & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimen-

to obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

Ad hæc nullus Episcopus alienæ diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores Ordines, vel etiam primam Tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii Prælati testimonialibus litteris, ut supra, & nisi ad præscriptum Concil. Trid. præs. *Sess. 23. cap. 9. de Reform.* familiarem prædictum per integrum & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius definitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

Porro ut quicumque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus, & Apostolica auctoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originia, sive domicilii subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, ne dum ad formam Concilii Trident. supra dicti *Sess. 14. cap. de Reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam Ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis constitutionis forma & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis bene viso ad docendum de ejusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minime præstitisse compererit, a susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, interdicere possit.

Ita vero permissa omnia & singula perpetuo ac inviolabiliter observari, atque adimpleri volumus, & si quid in iisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem a collatione Ordinum per annum, Ordinatus vero a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis uterque subjaceat.

Decernentes pariter, easdem presentes litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempose quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter per quoscumque judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. S. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis præfactæ Nuntios, aliosve quoslibet, quacumque præeminentia & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique judicari, & definiri debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut præsentes litteræ in Valvis Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi floræ de urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim & personaliter intimatæ fuissent; quodque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decretorum, declarationis, voluntatis, statuti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, pridie nonas Novembris, Pontificatus nostri anno quarto.

B. Card. Prodatur.	J: F. Card. Albanus.
Visa de Curia.	J. Sacripantes.
	D. Ciampinus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno a Nativitate Domini Nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, indictione secunda, die sexta mensis Novembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Innocentii *divina providentia Papæ XII. anno quarto: supradictæ litteræ Apostolicæ affixæ & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Joan. Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ in acie campi floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam Orlandum, ejusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.*

Franciscus Ant. Simoncellus, Mag. Cursor.

Ordinatio cum imposita obligatione commorandi in Diœcesi, & in Ecclesiastico aliquo officio deserviendi.

CASUS II.

1 *Potest Episcopus inter ordinandum, imposita suspensionis pœna, mandare Clerico, ut in ejus Diœcesi Ecclesiæ deserviat.*

2 *Satius tamen fuerit, antequam ejusmodi suspensionem statuat, Episcopum, coacta Synodo, monere, Clericos, quos initiabit, priusquam ad Diœcesis Parochias valeant contendere, alicui Ecclesiastico muneri vacare debere.*

QUÆSITUM.

COmperio, Domine, dum Ordinationem perago, nonnullos, quos meæ Diœcesi vellem addicere, ut Vicariatibus, aliisque muneribus jam defuncti suscipiendæ animarum curæ se idoneos redderent, iisque saltem ad vitam sustentandam necessaria compararent. Mihi quidem in animo erat eorum Ordinationis Litteris ejusmodi obligationem apponere; verum dic tu, quæso, possim ne, te judice, eos, qui contra fecerint, suspensionis pœna mul-

mulctare; equidem in hac facti specie eam puto utiliorem; sed nescio, an æquitati consona futura sit; tu, velim, ad me mittas sententiam super hac re tuam, me ames, reputesque ex observantia singulari, qua me tibi maxime addictum profiteor, Episcopus S.

RESPONSIO.

Tametsi non is ego sim, Domine, qui multiplicandas, congerendasque Censuras putem, ne scilicet in ea rerum discrimina conjiciantur, e quibus sæpe non emergunt, vel ex ignorantia, vel ex contemptu; quoniam tamen casus ab Amplitudine Vestra propositus non levis momenti est, & hac quidem ratione non solum boni viri in Diœcesi detineri, verum etiam Clerici vacantibus Parochiis administrandis idonei effici possunt; proinde censeo Magnitudinem Vestram in Sacerdotalis Ordinationis Litteris mandare posse, ut Sacerdos quisque, antequam ad Parochiam aspiret, aliquem Vicariatum, vel aliud Ecclesiasticum munus obire sub suspensionis pœna teneatur. Ita Presbyteros ad tibi parendum adiges; aliter eosdem suspensos declarare poteris; eodemque jure gauderes in eos Clericos, qui ex tua Diœcesi, te inscio, recessissent, si in ejus Litteris declarasses, eum, te non annuente, sub pœna suspensionis recedere non posse, ut alio, commorandi causa, se conferat.

Id mihi quidem videtur congruere veteri Ecclesiæ menti, qua, dum quis Ordinibus insigniretur, alicui muneri addicebatur; quod sane argumento erat, eum ibidem consistere debere, nec alio, citra expressam Episcopi permissionem, abire posse.

Liceat mihi hoc loco addere, Præsul amplissime, satius fortasse fore, ut Episcopus, ante quam ejusmodi suspensionem statuat, in Synodo, vel per aliquod Mandatum moneat Clerum Diœcesis suæ, id sibi consilii esse, ut, qui Sacerdotium suscipere voluerint, teneantur post Ordinationem, & antequam Parochi renuntientur, in Vicariatibus, aliisve Ecclesiasticis officiis ad certum tempus sese exercere. Quod si deinde compertum fuerit declarationem hanc effectu carere; tum vero abs re non fuerit, post ejusmodi monitionem, ab Episcopo eam, de qua supra dictum est, suspensionem infligi. Non adeo ingenue tibi, Præsul, aperirem sententiam meam, nisi tu ita mihi in mandatis dedisses; tibi pareo, neque non sine humillima observantia profiteor &c.

Decisum hac die 23. Septembris an. 1699.
G. *Fromageau*.

Subdiaconi officium ab Acolyto peractum.

CASUS III.

Acolytus Subdiaconi officio fungens absque manipulo, & quin sacra vasa contingat, irregularitatem non subit, quia non id agit solemniter.

QUÆSITUM.

CUm Ecclesiæ nostræ Præbendatus Subdiaconi officium obierit absque manipulo, & quin sacra vasa tangeret: contendit Magnus Vicarius eum irregularem esse, ejusque beneficium esse impetrabile, id quod magnum hic rumorem parit. Ego ei allatis complurium Auctorum testimoniis ostendi Præbendatum hunc, qui Acolytus est, cum ad Altare absque manipulo ministraverit, irregularitatem in jure inflictam in eos, qui Ordinis, quo non sunt insigniti, functiones obierint, non subiisse. Sed ille ejusmodi testimoniis non acquiescit, & hunc juvenem Præbendatum adeo sollicitum habuit, ut suo jam beneficio se lapsum putet. Tu mihi pergratum feceris, si ad me super hac re consultationem nonnullorum ex vestris Doctoribus auctoritate firmatam mittas.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut quæstioni propositæ satisfaciat existimat, Præbendatum, qui, prout expositum est, Subdiaconi officium obiit, irregularem non esse, quia non egit *ex officio, & solemniter*, quod requiritur, ut contrahatur irregularitas inflicta in Jure, titulo *de Cleric. non ordinat. Minist.* Ut enim *ex officio & solemniter Ordinis functiones obeantur*, fiant oportet cum ejus Ordinis propriis insignibus, eædemque ita Ordinis annexæ sint, ut nunquam in Ecclesia ab iis, qui hoc Ordine instructi non fuerint, peragantur. Jam vero Præbendatus hic Subdiaconi munia non obiit cum Subdiaconi insignibus; eademque præterea passim ab iis peraguntur, qui nondum sacros Ordines susceperunt, ut videre est in Ecclesiis Campestribus, aliisque, ubi non semper ordinatorum Ministrorum satis adest, qui solemnibus Missis deserviant.

Consuli possunt super hac difficultate Bonacina & Barbosa, (a) qui complures in hanc sententiam Auctores afferunt.

Decisum in Sorbona hac die 1. Januarii an. 1693.
G. *Fromageau*.

Dimissoriæ litteræ ad Ordines in aliena Diœcesi suscipiendos.

CASUS IV.

Episcopus extra suam Diœcesim existens Dimissorias litteras ad sacrorum Ordinum susceptionem Diœcesanis suis, quos servitio Ecclesiæ præstando idoneos crediderit, concedere, iisque permittere potest, ut ab ejus loci, in quo versantur, Episcopo Ordines suscipiant.

QUÆSITUM.

EPiscopus extra Diœcesis suæ terminos in quadam Episcopali Urbe non paucos e suis Diœcesanis in quadam Episcopali Urbe obvios habuit, a quibus rogatus, ut Dimissorias litteras, quarum gratia a loci Episcopo Ordines suscipere possent, concederet, haud se facilem præbuit, quod extra Diœcesim esset. Quamobrem quæritur, an non liceat Episcopo in aliena Diœcesi versanti ejusmodi gratiam propriis Diœcesanis concedere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Episcopum, quamvis in propria Diœcesi non sit, Diœcesanis suis Dimissorias litteras concedere posse, si Ecclesiæ expedire judicet, eos ad Ordines promoveri. Id autem ex eo evincitur, quod cum potestas hæc voluntaria jurisdictione nitatur, sine clamore Dimissoriæ litteræ conceduntur, nihilque impedit, quominus, ubicumque Episcopo visum fuerit, eæ concedantur. Hæc Glossæ sententia est in *C. Novit, de officio Legati, verb. Terminos*, cui fere subscribunt Auctores, ut apud Laymann (b) videre est.

Decisum Parisiis hac die an. 1674.
Aug. de Lamet.

CASUS V.

Ordinatio, cui aliquid deest.

QUÆSITUM.

CLericus Ordinationis tempore languore correptus, posteriorem manuum impositionem suscipere non potuit: debetne in Ordinatione subsequente eamdem supplere, priore non iterata?

(a) Bonacina Tom. 1. disp. 7. q. 3. punct. 6. n. 3. Barbosa in cap. 1. de Clericis non ordin. minist.

(b) Laymann lib. 1. tract. 4. c. 3. n. 4.

RESPONSIO.

Quæris ex me, occasione Clerici, cui, cum in Presbyterum ordinaretur, secunda manuum impositio conferri non potuit, nec verba, *quorum remiseritis*, &c. pronuntiari, an ille re ipsa Presbyter sit, dicique possit, quo tempore naturale Christi Domini Corpus consecrandi potestatem accepit, eo ipso tempore potestatem eam accepisse, quam in ipsius Christi corpus mysticum Ecclesia in Presbyteris agnoscit?

Fidenter respondeo, posteriorem manuum impositionem, quam Clericus, de quo agitur, viribus Ordinationis tempore deficientibus, suscipere non potuit, supplendam esse. Sunt sane Theologi bene multi, qui posteriorem hanc impositionem non nisi accidentariam quamdam cæremoniam esse contendant; videndi super hac re Pater Morinus *de Sacr. Ord. in 3. p. exercit. 3. c. 2.* Diana 8. *p. tr. 5. Resolut.* 42. Isambertus *disp. 3. art. 3. de Sacr. Ord.* Laymann *l. 5. c. 5. de Sacr. Ordin.* Bassæus *tom. 2. v. Ord. n. 2.* Censent e contra Theologi alii hanc posteriorem impositionem esse peculiarem, & quidem Sacerdotalis Ordinationis essentialem materiam; ut proinde in hac sententiarum varietate cautius, tutiusque fuerit, ne forte Ordinatio incompleta sit, id servari, quod in Decretalibus Innocent. III. & Gregorii IX. *de non iterandis Sacramentis* præscribitur in hæc verba: *Caute supplendum, quod omissum fuit.* Hæc sententia est Gamachii *c. 4. de Sacr.* Ordinis, & Isamberti loco laudato; qui quidem impositionem hanc essentialem esse pro certo habentes, Ordinationem iterari nolunt; quia nempe cum potestas in naturale corpus, & in corpus mysticum Christi Domini duplex, eademque prorsus distincta potestas sit, quam suis Apostolis idem Dominus distinctis temporibus contulit, unam quidem, antequam mortem subiret, aliam vero, cum a mortuis resurrexisset, hæc proinde posterior potestas supplenda est: *Ordinatus in Presbyterum sola priori ordinatione sine posteriori*, Isamberti verba sunt, art. 3. *non debet iterum ordinari priori ista materia, & cæremonia, quia illa fuit valida, cum ea Christi Domini institutione sit independens ab altera, sed in tali casu, alio tempore ad ordines conferendos statuto per Ecclesiam, secundum ordinationem, quæ fit per manum Episcopi, esse faciendam, ut sic Presbyteralis Ordo adæquate ei conferatur, sicque tantum esse supplendum, quod in tali ordinatione fuerat incaute prætermissum.*

Pyrrhingus *tom. 1. tit. 16. n. 5. de non iter. sacram.* hanc ipse quoque sententiam amplectitur.

Decisum hac die 29. Decembris an. 1703.
G. *Fromageau.*

Ordinatio vi Dimissoriarum litterarum post ejus Episcopi mortem, qui easdem concesserat.

CASUS VI.

Dimissoriæ litteræ post concedentis Episcopi mortem vim suam retinent, cum ejus permissio revocata non fuerit.

QUÆSITUM.

Clericus Dimissoriis litteris ad Subdiaconatum suscipiendum instructus mortem audit Episcopi sui. Datæ porro erant litteræ ad Episcopum, qui nominatim designabatur.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut aperiant sententiam suam, videlicet an Clericus hic anno jam de licentia peracto, Præsuli, ad quem Dimissoriæ missæ sunt, se sistere possit, & an idem Præsul possit tuta conscientia post dimittentis Episcopi mortem ei Subdiaconatum administrare?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ita quidem in Jure statutum esse: *Mandatum finitur morte mandantis.* Verum hoc loco non agitur de Mandato, quod inferiori tribuit Superior; sed potius de gratia per Episcopum consummata, semperque vel post ejus mortem vigente, siquidem revocata non fuerit. Ex quo enim Dimissoriæ litteræ concessæ sunt, gratia in ejus, cui est concessa, favorem est, adeoque est consummata. Ita quidem Auctores nostri Galli sentiunt, ut Rebuffus *in praxi tit. form. litt. Dimissor. n. 43.* ubi ita loquitur in hanc rem: *Unde tenendum est, quod gratia ista per mortem Episcopi non expiret, quando ab eo est jure concessa*; Cabassutius quoque *l. 1. c. 14. nn. 7. & 8. in praxi*, qui plures in eamdem sententiam Auctores laudat, additque in peculiaribus Ecclesiis hanc vulgo consuetudinem obtinere: *est autem communis*, inquit, *paulo ante allegatorum Doctorum sententia, & aliorum, quam etiam firmat passim Ecclesiarum consuetudo circa Dimissorias.* (a) Super hoc etiam negotio consuli possunt Sanchez *l. 8. disp. 28. n. 84. de Matrim.* Pyrrhingus *tom. 1. p. 416. n. 594.* Diana 8. *p. resol.* 99. qui bene multos affert Auctores idem sentientes, Navarrus *tom. 1. dist. 6. n. 34. in cap. Placuit pag.* 587. Homobonus *pag.* 42. (b)

Hinc illud inferri potest, Clericum, de quo quæstio instituta est, ad Episcopum in Dimissoriis litteris nominatum accedere posse, ut Subdiaconatum suscipiat; ex quo fit, ut idem Episcopus omnino legitime Ordinem eidem conferre possit.

Decisum hac die 29. Decembris an. 1698.
G. *Fromageau.*

Ordinatio per Coadjutorem, cum ab Episcopo negata fuisset.

CASUS VII.

Regularis, quem proprius Episcopus ab Ordinibus repulit, suspensionem subivit, Ordinibus ab ejusdem Episcopi Coadjutore susceptis.

QUÆSITUM.

Petrus cujusdam Monasterii Regularis a suis Superioribus ad Ordines missus respuitur ab Episcopo, quod ejus receptionem simoniæ labe pollutam fuisse suspicetur. Regularis hominis Superiores & consanguinei Episcopum adeunt, eique tam aptas rationes afferunt, ut ille sententiam mutet, seque Ordines Petro collaturum promittat. Ergo Quadragesimalibus Quatuor Temporibus advenientibus accedit Petrus; sed Episcopus oblitus obstrictæ fidei suam priorem sententiam renovat, rogantique Petro, suamque causam vehementer agenti auscultare non vult, & acriter excandescit. Idem tamen Petrus non abstinet ab examine, cui Episcopi Coadjutor, postridie collaturus Ordines præsidebat; interrogatur, admittitur, & postridie Subdiaconatum, deinde Diaconatum, postremo Presbyteratum suscipit, quin ullam unquam de proprii Episcopi reprobatione mentionem fecerit. Quæritur, an Petrus ita subreptitio modo initiatus sit suspensus, & irregularis, quippe qui Subdiaconi munus, ante susceptum Diaconatum, obierit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat Petrum, qui, proprio Episcopo refragante, Subdiaconatum suscepit, in suspensionem lapsum esse. (c) Ita sentit Cardinalis Toletus, dum loquitur in hunc modum: *suspendantur, qui absque licentia, vel legitima ætate, vel extra tempora ordinantur.* Porro dubitari non potest, quin Petrus Ordines susceperit, invito Episcopo proprio, qui permissionem rotundis verbis ei denegaverat; nec potest excusationem ex eo sibi quærere, quod manuum impositionem acceperit a proprii Episcopi Coadjutore, qui se Subdiaconum, Diaconum, Presbyterumque creaverit; quoniam Coadjutor hic non magis, quam quivis alius Extra-

(a) Vide cap. si cui de præb. in 6.
(b) Barbosam in hoc cap. Basil. Pontium c. 19. §. de matrim. Layman de leg. q. de privileg. n. 18.
(c) Tolet. Instr. Sacerdot. l. 1. c. 15. n. 4.

traneus Episcopus proprius Petri est; & quicquid ille in proprii Episcopi Diœcesi facit, non sua ipsius auctoritate facit, sed Episcopi Diœcesani cujus ipse locum tenet, prorsus ut quivis alius Episcopus, qui, si a proprio diœcesano Episcopo facultatem obtinuisset, Petrum in eadem diœcesi initiasset.

Est igitur omnino certum, Petrum in suspensionem revera incidisse, ut decisum est in Capite, *Eos*, (a) & apertius in Tridentina Synodo statuente, ut a proprio Episcopo quilibet ordinetur. *Quod si quis*, Synodi verba sunt, *ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, cujusvis etiam generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statatis temporibus permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur; si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.*

Decisum Parisiis die.... Martii an. 1694.
G. *Fromageau.*

Ordinatio furtive recepta.

CASUS, VIII.

1 *Qui se furtim immiscet iis, qui adsunt initiandi, tonsuramque ab extraneo Episcopo recipit absque proprii Episcopi Commendatitiis litteris, graviter peccat, Censuras tamen non subit.*

2 *Debet nihilominus a proprio Episcopo redintegrationem obtinere, vel ad Pontificem confugere, ut beneficia possidendi sit capax.*

QUÆSITUM.

Cum Adolescens annorum septemdecim Clericali militiæ nomen dare cupiens, obtinendæ Tonsuræ causa, proprio Episcopo se stitisset, & ab eo, peracto examine, rejectus esset; sibi irrogatam injuriam contendens, per Notarium in jus vocandum curavit Episcopum, ut reprobationis rationes aperiret; cumque Episcopus non respondisset, ille cum protestatione sibi consulendi, reprobationis actum suscepit.

Ad Metropolim deinde se contulit studiorum gratia, ibique reprobationis actu nequaquam usus, Ordinationis die se Tonsurandis immiscuit, initiatusque est ab Archiepiscopo, qui ipsum ex eorum numero esse credidit, qui sibi propositi fuerant, quosque ad Tonsuram admiserat. In præsentia Adolescens anxius, & pœnitentia ductus Sorbonæ Doctores rogat, ut sibi disertis verbis edicant:

I. In quo tandem ipse defecerit, Tonsuram ita suscipiens?

II. Quas pœnas subierit, atque ullisne Censuris sit irretitus?

III. Quid, ut suam culpam diluat, facere debeat?

Responsio.

Consilium subscriptum censet: 1. Adolescentem, qui, cum Clericalem statum amplecti vellet, ab Episcopo rejectus est, admodum temere fecisse, dum proprium Antistitem, ut sibi Tonsuram tribueret, in jus vocandum curavit, & per Notarium abnegationis actum sumpsit, quia Clericalis status non est suscipiendus, nisi propric dicta vocatio, & requisitæ qualitates adfuerint. Jam vero ille ex Episcopi sui dissensu satis intelligere debebat, sibi vel vocationem, vel qualitates ad Clericalis vitæ rationem ineundam necessarias deesse. Ratio est, quia jus est Episcopo, quos judicaverit, ad Ordines admittendi, vel ab Ordinibus repellendi, prout definit Tridentina Synodus: *Ordinandi non sunt nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum*, *Sess.* 21. *c.* 2. Itaque potest ille rejicere, quos voluerit, ut eadem Synodus monet *Sess.* 14. *c.* 1. *ex quacumque causa*, negationis suæ rationem nemini penitus redditurus, *etiam*, ut Synodus loquitur, *extrajudicialiter*. Quod si hac facultate gaudet Episcopus quoad sacros Ordines, potiore jure gaudet quoad Tonsuram, quæ non nisi status Ecclesiastici janua est, ac proinde ab eo, prout Ecclesiæ suæ expedire crediderit, aperiri, claudique potest.

Adolescens hic cum in Metropoli versaretur, ad Tonsuram furtim irrepsit, & quod inde consequitur, ex eorum numero est, de quibus Joannis *cap.* 10. ait Christus Dominus: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.*

II. Canonica pœna, quam ille contraxit, irregularitas est, nempe canonicum impedimentum, quo se prorsus ineptum reddidit ulli beneficio possidendo, suscipiendis Ordinibus, atque adeo Tonsuræ functionibus obeundis. Eo fundamento nititur decisio hæc, quod docentibus Theologis, & Canonistis, qui furtim Ordines suscipit, inscio scilicet ordinante Episcopo, irregularis evadit, Suarez, Filiucius, & Bonacina, qui eos laudat in tractatu *de irregularitate ex susceptione Ordinum proveniente*, tuentur sententiam hanc. Idem de eo sentiendum, qui furtim Tonsuram suscepit, quia hoc in casu eadem prorsus Tonsuræ, atque Ordinum ratio est. Cabassutius *c.* 14. *de litteris Dimissoriis.*

III. Adolescens hic ut ab ejusmodi irregularitate liberetur, ad Superiorem, qui ab ea liberandi potestate polleat, confugere debet, si ejus culpa occulta est, Episcopus eum absolvendi jus habet, vi potestatis a Tridentina Synodo Sess. 24. c. 6. eidem concessæ; quod si notoria est, adeundus est Pontifex. Rebuffius Romanæ Curiæ rescripto opus esse; idem statuit Bonacina ob eam causam, quod Episcopus, ante quam Ordinationem instituat, fere excommunicationem in eos pronuntiat qui furtim accesserint; ex quo ita concludit: *ita irregularitas est regulariter Papæ reservata*. Quamobrem Consilium censet, oportere, ut ad Pontificem Adolescens confugiat, ingenue factum exponat, & Rescriptum, quod obtinebit, ad litteram exequatur.

Decisum Lemovici die 27. Augusti an. 1692. A. G.

Post hanc decisionem Adolescens Magno Vicario confessus est ejus Metropolis, ubi Tonsuram furtim obtinuerat, ut a suspensione, vel irregularitate, quam incurrerat, absolveretur. Magnus Vicarius, a quo absolutus est, eum monuit, ut ad Episcopum suum rursus accederet, Tonsuram ab eo suscepturus. Rogatur Consilium, ut edisserat, proponatque solutionem super insequentibus difficultatibus; nempe,

I. An Magnus Vicarius eum ab irregularitate liberare potuerit?

II. An hic Adolescens possit iterum Tonsuram sumere?

III. Si id fieri nequeat, quid ei facto sit opus, ut Tonsuræ Litteras ab Archiepiscopo obtineat; proprioque Episcopo, cujus auctoritatem contempsit, satisfaciat?

IV. Facta hypothesi eum a Magno Vicario liberatum non fuisse, quid Adolescens agere debeat, ut propriam conscientiam in tuto ponat?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Adolescentem graviter deliquisse, quod suo cum Episcopo tam parum reverenter egerit, ut eum initio statim, quemadmodum fuit expositum, in jus vocaret. Est enim prorsus indubitatum neminem in Clericalem ordinem irrepere debere, quem non proprius Episcopus Diœcesis suæ bono utilem aut necessarium existimaverit. Ita statuit Tridentina Synodus loco supra laudato, & *Sess.* 23. *de Reform.* c. 16. *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis*. Ad quæ verba Barbosa pronuntiat: *Nullum posse contra prohibitionem sui Prælati ordinari, aut de illo conqueri, seu ab eo appellare, eo quod illum ordinare nolit, resolvit Aloysius Riccius in praxi rerum fori Ecclesiastici resolut.* 693.

Et sane Episcopus eo adigi nequit, ut ei Tonsuram vel Ordines conferat, quem in conscientia indignum putat. In hac facti specie nemo conscientiæ Episcopi Judex aut Superior est; potest ille, si velit, dicere, cur abnuerit, potest etiam non dicere. Id animadvertit Barbosa *n.* 54. *in Sess.* 23. *c.* 2. *de* Re-

(a) c. Eos de tempore ordinand. in 6. & 9. q. 1. Concil. Trid. Sess. 23. cap. 8. de Reform.

Reform. Tridentinæ Synodi; *Cum hæc verba (nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos) denotent boni viri arbitrium, hoc est volantatem rationi submissam. Ideo si Episcopas non interponat arbitrium, Deum solummodo judicem habebit; ac proinde non dabitur appellatio, quia Superior non potest animum & conscientiam inferioris immutare.*

Quamvis aurem fere se ita res habere debeat; nihilominus ex Romanæ Curiæ disciplina quia fieri potest, ut sine fundamento xb Episcopo respuatur ta, qui Ecclesiastici status amplectendi maximn desiderio serveat, si ille, ut ait Fagnanus in *cap. ad aures de temp. ordin.* ad Romanam Cusiam confugerit, delegabitur Metropolitanus ut cognoscat, quibus de causis Episcopus sit refragatus, ac si forte non satis graveacausæ ei presto suerint, eum Metropolitanus poterit ad Ordinea promovere; *Tum denique quia si abuterentur, subditi haberent remedium recursus ad Sedem Apostolicam. Ideoque cum olim de hoc dubitatum esset quoad Episcopos, Sacra Congregatio re ad Gregorium XIII. delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in dataria, videlicet quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendam esse Metropolitano, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario prius requirat, cur recusaverit: quo causam legitimam non allegante, liceat illi eam clam recusatum ordinare.* Videri super hac re potest verbalis sententix Cleri *an. 5660. p. 559.*

Id vero magis locum habere deberet, si quis beneficium cuipiam conferre veller, qui, ut illud obtineret, Tonsura opus haberet, aut si ageretur de Clerico, qui ratione tituli, aut dignitatis xd sacros Ordioes ascendere reneretur. Hanc sententiam peobare videtur Barbosa, dum in *cap. 1. Sess. 14. de reform. n. 5.* pronuntiat, quamvis appellationi non sit locus, si Episcopus Ordines conferre nolit, Superiorem tamen adiri posse, ut rationes, ob quas Ordines postulati fuerint, ei declarentur: *Quod si admittar appellatio, non tamen recursus.*

Ea porro de causa potissimum peccavit hic Adolescens, quod furtim, & sine dimissoriis Litteria a Metropolitano Tonsuram receperit, nullam ille tamen Censuram, nullamve irregnlaritatem subiisse creditur. Nullus enim expressus occurrit in Jure textus qui ullam ejusmodi pœnam importet; ac si textus ii, quos afferunt, qui affirmantem partem tuentur, intimius expendantur, intelligetur sermonem ibi de iis tantum esse, qui Ecclesiasticum statum xmplexi jam fuerint, de Tonsura vero nequaquam.

Regula est vulgo recepta, cum de pœnis agitur, stricta significatione, & ex rigore, summoque jure res accipi. Jam Tonsura, si stricte ac proprie loquimur, Ordo non est. Eadem ratione cum de odiosis rebus est sermo, nunquam disputatur a pari, quia quam maxime possunt, restrioguntur: *odiosa restringenda.* Itaque cum nullus in Jure textus adsit, qui de Tonsura diserte sit, Adolescens, de quo quæritur, nullam Canonicam pœnam subiit; ac si quam pœnam subiisset, suspensio ea potius, quam irregularitas foret. Porro in hac facti specie veri nominis suspensio esse non potest; nullam enim Tonsuræ propriam functionem adjunctam habet, cujus exercitium per eamdem Censuram suspendi possit.

Cardinalis Tuletus *l. 5. c. 49. n. 5.* loquens de Tridentina Synodo, quæ *Sess. 23. c. 8. de Reform.* suspendit eos, qui Ordines absque proprii Episcopi permissione susceperint, ait Cardinalium Congregationem declarasse, locum hunc de Tonsura nequaquam intelligi.

Quoniam porro Adolescens hic nullam Censuram contraxit, nullamque irregularitatem, prout quidem supra dictum est; supervacaneum proinde fuerit super quæstione prima ulterius progredi.

Ad secundam quæstionem quod attinet: licet Tonsura, ut fert communis opinio, characterem omnino non imprimat, non tamen iterari debet. Sane cum adolescens, inscio proprio Episcopo, eamdem susceperit, ea nulla est, ad effectum quod pertinet, at nulla non est, quod spectat ad substantiam, ut loquitur Bonacina: (*a*) *Irrita est quoad executionem, licet non sit irrita quoad substantiam.* Idem statuit Toletus (*b*): *collata tamen ab alieno, non est iteranda.* Navarrus (*c*) pariter: *Ordo Clericalis acceptus a non suo Episcopo non debet iterari, sed approbari, & ratificari per Papam, vel suum proprium Episcopum juxta caput Lugdanensis 9.q.2.*

Et sane quoad hic Adolescens a Superiore Ecclesiastico redintegretur, nec Clericxli privilegio gaudere, nec Beneficium obtinere potest. In eo existit ad id inhabilitas, quæ irregularitas quidem proprie non est, sed eamdem tamen vim habet, ad effectum quod attinet; atque ille æque Beneficii incapax spectandus est, ac qui Tonsuram non suscepit omnino.

Quoad quæstionem rertiam; Cum dictus Adolescens Metropolitano satis graves probationes attulerit, se ab eo Tonsura insignitum esse, hic Prælatus ei actum concedere poterit; tum vero cum Adolescens nullam suspensionem subierit, nullumque contraxerit Canonicum impedimentum, quod sit reservatum: nihil ut videtur, impediat, quominus a proprio Episcopo, siquidem ita expedire judicaverit, in integrum restituatur; cumque ille ab eo legitimam satisfactionem acceperit, ei actum tribuere poterit, quo declaret se assentiri, ac pro certo habere Tonsuram ei a Metropolitano collatam perinde valere, ac si eam ipse contulisset.

Quamvis autem id Episcopus absolute facere possit, ne tamen Adolescens aliquid inde negotii subeat, si causa exempli de Beneficio contenderet, creditus, ut ille se tutius gerat, oportere, ut proprio Episcopo consentiente, ad Romanam Curiam mittat, obtinendi causa Litteras *periade valere.* Rebussus, & Fevretus tuentur sententiam hanc; Rebussus quidem sua praxi Beneficiaria, titulo *de litteris Dimissoriis* n. 5. *Unde si quis*, inquit, *a non suo Episcopo Tonsuram sumpserit sine Dimissoriis cautela est, ut impetret litteras periade valere a Papa, ut illa Tonsura periade valeat ac si data esset, & concessa a suo fuisset Episcopo; & hoc antequam alios sumat Ordines, & antequam eidem conferatur beneficium.* Fevretus verso in tertio libro de abusu *c. 4. n. 3.* Cabassutius loco in expositione laudato affert Rebussi sententiam, eamque probare videtur.

Demum ut quartæ ac postremæ quæstioni satisfiat, Adolescens, de quo quæritur, si ad Pœnitentiæ Tribunal accesserit, absolvi potest; dummodo erratorum omnium ex animo eumdem pœniteat, atque ipse velit ei satisfactioni, quæ ex eo requiri merito potest, peragendæ se subdere.

Decisum hac die.... Novembris an 5692.
G. *Feomageau.*

Ordinatio in aliena Diœcesi recepta.

CASUS IX.

1 *Abbas proprii Episcopi jurisdictioni subjectus non potest Religiosos suos Episcopo Diœcesis ab ea, in qua residet, distinctæ Ordinibus initiandos tradere.*
2 *Pœnæ, quas Abbas, & Religiosas initiatas in hac facti specie subireat.*
3 *Episcopus Abbati sub Censurarum pœna prohibere potest, ne suam auctoritatem, suumque jus hoc pacto eludat.*

QUÆSITUM.

IN Diœcesi Titii Episcopi N.... est Abbatia, a qua pe et Præpositura, quæ in aliena Diœcesi sita est. Cum Abbas ei præsentasset Religiosum e suorum numero, ut Ordinibus initiaretur, eum respuit Episcopus; itaque Abbas Religiosum suum repulsum ad Præposituram misit extra Titii Diœcesim positam, eique ab Episcopo, a quo ea pendet, Ordines impetravit. Quamobrem Doctores consulti rogantur, ut definiant,

I. An ejusmodi Ordinatio legitima, & Canonica sit?

II. An non censenda sit *in fraudem recepta?*

III. Quas pœnas subierit Religiosus, qui hac ratione se Ordinibus initiandum curavit? Ac nullasne pœ-

(*a*) Bonacina tom. 3. de susp. in 2. art. q. 1. p. 11. n. 21.
(*b*) Tolet. l. 6. c. 7. n. 1.
(*c*) Navarrus l. 5. Concil. de Temp. Ord. Concil. 51. n. 3.

pœnas incurrerit ejus Abbas, Ordinationem eam molitus, passive?

IV. Gaudeat necne Episcopus jure prohibendi vel sub Censurarum pœna, ne hic Abbas Religiosos suos in alia, quam propria Diœcesi initiandos curet?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Abbatiæ Episcopo subjectæ Religiosum ab alio quam Diœcesano Episcopo Ordines suscipere omnino non posse. Ne enim in præsentia ad examen revocetur privilegium illud, quod Regulares ante Tridentinam Synodum prætendebant, ut nempe Episcopum, a quo Ordinibus insignirentur, eligere possent; ad præsentem facti speciem definiendam, satis fuerit animadvertere, Concilium *sess. 23. cap. 8. de Reform.* generalem regulam ponere, quæ tam Sæculares, quam Regulares complectitur, in hæc verba: *unusquisque autem a proprio Episcopo ordinetur*. Videri possunt in hunc Concilii locum Barbosa, Peyrinis *de privil. Constit. 2. Sixti IV. n. 33.* Tamburinus *tom. 2. de Jur. Abb. l. 1. c. 18.* Pelizar. *tom. 1. tr. 8. c. 2. sect. 3. q. 5.* Sanchez *opusc. l. 7. Consil. dub. 20. n. 45.* Post Concilium, Cardinalium Congregatio ad ejus explicationem instituta Decretum edidit an. 1596. a Clemente VIII. confirmatum, in quo statuitur, ut Regularis non nisi ab Episcopo loci, ubi ejus Monasterium existit, Ordines suscipiat: *Congregatio Concilii censuit Superiores regulares posse suo subdito item regulari, qui prædictis qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, is regularis positus fuerit.* Addit Congregatio opus omnino fore, ut Superior bona fide quoad Diœcesanum Episcopum agat, nulloque prætextu eum evitare studeat: *dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus vel abfuturus, vel nullas habiturus esset Ordinationes.* Subdit Congregatio, Superiorem eo ipso in casu, quo bona fide agens Religiosum ad alium Episcopum mitteret, in Dimissoriis suis declarare debere se ita facere, quod Episcopus absit, vel Ordinationem non habeat: *Verum cum Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel Ordinationes non habente, litteræ Dimissoriæ dabuntur, in eis utique ejusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse.* Denique si Superior regularis huic Decreto refragetur, mandat Congregatio, ut propria dignitate, atque activa & passiva voce privetur, aliasque præterea pœnas subeat, prout summo Pontifici visum fuerit: *quod qui non fecerint, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & privationis passivæ, ac alias arbitrio ejusdem Sanct. D. N. Papæ reservatas pœnas incurreat.* Decretum hoc affert, & explicat Tamburinus loco appellato.

Hoc posito, respondetur ad propositam quæstionem primam;

Hanc scilicet Ordinationem Canonicam non apparere, quippe quæ ab alio, quam ab ejus Abbatiæ, in qua Regularis is degit, Episcopo edita fuerit; eam porro regulis adversari constat ex eo, quod Abbatia Titio subjecta est; præterea, ut statuit Sanchez loco laudato, cum Religiosus exemptus non est, si ab alieno Episcopo Ordines suscipere velit, Dimissorias litteras a Diœcesano Episcopo, non autem a Superiore Regulari sumere debet, quia id pertinet ad Jurisdictionem quasi Episcopalem, quam Prælatus Regularis in hac facti specie non habet, cum Dimissorias concedere nequeat: *Religiosi non exempti debent Ordinibus initiari ab Episcopo, in cujus Diœcesi commorantur, vel cum litteris dimissoriis illius, a quocumque Episcopo; nec possunt Prælati regulares his Religiosis dare reverendas. Ratio, quia hic actus est jurisdictionis quasi Episcopalis, at ea hos non habent Prælati regulares hanc jurisdictionem, cum subsint Episcopo, in cujus Diœcesi commorantur; sic etiam habetur expresse cap. 3. de temp. Ordinat. in 6.* Cum ergo Religiosus, de quo agitur, a proprio Episcopo dimissorias Litteras non acceperit, consequens fit, ejus Ordinationem Canonicam non esse.

Ad alteram; Ordinatio hæc censenda est *in fraudem recepta*; cum enim Religiosum hunc Titius ab Ordinibus repulisset, ille paulo post ad Præposituram, quæ pendet a Diœcesi B. ab Abbate missus est, ut Ordines reciperet, quos subsecutæ Ordinationis tempore re ipsa recepit; ac si Religiosus idem haud ita multo post susceptos Ordines ad Monasterium suum rediit, est profecto, cur Abbas de mala fide accusetur.

At si Abbas ipse, non spectata Titii recusatione, Religiosum suum ad eam Præposituram misit, ut ibidem consisteret; ac si Religiosus, facta hypothesi eum a proprio Episcopo rejectum fuisse; quod minus idoneus esset, eo temporis intervallo profecit in studiis, & capax evasit: Episcopus B. ei Ordines conferre potuit, nec in hac facti specie jure posset malæ fidei suspicio in Abbatem cadere, vel ut minus Canonica Ordinatio improbari. Pendet id ab examine facti, & circumstantiarum, atque adeo juris, quo gaudet Abbas, Religiosos suos, quo sibi placuerit, mittendi, non expectata proprii Episcopi permissione, quamvis ei cæteroquin ipse subjectus sit.

Ad tertiam; facta hypothesi tum Religiosum, tum Abbatem in hoc negotio mala fide laborare; ille quidem in suspensionem a Tridentino Concilio cap. 8. Sess. 23. inflictam incidit; hic vero pœnas in Congregationis Decreto paulo ante in medium adducto declaratas subivit.

Ad quartam; potest Episcopus, imposita Censuræ pœna, prohibere, ne Abbas sibi subditus, omnino ut ejus jurisdictionem evitet, Religiosos suos in exteram Diœcesim Ordinationis gratia mittat; quia nempe, ut monet Tamburinus loco citato n. 6. Superior ita se gerens mortaliter peccat, proprioque Episcopo injuriam irrogat, quem contra jus fasque privat jure, quo pollet, Diœcesanos suos ordinibus initiandi, quod satis est, ut Titius Censuram incutere possit.

Decisum hoc die 12. Maji an. 1698.

G. Fromageau.

An Ordinatio Regularem Professionem confirmet.

CASUS X.

Religiosus, sacris susceptis Ordinibus, vota sua tacite non confirmat, quippe cum Ordinum susceptio, & regularis professio duæ diversæ res sint.

QUÆSITUM.

Cum Adolescens Mendicantem Ordinem professus esset, intra quinquennium reclamavit. Contendit ille non solum se professionis tempore liberum non fuisse, sed eam quoque ob alias essentiales causas nullam esse. Cum porro daret operam, ut vota sua nulla declararentur, mater, quæ in Regulari statu filium firmare volebat, ut reclamationis effectum averteret, eum cohortata est, ut Presbyteratum susciperet, simulans se ei, cum sæcularis evasisset, Beneficium impetraturam. Ergo ille suscepit sacros Ordines, tum ne Matri reluctaretur, tum spe beneficii, quod sibi proponebatur; semper tamen in semel imbibito consilio perstitit obtinendi, ut professio, quam emiserat, nulla declararetur.

Hoc posito, illud in quæstionem vertitur, isne Religiosus, susceptis sacris Ordinibus, professionem suam confirmasse censeatur? Ea est dubitandi ratio, quod eos *sub titulo paupertatis Religiosæ* suscepit; ex quo eum se Religiosum fassum esse contenditur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, eum, qui professionem ex libertatis defectu, aliisque de causis nullam se emisisse contendit, qui reclamavit intra quinquennium, qui pergit in id incumbere, ut vota, quæ edidit, nulla declarentur,

non

non censeri ea tacite confirmasse, dum sacros Ordines *sub titulo paupertatis Religiosæ suscepit*, in ea potissimum, de qua agitur, facti specie; Ordinum quippe susceptio, & Regularis professio distinctæ res duæ sunt, ut ait Navarrus *tom. 1. comm. 4. de Regul. n. 72.* ita ut una posita, non continuo ac necessario altera consequatur. Præterea quamvis Religiosus, subdit idem Auctor, qui reclamandi jus habet, & cujus vota nulla sunt, proprium Ordinis habitum deferat, in Capitulo suffragii jure gaudeat, aliisque Religiosi Professi officiis fungatur: non proinde tamen a reclamatione cessavit, aut vota confirmasse censetur; quamquam hæc ad Regularem professionem propius accedunt, quam Ordinum susceptio: *susceptio Ordinum etiam sacrorum, durante metu, vel justo impedimento reclamandi non sufficit ad præsumendum eum tacite professum; tum quia id nullo jure speciali cavetur; tum quia susceptio Ordinis res est separata a professione, & a separatis non infertur; tum quia solus actus Professo proprius, qualis est præstatio suffragii in Capitulo, & gestatio habitus Professorum, non sufficit ad illud, ut mox dicetur; qui tamen est propior professioni, quam Ordinum susceptio; ergo neque hæc sufficit.*

Sibi deinde Navarrus difficultatem proponit, nempe præsumendum non esse quempiam peccare velle, ac Religiosum, cujus professio nulla est, quod eam metu coactus ediderit, ex titulo, quem non habet, Ordines suscipere velle; atque ita præsumendum potius esse, eum ad Ordines accedentem ultro suam priorem professionem firmare. Tum vero ita respondet: *non, inquam, non obstat, tum quia æque facile potest hæc dilui, ac argumentum, quod fieret ad probandum hujusmodi metu ingressum ratificasse professionem per actus Professo proprios, quos non potest bene facere non ratificata professione; tum quia omnia diluuntur, respondendo, quod illa regula fallit, quando ex præsumptione bonitatis actus alicujus, resultaret aliquod agenti damnum.*

Auctores bene multi subscribunt Navarri sententiæ, ut Sanchez *de Matrim. disp. 37. n. 43.* Rodriguez *qq. Regul. tom. 3. q. 17. a. 16.* Bonacina *de Clauf. q. 2. p. 10. diff. 5. a. 3.*

Objici posset declaratio diei 20. Decembris an. 1619. Congregationis Cardinalium, quoad Regularium negotia, quæ nempe declarat Religiosum sacros Ordines suscipientem Professum censeri.

Sed respondetur, declarationem hanc illud pro certo ponere, eum, qui Ordines post Novitiatum suscepit, tacitam Professionem edidisse censeri: *Sacra autem Congregatio respondit, quod susceptio Ordinum professionem tacitam inducit.* Declarationem hanc affert Barbosa *l. 1. jur. Eccl. disp. 42. a. 167.* Cum porro Professiones tacitæ in Gallia non recipiantur, contra rem, quæ in manibus est, ex hac declaratione nihil inferri potest (*a*).

Hinc illud consequitur, Religiosi, de quo quæritur, Matrem, quæ prava machinatione usa in causa fuit, ut filius Ordines susciperet, ei patrimonialem titulum tribuere debere juxta Ecclesiæ regulas, cum nulla declarata fuerit ejus Professio.

Decisum in Sorbona hac die 6. Junii an. 1695.
G. *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

ORDINES.

ORdinis Sacramentum signum externum est, quod Initiatis Ecclesia tribuit, quoque iis ad functiones aliquas obeundas spiritualis potestas confertur; ita nempe definit Sententiarum Magister: (*b*) *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*; id quod D. Thomæ conforme est.

Ordo est proprie dictum novæ Legis Sacramentum, quod gratiam confert, ut docte D. Paulus; dum ad Timotheum ita scribit: *propter quam causam admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* S. Leo in Epistola ad Dioscurum de Ordine verba faciens nobis præcipit, ut „ percipiamus, quo zelo, quaque devotione præstandum sit, ne sanitæ devotionis „ Sacramentum cum negligentia peragatur; “ & Tridentina Synodus (*c*) id expressis verbis definit, probatque, dum ait, cum certum sit, ut re ipsa est, ex sacris Litteris, ex Apostolica Traditione, ex unanimi Patrum sententia per Ordinationem, quæ verbis, & signis externis fit, gratiam conferri, neminem dubitare debere, quin Ordo proprie ac vere ex septem Ecclesiæ Sacramentis unum sit.

Ex eodem Concilio post Carthaginense IV. videtur Ecclesia omnes Ordines septenario numero comprehendere, ut sint Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, denique Presbyteratus. Eam porro divisionis hujus rationem affert D. Thomas, quod Ordinum distinctio petenda sit ex ratione, qua ad Eucharistiam singuli referuntur, propterea quia potestas Ordinis traditur vel ad Corporis & Sanguinis Christi Domini Consecrationem, vel ad aliquod ministerium, quod eamdem consecrationem respiciat. Presbyteratus, seu Sacerdotium primum illud officium spectat; quamobrem consecrandi potestatem Presbyteri, dum ordinantur, accipiunt; cæterorum Ministrorum cooperatio vel ad Sacramentum refertur, vel ad Sacramentum ipsum suscipientes. Diaconus, Subdiaconus, & Acolytus ad Sacramentum cooperantur; Diaconus illud distribuens, ut olim erat in more positum; Subdiaconus materiam præparans consecrandam in vasis sacris, & Acolytus eamdem præparans in vasis non sacris. Ordines reliqui ad eos præparandos sunt instituti, qui Eucharistiam sunt suscepturi. Quamvis autem Episcopatus Ordo sit, & veri nominis Sacramentum, in quo Episcopi characterem suscipiunt, non inde tamen sequitur Ordines plures esse quam septem, quia Episcopatus Presbyteratum in se continet, cum Episcopus Presbyter primus sit; atque adeo Sacerdotium proprie unus tantum Ordo est, qui in Episcopatum, & Presbyteratum dividitur. Docet id Anacletus Pontifex in sua Epistola tertia, in qua Episcopatus & Presbyteratus distinctionem declarat.

Tonsura non est Ordo, sed simplex tantummodo cæremonia, in Ecclesia ex Apostolica Traditione instituta, quam qui suscipit, a sæculo secernitur, Deum in hæreditatis suæ partem eligit, atque ita ad Ordinum receptionem se comparat. Prioribus Ecclesiæ sæculis nulla prorsus aderat quoad capillos, habitum, omnemque exteriorem speciem Clericos inter Laicosque distinctio, id nempe nil aliud fuisset, quam citra necessitatem sese exponere persecutioni, quæ sane semper in Clericos, quam in simplices Fideles sævior erat. Verum cum habitus distinctio esset, visum est expedire, ut Clericalis habitus ex Episcopi manu non sine precibus & cæremoniis Ecclesiasticis sumeretur, statutumque fuit, ut hæc habitus susceptio ad omnes Ordines præparatio, & ad Clerum aditus esset. Ii, quibus Tonsura tribuitur, confirmati esse debent, quia priusquam Clericus quispiam sit, eum perfectum Christianum

(*a*) Vide Pelizarium tom. 2. t. 8. cap. 2. n. 166.
(*b*) Magister Sent. in 4. dist. 30. D. Thom. supplem. q. 34. art. 2. in corp. 2. ad Tim. cap. 1. S. Leo Epist. 81. ad Discor. c. 1.
(*c*) Conc. Trid. sess. 23. c. 3.

ſtianum eſſe neceſſe eſt. Simplex Clericus nullam quidem proprie functionem habet aliam, quam ut cum alba Eccleſiæ Officiis adſiſtat, minorum tamen Ordinum munia obire poteſt.

Hi porro minores Ordines quatuor ſunt. Sunt Oſtiarii, quorum eſt æra campana pulſare, Eccleſiam & Sacriſtiam aperire & claudere; prædicanti librum recludere, intra proprios cancellos quemque ſiſtere, Populum ſcjunctum a Clero, viros a fœminis, & cavere, ut ſilentium, ac modeſtia ſervetur. Sunt Lectores, quorum eſt Libros ſacros, quos Populo legebant, cuſtodire, & Lectiones canere. Sunt Exorciſtæ, qui Cathecumenos exorcizabantur, & manus Energumenis imponebant; ſed nunc temporis id muneris obeunt Presbyteri. Denique ſunt Acolyti, qui agebant Epiſcopi nuntios, Eulogia deferebant, atque adeo Euchariſtiam primis Eccleſiæ temporibus, ad Altare Diaconis inſerviebant, & ad Sacrificium vinum & aquam præparabant.

Debet Subdiaconus continentiam ſervare, titulum habere, certam videlicet ſubſiſtentiam, atque integrum Eccleſiæ Officium ſaltem privatim recitare; quippe qui Eccleſiæ ſervitio addictus cum ſit, debet ei ſaltem precibus, quas Deo offert, ſiquidem peculiarem aliam functionem non habeat, deſervire. Hinc eſt Officii recitandi obligatio. Quod ſi conjugatus in Subdiaconum ordinetur, ejus conjugem aſſentiri, eodem tempore continentiæ votum edere, & in Monaſterium ſe recipere neceſſe eſt. Subdiaconi officia ſunt, vaſa ſacra ad Miſſæ Sacrificium neceſſaria parare, & Epiſtolam canere.

Diaconi gaudent inſtitutione in ſacris Litteris indigitata, & in univerſa ſemper Eccleſia Diaconi fuere; Ordinantur illi quemadmodum Presbyteri per manuum impoſitionem, & quidem Populo conſentiente. Sed eodem tempore Epiſcopus eis Evangeliorum librum tangendum exhibet, quia præcipuam poteſtatem recipiunt, ut Epiſcopo & Presbytero in Miſſæ Sacrificio deſerviant, & Evangelium in ſolemnibus Miſſis legant. In Eccleſia primitiva pluribus aliis muneribus fungebantur.

Omnino neceſſe eſt, ut Presbyter anni ſaltem ſpatio Diaconus fuerit, & vigeſimum quintum ætatis annum attigerit, vel inchoaverit. Ejus capiti ambas Epiſcopus manus imponit, omneſque, qui adſunt, Presbyteri ei pariter manus imponunt. Ei Cathecumenorum oleo Epiſcopus manus intrinſecus conſecrat; tangendumque eidem offert Calicem vino plenum, & Patenam cum pane, ei Sacrificii Deo offerendi poteſtatem impertiens. Ei denique Epiſcopus iterum manus imponit, inquiens: Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata, &c. Eum jubet obedientiam promittere. Itaque duplex diſtincta poteſtas confertur hoc Ordine, una in naturale Divini Filii Corpus, in ejus myſticum Corpus altera. De Epiſcoporum Ordinatione nihil hoc loco, cum alibi dictum fuerit.

Ordines in fraudem recepti.

CASUS I.

1 Eccleſiaſticus in Diœceſi natus, in qua Canonicatum poſſidet, Beneficium in alia Diœceſi ſuſcipere non potuit, ut ibidem ordinaretur, quin id in fraudem faceret.

2 Cenſuras proinde in Jure contra ejuſmodi fraudem inflictas ſubiit.

3 Si ita ſe geſſit, ignorans bona fide ſe Cenſuram incurrere, at tutius agat, a ſuis functionibus abſtinere, & ſe redintegrandum curare debet.

QUÆSITUM.

Subdiaconus e Diœceſi A .... ubi natus eſt, ubi domicilium habet, ubi Canonicatu gaudet, Beneficium obtinuit in Diœceſi B ..... in qua per *Extra tempora* Ordinationis die Diaconatum, & poſtridie Presbyteratum ſuſcepit. Tum vero ad Diœceſim, in qua Canonicatum poſſidet, reverſus eſt. Interrogatus ſuper hac agendi ratione, pronuntiat ſe crediđiſſe licere ſibi ita ad Ordines tuta conſcientia non ſine multis ejuſdem loci exemplis accedere; porro Epiſcopum B. non niſi re ſedulo ponderata, ut proinde nullus omnino ſcrupulus ſupereſſet, ad ſibi conferendos Ordines deveniſſe, idoneis Theologis ita fieri poſſe teſtantibus. Interrogatus, an cum abiit Ordines ſuſcepturus in Diœceſi B ..... conſilium habuerit nec ne ad Diœceſim, in qua eſt Canonicus, redeundi: reſpondit, ita ſane. Demum interrogatus, an cum petiit Beneficium B .... cujus vi Ordinibus initiatus fuit, ea mente fuerit, ut ibi conſiſteret, degeretque; fidenter reſpondit, id ſibi ſemper conſilii fuiſſe, ut ad ſui Canonicatus A ..... ſervitium rediret. Super hac facti ſpecie rogantur Sorbonæ Doctores, ut ad ſequentes quæſtiones reſpondeant.

I. Quodvis Beneficium ſatiſne eſt ad Ordines in aliena Diœceſi ſuſcipiendos?

II. An non opus eſt, ut Beneficium ſufficiat ad titulum conſtituendum independenter a patrimonio, quod requiritur?

III. Eccleſiaſticus, qui Beneficio potitur *in fraudem* ſibi propoſitis Ordinibus ab alieno Epiſcopo ſuſcipiendis, an non Cenſuris ſubeſt a Jure inflictis in eos, qui ita ſe gerunt?

IV. Quid ſit, Beneficium in fraudem ſuſcipi, & undenam cognoſcatur, illud ita ſuſceptum eſſe?

V. Tunc ne, cum ſuſcipitur, ut proprii Epiſcopi Juriſdictio vitetur? An non eo animo iniri cenſetur, cum Beneficium adeo tenuis proventus eſt, ut Clerici titulo conſtituendo ſit impar, cumque is, qui Beneficium init, jam alium obtinet in Diœceſi, in qua commoratur, an non cenſetur ſecundum hoc Beneficium ſuſcipere *in fraudem*, & quia eſt, cur vereatur, ne tam cito, ac tam facile a proprio Epiſcopo ad Ordines admittatur?

VI. Clericus, de quo quæritur, cum in his omnibus circumſtantiis verſetur, nonne Beneficium, cujus gratia Diaconus aut Presbyter initiatus fuit, *in fraudem* ſuſcepiſſe *in foro exteriori* cenſendus eſt?

VII. Contraxitne ſuſpenſionem, & cum deinde celebraverit, irregularitatem?

VIII. Quoniam bona fide ſe celebraſſe contendit, quin ſe ulla Cenſura innodatum crederet, & a proprio Epiſcopo juſſus ſtatim ab Ordinum ſuorum officiis abſtinuit, credine poteſt irregularis non eſſe, eique vel jurato fides adhiberi?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ putat, ex Jure Canonico *C. Nonnullas, de temp. Ordin. in 6.* (a) licere Clerico ab originis Epiſcopo, ab Epiſcopo domicilii, a Diœceſis denique, in qua Beneficium obtinet, Epiſcopo Ordines ſuſcipere; hæc Rebuffi, & Fevreti ſententia eſt. Vide Synodos, Andegavenſem an. 1293. Aquiſgranenſem an. 1585. Lingonenſem an. 1404. in quibus proprii Epiſcopi nomine venit Epiſcopus vel originis, vel domicilii, vel Beneficii.

In Cleri quidem Congregatione an. 1655. Galliarum Epiſcopi ægre admodum id amplecti potuere, quod in Bonifacii VIII. Decretali traditur, ad eos quod attinet, qui ab Epiſcopis ſuſcipiunt Ordines in iis Diœceſibus, in quibus obtinent Beneficia, nihil tamen iis oppoſitum, quæ in Decretali continentur, ſtatuit ea congregatio; cohortata ſolum eſt Epiſcopos, ut hanc regulam cuſtodirent, ut eos nempe tantummodo, qui ſuis in Diœceſibus nati

(a) Sainte Beuve t. 2. caſ. 13. Cabaſſut. in praxi l. 3. c. 16. n. 5. Bochel in Act. Eccl. Gall. lib. 3. c. 44. 74. 89. Rebuff. in praxi n. 19. tit. de Clericis & a quibus. Fevret, de abuſu l. 3. c. 4. n. 1.

nati essent, Ordinibus insignirent. Hoc posito respondetur;

Ad primam, & secuodam quæstiones, Beneficium quodvis ad Ordines in alieoa Diœcesi suscipieodos sofficere, dummodo congrui tituli locum tenere possit. Ita sentiunt Barbosa, Garcias, Fagnanus, (*a*) cujus verba insra afferentur, Henriquez, Sanchez, Diana: *Dat Reverendus Episcopus*, inquit Henriquez, *in cujus Diœcesi habet Beneficium quamvis tenue*. Et sane in Juris Capite supra laudato simpliciter atque indiscriminatim dicitur Clericus evadere subditus ejus Episcopi, *in cujus Diœcesi Beneficium Ecclesiasticam obtinet, seu habet*. Piacesiua, Bonacina, aliiqne nonnulli putant Beneficium ad Ordinandi sustentationem satis esse debere; sed eorum assertio non est communior.

Ad tertiam; Ecclesiasticum Beneficio potitum *in fraudem*, ut ab extero Episcopo ad Ordines promoveatur, subire Censuras, quas in eos Jus infligit, qui ejusmodi fraudem admiserint. Hæc Piacesii ad marginem appellati sententia est: *Caveri debet, ne Beneficium conferatur in faudem, quasi aliquis extrahatur ex aliena Diœcesi; talis enim fraus non prodesset. Cap. Eos qui juncta. Glossa V. Figmento de temp. Ordin. in 6.* Ita etiam sentit Barbosa: *Decimo declaratur, ut non procedat, si Beneficiam obtentam fuerit in fraudem, quia tunc non juvat quoad susceptionem Ordinam. Gloss. in cap.* Eos qui *V. Figmento de temp. Ordin. in 6.*

Disertus est in hunc rem Fagnanus, commemoratque de Cardinalium Declaratione, qua quæstio deciditnr. In præclari Canonistæ verba: *Id verius & tutius videtur exemplo Clerici primæ Tonsuræ, qui Beneficiam obtinet in aliena Diœcesi; nam etsi promoveri possit ad minores Ordines ab Episcopo Beneficii quantumvis tenuissimi ad præscriptam caput* Cum nullus, *de tempore Ordin. in 6. tamen si illud Beneficium sibi in fraudem conferri curaverit, ut eludat examen, & judicium sui Ordinarii, censetur male promotus, & remanet, suspensus ab executione Ordinum, tanquam Ordinatus a non suo Episcopo, juxta caput 8. sess. 23. Trident. ut S. Congregatio declaravit.*

Cum Episcopus Cadurcensis an. 1662. super simili controversia Cardinalium Tridentini Concilii Interpretum Congregationem consuluisset: respondit illa, Clericum Beneficio potitum in fraudem, ut nempe Ordines ab Episcopo alieoo susciperet, suspensum esse, ac si deinde suorum Ordinum munia obiisset, irregulatem: *Congregatio Concilii sæpius declaravit, tametsi quis possit ordinari ab Episcopo loci Beneficii; si tamen adeptus sit Beneficiam in fraudem, esset male promotus; ac si in susceptis Ordinibus ministraverit, irregularitatem contrahere: etenim an ipsa fraus intercesserit, & legitimis conjecturis ad præscriptam juris esse dignoscendum. D. de Sainte Beave Declarationis* (*b*) hujus verba in medium adducit.

Ad quartum, quintam, sextamque quæstiones; Beneficium in fraudem accipere, juxta Fagnaoi verba, nihil est aliud, quam principe studio in id incumbere, ut proprii Episcopi, qui ad concedendos Ordines non ita facilem se præbuisset, examen, judiciumque vitetur: *ut eludat examen & judicium sui Ordinarii*. Jam vero apparet, Clericum, de quo agitur, Beneficium in Diœcesi B . . . . non suscepisse, nisi ut proprii Episcopi, de cujus diligentia, regulæque servandæ sollicitudine jure timebat, Jurisdictioni se se subduceret; ejus autem intentionem ejusmodi fuisse constat ex iis, quæ in quæstione quinta declarata sunt, ex ejus ad eos responsionibus, a quibus interrogatus fuit.

Ad septimam; ex dictis sequitur, hunc Ecclesiasticum *in foro exteriori* suspensionem subiisse, ac si celebravit, vel Ordinum suorum functiones exercuit, irregularitatem.

Ad octavum, & postremam respondetur, in Ecclesiastico bonam fidem, quam in sui excusationem allegat, non præsumi, quia non præsumitur Ecclesiæ regulas super hoc articulo, quas quidem scire potuit, & debuit, ignorare posse. Hic tamen Cleriens coram Deo, & in interiori foro eas bona fide ignorare potuit; & ita quidem se rem habere ex ejus ingenuis ad interrogationes responsis conjici licet. Ex quo fit admodum verosimile, eum nec suspensione, nec irregularitate innodatum esse. Debet tamen ab Ordinum suorum functionibus abstinere, seque tanqnam suspensum, & irregularem exterius gerere, & optime fecerit, si se a censuris absolvendum curaverit.

Decisum in Sorbona hac die 6. Aprilia an. 1695.

G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

Presbyteratus Ordo ante ætatem susceptus.

C A S U S II.

1 *Diaconus, qui ex studiorum suorum directoris consilio Presbyteratum suscepit, diebus aliquot ante viginti quatuor ætatis annos completos, in suspensionem non incidit, nec, Ordinum suorum peractis officiis, irregularis evasit.*

2 *Si in ejusmodi pœnas incidisse se crederet, atque opus esse judicaret, ut absolutionis gratia ad Romanam Sedem confugeret, deberet interea temporis ad scandalum evitandam, famamque tuendam in officio persistere.*

QUÆSITUM.

SEmpronins ante vigesimum quartum annum completum, cum sexdecim tantum deessent dies, idque ipse probe sciret, Presbyteratus Ordinem suscepit. Cum enim Ecclesiasticus ejus moribus ac studiis invigilans pronuntiaret, dierum, qui deerant, tam exiguum numerum impedimento esse non debere, nuominus ipse se Episcopo initiandum sisteret: accessit, & Presbyter creatus fuit, tunc quidem ignorans, suspensionem *ipso facto* culpæ, quam patrabat, annexam esse.

Quadragesimus secundus, seu quadragesimus tertius est annus, ex quo ille Presbyter est, semperque ex eo tempore Sacrum fecit, cæterisque Sacrorum Ordinum muneribus functus est, quin se crederet in irregularitatem incidere.

Biennio, seu triennio post susceptum Presbyteratum ei commissa Parochia fuit, quam sexto post mense resignavit cum septuaginta quinque librarum pensione, quæ in Romana Curia statuta fuit, neque illa Parochiam hnoc integri anni spatio retinuit.

Viginti ab hinc annis Semptonius Parochiam aliam acceptavit, cujus post diuturnæ litis incommoda nunc demum pacificus possessor est; cum porro ante menses aliquot ad Canonum studium animum contulisset, animadvertit Ordinationem suam defectu laborare dierum sexdecim, qui 24. ætatis anno defuerant. Quamobrem conscientiæ stimulis agitatus, suumque statum in ordinem redigere cupiens, quid sibi, ut defectum reparet, faciendum sit, scire desiderat.

Nota, Confessarium Sempronio de ea culpa confitenti absolutionem tribuisse, pronuntiantem se eum a casibus Pontifici reservatis absolvendi potestate gaudere, sed fortasse ex eodem Confessario non quæsivit, an irregularitatem, ullamve aliam Censuram anticipata Ordinatione subierit, cum de hoc negotio instructus non esset. Quia porro Confessarius rem probe scire poterat, & Sempronium quotidie Missam celebrantem videbat: probabile est futurum fuisse, ut, si eum Censuris irretitum credidisset, eumdem moneret, juberetque, ut a Romana Curia absolutionem peteret. Ex eo tempore Sempronius tranquillo animo fuit.

Hoc posito, Sempronius interrogat:

I. An

(*a*) Barbosa in C. eum nullus de temp. Ordin. in 6. & lib 1. de jur. Ecclesiæ 33. n. 38. Garcias 2. p c. 4. n. 3. Fagnanus in cap. Omnes de pœnit. & remiss. n. 98. & seq. Henriquez l. 10. c. 22. litt. e. Sanchez opusc. l. 7. dub. 23. n. 7. Dian. 4. p. resol. 52. Piacesius in praxi Episc. l. 1. c. 2. art. 2 n. 3. Bonacina de Sacram. Ord. disp. 8. q. unic. punct. 4. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 4 n. 58. Fagnanus tom 3. litt. c.

(*b*) Sainte Beuve c. 1. cas. 14.

I. An ante ætatem a Canonibus requisitam Presbyteratus Ordinem suscipiens in suspensionem inciderit?

II. An in eo statu celebrans evaserit irregularis?

III. An cum hæ Censuræ occultæ essent, absolutione in Pœnitentiæ Tribunali recepta valide necne redintegratus fuerit, Confessario, qui Regularis erat, ejus impertiendæ facultatem sibi adesse testante?

IV. An ipse, ut totius se gerat, ad Romanam Curiam mittere debeat, ut sibi redintegrationem, novam Parochiæ provisionem, perceptorumque fructuum remissionem obtineat?

V. Satisne esset, ut a Romana Pœnitentiaria Breve obtineret, quin ad Datariam se conferret?

VI. An eas expeditiones expectans ab omnibus suis functionibus abstinere debeat, quamvis id nequeat sine scandalo, quippe qui prægravi ætate ne recedere quidem possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet præcipuam difficultatem in eo verti, an suspensio, quam statuit Bulla septima Pii II. n. 40. *Cum ex sacrorum*, quamque Clementis VIII. Bulla confirmavit adversus eos, qui sacros Ordines ante ætatem susceperint, in Galliis recepta sit; ac facta hypothesi receptam esse, quo sensu accipienda sit; in hac enim re Auctores divisi sunt. Ajunt nonnulli hanc Bullam receptam esse, eamque consuetudinem obtinere, ut tanquam suspensi spectentur, qui Ordinem ante statam ætatem suscipiunt. Et sane in Rituali Alectensi tractatu de Censuris pag. 191. & in Remensi an. 1667. tractatu de Ordine Ecclesiasticus, qui ante ætatem ad Ordinem accesserit, ex Jure suspensus asseritur; jam vero nulla alia suspensio apparet in Jure præter eam, quæ in Pii II. Bulla infligitur. Alii vero contendunt Pii II. Bullam in Gallia receptam non esse. Videri super hac re possunt Bauny *tom. 2. pag.* 378. Hallier *de Sacr. Ordinat. p.* 866., du Casse Magnus Vicarius Condomensis *in tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica p.* 30.

Nec magis inter Auctores de Bullæ notione convenit. Navar. *in man. c. 27. n.* 155. asserit Ecclesiasticum de hac lege ignorantem in suspensionem non incidere, dummodo ejus ignorantia cum præsumptione ac temeritate conjuncta non sit, cæteroquin damnanda. Suarez *tom. 5. de Cens. p.* 499. opinionem hanc probabilem putat, non tamen amplectitur; ait enim ignorantiam hac in re omni culpa vacare. Bonacina *tom. 2. de Cens. in particul. disp. 3. n.* 3. statuit I. ut Ecclesiasticus, Ordinibus ante ætatem susceptis, suspensus sit, necesse esse, ut ejus peccatum mortale sit: *Limitatur secundo, modo receperit sacros Ordines cum lethali culpa; nam gravis suspensio non incurritur absque peccato mortali*. Pronuntiat secundo loco, suscipientem sacros Ordines ante ætatem suspensioni huic obnoxium non esse, tametsi generatim noverit id esse prohibitum, modo bona fide peculiarem legem id ipsum sub suspensionis pœna prohibentem ignoret.

Consentiunt Auctores plerique Ecclesiasticum sibi quidem conscium se ante præscriptam ætatem ad sacros Ordines accessisse, sed de contracta suspensione ignorantem in irregularitatem non labi, susceptorum Ordinum officiis fungentem; quia Bulla Pii II. ad pœnam hanc subeundam requirit, ut præsumptio, & temeritas adsit, nempe suspensionis certa cognitio: *& si hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrant*.

Hoc posito, respondetur;

Ad quæstionem primam, in dubio, an Pii II. Bulla recepta nec ne sit, videlicet an hac in re suspensio locum habeat, quoniam hoc dubium est id, quod dicitur *dubium juris*, non temere credi in eam Sempronium non incidisse; atque ut pro certo haberetur Bullam receptam esse, Sempronius tamen, cum egerit bona fide, ut ex expositione apparet, quoniam Presbyteratum suscipiens Ecclesiastici Viri studiorum suorum moderatoris consilium secutus est, suspensionem omnino non subiisset, juxta Bonacinæ, aliorumque apud ipsum Auctorum doctrinam, quia in hoc negotio nullum extitit mortale peccatum.

Ad alteram; sequitur ex modo dictis Sempronium irregularem non evasisse.

Ad tertiam; facta hypothesi Sempronium suspensione & irregularitate innodatum esse, quod tamen ita non habet, an Regularis, de quo supra eum valide absolverit, dubitatur, cum videatur absolvisse vi nescio cujus privilegii, quod Regulares sibi præsto esse contendunt, ab omnibus in Bulla Cœnæ Domini contentis Casibus absolvendi. Porro ejusmodi arrogata privilegia Pontifices revocarunt, ut ex Rituali Alectensi titulo de Casibus reservatis pag. 124. licet intelligi. Præterea cum ea suspensio, atque ea irregularitas, utpote occultæ, sint unus e casibus Episcopo reservatis, asseri proinde posset, Regulares suppositis suis privilegiis nixos ab iis absolvere nequaquam posse. Consuli possunt cum idem Rituale, tum Bulla Clementis X. an. 1670. edita, quæ expressis verbis declarat Regulares a Casibus Episcopo reservatis absolvendi nulla prorsus facultate pollere, etiamsi in eorum potestate essent Casus Sedi Apostolicæ reservati.

Ad quartam; ex supra explicatis principiis ad Romanam Curiam mitti necesse non est. Si tamen Sempronius adeo conscientiæ stimulis agitaretur, ut animum suum tranquillare non posset, nisi ad Romanam Sedem confugeret; ad ea, quæ hac interrogatione continentur, impetranda, ad Pœnitentiariam eum accedere satis esset.

Quæstioni quinto loco propositæ satis est factum.

Quod attinet ad sextam, si suspensus, & irregularis Sempronius esset, suas Curiales functiones obire posset, ut scandalum, propriamque infamiam vitaret, quæ sane contingerent, si ab iis abstineret; naturalis enim, divinique juris obligatio ei est anteponenda, quæ ex positivo tantum jure derivatur, cujusmodi est non celebrandi obligatio, qua is obstringitur, qui Censuris est irretitus.

Decisum hac die 16. Julii an. 1698.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

OSCULARI.

CASUS.

Pœnitens, quam aliquando ejus Confessarius osculo salutat, ei amplius confiteri non debet, propterea quod ad utrique proxima lædendi Dei occasio est.

QUÆSITUM.

Maturæ Virgini triginta annos natæ, formosæ aptaque membrorum conformatione pollenti a confessionibus est Vir probus, doctus, & qui par sit iis, qui ad eum accedunt, instituendis. Ea porro tam propter sua peculiaria negotia, quam suæ Familiæ ratione non potest, quin cum hoc Confessario versetur. Hic Confessarius Pœnitentem hanc perhumaniter excipit, & quandoque ingrediens osculo salutat; quandoque inter conversandum osculatur, alias satis habet in ipso aditu, atque exitu ei manum porrigere: itaque non in omnibus conventiculis dat hæc oscula, sed solum identidem. Confessarius hic integerrimæ vitæ est, & Virgo præsumit eum humanitatis tantum gratia secum ita se gerere, quin mali quicquam patret, aut cogitet: præterea hic Confessarius cum aliis Matronis, quæ ex ejus pœnitentium numero minime sunt, familiariter utens eas omnes osculari non dubitat, & nemo inde scandalum patitur, tanta id cum honestate facit, ut nullus suspicioni sit locus. Ad Virginem quod spectat, illa persuasum habet se nil mali facere, his osculis nullam cogitationem, nullamque commotionem ei afferentibus, ipsamque ad peccatum nullatenus inducentibus. Præterea hæc omnino non

non est offendendi Divini Numinis proxima occasio; quintus, aut sextus annus est, ex quo cum sua pœnitente Confessarius ita se gerit, atque hæc oscula nihil præterea est consecutum: principio quidem hæc Virgo ægro animo tulit a suo Confessario ita se osculis excipi, idque illa ipsi testata est; is autem ipsi respondit, hac in re mali nihil esse, vetuitque, ne se de eadem re accusaret; se enim totius mali rationem redditurum, sed id tamen ab omni culpa vacare. Illa vero, quæ Confessarii sui, Viri re ipsa admodum strenui præstantiam nosset, acquievit, atque ea de re deinceps in confessionibus ne verbum quidem.

I. Quæritur, an hæc Virgo hæc oscula ita accipiens peccaverit, & quale peccatum commiserit?

II. Quid ei sit agendum, cum id nunquam confessa fuerit?

III. An illa Confessarium relinquere in conscientia teneatur, an vero possit adhuc ad ipsius tribunal rursus accedere?

IV. An a facienda ei confessione desistens possit illa, ut hactenus, cum eo versari ob sua domestica negotia, quibus renuntiare non potest, quaque ratione in eo excipiendo uti debeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum sentit, Adolescentulam de qua modo dictum est, debere a suo Confessario abstinere, propterea quod eidem occasio est id agendi, quod ab officio, & dignitate alienum est; eique multo potiore jure id consilii capiendum, quod creditu facile est, Confessarium illum, etiamsi moneatur, ut ab osculanda sua Pœnitente in posterum abstineat, ad bonam frugem non rediturum quia proclivitas & pravus habitus eam illi pruriginem indiderunt, quam vix ac ne vix quidem poterit eradicare; præterea si ille forte fortuna resipisceret; pœnitentem tamen ægre admodum ei debere se fidere, qui ejusmodi licentia, quæ a puritate & decore professionis Ecclesiastici hominis adeo abhorret, cum ea uti non est verecundatus.

Quid porro Sancti Patres de his Presbyteris, qui non solum Fœminas, sed etiam ipsorum pœnitentes osculantur, dicturi fuissent, vel ex eo licet intelligi, quod Ecclesiasticis summopere commendarunt, ne alterius sexus personis familiariter uterentur, præsertim cum necessitas, aut non mediocris aliqua utilitas id minime postularet. Videri potest, quid hac de re scriptum reliquerint S. Cyprianus, S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Basilius, S. Chrysostomus, ac quid de Sanctorum exemplo dicatur, qui quidem omnem cum diversi sexus personis familiaritatem evitare summopere studuerunt.

Fœminarum societatem damnat Ecclesiasticus cap. 42. *noli in medio mulierum commorari*. D. Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, & in vita S. Hilarionis ait tangere fœminas, & cum iis jocari initia esse, quæ ad puritatis jacturam pertrahunt; *tactum & jocos esse morituræ virginitatis principia*.

Cassianus Collatione septima *cap.* 26. memoriæ prodit S. Paulum Heremitam ab efformanda differentis sexus personarum idea adeo sibi cavisse, ut non solum earum aliquam intueri nollet, verum etiam ne ullum quidem ipsarum indumentum suis oculis exhiberi pateretur: *ut non dicam vultum fœmineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectus suo pateretur offerri*. Hoc quidem exemplum non ideo producitur, ut usui sit, sed solum ut innotescat, quam caute se gesserint sancti quidem Viri, ad fœmineum sexum quod attinet.

D. Bonaventura *cap. 39. de reform. nov.* Deo se vovere volentibus hanc assignat regulam, ne curiosius Mulieres aspiciant, ne earum manus tangant, ne iis propius assideant, ne cum iis rideant, ne cum ipsis in aurem loquantur: *cave, ne cum fœminis loquens earum vultus studiose respicias, vel manus contrectes, vel nimis prope sedeas, vel eis levitar arrideas, nec cum eis diligenter susurres*. Hic Sanctus Doctor alio suorum operum loco, *opus. de pius consil. c.* 4. modum proponit, quo cum Mulieribus loquendum sit; *sermo brevis*, inquit, *& rigidus cum mulieribus habendus est, nec quia Sanctæ sunt, ideo minus cavenda*. In quo quidem D. Bonaventura vestigiis insistit Patrum, & D. Augustini, qui de fœminarum familiaritate Ecclesiasticis, quantum in ipsis est, evitanda verba faciens in eamdem sententiam loquitur: *nec ei minus fugiendæ sunt, quia religiosæ videntur, quia quanto religiosores, tanto citius alliciunt, & sub prætextu pietatis latet virus libidinis*. D. Thomas in medium allatis iisdem hujus Sancti Patris verbis *Opus. 64. c.* 22. fusius ejus rei causas edisserit.

His fundamenti loco jactis excusari nequit hujus Confessarii, Matronas sæpe sæpius, suamque pœnitentem identidem osculantis consilium; agendi ratio hæc est maxime perniciosa, & Confessarium, ejusque pœnitentem violandæ puritati magnopere obnoxios efficit, humanitatis, & amicitiæ prætextu; totus enim animus, totumque cor osculis continetur: *nam os præ cæteris membris maxime connectit animas*; Theoph. *c. 53. in 2. ad Corinth.* Sane apud Græcos verbum quod amare significat, significat pariter osculari; perinde ac si osculum esset amoris nota per excellentiam. Anima per osculum e se ipsa, ut ita dicam, egreditur, ut personæ, quam amplectitur, uniatur, unamque cum illa carnem efficiat.

Hac de Causa vix fieri potest, ut, cum personæ, quarum sexus alius, sese osculantur, & sæpe tam prope accedunt, nulla turpis motio excitetur in anima, quæ eam noxiam reddet, ut proinde in hac re usurpari liceret, quod D. Ambrosius scripsit *lib. de fuga Sæc. c. 1. os libavit, & crimen retulit*. Verum quidem est, fideles inter sancta mysteria olim se mutuo amplecti solitos fuisse, ut unionem, & charitatem, quæ inter ipsos vigere debebat, significarent; erat id religionis osculum, quod pietas & charitas sanctificabant, inquit D. Ambrosius *lib. 6. Exam. c. 9. pietatis & charitatis pignus*; sed nunquam hujus sanctæ ceremoniæ tempore alterius sexus persona aliam amplectebatur. Sponsa primo Canticorum capite optat, ut Sponsus eam osculo suo dignetur: *osculetur me osculo oris sui*; sed hæc est figurata loquendi ratio, qua Sponsa utitur ut significet se optare, eumdem sibi cum suo Sponso spiritum esse; qua in re nihil est, quod rationem, qua erga suam pœnitentem Confessarius se gerit, purgare possit.

Illud convenit cum D. Thoma 2. 2. *q.* 154. *a.* 4. osculum suapte natura peccatum non esse, & finem tantum, ac circumstantias in causa esse posse, cur malum sit; cum exempli causa cuipiam præsertim alterius sexus osculum libatur ob voluptatem, quæ inde percipitur; aut cum oritur scandalum, dum oculis usurpatur, aut auditione accipitur Presbyterum passim Matronis, & Confessarium sæpe suæ pœnitenti osculum dare. Jam vero jure præsumi potest, Confessarium, de quo quæritur, non nisi voluptate, quam sentit, ad osculandum moveri; quoniam non videtur ei præsto esse justa causa, cur ita se gerat: atque ita illud haud leve peccatum est, inquit S. Thomas loco citato, propter periculum; & quia Presbyteris & Confessariis minus, quam sæcularibus licet hujusmodi blanditiis uti, id etiam iis afferre scandalum potest, qui vident, aut audiunt Confessarium identidem suæ pœnitenti oscula ingerere, præsertim cum illa floret ætate aptaque totius oris & corporis dispositione pollet.

Ea de causa querebatur alias S. Hieronymus in sua Epistola 22. *c. 6. ad Eustochium de custodia virginitatis*, cum ajebat Ecclesiasticos ad alios instituendos, & obsequium exigendum præpositos Fœminarum frontem osculari: *Clerici ipsi, quos & magisterio esse oportuerat pariter & timori, osculantur capita Matronarum*. Reipsa Directores, qui cum suis pœnitentibus tam libere se gerunt, non possunt gravem eam circumspectionem tueri, quæ in instituendis fœminis tenenda est, aut suam firmitatem servare, aut denique auctoritati, quam Jesus Christus in ipsorum manibus collocavit, apud pœnitentes observantiam conciliare: ad id tamen S. Cyprianus *de singal. Cler. sub fin.* Ecclesiasticos cohortatur; *severitas in vobis cum fœminis vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, gravitas veneretur*.

Frustra porro ait hæc Adolescentula se ex his sui Confessarii blanditiis nullum prorsus inhonestum motum sentire, eumdemque Confessarium probis moribus esse; id enim forsitan subtracti divini auxilii

xilii effectus est, utrumque hae in re insensibilem esse, & præteritæ vitæ peccatorum punitio; aut Deus quidem hanc obcæcationem permittit, inquit S. Augustinus in Psalmum 102. v. 15. ut illi in aliqua graviora errata labantur, unde arrepta divinæ gratiæ implorandæ occasione ab iis abstineant, quæ mala esse credere noluerunt: *aliquando enim videtur sibi sanus, & ægrotat, & in eo, quod ægrotat, & non sentit, medicum non quærit, augetur morbus, crescit molestia, quæritur medicus, & totum sanatur; non crudeliter hoc fecit Deus, sed consilio medicinæ*. Deus propterea, inquit hic Pater, non debet censeri crudelis, aut mali moralis auctor.

Ut ut res habeat, satis est, ne culpa vacare dicatur, id quoad ipsam, & quoad ejus Confessarium offendendi Dei occasionem proximam esse, ipsam non sine scandalo hanc Confessarii sui licentiam pati posse; & quoad Confessarium ipsum id cum ejus ministerii sanctitate, & cum ipsius status dignitate pugnare.

Igitur ex his omnibus concludendum est, Adolescentulæ de qua in expositione, suum Confessarium deserendum esse, ut ei in posterum lædendi Dei, & contra sui officii regulas quicquam agendi quamlibet occasionem adimat: ad extremum Adolescentulam, & Confessarium id ob oculos habere oportere, quod S. Paulinus in sua ad quemdam nomine Severum Epistola quarta scriptum reliquit, amplectamur inquit hic Episcopus, eum, qui nos castos vult, ut eum osculemur, quique eum Virginem efficit, qui ad eum accedit, eique sese conjungit: *osculemur, quem osculari castitas est, cui nupsisse virginitas est*.

Decisum hac die 21. Decembris 1695.
G. *Fromageau*.

Testimonia Patrum citata in proposita facti specie de osculis.

Osculum est cordis motus, qui firmissimum est signum amoris, qui illud ex una persona veluti educit, ut in aliam transferat; ita ut quo vocabulo apud Græcos significatur amor, eodem itidem osculum significatur; anima, ut ita dicam, egreditur, ut se rei amatæ conjungat; quamobrem sponsa Cant. primo cupiens se a sui sponsi animo diligi, seque ei aliter conjungi desiderans, seque unam eamdemque rem cum illo esse volens, non alia ratione animi sui sensa patefacit, quam optando, ut oris sui osculo ipsam dignetur: *osculetur me osculo oris sui*.

Primis Christiani nominis sæculis fideles inter sancta mysteria se se in Ecclesia osculabantur, Viri Viros, Fœminas Fœminæ, omnes in pacis argumentum, eratque illud pietatis & religionis osculum; quamobrem S. Ambrosius *lib. 6. Exam. c. 9.* illud appellat *pietatis & charitatis pignus*. Non perdiu id moris obtinuit, propterea quod, inquit S. Augustinus *tom. 4. de amicit. c. 6.* corruptio, quæ adeo naturalis homini est, ejus usum fœdavit: *ipsum osculum tanta turpitudine fœdant, ut sic osculari nihil aliud sit quam adulterari.*

De Presbyteri osculo quoad alterius sexus personam illud dici potest: *os libavit, & crimen retulit*, inquit S. Ambrosius *l. de fug. Sæc. c. 2.* Vix enim fieri potest, ut in personis diversi sexus, quæ tam prope junguntur, non aliqua turpis flamma excitetur, quæ cor depravet, quoniam cor & animus existunt in osculis.

Per dextras & osculum resignat spiritus pudorem, inquit Tertullianus *lib. de Virg. cap. 11.* loquens de Virgine, quæ homini nubens eum osculatur, eique manus porrigit.

Sanctus Paulinus *Ep. 4. ad Sever. osculemur, quem osculari castitas est: illi copulemur, cui nupsisse virginitas est*.

S. Hieronymus *l. 2.* contra Jovinianum, & in vita S. Hilarionis tangere & ludere cum differentis sexus persona in causa esse pronunciavit, ut castitas amittatur: *tactum & jocos esse morituræ virginitatis principia*.

Cassianus *Collat. 7. c. 26.* in vita S. Pauli Heremitæ eum refert non modo a fœminæ conspectu sibi cavisse, sed ne vestes quidem, quibus ille uteretur quibusque se indueret, suis oculis exhiberi voluisse: *ut non dicam vultum fœmineum, sed ne vestimenta quidem sexus illius conspectui suo pateretur offerri*.

S. Justinus Martyr *Ep. ad Zen.* permittendum non esse pronunciat, ut nos fœminæ contingant.

S. Hieronymus *Ep. 11. c. 6. Clerici ipsi, quos & magisterio esse oportuerat pariter & timori, osculantur capita Matronarum*.

Hinc illud Ciceronis: *osculum pars adulterii est*.

Huc referri possunt eæ Patrum sententiæ, Fœminarum societatem Ecclesiasticis fugiendam esse, eas non sine periculo spectari posse, ad eas tamquam ad ignem esse accedendum. *Ecclesi. 9. cum aliena muliere ne sedeas omnino*.

Ecclesi. 9. v. 9. speciem mulieris alienæ admirati, reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit.

Porro Sancti quique, qui hanc regulam tradiderunt, propter necessitatem, magnamque utilitatem fœminarum consortium vitandum esse, qui pati potuissent iis oscula dari?

D. Thomas in suo opusculo 64. *c.* 22. amorem ait pias inter personas graviori periculo obnoxium esse; Si enim laicus Adolescentulæ suum amorem significet, timor, ne ejus amicitia ad malum finem tendat, efficiet, ut illa amplius diffidat, sibique caveat; at Confessarii amor pietatis velo tectus, quo vehementior est, eo est etiam periculosior; tantoque magis, quod illa, ad se quidem quod attinet, eum a se amari posse judicabit, quem adeo grati animi officiis prosequi debet, & ad Confessarium quod spectat, quem virum dignitate & probitate præstantem putat, ipsum pravo consilio minus duci suspicatur, quippe qui eam spectat, ut pater suum filium spectare solet.

Quod in causa fuit, cur D. Augustinus diceret *de Sing. Cler. Nec eo minus fugienda sunt, &c.*

G. *Fromageau*.

P A R E N T E S.

CUm Præceptum, quo filii propriis Parentibus, hoc est suis Patribus, & Matribus obedire jubentur, generale sit: consequens proinde universim fit, ut iisdem in omnibus obsequi debeant, nec facile legitimas excusationes, quibus ab hac obedientia se eximant, filiis suppetere posse. Una tantum est facti species, inquit D. Augustinus, (a) in qua filius Patri parere non debeat, si quid ei nempe præcipiat, quod Domini Deique sui voluntati repugnet. Nec Pater gravate ferre debet, Filium Deo quam sibi parere malle; verum Patri id, quod Deo non adversatur, jubenti, tanquam Deo ipsi filius obedire tenetur, quia eum Patri dicto audientem esse jubet Deus. Hæc S. Hieronymi, & S. Thomæ doctrina est; quorum posterior statuit principii loco, obedientiam in iis esse præstandam, ad quæ jus superioritati extenditur. Porro Pater secundum carnem proprii filii ratione superior est in duplici rerum genere; in iis omnibus, quæ in propria familia ad statum, vitæque rationem pertinent, & in iis, quæ bonos mores respiciunt; ita filius matrimonium contrahere non potest, suis Parentibus inconsultis, qua de re alibi; ita etiam super officio, quod amplecti voluerit, debet eosdem consulere, & sic porro.

(a) Aug. in Ps. 70. in Præf. S. Hier. in Ep. ad Titum c. 3. refertur in Gan. Si Dominus 11. q. 3. S. Thom. quodlibet 1. 9. in corp.

Verum idemne juris est, cum filius, aut filia in animo habent mundo nuntium remittere; & in aliquem Regularem Ordinem se recipere? Hoc nempe sequentis Casus argumentum est. Quoniam vitæ status, qui tenendus est, electio maximi ad salutem momenti est, & in hac electione non nisi Divinæ vocationis habenda est ratio; necessaria rerum consecutione conficitur, non teneri filios suorum parentum voluntatem sequi, cum id agitur, ut Cælibatus servetur, ut Clericali militiæ, vel Regulari Ordini nomen detur, siquidem Dei voluntas est, quæ nos debet in hac electionum varietate determinare, atque adeo cavere debemus, ne iis animi motibus, quos caro & sanguis inspiraverint, indulgeamus. Nobis nempe Deus solus tanquam nostræ vocationis auctor spectandus est, quoniam auxilia, quibus in eo statu, ad quem nos pro sua dignatione appellare voluerit, salutem nostram operari valeamus, non a Parentibus, sed ab ipso sunt expectanda; quamobrem committere non debemus, ut parentum nostrorum, qui, quominus sanctum aliquod vitæ genus amplectamur, quod à nobis suscipi Deum velle credimus, impedire voluerint, carnali prorsus affectu vincamur. Divus Hieronymus (a) in prima ad Heliodorum Epistola, & in quarta ad Rusticum eam constantiam, atque animi firmitatem, quam in ejusmodi negotiis filii testari debent, carnem & sanguinem contemnentes, fusioribus, ac vehementioribus verbis persequitur, ac demum ita concludit: *Summum pietatis* (Divinæ scilicet) *opus in hac parte* crudelem esse . . . . *per calcatum transi patrem, per calcatam perge matrem, & siccis oculis ad vexillum crucis advola.*

Non ignoro, inquit Petrus Blesensis, (b) parentes tuos in id incumbere manibus pedibusque, ut te avocent, & impediant, quominus perfectioris vitæ status ineundi bona consilia, quæ animo imbiberis, exequaris; tu vero vide, ne dolosus parentum affectus in discrimen aliquod te conjiciat, dilato, quod suscepisti, te omnino ad Deum convertendi proposito. Vide etiam atque etiam, ne Patrem tuum, tuamque Matrem ames in iis, quæ cum Domini Nostri Jesu Christi servitio pugnant, quoniam ob ipsius amorem eos oderis necesse est. Multi propter suorum parentum amorem suas ipsorum animas misere perdidere, quandoquidem eorum occasione amor mundi, quem propemodum in se ipsis extinxerant, novas vires acquisivit; impius nimirum est, qui ut Patri ac Matri placeat, animam suam crudeliter exeipit, nec ullius major temeritas fuerit, quam se dantis in grave pereundi periculum eorum causa, quos diligit.

Parentes repugnantes filiæ volenti Religionem amplecti.

C A S U S.

1 *Filii liberi sunt, cum agitur de statu, qui hominem Divino servitio consecrat, ineundo.*

2 *Potest filia, vel invita, ac refragante matre, apud Crucis Moniales sese recipere.*

QUÆSITUM.

CUm Magdalena, ætatis anno 28. ex Tertio Sancti Dominici Ordine, aptam occasionem dandi nominis inter Crucis Moniales nacta esset, quod ex longo jam tempore in votis habebat: obstitit Mater, inquiens ea sibi opus esse, ut sibi ad vitam sustentandam præsto sit suæque senectutis curam gereret. Quoniam porro certum est, eam non ægre filiæ opera carere posse, cum ludi magistra sit, & non unum genus operum satis utilium calleat, ac cæteroqui nec valetudinaria, nec ætate provectior sit, nec filio careat, qui ei satis ad rem sit, utpote Architectus, ædiumque fabricatur, a quo, si quid sibi aliquando defuerit, ipsa præsens auxilium sperare potest: Magdalena proinde Sorbonæ Doctores rogat, ut suam super hac facti specie sententiam aperiant, definiantque, an in Crucis Monialium societatem concedendi suum ipsa consilium exequi possit?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, antequam quæstioni propositæ satisfiat, pro certo habendum esse, filiumfamilias in ea ætate positum, qua statum eligere possit, eumque, in quo Deo se devoveat, eligendum non teneri suis parentibus, qui obsistere voluerint, in hac facti specie parere; nos enim monet D. Bernardus, filios, cum de vitæ statu, ut Dei servitio se consecrent, suscipiendo quæstio est, liberos esse, Deique rationem in hac occasione solam causam fore, quæ ab obedientia propriis parentibus, siquidem repugnare velint, præstanda eos eximere possit, quia si tunc temporis filii iisdem obsequerentur, Dei, quam Patris ac Matris amorem sibi minus cordi esse significarent, quod Evangelio adversatur: *sola causa*, inquit, *qua non licet obedire parentibus, Deus est: ipse enim dicit: Qui amant patrem & matrem plusquam me, non est me dignus.* Divus Hieronymus ante casum propositum appellatus se multo vehementius explicat in hoc negotio, dum jubet, ut lacrymas, quibus Pater, & Mater nos detinere conantur, siccis oculis intueamur, atque adeo quæcumque ad id obtinendum, ut ab iis minime recedamus, amoris argumenta ediderint, contemnamus: *si prostratus*, inquit, *in limine jacet pater, si nudato sinu, quibus te lactavit, ubera mater ostendat, per calcatum* &c. Filius porro ita se gerens argui non posset, quod cum parentibus durius ageret; immo vero maxime laudanda pietate duci censeretur, qui omnia nihil penderet, ut Crucem amplecteretur, atque adeo ejus vexillum secutus viveret, ac moreretur, hoc est asperam, & quæ pænitentem decet, vitæ rationem susciperet, ut propriam salutem in tuto poneret.

Et sane Theologi, post D. Thomam, unanimi sententia statuunt, filiumfamilias, qui quidem perfectum rationis usum obtinuerit, eligendi sibi status plena cumulataque potestate gaudere, præsertim cum ejus electio ad Dei servitium refertur, & contra suorum quoque parentum voluntatem agere posse, siquidem eum impedire, atque avocare voluerint: *Quia post annos pubertatis*, inquit S. Thomas, (c) *quilibet ingenuus libertatem habet, quantum ad ea, quæ pertinent, ad dispositionem sui status, præsertim in his, quæ sunt divini obsequii.* Sane S. Doctor antea docuerat, filium ita tum solum agere posse, cum parentes non ea necessitate premuntur, ut ejus opera maxime indigeant: *si vero non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant, possunt prætermisso parentum obsequio filii Religionem intrare, etiam contra præceptum parentum*, &c.

Hoc posito, & ut ad rem accedamus non videtur omnino improbari posse Magdalenæ consilium, volentis apud Crucis Moniales sese recipere, quamvis obsistat Mater, ut eam secum retineat; ea quippe in nulla prorsus indigentia versatur; ac si forte in indigentiam inciderit, est ei filius, qui eidem, & quidem haud difficulter opem afferre potest. Præterea Magdalenæ præter generalem rationem, perfectioris scilicet ineundæ vitæ, quam fere in humana hac societate iniri liceat, aliæ peculiares causæ præsto esse possunt, quas illa, ut pro certo ponitur, suo Directori declaravit, quibusque ducitur ad eam idoneam vitæ rationem suscipiendam, quæ ei se offert, quamque jamdudum exoptat, ut nempe

(a) S. Hier. Ep. 1. ad Heliodor. & epist. 4. ad Rustic.
(b) Petrus Blesensis epist. 15. ad R. Clericum.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 189. art. 6. Pelizar. tom. 1. tract. 2. c. 4. quæst. 5. n. 5. p. 78.

pe ad Crucis Moniales se conferat, atque ita certa quædam pericula effugiat, quibus ejus salus obnoxia est.

His ita se habentibus, postquam Magdalena nil reliqui fecerit, ut Matris consensum obtineat, si tamen id assequi nequeat, potest, atque adeo debet, ea vel reluctante, inter Crucis Moniales, quæ ipsam excipere possunt, suum nomen dare.

Decisum Parisiis hac die 29. Decembris an. 1701.

G. Fromageau.

PAROCHI.

Parochus est Clericus, qui spiritalem curam possidet, videlicet Beneficium cum animarum cura: Gravissimo semper consilio usa est Ecclesia in iis eligendis, quibus Fideles concrederet; voluitque eos summopere callere sacras litteras, & Concilia, ut possent pro concione explicare, & docere dogmata, quæ in iis continentur, adeoque præire populis tum veritate fidei, tum morum integritate. Cœlestinus Pontifex in Canone, *Nulli Sacerdotum*, *dist.* 38. pronunciat haud fas esse Presbyteris in Canonum ignoratione versari, aut quicquam agere regulis absonum, quæ nobis a Sanctis Patribus præscriptæ sunt. Sirius Pontifex Epist. 1. ad Himerium Tarracon. cap. 15. docet rotundis verbis nemini Presbyterorum licere sanctæ Sedis Apostolicæ Constitutiones, aut venerabilia sacrorum Canonum Decreta ignorare. Porro quod hac in re de Presbyteris omnibus dicitur, potiori sane ratione intelligendum est de Parochis, qui proprii status ratione, suisque obligationibus satisfaciendi cupiditate eo adduci debent, ut sacras litteras, si ita loqui licet, in succum & sanguinem convertant pro sua ipsorum, populorumque sibi concreditorum utilitate, eamque sanctorum Canonum notitiam comparent, quæ ipsis ad subditorum suorum conscientias cum fructu dirigendas inserviat.

Prioribus Ecclesiæ sæculis nullum aliud nomen Parochis tribuebatur, quam Presbyterorum certi cujusdam tituli; ac deinde dicti sunt Cardinales, ut secernerentur a Presbyteris, qui Ecclesiis, quibus deserviebant, addicti non erant, quique ad eas tantummodo certis diebus, aut ad tempus ab Episcopo mittebantur. Hoc Cardinalium nomen significabat eos toto vitæ tempore suis titulis addictos esse, quemadmodum janua cardinibus conjuncta est. Tum Presbyterorum Cardinalium titulus iis peculiariter tributus est, qui in Urbibus versabantur; ac demum id nominis in Romana tantum Ecclesia utpote antiquæ Traditioni cæterarum maxime addicta permansit; & ad Episcopos Papæ Suffraganeos devenit, quia ad eligendum Ecclesiæ caput cum Romanæ Ecclesiæ Presbyteris unum idemque corpus constituunt. Et quoniam aderant olim Diaconi in Titulis aut Oratoriis, quæ digna non erant, quæ a Presbytero occuparentur, illi quoque Diaconi Cardinales sunt appellati. Hæc loquendi ratio vulgo obtinebat sancti Gregorii Magni temporibus, & totius Ecclesiæ Latinæ communis erat; & in Romana quidem Ecclesia servata est, in qua Cardinales Diaconi una cum Cardinalibus Presbyteris sacrum Collegium componunt, & cum iis ad Papæ electionem concurrunt; quod argumento est Cardinales a Parochis suam originem ducere.

Hi Presbyteri Cardinales, quos hodie Parochos nuncupamus, subsecutis temporibus evasere parvi veluti Episcopi, prout fidelis populus augebatur. Permissi sunt in propriis Titulis Missas dicere, ac proinde conciones habere; baptisma quoque conferre diebus solemnibus, id quod tamen non obtinuit ubique gentium. Aderant enim Baptismales Fontes in aliquibus tantum primariis Ecclesiis, quæ Plebes appellabantur, quibusque qui præerat Presbyter, dicebatur Plebanus, quod nominis adhuc alicubi perdurat. Ab harum Baptismalium Ecclesiarum singulis pendebant multa Oratoria seu minores Parochiæ. Ad omnes quoque Parochos pertinebat pueros ante & post Confirmationem erudire, mores corrigere, peccatores convertere, Confessiones audire, occultam pœnitentiam imponere, ægrotantes invisere, iis Extremam Unctionem & Viaticum administrare, ac sepulturam tribuere. Videri potest de Parochorum obligationibus Capitulare Theodulfi Aurelianensis Episcopi scriptum sæculo VIII. ad finem vergente.

Possunt etiam illi matrimonia benedicere. Tantummodo Confirmatio, & Clericorum Ordinatio ad Episcopum pertinent. (a) Posset quoque Parochus auctoritate propria creare Psalmistam aut Chori Præfectum, non autem Acolytum, aut Subdiaconum. Decimo circiter sæculo usque ad Jurisdictionem contentiosam Parochi potestatem suam extenderunt, eaque per annos plus quam 300. potiti sunt. Romanæ Ecclesiæ Cardinales eam servaverunt cum pluribus aliis juribus olim omnium Parochorum communibus.

Ruri porro aderant Chorepiscopi, quorum usus in Oriente quarto sæculo multus erat. Serius in Oriente cœperunt, & citius defecerunt. Erant illi Vicarii foranei, nempe Presbyteri satis ampla facultate insigniti, qui ruri plerasque Episcopi functiones obibant. Episcopi VIII. sæculo remissius agentes tradiderunt omnia Chorepiscopis, atque adeo Ecclesiarum Consecrationem, & Clericorum majorum Ordinationem; quod in causa fuit, ut illi Leonis III. & Caroli Magni temporibus abolerentur.

Theologi Parochos tanquam sexaginta duorum Discipulorum successores nobis proposuerunt, eosque juris divini esse crediderunt. Ita sentit Facultas Theologica Parisiensis. Post VIII. Parochiæ Monasteriis & Capitulis unitæ sunt; verum licet subsecutis temporibus a Parochiarum administratione Monachi exclusi fuerint, Regulares tamen Canonici in possessionis jure persistere non destiterunt. Capitula & Monasteria, quæ Curas habent, nominare tenentur. Vicarios perpetuos, qui sunt in titulum, Primitivi tamen Parochi sibi titulo reservato. Et quoniam difficile factu est, ut Communitates omnino spolientur omnibus bonis & commodis, quibus antea gaudebant, quin vel minimam partem retineant, ideo plura Capitula, atque adeo aliquæ Communitates Regulares sibi servarunt hoc jus Parochi Primitivi, partim quidem cum juribus simpliciter honorificis, partim vero cum juribus utilibus simul atque honorificis. Scilicet ad hæc jura exigitur ratio Parochi Primitivi; primo loco ob ea jura percipiuntur oblationes, aut percipitur earum pars, quæ statis diebus solemnibus fiunt;

(a) Conc. Carthag. 4. c. 10. Conc. Lab. pag. 1204.

secundo loco celebratur Parochialis Missa diebus Paschatis, Natalis, Pentecostes &c. totumque iis ipsis diebus Officium peragitur, quemadmodum etiam die Festo Patroni Ecclesiæ; tertio loco percipiuntur Parochiæ Decimæ aut omnino aut ex parte. Videri potest Collectio Rescriptorum ad Primitivos Parochos pertinentium typis edita Parisiis an. 1675. hoc titulo, „ Jus scriptum & judicatum „ inter Parochos Primitivos, & eorum Vicarios perpetuos.

Parochi debent Episcopo se sistere, ut examen subeant, & in propriis Parochiis ejus auctoritate instituantur; Communitates Regulares exemptæ, quæ Parochias habent, in quibus Parochorum Primitivorum titulo gaudent, in iisdem Parochiis retinere debent Vicarios perpetuos, qui cum congrua sufficienti portione ab Episcopis instituentur. Parochorum & Vicariorum perpetuorum ejusmodi obligationes, & eodem tempore jura sunt. I. (a) Juxta Tridentinam Synodum debent præ manibus habere librum, in quo describant nomina conjugum, testiumque, diem & locum initi matrimonii, quem quidem librum sedulo custodiant necesse est; eadem est ratio Sacramenti Baptismatis. II. (b) Qui ad spiritalem curam, aut Ecclesiam Parochialem, aut gratiam, ut ajunt, expectativam aspirat, nisi saltem mediocriter calleat idioma, seu linguam loci, in quo existit eadem Ecclesia, Provisiones, Mandatum, & gratia expectativa nihil ei proderunt. III. Urbium muro septarum Parochi gradu insigniti esse debent juxta Sancta Decreta & Concordata. IV. Tum Urbium, tum aliorum locorum Parochis servantur jura oblationis, & alia jura Parochialia, quibus gaudere consueverunt secundum antiquos & laudabiles mores, non obstante Aurelianensi Constitutione, cui Blesensis Constitutio derogavit art. 52. V. Dispositiones ultimæ voluntatis & Testamenta a Parochis aut Vicariis excipi possunt, quamvis in iis pia opera legata sint, dummodo eadem non sint in favorem ipsorum, aut eorum consanguineorum, ea conditione, ut curent testatoris & testium nomina subscribenda, (c) aut mentionem faciant interpellationis a se factæ testatori ac testibus, ut subscriberent, causamque afferant, cur id ii non præstiterint, juxta Constitutiones, haud violatis tamen consuetudinibus & communibus disciplinis locorum requirentium aliam seu majorem solemnitatem pro loci jure seu scripto seu consuetudinario. VI. Ii, quibus de Parochiis provisum fuerit, in Curiis Ecclesiasticis Promotores aut Officiales esse non possunt, aut ullam Præbendam, aliudve Beneficium possidere, cujus gratia ab actuali residentia abstinere possint; quia Parochus debet ipse per se Beneficio suo deservire, non debet illud Vicario committere, nisi dictum Beneficium sit Annexa alicujus Dignitatis aut Præbendæ; & hoc in casu collocare debet Vicarium perpetuum, qui canonice sit institutus, & qui ex eodem Beneficio portionem congruam percipiat.

Parochi obligari videntur ad residentiam Jure Divino & Ecclesiastico sub mortalis peccati pœna, & præterea teneri Beneficiorum suorum fructus restituere pro ratione temporis eorum absentiæ, applicandos Fabricæ propriæ Ecclesiæ, aut Parochiæ pauperibus, quin necesse sit ullam Superiorum sententiam intercedere. (d) Statuit etiam Tridentina Synodus, ut præter privationem fructuum ex Beneficiis perceptorum possint ab Episcopis citari, & adigi ad residendum censuris Ecclesiasticis, sequestratione ac subtractione fructuum, aliisque remediis juris, atque adeo proprii Beneficii privatione, si forte contumaces & inobedientes extiterint. Neque vero satis est ad residentiæ obligationem implendam eos corpore tantum præsentes esse; sed præterea necesse est eos ad Officiorum suorum functiones indesinenter incumbere; ut proinde si ipsi per se, cum possunt, suum munus non obeant, suisque Vicariis acquiescant, omnino peccent, quamvis in suis Beneficiis resideant, quia juxta Concilium suas oves pascere, atque alere divino præcepto tenentur. Igitur præter Christianam Charitatem, urgentem necessitatem, obedientiam, quam propriis Superioribus præstanda est, & evidentem Ecclesiæ aut Status utilitatem nulla alia legitima causa esse potest, cur Parocho concedatur ea venia, ut absit a Beneficio; oportet etiam, ut eas rationes Episcopus cognoscat & approbet; ac tunc quidem tenetur ille in sua sede Vicarium ponere, congrua portione ejus sustentationi assignata.

Vide (CANONICI.
(SIMONIA.
(BENEFICIUM.
(CONFESSARIUS.

Parochus incumbens ad Domini sui negotia.

CASUS I.

Parochus, qui Domini sui Parochiæ negotiis aliquam operam navans, pauperibus, & Religioni magnopere prodest, tuta conscientia potest in suscepto consilio persistere, id præsertim probantibus Episcopo, Vicario generali, & Confessario, qui eum intus & in cute norunt.

QUÆSITUM.

Clericus inferioris Occitaniæ studiis in Sorbona operam navans, cum Baccalaurei gradum adeptus esset, petendas curavit ab Episcopo dimissorias litteras, quo promoveretur ad Ordines, si Prælato ita videretur. Annuit Episcopus, qui eum noverat, ea lege, ut statim ac sacerdotio insignitus esset, laborandi gratia ad suam Diœcesim rediret, ubi ejus opera valde opus erat propter R. P. R. Vix Presbyter creatus erat, cum Parochus ejus amicus prope Lutetiam ipsum rogavit, ut, quoad ægrotaret, ejus Parochiam administraret; id ille amplexus est, ut ad exequenda Episcopi sui mandata se compararet, ad Curiales functiones incumbens; ac per id tempus, quod breve fuit, non semel, dum sacrum faceret, a Deo petiit, ut quæ primum sedes sibi in Occitania offerretur, ea nimirum esset, in qua vellet eum sibi deservire. Interea amicus Parochus prope Lutetiam dedit operam, ut ei librarum 500 Parochiam non inde dissitam obtineret, ipsique propriam resignare voluit, cujus annuus census erat librarum 1800. & cui propter suas ægritudines, quarum causa paulo post occubuit, non amplius deservire poterat.

Sed cum ille animarum curam prope Parisios acceptare nollet, ne proprii Episcopi voluntati refragaretur; Occitaniæ Parochus eum per litteras rogavit, ut, cum ipse Curæ Religionariorum plenæ labo-

(a) Conc. Trid. sess. 24. c. 1. & c. 2. de Matrimonio

(b) Regulæ Cancellariæ Papæ Innocentii VIII. Regula 19. de Idiomate. Henric. II. Declaratione diei 9. Maii an. 1551. Edict. Melodunense art. 27.

(c) Constit. an. 1627. art. 4.

(d) Conc. Trid. sess. 23. c. 1.

laboribus jam impar esset, eam acceptaret cum pensione librarum 100. quæ tertia pars erat, cum census omnis non nisi 300. librarum esset. Paucis post diebus eum fratres per litteras monuerunt ipsi resignatam esse Parochiam in Urbe patria, cujus redditus erat librarum 350. rogaruntque, ut eam cuivis alii anteponeret utpote cum familia victurus. At Clericus id secum reputans, quod a Deo postulaverat, priorem Parochiam amplexus est, quamvis ruri sita esset, ejusque proventus esset librarum non amplius 200. persuasum habens eam nimirum esse, ad quam a Deo vocaretur.

Loci Dominus, qui norat Clericum, qui eum ad studia incubuerat, eum Parisiis quærendum curavit, rogandumque, ut, cum ibi nulla Parocho domus esset, sedem poneret in Castello, quod Parochis domicilii loco erat ja multis sæculis, sperans id quoque causæ fore, ut ille eam curam susciperet, quam re ipsa suscepit.

Hic igitur Clericus in Occitaniam profectus Parochiæ recens conversorum plenæ possessionem iniit; cui cum biennii aut triennii spatio deserviisset, loci Dominus, qui eo venerat, atque intellexerat suum Villicum recens conversum non recte se gerere, (quod deinde eventus satis ostendit; ei quippe 4000. libras furatus aufugit) eo repudiato, alium, & ipsum recens conversum, cum ibidem ejusmodi tantum homines ejus negotia callerent, in ipsius locum suffecit; tum novum Parochum rogavit, ut sua negotia generatim curare, suæque pecuniæ invigilare vellet; ei tribuit ad sua graviora negotia procurationem, & peculiarem potestatem in quatuor villas, quæ ejus Terram componunt, & se mutuo contingunt. Potestas hæc ad Religionis res præcipue refertur.

Episcopus, ejusque generalis Vicarius id se probare testati sunt, sperantes fore, ut Religio magnos progressus faceret ejus opera, qui temporali simul & spiritali auctoritate polleret; exitus spem non fefellit; neque enim litigia tantum, quæ frequentia erant, cessarunt per curas, quas iniit novus Parochus, ut ea per compositionem ab initio terminaret; verum etiam custodita sunt Ecclesiæ ac Regis mandata; atque in Parochia, quæ Marchionatus caput est, adeo Religio succrevit, ut postremorum bellorum tempore, tum etiam, cum recens conversorum paucissimi Ecclesiam alibi adirent, qui ibi degebant, ad Ecclesiam venirent, & etiamnum veniunt, ex iis plus quam quadraginta, quod Catholicos homines decet, præcipuo quoque die festo, & multis quoque mense non sine insigni pietate persolventibus.

Fovet id Dominus maximæ fidei vir ingentibus charitatis officiis, tribuens quotannis Parocho, unde large pauperibus, quorum magnus est numerus, opituletur; eumque per litteras non semel certiorem fecit, quicquid ipse in pauperes erogasset, æqui se bonique facturum, ac nolle eorum quemquam fame premi; idque, ut in dies magis eum suis negotiis addictum reddat, intelligens pauperum & Religionis utilitatem sejungi non posse.

Hujus Domini negotiis, utpote quæ expedita sunt, Parochus non nisi decies aut duodecies per annum cogitur itinerari. Potest etiam Villicum mittere, qui ad nutum pergit. Ea tam parum a suis functionibus eumdem avocant, ut post spatium annorum duodecim & amplius, ex quo Parochus est, aut Dominico, aut alio quolibet festo die nunquam destiterit habere concionem ad suos recens conversos, qui semper auditum veniunt pro magna, qua erga eum ducuntur, fiducia, & quam percipiunt, voluptate; nunquam a Parochia iis diebus abfuit, quibus eum adesse oportebat. Semper cum eo senior Parochus in Castello versatur, eique in functionibus Curialibus præsto est; ibique duo tantum famuli sunt, nulla fœmina.

Dedit ille operam, ut in Parochia plures veterani Catholici statuerentur, egentibusque juvenibus artes assignarentur, ex quibus ad statum Ecclesiasticum sex instituit, futuros aliquando idoneos Magistros, quibus in ea Diœcesi opus est. Hi juvenes adolescentes in Ecclesia jam cum non mediocri musicæ artis peritia cantui vacant. Instituit charitatis mensam, cui proventus addere studuit; alit viduas quinque recens conversas, quibus numerosa familia est; extruenda curavit plura domicilia Presbyteralia in ditione Domini, qui magna animi alacritate probat, & urget, quicquid ipsi proponitur; atque omnia quidem ita se habent, ut in Parochiis, quibus Marchionatus constat, nihil unquam contigerit, quod Regis imperio, aut Religioni catholicæ repugnaret.

Nihilotamen secius cum idem Parochus legisset aliqua Divi Pauli & Patrum loca, quibus Clerici a quacumque temporalium negotiorum sollicitudine arceri videntur, nonnihil scrupuli passus est, & ad ejusdem Diœcesis Parochum, qui experientia satis instructus est, eumque funditus novit, accedens confessionis gratia, ei suam conscientiam, scrupulumque ingenue detexit; ille vero ipsi in confessione auctor fuit, ut spectato bono, quod procurabat, & consilio, quo movebatur, nedum desisteret, alacriter urgeret inceptum opus ad propriæ Parochiæ & Religionis utilitatem, pronunciavitque sibi pergratum fore, si eadem ipse auctoritate polleret, qua cum careret, ideo in ipsius Parochia Religionis negotia male se habebant.

Parochus, de quo agitur, sibi persuasit se posse in incepto persistere, Episcopo, Vicario generali, eoque Parocho id approbantibus, illud præsertim reputans Sanctum Paulum & Patres prohibere, ne Clerici *se implicent*, non autem ne se immisceant mundi negotiis pro bono Religionis, quod omnium Seminariorum & Familiarum Religiosarum experientia compertum fit, in quibus Œconomi munere fungitur Presbyter gravioribus, quam hic Parochus, temporalium rerum curis distentus.

Verum cum duo Presbyteri, religiosi homines, & quos magni facit, eidem significassent haud sibi videri licere ipsi in ejus Domini negotiis procurandis perseverare, hæsit anceps; ex una parte movetur magna horum Presbyterorum æstimatione; ex alia veretur eorum auctoritatem, qui ejus consilium probant, prævidetque recens conversorum relaxationem, quæ dubio procul consequetur impotentiam, in quam incidet, non modo pauperibus & viduis opitulandi, & in posterum juvenes pueros in Ecclesiæ spem educandi; verum etiam suæ ipsius vitæ consulendi, si subsidio, quod ab eo Domino percipit, destituatur. Ei quippe certa remanent scuta non amplius quinquaginta, detractis 50. libris annuis pro decimis ex 200. libris quas habet, aliisque prorsus necessariis impensis, cujusmodi sunt decima, Ecclesiæ cerei, adsistentia præstanda Congregationibus, & Synodis, &c. Quæ quidem omnia in causa fuere, ut iis duobus Presbyteris scrupuli auctoribus consentientibus, facti speciem duobus Sorbonæ Doctoribus utpote Magistris suis definiendum proponere statueret.

His omnibus positis, eos Doctores rogat, ut decidant, an tuta conscientia possit eadem, qua hactenus, ratione in procurandis Domini negotiis persistere. Se putat certo affirmare posse lucri cupiditate se ductum non fuisse, quoniam ex quo Parochiam suam administrat, cum pluiquam ducentos nummos aureos congerere potuerit, vix duos ac ne vix quidem præ manibus habet; eorum quem usum fecerit, Deo & pauperibus perspectum est. Uno verbo suam quidem salutem in discrimen non vult adducere; at eodem tempore nollet deserere subditos suos, & Religionis negotia, quæ, ut neminem latere potest, temporali summopere indigent auctoritate, qua boni confirmentur, & nequam homines reprimantur. Ille quidem Dominorum Doctorum, qui expositionem hanc viderint, decisionem ultro amplectetur; re sane ipsa, si Parochi forent, putat eos aptius posse propria experientia in eo judicare, quod ad Parochiæ rationem spectat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat Parochum, de quo in expositione dictum est, haud debere duobus Ecclesiasticis auscultare, opinantibus ei non licere se ejus, qui Parochiæ Dominus est, negotiis immiscere; ii quippe duo Sacerdotes, qui religiosi, atque adeo ascetici viri esse dicuntur, non satis

fatis ad Parochi officia & curas animum referunt. Eum quidem pietas interiorem hominem efficere debet; at charitas quoque eum adigit, ut ad procurandum sui gregis bonum, & id, quod eidem nocere posset, avertendum se se bene multis externis rebus immisceat.

Et sane Divus Thomas in eum Sancti Pauli textum 2. *Timoth.* 2. v. 4. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, ita pronuntiat: *Implicat se, quando sine pietate & necessitate assumit negotia: sed quando necessitas officii, pietatis, & auctoritatis exercetur, hinc non implicat se, sed implicatur hujusmodi necessitate*. Porro hic Parochus, ut in Expositione declaratur, in eum tantum finem se sui Domini negotiis immiscet, ut temporalem auctoritatem cum spirituali conjungens suæ Parochiæ Neophitos melius in officio contineat, atque universim in eadem Parochia id omne perficiat, quod eum facere decet; ita ut ægre admodum possit eidem consulere, si sui Domini potestate privetur. Si quando recedit hic Parochus, nullum inde gregi damnum infertur; verbo, Vicarius generalis Diœcesis, atque adeo Episcopus ejus consilia probe norunt, & approbant.

Illud ex his omnibus consequens fit, ut, quoniam Religio, pauperes, omnesque Parochiæ subditi magnum emolumentum percipiunt ex ratione, qua ille se hactenus gessit procurans negotia Domini, qui ei temporalem auctoritatem, qua indiget, impertitur, tuta conscientia quo cœpit, pede pergere possit.

Decisum in Sorbona hac die 15. Martii an. 1700.
G. *Fromageau*. *Damas*.
G. *Bearret*.

Obligatio Parochorum docendi per se ipsos.

C A S U S II.

1 *Parochi tenentur habere ipsi per se Conciones & catecheses diebus Dominicis & Festis solemnibus*.
2 *Quibus in casibus possint sese excusare*.

Q U Æ S I T U M.

Rusticanus Parochus ducentorum seu trecentorum subditorum curam gerens, eorum pene omnium confessiones audit; qui quidem ad eum libenter accedunt; est ei Vicarius vir probus & idoneus, cui concionem & Evangelii explicationem Dominicis quibusque diebus, & Catechismum diebus Festis & Dominicis habendum committit, Catechismum quidem, dum prima, Concionem vero, dum solemnis Missa celebratur. Cæterum idem Parochus subditos suos privatim docere non cessat in Pœnitentiæ Tribunali, eosque, ne suo officio desint, pro viribus cohortatur. Quadragesimali tempore ipse per se Cathechismum tradit pueris ad Communionem primo accedentibus; passim extraordinarios Concionatores arcessit; nullum, quoad potest, scandalum tolerat in sua Parochia; assiduus residet, Officium diebus Dominicis & Festis peragere nunquam desistit, ægrotos invisit, iisque, quantum potest, administrat Sacramenta; est valde sollicitus de sua Ecclesia, quæ est admodum elegans. Aptus est proprio gregi regendo, nulloque naturali impedimento distinetur; at persuasum non habens sibi Concionem habendam esse, nunquam habet. His omnibus animadversis, quæritur,

I. An quoad præteritum tempus in conscientia tutus sit propter bonam fidem, & opinionem, in qua vixit se ipsum per se ad id non obligari, atque an id in Confessione declarare debeat?

II. An in posterum ab habendis concionibus tuta conscientia abstinere possit, donec Vicarius, qui strenue concionatur, ei præsto fuerit?

III. Si ipse per se ad id obligari judicetur, quæritur, quo jure?

IV. An diebus quibusque Dominicis concionari teneatur, nec sufficiat id ab eo fieri semel aut iterum in mense, reliquo anni tempore concionante Vicario?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum ad cognoscendum, quid a Parocho, de quo quæritur, hactenus peccatum fuerit, quidque in posterum facere debeat, generatim videndum censet, an Parochus ipse per se conciones habere teneatur; quo facto, ad propositas quæstiones facilior erit magisque expedita responsio.

Tridentina Synodus *sess.* 5. *cap.* 2. *de Reformat.* requirit a Parochis, ut ipsi per se suas oves erudiant saltem diebus Dominicis, Festisque solemnibus, quæ per annum celebrantur, aut per alios, si ipsi legitime impediti fuerint: *Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtineant, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis.*

Synodi, & Concilia Provincialia post Tridentinum Concilium in Galliis habita, & a Buchello relata titulis *de verbi prædicatione*, *& de Curatorum officiis*, eamdem sententiam secuta sunt. Ut de cæteris sileam, Synodus in Urbe, cui nomen Aquæ Darbellicæ, celebrata an. 1585. c. 43. statuit, ut Parochi ipsi per se suo munere perfungantur: *Parochialis curæ munera atque officia non per alios, sed ipsimet Parochi animarumque Curatores obeant, ac præstent; nisi sint, qui aliqua justa causa ab Episcopo approbata impediantur, aut etiam prohibeantur; id nisi fecerint, tunc fructibus beneficii mulctentur; tum etiam aliis pœnis plectantur, arbitratu Episcopi.*

Eadem Synodus cap. 56. suam mentem distinctius explicans super obligatione, qua Parochi adstringuntur, Dei verbum per se annunciandi, mandat Episcopis, ut eos quandoque coram se in Ædibus Episcopalibus, aut alibi conciones habere jubeant, quo ad hoc Sanctum ministerium digne obeundum ipsos efforment, ac comparent: *Parochorum in pascendo populo verbi Dei prædicatione; industria & doctrina, & in eo genere salutaris progressus ab Episcopo cognoscatur, vel illis in Episcopales ædes, aliove aliquando coram se ad concionandum evocatis, vel concionibus ipsis aliquando ad Episcopum missis vel alia ratione, quam sciverit Episcopus.*

Obligatio hæc juxta Tridentini Concilii mentem *Sess.* 23. *cap.* 2. *de reform.* divini juris est: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione pascere.* Jam vero obligatio, qua Parochi tenentur, annunciandi per se Verbum Dei de Concionibus, aliisque Instructionibus publicis, quæ in universa Parochia fiunt, accipienda est. Casuistæ & Canonistæ non pauci, quamvis admodum apti, qui strictiores tamen non audiunt, contendunt Parochos ipsos per se concionare debere, si nullum habeant legitimum impedimentum.

Bonacina *tom.* 2. *disp.* 5. *quæst.* 1. divinum jus distinguit ab Ecclesiastico, atque Parochos, qui ipsi per se, aut per alios suas oves edocent, re vera divino juri satisfacere, non autem juri Ecclesiastico, si ipsi per se, cum possunt, diebus a Concilio indicatis Dei verbum non annunciaverint.

Barbosa *de off. & potest. Parochi c.* 21. *n.* 9. pariter censet Parochos suo muneri minime satisfacere, cum aliis conciones habendas relinquunt: *Puto Parochum officio non satisfacere quoad Deum, prædicationes totius anni aliis committentem, quamvis non desint Prædicatores, docentes ea, quæ populus scire tenetur.*

Hoc posito, respondetur.

Ad quæstionem primam, Parochum in bona fide hactenus esse potuisse, cum minime crederet opus esse, ut ipse per se Concionem, & Instructiones publicas ederet, nisus fortasse multorum Parochorum praxi in multis diœcesibus, & nonnullorum Auctorum sententia opinantium obligationem a Tridentina Synodo impositam non stricti nominis legem esse, vel ut summum ad eos tantum spectare, qui nullas unquam Instructiones aut publicas aut privatas ediderint.

Ad quæstionem secundam, oportere, ut hic Parochus in posterum, quantum poterit, instructiones pu-

publicas habeat, quoniam idoneus est, & eum nihil impedit, ut in expositione declaratur.

Satis est factum quæstioni tertiæ per ea, quæ supra dicta sunt.

Ad quæstionem quartam respondetur Tridentinam Synodum *Sess. 5. c. 2. de reform.* designare dies, quibus Parochi concionari debent, satisque significare hujus obligationis gravitatem qualitate pœnarum, quibus Parochos in hoc deficientes ab Episcopis puniendos jubet: *Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint per censuras Ecclesiasticas seu alias ad arbitrium Episcopi cogantur.*

Nihilominus Parochus, de quo agitur posset in duplici facti specie a concionandi obligatione, quoties quidem id præscribunt Ecclesiæ, regulæ, immunis esse, easque suo Vicario habendas relinquere.

Prima est, si, quo majore cum utilitate concionetur, ad eas concinnandas aliquot hebdomadis opus habeat.

Altera, si quod ille cæteroquin agit in sua Parochia, a Vicario æque bene atque ab ipso peragi nequeat; in hac duplici facti specie censeretur legitime impeditus esse, & quod inde consequitur, in publicis Instructionibus per se habendis juxta Concilia dispensatus. Verum Parochus, qui consultat, ne a recto tramite aberret, cum suo Episcopo conferre debet, qui ei designabit tempus & dies, quibus ipse per se concionari debebit. Hac nimirum ratione scrupuli disjicientur.

Esto enim hic Parochus ad publicas instructiones non æque ingenio valeret atque ejus Vicarius, fieri tamen posset, ut sæpenumero fit, ut Parochi vox, præsertim si vir probus sit, fructuosior esset, quam vox alterius, sive quod ei Deus majorem tribuat benedictionem, sive quod oves proprii Pastoris vocem libentius audiunt: *Fere fit etiam, ut oves libentius vocem Pastoris audiant*, inquit Synodus Eboricensis an. 1576. celebrata c. 42. quæ in hunc modum prosequitur: *Considerent itaque Curati omnes, ut officii sui, ita temporis necessitate, ac sæpe memoria repetant dictum Pauli: væ mihi, si non evangelizavero, necessitas enim mihi incumbit. Si desperant de sua ignorantia, vel dicendi exercitatione, sperent in Domino, qui linguas mutorum facit disertas, & evangelizantibus dat verbum virtute multa. Cum illa spe ac Dei invocatione attendant lectioni, homilias saltem & sermones habeant, tam latine quam gallice a doctis viris & Catholicis in subsidium Curatorum conditos. Æstu fidei ac salutis populi sui ardeant; ita assuevenet, ut qui loqui non audebant, vel non poterant, magistri in Israel repente fiant.*

Decisum in Sorbona hac die 2. Novembris an. 1692.

G. *Fromageau*.

Parochus certis quibusdam conditionibus resignans.

CASUS III.

1 *Parochus suam Parochiam resignans, quia propter ægritudines ei deservire non potest, minime peccat, dum eam amico resignat ea spe, fore, ut ille cum ipso vivat in Beneficio, atque eum deserat.*

2 *Iterata promissa, quibus ei se amicus obstrinxit se semper ejus rationem esse habiturum, nihil habent simoniacum, neque impedire debent, quominus ille ejus Parochiæ possessionem ineat.*

QUÆSITUM.

FRanciscus ætatis anno 74. qui nihil aliud in censu habet quam Parochiam septingentarum librarum circiter, quam possidet quadraginta ab hinc annis, in morbum incidit, qui creditur diuturnus fore, quique eum suis obeundis muneribus imparem reddit; solus est, & ægre admodum potest Vicarium sibi comparare; atque adeo sæpe fit, ut nullum Sacerdotem reperiat, qui diebus Dominicis & Festis sacrum faciat. Ut curis se liberet, Paulo amico suo intimo pure ac simpliciter Parochiam resignat, sperans fore, ut hic amicus secum versetur, neque ab eo deseratur.

Nota I. Resignatio effertur consueta hac formula, *aliunde commode vivere valens*, quod est falsum.

II. Est ab annis 22. Franciscum inter & Paulum longe maxima necessitudo, ita ut Franciscus, quam maxime fieri potest, Paulo fidat.

III. Paulus sub morbi initium ad Franciscum profectus ei dixit per amicitiam: ne quid tibi, aut Parochiæ tuæ reformides; etiamsi statu vel maxime felici gaudeam, omnia deseram, ut tecum vivam, tuæque tranquillitati serviam.

Testanti Francisco se in animo habere Parochiam suam ei resignare, respondit Paulus: ut tuo Beneficio carerem, illudve alia ratione obtinuissem, te, cum opus erit, deseram nunquam; quæ semper Paulo fuit vera animi præparatio. Illud etiam addidit: resignatio perdurat annorum trium spatio; tu adhuc eris Parochiæ Dominus, si convalueris.

Hac quidem ratione resignatione facta, Franciscus urget Paulum, ut ad Parochiam administrandam quamprimum se conferat. Hac in re quæritur,

I. An magna hæc inter hos duos Presbyteros amicitia, & Pauli promissa ullum necne pactum contineant, licet nulla intentio extiterit paciscendi?

II. Facta hypothesi resignationem hanc nullam esse, aut Paulum nolle eam acceptare, quod timeat, ne turbet conscientiam suam, Franciscus, qui Parochiam, cui regendæ ineptus est, se deserere debere putat, debetne alteri resignare committens se providentiæ, nullum pactum iniens, & tantummodo Resignatarium suum monens sua negotia ita se habere, seque & seipsum, & suum Beneficium ei prorsus dedere?

Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut suam subscripto nomine sententiam mittant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, quamvis occurrat mendacium in resignatione Paulo a Francisco facta, dum dicitur: *Aliunde commode vivere valens*, hæc tamen, quæ consueta est, loquendi ratio nihil impedit, quominus rata sit resignatio.

Quicquid autem Franciscus & Paulus ante resignationem ingenue & humaniter mutuo dixerunt, ut amicitiæ veteris argumentum potius quam ut pactum spectandum est; siquidem esto nihil ejusmodi dictum esset, Franciscus tamen Paulo resignasset, ut ex expositione facile intellectu est.

Franciscus in eo non peccavit, quod Paulum in Beneficio secum victurum, nec unquam a se recessurum speraret; neque etiam spes hæc ad pactum virtuale redigi potest. Quod occurrit hac in re magis absonum, illud est, quod Paulus Francisco dixit: resignationem ad annos tres perdurare, & semper in Francisci potestate fore ad suum Beneficium redire. Quoad alium Resignatarium fortasse timendum esset, ne id inter Resignantem & Resignatarium pactum esset, quo scilicet ille non nisi elapsis iis annis tribus possessionem iniret; quod Simoniacum pactum esset, quia foret conditio, sine qua resignatio facta non fuisset. Sed quoniam ex expositione compertum sit Franciscum antea suam Parochiam Paulo resignare paratum fuisse, Pauli verba ex amicitia tantummodo ortum traxisse, nec omnino resignationi ansam præbuisse censenda sunt.

Præterea dici potest Paulus tantummodo Franciscum monere voluisse eum ad Beneficium redeundi jure gaudere, pristina valetudine recuperata intra tres annos, quibus resignatio perdurat; quod Rescriptorum praxi, & multorum Theologorum sententiæ valde conforme est.

¶ Utcumque sit, si Paulus dignus est, qui ejusmodi Beneficio potiatur, ex expositione nihil apparet, quod impedire possit, quominus ipse vi resignationis sibi a Francisco factæ illud obtineat, retineatque.

Decisum in Sorbona die 30. Augusti an. 1695.

G. *Fromageau*. G. *Bourret*.

C. *de Precelles*. C. Ph. *de Le Coste*.

Quænam Parochorum sit jurisdictio:

CASUS IV.

1 *Episcopus omnium Parochiarum suæ Diœcesis Pastor immediatus est. Ejus potestas ad Clerum simul & populum pertinet.*
2 *Episcopus in Parochia Reformationes edere potest independenter a Parocho, & Parochus, invito Episcopo, nihil facere debet.*
3 *Explicatio Canonis Concilii Rothomagensis 16. sæculo celebrati.*
4 *Propositiones falsæ super Parochorum potestate.*
5 *Jus Episcoporum in propriæ Diœcesis administratione.*
6 *Decretum Tridentini Concilii in hoc negotio.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut suam sententiam dicant super propositionibus insequentibus.

Prima Propositio. Curialem jurisdictionem prorsus evertit, qui contendit Parocho non licere suæ Parochiæ Presbyterum a recto tramite aberrantem interdicere, eumque teneri monere Episcopum, ut proinde universa Parochi jurisdictio in eo tantum versetur, ut possit Superiorem Ecclesiasticum certiorem facere.

II. Provincialis Synodi Rothomagensis an. 1581. celebrati verba significant Parochum potestate gaudere functionibus omnibus Ecclesiasticis interdicendi Presbyteros, qui Festis & Dominicis diebus potissimum Parochiali Officio non intersunt.

III. Illud in quæstionem venit, utrum hæc Synodus Parochorum potestatem ad certos quosdam casus restringere potuerit, atque utrum Episcopus, & Officialis id facere possint; quod sanæ mentis hominibus persuaderi non potest: cum certum sit Parochi potestatem, utpote quæ divini juris est, nulla vel Regia, vel Ecclesiastica Constitutione coarctari potuisse.

IV. Parochi jus habent ipsi per se, quicquid ad suæ Ecclesiæ rectum ordinem spectare crediderint, statuendi; quod nihil est aliud, quam executioni mandari potestatem jurisdictionis, quæ cum Parochi titulo inseparabiliter conjuncta est, quamque ille provisionis gratia exercendi jus habet. Quod si Episcopum commonefacere debet, tum solum debet, cum malum insanabile evadit, & fortioribus remediis quam Missæ in Parochia celebrandæ prohibitione opus est.

V. Rothomagensis Concilii mentem non assequitur, qui putat eam sibi proposuisse novam potestatem Parochis quoad suas Ecclesias tribuere, cum evidens sit illud unum ei propositum fuisse, ut eam confirmaret, quam semper habuerunt, quæque necessario consequitur Parochi titulum, qui ipsis facultatem tribuit suorum Presbyterorum, suorumque Subditorum vitia corrigendi, scilicet interdicendi Presbyteros functionibus Ecclesiasticis, & Subditos sacramentorum usu, cum iis suscipiendis inepti sunt judicio proprii Parochi, ad quem solum pertinet provisionis quidem gratia de utrisque judicare juxta dicti Concilii verba hæc, *correctioni eorum & directioni subjectos*.

Si hoc Concilium Parochis novam potestatem tribuere voluisset, concludendum esset Concilium inter Provincialia tanti nominis in errorem crassissimum lapsum esse, illud nempe in dubium revocasse, an Parochorum institutio divini juris esset necne.

VI. Parochi in suis Parochiis Episcopi sunt, excepta, quod ait Divus Hieronymus, potestate imponendi manus in Sacramento Confirmationis, & Presbyterorum characterem imprimendi, *excepta ordinatione, & manuum impositione*; & in sua Episcoporum ratione intra suarum Parochiarum terminos præpositi gaudent potestate jurisdictionis, quæ re quidem vera non æque atque Episcopalis patet, sed ejusdem rationis est, & divinæ pariter institutionis; ita ut Parochis, omnino ut Episcopis, adimi nequeat, nisi Beneficio ipsis adempto; ac proinde eamdem exercere possint in omnes fideles sibi concreditos, sive Clerici sint, sive Laici. Itaque verum non est Presbyteros suspendendi facultatem ad solum Episcopum pertinere; est illud jus æque annexum qualitati ac titulo Parochi, ac qualitati & titulo Episcopi, cum hoc tamen discrimine, quod suspensio a Parocho inflicta non nisi intra Parochiæ fines suum effectum sortitur, cum possit Episcopus Sacerdotem in sua omni Diœcesi a divinis suspendere.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat,

Quoad propositionem primam, Parochum, si contendat jurisdictionem, qua gaudet in sua Parochia proprii Episcopi jurisdictioni subordinatam non esse, aut Episcopum, cum ei videbitur, in sua Parochia nihil agere posse, se vel nesciente, vel non assentiente, seu de reformationibus, seu de prohibitionibus sermo sit, id principii loco ponere, quod falsum est. Episcopus enim in sua Diœcesi superior est, & ad eum primario pertinet sibi subjectas Ecclesias administrare juxta Tridentinum Concilium *Sess.* 23. *c.* 4. *de Sacr. Ord. Sacrosancta Synodus declarat præter Ecclesiasticos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut ait Apostolus, regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse.*

Et sane Parochi sunt in Ecclesia ut Episcoporum Vicarii, ad regendas peculiares Diœcesis Ecclesias, ad quarum administrationem ipsi momentis singulis incumbere nequeunt: *Episcopi principaliter habent curam suæ Diœcesis*, inquit Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 82. *art.* 6. *ad* 2. *Presbyteri autem Curati habent aliquas subministrationes sub Episcopis.* Neque vero sequitur, ut ait Barbosa *p. c.* 1. *a.* 25. *de off. & potest. Paroch.* ex eo, quod Parochus ad spiritalem Parochiæ administrationem sit institutus, Episcopum ab eo munere exclusum esse; ei enim primario juxta jus & Canones concreditæ sunt omnes Diœcesis animæ: *nec Episcopi in his, quæ pertinent ad Curam animarum, propter Parochos excluduntur, quia omnes animæ Diœcesis sunt commissæ sub potestate Episcopi cap. quæcumque* 10. *q.* 1. *c. præcipimus* 12. *q.* 1. Ex quo fit, ut pergit idem Auctor, ut in jure Diœcesanus quisque Episcopi subditus censeatur: *& quilibet de Diœcesi dicitur esse Parochianus Episcopi.* Hinc illud inferri potest Episcopis immediatum jus esse in suarum Diœceseon Parochias, ut in iis, quam optimam judicaverint, reformationem edant, adeoque id omne perficiant, quod ad earum spiritale regimen spectat.

Id in Jure pro certo ponitur *cap dudum* §. *in Ecclesiis Clement. de sepult.* & in hanc rem videri possunt particularia Concilia bene multa apud Buchellum l. 6. titulo de Parochis & Parochianis in actis ad Gallicanam Ecclesiam spectantibus. In iis enim Episcopi plura statuunt tum quoad Parochos, tum quoad Parochianos sive Ecclesiasticos, sive Laicos, causa exempli, ut Parochi rationem reddant sui, suæque Parochiæ, cum id Episcopo visum fuerint; ut eos excipiant, qui concionandi gratia missi fuerint; ut cum Parochi moneant de contumacibus, deque Clericis, qui proprio officio defuerint, quo vel sermone, vel punitione ipsos revocet ab errore; quod argumento est Episcopos, qui Apostolis sufficti sunt, primario & proprie suarum Ecclesiarum Pastores & Doctores esse, cum Parochi acciti non fuerint, ut ait Estius *in* 4. *dist.* 24. §. 25. nisi ut Episcopis opem ferrent: *Nam ut Anacletus, aliique Patres sæpe testantur, & confirmat Tridentina Synodus, in Apostolorum locum Episcopi successerunt, qui proinde & proprie & principaliter sunt Ecclesiarum suarum Pastores & Doctores, inferioribus Presbyteris dumtaxat in partem sollicitudinis atque officii vocatis.*

Est igitur aperte falsum, quod in expositione proponitur, Parochi jurisdictionem de medio tolli, si cogatur de Clerici prava vitæ ratione Episcopum certiorem facere, eidem adempta potestate, qua pollet, eum ab Ecclesiasticis functionibus interdicendi; quoniam Episcopus, cui in omnes suæ Diœcesis Parochias immediata jurisdictio est, potest ipse per se de re tota cognoscere, & quod ei videbitur, im-

imperare pro recto ordine, & Parochiarum, ac Parochianorum utilitate. Si quid est, de quo Episcopus, justis de causis, se a Parocho moneri velit, tenetur ille, & Episcopus potest sibi judicium reservare, ut liquet ex Conciliis supra laudatis, & ex iis, quæ refert Antonius Augustinus in libris 4. & 6. *de Episcop. & Presbyt* suæ collectionis; idque etiamnum obtinet in Ecclesia. Episcopus igitur Parochi potestatem minime lædit, dum aberrantes Parochiæ Clericos sibi puniendos reservat, quoniam omnium, quibus Diœcesis constat, ipse primarius propriusque Pastor est; neque id impedit, quominus Parocho in consuetis negotiis propriæ Parochiæ administrandæ jus integrum ipse relinquat.

Quoad alteram, Parochi prohibere possunt, ne Clerici sibi subditi in propria Parochia functiones obeant, nisi Episcopus sibi reservaverit eam potestatem, quæ pars est ipsius jurisdictionis, cui Clerici simul & Laici de jure subjecti sunt. Sane Concilium Provinciale Rothomagense habitum an. 1581. tribuit Parochis potestatem suarum Parochiarum Clericos interdicendi ac suspendendi, nisi moniti resipuerint, ut liquet ex ejus articulo 18. tit. 7. de Presbyteris & Parochis: *Damus Curatis potestatem post trinam monitionem eos suspendendi a divinis; & ut ordo in omnibus servetur in Ecclesia, Presbyteros Parœciæ, sicut omnes alios Parœcianos Curatis decet esse obedientes, & directioni eorum & correctioni subditos*. Titulo quoque 2. de Divino Cultu n. 8. ipsis facultatem impertit in eos ex subditis infligendi censuras, qui proprio officio defuerint: *Per censuras Ecclesiasticas, per auctoritatem præsentis Synodi ferendas coget*.

Verum Concilia nunquam tanquam certum posuerunt Parochos ipsos per se, suique tituli vi ejusmodi potestate gaudere.

III. Hinc fit, huic Synodo Parochorum potestatem ad certos casus restringere licuisse, & Episcopum, aut Officialem, qui eum repræsentat, id facere posse; quamvis enim Parochorum jurisdictio ab origine divini juris esse ponatur; usus tamen praxis hujus facultatis, ratione majoris minorisve, quam suscipere potest, extensionis ad jus Ecclesiasticum spectat, ac propterea ob justas causas ab Episcopis limitari & coarctari potest, non solum quia sunt Parochis superiores, ut ait Tridentina Synodus, verum etiam quia juxta idem Concilium principe titulo suæ Diœcesis Ecclesias administrare ad eos pertinet divino jure. Hinc Divus Thomas *Opuscul.* 24. *alias* 19. *c.* 4. *Conclus.* 5. pronunciavit Episcopos in propriæ Diœcesis Parochias pleno jure gaudere, earumque curam ipsis magis quam Parochis commissam esse; quod hic sanctus Doctor pluribus momentis ostendit.

Quarta pariter propositio, quæ est exposita, falsa est, si ea sit ejus notio, ut Parochus absoluto jure gaudeat, quamcumque in sua Parochia voluerit, constitutionem aut reformationem sanciendi, provisionis gratia, proprioque Episcopo nullis dictis; semper enim Episcopi quædam sibi reservarunt, & etiamnum reservant, in quibus ne provisionis quidem gratia quicquam Parochis statuere licet, quamvis id ad Parochiæ rectum ordinem expedire videatur. Parochus exempli causa in eo nihil sancire potest, quod ad Matrimoniorum aliorumque Sacramentorum celebrationem, suæque Parochiæ exteriorem disciplinam pertinet, absque Episcopi proprii consensu. Videri possunt super hac re particularia Concilia, quæ supra allata sunt, & diœceseon Ritualia. Non potest Parochus vel, quod ajunt, provisionaliter de cujusquam ex suis subditis doctrina judicare, veri nominis censuras infligere, Confessarios approbare, peccata reservare, Concionatores missione donare; idemque de aliis non paucis, quæ Episcopali jurisdictioni de jure sunt reservata, sentiendum est.

Non igitur satis est e recto Parochiæ ordine quicquam esse, ut vel provisionis gratia illud Parochus indiscriminatim statuere possit. Non desunt, in quæ jus habet, ut ea, quæ ad statutorum Diœcesis executionem pertinent; impedire potest, ne Sacerdos confessiones audiat, & missam celebret in sua Parochia, nisi Episcopus aliter jusserit.

Illud etiam falsum est, quicquid ad Parochi jurisdictionem spectare dicitur, ejus titulo inseparabiliter annexum esse, ita ut per provisionem possit Episcopi constitutionem antevertere, perinde ac si Parochi judicium in prima instantia proferri necesse sit, aliter nullum declarari possit id, quod Episcopus, eo inscio, statuerit. Supra enim probatum est, Episcopum Parochiarum suæ diœcesis Pastorem ordinarium esse, jus habere in eas immediate agendi, statuendique, quicquid ei visum fuerit, citra Parochi consensum. Quamobrem nihil absonum facit, dum impedit, quominus Parochus quicquam de iis rebus statuat, quarum judicium sibi reservavit, quoniam quacumque demum jurisdictione sive ex divino jure sive aliter Parochus in sua Parochia instructus sit, illud est prorsus indubitatum Episcopi esse ejus exercitium formare.

Non ergo violentum, sed omnino consentaneum adhibetur remedium, cum ad abusum tollendum, aut aliquod grave malum sanandum immediate confugitur ad Episcopum, quippe qui Ecclesiarum suæ Diœcesis ordinarius & immediatus Pastor est, & dum Parochis earum curam commisit, non ipse tamen jus deposuit easdem regendi, ibique vel Parochorum ingratiis ea statuendi, quæ utilia vel necessaria judicaverit.

Non nisi temere contendi potest existere jurisdictionis gradus in Parochia servandos, ita ut Parochianus priusquam ad Episcopum accedat, ad sui Parochi tribunal negotium deferre debeat, perinde ac si is jurisdictionis gradus sit, qui prorsus omitti nequeat. Est hæc chimerica imaginatio, quæ nullum fundamentum habet sive in jure, sive in Ecclesiæ praxi.

Quinta propositio bipartita est, & utrinque falsa; primum enim verum non est provinciale Concilium Rothomagense loco laudato novam potestatem in Parochos non conferre eos Sacerdotes interdicendi, qui diebus Festis & Dominicis aut omnino aut ad finem usque non interfuerint: *damus potestatem Curatis*, inquit Concilium, *post trinam monitionem eos suspendendi a divinis*. Si Parochi censuras proprie dictas infligendi jure gauderent, non diceret Concilium se iis dare facultatem suspendendi Ecclesiasticos a divinis; sed solum id opportunum fore, aut necessarium; verum dum eam se dare declarat, indicat se illis novam, qua antea carebant, potestatem tribuere.

Est præterea tum facti tum juris error asserere eam esse Concilii mentem, ut ad Parochum & solum & provisionis gratia pertineat judicare & punire suos subditos sive Laicos sive Ecclesiasticos. Quod enim attinet ad factum, Concilii verba, ex quibus ejus mens innotescit, nihil aliud significant quam decere Parochorum directioni & correctioni Parochianos subesse: *Omnes Presbyteros Parœciæ, sicut omnes alios Parœcianos Curatis decet esse obedientes, directioni eorum & correctioni subditos*. Neque in hoc, neque in alio Concilii loco ullum verbum est, quod innuat solum Parochum, & provisionis gratia jus habere judicandi de subditis tum Laicis tum Ecclesiasticis, eosque puniendi.

II. Quod autem spectat ad jus, falso contenditur ad Parochum solum, & provisionis gratia pertinere subditos Laicos æque atque Ecclesiasticos judicare ac punire. Id juris plene spectat ad Episcopum, qui potest illud sibi, excluso quolibet, neque excepto Parocho, reservare. Neque apparet, qua auctoritate nitatur sententia, quæ in expositione proponitur; nullus enim occurrit canon, textus nullus sive juris, sive Sanctorum Patrum, qui eidem faveat; immo vero ex hactenus dictis, atque ex perpetua Ecclesiæ praxi liquido constat Episcopos in propria diœcesi, quicquid ipsis placuerit tum quoad Parochos, tum quoad Parochianos statuendi pleno jure gaudere.

Igitur temerarium est propugnari doctrinam nulla probatione subnixam, & exclusis Episcopis, immediatam propriarum Parochiarum administrationem Parochis tribui contra mentem Tridentini Concilii declarantis eos ad regendam Ecclesiam a Spiritu Sancto institutos esse, ut proinde ii proprie & primario peculiarium suæ diœcesis Parochiarum Pastores sint, ut jam explicatum est. Quod autem asse-

titur

ritut ex eo quod Parochi sint divini juris, Episcopo aut Ecclesiæ in Concilio non licere Parochi jurisdictioni certos fines imponere, consecutionem hanc falsam esse jam est demonstratum. Dubio procul Episcopi divino jure sunt instituti; Ecclesia tamen, Pontifices, aut consuetudo reservarunt Apostolicæ Sedi nonnulla, ad Sacramentorum administtationem quoqne spectantia, quæ Episcopus omnino non faceret. Longiores non etimus in explicandis incommodis, quæ propositionem eam consequuntur, quippe quæ Ecclesiæ rectum ordinem, & disciplinam evertit; ac proinde digna est, cui censuræ nota inuratur, & quæ tanquam falsa ac temeraria damnotur.

VI. Sextæ Propositionis ea notio est, Parochos in suis Patochiis Episcopos esse, ac si Ordinatio & Confitmatio excipiantur, eorum potestatem jurisdictionis esse rationis ejusdem, atque Episcoporum potestatem, atque æque institutionis divinæ, adeoque eam Parochis æque atque Episcopis adimi non posse, nisi in eos inquirendo; jus suspendendi Presbyteros qualitati & titulo Parochorum non minus quam qualitati ac titulo Episcoporum annexum esse. Si conferantur hæc verba cum iis, quæ occurrunt in tettia ptopositione, nempe Parochi potestatem utpote divini juris nulla vel Regia vel Ecclesiastica Constitutione coarctati potuisse; in quarta, potestatem jurisdictionis inseparabilirer cum Parochi qualitate conjunctam esse, eumque illa uti posse provisionis gratia; in quinta, potestatem jurisdictionis esse necessariam consecutionem tituli Parochi, ad quem solum pettinet provisionis gratia de suis subditis judicare: aperte constat ex his omnibus loquendi rationibus eam Auctoris doctrinam esse, ut Parochus intta Parochiam id omne possit, quod Episcopus intra Diœcesim, quoad hoc æque sint institutionis divinæ, eorumque potestas ejusdem naturæ sit; ideo quippe pronunciat Auctot Parochos in suia Parochiis Episcopos esse.

Porto ex iis omnibus, quæ dicta sunt, facile cognosci potest eatum propositionum falsitas, ejusque temeritas, qui easdem proposuit; hæ nimirum adversautur definitioni Tridentinæ Synodi, quæ non dubitat Episcopos prærer Confirmationia & Ordinationis Sacramenta posse alia facere bene multa, quæ inferiores Ministri nequeunt: *Episcopos a Spiritu Sancto positos regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris esse superiores, ac Sacramentum Confirmationis conferre, Ministros Ecclesiæ ordinare; atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habeat.*

G. *Fromageau.*

Parochus in exilium actus, & infamis declaratus.

C A S U S V.

1 *Rescriptum exilii efficit Sacerdotem infamem, & quod inde consequitur, irregularem.*
2 *Gratia Principis infamiam adimeas irregularitatem tolleret, & tunc is Sacerdos ad suam ministeriam redire posset.*
3 *Potest quidem Pontifex irregularitatem adimere, & celebrandæ Missæ veniam huic Sacerdoti concedere; at quoniam in Galliis infamiam adimere nequit, non poterit Presbyter sacram facere, nisi ibi, ubi ejus exilium notum non erit. Post exilii finem ad Datariam accedere debet, ut ab irregularitate, quæ infamia effecta est, liberetur.*

QUÆSITUM.

SEnatus Rescripto Parochus novem annotum exilio mulctatus est. Qua in re quæritur a Doctoribus:

I. An hoc exilium eum iosamem efficiat.

II. An hæc infamia eum reddat irregularem.

III. Ad quem debeat accedere, hujus censuræ tollendæ causa. Si Rex infamiam tolleret, simul necne irregularitatem de medio tolleret?

IV. Potesne ea tolli ante exilii finem, & hac ratione posierne ille suos Ordines exercere?

V. Si hic Patochus a Romana Curia Rescriptum impetset, quo redintegretur, Superior, ad quem directum Rescriptum esset, illudne probare teneretur?

Rogatur Consilium, ut in medium afferat legea & Canones, quibus nituntur decisiones, quæ expectantur, præsertim quoad articulum quartum cæterorum gravissimum.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut ad propositas quæstiones respondeat, existimat;

Quoad primam, hunc Parochum ob exilium, quo per Rescriptum damnatus est, infamem effici *cap. infames 3. q. 7. §. porro*, quia cum quis a Judice propter grave delictum reprehenditur, & punitur, suam famam amittit, & infamis evadit; *Glossa cap. cit. V. porro.*

Quoad alteram, hac infamia Parochum irregularem fieri, nec posse suorum Ordinum functiones obire, *cap. infames 6. q. 1.* Consuli potest Sairus *l. 7. cap. 11. de censur.*

Quoad tertiam, nisi Rescriptum impugnari possit, solius Regis esse huic Parocho veniam dare, & exilii pœnam ante finem remittere, nempe jutibus suis omnibus, eidemque, qua ante damnationem gaudebat, conditioni eum restituere; tunc enim nulla amplius adest itregularitas, quia nulla adest infamia; ita sentiant Sairus loco citato *n. 15.* & complures alii Canonistæ, quos afiere, Suarez *de Censuris Disp. 48. sect. 2. n. 10.* Layman *l. 1. tract. 5. de irregul. c. 4. a. 10.* Avila *de cens. p. 7. disp. 4. dub. 5.*

Quoad quartam, Principem, dum infamiam tollit, indirecte irregularitatem tollere, vel ut cesset, efficere, ut proinde Sacerdos suos Ordioes exercere valeat, ubi, & quando voluerit; utrum autem Pontifex possit idem beneficium ante exilii finem ipsi concedere, difficultas est, de qua sermo est in responsione

Ad quintam & postremam quæstionem; dicitur ergo Pontifex exilii tempore hunc Parochum ab irregularitate libetare posse, quo ille suorum Ordinum functiones exerceat. Cum enim irregularitas sit pœna Ecclesiastica a jure inflicta, in ea dispensare Pontifex potest; ita Sairus, & plutes alii, quos laudat loco supta appellato *n. 13.* Notandum tamen est Pontificem non in Datatia hanc dispensationem tribuere, verum in Pœnitentiaria, ad quam Parochus accedat necesse est, ut celebrandi veniam obtineat; qua quidem venia uti poterit in locis dissitis, ubi ejus exilium notum non est; ejusmodi sane mos est, ac sufficit Pœnitentiatiæ dispensationem huic Parocho præsto esse exilii sui tempore, quo elapso ad Datariam se conferet, ut ab itregularitate, quam infamia attulit, liberetur, quoniam adhuc ea censura subsistit.

Decisum hac die 25. Decembris an. 1697.
G. *Fremageaa.*

Parochus e Capucinorum Ordine absque superiorum suorum licentia eductus, ut suis opituletur.

C A S U S VI.

1 *Capucinus e suo Conventu egredi potuit, ut suis Genitoribus indigentibus opem ferret, petita a Superioribus suis venia.*
2 *Potest Ordinis sui habitum deponere.*
3 *Episcopus potest eum, recusantibus Superioribus, Parocham creare, eamque ipsi veniam tribuere.*
4 *Ille vero, quantum quidem per Parochi munus potest, Capucinorum regulam servare debet.*

QUÆSITUM.

CApucinus, cujus parer, mater, fratet, duæque sorores ante ejus professionem maxima necessitate premebantur, volens in posterum eis præsto esse,

esse, deferendi Ordinis, & Parochiæ, quæ sibi a proprio Episcopo offerebatur, administrandæ veniam a suis Superioribus petiit. Negarunt eam veniam Superiores, polliciti se centum quinquaginta libras annuas ejus Consanguineis largituros. Ille sentiens eam summam imparem esse alimoniæ, incolatui, vestitui personarum quatuor aut quinque, quarum ea ratio est, ut operari, & victum labore lucrari nequeant, e Claustro egreditur, habitumque deponit pro facultate, quam habet ex Regula in hac facti specie, ut nempe veniam a suis Superioribus petere debeat, tametsi minime obtineat.

Nihilominus ipse, quo magis magisque suam conscientiam in tuto ponat, orat Sorbonæ Doctores, ut sequentes quæstiones dirimant.

Quærit igitur I. an e Claustro egredi potuerit, ut suis Parentibus pauperibus opitularetur, quin a suis Superioribus veniam scripto exaratam obtinere potuerit?

II. An ante egressum potuerit sui Ordinis habitum exuere, ut Regula eidem permittit, atque adeo pecuniam possidere &c.

III. Denique an obligetur ad jejunia & praxes Regulæ Capucinorum, quemadmodum antequam Ordinem desereret, iisdem adstrictus erat?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat,

Quoad quæstionem primam, Capucinum, cujus pater, mater, duæ sorores, & frater tanta premuntur necessitate, ut sine subsidio vivere nequeant, e Monasterio egredi potuisse, ut iis opem ferret, postquam a suis Superioribus veniam petiit, quia hæc necessitas ejus professionem præcessit; hæc Theologorum communis sententia est, & inter alios Bassæi Capucini v. *Religio* a. a. 8. *Si filius*, ejus verba sunt, *parente in gravi necessitate constituto professus fuerit, tenetur egredi, si ei aliter subvenire non potest, quia ingredi non poterat obligatione jam contracta.* Quoniam igitur ille inter Capucinos persistens suis Consanguineis opem ferre non poterat, egressus veniam Superiores ei concedere debuerunt; quam iis negantibus, egredi potuit, quoniam Regula expressa in hanc rem est, ut in Expositione declaratum est. Optandum quidem foret, scripto a Superioribus ejusmodi veniam eidem concessam fuisse, quia ea opus habere potest in foro externo, & ad egressus necessitatem firmius probandam; at cum eam obtinere nequiverit, tranquillo animo esse debet in foro interno, & quod pertinet ad conscientiam, dummodo Guardiano & Provinciali declarationem formalem & juridicam exhibuerit.

Quoad secundam, ex Regulæ verbis in Expositione allatis consequens fieri Capucinum potuisse habitum exuere, officio, quod suscipiebat, minime congruentem; nihilominus Bassæus, qui sane Capucinorum regulam non ignorabat, indiscriminatim & generatim pronunciat Regularem debere ad Pontificem confugere, ut deponendi habitus dispensationem obtineat: *Notandum tamen, quod filius egressus e Religione habitum Religionis gestare debeat, si gestatio habitus non impediret a lucro pro Parentum sustentatione. In hac habitus dimissione non potest dispensare Prælatura, sed solus Papa.* Sanchez hujus pariter sententiæ est *l. 4. c. 20. n. 22. moral.* Constat igitur Capucinum ad Romanam Curiam confugere debere, & in supplicatione testari, se, dum habitum abjecit, bona fide, & ob suæ Regulæ verba fecisse. Loci Episcopus potest *interim* hanc permissionem eidem concedere.

Quoad tertiam, respondetur cum Bassæo loco laudato Capucinum hanc teneri non solum quod ad suæ Regulæ essentiam pertinet, sed alia quoque capita minus gravia servare, quoad absque immodico incommodo poterit: *Item Religiosus, quamdiu in sæculo manet, observare debet non solum essentialia Religionis, sed etiam majora præcepta, & minores observantias suæ Religionis, ut jejunia, &c. eo tamen modo, quo commode poterit.*

Decisum in Sorbona hac die 27. Januarii an. 1698.

G. Fromageau.

Parochus Capellam possidens dissitam, & Missis oneratam.

C A S U S VII.

Parochus in Cathedrali, a qua leucarum sex spatio distat, nequit possidere Capellam, quæ Missarum obligationes adjunctas habet, & vi fundationis addicta est iis qui huic Ecclesiæ incorporati ad perpetuam residentiam obligantur, & nuncupantur continui servitores Ecclesiæ.

Q U Æ S I T U M.

Orantur Domini Sorbonæ Doctores, ut super quæstione, quæ sequitur, sententiam dicere velint.

Quæritur, an Titius Ecclesiæ Vienna Allobrogum sex majoribus leucis dissitæ Parochus possidere possit una cum Parochia institutionem Missarum in Viennensis Urbis Cathedrali Ecclesia fundatam, quæ suæ fundationis titulo iis affecta est, qui eidem Ecclesiæ incorporati sunt. Titius pro certo habet sibi licere eam cum Parochia tuta conscientia possidere, quia cum ejusmodi Beneficium sit simplex natura sua, nec residentiam ullam requirat, potest in ejus administrationem alterum substituere.

Contra stat, habituatos Ecclesiæ Viennensis ad actualem & perpetuam residentiam obligari ejusdem Ecclesiæ statutis, & propterea in iisdem statutis nuncupari *continuos servitores Ecclesiæ*; id quod efficit, ut Missarum institutiones ipsi affectæ per accidens sint incompatibiles cum aliis Beneficiis, quæ Residentiam requirunt, non *ex natura Beneficii, sed ratione incorporationis.*

Fundatorum mens ea fuisse censetur, ut eidem Ecclesiæ incorporatis tribuerent, unde commodius subsisterent, quo ipsos actuali & nunquam interrupto servitio devoverent.

R e s p o n s i o.

Theologiæ Doctores subscripti, qui expositionem hanc viderunt, & expenderunt existimant Titium Ecclesiæ ab Urbe Viennensi sex majoribus leucis dissitæ Parochum non posse simul cum Parochia Missarum in Viennensi Ecclesia fundatarum institutionem possidere, licet hujusmodi Beneficium censeatur simplex suapte natura, quia illud vi fundationis affectum est habituatis & incorporatis ejusdem Ecclesiæ; nec eum modo peccaturum, ejusmodi institutione suscepta, aut retenta, verum etiam locum fore devoluto, quod obtineri posset in ejus gratiam, qui qualitatibus fundatione ipsa requisitis instructus esset. Præterquamquod enim id constans est Galliarum jure, sacrosancta Tridentina Synodus id ipsum generatim proponit sess. 25. de reformat. cap. 5. *Ratio postulat*, inquit Synodus, *ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in Beneficiorum collatione, sive in quacumque alia dispositione, eis non derogetur . . . . & aliter facta provisio subreptitia censeatur.* Quod ultro Cardinales hujus Concilii interpretes, & Doctores amplexi sunt, ut ex Barbosa ad hoc Concilium adnotationibus licet intelligi. Quare cum Parochus hic Cathedralis Ecclesiæ Viennensis habituatus esse non possit, quia actualem & continuam residentiam suæ Parœciæ præstare debet, eæ vero habitudines continuam pariter præsentiam requirunt, iique, qui eas habent, sunt *continui servitores Ecclesiæ*, quibus ejusmodi Missarum institutiones affectæ sunt; extra omnem dubitationis aleam positum est, huic Parocho non licere eam, de qua quæritur, possidere.

Decisum Parisiis in Sorbona die 14. Februarii an. 1680.

Aug. de Lamet.

Parochus, quem Episcopus abducit a residentia, ut in Diœcesi ejus opera utatur.

CASUS VIII.

1 Non potest Episcopus Parochum a servitio, quod suæ Parochiæ præstare tenetur, eximere, quod speret fore, ut ille utiliorem operam navet Ecclesiæ, quia Residentia Divini juris est.

2 Cum ea munia cum animarum cura stare non possunt, Episcopus debet Parochiam alteri trudere, ut Parochum, quibus voluerit, officiis addicat.

QUÆSITUM.

Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut probatam subscriptamque sententiam proferant in hac facti specie;

Videlicet an possit Episcopus a propriis Ecclesiis Parochos avocare, quos suo ipsius, suæque Diœcesis servitio addicat. Possitne ex iis sibi sumere, unum quidem ad Secretarii, alterum vero ad Promotoris, tertium denique ad Sanctimonialium Confessarii & Directoris officia. Eorum nemo unus residentiæ obligatione se obstringi putat, servitii Episcopo & Diœcesi exhibiti prætextu.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, quantumlibet Parochi residere teneantur, eos nihilominus extra suæ Residentiæ locum aliquando exerceri posse in casibus peculiaribus gravibusque, in quibus Episcopus opus habet eorumdem opera, ut grave negotium, quod ad publicum seu Diœcesis, seu Provinciæ, seu totius Regni bonum spectat, ad exitum perducat. Sed quoniam ejusmodi casus rari & extraordinarii sunt, ea est generalis Regula, ut ne Parochus abducatur a residentia ultra duos absentiæ menses a Tridentino Concilio concessos *sess. 23. de reform. c. 1.* in negotiis non ita magni ponderis exercendus, præsertim vero si alii viri ad eadem obeunda idonei non desint. Ob hoc principium non licet Episcopo Parochum in Secretarium aut Promotorem eligere, aut alteri officio addicere, quod a residentia & Parochiæ cura eumdem avertat.

Docet id Sanctus Carolus act. suorum *lib. 3. tit. Paroch. & Parochial. nn. 14. 15. & 16.* rotundis hisce verbis: *Nec vero ad Seminarii quidem curam, vel ad Vicarii munus, vel ad sanctæ etiam Inquisitionis Officium, nec vero ad aliud quidquam opera Sacerdotis Curam animarum gerentis Episcopus ita utatur, ut ab Ecclesia, Beneficiove in ejus curam tradito diutius absit, ac muneri debitæ residentiæ personalis desit.*

Garcias parte tertia *c. 2. n. 24. de Benef.* plures affert Congregationis Tridentinæ Synodi Declarationes, ex quibus compertum sit Episcopo non licere ultra duos menses vel in suo ipsius, vel in suæ Diœcesis servitio Parochum detinere, licet Vicarium conquirat, qui ejus loco Parochiam administrandi sit capax.

Barbosa *3. p. allegat. 53. n. 86. de potest. Ep.* expressis verbis pronunciat Episcopum non posse proprii Secretarii officium Parocho demandare; addit etiam ita decisum esse: *Nec etiam Episcopus potest uti opera Parochi in visitatione, vel in alio servitio suæ Diœcesis, nisi pro tempore duorum mensium, & nisi relicto idoneo Vicario.* Armendarius: *Decisum, non excusari a Residentia Parochum, si Episcopus judicaverit expedire uti illius opera pro Secretario, vel Vicario foraneo.*

Bonacina *tom. 1 disp. 5. punct. 5. n. 14. de obligat. Benef. Respondeo Episcopum non posse uti opera Parochi in visitanda Ecclesia, aut pro servitio Ecclesiæ Cathedralis, vel pro Secretario, aut in exercendo Vicario foraneo, ita ut Parochus excusetur pro eo tempore a Residentia, excepta tamen gravi causa, & exceptis duobus mensibus in Concilio Tridentino concessis. Sic enim declaravit Sacra Cardinalium Congregatio.* Idque ex eo probat, quod Episcopus in jure communi, cujusmodi est in Parochis residendi obligatio, dispensare non potest: *Amplius etiamsi Parochiæ pro eo tempore per alium Ministrum idoneum consulatur; nam Episcopus dispensare non potest in jure communi.*

Pirrhyng. *tom. 1. l. 3. tit. 4. sect. 1. §. 6. n. 40. de Cler. non resid.* ait Episcopum, si nullum inveniat, cujus utatur opera vel in visitatione, vel in Vicarii generalis, aut Promotoris officio, posse id muneris ad tempus Parocho demandare, dummodo in ejus Parochia Vicarium idoneum statuat, ita ut ex Parochi absentia neque in Parochiam neque in Parochianos quidquam redundet incommodi. Ait & illud non inde ansam arripiendam esse facile, levibusque de causis Parochos a propriis Parochiis abducendi, ut Diœcesis negotiis implicentur: *Episcopus ex gravi causa licentiam dare potest Parocho discedendi a propria Ecclesia ultra duos menses, cujusmodi gravis causa occurrere potest, si in aliqua Diœcesi ad aliquod tempus non adsint alii idonei, qui munere Visitatoris, vel Vicarii generalis, aut Fiscalis fungantur. Non enim mens Concilii fuit velle impedire majus bonum cujusque Diœcesis; quamvis non facile, aut ob leviorem causam Parochi a suis Ecclesiis avocari, & aliis Diœcesis officiis applicari debeant, ita ut Parochiæ interim per Vicarios administrentur, si alii Clerici ad ea munera idonei haberi possint.*

Hoc posito, respondetur Episcopum absque gravi causa, & nisi ob majus Diœcesis bonum non posse id officii Parocho tradere, quod eum avocet a residentia, quia cum communis, atque adeo, ut loco laudato monet Tridentina Synodus, divini juris sit Parochorum residentia, non potest ille in ea dispensare. Jam vero non apparet, quodnam majus Ecclesiæ bonum in causa esse possit, quamobrem ab animarum sibi concreditarum cura ad Sanctimonialium audiendas confessiones Parochus transferatur, cum potius constet eum in sua Parochia commorantem utilius Ecclesiæ inservire; & fere Parochiæ bonum & latius patere, & majoris momenti esse, quam quod ex Monialium regimine derivari potest; præterquamquod facilius inveniuntur, qui huic posteriori, quam priori illi muneri pares sint. Verum utcumque sit, Pastoris, ad suas oves quod attinet, obligatio strictissima est, eisque ille de jure divino alimoniam atque adsistentiam debet. Quocirca ob superius tantummodo bonum potest cum illo in hac re dispensari, & quidem ad tempus tantum, non in perpetuum, ut supra dictum est.

Porro munus, quo quis Episcopo est a secretis, non illud sane scientiæ & industriæ tantum requirit, quin facile reperiantur, qui illud obire valeant. Certum est ad extremum Promotoris officium utroque gravius esse, magisque necessarium. Promotor quippe est Episcopi veluti oculus, qui in id semper debet incumbere, ut eidem detecta Diœcesis incommoda curanda proponat; verum quamvis officium hoc hominem bene moratum, prudentem, vigilem, intrepidumque requirat, idoneis profecto viris præter omnem fidem Diœcesis careret, si ad id officii nullus alius, quam Parochus eligi posset.

At enim iis idonei Vicarii sufficiuntur; quasi vero Parochus quisque non ipse per se deservire debeat, nisi necessitas ineluctabilis, aut utilitas longe maxima secus ad tempus faciendum suadeant. Porro in triplici proposita facti specie, ut jam dictum est, nequicquam ejusmodi utilitatis, ac necessitatis occurrit.

Uno verbo si necessarium est, vel apprime utile Diœcesis bono, Parochum Promotoris officio fungi, & ex alia parte residere nequit, ille ab animarum cura removendus est, eaque alteri committenda; Subditi enim jus habent exigendi, ut proprius Parochus una cum ipsis versetur, & suas ipse per se functiones obeat; quia scilicet Pastor bonus longe melius suo munere fungitur, magisque sollicitus, atque alacrior est, quam Vicarius, qui non est nisi temporaneus.

Sequitur ex his omnibus, quoniam Episcopus cum Parocho dispensare nequit in servitio, quod propriæ Parochiæ debet, ut in Secretarium, Promotorem, Monialium Directorem eumdem eligat, Parochum non posse residentiæ deesse, aut

horum officiorum ullum suscipere, eo prætextu, quod Ecclesiæ servirium majus exhibeat.

Decisum bac die 20. Septembris an. 1698.
G. *Fromageau.*

Parochi Regulares, a quibus Jusjurandum exigitur.

C A S U S IX.

1 *Superior Canonicorum Regalarium a Religiosis ad Ordinis Parochias nomiaatis nequie exigere juramentam, quo proventaam Beaeficioram saorum administrationem suo Monasterio se relictaros promittant.*

2 *Jaramentam hoc utpote simoniacum aequaquam obligat, & qui illud edidit, ad Pontificem confugere debet, ut ab eo liberetur.*

Rogantur Sorbonæ Domini decidendis Conscientiæ Casibus præpositi, ut eum, qui sequitue, expendant, suamque supee ipso senteutiam dicant.

QUÆSITUM.

Cura Regularis . . . . . . duohus abhinc sæculis Abbatiæ Canonicorum Regularium unita eit in Urbe N. cum hac clausula, ut præsentatio ad Abbatem pertineat.

Quoniam porro longo temporis spatio Abbatis & Religiosorum una eademque Mensa fuit, atque adeo post eorum separationem, cum Abbatia in Commendam mutara est, cum Abbate tamen Commendatario servata est animorum concordia; Parochia hæc semper administrata est per Vicarium amovibilem, Congregationis horum Canonicorum Regularium Religiosum, quem Generalis Ordinis passim mittebat, & revocabat ad nutum; idque in more fuit ad annum usque 1686.

Hoc anno Rex edicto mensis Januarii sanxit, ut Parochiæ Commuuitatibus aut Capitulis unitæ a Vicariis perpetuis administrarentur, & Collatores nominarent intra tres menses Sacerdotes idoneos, qui eas in titulos possiderent, aliter Episcopi providerent. Horum Canonicorum Generalis, ut ejusmodi Constitutioni obsequeretur, & devoluta impediret, suorum omnium Familiarum Superiorum Congregationem coegit, & cum singuli stara die convenissent, hæc propositio congregationi facta est.

Pronunciatum est, cum Regis imperata facienda sint, Parochiis familiis unitis Vicariorum perpetuorum titulo Religiosos præficiendos esse; verum quoniam nomiuati possent, cum obtinuissent Episcopi *Visa*, seorsim vivere, & Parochiarum redditus asportare, ideo ante electionem cavendum esse. Ita porro cautum fuit.

Declaravir Generalis earum Parochiarum possessionem se nemini concessurum, nisi in præsentia jusjurandum ediderit, quod legetur in addito monumento. Cum nemo unus auderet reluctari, Evangelium manu singuli tetigerunt, edideruntque saltem specie tenus juramentum, quod assertum est liberum esse, propterea quod poterar non edi, Parochiis abrenunciando.

Parer N. qui in ea Coagregatione aderat, & juravit, ut cæteri, ad Parochiam N. nominatus est. Accepta a Generali possessionis venia, & Episcopi institutione, de more possessionem inivit. Hoc posito, ad propriæ conscientiæ securitatem duo quærit ille; primum, an illud jusjurandum obliget in foro conscientiæ; alterum, an Generalis a suis Religiosis illud exigere potuerit.

Quoad primum, ea est dubitandi ratio, quod Canonici Regulares possuut proprii Ordinis Parochias administrare, earumque Titulares esse cum Generalis Permissu, & per expressum Starutum hi Parochi libera gaudent administratione temporalium suorum Beneficiorum.

Qua in re quæritur, an Generalis eos adigere potuerit, ut huic juri renunciarent, extorto ab ipsis jurejurando propriis privilegiis opposito; præsertim eum Generalis peculiari mandaro id abolere nequeat, quod sancitum est io Statutis, quippe quæ in Capitulis generalibus edita sunt.

II. Regis Coustitutio assignat Parochiarum redditum Parochis aut Vicariis perpetuis. Ea, quam edidit Ludovicus XIII. die 15. Januarii an. 1629. in libris ad Statuum Supplicationes habitas Parisiis an. 1655. idem statuit in hæc verba:

„ Parochiæ unitæ Abbatiis, & Prioratibus, Ec-
„ clesiis Cathedralibus aut Collegiatis in posterum
„ seorsim ponentur, titulo Vicariatus perpetui,
„ cum omni Redditu, quin in ea dictis Ecclesiis
„ alia jura competant quam honoraria.

III. Jus Canonicum his Parochis sufficientem portionem adesse jubet: *Unde jura possint debita Episcopo solvere, sustentationem habere congruam, sicut expedit, & hospitalitatem tenere c. 2. apud Gregorium de Prabendis, & Dignitatibus, & Clementinu cap. 1. de jur. Patro.*

En Excerptum Statutorum Canonicorum Regnlarium Congregationis Salvatoris Nostri.

Statutum primum: *Cui de Beneficio provisam fuerit, statim se a Saperioris & Procuratoris Officio exclusam sciat.*

Et sane Religiosus, qui consulit, privatus fuit Superioris munere, statim atque ad Parochiam nominatus est; & ratio, quam ei Generalis attulit, ea fuit, quod eum in munere retinere non porerat, quin Ordinis Statura violaret.

Secundum Statutum ira habet: *Quicumque de nostris ad Abbatiæ aat Præpositura alicujas, non tamen Beneficii Parochialis regimen assametur, nullum bonorum temporalium Mensæ Abbatialis, aut alterius administrationem habebit, sed honesta & suæ diguitati congrua sustentatione coatentus vivet, cum tali dependentia a Superiore Generali Congregationis, ut possit per eumdem mitti in alias domos, quoties jadicaverit expedire ad utilitatem Religionis.*

Illud ex his statutis conficitur, ut, quoniam Generalis contra prioris statuti prohibitionem Regularem Parochum in Superioris munere non potuit retinere, ne hunc quidem Religiosum, aut alios eo adigere potuisse videarur, ut per juramentum expressis verbis abrenunciarent secundo, quod Beneficiorum suorum fructus percipiendi jus iis tribuit. Is, qui consulit, non nisi fortuita possidet in suo. Quærit igitur,

I. An Generalis potuerit exigere Juramentum, quod communi juri, & Ordinis Statuto contrarium est?

II. An hoc juramentum coram Deo obliget jurantem eriam invitum?

Ad primum quod attinet, nonnulli Sorbonæ Doctores, quos inter erat Dominus *De Lamet*, opinati sunt Generali non licuisse hoc juramentum exigere, quia repugnat communi juri, & Statuto, quod nihil continet non justum, & non sanctis Canonibus consentaneum, & cui Generalis refragari non potuit.

Quod spectat ad alterum, rogantur Doctores, ut definiant, an juramentum, quod Generalis extorsit, & quod æquitati, justitiæ, juri communi, & totius Ecclesiæ consuetudini adeo contrarium dignoscitur; coram Deo valeat obligare. Est autem his verbis expressum:

Ego N. Canonicus Regalaris Professus Congregationis Salvatoris nostri, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, promitto & juro Deo Omnipotenti, Jesu Christo Salvatori nostro, coram beatissima ejus Matre Virgine Maria, sanctis Apostolis, Beato Patre nostro Augustino, & universa cœlesti curia, & tibi Reverendissimo Patri N. Præposito Generali præfatæ Congregationis, & Successoribus tuis, me nunquam discessuram a communi societate vivendi, & si Rector alicujas Ecclesiæ Parochialis antehac monasteriis ejusdem Congregationis, per Bullas Pontificias, aut aliter quomodocumque unitæ institutus, & de eu provisus fuerim, dictæ Ecclesiæ Parochialis fructus, redditus, proventus, oblationes, aliaque emolumenta me non retenturum, nec de iis ullo modo in privatos usus sine expressa superioris licentia me dispositurum, sed consensurum ut jam de presenti consentio, ut Communitas, cui addictus fuero, ea percipiat, & in sui commodum convertat, sicut

ante edicta Regia de die 28. ultimi mensis Febeuarii in suprema Metensi Curia publicata solitum erat. Actum in Monasterio N. die 29. mensis Aprilis anno Domini 1686.

Juramentum hoc opponitur Doctoribus omnibus, qui Regulari Parocho Beneficii sui proventum concedunt.

I. Lessius *l. 2. c. 41. de statu Religiosi dubio* 11. in quæstione quam pertractat, *cui acquirat Religiosus post professionem?*

Respondet cum distinctione: *Si Religiosus habet Parochiam, vel aliud Beneficium, quod habeat corpus bonorum seorsim ab aliis, tunc omnia cedent beneficio, si autem non habeat corpus distinctum, tunc ea, quæ proveniunt ex beneficio, cedent beneficio, quæ vero aliunde, Monasterio. Ita Navarrus comment. 4. de Reg. n. 69. hoc modo conciliamus opinionem Bartoli in l. servus communis a stipulatione servorum, ubi dicit Bartolus Regularem Beneficiarium ea, quæ accipit ex Beneficio, acquirere ipsi beneficio, ea, quæ aliunde, Monasterio, cum opinione communi Canonistarum, qui dicunt omnia acquiri beneficio, nihil Monasterio.*

Ex prædictis infert *Navarrus comment. 2. de Regul. n. 10. & 11. & tract. de redditibus Ecclesiasticis q. 3. monito 25. Regularem Beneficiarium posse disponere de fructibus beneficii ad honestam sustentationem sui, ut ad pias causas, perinde ac sæcularis, & addit id ferme tenendum. I. Quia est sententia Card. Zabar. a toto orbe recepta, & a nemine in Theoria rejecta. II. Quia aperte insinuatur Clement. 2. §. sed & tales de vita & honestate Clericorum. Ubi ponitur differentia inter Regularem simplicem, & Beneficiarium, quod iste absque facultate Superioris possit immediate in opera pia impendere, ille non possit. III. quia omnis titulus canonicus beneficii tribuit facultatem disponendi redditus in sui congruam sustentationem & opera pia; qui enim est administrator beneficii, est etiam administrator fructuum.* Layman e societate Jesu postquam quæsivit, *cui acquirat Religiosus, qui Ecclesiasticum beneficium legitime obtinet?* Respondet in hæc verba: *Religiosum Beneficiarium, interim dum Ecclesiasticum beneficium* obtinet, *reddit, uum administrationem habere, quos proinde eum ad sui sustentationem, tum ad alias pias causas expendere potest, facultate ipsi a jure canonico concessa. Ita docet* Navar. *comment. 2. de Regul. n. 10. & 11.*

Tom. 1. Reg. 9. 34. art. 7. Molina tom. 2. disp. 276. Quare regula traditur ex eodem Navar. *n. 10. & de red. Eccles. q. 3. monito 25. quod Religiosus Beneficiarius ita disponere possit de fructibus sui Beneficii, sicuti sæcularis beneficiatus ex Clement. §. sed & tales de vita & honestate Clericorum; ratio vero est, quia talis est natura, seu institutio Beneficii Ecclesiastici, ut tribuat alicui jus administrandi redditus ad necessarios & pios usus.*

Quibus addi quoque possunt textus juris Canonici *lib. 1. Decret. tit. 35. c. 8. Pactiones factæ pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat cessare, nullius penitus sint momenti.*

Capite *ut nostrum Decret. lib. 3. tit. 12. Quia non licenit ex pactione, seu conventione quacumque sub modo, vel tenore præscripto concedere nudum Officium &c. cum cautum reperiatur in Canone, quod Ecclesiastica Beneficia sine diminutione debent conferri.* In corpore Juris tit. 56. q. 1. c. 22. *Si Monachus ad Clericatum promoveatur, beneficiari .... & annonæ & decimæ donentur absque ulla minoratione & dilatione, ut quanto melius possit, juxta possibilitatem suam, quando necessitas exstiterit, ad opera Ecclesiastica, & ipsam restaurandam Ecclesiam adjutorium faciat.*

Hinc illud infertur, promissionem, quam Generalis a suis Religiosis extorsit, simoniacam esse, ac proinde ejus servandæ juramentum a N. editum non esse obligatorium.

Non desunt tamen, qui putent ejusmodi juramentum obligatione non vacare; id autem ex eo sibi persuadent, quod quicquid opponitur ex jure communi, Canonibus, Statutis Ordinis, declarationibus Regis, Doctoribusque laudatis, illud quidem evincit Generalem non debuisse illud juramentum requirere, & Religiosos potuisse, atque adeo debuisse in id assentiri, ad ipsum, inquiunt illi, Juramenti invaliditatem nequaquam evincit, quia quod in eo promittitur, ne dum divinæ Legi contrarium est, immo potius tendit ad continendos Religiosos in observantia voti, quo se obstrinxerunt, suarum Parochiarum muneribus strenue fungendi; quod si id ipsis adimit libertatem conferendi suorum proventuum partem in pauperes, & Ecclesiarum suarum sustentationem, præsumendum est, Familiam, qui eosdem proventus percipit, huic officio fideliter satis facturam, editis eleemosynis, atque instaurationibus necessariis. Quare possunt Religiosi suum juramentum servare, quin ulli officio desint.

Confirmant sententiam hanc plurium Doctorum anctoritate, qui referente Prospero Fagnano, juramentum in hac facti specie obligatorium esse propugnant: *imo*, inquit ille, *quantumcumque juramentum prohibeatur a quacumque lege, etiam Canonica, imo & divina, tamen si illud, quod jurat, servari potest, sine interitu salutis æternæ, jurans tenetur ad illius observantiam, licet peccaverit in jurando.*

Hanc doctrinam fulcit Fagnanus Capitibus *et si Christus de jure jur. & monet. 22. q. 1. Secundum Abbatem*; eam autem Canonistæ rationem afferunt, quod Jusjurandum continet promissionem, quæ ad Deum directe refertur, ita ut si hæc promissio cum Dei Lege non pugnet, & sine ejus offensa impleri possit, omnino implendam esse contendant.

Porro promissio, quam N. Deo fecit in manu sui Generalis libere, & citra vim, ut dictum est, nequaquam Divinæ Legi repugnat; eam igitur servare debet, ni malit Parochiam dimittere; quam sane ne retinere quidem potest, si verum sit, ut ipse contendit, eam promissionem, sine qua Parochiam non obtinuisset, esse Simoniacam.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, propositas quæstiones ad duas redigi; quarum prima est, an Superior Generalis potuerit jusjurandum, de quo agitur, a suis Religiosis exigere; alter est, an Jusjurandum sit obligatorium, & quod inde consequitur, an Canonicus Regularis, qui illud edidit, teneatur fructus Parochiæ, quam possidet, suo Monasterio remittere?

Quoad quæstionem primam, Generalis non potuit hoc juramentum exigere; statutum Ordinis eam potestatem illi adimebat; eamdem prohibebat commune jus; vult enim jus Beneficiarios in titulum proventuum Beneficiorum suorum administratione gaudere, ex quo tritum illud, *Beneficium propter Officium*; ita ut quemadmodum munia & obligationes Beneficiorum eos immediate respiciunt, ita proventuum, qui iis annexi sunt, usus eadem ratione ad ipsos pertineat.

Sane Communitas Religiosa, quæ Parochiæ redditus administraret, instaurationes, eleemosynas, aliaque Beneficii onera non perinde persolveret, ac Beneficiarius ipse, qui ibidem versatur, qui probe novit, quid suæ Ecclesiæ ac pauperibus opus sit, qui fere plus habet miserationis, & facilioris accessus est, quam Communitas, cui non ita facile urgentia, quæ quandoque in Parochia occurrunt, negotia ob oculos poni possunt.

In Clementina *de suppl. negl. Prælat. c. un. §. præmissa* non vult Pontifex Monasterium Beneficii fructus sibi vindicare, nisi illud Conventuali Mensæ unitum sit. Majus etiam jus habet Religiosus in sui Beneficii fructus, cum illud non omnino a Regulari Prælato pendet, sed ejus collatio ad Episcopum spectat, ut docent Sanchez *l. 7. c. 29. n. 120. Moral.* & Tamburinus *tom. 3. disp. 9. q. 2. & 14. n. 16. de jur. Abb.* Ejusmodi est Religiosi consulentis Parochia, quæ per Ordinis statuta non debet esse amovibilis, & cujus collatio Episcopi est; atque hac de causa Generalis non potuit jusjurandum exigere, de quo quæritur.

Quoad quæstionem alteram, ejusmodi juramentum nequaquam obligat, quia exstitit Statutum Ordinis, quo Parochialium proventuum administratio & dispositio Religiosis provisis tribuitur. Neque apparet Generalem satis potestatis habuisse, ut statutum in generali Capitulo editum abrogaret; atque ut habuisset, adest in eo juramento implicita clausula, quæ est Simoniaca. Illud quidem convenire potest in-

inter plures nondum provisos, ut suos proventus in commune conferant; in eo nihil occurrit absonum, præsertim si id fiat ad bonum finem, & conventio libera sit; at cum Beneficia non nisi in certas quasdam personas conferri debent, & coguntur promittere fore, ut Monasterio, a quo pendent Beneficia, proventuum dispositionem relinquant, conditio hæc est Simoniaca; est enim perinde, ac si superior promitteret se Beneficia Curata non collaturum, nisi ea lege, ut qui eadem obtinuerint, promittant se in commune collaturos eum redditum, cujus dispositio ad eos pertinet pleno jure independenter a Communitate: cum scilicet hæc conditio, & hæc obligatio vitiosæ sint, id exigere Generalis non potuit, & jus, quod extorsit, nullum est, ac propterea non obligat.

Hoc responso refelli potest, quod dicitur, nempe quamvis jusjurandum aliquando juris dispositioni repugnet, & peccaverit, qui illud edidit, contingere tamen posse, ut obligationem pariat; id enim ita se habet, dummodo illud absque peccato servari possit, ac sine tertii præjudicio; ita Superior exempli causa potest promittere Religioso, cui Beneficium suapte natura amovibile tribuit, se eum nunquam revocaturum; peccat superior hic, & ea promissio nulla est ea jure *C. cum ad Monasterium de stat. Monach.* eamque proinde revocare potest; at si promissionem jurejurando firmavit, eam non amplius absque perjurio revocare potest, quia communis regula est, inquiunt Sanchez & Tamburinus c. L. juramenta, cum absque peccato id fieri potest, semper servanda esse; eadem est ratio jurantis se suum testamentum nunquam revocaturum. At jusjurandum in proposita facti specie est prorsus aliud, ut ex rationibus jam explanatis compertum fit.

Itaque Consilium concludit, I. Religiosum, de quo sermo est, peccasse, si jurejurando promisit id, quod se præstiturum in animo non habebat, quodque re ipsa proprii Ordinis Statutis, communique juri contrarium, & simoniacum erat. II. eumdem Religiosum non posse citra culpam suum jusjurandum implere, & proinde suæ Parochiæ proventus propriis superioribus disponendos relinquere, quia consummaret Simoniam, quæ occurrit in promissione, quam ab eo Generalis extorsit, & pœnis omnibus contra Simoniacos in Jure pronunciatis obnoxius foret; esset excommunicatus, & irregularis, ejus Beneficium esset impetrabile, & dubio procul ipse eo spoliaretur. III. Religiosum perjurum non fore, si suum jusjurandum non servet, quia est contra bonos mores, ac proinde nullum; verum ut scrupuli, qui suboriri possent, disjiciantur, e re fore, ut ille ad Pontificem confugiat, quo a jurejurando liberetur, atque ita in id unum incumbat, ut suo muneri satisfaciat.

Decisum hac die 27. Augusti an. 1693.
G. Fromageau.

Parochus, qui se abdicat, ut contra se excitatam procellam sedet.

CASUS X.

1 *Cum Parochus vel absque culpa gravis procellæ in sua Parochia coortæ occasio est, tenetur Beneficium dimittere, si intelligat nullam aliam procellæ tranquillandæ rationem suppetere.*
2 *Id non nisi consentiente Episcopo faciendum est.*

QUÆSITUM.

CUm non vulgaris loci Parochus integra valetudine, & plena cum cognitione suum Beneficium pure & simpliciter dimisisset, ejus frater illud obtinuit a Collatore; duobus post annis cum dimidio Frater possessione destitutus egit cum Titulari, ut ad suum Beneficium rediret; acta, & in id adhibita consilia cum Titularis provisionibus delata sunt ad optimos Advocatos Curiæ Parisiensis, in cujus jurisdictione Beneficium positum est; plurium quoque clarorum Officialium rogata sententia

est: nemo censet, quæcumque prior Titularis molitus est, a ratione abhorrere; certusque expectatur exitus, si ad rectum tribunal negotium deferatur.

At Parochiæ gravitas, conditio partium, inter quas orta est contestatio, circuitio, quam prior Titularis adhibet in suis consiliis, & in *Factum*, quod ut se commendaret, evulgavit, miseratio, qua expoliatos homines prosequi solemus, & ingenita propensio, quæ nos ad malum facile credendum adducit, hæc omnia jam in Parochia scandalum excicitarunt eo majus, quod Parochi familia ibidem præcipuo loco est; experientia hæc præsentem Titularem certum efficit fore, ut scandalum magis magisque augeatur, & insanabile forsan evadat, si negotium diutius perduceret, & in tribunalibus personet.

Cæterum alter jam annus est, ex quo ille Superiorum, consanguineorum, amicorum auctoritate utitur, utilia proponit, maximamque moderationem & patientiam impendit; nihil horum tamen potuit fratris animum componere, quippe qui adeo exacerbatus est, ut nulla tranquillitatis spes affulgeat, ac Titularis persuasum habeat, si negotium Senatus judicio subjecerit, & vel Solemnioribus Rescriptis in Parochiæ possessionu retentus fuerit, suum fratrem querelis, injuriis, libellis, fraudibus, aliisque ejusmodi adversum se bellum implacabile gerere non destiturum; veneni quoque, vis, & aliorum id generis facinorum minis perterrefactus est.

Titularis, re sedulo ponderata, ut est ad pacem natura factus, Parochiam pure & simpliciter in Collatoris manu abdicare paratus est. Parochus hic idoneus est, ac si Parochiam dimittat, nulla spes est fore, ut aliud officium sibi accommodatum inveniat. Collator vero timet, ne is, quem, Parocho dimittente, ad illud Beneficium nominaverit, pariter a priore Titulari, qui obstinato animo est, perturbetur.

Præsens Parochus, quo est animi candore, nihil aggredi voluit sine consilio sui Directoris, cui animi sui, hujusque, prout hic expositum est, negotii statum detexit. Ille vero ut in adeo salebrosa re prudens eidem consilium det, quærit a Sorbonæ Doctoribus;

I. An hic Parochus in foro conscientiæ teneatur in præsenti rerum discrimine se Parochia abdicare, ut scandalum de medio tollat, & Parochiæ pacem restituat?

II. Facta hypothesi ad id eum non teneri, quæritur, an ob eamdem causam, & ut bello, quod sibi imminere intelligit, occurrat, possit hic Beneficiarius tuta conscientia Parochiam dimittere, quamvis sit vero simile eum deinde sine officio perstiturum?

III. An possit tuto animo Parochiam retinere, atque ita se exponere universæ persecutioni, quam expectare debet, & scandalo, quod calumniæ & injuriæ persecutorum præsertim in infirmis animis, quorum magnus est numerus, poterunt excitare?

IV. Facta hypothesi eum posse tuta conscientia Parochiam tum retinere, tum dimittere; quæritur, utrum ad ædificationem, propriamque salutem satius sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat graviorem difficultatem, quæ occurrit in proposita facti specie, non in eo positam esse, utrum Titularis Parochiæ, de qua quæritur, suum Beneficium dimittere possit, sed utrum debeat. Posse quippe certum faciunt magna, quæ ingruunt, obstacula, quæque difficulter superari possunt. Quod attinet ad obligationem, facta hypothesi, quicquid in expositione allatum est, verum esse, & Titularis imaginatione, seu nimia religione difficultatibus pondus non addi,

Respondetur, Parochum, de quo agitur, postquam ea omnia adhibuit remedia, quæ ad sedandam, quam patitur, persecutionem aptissima judicavit, debere (nisi peculiaribus de causis censeatur utilius esse, ut suam ipse Parochiam resignet, aut permutet) eam dimittere in manu Collatoris, a quo

ipsam accepit, ut digniorem, quod facere debet, de ea provideat.

Nititur obligatio hæc primo loco ratione personæ Titularis, ita ut adbibitæ minæ legitimum fundamentum suppeditent timendi de ipsius vita, quam ille cæteroquin tueti debet, cum de ea pro bono Religionis, aut falute proaimi exponenda non agitur.

Deinde vero Titularis hic est occasio, licet non vitio suo, excitatæ procellæ, adeoque si ejus sedandæ, si tollendi scandali, si demum Parochiæ ad pacem revocandæ nulla alia ratio præsto sit, quam Parochiæ abdicatio, ille quidem ea se abdicare debet, ut in alterum conferatur, qui Titularis fratri minus odio erit, & cujus occasione Deo non tam graves injuriæ, ut fit vero simillimum, irrogabuntur.

Ad extremum Beneficium a Titulari nostro, licet ad illud administrandum idoneus sit, dimittendum esse ex eo clarius evincitur, quod per ea, quæ contra ipsum suscipiuntur, & quæ in Expositione commemorata sunt, impeditus est hactenus, & semper etiamnum impeditur suæ Parochiæ prodesse; ut proinde in sede, quam occupat, evadat inutilis, atque adeo fortasse noxius in eo discrimine, in quo res sunt, & in quo fore prævidentur. Atque ad quæstionem quidem primam ita responsum sit.

Ad alteram respondetur, ut Titularis Parochiam retineat, non satis esse asserere, fore, ut ille congruo munere careat; ei quippe, utpote idoneo officium non deerit; præterea debet ille multorum bonum suo privato commodo anteferre; neque vero redditurus est Deo rationem boni, quod non fecerit, cum facere non potuerit; at redditurus esset ejus, quod impedivisset, Parochia non abdicata, quoniam hoc modo ipse, licet ex suorum adversariorum improbitate, ac persecutione, suæ Parochiæ bono obstaculo esset.

Ad tertiam, si id unum ageretur, ut injustæ persecutiones perferrentur, ideoque Religionis & Parochiæ bonum requireret, ut Beneficiarius in suo munere perseveraret: tum sane patientiam & fortitudinem a Deo deberet enixe petere, atque ita Beneficium ob ejus bonum, suorumque subditorum salutem retinere; verum id e converso agitur, ut grave scandalum, quod ejus occasione in Parochia excitatum est, de medio tollatur, & ibidem tranquillitas reparetur. Porro sperandum est fore, ut Titularis alius eo longe melius, qui in præsentia Parochiæ præest, ejusmodi bonum procuret.

Ad quartam, Titularis Parochiam dimittens ad suorum Subditorum ædificationem, & ad suam ipsius salutem multum conferet; quoniam suæ Parochiæ tranquillitatem conciliabit, & non amplius obnoxius occasioni lædendi Dei, vel, ut ab aliis lædatur, efficiendi. Quamobrem, his omnibus positis, ponderatisque, Titularis, de quo quæritur, se Parochia abdicare debet, nisi Ordinarius, cui præsentem difficultatem tenetur exponere, spectatis quibusdam peculiaribus circumstantiis, aliter judicaverit.

Decisum die . . . Decembris an. 1695.
G. *Fromageau*.

PAROCHIA.

PArochiæ nomine venit Beneficium, in quo est animarum cura, videlicet in quo Sacerdos tenetur invigilare rationibus gregis sibi ab Ecclesia concrediti, eum erudire, ei Sacramenta administrare, ei denique, prout opus fuerit, opitulari, quoniam debet, docente Divo Paulo, animarum omnium, quarum curam habet, Deo rationem reddere. Hæ Parochiæ cum Ecclesia ortæ sunt; Apostoli quippe in Ecclesiis recens institutis crearunt Presbyteros, qui eas una cum primo Episcopo administrarent; & hic quidem Episcopus ad earumdem Ecclesiarum regimen alios, cum opus esset, instituendi potestate gaudebat. Amplificata deinceps Ecclesia, & Fidelium numero succrescente, necesse fuit in una eademque Urbe plures Ecclesias extrui, quippe cum Episcopalis satis non esset, statuique Presbyteros, qui rusticanis Ecclesiis præessent. Constat Optati temporibus quadraginta Basilicas, quas regebant Presbyteri, Romæ fuisse, & Cornelius Pontifex in sua ad Fabium Epistola testatur in Romana Ecclesia quadraginta sex Presbyteros extitisse. Qui Episcopalem Ecclesiam, quæ Cathedralis dicta fuit, administrabant, subsecutis temporibus Canonicorum nomen sumpserunt; cæterique Presbyteri Ecclesiis aliis tum Urbanis tum agrestibus deservientes nominati sunt Parochi, & eorum Beneficia Parochiæ. Hæ Parochiæ prioribus Ecclesiæ sæculis nuncupatæ sunt Tituli, scilicet loca precum aut orationis, quæ circum undique lustrabat Episcopus Fidelium congregationem habiturus, ante quam singulis in locis Presbyteri statuerentur. Hac distributione opus fuit in magnis Urbibus, ut Romæ, & Alexandriæ, ubi ineunte sæculo IV. plures Ecclesias, & in singulis Presbyterum docendo populo addictum intelligimus extitisse. Haud ita multo post Oratoria ruri extrui cœpta sunt eorum commodo, qui ab Urbe disiti essent, & in his Oratoriis Presbyteri ponebantur. Ejusmodi fuit Curatorum Beneficiorum seu Parochiarum exordium. In parvis Urbibus sufficiebat Cathedralis; unde adhuc in pluribus Cathedralibus Parochiæ sunt.

Pluribus Senatus Rescriptis declaratum est, Episcopis jus esse Parochias in suis Diœcesibus erigendi; & Senatus Burdegalensis Rescripto suo diei 23. Maji an. 1669. Episcoporum potestatem agnovit, & in Constitutionibus ab Episcopo Bajonnensi in hanc rem editis nihil absonum existere pronunciavit. Omnes etiam Parochiæ Episcopali Jurisdictioni subjectæ sunt, sive illæ ad Sancti Joannis Hierosolymitani, sive ad alios Regulares Ordines spectent; adeoque Episcopi eas possunt invisere, eorumque Mandatis Parochi se subdere debent. Negari non potest aliquando Parochias exemptas in Monasteriis extitisse, quæ quidem exemptæ Parochiæ ex parte inde ortum traxerant, quod ab initio in aliquibus ex suis Parochiis Monachi ipsi Parochorum munere fungerentur. Cum enim, quod ad ipsos spectabat, ab Episcopi visitatione exempti essent, quia juxta propriam Regulam ab Abbatibus dependebant, hanc eamdem exemptionem in suis Parochiis servare voluerunt, cum earum administrationi sæculares Presbyteros præficere coacti sunt; atque hac ratione pedetentim Territorium & Jurisdictionem Episcopalem sibi compararunt, quæ quidem Jurisdictio ad eos minime pertinebat, quippe cum ab ea illi non solum communi jure, sed propria quoque Regula removeantur. Jus hoc pluribus Pontificum Decretalibus confirmatum adhuc alicubi persistit.

Parochiarum, ad quas nominatio Episcopi est, collatio ad Capitulum spectat, Episcopali Sede vacante, ut Parisiensis Senatus Rescripto die 6. Septembris an. 1642. definitum est. Parochiæ tam Regulares quam sæculares subjectæ sunt juri vacationis ad Archidiaconos pertinentis, exceptis iis, quorum Titularibus permutatione aut resignatione in favorem provisum fuerit. Ita judicatum est Rescripto Parisiensis Senatus in favorem magni Archidiaconi Carnatensis, cui servata est possessio juris vacatio-

nis

nis in Ecclesia *de Champ-ront*, quandiu contentiosa fuit. Rescriptum hoc est diei 26. Augusti an. 1651. Aliud magnæ Cameræ diei 17. Decembris an. 1652, servat idem jus Archidiaconis Suessionensibus. Omnes Normandiæ Episcopi gaudent jam pridem vacationis jure, quod eorum gratia commune jus quodammodo evasit. Præscriptio potest in hac facti specie tituli loco esse, quia absolute & generaliter loquendo perceptio fructuum ex vacatione cum Episcoporum jure non pugnat. Antequam decimæ, aliique redditus, qui Episcopis cum Parochis Ecclesias administrantibus communes erant, distribuerentur, maximam eorum portionem Episcopi percipiebant. In eorum quoque potestate erat aliis, quod congrueret, assignare; potuerunt etiam, quin communi juri vel tantillum derogarent, sibi sumere, cum partitio facta est, semel annua omnium Parochiarum, quæ in eorum Diœcesibus existebant; quemadmodum etiam in Galliis Diœceses aliquæ sunt, in quibus Episcopi Parochiarum decimis quarto quoque anno fruuntur; quod ex eo esse fit verosimile, quod quartam sibi partem in earum partitione retinuerint.

Parochiæ Abbatiis, Prioratibus, Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis unitæ Vicariatus perpetui loco & titulo habendæ sunt per Constitutionem an. 1629. art. 12. Archiepiscopi & Episcopi præcipient Abbatibus, Prioribus, Capitulis, & cæteris Ecclesiasticis, qui gaudent Jure Parochorum primitivorum in Ecclesiis per Parochos amovibiles administratis, ut definito tempore sibi nominent Presbyteros iis qualitatibus præditos, quæ ad Vicarii perpetui munus obeundum requiruntur, iisque congruam portionem assignabunt ipsorum sustentationi convenientem, Parochiæ, & Servitii præstandi ratione habita. Capitula, quorum mensæ Parochiæ unitæ sunt, iisdem Vicarios perpetuos præficiendos curabunt; & quia Capitulum Lingonense tertio quoque anno Canonicum delegabat, ut Ecclesiæ Sanctorum Petri & Pauli, quæ ejusdem Capituli Mensæ unita erat, deserviret, Parisiensis Senatus Rescripto in Reformationis modum edito die 23. Februarii an. 1664. declaratum est id Capitulo facere non licere, statutumque, ut dictum Capitulum Lingonense, & alia omnia Capitula & Communitates Senatoriæ Jurisdictionis, quæ Parochias habent suis Mensis unitas, iis statim providendum curarent.

Vide (PAROCHI.

De ætate ad Parochiam possidendam necessaria.

C A S U S I.

Non potest absque dispensatione possidere Beneficium, quod animarum curam habet, ante ætatem annorum viginti quinque.

Q U Æ S I T U M.

POssuntne Parochiæ Provisiones tribui Clerico, cujus ætas sit tantum annorum viginti trium cum dimidio? Potestne Ordinarius ei *Visa* tradere absque dispensatione?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, ut quis obtinendæ Parochiæ sit capax, annorum viginti quinque ætatem requiri, ut liquet ex *c. Cum cunctis de elect. & electi potestate §. inferiora*; atque ita Episcopus ei *Visa* tribuere non debet, qui ætatem hanc nondum attigerit, nisi ille dispensationem obtinuerit: *Inferiora Ministeria*, (Decretalis hujus verba sunt) *ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum attigerit, & scientia & moribus commendandus existat.* Hoc principio posito, non debet Ordinarius conferre *Visa* Clerico annorum tantum viginti trium cum dimidio, quoniam ætatem ab Ecclesiæ disciplina præscriptam non habet, facta hypothesi nullam ei dispensationem præsto esse; si enim adesset dispensatio, nulla difficultas occurreret, modo alias dotes necessarias haberet, ut dicitur in glossa capitis *Cum in cunctis v. attigerit.*

Decisum die ...., Augusti an. 1679.
Aug. *de Lamet.*

Parochia non administrata, resignata cum pensione.

C A S U S II.

1 Non potest percipi pensio ex Parochia per annum retenta, & ne hoc quidem tempore administrata.

2 Quandonam pensio ex Beneficio percipi possit?

Q U Æ S I T U M.

CUm Parochus M. Parochiam resignasset, mortis causa, Domino N. tunc Canonico; hic, eo mortuo, Vicario per annum Parochiæ curam commisit, quod Subdiaconus tantum esset; annoque elapso eam resignavit Domino V. cum 300. librarum pensione probata in Romana Curia multo ante Regis Declarationem, quæ dictas pensiones non nisi post quintum servitii annum permittit.

Nihilominus dictus N. alterum Canonicatum adeptus (per resignationem in Romana Curia receptam) ea conditione, ut priorem intra annum dimitteret, eo se abdicavit cum pensione librarum 300. aliarumque 300. librarum ex Beneficiis provenientium; & quia Resignatarius non potest nisi 240. libras annuas ex Beneficiis persolvere, creavit pensionem librarum 60. ut conficeret 300. libras, quas pendere tenebatur.

Deinde Dominus N. hunc alterum Canonicatum, & Capellas pure & simpliciter resignavit, quin pensionem aut Beneficium sibi reservaret; atque ita Ecclesiasticus ejus proventus tribus hisce tantum pensionibus continetur, una scilicet 300. librarum ex Parochia, & duabus aliis ex priore Canonicatu, librarum omnino 360. quia 240. libras annuas dimisit resignans Cappellas seu Beneficia simplicia. Porro notandum est Dominum N sibi sumpsisse pensionas ex veteri Canonicatu, quia plus quam quadraginta annorum spatio ei deservierat.

In præsentia scire cupit, an tuta conscientia dictas pensiones, & elapsos fructus exigere possit, cum nulla amplius possideat Beneficia, quorum partem in eo impendit, ut duo nepotes in collegiis educarentur, atque ita iisdem Beneficiis occupandis idonei fierent, quæ quidem iis resignavit, quæque illi reipsa possident?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, non licuisse Domino N. librarum 300. pensionem sumere ex Parochia, quam Domino V. resignavit, cum eam non nisi per annum tenuerit, eique nec deservierit; dum enim eam Parochiam occupavit, ejus retinendæ animum vel habuit, vel non habuit; quod si eam non occupavit, nisi ut alteri traderet, nec potuit nec debuit ullum ex ea lucrum percipere, adeoque quidquid percepit, restituere tene-

netur, seu de eo anno, quo Parochiam tenuit, sermo sit, seu de pensione, quam inde retinuit. Hæc est sententia *C. Commissa de elect. in 6. Cæterum si promoveri ad Sacerdotium non intendeas, Parochialem receperis Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias, ipsam postmodum dimissurus, nisi volantate mutata promotus fueris, teneberis ad restitutionem fructuum eorumdem, cum eos receperis fraudulenter.* Et Bullæ Pauli IV. *Inter cæteras*, relatæ in Bullario *n. 12. si qui Beneficia pro se ipsis & intentione ea postmodum in favorem aliorum quantumvis idoneorum cum pensione aut commodo, aut sine eo resignandi obtinere procuraverint, excommunicationis sententiam sine alia declaratione incurrant.*

Si hic Ecclesiasticus Parochiam acceptans ejus retinendæ intentionem habuit, & aliqua legitima causa deinde suborta, eam post annum deserere coactus est, debuit id facere pure ac simpliciter sine pensione; neque enim videtur rationi consonum, hominem, qui in Beneficio non laboravit, compensationem percipere, quemadmodum e converso æquum est, percipere, cum laboravit. Non desunt sane causæ aliæ sumendæ pensionis ex Beneficio; at earum nulla in Expositione in medium adducitur. Præterea cum pensiones odiosæ sint, quia graves sunt Beneficiis, quorum proventum imminuunt contra hanc inveteratam regulam Juris, *Beneficia sine diminutione conferuntur*, non nisi gravibus de causis earum usus extendendus, eæque admittendæ sunt; adeoque cum non appareat Domino N. dictæ pensionis 300. librarum ex Parochia sumendæ ullum satis firmum titulum præsto esse, tenetur ille perceptos fructus restituere, & 300. librarum pensione Parochiam liberare.

Decisum hac die . . . . . an. 1698.
G. *Fromageau*.

Parochia petita a Religioso Reformato.

CASUS III.

1 *Religiosus Ordinis reformati ad Parochiam nominari non potest ex solo Episcopi, ejusque Superiorum consensu.*
2 *Ad id opus est peculiari, eademque satis expressa & clara Pontificis dispensatione.*
3 *Debet eam obtinere, ante quam ad Parochiam nominetur; at qui consulitur, ægre admodum ejusmodi dispensationem consequi poterit,*

QUÆSITUM.

DOmini Doctores rogantur, ut velint super hac facti specie dicere, quid sentiant.

Monachus reformatæ Congregationis ob maxime legitimas causas obtinuit a suis superioribus veniam transeundi ad laxiora. Ille utpote infirma valetudine sexcentis redditus libris, ut subsisteret, indigeret; & quoniam nulla Monachalis sedes hanc summam suppeditat, & Monasterium, e quo egreditur, ob incommoda, quæ sequerentur, nullam ei pensionem statuere vult: quærit, an tuta conscientia Parochiam acceptare possit, ac possetne ad aliquam earum, quas conferendi jus habet, a Monasterio nominari?

Religiosus, pro quo consulitur, habetur apprime virtute præditus, & satis idoneus officio Parochi, cum ejus ægritudines non nisi cum vigiliis, jejuniis, abstinentia, aliisque accuratæ reformationis asperitatibus conciliari non possint, nec, quominus Parochi munere perfungatur, impediant. Est etiam propemodum indubitatum, si Beneficii proventus sexcentas libras excederet, quod superesset, pauperum fore.

Facta hypothesi id fieri posse, indigetne Religiosus Pontificis dispensatione, ut hanc Parochiam obtineat, quia commune Jus in Lateranensi Concilio *c. Monachi, de statu Monachorum* institutum refragatur? Satisne esset Ordinarii acceptatio? Fagnanus *2. p. tertii libri de juribus in cap. quod Dei timorem, de statu Monachorum* n. 17. priori sententiæ subscribit. E contra Barbosa *tom. 2. in lib. 3. Decretalium, in cap. possessionem, de rebus Ecclesiæ alienandis*, n. 4. posteriorem sententiam tuetur, Episcopi scilicet acceptationem sufficere.

Si a Romana Curia dispensatio obtinenda sit, quæritur, obtinenda ne sit, antequam Religiosus ad Parochiam nominetur, an vero expectari possit, dum a proprio Monasterio aut ab aliquo alio Collatore nominatus fuerit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, juxta antiquos Canones Monachos ad Parochias eligi potuisse. Id quippe postea vetitum fuit, ut licet intelligi ex *c. Monachi de stat. Monach.* Commune Jus, quod antiquum emendavit, id privilegii Regularibus tantum Canonicis reservavit, qui licet Religionem profiteantur, his tamen sæcularibus Beneficiis pro susceptæ vitæ ratione magis, quam ceteri Monachi conformes sunt. Id omne expressum est in *cap. quod Dei timorem eodem titulo*. Sed illud animadvertendum est ex Jure veteri nullum Religiosum in Parochum eligi consuevisse, nisi cogente necessitate, aut Presbyteris sæcularibus deficientibus *c. Priscis dist. 55.* ac tunc quidem illud quoque requirebatur, ut necessitas aut magna utilitas Canonicum Regularem Parochiæ Episcopo subjectæ præfici postularet, & qui e Parochia essent, id maxime optarent. Hæc mens est capitis *quod Dei timorem l. cit.* idemque animadvertit Barbosa in hoc caput n. 6. *Notatur ad hoc, quod Regulares de jure possunt promoveri ad Ecclesias Parochiales sæculares, dummodo illarum concurrat necessitas aut utilitas, quibus Regulares præficiendi sunt.* Cardinalium in Tridentinam Synodum Congregatio, quam referunt Garcias *de benef. 7. p. c. 10. n. 32.* & Corradus *l. 6. c. 1. n. 21. de disp. Apost.* optimum factu judicat, ut aliter Pontifex non dispenset: *Nihil autem concedendam, nisi instante Episcopo, pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ.*

Hac quidem in re inter Auctorum plerosque convenit. At iidem in diversa abeunt, dum inquirunt, an Canonico Regulari, ut Parochiam Episcopo subjectam obtineret, necessaria esset Episcopi dispensatio, an vero Episcopi permissio sufficeret? Videri potest hac in re Barbosa *l. 1. c. 43. n. 223. de jure Eccles.* & Sanchez *l. 7. moral. c. 29. n. 65. & 66.* Utut res habeant, certum est ex Jure novo, instituto in Lateranensi Concilio sub Leone X. ubi dicitur, *Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus*, id in more positum esse, ut Religiosus Parochiam ab Ordinario pendentem tenere nequeat absque Sedis Apostolicæ dispensatione.

Hæc est sententia Rebuffi in *concord. tit. de coll. §. volumus v. dispensationis*, & alio in loco in sua Praxi Beneficiaria *tit. de disp. cum Regul. nn. 5. & 6. Quandoque dispensatur, ut Religiosus Curatum habeat, & Ecclesiam Parochialem, quod prohibetur in cap. Monachi de stat. Monach. quia plangentis, non docentis habet officium; quod est verum, nisi sit Beneficium curatum sui Ordinis, & per fundationem illi addictum; tunc ad præsentationem Abbatis poterit Curæ præfici etiam sine dispensatione: Clem. ut Possessores. & n. 7. dispensatur etiam cum Regulari, ut sæculare Beneficium habeat, in quo præfici est omnino de jure prohibitus, d. c. Monachi de stat. Mon. sunt enim regularia committenda Regularibus, & sæcularia sæcularibus §. volumus. de collat. in concordat.*

Barbosa in cap. *quod Dei timorem n. 2.* ait sibi visos esse in Romana Curia Advocatos, qui Beneficium sæculare a Canonico Regulari absque dispensatione teneri posse fidenter assererent; at magnum sibi scrupulum ex eo injectum esse, quod contrariæ sententiæ Doctores ajebant: *Non mihi minimum scrupulum intulit aliorum Doctorum resolutio asserentium dispositioni hujus textus fuisse derogatum per concordata concilii Lateranensis sub Leone X. Papa, & sic etiam non licere Canonicis Regularibus sæcularia Beneficia curata obtinere, prout significarunt plures SS. Pontifices.* Sane Sanchez *l. 7. mor. c. 29. n. 70.* in medium affert Decretum Gregorii XIII. prohibentis, ne Canonici Regulares citra dispensationem Parochias obtineant; idemque Barbosa *l. c. n. 3.* sententiam suam aperit

in

in hæc verba: *Hodie nullus Regularis est capax Beneficii Curati absque Pontificis dispensatione; quia ita observari videmus, & insuper emanavit quædam declaratio fueræ Congregationis Concilii Tridentini, per quam jam nulli Regulares possunt sine dispensatione Apostolica Beneficia Curata nec in perpetuum, nec ad tempus habere.*

Cardinalis Corradus *l. 6. disp. Apost. c. 5. n. 7. & seq.* agitat quæstionem in utramque partem, tandemque in negantem descendit: *At vere ego in tuta praxi ad negativam inclinandum esse existimo; nimirum Canonicos Regulares non esse admittendos ad Curam Parochialem Ecclesiarum absque Sedis Apostolicæ dispensatione, ita enim fuit resolutum per sacram Congregationem Episcop. & Regul. 1. Septemb. 1630. & sic vidi pluries servatum in praxi, a qua vera legum interpretatio desumitur.*

Affert deinde, quod supra dictum est de Lateranensi Concilio sub Leone X. *Illud enim est, quod fatis urget, nempe quia supradictæ dispositioni textus in d. capite, quod Dei timorem, fuit derogatum per Concordata Leonis X.* tum ita concludit: *quapropter absolute dicendum est, ipsis Canonicis Regularibus non posse conferri Beneficia sæcularia, prout non modo testantur omnes peritissimi & antiquissimi Curiales, verum etiam multi SS. PP. significarunt.* En quod ad Regulares Canonicos spectat; nam quoad Religiosos alios id nullam difficultatem patitur, ut ait Corradus n. 55. cujus hæc verba sunt: *Hæc autem quoad Canonicos Regulares ad Beneficia Curata. Quoad vero alios Regulares est etiam attentis testibus superius allegatis omnino esse inhabiles ad ea Beneficia obtinenda non ambigitur.*

Hoc posito, ad propositas quæstiones tres respondetur.

Ad primam, Religiosum, de quo quæstio est, Parochiam aceeptare non posse, & a Monasterio reformato, quod ad Parochiam præsentandi jus habet, ad eam nominari non posse, quia ut Regularis sæculari Beneficio obtinendo ineptus est, nec minus ineptus esset, si propter veniam transeundi ad laxiora se transferendum curaret. Nam juxta Tridentinam Synodum *Sess. 14. c. 11. de reform. Regularis translatus* ullius curati Beneficii suscipiendi est omnino incapax, etiamsi Canonicus Regularis esset: *Taliter translatus, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia sæcularia etiam Curata omnino incapax existat.* Cæterum non desunt Preshyteri, qui Parochiam hanc administrent; maximum hujus Ecclesiæ bonum ejusmodi Parochum non requirit; Episcopus loci non eum efflagitat. Jam vero id omne necessarium esset, ut hic Regularis ad Parochiam, de qua agitur, oominari posset.

Ad secundam quæstionem, Regularem hunc ejusmodi Parochiæ, quæ Beneficium sæculare est, tenendæ ineptum esse absque Pontificis dispensatione. Ita sentiunt Auctores laudati, aliique plures Canonistæ, quos afferunt Barbosa, & Cardinalis Corradus l. c. Idque etiam fit certius, si Regularis, de quo agitur, se ad alium Ordioem transferendum curaverit, propter Tridentinæ Synodi prohibitionem, de qua dictum est. In Galliis usus obtinet, ut Regularis translatus a Sancta Sede dispensationem obtineat, quo Beneficium tenere possit, ut ex Audientiarum Diario licet intelligi *t. p. l. 4. c. 2.*, ubi refertur Rescriptum anni 1642. editum adversus Franciscanum Fratrem, qui ad Sancti Augustini Ordinem se transferendum curaverat, ibique Regularem curam susceperat absque peculiari dispensatione, qua Beneficia obtinendi capax declararetur. Idem docet Fevretus *l. 2. c. 3. n. 11.*

Itaque non satis esset Religiosum, de quo quæritur, Episcopi probatione gaudere, ut hanc Parochiam susciperet, opus est Romanæ Curiæ dispensatione. Barbosa persuasum non habet, quod in expositione dicitur, solam Ordinarii permissionem sufficere. Tradit ille, perinde ac Sanchez, quem laudat, id unum, quod Jure veteri permissum erat; tunc enim Regularis Parochiam sumere poterat, Ordinario permittente; quod Jure novo non amplius licet; en verba Sanchez *l. c. n. 71. Hæc autem sunt attento jure antiquo dicta; nam hodie nullus Regularis est capax Beneficii Curati, absque Pontificis dispensatione, quia ita observari videmus, & insuper emanavit quædam declaratio Congregationis Concilii Tridentini, cujus verba hæc sunt: Dominus noster Gregorius XIII. noluit licere Canonicis Regularibus, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu S. P. assumere curam animarum, etiam ad tempus.*

Ex iis, quæ supra ex Barbosa allata sunt, facile iotellectu est, nunquam existimatum fuisse, quod in expositione dicitur, Episcopi permissionem hodie satis esse Regulari, ut Beneficium curatum obtineat; id si in dubium vertitur, videri potest *l. 1. c. 43. n. 223. & l. 3. c. 4. n. 80. de jure Ecclef. univers.*

Ad quæstionem tertiam, expedire, ut Regularis, antequam ad Parochiam oominetur, a Romana Curia dispeosationem obtineat; nam absque dispensatione ad eamdem ineptus est, præsertim si ad alium Ordinem migraverit. Verendum est etiam, ne Pontifex, si adhæreat Congregationis Tridentinæ Synodi sententiæ: *nihil tamen concedendum, nisi instante Episcopo pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ*, renuat, quam petet, dispensationem eidem concedere. Et sane non satis graves rationes affert, ot ad hanc gratiam sibi impertiendam Pontificem moveat.

Decisum in Sorbona hac die 16. Februarii an. 1693.

G. *Fromageau*.

Unius Parochiæ subditi ad aliam translati.

CASUS IV.

Qui officinam ferrariam emit sitam in Diœcesi, & Parochia alia ab ea, in qua domicilium habet, non potest transferre jus Parochiæ ad locum, in quo moratur, & eos, qui sibi laborant in officina, debet in ea Ecclesia relinquere, ad quam se conferebant, prius quam ipse officinæ dominus esset.

QUÆSITUM.

IN Abbatia J. diœcesis T. est Parochia, cujus subditi omnes domicilium habent seu resident io Jurisdictione dicti J.

Ibi existit officina, quæ olim ad Abbatiam pertinebat, sed per alienationem devenit in potestatem Domini G. degentis A. in Diœcesi C. tribus leucis inde dissita.

Omnes Villici & Operarii, qui hactenus cum suis familiis, & officiis peculiaribus in hac officina morati sunt, dictæ Parochiæ J. subditi semper sunt habiti, & ibidem omnia, quæ Christianum hominem decent, officia præstiterunt.

Non ita pridem visum est Domino G. in eadem officina creare atque alere certa mercede Villicum, Famulam, aliosque non paucos domesticos, qui quidem fere ibidem resident, nec ad domini sui domicilium A. proficiscuntur, nisi ab eo vocati ad aliqua urgentia opera, in quibus eos ille detinet ut summum duobus tribusve per annum mensibus.

Quæritur, utrius Parochiæ subditi censendi sint hujusmodi homines, atque in utra Christianæ Religionis officia implere debeant; an scilicet in Parochia J. in qua diutius versantur, an vero in Parochia A. in qua eorum Dominus degit?

RESPONSIO.

Consilium Coosicientiæ subscriptum existimat, cum officina, da qua in Expositione dictum est, existat intra Parochiam J. quique eam incolunt, ab immemorabili tempore in dicta Parochia morati fuerint; parum ejus interesse, ad quem officina pertinet, sive sit Abbatia J. sive quivis alius, ut ad eamdem Parochiam spectare censeatur, id enim ab origine pendet a solo, quod uni certæ Parochiæ potius quam alteri tributum est in eum finem, ut loci Pastor incolarum curam gereret, nec pervertetur ordo, qui in Ecclesia vigere debet, ut loquitur Tridentina Synodus sess. 14. cap. 9. & ut quisque Pastor suarum ovium rationem habeat: *Optimo jure distinctæ sunt Diœceses & Parochiæ, ac unicuique gregi pro-*

proprii attributi Pastores & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, ut Ecclesiasticus ordo non confundatur.

Quod si qui in officina degunt, ei inserviunt, qui ad aliam Parochiam pertinet, id nihil refert; I. quia hi suppositi servi non nisi obiter ad suum dominum pergunt ob urgentia opera, adeoque duobus tantum tribusve mensibus apud eum manent, & reliquo anni tempore in officina persistunt. II. recipiunt Sacramenta in Parochia J. non autem in Domini Parochia tribus leucis ab eadem officina dissita, & quidem in alia Diœcesi existente. Cæterum etiam post alienatam officinam, qui eam incoluerunt, fuere Parochiæ J. Uno verbo servi majore anni parte alicubi morantes, ad loci Parochiam pertinere censentur. Videri potest Lessius *l. 2. c. 40. dub. 18. n. 125. & l. 4. c. 2. dub. 7. n. 47. de jure & just.* ubi domicilium absolutum distinguit ab altero quoad Parochiam & Sacramenta.

Denique nec jus nec potestas penes eorum dominum est mutandi Diœceseon, aut Parochiarum limites ab earum exordio statutos auctoritate suprema, atque ita Ecclesiæ ordinem invertendi, ut dictum est, *ne Ordo Ecclesiasticus confundatur*. Ex quo sequitur officinæ, de qua quæritur, incolas semper, ut antea, censendos esse ad Parochiam J. pertinere, ibique, quod subditorum est, præstare debere.

Decisum in Sorbona hac die 30. Augusti an. 1702.
G. *Fromageau*.

Parochiæ, in quibus Vicarii perpetui creandi sunt.

CASUS V.

1 *Capitula in Ecclesiis, in quibus ipsa primitivorum Parochorum titulo gaudent, Vicarios perpetuos, non vero Sacerdotes amovibiles creare debent.*

2 *Legitime potest Sacerdos obtinere a Romana Curia provisiones ad Parochium, quæ ab amovibili tantum Vicario administratur, cumque ita ei provisum fuerit, sui Episcopi Visa consequi.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut duabus hisce quæstionibus satisfaciant.

Prima est, an Capitulum, quod in Urbe muro septa Parochi primitivi dignitate gaudet, possit delegatis Presbyteris amovibilibus hanc Parochiam regendam tradere. Opponitur id necne Conciliis, qui Vicarios perpetuos in titulum requirunt, & Regis declarationi an. 1686. id præcipienti?

II. est, an idem Capitulum tuta conscientia possit se juridice opponere Sacerdoti, qui, cum Romanæ Curiæ provisiones, suique Archiepiscopi *Visa* obtinuerit, hujus Parochiæ possessionem init?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, I. necesse esse, ut Capitula Vicarios perpetuos, non autem Presbyteros amovibiles statuant in iis Parochiis, in quibus Parochorum primitivorum titulo gaudent. Ita definiunt plura Parisiensis Senatus Rescripta, & præsertim quod die 15. Martii an. 1661. adversus Clermontii Capitulum editum est in modum Reformationis ad Regis Curialium conclusiones, in quibus distinctim proponuntur rationes, propter quas in Parochiis, quæ a capitulis pendent, Sacerdotes ad nutum amovibiles ferendi non sint. Declaratione diei 29. Janarii an. 1686. firmata est hæc Reformatio, ac deinde etiam postremo Regis edicto an. 1695. art. 24. statutum est, ut in hujusmodi Parochiis Vicarii perpetui constituerentur.

II. Ex hac responsione consequitur Presbyterum Parochiæ, de qua sermo est, tanquam vacantis provisiones a Romana Curia, suique Archiepiscopi Visa obtinere legitime potuisse. Quare cum ille titulo legitimo gaudeat, Capitulum, de quo quæritur, jure nequit repugnare, quominus hic Sacerdos legitime provisus possessionem adeat.

Decisum in Sorbona hac die 2. Augusti an. 1695.
G. *Fromageau*.

Demissio Parochiæ in qua pensio obtineri non potest.

CASUS VI.

Parochus, qui post quadragesimum servitii annum Beneficio renunciare volens non potest a Romana Curia pensionem consequi, puram & simplicem dimissionem edere debet in manu Episcopi, qui electo præcipiet, ut certam quotannis summam pendat huic Parocho, facta hypothesi eum non habere, unde vivat.

QUÆSITUM.

Parochus ætatis anno septuagesimo quarto cum per annos quadraginta Parochiam administraverit, sentiens se muneribus suis, prout quidem haud tenuis loci Parochia postulat, obeundis non amplius parem esse, resignare statuit in favorem Ecclesiastici per annos viginti, & amplius Ecclesiæ deservientis, excluso nepote, integre vitæ Presbytero, & ad illud Beneficium occupandum idoneo. Quærit, quid agere debeat, ut suam conscientiam in tuto ponat, & habeat, unde vivat reliquo vitæ tempore, cum Pontifex in Parochiis pensiones admittere omnino nolit?

Nota, quod Episcopus Diœcesanus pensionem hanc necessariam putans tum quoad hanc Parochiam, tum quoad alias in sua Diœcesi, resignanti auctor fuit, ut eam peteret, & resignatario, ut promitteret. Quæritur, an tuta conscientia exhiberi possit supplex Libellus Senatui Provinciæ, ut creetur hæc pensio, deturque, unde vivat, Parocho, qui Ecclesiæ per annos plusquam quinquaginta valde accurate deservit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, oportere, ut Parochus, de quo in Expositione dictum est, pure & simpliciter Beneficium dimittat in manu Episcopi, siquidem illud ab eo pendeat; tum vero Episcopus electo mandare poterit, ut quotannis certam summam huic Parocho solvat, facta hypothesi ei non esse, unde vivat. Ut autem intelligatur, an ab Episcopis pensiones in Beneficiis imponi possint, *obsonium, & pro alimentis ejus, qui renunciavit Beneficio*, videndi Layman *l. 4. tr. 2. c. 18. n. 3.* & Cabassutius *l. 5. c. 4. n. 13. in praxi*. Illud cavendum est, ne hujusmodi pensio sit imposita *ex præcedenti conventione partium*.

Decisum in Sorbona hac die 9. Aprilis an. 1696.
G. *Fromageau*. M. *Charton*.
G. *Bourret*. P. *Salmon*.
Ph. *De la Coste*.

Parochia proventus admodum tenuis unita Canonicatui.

CASUS VII.

Cum Parochiæ proventus ad Parochi sustentationem non sufficit, potest Ordinarius ei Canonicatum unire, servato juris ordine.

QUÆSITUM.

Parochus in Ecclesia Collegiata curam possidens a Rege deinde nominatus est ad ejusdem Ecclesiæ Canonicatum, cujus redditus est annui nummi aurei, & aliunde librarum circiter viginti sex cum Canonicarum Missarum obligatione ad mensem, & quadraginta Missarum communium. Parochiæ

chiæ proventus annuus librarum est haud plus quinquaginta. Animadversione dignum est, post Tridentinam Synodum ejus decessores quatuor eam Parochiam cum Canonicatu possedisse.

Quæritur, an hic Parochus tuta conscientia possit hæc duo Beneficia retinere; atque an id permittere positum sit in Ordinarii potestate, an vero ob id ad Sedem Apostolicam confugiendum sit?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum judicat, si Parochiæ proventus minor sit, quam ut ad hujus Parochi honestam sustentationem sufficiat, licere Ordinario, servato juris ordine, Parochiæ Canonicatum unire juxta c. 5. sess. 21. Tridentini Concilii, ut per hanc unionem congruus proventus Parocho suppeditetur. At si fortuitus, certusque redditus Parochi sustentationi sufficiat, Canonicatum simul cum Parochia retinere non potest, neque id Episcopus pati potest, nisi ille, vel ejus præcessores privilegium a Sancta Sede obtinuerint; quia cum Parochia & Canonicatus sint duo Beneficia, quæ simul stare non possunt, juxta Tridentinum Concilium *Sess.* 24. *c.* 17. eorum obligationes ab una eademque persona persolvi nequeunt, licet ea duo Beneficia in eadem Ecclesia existant.

Decisum Parisiis hac die 17. Maji an. 1692.
G. *Fromageau*.

Parochia Capituli Mensæ unita.

C A S U S VIII.

1 *Capitulum, quod est in possessione Parochiam suæ Mensæ unitam administrandi per Vicarios amovibiles, potest in eo persistere, donec turbatum non fuerit.*
2 *Citra Simoniam fortuiti Parochiæ proventus Vicariis hisce locari possunt; at mos hic admodum indecens, magnisque incommodis obnoxius est.*

Q U Æ S I T U M.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut sequentes quæstiones definiant.

Prima est, an Canonici possint tuta conscientia Parochiæ duodecim mille fideles communionis capaces complectenti, quæ ipsorum Capitulo unita est, duos Vicarios amovibiles assignare, atque an Episcopo Diœcesano tertio quoque anno dictos Vicarios de more approbante, Canonici coram Deo ab hujus magnæ Parochiæ animarum cura liberi sint?

Secunda est, an hoc Capitulum possit prædium, ac redditum ab eadem Parochia pendentem possidere, ac præterea citra simoniæ notam ex fortuitis proventibus ducentas quinquaginta libras exigere, eo prætextu, quod in contractibus, qui tertiis quibusque annis cum Vicariis ineuntur, iidem declarent se quotannis eam summam tradere, ut se vindicent a ratione, quam reddere tenerentur, stipendii functionum suarum, cujusmodi sunt administratio Sacramentorum, funera, &c.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, juxta *c. extirpandæ §. qui vero c. de Monachis, de præbendis c. in Ecclesiis de Capellis Monach. eod. tit. in 6.* Communitates Sæculares aut Regulares teneri Vicarios perpetuos Parochiis sibi unitis præficere; & id juris loco esse in Tribunalibus Justitiæ sæcularis Regni, ut constat ex pluribus tum Senatuum tum Consilii Rescriptis. Itaque si Capitulum, pro quo consulitur, ad Regnum spectaret, asseritur necesse fore, ut hanc Jurisprudentiam sequatur adeo utilem bonamque subditis fidelibus, qui ferea constantibus, quam a transitoriis Presbyteris melius reguntur. Hac de causa Auctores Ultramontani ajunt optandum fore, ut Pontifex hanc disciplinam ubique statueret; ut videri potest apud Prosperum Fagnanum *in* 1. *p. l.* 1. *decretal. de officio Vicarii cap. ex parte a num.* 14. usque ad 17. Quoniam vero regula, quæ in Gallia servatur, universim non obtinet, & Ecclesiæ plures adhærent juri, quod a Romanis Pontificibus aut ab Episcopis obtinuerunt, & præterea id Jure Canonico niti videtur, ut apparet ex glossa Clementinæ *frequens de excessibus Prælatorum, ad verbum, ad mensam*; atque ita Tridentina Synodus videtur id Episcopis liberum relinquere *sess.* 7. *cap.* 7. *de reform.* cujus verba hoc loco in medium afferre lubet: *Beneficia Ecclesiastica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, seu Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque annexa & unita reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui sollicite providere procurent per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori arbitrio ipsorum Ordinariorum portione, etiam supra certa re assignanda: ibidem per deputandos animarum cura laudabiliter exerceatur.*

Illud pro certo habetur Capitulum in possessione, in qua quoad hoc caput est, persistere posse, quoad turbatum non fuerit, dummodo satis Presbyterorum Pastoralibus muneribus obeundis idoneorum Parochiæ præficiat, nec posse conscientiæ suæ satisfacere, duobus tantum Vicariis institutis, si Parochiæ servitium majorem numerum postulet.

Ad quæstionem alteram quod spectat, juxta Tridentinam Synodum loco supra laudato, oportere, ut Capitulum Vicariis amovibilibus, quos ad hujus Parochiæ regimen deputat, stipendia tribuat; & hanc sanctam Synodum ea in re nihil novi dixisse, sed veteribus tantum Canonibus adhæsisse, cum justum sit, eum, qui Pastorales functiones obiit, ali gregis lacte; ita tamen, ut omnes proventus seu certi seu fortuiti ad Capitulum pertineant. Nihilominus probari non posse contractum, quo hi Vicarii statuuntur tanquam villici & Œconomi fortuitorum proventuum, quia hæc agendi ratio repugnat antiquo Juri, quo prohibetur, ne Clericis Beneficia locentur: *Non dentur Beneficia ad firmam*. Id tamen simoniacum quidem non creditur, sed asseritur magnopere dedecere, & ab Ecclesiæ mente alienum esse, quia ansam tribuit ejusmodi Clericis pro præstita opera summas a Subditis exigendi, & simonias perpetrandi, & quæstus gratia agendi periculo eosdem obnoxios reddit.

Decisum Parisiis die 12. Septembris an. 1689.
Augustinus *de Lamet*.

Parochia in indignum collata.

C A S U S IX.

Clericus, qui blatero habetur, & tanquam calumniator damnatus est, indignus est, qui Parochiam possideat, & Episcopus ei provisiones negare debet.

Q U Æ S I T U M.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie dicant, quod sentiunt.

Duo Patres Capucini Missiones vacantes in Diœcesi B. intellexerunt fratrem Presbyteri scandalose vivere cum puella apud Presbyterum ipsum versante. Cumque illi suis cohortationibus scandalum tollere non potuissent, Procurator Regis & Legatus Generalis ei se immiscuere, & sententia judiciaria statuerunt, ut ea puella expelleretur; tum hi duo Magistratus, comitante cohorte, Clerici domum ingressi puellam extrudendam curarunt. Ita ea fortiter ejecta est. Clericus, qui insignis blatero est, & cui fuere, suntque etiamnum in multis Tribunalibus litigia multa tam civilia quam criminalia, se fratri comitem addidit; tum ambo ut eam injuriam ulciscerentur, suas querimonias detulere contra Capucinos, & Legatum Generalem, quem accusarunt, furatum venisse, & re ipsa pecuniam, supellectilem, & scripta furatum esse. Provinciæ Senatus Consiliarium delegavit, ut eo profectus inquireret; percepto negotio, en Rescripti verba: „ nostra dicta Aula suo Judicio & Rescri-
„ pto liberavit dictum R. accusatione dictorum A.
„ (sci-

„ (scilicet Clericus, & Juannes S. ejus frater) „ tanquam falsa & calumniosa, his injuncta pœna „ librarum quinquaginta nobis solvendarum, du- „ centarum librarum census, omnium impeusarum „ litigii contra dictum R. cui eadem Aula conce- „ dit, ut Rescriptum legendum curet pro tribuna- „ li tum . . . . . tum ubicumque ei videbitur. "

Quoniam hic Clericus, qui Presbyter est, ad Parochiam, cujus provisiones petit, nominatus est; ejus Episcopus orat Sorbonæ Doctores, ut decidant, an possit ai concedere, quod postulat, & an exposita ejus indoles ipsum indignum, & Parochiam possidendi incapacem reddat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, Clericum, de quo in Expositione, indigoum esse, qui Patochiam, possideat, ad quam nominatus est, quia Clericus, & præsertim Pastor debet esse famæ integer, ut suo gregi prodesse possit: *deforis habeat bonum testimonium*, inquit Sanctus Hieronymus in Epistola *ad Rusticum*, loquens de conditionibus, quæ ad Clericalem statum amplectendum requiruntur. Porro qui blatero habetur, qui non uno in Tribunali multis urgetur litigiis tam civilibus quam criminalibus, qui denique quod per summam temeritatem Magistratum calumniatus fuerit, subiit condemnationem librarum quinquaginta pœnæ, ducentarum census, omniumqua impeusarum litis, non potest censeri Clericus, cujus vita bene oleat, cujusque fama sit integra, & irreprehensibilis: *boaae ador Christi bona fama est*, inquit Divus Augustinus l. 3. de Doct. Christ. c. 12.

Et quamvis non ita ille se reum cognosceret coram Deo, ut appatet oculis hominum, satis est eum talem haberi, & acta autentica contra ipsum existere, ut, quoad ajus fama redintegrata non fuerit, ineptus sit obtinendæ Parochiæ, quæ plus quam uliud Beneficiam integertimam vitam postulat: *Apostolici & pracepti est & exempli, at habeamus rationem non conscientiæ tantum, sed etiam famæ*, inquit Sanctus Hieronymus *Ep. ad Celantium sab fin.*

Ex his omnibus sequitur Episcopo B. jus esse negandi huic Clerico provisiones Parochiæ, ad quam est nominatus. Prudenter autem se geret, si in negatione allatas rationes exprimat, ut si ille refragetar, Judices, ad quos confugerit non modo negationis causas cognoscant, sed etiam intelligant, quantum intersit honori Ecclesiæ, & animatum saluti Fidelium gregi non præfici hominem publicis testimoniis & actis autenticis fama labotantem, qui a Clericalis vitæ ratione adeo alienus apparet, quique ob præteritam præsentemque vitam se graviter arguendum exbibet; quod eum Parochi muneribus utiliter obeundis prorsus ineptum efficic.

Decisum in Sorbona hac die 6. Jun. an. 1696.
G. *Fromageau*.

Parochia, cui addita est Annexa.

CASUS X.

Parocho Anaexam habeati, & diebus festis bis sacram facienti aon debet Episcopas permittere, ut Feria Sexta Majoris Hebdomadæ bis Officium persolvat.

QUÆSITUM.

IN Diœcesi, ubi præ paupertate cogitur Episcopus eam veniam Parochis tribuere, ut dicbus Dominicis & Festis duas Missas celebrent, unam quidem in Ecclesia Parochiali, alreram vero in Annexa, ut semper in more positum fuit, debetne idem permittere, ad Feriæ sextæ Majoris Hebdomadæ Officium quod attinet?

Ea est duhitandi ratio, quod Sacerdos sumpto vino cum hostiæ particula non amplius jejunus est, ac proinde non amplius alteram hostiam in Annexa sumere potest.

II. Ad duplex hoc Officium feria seatu majotis hebdomadæ celebrandum illud requireretur, cum die præcedenti idem fecisse; ea enim die consecrantur hostiæ postridie sumendæ. Jam vero ea regula eit, ut bis missam celebrandi permissio Festis tantum & Dominicis diebus obtincat; Feria autem quinta majoris hebdomadæ neutrius generis est; & quod inde consequitur, Feriæ Sextæ officium ab uno eodemque Sacerdote in duabus distinctis Ecclesiis haud peragendum videtur. Præsto tamen est hujus veniæ concedendæ gravis necessitas, quia in pluribus Annexis populus frequentior est, quam in Patochia, hujusque populi maxima pars die adeo sancto, cujusmodi est ea Feria Sexta, Officio privaretur.

Quæritur, an ad hoc incommodum avertendum possit necne Episcopus præcipere, ut antemeridianis horis Feria ea Quinta dies festus sit, id quod fundamento esset, ut duplicis Missæ celebratio permitteretur? Præterea quæritur, posset necne Sacerdos particulam digito attingere, & ea sumpta, vinum, in quo erat, in vase satis nitido positum ad Annexam deferre, & una cum eo sumere, quod in ultero Officio consectasset?

Verum quin ea Feria Quinta bis sacrum faciendum sit, nonne posset Parochus ea ipsa die in Ecclesia Parochiali alteram hostiam consecrate, quam in Ecclesia Annexa sumeret? Magisne dedeceret Feria Sexta Majoris Hebdomadæ eam hostiam ad Annexam deferri, quam sacrum Viaticum, ut fit, ægrotantibus nou raro dissitis udministrari?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctotes subscripti, qui hanc expositionem viderunt, haud sibi persuadere possant Episcopum T. permittere debere Parochis suæ Diœcesis, ut Feria Sexta Majoris hebdomadæ Officium bis peragant, aut mandare, ut antemeridianum Feriæ Quintæ præcedentis tempus festum sit, quo Parochus possit ea die sacrum facere tum in Ecclesia primaria, tum in Annexa.

Incommodum uutem, quod adducitur, nempe periculum fore, ut Populi in Annexis degentes Feria Sexta Majoris hebdomadæ Officio priventur, non esse tam grave, ut recedendum propterea sit a regula adeo generatim servati solita, na scilicet eadem die bis Communio percipiatur, nisi cum Ecclesiæ mos & consuetudo duas Missas celebrati permittic, ut proinde veterut, ne Missa dicatur, quin in ea Sacerdos communicet. Tradit id expressis verbis XI. Toletana Synodus, ut est in *c. Relatum de Consecrat. dist.* 2.

II. In Feriæ Sextæ Majotis Habdomadæ Officio vinum ab hostiæ particula sanctificatum omnino a Sacerdote sumendum esse, cum Sacerdos Officium peragens eo quidem die in eum modum communicare jubeatur. Eam quippe cæremoniam mysterio non carere animadvertit Guillelmus Durandus in *Ratioaali divinoram Officiorum lib. 6. de die Parasceves n.* 26. neque eam prætermitti posse contra omnium Ecclesiarum regulam & consuetudinem; ac proinde spectandam non esse tanquam ablutionem, quæ sumitur sub Missæ finem.

III. Sacerdotem, cum post communionem non amplius jejunus sit, iterum communionem percipere non posse; cumque Ecclesia præceperit, ut qui per oscitantiam, aut alia de causa in prima aut altera Missa Natalis Domini ablutionem sumpserit, alteram Missam dicere nequeat, omnino standum esse huic regulæ relatæ *c. liquido de Consecrat. dist.* 2.

Sylvester *v. Missa, quæst.* 7. *Quando licet plures Missas in die celebrare, non licet tamen secundum Petram Paludanum dicere plures quam duas Missas, nisi in tali casu: nec duas dicere potest, nisi Sacerdos sit jejunus, ita quod ablutionem primæ non sumpserit.*

Paludanus in 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *Non licet pro necessitate celebrare non jejuno, sicut licet communicare: quia cum utramque sit a Papa & universali consuetudine Ecclesiæ prohibitum, solus Papa vel generalis consuetudo potest dispensare. Invenitur autem de Communione in necessitate permissum.*

Ex Concilio Nicæno 26. *q.* 6. *de his, Communicandum in morte. De his, qui recedant ex corpore, antiquæ leges regula observabitur etiam nunc; ita ut si forte*

quis

quis recedit ex corpore, necessario vita sua Viatico non defraudetur. Quod si desperatus aliquis, recepta Communione, supervixerit, sit inter eos, qui sola oratione communicant. De omnibus enim his, qui a corpore recedunt in tradendo eis Communionem, cura & probatio sit Episcopi.

Sanctus Augustinus *in libro responsionum ad Januarium c. 6. de Consecratione dist. 2. c. liquido. A jejunis sumendum corpus Christi. Liquido apparet, quando primo acceperunt Discipuli Corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos; numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod a jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam cæteri cibi . . . . non præcepit,* (Christus) *quo deinceps ordine sumeretur: ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.*

Ex Concilio Africano *c. 8. de eadem materia de Consecrat. dist. 1. Sacramenta Altaris non nisi a jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.*

Decisum die 17. Aprilis an. 1678.
Ang. *De Lamet.*

Parochia in Ecclesia Cathedrali.

CASUS XI.

1 *Debet Episcopus creare Vicarium perpetuum in magna Parochia, quæ ad Curialia munia obeunda non nisi Sacellum in Ecclesia Cathedrali, & duos tantum Vicarios amovibiles habet. Id ut consequatur, impetrare debet a Romana Curia, ut ei titulus conferatur, qui ejusmodi Parochiæ administrandæ idoneus sit.*

2 *Satis est ibidem Cathedralis Ecclesiæ Vesperas celebrari.*

QUÆSITUM.

IN Episcopali Urbe admodum numerosa ex duabus Parochiis, quas habet, ea quæ latius patet, & id omne complectitur, quod in Urbe majoris momenti est, Ecclesiæ Parochialis loco est tantum maxima Capella Ecclesiæ Cathedralis, in qua duo Vicarii amovibiles a Capitulo nominati omnibus Curialibus functionibus perfunguntur. Una tantum privata Missa diebus Dominicis Festisque dicitur, cujus tempore concio habetur; inchoatur illa octava hora matutina, atque horæ spatio universa functio absolvenda est, ut liber locus Canonicis relinquatur. Tertia aut quarta hora dicuntur Capituli Vesperæ, nullis dictis pro Parochia. Vicariorum ei deservientium ingenium fere respondet proventui, qui est mediocris. Existunt hac in Urbe Collegium, & Religiosorum Familiæ quatuor. Hinc est, ut primarii Cives eas Ecclesias adeant audiendæ Missæ gratia, & Parochia sit propemodum solitaria, ad Parochialem Missam paucissimis tantum de populo convenientibus. Est etiam in Collegio Congregatio, ad quam, qui in Urbe primas tenent, pertrahuntur cohortationibus, Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ assidua susceptione, eos, qui in carcere detinentur, & ægrotantes invisendi consilio, aliisque bonis operibus, in quibus illi exercentur; at nec ii, nec cæteri Parochialibus Instructionibus omnino adsunt, timetque, nec immerito, Episcopus, ut alibi doceantur, quemadmodum a Parocho docerentur, & ne hæc exterior devotio speciei plus habeat, quam veritatis. Quærit ergo Episcopus, quid in hujusmodi circumstantiis sibi faciendum sit. Congregationis conventus habentur ab octava usque ad nonam horam, Parochialis Missæ scilicet, & Concionis tempore. Si vel tantillum mos hic invertatur, adeo fervidi sunt Incolarum animi, ut tumultus, renitentia, & fortasse seditio timeatur. Quamobrem quæritur, I. an Episcopus res ita, ut se habent, sinere possit?

II. An jubere debeat, ut Parochialis Missa canatur, & in Capella Parochiali secundæ Vesperæ recitentur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, postquam id, quod modo expositum est, diligenter expendit, existimat nullam legitimam causam præsto esse, quamobrem Vicarii amovibiles Parochiæ, de qua agitur, ab instruendis fidelibus abstinere possint, eosque proinde cogendos esse hoc officio persungi, adeoque diebus Dominicis suas conciones habere. Confraternitates autem & Congregationes, ad quas pergunt subditi non pauci, ut cohortationes audiant, & Sacramenta percipiant, quæcumque illæ sint, non excusant hos Sacerdotes a munere, cui justitiæ titulo addicti sunt, obeundo. Præterquamquod multi de plebe, qui peculiaribus ejusmodi conventibus non intersunt, spiritali, qua indigent, nutritione destituuntur, quia qui Parochorum loco sunt, eos non erudiunt, & qui in Urbe cæteris præstant, non alia fortasse de causa Parochiam suam deseruerunt, nisi quod subsidia, quæ alibi nanciscuntur, ibi desiderarent. Itaque superiores censentur in conscientiæ foro teneri Vicariis præcipere, ut singulis Dominicis diebus Dei verbum explicent juxta Decretum Tridentini Concilii. *Sess. 5. c. 2. de Reformat.* quod disertis verbis Parochis mandat, ut diebus quibusque festis & Dominicis suos subditos instruant, doceantque, atque adeo rationem, qua id faciant, eisdem designat: *Plebani*, Concilii verba sunt, *& quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.*

Hæc sancta Synodus tam necessariam, omnibusque animarum Pastoribus tam gravem ejusmodi instructionem judicat, ut velit Episcopos potissimum in id incumbere, ut eam reformationem servandam curent, ipsosque in eos quoque, qui se exemptos contenderint, ea potestate gaudere: *Id vero si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione exemptum se esse prætenderet, etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio etiam extra diœcesim existenti forsan annexæ, vel unitæ, modo re ipsa in Diœcesi sint, provida Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur; parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Quamobrem Episcopus qui sibi persuaderi pateretur eas instructiones ad obligationem non pertinere, nec pro viribus daret operam, ut eam Reformationem custodiendam curaret, ex eorum numero esset, de quibus ita loquitur Synodus: *provida pastoralis Episcopi sollicitudo deesset*; quod eo verius est, quod juxta expositionem est, cur credatur instructionem in Congregatione traditam satis non esse, & virtutem iis notitiis nixam specie magis quam re talem esse.

Non tamen utile fore creditur eorum, qui ad eam Congregationem se conferunt, animos perturbari, ut statim cogantur Parochiali Missæ interesse; ita enim prius res componi necesse est, ut instructionibus saltem tam solidis, quam quæ in Congregatione percipiuntur, pietas fulciri possit, quo illi propria experientia edocti sentiant utilitatem, quam percipient se subdentes doctrinæ Pastoris, qui Tridentinæ Synodi methodum secutus ipsis Religionis dogmata tradet; omnino sperare juvat fore, ut subditi sibi non desint, cum Parochus suo muneri satisfaciet. Quoniam id Deus ipse præcepit, sua ipse benedictione id ipsum complebit; fere enim compertum sit Populos serius ocyus proprii Pastoris patientiæ ac merito sese dedere.

Instructiones habebuntur commode matutinis horis inter aut post Parochialem Missam, quæ privata dici poterit, quemadmodum assolet in pluribus Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, in quibus institutæ Parochiæ existunt; & tempus inter septimam & nonam horam interjectum ad Missam, Concionem, & Instructionem sufficit.

Sed quoniam illud præcipuum est, ut Parochus hujus officii capax statuatur, cum difficillimum sit Vicarios amovibiles iis omnibus dotibus præditos esse, quæ ad implenda Parochialia munia requiruntur; oportunum foret optimum remedium adhiberi, scilicet in Parochia Titularem institui, cujus meritum incolis innotesceret, aut in quo id omne esset, unde brevi cognosci posset, videlicet multum doctrinæ, pietatis, & Zeli de animarum salute, & prudentiæ cum moderatione & patientia conjunctæ; quippe timendum foret, ne fervor & zelus vehementior ansam præberent disputationibus, quæ bonos effectus, qui ex ejus curis expectari possent, retardarent.

Verum ad institutionem hanc obtinendam haud e re esset peti Parochum a Capitulo, siquidem illud in hoc Beneficium Patronatus jure gauderet; sed quærendus esset perspectæ virtutis vir, qui provisiones a Romana Curia obtineret, quemadmodum se gessit Dominus Imbertus Sorbonicæ Familiæ Doctor, qui Parochiam a Vicariis amovibilibus, cujusmodi est ea, de qua agitur, administratam ad nominationem Capituli L. quod ejus se verum Parochum venditabat, obtinuit; quia si Capitulum consuleretur, & statim Sacerdotem Episcopo præsentaret, aut damnatum damnationi pareret, ut faceret, præsentatus non omnibus fortasse ad munus peragendum necessariis qualitatibus ornatus esset; atque ita negotium in discrimen adduceretur, eum e converso consulta Romana Curia, quivis pro arbitratu eresri posset. Et quoniam Pontifex in eum conferret Beneficium, qui primus petiisset, hic quidem veri nominis jure gauderet, dummodo gradu insignitus esset, aptusque Parochiæ in Urbe muro septa possidendæ.

Cæterum hujusmodi Parochus satis magno redditu frueretur, licet omnino congrua pensione careret, si judicetur ex emolumentis, quæ proximorum locorum Parochi percipiunt ex oblationibus, funeribus, matrimoniis, baptismis, regestis baptismalibus, &c.; illudque obtineri posset, ut Parocho opitularentur Urbani Clerici, quos nihil impediret, quominus ei suam operam exhiberent.

His ita constitutis, apta consilia iniri possent, ut subditi ad propriam Parochiam pergere cogerentur; at vix ac ne vix quidem utendum esset auctoritate, donec posset facilitas adhiberi, quia sæpe fit, ut auctoritatis vis populos turbet, neque illi facile sedari possint, præsertim cum viri pietate ac doctrina præstantes renitentiam sustentant.

Quoad quæstionem alteram, haud opus esse præcipi, ut in Capella, ubi functiones Curiales obeuntur, aliæ, quam Cathedralis Ecclesiæ Vesperæ recitentur, prout fieri solet in Ecclesiis Collegiatis Parisiorum, in quibus existunt Parochiæ, & in quibus non aliæ quam Capitulares Vesperæ celebrantur. At satius esset in hac Parochia Conciones & Catecheses institui habendas quibusque diebus Festis & Dominicis ante aut post Vesperas.

Posset etiam pro pauperibus institui Charitas, ei similis, quæ in Parisientibus Parochiis Pastoris administrationi subjectis in usu est. Conventus hi præter bonum, quod miseris, ægrotisque pauperibus inde provenit, sancto fœdere Matronas & Parochum conjungunt, easque Parochiæ devinciunt. Publica utilitas molliret animos, & proprii Parochi instructionibus consiliisque excipiendis accomodatos efficeret.

Decisum Parisiis die 26. Aprilis an. 1676. Aug. *de Lamet*.

CASUS XII.

Monumentum super unionibus Parochiarum ad Monasteria.

QUÆSITUM.

Interest Gallicani Cleri providere abusui, qui in Ecclesias irrepsit gratia & potestate Communitatum Religiosarum, quæ magnum Parochiarum numerum sibi uniendum curarunt, non modo contra antiquorum Canonum & novarum Reformationum disciplinam, verum etiam contra utilitatem populorum & Ecclesiarum peculiarium, quibus præficiendi sunt Titulares, non autem Sacerdotes amovibiles & revocabiles ad nutum Superioris Religiosæ Familiæ.

Ii omnes, qui in Ecclesiastica disciplina sunt prorsus hospites & peregrini, norunt Occidentis Ecclesias semper in id conspirasse, ut impediretur, ne Parochiæ administrarentur per Presbyteros *conductitios*; & Concilia statuisse, ut ejusmodi abusus, qui per Clericorum inscitiam & avaritiam irrepserat, aboleretur, & Parochiæ a Titularibus regerentur.

Porro indubitatum est idem incommodum ex unionibus provenisse, atque ea eo abusu, qui ab Ecclesia rejectus est, quoniam Beneficiorum Curatorum extinctis titulis, hæ Parochiales Ecclesiæ a Titularibus administrari desierunt, ac proinde ad eorum administrationem devenerunt, qui stabilitate destituti spectandi sunt tanquam Presbyteri, qui in Ecclesiis erant mercede conducti.

Id sacrosanctam Tridentinam Synodum, ut est vero simillimum, impulit ad Parochialium Ecclesiarum uniones penitus interdicendas; ita ut, si Concilii Jurisprudentiam sequi volumus, omnes Parochiarum uniones post Concilium institutæ nullæ & abusivæ censendæ sint.

Disciplina hæc tanti fit a Judicibus sæcularibus, qui cæterorum maxime negotiis Ecclesiastica callere putantur, ut non ignoremus Parochias in Romana Curia Religiosis Familiis unitas, post impetratas Regis Patentes Litteras, factaque homologatione in supremis Aulis, & inquisitione *de commodo & incommodo*, ab his tamen ipsis supremis Aulis eas uniones abusivas declarantibus per Rescripta separatas fuisse.

Extat hujus rei insigne exemplum in Parochia Nanterrensi diœcesis Parisiensis, quæ a Religiosorum Sanctæ Genevefæ Seminario, cui formiter unita erat, sejuncta est Rescripto Magni Consilii, quod non obstantibus unionis Litteris in antecessum confirmatis, ejus electionem ratam habuit, qui ejusdem Parochiæ tanquam vacantis provisiones a Romana Curia obtinuerat, eique deinceps ipsius Beneficii possessionem servavit, unionem, quæ facta fuerat, abusivam declarans.

Duæ potissimum res spectantur ab his Magistratibus in hujusmodi unionibus.

Primo loco illud reputant veterum Conciliorum Patribus persuasum fuisse populos hominibus, qui pro libito revocari & amoveri possent, committendos non esse, nihilque causæ subesse, quamobrem Beneficii qualitate privetur Ecclesia, quæ eorum omnium, qui ibidem baptizati sunt, quasi mater habenda est, cumque Beneficium sine titulo nullum existat, titulum proinde ei adimendum non esse, qui ejusdem Ecclesiæ sponsus, & eorum omnium, qui ibidem Christianæ Religioni nomen dederunt, spiritalis Pater est; judicantque, cum Patris ratio secum afferat aliquid permanens, se facturos contra Pastoris jura, & contra eorum bonum, qui regendi sunt, ni suffragentur unioni, quæ inter filios & patres, inter Pastores & oves intercedat necesse est. Id autem ex eo sibi persuadent, quod animadvertunt antiqua Ecclesiæ disciplina Pastores tam arcto vinculo suis Ecclesiis conjunctos fuisse, ut non nisi difficillime sejungi possent.

His omnino principiis nixus Parisiensis Senatus in possessione Parochiæ Diœcesis Lingonensis retinuit Presbyterum, qui provisiones a Romana Curis obtinuerat, quamvis penderet ab Ecclesiæ Cathedralis Lingonensis Capitulo, quod ab immemorabili Vicarios ad nutum amovibiles eidem præficere consueverat.

Secundo loco animadvertunt Parochiales Ecclesias non ob id solum institutas esse, ut spiritalia bona Fidelibus administrentur, sed ob id etiam, ut earum proventus juxta Sanctorum Decretorum dispositionem impendantur non modo in Fabricæ & Presbyterorum ei deservientium sustentatione, sed etiam viduarum & orphanorum, omniumque generatim pauperum Parochiæ, qui ea bona spectare possunt tanquam suum patrimonium, ad quod jus habent

bent solo titulo paupertatis & necessitatis, in qua versantur; ut proinde Titulares iis injuriam irrogent, & gravissimi coram Deo criminis rei sint, ni iisdem pro viribus opitulentur.

Quamobrem Magistratus ipsi facile sibi persuadent ejusmodi uniones quæ Ecclesiæ Parochialis bona ad Religiosam Familiam transferunt haud esse conformes Ecclesiæ menti, quæ oblationes in Paruchiis fieri solitas destinavit non Religiosorum sustentationi & nutritioni, sed indigentium & pauperum Parochiæ, quæ eos spectat tanquam filios, quos alere debet.

Has ob causas patrocinantur iis, qui eas uniones abolendas suscipiunt, idque eo libentius; quod norunt Tridentinæ Synodo, quæ Parochiarum uniones absolute proscripsit, præsto suisse Galliarum Episcopos, qui Gallicanæ Ecclesiæ traditionem ad Synodum detulerant, & ejusdem Synodi Patribus significaverant tantum abesse, ut Gallicana Ecclesia eas uniones permitti vellet, ut potius in reformationis articulis, quos ejus nomine ipsi exhibebant, postularet alia Beneficia Parochialibus Ecclesiis uniri, & de medio tolli Vicarios perpetuos Ecclesiarum a Prioratibus simplicibus pendentium, & Priores esse Titulares ipsarum Ecclesiarum, quarum redditus titulorum duorum, nempe Priorum & Vicariorum perpetuorum separatione imminutos esse constaret; atque ita restitui veterem rerum ordinem, quo Parochiæ Prioribus insignitæ a Vicariis cum titulo nequaquam administrabantur; nisi forte Prioribus contra jus fasque Populorum curam penitus deserentibus, cogerentur Episcopi in ipsorum Ecclesiis Presbyteros conductitios & amovibiles ponere, & deinde præcipere, ut Vicariis perpetuis & cum titulo animarum curam tribuerent. Occurrunt etiamnum hujus antiquæ disciplinæ vestigia in pluribus Ecclesiis Parochialibus, quarum Titulares persistere Priores & Parochi, propterea quod eorum decessores, qui communi depravatione se abripi passi non fuerant, animarum curam merito retinuerant.

Sed quoniam Senatus, qui in Regno sunt, non iisdem, quibus Senatus Parisiensis, & Magnum Consilium, principiis inhærent, ac sæpe in judiciis, quæ super Ecclesiasticis negotiis proferunt, regulas valde diversas sectantur; summopere prodesset Ecclesiæ, si obtineretur Regis Declaratio, qua sanciretur, ut Religiosæ Familiæ Ecclesiis sibi unitis frui non possent, nisi annorum centum possessionem probarent; & uniones, quæcumque post id tempus factæ fuerint, nullius roboris essent; aut saltem ostenderentur tituli, quibus institutæ sunt, ut juxta Ecclesiæ regulas, & Regum nostrorum Constitutiones de iisdem judicaretur.

Eo autem major affulget spes fore, ut id Rex pro sua humanitate concedat, quod jam in Rescriptis in Jurisdictionis Episcopalis favorem editis secutus est disciplinam, quam Tridentina Synodus statuit; & quoniam ea per Oratorum Caruli IX. & Prælatorum Regni curam recepta fuit, Regum prædecessorum suorum mentem teneret, & sua auctoritate firmaret doctrinam Episcoporum Gallorum, qui ut Illustrissimus Lampsacenus Reginæ Catharinæ Mediceusi tunc retulit, scientia & eloquentia adeo inter omnes alios Antistites emicuerunt, ut omnium nationum, quæ ad hoc Concilium convenerant, generali æstimatione digni fuerint.

Augustinus *De Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

PATER ET MATER.

CUm longe maxima inter proximos nostros obligatione Parentibus ipsi nostris devincti simus; fuit apprime rationi consonum, ut secundæ Tabulæ Præcepta ab eo inciperent, quo id, quod debemus, iis fideliter reddere juberemur. Hoc autem Mandatum non tantum Patres & Matres spectat, qui nos in lucem dederunt, sed eos etiam omnes complectitur, qui nobis honorandi sunt, ut Patrum & Matrum quoad nos locum tenentes, vel ob eam, qua in nos pollent, auctoritatem, vel ob ipsorum dignitatem, vel quia nos iis indigemus, vel denique ob illud, quo funguntur, officium, ac ministerium.

Quonism porro honor, quem sacræ Litteræ Patribus ac Matribus exhibendum præcipiunt, non æstimationem modo ac reverentiam, qua eos prosequi par est, sed amorem quoque, obedientiam, iisque spiritualia subsidia suppeditandi obligationem significet; Casus proinde, qui e vestigio proponitur, eo spectat, ut cognoscatur, an Religiosus, cujus Pater & Mater extrema necessitate premuntur, e Monasterio eggredi, ac Regularem habitum deponere teneatur, ut iis, Beneficio aliquo suscepto, vel aliter præsto sit.

Vide (FILII.
(PARENTES.

Subsidia, quæ Regularis Patri ac Matri debet.

CASUS.

1 *Regulæ, quibus statuitur obligatio, qua Regularis obstringitur, e Conventu recedendi, ut Patris ac Matris subsistentiæ prospiciat.*

2 *Cum exit e Monasterio, potest Regularem habitum deponere, Pontifice, vel saltem Superiore annuente.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut ejusmodi quæstionem dijudicent.

An scilicet par sit, Regularem e proprio Conventu ad opem Patri ac Matri præstandam eggredi, contra D. Trapæ, & Sancti Tomæ sententiam, & si id opportunum fuerit, an Regularis idem possit habitum deponere, ad id autem opus habeat Pontificis dispensatione, ut Navarrus contendit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, ad obligationem filii erga Patrem melius intelligendam, quid, & quotuplex necessitas sit, explicandum esse, antequam quæstioni propositæ satisfiat. Est autem in universum necessitas indigentia, qua quis laborat, earum rerum, quæ ad mortalem hanc vitam trahendam sunt necessariæ.

Illud porro convenit, necessitatem, quæ Regularem, ut Patri opituletur, e Monasterio evocare valeat, non tantam esse oportere, quanta est ea, quæ sub peccati pœna nos adigit ad eleemosynam in extraneum pauperem erogandam; quia opis Patri afferendæ obligatio longe major strictiorque est. Necessitas urgens, seu gravis, ut loquuntur Theologi, quoad Patrem, quam quoad alium quemlibet latius patet. Ita pronuntiat Cajetanus in quæstionem 101. S. Thomæ 2. 2. *art.* 4. *Nec ad hoc magna desideratur necessitas; sed satis est, esse necessitatem habentem magnam latitudinem.* S. Antoninus 3. *p. tit.* 56. *c.* 2. §. 1. contendit Patris indigentiam urgentem & gravem censendam esse, cum ea adsunt, quæ enumerat in hæc verba: *in mediocri indigentia*,

puta quia sine filio possent vivere, sed cum notabili jactura, seu detrimenio sui status, vel conditionis suæ: puta quia oportet eum mendicare, vel aliis servire, cum magna indecentia status sui.

Quoad casum, de quo agitur, duplex necessitas distingui potest, gravis scilicet, & extrema. Cujusmodi prima sit, supra declaratum est; extrema autem est ea, quam S. Antoninus ita describit: *Indigentia maxima, puta quando parentes nullo modo sine filio possunt vivere, sed morirentur fame, vel nuditate, & similibus, quia sunt infirmi, vel in carcere, vel alia simili calamitate.* Præterea urgentis, seu extremæ necessitatis nomine non actualis tantum parentum indigentia intelligitur; sed satis est moraliter prævideri, eos in alterutrum facile brevique lapsuros, ut monet Sanchez *l.* 4. *c.* 20.

Hoc posito, proponitur responsum triplex.

I. Peccat Filius, qui Religioni nomen dat, dum gravi indigentia premitur Pater, nec alia ratione ei consuli potest, quam si ille in societate remaneat, quia contra divinum & naturale jus agit, quo filii Parentibus indigentibus opitulari, ac proinde non id vitæ genus, in quo id præstare non possint, amplecti tenentur. Hæc Theologorum communis sententia est, & potissimum D. Thomæ, *Quodlib.* 3. *art.* 16. & in Summa 2. 2. *q.* 101. *art.* 4. *ad* 4. Ne quis autem putet de extrema tantum necessitate sanctum Doctorem loqui, mentem suam explicat *quæst.* 189. *art.* 6. dum inquit: *in aliqua necessitate constitutis* parentibus, a qua non nisi filiorum subsidio educi possint, filios ipsos Religionem amplecti non posse. *Si vero*, subdit, *non sint in tali necessitate, ut filiorum obsequio multum indigeant; possunt prætermisso parentum obsequio, filii Religionem intrare.* Cajetanus in quæstionem 101. putat D. Thomam hoc loco de magna, non de extrema necessitate verba facere.

Idem potiori jure statuitur, si parentes ad extremam indigentiam redacti sint. De utriusque porro generis necessitate explicari potest Lingonensis Concilii Canon 16. qui ita habet: *Quicumque filii a parentibus prætextu divini cultus abscedunt, nec debitam reverentiam dependant illis, qui divinum cultum sibi procul dubio præferunt, anathema sit.*

Quem errorem damnat hæc Synodus, eum jam damnaverat Christus Dominus *Matth.* 15. *v.* 5. in Pharisæis contendentibus parentes in necessitate deseri posse, ut Deo, quod ipsis tribuere debuissent, offerrent: *Quicumque dixerit* patri vel matri: *munus, quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem suam, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram.*

S. Antoninus de officio loquens, quod patri filius in utraque necessitate exhibere tenetur, eamdem sententiam amplectitur, & ratione ita confirmat: *In his duobus modis indigentiæ debet differre ingressum, quousque cesset indigentia; quæ si nunquam cessat, debet ex toto dimittere. Et ratio est, quia ea, quæ sunt necessitatis & præcepti non debent dimitti propter ea, quæ sunt supererogationis & consilii. Sed obsequi parentibus est necessitatis & præcepti juris divini, & naturalis de honoratione parentum; qui honor magis consistit in eorum sustentatione, quam in reverentiæ exhibitione.* Quod verum est, inquit S. Antoninus, etiamsi Religionis votum editum sit, quia votum, quod est illicitum, impleri non debet: *Quia necessitas est implere votum licitum, non autem illicitum. Supposita autem indigentia parentum in dictis duobus modis, filius vovendo ingredi Religionem faceret votum illicitum, & ratio est, quia res alteri obligata non potest alteri promitti licite; persona autem filii in illis casibus est obligata parentibus ad subveniendum; & ideo &c.*

II. Auctores vulgo consentiunt Regularem Professum teneri Monasterium relinquere, patri extrema indigentia laboranti opem laturum, si aliter id præstare non possit: *Licentia petita, licet non obtenta a Superiore*; quia præcepti, quod naturalis, & divini juris est, executio per votum impediri non debet; quo referri possunt Dei verba apud Osæam Prophetam *c.* 6. *n.* 6. & Matth. c. 9. relata: *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

Duplicem fere Theologi hoc loco exceptionem proponunt, ut nempe filius parentes gravi extrema indigentia oppressos videns, & Religionem tamen amplectens peccet, dummodo ipse, si in sæculo permaneat, Dei graviter offendendi proximo periculo obnoxius non sit, ex alia vero parte non aliunde, quam a filio, non a Religione, non ab aliis personis subsidium expectare possint.

III. Præcipua difficultas non in eo vertitur, an filius, qui, parentibus gravi indigentia laborantibus, Religionem amplexus est, eggredi possit, ut iisdem subsidio sit; sed an ipsum eggredi expediat?

Respondetur, filium in hac facti specie eggredi non teneri, sed solum iisdem parentibus pro viribus, & pro conditione opitulari debere. D. Thomas videtur ita sentire, dum quæst. 101. laudata rem decidit his verbis: *ille vero, qui, cum est in Religione Professus, reputatur jam quasi mortuus mundo; unde non debet occasione sustentationis parentum exire claustrum, in quo Christo consepelitur, & se iterum sæcularibus negotiis implicare.* Deinde subdit: *Tenetur tamen, salva sui Prælati obedientia, & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.*

Et sane præceptum, cujus vi parentibus paupertate laborantibus subsidium ferendum est, nec semper obligat, nec eodem modo, sed præsentis status ratione habita. Conjugatus uxorem suam relinquere non tenetur, ut Patri gravi indigentia laborant opem afferat, quemadmodum si liber esset; prætetea Regularis vi professionis Monasterio se dedidit, ut proinde prætextu necessitatis, qua Pater premitur, Religionem eo jure privare nequeat, quod illa in eum acquisivit. Ita sentiunt S. Antoninus, Sylvius, aliique complures, quos Sanchez *l.* 4. *c.* 20. *n.* 17. *moral.* in medium adducit.

Sane difficile factu est, Religiosum ad societatem revertentem haud de salute periclitari, nec a proprii status ratione deflectere, dum regulari disciplinæ non amplius addictus, huc illuc, ut Patri necessaria comparet, discurrere debet. Si subsidio præstando Religio impar sit, potest Superior Religioso permittere, ut id præstare studeat, quin eggrediatur; ac vix credi potest, fore ut id ita exequi nequeat, & omnino, ut id præstet, eggredi debeat.

Contrariæ tamen opinionis rationes magnam præseferunt soliditatem. Qui eam propugnant, quosque Laurentius de Peyrinis laudat *tom.* 1. *de subd. q.* 1. *c.* 9. ajunt, D. Thomæ sententiam tum veram esse, cum Pater post filii professionem in paupertatem incidit, non item, si professionis tempore, Pater paupertate jam laboraverit. Videri possunt Bassæus, Navarrus *in man. c.* 4. Suarez *tom.* 3. *de Rel. l.* 6. *c.* 9. *n.* 14.

Pronuntiant igitur I. Filium, cum Patrem paupertate premi videret, Religioni se devovere minime debuisse; & quamvis ejus professio valida sit, eum tamen, a Superiore petita venia, e Monasterio, ut eidem prospiciat, exire debere, modo in salutis apertum ac proximum periculum se non conjiciat, & Religio nolit Patris curam suscipere, prout quidem tenetur, ut inquiunt Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 6. *q.* 21, *de Peyrinis*, aliique. Hæc enim filii obligatio naturalis & divini juris est, atque proinde gravior, quam per vota contraxit; hæc etiam est ea posterior. Ex quo ita licet argumentari: cum duo præcepta concurrunt, nec ambo simul impleri possunt, prius, majusque servandum est. Atqui subsidii parentibus necessitate laborantibus exhibendi præceptum ejusmodi est; ergo Superior Religioso eam facultatem tribuere, ut Patri opitulaturus e Monasterio eggrediatur, vel Religio ejus curam suscipere debet; aliter quippe ei injuriam irrogat, & injustitiam committit.

II. Filius, qui Patrem in paupertate versari non ignorans Religionem amplectitur, ei opitulandi obligationem secum defert, nec Professionis vi ab ea liberatur; eadem propemodum ratio est ac boni immobilis, in quod hypotheca sua Creditor gaudet; quicumque hoc bonum possidet, tenetur solvere *C. ex litteris de pignoribus*, unde est tritum illud; *Res transit cum onere.*

III. Ex Juris mente *l. tutelas §. injuriarum ff. de cap. diminut.* reparandæ injuriæ obligatio lædentem

sequi-

sequitur. Porro filius Religionem amplexus injuriam intulit Patri, quem cum solus juvare posset, in necessitate deseruit; ad hanc igitur injuriam reparandam eggredi debet, nisi subsidii Patri præstandi alia ei ratio non suppetat.

Ad id autem, quod additur, Regularem vi Professionis sæculo mortuum esse, hujus opinionis Auctores respondent id ita esse fictione juris, & quoad aliquos tantum effectus. Id enim si quid evinceret, illud etiam evinceret, eum ne eggredi quidem posse, ut Patri vel extrema necessitate laboranti opituletur. Ostendendum præterea esset, qua demum de causa Religiosus sæculo mortuus non amplius naturali legi parere teneatur, quemadmodum antea tenebatur; conjugati porro hominis exemplum, quod adducitur, non omnino concludit; Matrimonii enim vinculum naturalis, ac longe strictioris juris est; ut proinde mirandum non sit, in hac facti specie obligationem, cum non adeo absoluta sit, minorem esse, eique cedere. Jam votum, quod Religiosus emittit, non perinde obligat ac naturalis juris præceptum, cujusmodi est illud, quo subsidium Patri afferendum mandatur; eoque magis, quod jure præsumitur, Deum, obligationibus secum contractis omnino non indigentem ultro suo juri cedere, vel illud remittere, siquidem quod promissum est, impleri non possit, quin gravis injuria proximo inferatur. Hæc sententia est Laurentii *de Peyrinis*, & Valentiæ *tom. 3. disp. 7. q. 1. p. 2.*

Qui porro opinionem priorem tuentur, respondent, Regularem non plus quam potest, propriique status ratio fert, Patri opitulari debere; & ob hanc quidem regulam nunquam eam necessitatem existere posse, ut propterea Monasterium omnino deserere teneatur.

Ad aliam propositi casus partem quod attinet, an nempe Religiosus, ut Patri opituletur, eggrediens Religionis habitum deponere possit; posse creditur, cum officium suscipere debet, quod habitum retinens, eum dignitate obire non posset. Ejus porro deponendi facultatem a Pontifice obtinere debet. Ita sentiunt Bassæus *l. c. n. 8.* & Navarrus *l. 3. Consil. 14. n. 3. de Regal. Solus est Papa facere facultatem manendi extra Monasterium sine habitu secundum omnes.* Quæ quidem sententia nititur capite secundo *de vit. & honest. Cler. in 6.* Verum Reginaldus putat hanc facultatem, si negotium urgeret, ab Episcopo, vel a Superiore concedi posse.

Decisum in Sorbona hac die 30. Augusti an. 1695.

G. *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

PATRONATUS.

JUs Patronatus est illud, quo quis gaudet Ecclesiasticum ad Beneficium vacans presentandi; acquiritur autem jus hoc, proprio bono ad Ecclesiam construendam collato, vel Ecclesia ipsa fundata. Itaque Patronus is est, qui Ecclesiam dotavit, fundavitque, suumque jus ostendere debet ex genuinis titulis, vel ex quadraginta annorum possessione, præsentationibus omnino tribus firmata. Transit jus hoc ad hæredes, ac successores omnes, quia fundis addictum est. Patronatus ergo sequitur alienationem prædii, seu fundi, cujus accessorium quoddam est, sed vendi seorsim non potest, quia spiritale jus est. Indivisibilis quoque ille, simplexque est, nec dividitur inter hæredes plures, qui quidem conspirare debent, ut vel omnes conjunctim nominent, vel alternis; ac si forte sint secta suffragia, qui primas tenet, seu dignior est, cæteris præferri debet. Vota numerantur in stipites, seu familias, & non in capita. Ad Patronatus jus exercendum satis est prædii possessione gaudere, quamvis esset contestata possessio.

Arausicana Synodus an. 441. Theodosio juniore, & Valentiniano rerum potientibus, celebrata præsentationis Episcopis faciendæ jus Fundatoribus confirmavit, quod deinde ratum habuit Justinianus Imperator, (a) & Arelatense Concilium can. 36. Veteres quoque Canones juris hujus nominationis Ecclesiarum Patronis seu Fundatoribus concessæ mentionem faciunt. Gratianus, qui ad ostendendum omnes cujusque Diœcesis Ecclesias in Episcopi potestate positas esse, non paucas eodem loco restrictiones adhibet in eorum gratiam, qui Ecclesias fundarunt; & singillatim nominationis jus iisdem confirmat Toletanæ Synodi auctoritate. Quamobrem Episcopi, aliive Collatores ordinarii nunquam juri Patronatus derogare possunt, quamvis illud ab iis spectetur ut quædam Beneficiis adjecta servitus, cum tamen non proinde fiat, ut ea non omnino ab ipsis pendeant ob jus institutionis, seu collationis ad eosdem spectantium. Putant nonnulli, Patronatum, ac cæteros honoris titulos Fundatoribus concessos fuisse, ut ad dona ac beneficia Ecclesiis large effuseque tribuenda Fideles excitarentur. Ajunt alii jus hoc grati Clericorum animi argumentum esse, quod omnino cuique servandum est.

Si quæritur, quænam juris hujus vis ac ratio sit, respondetur, illud temporale esse rei spiritali annexum; sed multo magis temporale esse, quam spiritale; & ob hanc quidem causam cedi & donari potest, & ad hæredes transit, quippe quod successionis partem constituat; quia porro temporale conjunctum est spiritali, quod nunquam in commercium venit, ideo jus hoc nec vendi, nec remitti pecunia potest. Hæc temporalis ratio in causa fuit, ut nonnulli Doctores assererent, id juris quamdam veluti servitutem esse Ecclesiis impositam, aliis tamen contra sentientibus, & contendentibus id servitutis rationem minime habere, quoniam voluit Ecclesia grati animi monumenta suis Benefactoribus exhibere, quin servitutem imponeret, quæ quidem neque in Ecclesiam, neque in Sanctas ac Religiosas res cadere omnino potest. Ac licet Tridentinæ Synodi hæc verba sint: *Beneficia Ecclesiastica rediguntur in servitutem juris patronatus*; non proinde tamen credendum est Concilium asserere voluisse, beneficia juris Patronatus servituti subjecta esse, sed tantum præcipere voluisse, ut impediretur, ne quam servitutem Patroni Beneficiis imponerent.

Ad Patronatus qualitatem quod attinet, initio quidem unius tantum generis fuit, atque Ecclesiasticus censebatur, utpote addictus qualitati Fundatoris Ecclesiæ, quæ spiritualem rationem Patronatui, tunc uniusmodi, & quam late patebat, Ecclesiastico tribuebat. Verum ex diversis fundationibus in Ecclesia institutis Patronatus Laicus ab Ecclesiastico distinctus extitit; ac distinctio hæc essentialis est ob circumstantias plures animadversione dignas, atque adeo Patroni Laici aliquibus ultra Ecclesiasticos Patronos commodis gaudent. I. Laicorum Patronorum juri nec Pontifex, nec ejus Legatus derogare unquam possunt; & qui Romanæ Curiæ favent, id unum ajunt, Pontificem id quidem absolute posse, si velit, quoniam omnium Beneficiorum dominus est, at id eum nunquam velle. Itaque nec Pon-

(a) Justinian. novel. 123. cap. 18. Gratian. 16. q. 7. c. 10. n. 32.

Pontifex, nec Legatus antevertere possunt Patronos Laicos, qui, ut ad Beneficia sua nominent, quatuor omnino mensium spatio gaudent. Sex quidem menses Patronis Ecclesiasticis præsto sunt, ut ad sui Patronatus Beneficia promoveant; verum id ipsis inutile prorsus est in Gallia, ubi Pontificis anticipatio locum habet. In Normannia sex integros menses ad nominationem obtinent Patroni Laici, periode atque Ecclesiastici; sed ea consuetudo nititur usu, non jure, quod Patronis Laicis tantummodo quatuor menses concedit, quibus elapsis, illi ea quidem vice nominandi jure cadunt; & tunc jus devolvitur ad Ordinarium, qui ad Beneficium eligit quemcumque voluerit.

II. Regaliæ jure Rex Patronorum Laicorum juri derogare non potest, quia Regalia non ei plus juris tribuit, quam Papæ Papatus. Porro Papa in Patronorum Laicorum præjudicium nihil, ut declaratum est, facere potest. Rex e converso derogare potest Ecclesiasticorum Patronorum juri Regaliæ gratia, & Beneficia ab iis pendentia conferre, quin eorum consensu opus sit; quoniam autem Regalia resignationes in favorem recipiendi jus Regi concedit, ea prorsus ratione, qua Papa eodem fruitur, ad ejusmodi resignationes Beneficia in Regalia vacantia conferre potest.

III. Patronus Laicus variandi libertate gaudet. Si præsentavit indignum, potest alterum nominare; quod Patronis Ecclesiasticis non conceditur, qui quidem non possunt, quod Laico Patrono licet, præsentationi præsentationem addere. Discriminis hujus ratio ex eo potissimum ducitur, quod Patroni Laici ignorantia excusanda est, non item Patroni Ecclesiastici, qui jus suum ea vice, post præsentationem primam consummat.

IV. Ordinarius præsentationes admittere nequit, absque Patroni Laici consensu, cum id facere sine Ecclesiastico Patrono possit, cujus juri derogare in permutationis casu potest, in puris autem ac simplicibus dimissionibus non potest; cum enim tunc Beneficium vacet, non nisi ad Patronorum sive Ecclesiasticorum, sive Laicorum illud conferre potest.

V. Beneficium in Patronatu Laico existens pensione onerari non potest; putatque Carolus Molinus, Rescriptum, si quod a Pontifice concederetur, executioni mandari non posse, nisi Patronus assentiretur, vel addita fuisset ejusmodi clausula: *Si tamen Patroni consensus accedat*. Verum cum præsentationis juri, quo Ecclesiastici Patroni gaudent, derogare Pontifex possit, pleno jure conferens Beneficia, quæ ad eorum præsentationem pertinent: potiore ratione potest Rescriptis suis pensiones in eorum Patronatus Beneficiis constitutas roborare, quin ipsorum consensu opus fuerit.

Cæterum juvat animadvertere, Patronatus duplicis, Laici scilicet, & Ecclesiastici distinctionem ex personarum discrimine non desumi; Ecclesiasticus enim potest esse Patronus Laicus, ratione sui prædii, suique patrimonii, cui Patronatus annexus est; at Laicus non potest Ecclesiasticus Patronus esse, quia Patronatus Ecclesiasticus jus est, quod personæ, vel Communitati competit ob Beneficia, quibus fruuntur; uno verbo Beneficia in Ecclesiastico Patronatu versantur, cum ab Ecclesia pendent. Non est omittendum sæpenumero fieri, ut Patronatus Laici decursu temporis Patronatus Ecclesiastici evadant; & id quidem vel donatione completa, vel Feudorum, ac Ditionum translatione & cessione Ecclesiis aut Monasteriis a Laicis facta. In titulo fundationis Ecclesiæ nonnumquam exprimitur, Fundatores ad certum tempus tantummodo sibi Patronatus jus reservare, & usque ad definitum cognationis gradum, quo cessante, Ordinarius de juris plenitudine confert Beneficia, quæ antea Laico Patronatui subdebantur. Quam ob causam fundationum tituli sunt cognoscendi.

Graves occurrunt difficultates quoad Patronos Laicos hæreticos. In Galliis ante Nannetensis Edicti revocationem, qui Religionem, ut vocant, Reformatam profitebantur, & Prædiis, quibus Patronatus Laicus addictus erat, potiebantur, obtinuere Consilii Rescriptum, quo ipsis concedebatur, ut idoneos viros nominarent, qui possent eorum loco ad Patronatuum, quibus illi gaudebant, Beneficia præsentare; sed id servatum non fuit, atque Ordinarii Beneficia ea, quorum Patroni Calvinistæ erant, de juris plenitudine contulerunt. Quæ in re illud est animadversione dignum, Patronatus jus, quod reale, & fundo annexum est, non proinde periisse, sed dormiisse, ut ita dicam, ac sopitum remansisse ita ut Patroni, si forte ad Ecclesiam redirent, suo Patronatus jure fruerentur, perinde ac si hæretici nunquam fuissent. Praxis hæc haud levibus rationibus nititur; & quamvis Patronatus jus proprie spiritale non sit, mixtum saltem est, ac fere dicitur esse *quid spirituale annexum temporali*, nec vendi sejunctim posse, sed solum una cum Prædio, vel fundo, cui est annexum. Parisiensis Senatus Rescripto Contradictorio edito die 6. Februarii an. 1648. in Audientia Magnæ Cameræ contra Dominos Agri *de Basoche ex Dunois*, Religionem, ut dicitur, Reformatam profitentes judicatum fuit, Prædiorum Dominos Patronatu Laico instructos, & Calvinistas nec eo jure uti, nec ad Beneficia præsentare posse. Ludovicus XIV. Declaratione diei 16. Decembris an. 1656. illos eodem jure privavit.

Addendum est hactenus dictis, Patronum Laicum se quidem ipsum præsentare non posse, quantumvis capax sit, sed posse tamen filium suum præsentare; Patronum Ecclesiasticum posse temporalis administrationis rationem exigere, cum Patronus Laicus Episcopum tantum monere possit, ut dissipationem impediat; eumdem Patronum Laicum jura honorifica possidere, videlicet locum primum ad processionem in Ecclesia, ad incensum, ad aquam benedictam, ad panem benedictum, ac si in paupertatem inciderit, Ecclesiam ei opem ferre debere; Jus Patronatus amittitur, re, cui addictum est, pereunte, ut si Ecclesia diruta, & Beneficii titulus extinctus sit; amittitur etiam crimine, quod flagitium in feudi negotio nuncuparetur, ut si Patronus Parochum interfecerit, atque hæresi, quod læsæ Majestatis Divinæ crimen est. Sed id Laici Patronatus usum suspendit tantummodo, ut dictum est, Patronatum ipsum non destruit.

Quæstio est, an Patronatus Laicus naturam mutet, & Ecclesiasticus evadat, cum ad Clericum transit. Molinus, & Chopinus in contrariam sententiam abeunt; sed ad eos conciliandos asseri potest, Patronatum, si personalis sit, naturam mutare, & Ecclesiasticum evadere; si vero realis sit, suam primam conditionem semper servare. Decisio hæc nos cogit expendere, quid realis Patronatus sit, quid item personalis. Qui Feudo, vel ædificio vi fundationis est annexus, realis est, semperque fundum, seu solum sequitur; cum autem Patronatus per fundationis actum certæ alicui personæ, ejus poste-

posteris, vel hæredibus, bonorumque possessoribus donatus est, personalis est. Sed hæc distinctio in Laico tantum Patronatu locum habet, non item in Ecclesiastico, qui semper realis est, & nunquam personalis, & in quo nec agnoscitur differentia Patronatus familiaris, & Patronatus hæreditarii. Denique locum habet apud nos Patronatus Regius, qui duplex est; unus oritur ex fundationibus, quas Reges nostri instituerunt; ducitur alter ex qualitate Regis, quem Gallicana Ecclesia tanquam suum Patronum, & Protectorem agnoscit.

Cæterum non privantur fœminæ Patronatus jure, cum per fundationem non excluduntur. Eo puella gaudere potest; cum autem nupsit, si Patronatus est realis, & dotali fundo conjunctus est, vir utpote dotalis boni conjugis suæ fructibus gaudens, ipse solus nominare, ac præsentare potest, quia Patronatus est fructuum portio, quorum dominus est; quod si Patronatus est personalis, debet fœmina nominare ac præsentare non sine viri auctoritate, vel auctoritate a Judice obtenta, si vir recusaverit. Jus Patronatus acquiri potest dotatione, constructione, soli denique ac fundi donatione; sed potissimum dotatione, quia nempe vetant Canones, ne Ecclesia, cui nullus fuerit redditus, consacretur; ac si contingat, ut unus Ecclesiam dotet, alter extruendam curet, qui dotem assignavit, solus Patronatu gaudebit. Prostant Libri bene multi super hac materia concinnati.

Patronatus Laicus, qui alteri ceditur.

CASUS I.

1 *Patronatus Laicus jus Patronatus, quo gaudet, in alium absque Episcopi consensu transferre non potest.*

2 *Jus suum donans non potest ei onerosum titulum addere; esset enim id simoniacum.*

QUÆSITUM.

IN quadam donatione inter vivos adest articulus, quo jus Patronatus Capellæ donatur in hæc
„ verba: dicta donatrix donat dictæ Donatariæ jus
„ Nominationis post mortem suam, ea conditione,
„ ut in Capellani electione & nominatione, quam
„ ipsa instituet, & cujus instituendæ jure gaudebit
„ vi præsentium, Ecclesiastici ex ejusdem Donatricis
„ familia semper cæteris omnibus præferantur, &
„ præterea dicta præsens Donatio ita facta est, quia eam
„ ita factam esse dictæ Donatricis voluntas est."

Cum Nominationis jus spiritale jus sit, & ejusmodi, ut ipsum per se nihil habeat temporale; quæritur, an jus hoc possit privatæ personæ donari absque Ordinarii consensu; id quod Capiti *Quod autem de jure Patronatus*, & Capiti *Suggestum est eod. tit.* nec non Glossæ contrarium videtur.

II. An pactum & conditio nominandi Donatricis consanguineum Simonia vacent, habita ratione verborum, quæ repugnare videntur Capiti *Tua nos de Simonia*, & huic regulæ Panormitani apud Bonacinam *q. 4. §. 11. t. prop. n. 5. Nec alia ratione jus Patronatus in pactum, vel contractum onerosum deduci potest*. Porro donatio conditione suspensa titulus onerosus est.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositis quæstionibus satisfaciat, existimat.

Quoad primam, Donatricem Donatariæ donare non potuisse sine Episcopi consensu jus Patronatus, quo ipsa gaudebat. Hæc *communior, & verior* sententia est, inquit Panormitanus, qui Canonistas non paucos citat. Opinioni huic Barbosa subscribit, & multos ipse quoque Auctores adducit.

Nullus quidem expressus occurrit in Jure textus, qui Episcopi consensum tanquam necessarium aperte requirat, ut alter alteri jus Patronatus, quo fruitur, cedere possit, ut Suarez ostendit. Possent sane in medium afferri Capita 17. *Nullus*, & 20. *Suggestum de jur. Patron.* & alia nonnulla; sed in iis de jure præsentandi, & Patronatus non est sermo; ea quippe de Ecclesiis, aut Beneficiis, quæ absque Episcopi consensu & notitia a Patronis donari non possunt, accipienda sunt.

Quia tamen in cap. *Illud de jur. Patr.* & in cap. *unic. in 6. eod.* dicitur Laicus suum jus Patronatus Ecclesiæ, aut Communitati Regulari absque Episcopi consensu donare posse; ideo Canonistæ, pluresque Auctores ex hac exceptione concluserunt Patronum absque Episcopi consensu non posse suum jus Patronatus alteri cedere.

Quoad secundam; simoniaca est donatio hæc, quia ejusmodi jus Patronatus, quod spiritale est, donari non potuit cum oneroso titulo, nempe cum conditione, quæ reputatur ac censetur aliquid temporale; uno verbo conventio Donatricem inter ac Donatariam inita, de qua in expositione dictum est, nulla est & simoniaca *C. fin. de pact. & C. tua nos de Sim.*

Decisum in Sorbona hac die 6. Maji an. 1696.

G. *Fromageau*. *Hebert*.
G. *Bourret*. Ph. *De la Cost*.

Jus Patronatus, quod male ceditur.

CASUS II.

1 *Spiritale ob temporale donari non licet.*

2 *Simoniæ suspicione non caret, & nulla est conventio, qua ceditur jus Patronatus in compensationem, & inspectionem opitulationum & officiorum ejus, cui ceditur.*

QUÆSITUM.

JOannes Julianus Mercator Nannetensis Patronus Præsentator Capellæ Sancti Honorati in diœcesi Andegavensi cedit suum jus Patronatus Honorato Bucherio consobrino suo, & Margaritæ Julianæ sorori suæ, dictique Bucherii conjugi. Instituit cessionem hanc contractu Salmuri inito, quo declarat, *intuitu opitulationum officiorumque erga se dictorum Bucherii, & Margaritæ Julianæ, & ob amicitiam singularem & sinceram, quæ mutua semper extitit, aliisque justis de causis sibi notis*, & quia ita ipse ultro voluit, se cessisse, ac transtulisse . . . . . . suum jus primævi, Patroni, & Præsentatoris dictæ Capellæ S. Honorati, &c.

Super hac re quæritur, an ea verba *officiorum & opitulationum*, quorum gratia instituta est ea cessio, Actum hunc simoniacum non reddant? Ac proinde rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac difficultate proferre velint sententiam suam, eamdemque subscribere.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, tametsi non desint Auctores, qui ratione prorsus theorica quæstionem hanc expendentes opinentur compensationis gratia donari posse Beneficium, seu jus ad illud nominandi ob officia & auxilia, quæ pretio æstimari possent; in praxi tamen, spectatisque circumstantiis, quæ fere has officiorum compensationes comitantur, & intentione, quæ præcedit, ejusmodi donationes malas esse, atque adeo damnandas. Ratio est, quia si minus eæ sunt simoniacæ, januam aperiunt simoniæ. Hæc est sententia Facultatis Theologicæ Parisiensis in Censura Apologiæ Casuistarum die 16. Julii an. 1658. Apologista hic contendebat, dummodo probe distingueretur pretium rei spiritalis ab eo, quod grati animi causa donatur, ita ut ob eam causam donans non contenderet per temporale, quod donat, rei spiritalis pretium æquare, simoniam contra divinum jus non committi: *Hæc propositio*, inquit,

quit Censura p. 6. *qua vult Auctor, eum, qui sic affectus est actu vel habitu, ut nollet unquam æquare rem spiritualem rei temporali, non commissurum simoniam contra jus divinum, ea donnant, at Auctor loquitur, quelque chose spirituelle en reconoissance d'une temporelle, falsa est, temeraria, scandalosa, & viam aperit omni simoniæ contra jus divinum.*

Et sane rudes tantum homines simoniam perpetrarent, quippe spectarent rem temporalem, quam donant, tanquam pretium spiritualis rei, quam recipiunt; vel hanc ipsam ut temporalis pretium & compensationem spectarent; e converso nullius culpæ rei futuri, si ea mente essent, ut non aliter temporale spectarent, quam ut causam ad spirituale donandum excitantem, vel temporale ipsum spectarent, tanquam gratuitam temporalis compensationem.

Sed ut id ad negotium in casu, quod expenditur, propositum accommodetur, Joannes Julianus, omnium ex familia natu maximus, & hoc quidem nomine Præsentator ad Capellam cedit suum jus Patronatus, quæ res est mere spiritualis, intuitu beneficiorum, officiorumque ex Domino Bucherio consobrino suo receptorum, videlicet in modum compensationis opitulationum, quas percepit, quæque sunt pretio æstimabiles, quod malum est. Atque hanc quidem Patronatus translationem ægre admodum a simonia excusari posse ex eo etiam clarius evincitur, quod additur in Contractu jus hoc aliis quoque de causis cedi; quod argumento est, ejusmodi cessionem non modo officiorum præteritorum compensationem esse, verum etiam eo spectare, ut ad alia, quibus indiguerit, officia Juliano in posterum exhibenda Bucherius excitetur.

Quamobrem si minus Actus hic in se ipso est simoniacus, ad simoniam tamen proxime accedit; ac dubio procul bonis moribus adversatur, ac proinde nullus est, quoniam principiis nititur, quæ simoniæ januam ac viam aperiunt.

Decisum in Sorbona hac die 12. Martii an. 1702.

G. *Fromageau*. *Hebert*.
G. *Bourret*.

Patronatus Simoniaca Cessio.

CASUS III.

1 *Fundator Laicus Monasterii Monialium, qui sibi jus in perpetuum nominandi Antistitam reservavit, Diœcesano Episcopo jus hoc cedere non potest, ea conditione, ut ipse, eiusque Successores ejusmodi Antistitam ex certa quadam familia eligere teneantur; conventio quippe simoniaca esset.*

2 *Si qua dubitatio quoad hanc doctrinam occurreret, Romanæ Curiæ approbatio petenda esset; ut Pontificis auctoritate simonia tolleretur.*

QUÆSITUM.

Quidam nobili genere, cui unigenitus filius in exercitu perierat, Monasterium Puellarum S. Benedicti in domo ad se spectante ex devotione fundavit, sibique ac suis successoribus reservavit jus nominandi in perpetuum Antistitam, eam quoque perpetuam futuram. Cum porro ab Episcopo, sub quo Monasterium situm est, permissiones, & approbationes necessarias obtinuisset, propriam filiam, quæ Nannetibus Benedictina erat, in primam Antistitam nominavit. Nannetensis Episcopi consensu eam una cum aliis duabus Monialibus ad Monasterium, quod fundare volebat, accivit, iisque irrevocabili donatione suam domum tribuit, ut ibi novum Monasterium institueretur, Patronatus jure sibi reservato. Sed deinde mutato consilio, Episcopo jus obtulit, Monasterio in Ecclesiasticum Patronatum deducto, ea conditione, ut ille, ejusque successores Monialem e familia, & cognomine unius e suis amicis, siquidem ejusmodi Moniales in Conventu fuerint, in Priorissam semper eligerent.

Renuit Episcopus jus Patronatus ea conditione acceptare, inquiens, illud esse spirituale jus, quod gratis proinde cedendum est; conventiones omnes in hoc rerum genere illicitas ac simoniacas esse; familiam quippe, e qua Priorissæ sumerentur, temporale commodum ejus bono stipulatum inde percepturam. Addit, integram libertatem iis relinquendam, qui Antistitam vel eligere, vel nominare debent, ex Concordio; tanti ponderis electionem semper debere in digniorem & aptiorem cadere; secus simoniam, vel perjurium committi, quia qui jure gaudet, se electurum, vel nominaturum jurejurando promittit, quem Ecclesiæ utiliorem fore crediderit. Hæc omnia, inquit Episcopus, Canonistarum, & Rebuffi in Concordium sententiæ sunt consentanea. Ad extremum Fundatori auctor est, ut Sorbonæ Doctores consulat; quod in causa est, ut eos adeat, rogetque, ut sibi in hoc negotio, in quo est prorsus hospes & peregrinus, facem præferant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, antequam casui proposito satisfaciat, animadvertendum existimat,

I. Electiones fere semper magnis abusibus obnoxias fuisse. Ante Concordatum litigiose, violenter, certaque erogata pecunia peragebantur plerumque; ac proinde passim cum simonia & perjurio conjunctæ erant.

In Concordio inter Leonem X. & Franciscum I. electiones sublatæ sunt, statutumque, ut Rex ad Episcopatus, & Abbatias nominaret, ea conditione, ut qui nominaretur, *vir gravis, & alias idoneus* esset. Rebuffus in hunc locum *tit. 2. de elect.* asserit, in electionis negotio digniorem præferendum esse; ex jure tamen Canonico satis est, electum dignum esse: *Licet de jure Canonico electio de digno valeat.*

III. Tridentina Synodus *Sess. 24. c. 18.* de Parochiis vacantibus per Concursum conferendis verba faciens, mandat, ut ex iis, qui se stiterint, quique examen subierint, *Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit*. Quod attinet ad Patronos Laicos, qui ad Curas, in quibus Concursus locum non habet, nominandi jus habent, satis est, eum, quem præsentaverint, dignum esse: *Quod si jus Patronatus Laicorum fuerit, debet, qui a Patrono præsentatus erit, ab eis deputatis, ut supra, examinari, & non nisi idoneus repertus fuerit*, admitti. Consuli potest Barbosa in hunc Concilii locum *n. 126. & n. 152.*

IV. In Tridentino Concilio *Sess. 25. de Regularibus c. 7.* ubi de Abbatissis, aliisque sermo est, ea dicitur eligenda, *quæ laudabiliter vixerit*; non dicitur opus fore, ut dignior sit.

Non ergo apparet sub peccati pœna ex Canonibus eligendam esse digniorem; dignam esse satis est.

Quamobrem Consilium, missis iis, quæ Rebuffus pronuntiat, ad præsentem difficultatem dirimendam existimat standum esse Tridentini Concilii decreto super Patronatuum translationibus *Sess. 25. c. 9. de Reform.* quod est ejusmodi: *Nec dictum jus Patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra Canonicas sanctiones transferre præsumant. Si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto jure Patronatus ipso jure privati existant.*

Jam vero, ut monet Pirrhing. *tom. 3. tit. 38. sect. 3. §. 4. n. 71.* Jus violat, qui Patronatum, qui spiritualis res est, cedit iis conditionibus, quas Jus non admittit, & sine quibus ille omnino non cederetur. Ejusmodi conventio est simoniaca; vide *cap. 5. Quæsitum de rer. perm. Pacto præmissa, quæ fit circa spiritualia, vel spiritualibus connexa labem simoniæ semper continet*; ac proinde obligatio Episcopo N.... ejusque Successoribus imposita, ut jus Antistitæ nominandæ sumatur ea lege, ut ea semper ex ejus familia, cui Fundator favere vult, eligatur, conventionem efficit simoniacam: & gravis Episcopo causa suppetit, quamobrem conditionem adeo Canonibus contrariam rejiciat.

Dici posset in Fundatoris favorem, ipsum, quippe qui Antistitæ nominandæ jus habeat, posse ex amici familia eamdem eligere, si ei præsens Anti-

stitæ

rita præmoreretur, & inde concludi, eum nihil novi Episcopo imponere; præsertim cum ea ratione Patronatus hic evadat Ecclesiasticus, ac proinde tanquam res Ecclesiæ favorabilis spectandus sit. Sed respondetur, Fundatorem, si forte filia ante ipsum e vivis excederet, libere, quam in ejus locum nominaret, electurum; cum contra in conventione, quam proponit, contendat, eam Episcopo obligationem imponere, ut Prælatum ex certa quadam familia nominet, quod sane est longe aliud. Quod si hac objectio quicquam evinceret, id unum evinceret, rem hanc dubiam esse; quo casu adeunda esset Romana Curia, & hujus conventionis obtinenda a Pontifice confirmatio; qui quidem approbatione sua purgaret, quicquid vitii contra Ecclesiæ regulas in eadem existeret.

Decisum hac die . . . . . Julii an. 1705.
G. Fromageau.

Patronatus hæreticus.

CASUS IV.

1 *Vir nobilis Anglus Catholicus, qui Patronatu Laico gaudebat, dum vera Religio in Anglia vigeret, post schisma ad Beneficium, cujus Patronus est Hæreticum nominare non potest.*

2 *Si Patroni Catholici Hæreticos nominare non possunt, ne ullam quidem pecuniam hujus præsentationis gratia possunt aut exigere, aut recipere.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super duabus hisce difficultatibus aperiant sententiam suam.

I. Quæritur, an Catholicus Laicus, qui ante quam hæresis in Angliam irreperet, in Parochialem Ecclesiam Patronatus jure gaudebat, post eam Religionis mutationem suo Præsentationis jure uti, & Presbyterum hæreticum nominare possit, Anglicano Episcopo eumdem præsentans, ut ei Ecclesiæ deserviat, ejusque Parochus fit? Ea est dubitandi ratio, quod, quamvis Angliæ Leges Ecclesiasticæ id juris in præsentia Catholicis concedant, cum tamen ii Ministri notorie hæretici fiot, hæresim profiteantur, eam prædicent, ac se fine legitima vocatione ejusmodi officiis immisceant, errori quodammodo patrocinari, & hæresis propagationi cooperari videtur, quisquis id genus hominum Episcopis præsentaverit. Ex alia parte Catholici in hoc negotio utuntur solummodo jure suo, quo caderent, si Anglicanis Episcopis id permitterent, ut ad ea Beneficia præsentarent, quia ad eos spectat expendere, an præsentati idonei sint. Præterea non parum refert banc præsentationem Catholicis relinqui, quippe qui moderatos homines sint electuri, qui accepti Beneficii memores Catholicis minus negotii facessant, neque eos in Religionis exercitio perturbent. Denique semper in Anglia hæc praxis obtinuit, a Schismate, atque universo Catholicæ Religionis excidio.

II. Quæritur, an hi Catholici Patroni Laici, de quibus est sermo, possint aliquid ob eam Præsentationem exigere, cum Præsentatis de certo pretio convenire, illudque recipere, vel ideo se a decimis solvendis eximere, vel demum aliquod aliud servitium, aut emolumentum exposcere? Inde oritur dubitatio, quod eorum Ministrorum officium non sanctum aliquid, sed potius profanum & impium, ac proinde pretio æstimabile videtur esse. E converso Hæretici illi functiones suas tanquam sanctas, æque ac ministerium suum spectant; & quicumque dat aliquid temporale, ut illud obtineat, simoniacus censetur, dignusque, qui perinde ac pecuniam accipiens, ab Anglicanis Episcopis puniatur; ex quo apparet, ob scandalum, & periculum, quod impendet, ejusmodi pacta licita non videri. Contraria tamen praxis obtinet, putantque non pauci id lucri permissum esse, dummodo quod perceptum fuerit, in pia opera, puta in Catholicorum Presbyterorum sustentationem, in pauperum subsidium, in eleemosynas conferatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut duplici propositæ quæstioni satisfaciat, censet,

I. Catholicum, qui Patronatus jure gaudebat, ut ad Parochialem Ecclesiam præsentaret, quo tempore vera Religio in Anglia florebat, tuta conscientia suo jure uti non posse, ita ut hæreticum hominem eligat, qui Parochiæ deserviat, eumque præsentet pseudo-Episcopis, iisdemque hæreticis qui eam illi Parochiam conferant, in qua non nisi Parochiani hæretici sunt. Nempe nobilis ille Vir catholicus nullam ipse per se potestatem obtinet hac in re, nullamque habet ab Ecclesia, quæ nihil aliud, quam catholicum hominem præsentandi jus eidem concessit; eam porro ab Hæreticis non habet, quia ille potestatem vel ab iis sibi oblatam accipere Religione prohibetur; alioquin in divinarum rerum communione cum Hæreticis versaretur; ab iis enim ejusmodi potestatem recipere & acceptare nequicquam aliud est, quam ad id agendum, quod impium & profanum cultum spectat, procurationem accipere. Denique esto eam acceptasset, eadem tamen uti non posset, quia mendacii & erroris Ministrum nominans, se falsi ministerii ad æternam animarum perniciem tendentis reum constitueret; ea vero Ecclesia ad verum Dei cultum a Catholicis viris dotata ac fundata, in profanum & Sacrilegum locum converteretur, cui malo Patronus Catholicus operam daret, qui hæreticum præsentaret, ac nominaret.

Quod ergo juris hujus Præsentationis pacificam possessionem Catholicis Angli relinquant, non proinde evincitur, ipsos eo uti posse. Si Anglicani Episcopi ejusmodi electionem probant, id eo tantum faciunt, ut Catholicam Religionem e Regno penitus extrudant, & hæresim in ejus locum inducant. Cæterum illi ut imponerent, ita statuerunt, ut nempe Religionis ejus, quam funditus everterunt, nonnullis adhuc servatis vestigiis, populum deciperent, ea jura Ecclesiis relinquentes, quibus ante schisma gaudebant.

Objiciunt, qui contra sentiunt, Catholicos in hac facti specie uti jure suo, quo, si secus agerent, spoliarentur. Sed respondetur Catholicorum arrogatum hoc jus temere adduci, quod nec iis concessit Ecclesia, nec ipsi ab Hæreticis accipere potuerunt. Itaque jus hoc, ut in Canonico Jure dicitur, *dormit in foro*, quia semper ad Parochias nominandi facultatem Patroni retinent, ea tamen tum solum usuri, cum per Omnipotentis misericordiam ad Ecclesiæ sinum Anglia redierit.

Opponitur & illud, Catholicos tum sibi, tum Fidelibus eo nominationis jure utentes prodesse, iis nimirum electis, qui & qua sunt animi moderatione, & accepto Beneficio se Patronis obstrictos testantes, Catholicos humanius excipiant, eosque in Religione persistere haud ægre patiantur. Verum reponitur, quæcumque commoda se illi inde percipere contendunt, ipsis esse perniciosa, quoniam eo demum tendunt, ut ipsi æternum pereant.

II. Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, altera difficultas facile solvi potest; si enim Catholicus pseudo-ministros ad Beneficia nominare non potest, nihil est, quod quæratur, an idem Catholicus aliquid, puta pecuniam, exemptionem, vel id genus alia emolumenta Præsentationis gratia recipere, vel exigere possit. Et quamvis pro certo haberetur, eum præsentare, ac nominare posse, non ipsi tamen liceret pecuniam, vel aliquid aliud a præsentatis exigere. Id nimirum nil aliud foret, quam turpis ac sordida negotiatio vere simoniaca, & ab eorum mente, qui ejusmodi Beneficia fundarunt, prorsus aliena.

Decisum Parisiis hac die 26. Novembris an. 1671.

Morel, Patu, Porcher, Chassebras, Fortin, Huet, De Sainte Beuve, Aug. de Lamet, Ph. Le Feron, Petit-Pied, De La Haye, Lescot, Cousin, Cooart, Le Franc De La Grange.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

PAU-

PAUPERTAS RELIGIOSA.

SPectarunt Sancti Viri paupertatem tanquam Regularium opulentiam, quia per eam fit, ut nihil sit in hac rerum universitate, quo illi egeant, & quod etiam non flocci faciant, despiciantque. Quam ejus formam nobis exhibet Sanctus Benedictus, admodum late patet; Religiosos quippe jubet proprii nihil habere, seque rebus omnibus indiscriminatim exuere; declarat eorum paupertatem tantam esse debere, ut ne minimum quidem jus in proprium corpus, vel in suam ipsorum voluntatem retineant, hoc est illi tum quoad internas, tum quoad externas actiones non amplius sui compotes sint; ea vero, quibus absolute indiguerint, quaecumqua demum sint, ipsos a proprio Superiore sperare debere, quemadmodum quicquid ad subsistentiae ac vitae conservationem necessarium est, a Deo expectatur: (a) *Quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria potestate..... omnia vero necessaria a Patre Monasterii sperare.* Quia porro de paupertatis voto, quantum quidem in personis Deo consecratis extendatur, alibi dicimus, ideo non pluribus id verbis hoc loco persequimur.

Vide (RELIGIOSÆ.
(VOTUM.

Votum paupertatis Monialium Tertii Ordinis Sancti Francisci.

CASUS.

1 *Moniales Tertii Ordinis S. Francisci laborum suorum fructus disponere possunt, si earum Ordinis Constitutiones id permittentes a Sancta Sede approbatae sunt.*

2 *At si eaedem Constitutiones non nisi Superiorum approbatione nituntur, Moniales hae ad Tridentinae Synodi definitionem redigendae sunt.*

QUÆSITUM.

ILlud in quaestionem vocatur, an praxes, quae in Sanctimonialium Tertii Ordinis Sancti Francisci Communitate servantur, Tridentino Concilio conformes sint, atque an tuta conscientia tolerari ac retineri possint iis de causis, quae producuntur. Eae porro praxes ejusmodi sunt.

Cum Puellarum receptio in hac Communitate contrahitur, certus cuique redditus annuus statuitur ex pensionis parte, vel ex dote, quam consanguinei Monasterio tradiderunt; atque ea quidem summa deservit earum peculiari sustentationi, habitibus, linteis, aliisque indumentis, solutioni Medici, medicamentorum, lignorum, quibus illae in quoque cubiculo septenae, vel octonae se calefaciunt, & ancillae, quae eis famulatum praestat. Donaria, nummique ex earum labore accedunt huic peculio, quemadmodum etiam lucrum perceptum ex reculis, quas illae Communitati, vel aliis vendere possunt, sive peculium copiosum sit, sive non; hinc permagnus aliquando census existit.

Porro animadversione dignum est, ejusmodi peculium, unde unde proveniat, & ut ut augeatur, accurate recipi, servarique ab Antistita in capsulis Monialium numero respondentibus, eamque nihil inde ad ullam solutionem decerpere. Quod post mortem superest, accrescit Communitati, quin Monialis motiens illud omnino destinet. Hae omnes moderationes excusantne vel omnino, vel ex parte? Nullus ne in hoc negotio abusus occurrit de medio tollendus?

Sane convenit, hoc peculium in singulis capsulis reservatum in causa esse, quamobrem illae alacrius & liberius petant, quae propriis commodis consulant, suisque voluptatibus satisfaciant; quod enim attinet ad necessaria, quotannis Monasterium pensionem Monialibus suppeditat. Praelata ipsa singulas in officio continere vix posset; adeo nonnullae difficili indole sunt. Probe callet unaquaeque suas opes, & certa est, Praelatam nihil inde sumpturam, ie nescia, Constitutionibus id ei prohibentibus. Facile quoque intellectu est, hac ratione cupiditatem foveri; illae habere cupiunt, & accumulare, quamvis nolint quicquam independenter expendere, nec ignorent omnium rerum privationem tolerandam fore, animoque a terrenis rebus abducto vivendum. Haec tamen dispositio ex eo levior apparet, quod eam dependentiam re ipsa nullam fore certo sciant; fierique facile possit, ut non omnes ita sint animo comparatae. Contingere vix potest, ut non ea pecunia tanquam propria spectetur; prospicitur singularum sustentationi, quippe quae septenae, vel octonae cum famula degunt in quoque cubiculo; recipitur denique, quod Communitas dare potest; & additur, quod deest.

Putant eae nihilominus se in eo statu perfectionem consequi posse, nec ulterius, quam in Professione promiserint, obligari; non easdem quippe, ac pares in omnibus regulis praxes esse. Id quoque ad sui status propugnationem ajunt, in ea, quam profitentur, Regula paupertatis votum non edi, sed id unum praecipi, ne quid proprii possideatur, eos nempe Professionis terminos esse; quos quidem Regularis, prout ejusmodi est, praetergredi non tenetur; porro S. Franciscum, cui paupertas adeo cordi erat, quique eam in suis prioribus regulis tam exacte ac religiose praecepit, in hac tertia non idem mandare voluisse, quoniam satis habuit declarare, in ea voto edito nil proprii habendum; & in votorum explicatione ait eos, qui eadem ediderint, ad paupertatem ita obligari, ut nihil proprium privatim possideant. Jam vero illae se satis huic disciplinae adhaerere credunt, si nihil habeant, quod pro suo ipsarum arbitratu insumere valeant, sed omnia penes Antistitam sint, censentque non nisi absolutam proprietatem Canonibus prohiberi.

II. Si ad majorem disciplinam videretur in id incumbendum, ut in hac Communitate bonorum communio institueretur: deberetne impedimento esse timor, ne tumultus ac divisio oriretur, neve nonnullorum animus vehementius perturbaretur?

III. Si laedendae charitatis timor, aliaeve rationes Episcopum Superiorem ad dictas praxes tolerandas aut probandas adducerent: Moniales & Confessarius tutane conscientia forent?

IV. Idem Confessarius & Moniales, quibus proprii status imperfectio ignota non est, tenenturne Episcopum sollicitare, ut ejusmodi communionem instituat?

V. Possetne Episcopus, ut id melius consequetur, nonnullas in inveterata praxi relinquere? Iis autem Confessarius possetne deinde Sacramenta administrare, connivens, nec eas una cum caeteris ad obedientiam pertrahens?

VI. Si nosset Confessarius non paucas ejus Communitatis Moniales ad hanc reformationem, siquidem superiori ita placeret, amplectendam aegre admodum adduci posse, atque adeo nonnullas omnino reluctari: easne ad Sacramenta admittere posset? An vero eas antea in reformatione firmare debet? Ac satisne foret, si generatim eas cohortaretur, ut suo se Superiori omnino subderent, viverentque a rebus omnibus prorsus abductae, & nihil optarent?

VII.

(a) In Regula S. Benedicti cap. 33.

VII. Spes communionis hujus facilius obtinendæ potestne in causa esse, ut ipse a monitionibus ac minis abstineat, quia nonnullarum ad se accedentium pravam animi præparationem probe cognoscit?

VIII. Eædem Moniales, quæ, prout occasio tulerit, Superioris consilia vehementer impugnant, multasque speciosas difficultates opponunt, gaudentne conscientiæ securitate, quod ajunt, se, siquidem Superiori absolute, earumque rationibus non obstantibus, ita libuisset, assensutas fuisse?

IX. Eæne in conscientiæ foro tutæ essent, quæ perturbationi & schismati causam præbuissent, cæteris communionem vehementer optantibus, atque adeo Superiorem ab ejus communionis consilio avocassent? Confessarius porro rerum omnium optime conscius quomodo cum ejusmodi Monialibus in Pœnitentiæ Tribunali se gerere debet?

X. Confessarius, cui ea Communitas ab Episcopo commissa esset, ex obedientia Superiori præstanda, eamne tamen deserere contra proprii Episcopi voluntatem deberet, quamvis eadem Communitas in præsentia frueretur tranquillitate, omnemque, quæ quidem optari posset, disciplinam servaret, excepta communione, quæ statuta non est? Rogantur Surbonæ Doctores, ut super hac re dicant, quod sentiunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Tertii Ordinis Moniales, de quibus agitur, tuta conscientia esse, Constitutionibus suis adhærentes, si Sedes Apostolica eas approbavit. (a) Etenim post Tridentinum Concilium potest vel Superior cum causa uni, vel pluribus Monialibus assignare certum quotannis redditum, iis usui futurum, quin Regularis paupertas lædatur, quia ejusmodi redditum usus pendet ab arbitrio superioris, qui eam dispensationem, quoties ita expedire judicaverit, revocare potest, ut contendit Peirinis cum multis Auctoribus, quos citat *tom. 2. q. 2. de subdito c. 2. §. 1.* ubi hanc controversiam accurate discutit pag. 232. & sequentibus. Censent in hoc negotio complures alii vituperandam non fore praxim, quæ Superiore annuente in aliquibus Religionibus institueretur, ut nempe certa quotannis summa ad victum vestitumque Religiosis singulis tribueretur, iisque præterea permitteretur, ut ea, quibus opus haberent, sibi aliunde compararent. Quod si ita est, potiori jure asseri potest, Constitutiones Ordinis, in quo ejusmodi consuetudo obtineret, a Sancta Sede permitti, atque approbari posse. (b) Porro Bassæus asserit, hanc praxim, si in aliqua Religione instituta esset, licitam fore: *Licita est consuetudo quarumdam Religionum, quibus ex Superiorum licentia Regularibus certi annui redditus taxantur pro victu & vestitu; ita ut si aliquid desit, ipsi superfluum piis & honestis usibus impendunt; dummodo Religiosi facultatis sibi traditæ terminos non excedant, & reformationi a Superioribus legitime faciendæ obtemperare sint parati.*

Sunt sane Theologi bene multi, Superiores peculiares non posse ejusmodi peculia permittere, præsertim post Tridentinam Synodum, & Clementis VIII. Bullam, (c) quam affert *de Murga*. Sed alii quoque non pauci contra sentiunt, ut apud eumdem Auctorem videre est. Ac responderur, ut ut de hac difficultate sentiendum sit, extra omnem dubitationis aleam positum esse constare, Romanum Pontificem, qui passim in Concilii Decretis dispensat, seu quia Concilium hanc ei potestatem reliquerit, ut *ex sess. 25. de Reform. c. 1.* concluditur, seu quia cæteroquin eadem gaudeat, Constitutiones, de quibus in expositione dictum est, permittere potuisse.

His ita se habentibus, Moniales eæ, quæ Constitutiones ab Ecclesia approbatas, quibus peculia, & pensiones, de quibus quæstio est, permitterentur, professæ essent, legitime cogi non possent vitam aliter instituere, & inveteratæ hujus Tertii Ordinis consuetudini renuntiare; seu iis id unum injungi posset, ne disponerent, præterquamquod per proprias Constitutiones sibi licuerit.

Non imus inficias, harum Monialium paupertatem non æque ac cæterarum perfectam fore; verum sunt in Ecclesia paupertatis gradus plures; causa exempli Monialium Hospitalitatis non adeo stricta paupertas est, atque in iis Religionibus servatur, quæ vitæ contemplativæ sunt prorsus addictæ; non tamen inde sequitur, illarum paupertatem proprie dictam paupertatem non esse; satis nimirum est Religiosum, vel Religiosam nihil habere nisi dependenter a Superiore, vel a Prælata, penes quos semper remanet jus eos privandi concessis, cum ita expedire judicaverint.

Si rationi consonum censeretur, ut Tertii Ordinis Moniales hæ, quas Ordinario subesse pro certo ponitur, ad communem vitam, & ad omnia in commune conferenda redigerentur, sublatis peculiaribus societatibus, ex septem vel octo Religiosis cum ancilla compositis; ejusmodi reformatio ad puellas in posterum recipiendas, & ad eas ex senioribus, quæ assentirentur, spectare deberet; cæteris autem Monialibus, quæ quidem reluctarentur, Sacramenta administrari possent, dummodo aliis de causis indignæ non censerentur.

Si Constitutiones harum Monialium ante Tridentinam Synodum editæ sunt, vel etiam postea, sed tantum ab earumdem peculiaribus Superioribus approbatæ; hoc in casu ad Tridentinæ Synodi dispositionem, quoad fieri poterit, sunt redigendæ. Ita statuit D. Carolus. (d) Certum enim firmumque est non eam Tridentinæ Synodi mentem esse, ut ejusmodi peculia & pensiones in privatorum Religiosorum favorem tolerentur, quoniam mandat, ut omnia in Communitatis cumulum conferantur Conventui profutura, & ut ipsa Synodus loquitur, *Conventui incorporentur*. Multo vero magis Concilio repugnat, Moniales artefacta sua vendere, & in ejusmodi loculis perceptum lucrum deponere, ut extrahant, cum eo sibi opus esse crediderint; ita ut eam pecuniam, iis insciis, ad quas spectat, Antistita disponere nequeat. Tolerari non posset articulus hic in Monialibus jam professis, quæ reformationem amplecti nollent; eas enim ita a Prælata pendere necesse esset, ut ipsa, prout ei videretur, ejusmodi peculium disponere posset. Apparet etiam Concilio contrarium, Monialibus certum annuum redditum esse, quo vestes, & alia leviora, quibus indigent, sibi comparent, seu prospera, seu adversa valetudine utantur.

Ne quis porro de Concilii mente dubitandi locus supersit, audiendus Fagnanus, qui quæstionem ei, de qua agitur, geminam ad trutinam revocat. En ejus verba: (e) *Et in eodem Capite, Cum ad Monasterium, idem Abbas per illum textum determinat, licitam esse constitutionem, vel consuetudinem, qua Religioso certum quid annuum pro vestitu traditur.* Laudat deinde Canonistas, qui in affirmantem partem propendent; tum num. 62. multas Congregationis Cardinalium declarationes, quæ hanc sententiam damnant, in medium adducit, unamque inter alias his verbis expressam: *Cum quædam Monialis præter dotem tributam Monasterio sibi reservasset scuta quinquaginta annua pro suis necessitatibus, atque indigentiis, petiit sibi fieri facultatem illa erogandi in usus prædictos. Sacra Congregatio censuit hanc pecuniam annuam, non obstante reservatione, acquisitam esse Monasterio, ideoque deferendam esse recte ad manus Abbatissæ, quæ primum prospiciet necessitatibus Monialis, & quod reliquum fuerit, in usus totius Monasterii convertet.*

Aliam quoque Declarationem commemorat, qua Cardinales definiunt, Moniales, quæ *annuos quosdam redditus percipiunt ab ipsis Monasteriis*, eas etiam, quæ in modum contractus redditibus gaudent, eos sibi retinere non posse, ac si retinuerint, pœnis a Tridentino Concilio (f) contra proprietarios inflictis subes-

(a) Hæc Germani Fromagean peculiaris sententia est quia ex ejus manuscriptis compertum est, hunc Casum nec ab aliis subscriptum, nec ad consulentes missum fuisse.

(b) Bassæus V. Paupertas Religiosa. tom. 2. p. 10.

(c) Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2. & 3. De Murga l. c. pag. 234.

(d) S. Carolus in Act. Eccl. Mediolan. l. 6. p. 325. Concil. Trid. sess. 25. c. 2.

(e) Fagnan. t. 2. in 2. p. l. 3. Decret. cap. Monachi n. 33.

(f) Concil. Trid. Sess. 25. de Regular. c. 2.

Ad objectionem secundam respondetur, Moniales, de quibus agitur, se tueri non posse, quominus ejusmodi redditibus, peculiisque renuntient, quod professionis tempore eam tantum obligationem contraxerint, ut nempe eam vitæ rationem servarent, quæ, quo tempore professæ sunt, servabatur; ita ut nunc temporis contra intentionem, quam tunc habuerunt, obligari non possint. Quamvis enim novum Religionis jugum contra id, quod in hac peculiari Religione initum est, imponi non possit, ut animadvertit Bassæus (a); expendendum tamen est, an quod quis se facturum in mente habuit, cum servandæ alicujus Regulæ votum edidit, sit abusus regulæ, necne. Porro dum in Tertio Ordine paupertatis votum emittitur, votum hoc ipsum omnibus his peculiis renuntiandi obligationem secum trahit; dicique potest, hoc voto præscribi vitæ rationem, quam mutari non est liberum; ut proinde qui solemnem professionem edit, velle huic vitæ rationi se addicere censeatur.

Conficitur ergo ex hactenus dictis, Sancti Francisci regulæ abusum esse, redditus & peculia, prout in expositione declaratum est, retineri, & quod inde consequitur, Tertii Ordinis Monialem citra peccatum recusare non posse reformationem amplecti, cum in horum peculiorum negotio eam institui placuerit: *Nec valet contra prædicta excusatio quorumdam Religiosorum dicentium, quod quando ipsi professionem fecerant, non intenderunt ad alium modum vivendi se obligare, quam qui tunc temporis vigebat in Religione; & votum non obligat ultra intentionem voventis; quia quamvis verum sit, quod votum non obliget nisi secundum intentionem voventis, hoc tamen intelligitur, quando in potestate est voventis sic vel sic vovere: sed quando iis est præscripta lex & modus vovendi, sicut fit in solemni professione, id minime verum est . . . . tum quia quando isti fecerunt professionem, se obligaverunt ad observantiam regulæ, & non ad abusum ejus*. Hæc quoque Bassæi verba sunt.

Ad quæstionem alteram. Si Monialis, omnia in commune non conferens peccat, ut dictum est, & quidem mortaliter, teste Fagnano, post tot tamque apertas declarationes, & Pontificum decreta, quæ ab eo proferuntur, quamvis illa non nisi dependenter a Superiorum voluntate fruatur peculio suo, quæcumque demum vigeat consuetudo; necessaria consecutione fit, ejusmodi peculia de medio tollenda esse: (b) *Nec quemquam excusari a lethali culpa, & pœna proprietariis inflicta, ex quavis consuetudine Monasterii, vel Religionis, seu probabilitate opinionum, vel alio quovis prætextu, vel causa, & Religiosis tam Prælatis, quam subditis cavendum esse ab hujusmodi abusibus, quia Deus non irridetur; & ideo magis, quia sacra Congregatio consulta, an liceat Regularibus interpretari decretum Concilii cap. 2. Sess. 25. de Regularibus, respondit non licere*.

Hinc inferri potest, nullum non lapidem movendum esse, ut statuatur, omnia in hoc Monasterio communia esse, nullumque proinde peculium adesse Monialibus, sed quicquid ex proprio labore iis advenerit, incorporari, ut Synodus loquitur, communi massæ, unde Prælata sumat, quo Monialium suarum seu bene valentium, seu ægrotantium rationibus consulat. Magna porro prudentia opus erit, ut Monialium in reformationem consensus obtineatur.

Cum ergo Ecclesiæ super ejusmodi peculiis definitiones iis declaratæ fuerint, tantisper expectari poterit, dum & ipsæ rem accurate perpendant, iis interea Sacramentis administratis siquidem absolute rebelles non sint, nec veteri praxi se pertinaciter addictas exhibeant.

His porro Monialibus Sacramenta deneganda non esse, si non statim atque ipsis propositum fuerit, peculiis suis renuntiaverint, ex eo evincitur, quod in eo bonam fidem præseferunt; quod professionis tempore consuetudinem hanc in Monasterio institutam invenerint; & quia etiam ejusmodi peculia non ipsa per se mala sunt, sed solum mala, quod Tridentinæ Synodi novo jure prohibita: quod in causa est, ut harum maxime Monialium animus sit pertentandus, dummodo sperari possit fore, ut aliquando reformationi, quæ hoc in capite non immerito proponetur, volentes lubentesque assentiantur.

Si cum Monialibus his agatur, & quin initio statim omnibus reformatio proponatur, nonnullæ exempli causa, ac potissimum optimæ quæque permoveantur, omnisque uno verbo adhibeatur prudentia, quæ ad vincendos animos, & ab inveterata consuetudine abducendos est necessaria: tumultus, & schismata, quæ timentur, præveniri poterunt. Præterea si quæ metuuntur, perturbationes exiguo tantum tempore possint existere, ac demum abusus in hac Communitate grassantis reformationi quodammodo inserviant, reformatio proponi poterit; ut proinde, si quid mali contigerit, quarumdam Monialium pertinaciæ potius, quam indiscreto eorum zelo, qui reformationem aggressi fuerint, id omne tribuendum sit.

Ad quæstionem tertiam. Praxim, quam Ecclesia damnat, Episcopus intra peccatum probare non potest; eam quidem potest tolerare, donec eam reformari posse prudenter judicaverit. Et sane mali majoris timor sæpe superiorem adducit, ut id, quod minime probat, patiatur; sed aliquando etiam contingit, timorem hunc vanum, levemque esse, Superioris lenitatem, pacis amorem, perturbationum, & negotiorum formidinem impedimento esse, ne quid ipse ad proximi salutem, cujus tamen rationem redditurus est, aggrediatur; ita ut non raro haud satis apte contendat, se ideo nihil aggredi, quod haud felicem exitum speret. In hac facti specie graviter Superior peccaret. Confessarius quoque non ignorans reformationi Moniales non alacriter assentiri, quod veteri praxi obfirmato animo adhæreant, iisque Sacramenta nihilominus administrans gravis culpæ reus esset.

Ad quæstionem quartam. Cum supra probatum sit, redditus, & peculia, quibus ejusmodi Moniales ad vestitum, calefactionem, medicamenta, Medicorumque stipendium quotannis gaudent, & reposita laborum emolumenta ab Ecclesia prohiberi: tenentur illæ, statim atque abusum cognoverint, eam consuetudinem reformare; eademque ratione Confessarius ad omnia in commune conferenda Monialas ipsas movere debet.

Ad quæstionem quintam. Episcopus eas tantum in veteri praxi relinquere potest, quæ ad communem vitam, prout Concilium & Pontifices mandant, ineundam pertrahi non possint. Sane Tridentinum Concilium sessione laudata *cap.* 1. hæc habet: *Hoc decreto præcipit, ut omnes tam viri, quam mulieres ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque imprimis quæ ad suæ professionis perfectionem ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis . . . nec non quæ ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent*. Deinde subdit: *Omnisque cura ac diligentia a Superioribus adhibeatur in eorum visitationibus, ut ab illis* (ab iis nempe, de quibus supra dixerat) *non recedatur: cum compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad substantiam regularis vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa quæ bases sunt & fundamenta totius disciplinæ, exacte non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est*. Animadvertendum hoc loco est, Concilium vehementius id persequi, quod ad paupertatem spectat, quam vota cætera, quia nempe sæpius hoc in capite, quam in aliis Regulares peccant, magisque proinde ex hoc ipso regularis disciplinæ spiritale ædificium excidio obnoxium efficitur.

Quamdiu porro Moniales, de quibus in hac quæstione sermo est, in veteri praxi perstiterint, Confessarius pati non potest, ut accedant ad Sacramenta, nisi ea quidem generatim omnia, quæ sibi superioris nomine proponantur, exequi paratæ sint.

Ad quæstionem sextam. Confessarius iis omnibus prudentiæ rationibus uti debet, quæ in quæstione hac explicantur. Id cum egerit, si quæ sint, quibus haud facile persuadere possit, ut communem vitam suscipiant, modo tamen de earum consensu non desperet omnino, eas quidem ad Sacramenta admittere poterit, iis tantum neganda, quas reformationi prorsus reluctari perspiceret.

Ad quæstionem septimam. Confessarius meliorem exitum sperans, modo non temere, potest in hoc negotio connivere, & occasionem aliquam arripere

(a) Bassæus t. 1. verbo Paupertas n. 13.

(b) Fagnan. loco supra cit. n. 75.

Sacramenta iis denegandi, quas moraliter ita animo comparatas esse judicaverit, ut communem vitam amplecti nolint.

Ad octavam quæstionem. Quamvis Superior prudentia usus Monialibus hisce communem vitam non statim præcipiat, sed tantum proponat; id tamen non impedit, quominus Moniales eæ, quæ speciosas difficultates afferunt, ut Superioris sui consilium evertant, in pravo quoad conscientiam statu versentur. Ex quo fit, ut Confessarius iis Sacramenta negare debeat. Quicquid enim ab ipsis dicitur, nihil est aliud, quam perfugium, ac prætextus, ut sibi ea detrectantibus, quæ superior consuetudinis mutationem præcipiens exigere voluerit, excusationem conquirant. Et sane ex rationibus in communis vitæ gratiam sibi a Superiore propositis eæ quidem facile intelligere possunt se ad eam vitæ rationem teneri, quin ejusdem Superioris præcepto opus sit.

Ad quæstionem nonam. Moniales, quæ Superiorem impedierunt, quominus ad bonorum communionem in eo Monasterio instituendam incumberet, tuta conscientia non sunt, iisque Confessarius Sacramenta negare debet, donec a sententia ac praxi recesserint.

Ad quæstionem decimam, eamdemque postremam respondetur, Confessarium, qui ignorare non potest, ejusmodi redditus, proventus, peculia, de quibus dictum est, & de quibus, inscius Monialibus, perinde ac de cæteris ex earum labore provenientibus Antistita disponere nequit, ab Ecclesia prohiberi tanquam paupertati contraria, Monasterii hujus administrationi renuntiare debere. Cum enim ipse abusum hunc reformandum Superiori proposuerit, seque ad Sacramenta iis Monialibus administranda ægre admodum adduci posse eidem significaverit; si ille ei malo non occurrerit: tum vero idem Confessarius inobedientiæ quoad Episcopum reus non erit, quoniam e converso abusum confirmaret obedientia præstanda, si nempe earumdem Monialium confessiones exciperet, iisque Sacramenta administraret.

G. Fromageau.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

PECCATA RESERVATA.

Vide (CASUS RESERVATI.
(RESERVATIO.

PECUNIÆ PUPILLARES.

Pecuniarum Pupillarium nomine veniunt Bonorum fundi, quibus Minor gaudet, & census, quos ad ejus nutritionem ac sustentationem Tutores inde percipiunt. (*a*) Quoniam porro Bona hæc Mobilibus & Immobilibus continentur: in Lege mandatur, ut quandoquidem Mobilia perire aut amitti possunt, & nullum præterea fructum producunt, teneantur Tutores ea vendenda curare, quamprimum fieri possit, ad pecunias in fructuosos fundos conferendas. Quod si qua retardationis causa subesset, quemadmodum non esset arguendus Tutor, quod inconsideratam diligentiam non adhibuerit, ita excusandus non esset, si negligentior fuerit, ut in lege dicitur. Ex Aurelianensi Constitutione art. 102. debent Tutores statim post inventarium vendenda curare Judicum auctoritate Mobilia peritura, & pecunias inde perceptas in Redditibus, aut Hæreditatibus, affinium amicorumque consilio, ponere. Hæc tamen regula aliquam patitur exceptionem; si qua enim in rerum mobilium numero sit, cujus usus ad Minoris bonum sit necessarius, cujusmodi sunt Pecudes in Prædio, Vasa vinaria ad vindemiam, & id genus alia, ejusmodi Mobilia juxta Legis mentem servanda sunt. Potest etiam Tutor a Mobilium venditione liber esse, si ad breve tantummodo tempus Tutela durare debeat, quia Minor majoritati sit proximus, si ei utilior videatur eorum Mobilium conservatio, quæ eidem erunt necessaria, dum Major erit, & quæ proinde sibi comparare deberet. Possunt etiam servari gemmæ, dictæ Tabulæ, atque alia magni pretii Mobilia.

Quomodo impendendæ sint a Tutore pecuniæ ex Mobilium venditione, aut ex Immobilium redditu provenientes, non convenit inter Auctores. Opinio communius recepta, & Constitutionibus nixa ea est, Tutorem teneri eas pecunias insumere in alieno, si quod adest, ære solvendo, aliisque explendis successionis obligationibus, & si quid reliqui est, in fundis aut redditibus comparandis, ut est in Lege. Vi Constitutionis Aurelianensis art. 102. Tutores & Curatores debent pecunias in redditibus aut hæreditatibus collocare ex affinium amicorumque consilio, quod ni faxint, tenentur ipsi pecuniarum lucra de suo solvere. Cum hæc Constitutio harum pecuniarum usum redegerit in fundos aut redditus, exclusit proinde usum in census usurarios ope mutui, quippe qui sit illicitus. Itaque Tutores summarum, quæ suis Pupillis debentur, census exigere nequeunt absque aliquo legitimo verique nominis titulo, cujusmodi esset damnum emergens, lucrum cessans, aut societas, quippe cum ita expressis verbis sanxerint Concilia complura, quæ horrorem, quo usuræ peccatum Ecclesia prosequitur, nulla ratione melius significare potuerunt, quam eo damnato in hac facti specie, quæ adeo favorabilis esse videtur, ut ex Conciliis (*b*) Mediolanensi primo, & Mechlinensi licet intelligi.

Quia Tutor ad solvendos census semper Judicis sententia damnatur, ni sui Pupilli pecunias impenderit, aut eas fœnori dare non potuit; debet ita se gerere, si forte pecuniæ utiliter impendendi occasionem nactus non fuerit. Cavere debuit, quantum opus fuit, sollicitum se præstare, & Virorum quos auctores adhibere debuit, atque affinium consilium producere, ut appareret pecunias adhuc extitisse, & impendi hactenus non potuisse; secus enim tenebitur census solvere, quia jure ipse præsumitur Pupilli sui pecuniam in usum proprium convertisse, quam præsumptionem effugere nequit, nisi ejusmodi pecuniam impenderit aliquo emendo fundo, vel societate cum aliquo Mercatore ineundo, vel denique aliquo reditu constituendo. Hac quidem ratione a pecuniæ Pupillaris solvendis censibus immunis erit. Aut enim pecunia hæc penes Debitores est, cum ille Tutelam init, aut non est; si est, Tutor ejusdem pecuniæ impendendæ veram & sinceram voluntatem habere debet, ut supra dictum

(*a*) l. 7. §. 1. ff. de adm. & Tutel.
(*b*) Concil. Mediolan. 1. cap. de usuris. Concil. Mechlin. Tit. de usuris.

ctum est, & banc voluntatem exequi, si Debitores solverint; eosque ad id tenetur adigere; quod si non solvant, aderit hoc in casu lucrum cessans, & proinde justus titulus percipiendi census ex Debitoribus.

Verum quidem est credi posse licere Tutoribus ex Pupillorum pecunia census percipere ratione damni emergentis, quoniam semper tenentar ipsi in Pupillorum utilitatem de sao hanc censum solvere, atque ita hujus matui causa verum damnum sentiunt; sed hæc excusatio Tutores in tuto non ponit, nisi hujus Pupillaris pecuniæ in usum licitum conferendæ tunc ipsis præsens occasio præsto fuerit; ut enim hoc damnum emergens justi tituli loco fit, ex mutuo derivetur necesse est, & non ex aliis casibus, cujusmodi est Tatela, quæ quidem hoc loco damni Tutoris vera origo est, & non matuum, quandoquidem licet Tutor eam pecuniam mutuam non dedisset, nihilominus ejusmodi incommodum pateretur.

Existit tamen contraria consuetudo institata in Jurisdictione Senatus Britanniæ Minoris, ubi Tutores ex pecuniis Pupillaribus lucrum percipiunt; & hic quidem Senatus, æque atque alia Provinciæ Tribunalia praxim hanc sua auctoritate confirmant; id quod inter Presbyteros Seminarii *de Quimpercorentin*, & nonnullos Religiosos gravia litigia excitsvit; contendentibus illis eam consuetudinem asurariam esse, his e converso asserentibus ajusmodi praxim vitaperandam non esse, atqae in hæc facti specie posse Tutoribus ad bonum publicum humana auctoritate tribui census, quos ex Pupillaribus pecuniis percipiunt. In hac difficultate versatur casus insequens, in quo proponentur utrorumque rationes, & Sorbonicorum Doctorum decisio.

Vide (USURA.

Pecuniæ Pupillaris census.

C A S U S.

1 *Pupillarem pecaniam fœnori dari non licet.*

2 *Cam usara suapte natura mala sit, & naturali divinoque jure probibita, nulla vel Lege vel Consuetudine firmari potest.*

3 *Confutatio rationum, quæ in Minore Britannia afferuntur ad excusaudos Tatores, qui Papillorum suorum pecuniam fœnori daut.*

4 *Qaonam in casu pro dati mutui periculo compensatio accipi possit.*

QUÆSITUM.

IN Britannia Minore Tutores mutuam dant Pupillorum pecuniam cum pura & simplici obligatione, censum stipulautes. Mos hic jampridem institutus est, & abiit in Consnetudinem quamdam, quæ Provincialis Senatus nonnullis Rescriptis confirmata vim Legis habere videtur. Non impendunt ejusmodi pecuniam in reddituum, aliorumve fundotum emptione; sive quia ipsi prædes existerent, sive quia Pupilli majores facti possent ab ipsis eamdem cum censu pecaniam repetere.

Eorum sententiæ, qui docent, aut dirigunt Fidelinm animos in bac Provincia, super ejusmodi consuetudine bifariam sectæ sunt; aliis eam tanquam usurariam damnantibus, aliis tnentibus, & probantibus.

Hi quidem opinionem suam confirmant momentis hisce.

I. Pro certo ponunt in omnia privatorum bona Rempublicam absoluta & suprema porestare gaudere; quo posito contendunt a Republica donari census, quos in Pupillorum savorem Tutores percipiunt. Constat id, inquiant, ex consnetadine, quæ in Provincia jampridem iustituta, & Rescriptis firmata est; ex quo sequitur, eorum sententia, non quidem vi mutui, sed vi donationis, quam Respublica Pupillis tribuit, census, de quibus agitur, a Tutoribus percipi.

II. Confirmant, quod ajunt, I. exemplo juris, qnod oritur ex præscriptione. II. jure eo, quod Lex tribuit genero, exigendi census ex Conjugis dote, cum Socer non solvit. III. jure Domini, qui subdito mutuum largitus, recipit ejus feudum pignoris loco, & redditum percipere potest, mutuæ summæ sorte integra remanente. IV. partitionibus inæqualibus inter Viros nobiles Britannos. Concludunt ex bujusmodi exemplis, quemadmodum Lex permittit præscriptionem, partitiones inæquales Virorum nobilium, censas Generi, & Domini: ita & Tatoribus licere ex suorum Pupillorum Pecania census percipere vi consuetudinis in Britannia Minore institutæ, & Rescriptis confirmatæ, quæ horum censuum dominium in Pupillos transfert.

III. Ut hoc principinm in meliore lumine collocent, illud pro certo ponnnt Tutorea in hac facti specie vere ac proprie mutuum non dare, sed eos, qui Pupillorum pecuniam mutuantur, institutos esse a Republica tanquam Subtutores, quibus illa Pupillarem pecuniam fructuosam reddendi obligationem imponit.

IV. Consuetudo hæc eo magis videtur rationi consona, quod in Britannia non alia videtur Tutoribus præsto esse ratio percipiendi census ex suorum Pupillorum pecunia. Non possunt fundos emere, I. quia prædes ipsi se constituere deberent, id qaod iisdem damnum quoddam emergens ingereret. II. quia Pupilli majores facti eos adigerent ad restituendam in specie pecuniam sibi concreditam. Neque magis lucrum percipere possunt ex iisdem pecuniis in commercium collatis; I. qnia id Tntores utpore viros nobiles nequaquam decet; II. quia grave discrimen adest, ipsisque impenderet extremum exitium, si Pupillorum pecunia periret.

Quod si objiciantur iteratæ decisiones Doctorum Theologorum Facultatis Parisiensis, qui consuetudinem hanc tauquam usurariam non semel damnarunt: respondent Doctores hos non satis id percepisse, qaod in Minore Britaunia fieri consuevit, & ad id animum retulisse, quod in aliis Provinciis fit, ubi convocatis Minorum affinibus, impenduntur eorum consilio Pecuniæ Pupillares, emptis aliquibus fundis, aut redditu constitnto. Hoc posito rogantur Sorbonæ Doctores, nt definiant, an liceat Britannis Tutoribus stipulari, atque ex Pupillorum suorum pecunia lucrum percipere, qua ratione declaratum est, & an verum sit eos, qui hanc pecuniam mutuantur, spectandos esse tanquam Subtutores ad lucrum ex eadem pecunia percipiendnm a Republica institutos, ita ut Tutores census hos non percipiant *ratione mutui*, *sed ratione legis*, *non quidem scriptæ*, *at vi consuetudinis*, *legis vim babentis utpote confirmatæ per suprema Curiæ Aremericæ placita*.

Quæritur etiam, an ex mutuo Iucrum percipi possit ratione periculi, & quomodo respondendum sit ad id, quod bac in re tradit Lateranense Concilium sub Leone X. & ad decisionem Congregationis Romæ, quæ ad quorumdam Missionariorum consultationem, an nempe Chinenses recens conversi lucrum periculi causa perceptum restituere cogendi essent, *Respondit non esse inquietandos*.

R a s p o n s i o.

Consilium Conscieutiæ subscriptum existimat Tutorem non posse sœnori dare suorum Pupillorum pecuniam, obligatioue pura & simplici, quia ejusmodi quæstus spectandus est tanquam lucrum ex mntuo perceptum, quod est usurarium, ac proinde

prohibitum. Ratio est, quia nulla præsto est consuetudo, aut humana Lex, quæ lucrum, quod suapte natura malum est, legitimum reddere possit. Ad hujus propositionis veritatem cumulatissime cognoscendam, hæc pro certis habenda sunt,

I. Pecuniam obligatione traditam cum libertate ejus, quando libuerit, repetendæ, veri nominis mutuum esse, unde propterea, generatim loquendo, census absque usura exigi nequit.

II. Usuram ipsam per se malam, & naturali ac divino jure prohibitam esse; est hæc Theologorum communis opinio post D. Thomam (*a*) in summa.

III. Nullum existere publicum bonum, quod efficere possit, ut census usurarius evadat legitimus; exempli gratia bonum publici commercii, quod Status columen est, eumdemque locupletat, non est satis justa ratio mutuum dandi cum fœnore; ita statuitur rotundis verbis articulo 202. Statuum Blesensium; ita neque unquam licet cum fœnore mutuum dare, ut adsit, unde pauperibus egestata pressis auxilium feratur, vel unde captivi redimantur, licet hæ duæ res sint Religioni maxime favorabiles (*b*).

IV. Nulla est in terris potestas, ne Pontificia quidem, inquit Alexander (*c*) III. quæ valeat hæc emolumenta legitima reddere, & quod inde consequitur, in Lege, quæ usuram prohibet, dispensare. Pontifex, inquit Pirrhingus, (*d*) in rebus suapte natura malis, & divinæ Legi repugnantibus dispensare non potest.

V. Tituli legitimi, quorum vi lucrum ex pecunia mutua fere accipi potest, communi Theologorum sententia rediguntur ad hos duos, nempe ad *lucrum cessans*, scilicet emolumentum, quod in promptu erat, nec tamen perceptum est, ut mutuatario gratum fieret; & *damnum emergens*, scilicet incommodum, quod toleratur ratione mutui; necesse est enim, ut mutuatarius ejusmodi damni, quod perfertur, aut lucri, quod amittitur, causa sit.

VI. Adsunt Concilia, (*e*) & Constitutiones, super hoc ipso Tutorum negotio, quæ prohibent, ne cum fœnore Pupillares pecuniæ mutuæ dentur.

Docet id disertis verbis Mediolanensis prima Synodus, vetans, ne quid lucri ex Pupillaribus, Dotalibusve pecuniis, aut ex ullo mutuo exigatur; *nisi quatenus id jure nominatim permittitur*; quod eam respicit facti speciem, in qua gener legitime exigere potest uxoriæ Dotis censum, quem ei socer non solvit. Quamobrem ad laudati articuli marginem hujus Concilii Collectores citarunt Caput *Salubriter de usur.* in quo casus hic nominatim excipitur. Quod spectat ad Pupillares Pecunias, quas Concilium cum Dotalibus copulat, non possunt eæ censum reddere nisi in alterutro casuum, de quibus numero 5. modo dictum est.

Articulo 102. Constitutionum Aurelianensium an. 1560. declaratur, Tutores & Curatores ex consanguineorum consilio Pupillorum pecunias in redditus aut hæreditates conferre debere. Facilius quidem ac Minoribus utilius fuisset a Tutoribus eorum pecunias cum fœnore mutuas dari; verum ex hac Constitutione liquet Reipublicæ visum esse id non licere.

Meclinense Concilium an. 1570. celebratum titulo de usura, referente Cabassutio, (*f*) concludit, cum usura divino jure vetita sit, non posse proinde Tutorem absque gravi culpa ex Pecuniis Pupillaribus, quas mutuas dat, lucrum percipere.

Gallicani Cleri Generalis Congregatio habita Meloduni an. 1579. ponit tanquam certum, Tutoribus, ut & quibusvis aliis vetitum esse Jesu Christi verbis Lucæ cap. 6. *mutuum date, nihil inde sperantes*, ex mutuatis Pecuniis, esto ad Pupillos sibi concreditos pertinerent, lucrum percipere (*g*).

Burdegalense Concilium an. 1582. damnat usuræ crimine Pupillarium Pecuniarum emolumenta, & quod ait, ea eo probat, quod juxta Divinum præceptum mutuum gratuitum esse debet (*h*).

Sylvius in medium producit Concilia plura variis temporibus, & in variis Diœcesibus in Belgio celebrata, in quibus ex Pecuniis Pupillaribus percepti census tanquam usurarii damnantur; subdit Auctor hic, in Articulo XII. cujusdam Synodi Cameracensis existere Declarationem Regis Hispaniarum, in quo damnat Tutores, qui Pupillares Pecunias fœnori dant, & nullos declarat contractus, quorum vi fœnus percipitur, si cum pacto repetendæ sortis initi sint (*i*).

Non ideo sane hoc loco afferuntur ejusmodi Concilia, seu Synodi, ut eorum Decreta alibi quoque vim habere contendatur; sed ut appareat, temporibus locisque diversis unanimi sententia receptum fuisse Pupillares Pecunias fœnori dare Tutoribus non licere.

VII. Ita communiter inolevit in Ecclesia sententia hæc, ut nullus occurrat magni nominis Theologus, qui eam rejiciat; ii quidem certe, qui contra stant, neminem afferunt, qui scripserit Tutores Minorum suorum Pecuniam fœnori dare posse.

Binsfeldus (*k*) ait id omnino nefas esse, ac si quæ leges census hos permisere, eas a Canonibus revocatas esse, ac parum catholice Molinæum sentire, dum Leges eas & usuras quoad Minores tueri conatur.

Inter plures Theologos, qui in medium afferri possent, ii quoque, qui in Morali Theologia meliores audiunt, idem tradunt; Molina (*l*) pronunciat, cum Minor non habet, unde vivat, penes Tutorem jus non esse, ut ei tribuat, quo subsistat, ejus pecuniæ fœnori dandæ, quia id naturali & divino juri repugnat, quamvis aliquando nonnullorum Imperatorum legibus permissum fuerit.

Reginaldus l. 25 n. 240. ita statuit: *adverte etiam, quod si Tutor pecunias exposuerit usuris, eam non posset ali-*

(*a*) 2. 2. q. 78.

(*b*) Brodeau in Louet v. lucrum citat pag. 703. Rescripta Senatus Parisiensis an. 1598. &c. quæ pecuniarum pupillarium lucra probant.

(*c*) Alexander III. cap. super eo de usuris super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus.

(*d*) Pirrhingus l. 5. t. 19. sec. 1. §. 3. n. 16. de us. Quia Papa non potest dispensare contra prohibitionem juris divini & naturalis, & in iis, quæ secundum se, & ex objecto suo mala sunt.

(*e*) Concil. Mediol. 1. tit. de usur. n. 2. ex mutuo, vel depositis etiam apud Judæum factis nihil præter sortem a quovis homine percipi ex convento vel principaliter sperari potest; tametsi pecuniæ ipsæ sint pupillorum, aut Viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id jure permittitur.

(*f*) Cabassut. notit. jur. Eccles. fol. Quoniam usura jure divino & canonico omnibus Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala, ut eveniant bona; Synodus statuit & ordinat, ne quis Tutor aut Curator sub prætextu augendi patrimonii Pupillorum singulis annis ultra sortem recipiendi mutuo det, remota facultate repetendæ sortis, declarando hujusmodi contractus usurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes tanquam usurarios ad pœnas juris procedendum.

(*g*) Curandum, ne quid ex mutuo, vel depositis etiam apud Judæum factis, aliquid præter sortem a quovis homine percipi ex convento vel principaliter sperari possit, tametsi pecuniæ sint Pupillorum aut Viduarum: omnes enim hodie tenentur illud Christi; mutuum date, nihil inde sperantes.

(*h*) Etsi pecuniæ sint Pupillorum aut Viduarum, aut locorum piorum; mutuum enim ex præcepto divino debet esse gratuitum.

(*i*) Sylvius in 2. 2. q. 78. 2. Conclu. 3. §. Denique. Synodus 2. Cameracensis tit. 23. & 1. provincialis Mechliniensis tit. de usur. Diœcesana Ipreansis sub Martino Rithovio t. 30. ac Audomarensis sub Joanne Siat. t. 11. Attrabatensis sub fine, & Directorium Octavii Frangipani Episcopi Tricaricensis Nuncii Apostolici datum Calloneusibus tit. de usur. n. 9. Præfatos pupillares contractus damnant velut usurarios, extatque in Synodo Cameracensi diploma Regium, in cujus artic. 21. reprehenduntur Tutores, qui pecunias Pupillorum dant ad lucrum, retenta facultate repetendæ sortis, ac etiam ejusmodi contractus declarantur esse irriti.

(*k*) Binsfeld cap. super eo de usurq. 4. Leges civiles, ut recta Doctores tradunt, concedentes usuras sunt revocatæ canonibus, quidquid parum Christiani in contrarium loquantur Molinæus de commerciis q. 76. & alibi. qui vult etiam usuras pupillares cum earum legibus defendere.

(*l*) Molina t. 2. dis. 25. n. 18. de jur. & justitia.

Quamvis hæc de jure communi statuta fuerint; quia tamen usuræ jure naturali & divino illicitæ sunt, nefas profecto est etiam ad Pupilli sustentationem, pecunias illius tradere ad usuram; cum onere restituendi. quod ita acquisitum esset.

aliter ex iis lucrari, pupillus ipſe taliter acquiſita tenetur reſtituere; ſi nolit, aut non poſſit, reſtitutionem incumbere Tutori, tanquam cooperatori.

Baunius tria ſtatuit in hanc rem (*a*); 1. cum uſura ſemper mala ſit, utpote naturali juri contraria, conſequens fieri nunquam Tutori licere ſine culpa Pupillorum ſuorum pecuniam fœnori dare. 2. Si quæ Leges civiles, aut conſuetudo permiſerunt pecuniam ex Pupillorum fundorum venditione provenientem in cenſum conferri, & fœnori dari, leges eas injuſtas eſſe & Canonibus improbatas; Conſuetudinem autem, ut ex allatis rationibus compertum ſit, ad naturale damnum nihil roboris habere. 3. Tutores Pupillorum ſuorum pecuniam fœnori dantes peccati mortalis reos eſſe, & bona tantum fide excuſari poſſe.

Difficile credito eſt, Auctoribus, qui tantas in Morali laxitudines excogitarunt, nullum eorum perfugiorum in mentem veniſſe, quæ in Expoſitione ſunt recenſita, nullumve præterea aliud, ad excuſandos Tutores, qui Minorum ſuorum pecunias fœnori dant; quod ſane firmiſſimo argumento eſt, eos non ſolum perſuaſum habuiſſe, id minime permiſſum eſſe, ſed ne unquam quidem permitti debere.

Ex his omnibus concludi poteſt, ſi conſuetudo aut praxis Reſcriptis aliquibus confirmata potuit in nonnullis Provinciis, ut in Britannia Minore efficere, ut quod cæteroquin malum eſt, & naturali ac divino juri adverſatur, liceat, & culpa vacet: illud conſequens fieri, ut humana Lex in uſura diſpenſare poſſet; quod ab omnibus univerſim Theologis rejicitur. Neque ulla propemodum amplius uſura eſſet, ſi propter uſum in aliqua Provincia inſtitutum, probatumque fieri poſſet, ut injuſtitia, quæ in hoc peccato occurrit, non amplius exiſteret. Poteſt quidem Deus, quin contra naturale jus faciat, bonum peculiare uni ademptum alteri tradere; idque ratione ſupremi dominii, quo in omnes creatas res gaudet.

Et ſane hoc in ſenſu ajunt Auctores aliqui Deum Iſraelitis permiſiſſe, ut Ægyptiorum opes, quas ante quam in Deſertum ſe conferrent, ab iiſdem mutuati fuerant, aſportarent; atque illud etiam iis permiſiſſe, cum terræ promiſſæ potiti fuere, ut alienis fœnerarentur. Deus ita ſe geſſit, quia utpote hominum vitæ & bonorum ſupremus Dominus potuit Ægyptiis & Cananæis ea bona adimere, quibus ſe indignos præſtiterant, eademque Iſraelitarum propria efficere. Verum exceptio hæc ad præſentem facti ſpeciem accommodari, & ad id probandum, quod in Britannia minore quoad pecunias Pupillares in more eſt, uſurpari non poteſt.

Gaudet quidem Reſpublica ſupremo dominio in ſubditorum ſuorum bona, ut in neceſſitate iiſdem utatur, neceſſe eſt igitur, ut bonum publicum id poſtulet. Porro nulla neceſſitas exigit eam Tutoribus veniam tribui, ut ſuorum Pupillorum pecuniam dent ad uſuram, quoniam in Britannia minore ad lucrum ex ea percipiendum eæ rationes adhiberi poſſunt, quæ alibi in uſu ſunt. Illud quoque convenit licere aliquando Principi ob bonum publicum privatorum bona diſponere; ſed ea tamen in alterum transferre nequit modis naturali & divino juri adverſantibus, cujuſmodi eſt uſura, quæ a Tutoribus in Britannia minore committi ſolet.

Illud firmum ſtat, aſſerere nonnullos Theologos quibuſdam in locis, ut in Gallia, inductam eſſe conſuetudinem tribuendi Pupillares Pecunias Mercatori, qui pro iis lucrum mediocre ſolvit; verum Auctores hi, ad conſuetudinem hanc probandam, non confugiunt ad donationem, quam horum quæſtuum facit Reſpublica, quod quidem gratis aſſeritur. Facta etiam hypotheſi Britannicæ Curiæ Reſcriptis aperte declarari Provinciam ita donare, id tamen uſuram non confirmaret, ut ſupra probatum eſt; atque hac de cauſa Auctores, ut hanc conſuetudinem in tuto ponant, ſupponunt contractum Societatis cum Mercatore, cui Pupillares pecuniæ mutuæ dantur; ſecus enim, inquit Navarrus (*b*) id ab uſura neque in Gallia, neque alibi purgari poterit.

Non licet ergo in Britannia Minore ex Pupillari pecunia lucrum percipi prætexto ſuppoſitæ donationis; rurſus enim ſi quem locum haberet hic ritulus in præſenti facti ſpecie, Concilia, Synodi, Regum Decreta, denique Theologi non damnaſſent abſolute & indiſcriminatim emolumenta, quæ ex pecuniis Pupillaribus percipiuntur. Quod quidem argumento eſt, hanc Britanniæ conſuetudinem, & hanc longam Tutorum indigenarum poſſeſſionem nihil aliud eſſe, quam veterem abuſum, qui reformandus eſt, ita ut iidem cogantur eas inire rationes, quas in aliis Provinciis Tutores ineunt, cum ipſis Minorum pecunia, quam collocent, præſto eſt.

Quoniam porro qui Britannicum morem propugnant ea potiſſimum ratione ducuntur, quod Provincia cenſetur Pupillis facere donationem cenſuum, qui in eorum gratiam percipiuntur: conantur hanc ſuppoſitionem auctoritate & exemplis ex Jure ductis firmare. Ajunt igitur 1. donationis hujus inſtituendæ poteſtate Legem gaudere, ut apparet in præſcriptione, per quam certa quædam bona ex una perſona in aliam humana transfert auctoritas. 2. in exemplo Domini, qui aliquo in caſu poteſt lucrum percipere ex ſumma, quam ſubdito ſuo mutuam dedit. 3. in exemplo Generi, cui in Jure permittitur percipere lucrum dotis uxoriæ, donec ſolvatur. 4. in diviſione, quæ fit inter Viros nobiles, in qua Conſuetudo tribuit majori natu duos trientes bonorum Patris & Matris, & alium trientem filiis cæteris, quotquot demum fuerint.

Verum ex his quatuor exemplis firmum argumentum deduci nequit ad oſtendendum conſuetudinem Britanniæ minoris, aut Reſcripta curiæ ejuſdem Provinciæ poſſe in caſu puri putique mutui ad Minorem transferre quæſtus inde perceptos, ut proinde eos ipſe legitime retinere poſſit, & quod inde conſequitur, efficere poſſe, ut quod alibi uſurarium, & in ſe ipſo malum eſt, ejuſmodi eſſe deſinat in minore Britannia.

Ad objectionem primam, quæ ex præſcriptione ducitur, reſpondetur, in eorum ſententia, qui putant in conſcientiæ foro præſcriptionem locum habere non poſſe, rationem hanc nihil evincere: ſed poſita communi opinione, ſcilicet jus, quod præſcriptionem tribuit, etiam in interiore foro juſtum eſſe: illud diſcriminis intereſt inter mutui lucrum & alia bona, quod lucrum ex mutuo perceptum naturali & divino juri adverſatur. Jam vero nulla Lege vetitum eſt rem bona fide poſſeſſam, quandiu Lex patitur, & quandiu propria eſſe cenſetur, retineri, quamvis ad alium pertineat; immo vero vi Legum, & conſuetudinis ubique gentium vigentis legitime præſcripta res retineri poteſt; ac donatio quidem, quam præſtat humana Lex, alienæ rei beneficio præſcriptionis, bonam in poſſeſſore fidem ſupponit, poſtulatque, ut ſatis longo tempore eamdem poſſederit, idque in eum finem, ut impediat,

(*a*) Bauny 3. p. l. 1. t. 4. c. 10. q. 12. da. 4. Dico 1. pecuniam non poſſe ſine ſcelere dari a Tutore ad uſuram, quia quæ ſunt natura prohibita, fieri hæc nunquam poſſunt ſine culpa; at eſt uſura omnis naturæ contraria. Ergo ſemper mala. Contra dicta objiciuntur 1. leges l. ob fœnus ff. de admit. & l. pecuniam eodem de uſur. pupill. quibus ambabus permittitur pupilli pecuniam factam ex rebus ejus venalibus, aut hæreditate ad ſe transmiſſam reddere per uſuras quæſtuoſam ac utilem. Objicitur 2. conſuetudo contraria. Reſpondeo, non verebor dicere leges imperatorias, quibus uſuras permittitur exercere impune in Republica, injuſtas eſſe, ac ut tales improbatas eſſe per canones: dicendum ad ſecundum, contra jus naturale conſuetudinem nihil poſſe, ut ex can. quæ contra diſt. 8. & cap. fin. de conſuetudine probat Navarrus l. 5. conſil. de uſur. conſil. 4. n. 2. Dices: rei ergo mortalis culpæ ſunt futuri, quicunque orbe toto pupillorum in tuto reponunt iis ſub uſura dando ingratibus. Reſpondendum, totum id verum eſſe, niſi habeant, quam facto ſuo prætexant, bonam fidem.

(*b*) Navar. in Man. c. 17. n. 2. 57. Reginald. l. 25. tr. 3. c. 12. n. 243. Facit, quod in multis Galliæ locis audivimus, quod Pupilli more antiquo conferebant ſuas pecunias Mercatoribus, quo quatuor ſecura pro centum in ſuam ſuſtentationem lucrarentur, quæ conſuetudo nullo modo defendi poteſt; ſcilicet quod in favorem Eccleſiarum, viduarum, & Pupillorum cum illo lucro mutuari poterat, quia eſſet uſura, quæ neque etiam ad redimendos captivos admitti poteſt: nec ullo alio modo defendi, quam dicendo, quod exordium cepit ab hoc ſocietatis modo, qui fit cum ſecuritate.

ne rerum Dominium remaneat incertum, utque tollantur litigia, quæ aliter nunquam finirentur, & familiarum tranquillitatem perpetuo turbarent. Hæ rationes & causæ, quæ publicum bonum respiciunt, in mutuo minime occurrunt; neque enim in eo sunt ejusmodi incommoda temenda & vitanda, ut hæc Domini transactio facienda sit, quemadmodum in præscriptione; quandoquidem Tutores in Britannia possunt ita se gerere, ut Tutores aliis in locis, & easdem, atque illi, rationes inire, ut ex suorum Pupillorum pecunia lucrum percipiant, & se tueantur ab actione, quam eorum Minores ipsis deinde intertare vellent, ni eamdem pecuniam fructuosam reddere potuissent.

Præterea præscriptio ad ejus puniendam negligentiam inducta est, qui patitur alium suæ rei possessionem inire, quin eamdem repetat, eamque præscribi finit culpa sua. Hoc in casu, inquit, S. Thomas, (a) Lex punit negligentiam, & peccatum, quod tum committitur, cum quis suæ rei non satis cavet. Gersonius eamdem rationem affert, aitque, jus, quod oritur ex præscriptione, niti Lege, quæ negligentiam punit alterius. Porro dici nequit, in mutuo, quod Pupillarum pecuniarum Tutor instituit, Rescripta Curiæ Britannicæ legitimam causam habere mutuatarium puniendi, facta Minori donatione lucri, quod exigitur, quoniam mutuatarius nullius culpæ reus est: universa ejus culpa calamitas est, & necessitas, qua premitur, mutuandi, ut suis rebus prospiciat.

Ad secundam respondetur Generum gaudere legitimo titulo percipiendi lucrum ex dote sibi promissa, & nondum soluta; illud enim ei debetur, tum ut uxorem sustentet, tum ut alia matrimonii onera perferat, quæ vir de suo persolvere non tenetur. Quamobrem Innocentius III. (b) negat Generum cogendum esse in sortem referre fructus, quos percepit ex fundis sibi a Socero ad dotis securitatem oppigneratis, quoad integram summam perceperit. Dotis igitur emolumenta debentur Genero tanquam pretium, & compensatio obligationis, quam contraxit alendæ Conjugis, & matrimonii onera sustinendi. Ex quo fit, ut cum is titulus justus sit, nullam Gener usuram committat. Hoc autem exemplum Tutori accomodari nequit, qui Minorum suorum pecunias ad usuram dat; mutuatarius enim nullum damnum affert Tutori Pupillorum suorum pecuniam mutuanti, quemadmodum Socer affert Genero suo, dum promissam dotem eidem non solvit. Tutorem tenet obligatio collocandæ Minorum pecuniæ; cur autem non collocetur, in causa non est mutuatarius; atque ita ab eo exigi nequit census mutui tanquam justum pretium oneris per mutuum contracti.

Ad tertiam, quod de subdito & Domino dicitur, non evincere humanam auctoritatem tribuere posse Tutori jus ad usuram dandi Pupillares Pecunias; si enim Dominus fruitur fructibus feudi sibi in pignus traditi a Subdito, cui mutuam pecuniam dedit: id ex eo fit, quod ab origine contractus, quo Dominus Feudum contulit, initus est cum hac clausula, quæ de jure semper subintelligitur, nisi contrarium in Contractu sit expressum. Hæc est dispositio Juris, (c) statuentis, ut hoc in casu Dominium utile cum directo conjunctum sit; ita quoque universim sentiunt Theologi & Canonistæ. Adsunt etiam conditiones, sine quibus Dominus subditi sui Feudo legitime frui non posset. Videndi super hac re Pyrrhingus, (d) & Auctores ab eo laudati (e).

Uno verbo non præcise vi mutui Dominus fundi sibi in pignus traditi fructibus gaudet; sed id provenit ex natura Contractus, ex rei oppigneratæ ratione, & ex qualitate Domini retinentis id pignoris in compensationem servitii, quod subditus, Feudo se liberans, eidem non amplius exhibet. Alia sane est Tutoris ratio; nihil juris habet in mutuatarium, qui quidem nullum Contractum iniit, nullaque se obstrinxit obligatione cum eo, antequam mutuum acciperet; adeoque mirandum non est, si in Generi ac Domini exemplis, Lex utrique concedit, ut oppigneratæ rei fructibus gaudeant, salva sorte; neque hæc donatio est a Lege Genero, aut Domino facta, sed justa compensatio, & redintegratio, quam lex utrique debitam censet. Ad Tutores quod attinet, nullus Canonici Juris expressus textus afferri potest, quo iis liceat ex Pupillaribus pecuniis, quas mutuas dederint, lucrum percipere.

Ad quartam, si vi Consuetudinum in divisione bonorum inter Viros Nobiles natu major plus accipit quam natu minores in communis Patris hæreditate, ideo fit, ne primariæ familiæ Provinciæ dispereant. Interest minorum natu familias servari, & splendorem suum retinere; præterea divisio bonorum inducta est jure gentium; proinde dum pro Regni bono, ac splendore visum est Principibus ejusmodi partitionem in suis ditionibus instituere, nihil contra naturalem ac divinam Legem fecerint; cum contra Lex utraque proscribat usuram omnem, eamque, quam in Pupillorum favorem Tutores committunt, æque ac quamvis aliam. Nihil interest Reipublicæ ac Mutuatarii Minoris conditionem meliorem fieri; atque ita lucrum, quod ea ejus pecunia percipitur, spectandum est tanquam fructus mutui, & tanquam usura, quam nulla Lex aut Consuetudo legitimam reddere potest.

Frustra autem pecuniarum Pupillarium mutuatarii dicuntur esse sub-Tutores ad easdem pecunias fructuosas reddendas a Republica instituti: etenim respondetur existere juxta Leges Tutores honorarios, onerarios, & subrogatos; sed nihil occurrere, quod ejusmodi sub Tutores instituat; nullus eos eligit Consanguineorum Conventus, nullum Magistratuum judicium in hac qualitate confirmat. Mutuantur Minorum bonum absque alia conditione, ac ratione, quam quæ ex sua ipsorum indigentia provenit. Nova hæc est Tutorum forma, quæ aut in Jure, aut apud Jurisconsultos, aut in alicujus gravis Theologi scriptis nullum omnino fundamentum habet. Quod satis evincit eorum opinionem, qui Britannicorum Tutorum suppositam praxim tuentur, minus probabilem esse.

Ad hæc esto probaretur Sub-Tutorum hæc forma, non ii tamen ullum pecuniæ mutuæ lucrum solvere tenerentur, quia mutuando non sunt in causa, cur Tutor aliquid damni patiatur aut molumentum legitimum non percipiat; cum enim Tutor Minoris sui pecuniam collocare nolit nisi per mutuum mutuatarius nec damni emergentis, nec lucri cessantis eidem Minori causa esse potest. Itaque fœnus, quod hic sub-Tutor solvit, est fructus puri putique mutui, & quod inde consequitur, usurarius.

Ex iis omnibus, quæ hactenus dicta sunt, illud concludi potest, Armoricorum Tutorum praxim nullo legitimo titulo, nulloque Canonici Juris textu niti, nullo pariter expresso articulo Consuetudinis in Provincia obtinentis, non plus quam alicujus magni nominis Theologi auctoritate; cum potius a Theologis compluribus nominatim proscripta fuerit, sive universim, ut a Nannetensi Universitate, sive in multis consultationibus, quas exhibuere Doctores, qui rationes non ignorabant, quæ ad ejus propugnationem afferebantur. Quamobrem ejus Provinciæ Tutores eamdem praxim sectari nequeunt, quippe quæ propter probationes omnes supra declaratas tanquam usuraria spectanda, & hoc quidem titulo damnanda est; ut proinde Britanniæ minoris Tutores perinde, atque aliarum Regni Provinciarum Tutores se gerere

rere

(a) S. Thomas quodlibet 12. a. 24. Quia lex potest punire pro peccato & negligentia in re sua & illam alteri tradere. Gerson l. de Potes. Eccl. consid. 10. in fin. Fundatur jus præscriptionis puniendis neglectores rerum suarum [illegible] transferentis apud Deum & conscientiam tale Dominium in bonæ fidei possessorem & præscriptorem legitimum.

(b) Innocentius III. cap. Salubriter de usur.

Sacer Generum ad fructus possessionum, quæ sibi a Socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum: cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda.

(c) Cap. 1. defend. & cap. conq. de usur.

(d) Pyrrhing. lib. 5. decr. sect. 4. Tit. 19. de usur.

(e) Sanctus Thomas opuscul. 42. alias 73. de usur. c. 6. & c. 3. alias 10. 2. partis sustinet pro & contra.

rere debeant. Sane eadem incommoda, quæ in Britannia ad eam purgandam excogitantur, alibi quoque locorum occurunt; ab iis tamen sibi Tutores cavent iis quidem rationibus, quas leges indigitant, præscribuntque.

Quod spectat ad difficultatem, quæ in eo est posita, an nempe fœnus accipi possit ex pecunia mutua ratione periculi, cui se mutuans obnoxium reddit:

Respondetur aliquid lucri citra usuram accipi posse, cum mutuans subit periculum, quod ponitur verum esse, amittendæ sortis; ita ut si Mercatoris ex. c. cui mutuum datur, navis pereat, aut Mercator per loca periculosa iter faciens spolietur, jactura in mutuantem recidat. Securitas quippe, qua se obstringit, a mutuo distinguitur, quia jure caret, repetendæ sortis, si pereat; quo nunquam caret dum simpliciter mutuum dat; securitatis Contractus est res pretio æstimabilis, & cujus gratia lucrum aliquod exigi potest.

Sed cum periculum non provenit ex re mutua, sed potius a mutuatario, tunc citra usuram emolumentum percipi nequit ratione periculi, quandoquidem mutuatarius semper sortem reddere teneatur; hoc enim periculum tanquam intrinsecum mutuo spectari, nec ab eo secerni debet; quæ quidem plurium Theologorum sententia est, & inter alios Navarri, qui *Manualis cap. 23. n. 81.* pronunciat opinionem contrariam novam esse. Eam re ipsa grave consequitur incommodum; si enim lucrum accipi potest ultra sortem ratione periculi: illud fit consequens, ut, quo periculum gravius est, eo majus emolumentum exigi possit, atque ita quoniam majore cum periculo mutuum datur pauperibus, quam divitibus, ab illis proinde majus lucrum exigi possit, quod veritati non est consonum.

Verum quidem est eum, qui se prædem constituit pro homine, qui pecuniam, quam mutuam accepit, dissipaturus, aut in paupertatem lapsurus prævidetur, ab eodem legitime exigere posse aliquid respondens periculo, quod subit, pro ipso solvendi; at non idem de eo, qui eidem mutuum daret, sentiendum. Facta enim hypothesi eum velle mutuum dare, ejusmodi periculum a mutuo, quod dat, distinctum esse non censetur; adeoque lucrum, quod exigeretur, spectaretur ut a mutuo proveniens, ac proinde usurarius. Ex quo fit, ut mutuans a mutuatario nequeat idem exigere, quod præs, scilicet aliquod emolumentum propter periculum, cui sese exponit, amittendæ sortis; quia præs non tenetur subire periculum; at mutuans, ex quo in mutuum consentit, mutui conditionem & naturam sequi debet, & quod inde consequitur, jacturæ, periculum subire tenetur.

Nititur hoc eodem principio, quod asseritur, quamvis debitum, quod tutum non est, aut non facile exigi potest, minoris emi possit, non tamen sequi eum, cujus bono contractum est, propter has ipsas circumstantias ullum lucrum percipere posse, dum pecuniam mutuam dat, quia periculum, quod incurrit, sequitur conditionem mutui, quod sciens & volens tribuit.

Objicitur I. Lateranense Concilium sub Leone X. Sed in eo quidem nihil occurrit, quod Theologorum aliquod emolumentum ob periculum, cui mutuans se subdit, exigi posse contendentium sententiæ faveat.

II. In medium producitur Congregationis Decretum ab Innocentio X. firmatum quoad Missionarios Chinenses die 12. Septembris an. 1645.

Sed respondetur, Innocentium X. Pontificem, postquam Decretum illud confirmavit, aitque eos, qui propter periculum, quod mutuum dando subierant, emolumenta perceperant, turbandos non esse, ad calcem addere verba hæc: *donec Sanctitas sua, vel Sancta Sedes Apostolica aliud ordinaverit*; ex quibus apparet Decretum illud non nisi provisionis ergo editum esse; & donec Sancta Sedes aliter sanxerit, illud inde tuntummodo inferri licet, Pontificem ob peculiares rationes, aut ob temporis, locorum, personarum circumstantias, & donec res accuratius expenderetur, eam veniam dedisse, ut ad tempus aliquod in Chinarum Imperio vigeret eorum Theologorum opinio, qui asserunt aliquod ex mutuo lucrum percipi posse propter verum periculum, cui se mutuans exponit; nec Sanctæ Sedis indulgentia, qua in hac facti specie usa est, oppositæ sententiæ rationibus, ac veritati quicquam affert detrimenti.

Decisum hac die 27. Augusti an. 1679.
G. Fromageau,

PENSIO ANNIVERSARIA,

Ad quam hæredes tenentur.

Vide FUNDATIO.

PENSIONES ECCLESIASTICÆ.

Ecclesiasticæ Pensionis nomine venit Beneficii fructuum certa quædam portio ad tempus, & justa de causa Ecclesiastico, qui Beneficium non possidet, assignata, ex eo, qui illud possidet, percipienda. Definitio hæc id omne complectitur, quod ad ejusmodi pensiones pertinet. Dicuntur enim certa quædam portio, nempe Beneficii redditutuum & fructuum pars, a titulo, seu possessione in Commendam sejuncta. Additur, ad tempus assignata; quia nimirum extinguitur pensio morte, vel matrimonio, vel etiam ejus aliquo crimine, qui ejusdem exigendæ jure gaudebat, vel ipsius demum consensu. Dicitur quoque pensio assignata justa de causa, quia cum communi juri, quo jure Beneficia omnia sine ulla proventuum divisione sunt conferenda, pensionum concessio contraria sit: consequens proinde fit justam causam requiri, quæ scilicet Ecclesiæ necessitatem, utilitatemve respiciat. Hæ pensiones Ecclesiasticis conceduntur, ut ab iis distinguantur, quæ Laicis eleemosynæ seu gratificationis titulo tribuuntur. Denique pensio ex eo, qui Beneficium possidet, sumi dicitur; id quod non modo Beneficii Titularem, sed etiam, si Beneficium vacet morte vel aliter, Capitulum, Monasterium, seu quemvis alium complectitur, qui vacationis tempore ejus proventus perceperit.

Quæ pensionum ex Beneficiis reservatarum prima fronte occurrit notio, minus ast iis favorabilis. Sane videtur initio statim pensio, quippe quæ, ut dictum est, sit portio redditum Beneficii, cujus Titulus non obtinetur, probari non posse; cum Beneficii fructus officii compensatio suapte natura sint, is autem, qui ei non deservit, iis legitime frui nequeat. Doctrina tamen Conciliis, Regum nostrorum Constitutionibus, usuque roborata receptum est, eas, siquidem legitimam causam habeant, admitti, uniusque Romani Pontificis auctoritate firmari posse. Cardinales Sadoletum, Contarenum, & Petrum Theatinum coire jussit Paulus III. ut super abusibus, quos sibi proponebat in eo Concilio dam-

damnandos, quod se celebraturum cogitabat, eorum sententiam cognosceret, illi vero Pontificis mentem secuti monumentum concinnarunt, quod inscriptum voluerunt: *Concilium delectorum Cardinalium & aliorum delectorum de emendanda Ecclesia;* & ad Beneficiorum pensiones quod attinet, rotundis verbis declararunt eas tolerari non posse nisi ut eleemosynas indigentibus ad eorum curandam sustentationem exhibitas, & abusum esse radicitus extirpandum, iis quidem, qui possint de suo vivere, pensiones ex Beneficiis concedi.

Huic nimirum principio ipsi consentanea occurrunt exempla pensionum, quas ita concessit œcumenicum Chalcedonense Concilium. (*a*) In eo enim memoriæ proditur, cum Domnus Antiochenus Episcopus depositus fuisset, Maximum, qui in ejus locum suffectus fuit, ipsum a Concilii Patribus petiisse, ut sibi liceret ad ejusdem Domni depositi subsistentiam Antiocheni Episcopatus proventuum partem relinquere; legiturque Leonis I. Legatos, & Concilii Episcopos universos Maximi petitioni annuisse, & alacriter assensos esse, quod ad Domni sustentationem necessarium foret, ex ea Ecclesia decerpi, cujus Episcopus extitisset. Præterea cum Bassianus & Stephanus, de Ephesina Sede contendentes, ambo ejusdem Concilii judicio rejecti essent, annui ducenti nummi aurei, qui sexcentæ circiter Gallicæ libræ sunt, subsistentiæ gratia utrique assignati fuerunt. Ita etiam Agathonis Episcopi Liparensis sustentationi prospici, cum depositus fuisset, jussit Gregorius M. (*b*) & in eum finem quinquaginta nummorum aureorum pensio ex eo Episcopatus eidem assignata fuit. Exempla alia bene multa in medium afferri possent, e quibus liceret intelligi ejusmodi pensiones omnes non alia de causa instituras esse, quam ut Ecclesiasticorum Virorum non aliunde in bonis habentium necessariæ subsistentiæ consuleretur, ne illi in indigentia relinquerentur, qui cum Ecclesiæ strenuam navassent operam, deinde valetudinis causa suis se Beneficiis abdicare coacti fuissent.

Presbyterorum & Clericorum redditus initio quidem pensionibus tantum continebatur; sed post Beneficiorum partitionem Episcopi ob easdem causas extremæ senectutis, infirmitatis, paupertatis pensiones concesserunt, iis præterea, qui Barbarorum incursibus e propriis Ecclesiis expulsi fuerant, vel Clericis in Monasteria conjectis, ut pœnitentiam peragerent. Post sæculum duodecimum abusus plures prætextus induxit. (*c*) Sæpenumero Præbendæ seu Parochiæ redditus inter Titularem, & alium minime deservientem Episcopi partiebantur; sæpe Beneficium conferentes, fructuum partem sibimetipsis applicandam reservabant; sæpe Beneficia locabantur, ita ut Titularis prope tantum redderet, quantum percipiebat; & cum vix haberet, unde subsisteret, nec Ecclesiæ deserviebat, nec eam reparabat. Abusus hos repressere Concilia plura; impositusque fuit pensionum causis & quantitati modus; ac denique eas creandi, admittandique potestas summo Pontifici reservata.

Verum Avenionensis Schismatis tempore vehementius sane quam antea malum grassatum est; Cardinalibus nempe, quos Beneficiorum suorum multiplicitatis immodicæ suppuderet, eorum partem resignantibus, sed cum tam gravi pensionum onere, ut Titularis non nisi colonus esset, & pensionibus concessis iis, qui jam divites erant, & nullam Ecclesiæ operam præstabant, nullamque præstiterant, atque adeo Laicis. Eas obtinendi facilitas, habendique extrema cupiditas, quæ nullis terminis circumscribitur, januam ejusmodi abusibus aperuerunt; itaque regulas aliquot institui necesse fuit, quibus ea certis finibus cohiberentur, & quarum præcipuæ ejusmodi sunt.

Pensiones non nisi a Pontifice, ac non sine legitimis causis creari possunt. Ordinariæ porro causæ sunt resignatio, seu pura & simplex, seu permutationis gratia, inter duos contendentes transactio, & pacis bonum. Non desunt extraordinariæ causæ, ut non mediocre servitium Ecclesiæ præstitum, omnesque universim causæ, propter quas Rex ad Beneficia majora nominans, pensione aliquando reservat. Semper tamen illud ponitur tanquam certum, Pensionario nihil aliunde suppetere, quo saltem pro sua ipsius conditione ac dignitate subsistat. Ludovicus Rex XIV. an. 1671. Octobris mense Edictum vulgavit æquitati maxime consonum, quo pensionum quantitas definita est tertia parte fructuum Beneficiorum, quæ ii resignassent, qui per annos omnino quindecim deservissent, vel prorsus infirmi essent; quod in eos statutum est, qui vix pacifica possessione gaudentes non sine pensionibus resignabant, ut aliud Beneficium aucuparentur. Per idem Edictum, aliudque an. 1679. pensiones trecentarum librarum summam, quæ Titulari superesse omnino debet, imminuere non possunt; ex quo fit ut tenuiora Beneficia nequeant pensionibus onerari. Ex duabus Constitutionibus, una Pii V. Sixti V. altera simplex Pensionarius, qui Beneficium nullum obtinet, tenetur Clericalem habitum, & Tonsuram deferre, & Officium parvum Beatæ Virginis recitare.

Pensio non nisi dum Beneficium confertur, iisdemque provisionis litteris creari potest; sed semel instituta subsistit, quamdiu Pensionarius in vivis fuerit, quamvis ad alium migret Beneficium, & in nova provisione pensio non exprimatur. Adimitur pensio matrimonio, irregularitate, delicto; sed redimi potest pecunia, modo Pensionario Clericalis Tituli loco non sit, ac bona fide sine ulla simoniaca pactione creata fuerit.

Pensio ex Beneficio retenta, quamvis aliud sufficiens obtineatur.

CASUS I.

1 *Parochiam resignanti, & Beneficium aliud habenti, quod ad vitam, ut Clericum decet, sustentandam sufficiat, pensionem retinere non licet.*
2 *Pejor est etiam, & Juri magis opposita Beneficiorum pluralitas.*

QUÆSITUM.

Cum Parochus per annos quatuordecim Parochiæ deservisset, eam resignatione dimisit, pensionem a Romana Curia acceptatam sibi reservans, ut Canonicatum sibi ad subsistendum idoneum susciperet, cum cæteroquin patrimonialibus præter Canonicatum bonis gauderet. Ille pensione hac per annos plures bona fide potitus, non ita multo ante ad me accessit non nihil anxius consilium petens, rogansque, an sibi liceret eam pensionem in posterum retinere. Ei ego id minime licere respondi.

I. Quia

(*a*) Conc. Chalced. an. 451. actione 19. in fine.
(*b*) S. Greg. Mag. lib. 2. Epist. 5. ad Maxim. Epis. Syracus.
(*c*) Thomassin. Discipl. Eccles. p. 11. c. 38. Conc. Later. III. an. 1179. can. 7.

I. Quia justitiæ non est consonum, cum non amplius Parochiæ, quam deseruit, deservientem, ejus tamen, quamvis non mediocre sit, redditibus ex parte frui.

II. Quia Pontifex, cum Ecclesiasticorum bonorum absolutus Dominus non sit, sed tantummodo dispensator, non nisi de causis legitimis, Ecclesiæque bonum spectantibus pensionem in Beneficio creare potest; porro in hujus pensionis gratiam nulla legitima causa, quæ Ecclesiæ bonum respiciat, afferri potest. Contendit Canonicus se, cum Parochiæ deservierit, eique dum præesset, etiam prospexerit, ex eo duplici capite titulum adeptum esse, ut pensionem perciperet, quæ quidem mediocris est, si cum redditu, qui Parocho superest, conferatur. Sed ego reposui, cum bona ei Curæ annexa eo tantum spectent, ut, qui ei deservit Parochi titulo, sustentetur, quod autem superest, in eleemosynas, aliave pietatis & charitatis opera conferatur, eum proinde Canonicum, quippe qui nullum amplius servitium Parochiæ exhibeat, ne ullum quidem proventum inde percipiendi jure gaudere,

Sane si Parochiam, cui deserviit, ideo deseruisset, quod ob ægritudines, aliasve causas labori impar evasisset, posset ex ea pensionem percipere, nisi aliunde satis bonorum haberet, ut subsisteret; Ecclesia enim eos, qui non mediocri temporis spatio sibi fideliter deservierint, & officiis Beneficio annexis vacaverint, in gravi necessitate, atque indigentia versari non patitur; ex quo est illud Tridentini Concilii: *Optat sancta Synodus, ut resignantium necessitatibus commoda aliqua ratione, prout summo Pontifici videbitur, provideatur*. Verum Canonicus hic Parochiam, ut aliud Beneficium ad subsistentiam sufficiens susciperet, abdicavit; nec deest ei patrimonium, quo suppleat, si minus ex Ecclesiæ bonis satis habeat, quo vitam trahat. Frustra porro ait se Ecclesiæ bono studuisse, cui præerat, suoque successori eam administranti non mediocrem redditum superesse; cum enim Parochus esset, quod sibi superfluum erat, in eleemosynis, aliisque Parochiæ necessitatibus insumere tenebatur.

Parocho quidem remanet, unde subsistat, pensione soluta, sed ei Canonicus reddituum portionem detrahit, quæ pauperibus magno subsidio, & ad alias Ecclesiæ rationes perutilis esset. Se ille tuetur decisione edita in Sorbona die 16. Julii an. 1697. signata tuo, aliorumque duodecim Doctorum nomine, occasione Prælati, qui præter Prælaturam sex alia Beneficia, & pensiones duas possidebat. Est in decisione, eum Episcopum debere Episcopatu, cujus est septendecim mille librarum redditus, contentum esse; ad pensiones autem quod attinet, multo vero magis eas dimitti oportere, si minus ex Beneficiis ad ejus Diœcesim spectantibus fuerint, & non mediocre servitium Beneficiis iis exhibuerit, cujus gratia aliquod inde commodum percipiendi jus obtinuerit. Id ille sibi nimirum sumit, aitque se, cum Parochiæ, cui præfuit, magna servitia præstiterit, ex ea proinde posse pensionem percipere.

Equidem arbitror ab eo decisionem eam perperam explicari; quamobrem eum sum cohortatus, ut ex Sorbonica Societate per litteras quæreret, an eam pensionem retinere posset, ac si minus posset, eam dimittere, atque adeo, quod, abdicata Parochia, percepit, restituere deberet,

Rasponsio.

Descendo in sententiam tuam, Reverende Pater, nec puto Ecclesiasticum hominem, cui suppetat Beneficium sufficiens, quo vivat, seque decenter sustentet pro ætate, statu, servitio, quod præstat Ecclesiæ, pensionem ex Beneficio tuta conscientia percipere posse, quamvis ei per annos complures utiliter deservierit. Quæ enim fere Beneficiorum pluralitatem consequuntur incommoda, videntur hoc loco existere posse, ac proinde est, cur improbentur ii, qui Beneficio potiti, quo congrue subsistant, pensionem præterea suscipiunt. Et sane si pluralitas Ecclesiasticorum avaritiam fovet, si non paucis suppeditat, quo fastui, ambitioni, cæterisque cupiditatibus satisfaciant, si minutis Clericis Ecclesiæ deservientibus adimit, quo se sustentent, vel quantum Fidelium ratio postulat, Ecclesiæ prosint: idem ratione habita de pensionibus dici potest, siquidem Beneficio, quod ad decentem sustentationem sufficiat, additæ fuerint. Eo etiam magis odiosæ sunt ex Parochiis perceptæ pensiones, quod impedimento sunt, quominus Parochi suas omnes partes expleant tam erga Ecclesias suas, quam erga pauperes sibi concreditos, quibus opitulari tenentur.

Ejusmodi præterea pensio, Clerico scilicet aliunde habente, quo vivat, superfluum quiddam est, vel Titulari, vel pauperibus restituendum. Conveniat tamen necesse est, Beneficiorum pluralitatem, quam pensionem cum Beneficio ferendam esse; etenim I. Tridentina Synodus *Sess.* 24. *cap.* 17. disertis verbis Beneficiorum pluralitatem damnat, de pensionibus omnino non loquitur. II. pronuntiari non potest pensionem Beneficium esse, vel ejus locum tenere, quamvis Ecclesiasticus redditus sit, qui ad servitium aliquod Ecclesiæ exhibendum, vel saltem ad recitandum Breviarium obligat. Addendum & illud, pensionem titulum non esse, & temporalem potius, quam spiritalem ejus esse rationem, quoniam pecunia redimi potest. Ex quibus omnibus liquet, pluralitatem esse abusum multo graviorem, quam pensionem cum Beneficio. III. Clericus, qui Beneficio deserviit, dignus est, cui Ecclesia in grati animi significationem largius tribuat, quo sibi prospiciat, pensione ex Beneficio, quod deserit, assignata, potius quam eum pluribus Beneficiis potiri patiatur. Uno verbo casus Beneficii cum pensione magis favorabilis apparet, quam pluralitatis Beneficiorum, ut proinde in priore facti specie occurrant incommoda longe minora, quam in posteriore.

Quamvis porro ita res habeat, fatendum tamen est, pensionem cum Beneficio depravationem, abusumque esse minime tolerandum, præsertim si pensio sit ex Beneficio animarum curam habente. Canonicus autem, de quo in expositione dictum est, Sorbonica quoad Beneficiorum pluralitatem definitione se tueri non potest; ea quippe pensionibus nequaquam favet. Quæstio nimirum erat de Præsule, qui pensionibus gaudebat ex Beneficiis, quibus non deservierat, quique præterea ad honestam sustentationem accommodatos Ecclesiasticos redditus possidebat; decisum fuit, eum ejusmodi pensionibus frui non posse, iisque renuntiare debere; quod non illud significat futurum fuisse, ut eas pensiones retinere posset, si Beneficiis deserviisset, sed quia non deserviit, ideo etiam, & quidem potiore jure iis ipsum pensionibus gaudere minime potuisse. Satis esse visum est, id Prælato proponi, quo vehementius ad dimittendas pensiones incitaretur; perinde scilicet, ac si moneretur, tametsi nunquam liceat Beneficia pensionibus onerari, etiamsi pensionarius iis deservierit, cum aliunde habet, quo subsistat; multo sane minus idem licere, multoque gravius malum existere, si pensiones vel absque præstito servitio statuantur. Rationem hanc cæteris anteferri placuit, quod evinceret, ut ajunt, ad hominem.

Canonicus igitur, de quo sermo est, se pensione ex Parochia tuta conscientia gaudere posse non satis apte concludit, prætendens, se eidem Parochiæ per annos quatuordecim deservisse, quamvis congruum ex Canonicatu proventum obtineat, ne quid de patrimonialibus ejus bonis dicatur, quæ quidem, si quid ei ex Beneficio ad subsistentiam defuerit, supplere possent.

Decisum in Sorbona die 8. Maji an. 1701.
G. *Fromageau*.

Ecclesiæ Regulæ quoad Pensiones.

CASUS II.

Qui servitio Ecclesiæ præstando impar est, tuta conscientia pensionem percipere nequit ex Beneficio, multoque minus ex eo, quod animarum curam adjunctam habeat.

QUE-

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an Ecclesiasticus, qui nullum Ecclesiæ servitium præstitit, nullumque præstat, satis habens admodum ægre Officium parvum B. Virginis recitare, adeoque ingenio est prorsus hebeti, nullaque animi dote præditus est, unde sperari possit, fore, ut eidem Ecclesiæ utiliter deserviendo aliquando par sit: possit tuta conscientia ex quovis Beneficio, sed potissimum ex Beneficio animarum curam habente pensionem percipere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, antequam quæstioni propositæ satisfiat, duo esse expendenda; I. Quibus de causis pensiones concedi possint? II. Quam late pateat eorum potestas, penes quos eas concedendi jus est?

Ad primum quod attinet, sciendum est, Ecclesiam non semper fundis positam fuisse. Apostolorum temporibus sua Fideles bona vendebant, & ad eorum pedes pretium, quod inde perceperant, deferebant. Tunc quidem, & per aliquod etiam deinde tempus Ecclesiastici in bonorum communione vivebant ex eleemosynis, quæ Ecclesiæ tribuebantur; earum quippe portio unicuique pro cujusque indigentia conferebatur. Certum porro est, eas inter illos tantum distribui consuevisse, qui Ecclesiæ operam præstarent, vel præstitissent, ex D. Pauli principio, eum scilicet, qui Altari servit, de Altari vivere debere. Nemo autem tunc in Clericorum album referebatur, nisi qui servitio Ecclesiæ exhibendo foret idoneus. Jam Ecclesia, cum ditior evasisset, & fundos possidere cœpisset, Beneficia instituit, ac Titulos, quibus Ministros suos subsistere voluit, habita servitii ratione, quod iis in locis, in quibus eos collocasset, essent præstituri, noluitque id, quod temporale est, ab eo, quod est spiritale, sejungi, juxta tritum illud: *Beneficium propter officium*. Posterius hoc, nempe ministerium, seu functio Titulus erat, qui ad Beneficium jus afferebat; itaque initio statim posuit Ecclesia regulam, quæ occurrit in Jure: *Beneficia sine diminutione conferantur*. Ex qua quidem regula fit, pensiones, quæ fructuum a Titulo sejunctorum portio sunt, odiosas esse, ac proinde cum haud temere dubitatur utrum satis firmo fundamento nitantur, non esse admittendas. Porro causæ omnes, ob quas pensiones conceduntur, ad duplicem Titulum redigi possunt; aut enim sunt *Titulo oneroso*, *aut lucrativo*. Onerosus Titulus nuncupatur pensio ei concessa, qui se abdicat Beneficio *C. super hoc de renuntiat.* vel ea conditione, ut juri, quod habet ad Beneficium contentiosum, cedat pro bono pacis *Cap. Nisi de Præb.* vel ut Beneficium alio tenuiore permutet. *V. Cap. de quæst. de rerum permut.* Nos quidem in Galliis has tantum rationes agnoscimus, quæ pensiones ex Titulo oneroso legitimas reddant, docente Rebuffo *in praxi de reservat. n.* 23. & *Dartis de Benef. cap.* 3. *sect.* 5.

Censetur pensio *lucrativa*, cum ob aliquam piam, justamque causam confertur, exempli causa quia Ecclesiæ servitium quis exhibet, vel exhibuit. Complures Theologi post Cardinalem Toletum *l.* 5. *cap.* 83. ejusmodi pensionum causas omnino ad has redigunt, ut sint. I. Cum quis Ecclesiæ spiritalem operam navavit, aut navat. II. Cum eo spectat pensionis collatio, ut studeat, contendatque Clericus se hujusmodi operæ navandæ idoneum reddere. III. Cum quidam Clerici paupertate laborant; Ecclesiæ enim bona sunt patrimonia pauperum, inter quos iidem Clerici primas tenent. IV. Cum quis, vel ejus Majores temporalia Ecclesiæ servitia præstiterunt, uno verbo nulla pensio legitima est, nisi ejus causa Canonica & justa fuerit; eam qui aliter retinuerit, tuta conscientia retinere non potest. Hæc Theologorum communis sententia est. V. Cabassutium in Praxi *l.* 5. *c.* 7. *n.* 4. *Ad has*, inquit, *justa requiritur causa, sine qua ii, qui obtinent, peccant, etiamsi cum iis Papa dispensaverit, ut docet Toletus l.* 5. *c.* 83. *Lessius l.* 2. *c.* 34. *dub.* 38. *n.* 204. *eaque communis est Theologorum sententia, duce Sancto Thoma* 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. Valerus *V. Pensio differ.* 1. idem sentit post Toletum, statuitque neminem sine causa legitima pensionem tuta conscientia retinere posse: *Verum tamen est, requiri, ut sint pensiones ex legitima causa concessæ; alias non esset tutus coram Deo, qui eas retinet, etiam cum dispensatione, & auctoritate Papæ, ut tradit Tolet. in Summa l.* 5. *c.* 83. *n.* 2. *ubi addit causam hanc debere esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus bona sunt*. Ratio est, quia Pontifex Ecclesiæ bona pro arbitratu disponere nequit, cum non sit eorum dominus, sed purus putusque œconomus, ac dispensator, quem potissimum fidelem esse necesse est. Quod quidem hoc loco explicandum est.

II. Ajo ergo, fidenterque pronuntio, Pontificem, qui pensiones fere concedit, Ecclesiasticorum bonorum non absolutum quidem dominum, sed dispensatorem esse tantummodo. Ita post D. Thomam *art.* 1. *ad* 7. *q.* 100. 2. 2. docent Cardinalis Toletus l. c. Cardinalis Cajetanus *V. Benef. n.* 9. Cabassutius *l. c. n.* 7. Comitolus *l.* 1. *Respons. Moral. c.* 70. Navarrus *de Redditibus Ecclesiast.* & Theologorum plerique, ut animadvertunt Diana 10. *p. tract.* 11. *resolut.* 70. Cabassutius & Lessius *ll. cc.* Ex hoc principio evidenter ac necessario consequitur, Pontificis authoritatem non tantam esse, ut pensiones sine causa tribuere possit, ac si quas ita tribueret, eas coram Deo nullas fore; possunt eæ quidem in foro externo valere, non autem in interno, inquit Valerus *l. c.* & hanc sententiam Diana l. c. probabiliorem esse pronuntiat.

Secti sane sunt in hac controversia Theologi, & Canonistæ; & hi quidem in Ecclesiæ bona cumulatissimam potestatem Papæ concedunt; verum inter utrosque convenit, pensiones sine causa concessas illicitas esse, videlicet petentem peccare, quia rem injustam petit. Vide Corradum, & Garciam 1. *p. c.* 5. *§.* 2. *n.* 277. ubi ex Auctorum complurium sententia pensio concessa *sine causa non prodest obtinenti*; statuendumque cum Diana *l. c.* Pontificem teneri pensionem, quam sine causa concessam fuisse cognoverit, revocare. Et sane statim atque Ecclesiæ bona communia esse desierunt, & in distinctas portiones, quibus totidem Beneficia constituerentur, tributa sunt: non proinde divisio hæc Ecclesiasticorum bonorum naturam, obligationes, finemque mutavit; atque ita cum Ecclesiæ utilitati, Dei cultui, & pauperum solatio fuerint ab origine consecrata, debent nunc quoque temporis iisdem omnino finibus inservire. Absurdum quippe foret, Ecclesiasticum bonum, quia transit ad alium, ad usus ejus origini repugnantes converti posse; id animadvertit S. Gregorius M. *l.* 3. *Ep.* 11. *ad Maximianum Episcopum Syracusanum*: *incongruum est*, inquit, *unam eamdemque substantiam Ecclesiæ duplici quodam jure censeri*. Ratio hæc non minoris quoad pensiones ponderis est. Quæ Beneficii fructuum diminutio fit, ut ex iis pensio instituatur, eorumdem naturam non mutat; sunt ii semper Ecclesiæ bonum, juxta ejus mentem, ac regulas impendendum; ad idem jus, ad eosdem Canones exigenda sunt hæc duo, Beneficium scilicet, & pensio. Repugnat igitur ordini, Beneficii portionem non conferri *in bonum, & utilitatem Ecclesiæ*; est hæc prodigalitas, ac dissipatio, quæ culpa non vacat. Cardinalis quidem Corradus in sua Praxi Beneficiaria *l.* 5. *c.* 2. *n.* 7. quamvis censeat, pensiones a Pontifice sine causa conferri posse, quia ejus sententia ille omnimoda plenaque potestate gaudet in Beneficia, raro tamen, & admodum ægre ejusmodi pensiones in Dataria concedi fatetur: *attamen est*, inquit, *quod raro & vix D. Datarius admittit supplicationes reservationum pensionis sine aliqua causa*; additque e vestigio Auctoris, quem citat, verba hæc: *In foro conscientiæ sine causa constituta pro aliquo, quin subtrahitur eleemosyna pauperum, ac Ministrorum, non prodest obtinenti, quia indiscretæ pensiones sunt causæ mille malorum.*

His in hunc modum constitutis, Ecclesiasticus, de quo agitur, Pontifici imposuisse videtur, & prout in Expositione traditur, ejus pensionem subreptitiam esse fit vero simillimum; nullis enim dotibus ornatus est, quibus evadat Ecclesiæ utilis, ac ne sperare quidem licet fore, ut eas ipse sibi aliquan-

do

do compatet; nt verbo expediam, nulla prorsus ratio proponitur, ob quam Pontifex ejusmodi gratiam ei concedere potuerit; Pontifici igitur est impositum, nec præsumendum omnino est ipsum vnluisse sine causa eam acceptare: *Cum vix & raro admittat supplicationes reservationum pensionis.* Quamobrem provisio hæc subreptitia censenda est, & tanqusm nulla spectanda, præsertim si ex Beneficio sit animarum curam habente, quippe quod minus quam quodvis aliud pensione onerandum est. Concludo ex his omnibus, eum, de quo sermo est, pensione tuta conscientia potiri nnn posse, præsertim Theologorum sententia, non temere statuentium, Pontificem Ecclesiasticorum bonorum non absolutum dominum esse.

Decisum hac die 9. Augusti an. 1693.
G. Fromageau,

Pensio exacta sine causa ex Beneficio, quod dimittitur.

CASUS III.

1 *Cathedralis Ecclesiæ Decanus, cui ex Decanatu sunt annuæ 2500. libræ, pensionis 1200. libras ab eo, cui Thesauri Præfecturam, qua ipse antea fruebatur, tuta conscientia exigere nequit.*
2 *Tenetur reddere, quicquid ex ea pensione percepit.*
3 *Pontifex, cum non nisi Dispensator Ecclesiæ bonorum sit, absque ulla legitima causa nequit id permittere, quod naturali, & divino jure prohibetur.*

QUÆSITUM.

ERat Joannes Cathedralis Ecclesiæ Thesauratius, quæ secunda ibidem dignitas est; cum ejusdem Ecclesiæ Decanus in morbum incidisset, duobus e suis amicis proposuit, ut sibi dignitatem eam compararent; ii porro, qui jam de re cogitaverant, eamque Capitulo perutilem judicabant, ob Joannis singulares dotes, ultro assensi sunt, & Decani resignationem in ejus gratiam obtinuerunt. Eodem tempore Carolo uni ex duobus amicis, de quibus modo, jam ejusdem Ecclesiæ Canonico Thesaurariæ resignationem Joannes obtulit, idque non sine ingenuæ amicitiæ, cujusmodi inter eos intetfuerat, singularibus argumentis. Bona fide putans Carolus eam dignitatem sibi a Joaone pure simpliciterque remitti, nullam cum eo conventionem iniit, oullamque circumspectionem adhibuit; Joannes porro 1200. librarum pensionem in Decanatu, & aliam ejusdem summæ in Thesauraria a Romana Curia instituendam curavit. Non habuit Carolus, quod opponeret, ratus esse rationi consonum, id in ipso compensaret, quod Decano solvebat; sui uterque beneficii possessionem iniit; tum Carolus Canonicatum suum Joanni remittit, cui ipse voluisset, conferendum; & post menses aliquot ei Joannes vehementer institit, ut beneficium simplex librarum prope sexcentarum, quod possidebat, in favorem unius ex ejns Nepotibns resignaret; Carolus initio statim nnn nihil obstitit, sed vehementibus Joannis sollicitationibus tandem permotus, ejus nepoti, quod ille exoptabat, beneficinm simplex remisit.

Decano fato functo, credidit Carolna fore, ut Joannes mille ac ducentarum librarum pensionem sibi remitteret; sed fefellit eum spes, pronuntiante Joanne velle se eam retinere. Animadversione dignum est, Decanatus redditum bis mille quingentarum librarum esse, ac Thesaurariæ fere totidem, ita ut libræ mille ac ducentæ dimidius prope dignitatis hujus redditus sint. Præterea Carolus ex annis duobus nihil percipit, quia redditus magna ex parte non solvitur: neque id ignorat Joannes, ac prnbe novit, Carolo, qui, antequam Thesaurarius esset, babebat annuas libras 1400. oullum in præsentia redditum esse: ei tamen instat, ut sibi in antecessum pensionem solvat; ut proinde Carolus tum Decano solveret, tum ut subsisteret, multo se ære alieno obstrinxerit.

Non est omittendum, cum Carolus apud Joannem octodecim ab hinc mensibus conquestus esset, Joannem ei promisisse se pensionem non nisi biennio retenturum; Joannes ita fore credidit, eaque fide, se toleraturum ac soluturum promisit, biennium elapsum est, sed Joannes promissis non stat, aitque se promisisse pensionis partem tantummodo se remissurum, quodque offert, est adeo tenue, ut ne acceptandum quidem esse videatur.

In hac facti specie Joannis Confessarius ex Consilio quærit,

I. An Joannes abusus confidentia Caroli, a quo Patris loco habebatur, tum in pensionis institutione tum in vi, quam ei intulit, ut beneficii simplicis resignationem ab ipso extorquerent, non teneatur sub mortalis peccati pœna pensionem eidem remittere, cum Carolus eo cum onere nec Thesaurarii dignitatem acceptaturus, multoque minus beneficium simplex resignaturus fuerit?

II. An Joannes ipse possit tuta conscientia pensionem percipere, quæ longe Beneficii trientem excedit, quæque pro redditus ratione, quicquid est in aperto maxime positum, secum trahit, dum nihil in bonis remanet Carolo, obstricto residentiæ lege, gravibusque impensis obnoxio, ut congrue subsistat?

III. Joannes ex eo se purgare contendit, quod multo ære alieno prematur, sed illud quidem vel ob proprios eosdemque immodicos sumptus, vel ob familiæ negotia contraxit; quæritur, an illa ita se satis in tuto ponat?

IV. An, si forte Joannes ad proventus trientem, scilicet ad 500. libras pensionem redegerit, non teneatur id restituere, quod per annos duos ac dimidium ultra percipit?

V. An Joannes 2500. librarum annuum redditum possidens, & ex eo per quam honorifice vivens ab annis triginta, pensionem vel ad trientem redactam retinere possit, ex alieno beneficio percipiendam? Theologorum pensiones hasce injustas declarantium rationes satisne virium non habent, ut ei absolutio denegetur? Ejusne conscientiam in tuto ponit Pontificis dispensatio? Optandum sane foret, ut Sorbonæ Doctores firmam solidamque super hac quæstione decisionem proponerent, quippe cum ejusmodi pensiones sint abusus in Ecclesia longe gravissimus.

VI. Quæritur etiam in Caroli gratiam, an ipse tuta conscientia eam pensionem solvere possit, atque an non debeat, quantum quidem ratio patitur, eniti, ut a Joanne pensionis remissionem vel diminutionem extorqueat?

Est in votis, ut decisio Doctorum trium subscriptione firmetur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, antequam pensionis, de qua Carolus in proposita facti specie conqueritur, difficultas ad trutinam revocetur, animadverti oportere.

I. Petitionem Decanatus Ecclesiæ Cathedralis, de quo quæritur, per amicos duos a Joanne propositam probari non posse; docente enim D. Thoma 2. 2. q. 100. *art.* 5. *ad* 3. Beneficium, cui animarum cura conjuncta sit, sibi petere nemo potest: *Si vero aliquis pro se roget, ut obtineat Curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus...*, *Licite tamen potest aliquis, si sit indigens, pro se beneficium Ecclesiasticum petere sine cura animarum.* Et sane ut monet Sylvius in hunc D. Thomæ locum *conclus. l.* 4. licet quidem in quibusdam casibus se sistere, ut beneficium cum animarum cura obtineatur, illudve petere, ea lege, ut eorum, ad quos spectat ejus collatio, judicium, vel examen subeatur; sed regulariter loquendo, si quis sibi illud absolute petat, præsumptionis reus est, quia, cum, cæteris quibusque postbabitis, animarum curæ sint dignioribus conferendæ, fere præsumit, ac proinde peccat Clericus, qui semetipsum digniorem crediderit; porro non est dubium, quin Decanatus, quem Joannes petit, vel per amicos petendum curavit, beneficium cum animarum cura sit; ut proinde in hoc negotio ab ambitione vel avaritia excusari non possit.

II. Adesset Simonia, si Carolus Decanatum pro

Joan-

Joanne petisset, ea mente, ut Thesaurarii dignitatem consequeretur, & Joannes ipse in hanc intentionem descendisset, cameie, dum Decanatum petendum curaret, non nihil significasset; existeret quippé hoc in casu conventio expressa, vel saltem tacita, quæ in re Beneficiaria semper est simoniaca, ut ex capite *quæsit. de rer. permut.* licet intelligi. Nec Carolus ipse vacaret simonia, si Canonicatum in Joannis manu, simplex autem beneficium in ejus nepotis savorem demisisset, eo animo, ut pensionis, quam ea Thesauraria Joanni solveret, remissionem extorqueret, quia pensionis extinctio vel redemptio, quæ privata auctoritate fit, est simoniaca; pensio nimirum est onus pretio æstimabile, ac proinde aliquid temporale.

III. Si Joannes petit a Carolo, vel eidem instituit ut beneficium simplex nepoti suo resignaret, ita ut ejusmodi beneficium esset Thesaurariæ, quam eidem contulerat, compensatio; Carolus autem ea de re convenit, idemque consilium amplexus est, nova extitit simonia, non solum ob conventionem, sed etiam quia accepti officii compensatio censetur in hac facti specie aliquid temporale; atque ita Carolus rem spiritalem pro temporali dedisse censeretur, & Joannes eam acceptasset, in quo adesset simonia.

Joannes & Carolus debent super his omnibus articulis ad examen accedere; si enim utrinque extitit simonia, Juris pœnas in Simoniacos inflictas ambo subiere, & quod inde consequitur, curare debent, ut suis beneficiis iterum habiles declarentur; quamvis autem materialis tantum simonia locum habeat in nepote, cui universum hoc commercium prorsus ignotum fuisse supponitur, debet tamen & ipse in eumdem finem sibi prospicere.

Quod spectat ad 1200. librarum pensionem, quam Carolus Joanni solvit, ob Thesaurarii dignitatem; ut appareat, an Joannes ea legitime gaudeat necne, regulæ plures, quæ in hoc negotio firmæ, & constantes videntur, pro certis habendæ sunt.

Prima est: Pensiones odiosas esse, & Canonibus repugnare, si in se ipsis spectentur; quia ut creentur, dividitur beneficium, ejus fructuum parte in eum collata, qui ei non deservit, contra eam Juris regulam: *Beneficia sine diminutione conferantur*. Præterea hoc pacto impediuntur Beneficiati, quominus propriis Ecclesiis, & pauperibus afferant id boni, quod iis cæteroquin afferre possent.

Altera est: Non potest ex Beneficio pensionem percipere, qui aliud ad congruam sustentationem sufficiens possidet; aliter pensiones accumularentur, & ea fere omnia contraherentur incommoda, quæ Ecclesia vitare voluit, cum beneficiorum pluralitatem prohibuit. Et sane si liceat pensiones plures possideri, quamvis ex uno beneficio satis ad vitam suppetat; Clericis ansa præbetur consanguineos ex Ecclesiæ bonis locupletandi, faciendique sumptus immodicos, proprique status moderationi contrarios, nec raro aliis in Ecclesia utiliter laborantibus adimitur beneficiorum melior certiorque proventus, quin iis relinquatur, quo honeste vivant, suorumque beneficiorum oneribus satisfaciant; ejusmodi mala antevertere voluit Ecclesia, dum Tridentina Synodus *Sess. 24. c. 17. de Reform.* vetuit, ne plura simul beneficia possiderentur. His porro pensionibus citra omnem legitimam causam admissis, elidi Decretum hoc, & inutile reddi videtur; parum enim Ecclesiæ refert, utrum ex beneficiorum pluralitate, an vero ex pensionibus absque necessitate creatis ea mala proveniant, siquidem in utroque casu incommoda prorsus eadem occurrant. Hac fortasse de causa Carolus IX. Galliarum Rex, ejusque Oratores ipsius nomine, cum Tridentinæ Synodi Patres rogassent, ut beneficiorum pluralitatem interdicerent, petierunt etiam, ne amplius pensiones beneficiis imponerentur, & jam impositæ tollerentur: *Ne pensiones super beneficiis constituantur, & constitutæ tollantur*; est hic articulus 25. ex iis, quos Galliæ nomine Oratores Concilio obtulerunt, ut memoriæ proditum est a Fra-Paolo Historiæ suæ l. 7. pag. 528.

Tertia est: sine legitima causa pensio obtineri omnino non potest; si enim pensio Juri repugnat, ut supra ostensum est, ea non licet citra dispensationem frui; quævis autem dispensatio legitimam causam supponit, adeoque, si Cardinali Toleto fides *l. 5. c. 8*; *a. 3.* Pontificis dispensatio Clericum in salutis securitate non ponit, si citra causam legitimam pensione gaudeat; porro Ecclesiæ bonum, vel utilitas hæc legitima causa est: *Qui pensiones retinent, etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt*, inquit hic magni nominis Cardinalis, *nec excusantur, quia Papa dedit, & ipsorum est considerare, quomodo dederit*.

Quarta: Ex D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. potest Ecclesiæ bona Pontifex distribuere, ut eorum Dispensator primarius, non autem titulo Domini, vel perinde ac si ea tanquam propria possideret: *Quamvis enim, inquit, res Ecclesiæ sint ejus, ut principalis Dispensatoris, non tamen sunt ejus, ut Domini & Possessoris*; ut proinde cum Papa dicitur in Ecclesiæ bona plena & libera potestate pollere, id ita accipiendum sit, teste Soto *l. 3. c. 6. art. 2. circa fin. de just. & jur.* ut ille neminem unum in terris Superiorem agnoscat, qui sibi eorum distribuendorum jus adimere possit, vel imminuere, non autem ita, ut eorumdem absolutus Dominus ipse sit: *Perspice ergo, quo pertingit Pontificiæ potestatis plenitudo; certe non ut Dominus sit, sed ut liberam habeat dispositionem: quod ait liberam, hoc tantum significat, quod nullum agnoscit in terris Superiorem. Si autem pro libito non potest uti, sed tenetur ratione dispensare, non est Dominus*. Azorius 2. *p. c.* 12. *q.* 7. Sanchez *l.* 7. *c.* 29. *n.* 96. *Moral.* aliique complures idem vocabulum clarius explicant, dum pronuntiant, bona Ecclesiastica libere a summo Pontifice disponi posse, quia Legibus, aut Canonibus, beneficia sine diminutione conferenda mandantibus minime subditur; bene vero subditur naturali seu divino Juri, quo tanquam beneficiorum dispensator, eorum bona legitime cogitur administrare: *Respondeo negari non posse*, inquit Azorius, *quin Papa liberam habeat beneficiorum administrationem, hoc est Canonibus ac legibus minime astrictam, qualem habent cæteri omnes Ecclesiarum Antistites; nihilominus tamen habet eam juri naturali vel divini legibus alligatam*.

Quinta est: Quamvis, ut communis opinio fert, illicita pensio sit, quæ haud legitimo titulo nititur, ut ex Sanchez loco appellato licet intelligi; eam tamen Theologi bene multi validam putant. Verum si contrariæ sententiæ rationes intimius expendi lubeat, conveniat necesse est, eam probabilem magis, adeoque tutiorem esse. Et sane si Pontifex ut pro certo ponitur, Ecclesiæ bonorum Dispensator est, Dominus omnino non est; consequens fit, pensionem, quam ille sine legitima causa concesserit, in interiore foro nullam esse, quamvis ad exterius forum quod attinet, nulla in eum actio suppetat, cui eamdem Papa concessit; ex quo proinde concludi potest, eam retineri non posse, & quicquid inde perceptum fuerit, restitui oportere. Præter Toletum, cujus supra allata verba sunt, Valerus hanc sententiam amplectitur *V. pensio. differentia 1. Verum est tamen*, inquit, *requiri, ut sint in causa legitima concessæ, alias non est tutus coram Deo, qui eas retinet etiam cum dispensatione, & auctoritate Papæ, ut tradit Toletus: Ubi addit, causam hanc debere esse utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona. Si enim, inquit, nulla via in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem tendat, non est causa legitima: quod est summe notandum. In foro conscientiæ non est tutus, si sine legitima causa prædictam resignationem & pensionem obtinuit*. Wanespen in tractatu de pensionibus sequitur doctrinam hanc, ostenditque præterea Clericos pensionibus ex Beneficiis gaudentes tuta conscientia non esse, ac restituere debere. Theophilus Rainaud, qui Canonista severior non audit, *tom.* 12. *Miscell. l.* 1. *sect.* 2. *c.* 1. *n.* 11. *pag.* 59. *de bonis Ecclesiæ* Auctores bene multos id ipsum sentientes in medium adducit, atque ita statuit: *Igitur titulus, ob quem pensio imponitur, est beneficii renunciatio, quæ si sola sit, non est causa idonea pensionis imponendæ*. Et rationem affert in hæc verba: *quia beneficiarius post renunciationem nihil juris habet ad minimam partem fructuum beneficii, quod dimittit, per ipsam vero renunciationem nullum jus ad fructus acquirit: tenetur enim vel eleemosynare, ut fru-*

ctibus

ctibus potiatur; vel si cedere beneficio vult, tenetur gratis cedere, nisi aliquem titulum alleget, quo possit portionem fructuum retinere. Auctores hi omnes ratiocinantur eo nixi principio, Pontificem bonorum Ecclesiæ Dispensatorem tantummodo, non Dominum esse.

His ergo fundamenti loco positis, facilius statui potest, quod de pensione librarum 1200. quam Joannes ex Thesaurarii dignitate Carolo resignata percipit, sentiendum sit. Respondetur ergo, esto quicquid Joannem inter & Carolum intercessit, ab omni defectu liberum esset, seu quoad Decanatus resignationem Joanni impetratæ, seu quoad Canonicatus & Beneficii simplicis dimissionem, quam, ut Joanni vehementer urgenti gratum faceret, Carolus præstitit, seu quoad Thesaurarii dignitatem Carolo a Joanne resignatam: legitimum tamen titulum nullum occurrere, quamobrem Joannes ex ærarii Præfectura ejusmodi pensionem percipiat. Vel enim omnino ac præcise ex resignatione in Caroli gratiam facta id juris sibi advenire contendit, vel quod ex Decanatu, qui quidem annuis 2500. libris constat, non satis ad honeste vivendum habeat. Atque sola beneficii resignatio non sufficiens titulus est, ut pensio obtineatur, quemadmodum supra probatum est, sed ad Ecclesiæ bonum pensio tendat necesse est; si enim ad pensiones exigendas resignatio sufficeret, tot pensiones percipi possent, quot beneficia suppeterent resignanda, quod admittendum non est. Porro tantum abest, ut 2500. librarum ad congruam Joannis sustentationem satis non sit, ut potius satis superque esse vel ex expositione innotescat. Denique 1200. librarum redditus, quem in antecessum a Carolo Joannes exigit, impedimento est, quominus ille beneficii onera perferat, & cum dignitate vivat.

Si ære alieno Joannes premitur, neque illud ob beneficium, vel ob Ecclesiæ negotia contraxit; tenetur id solvere ex iis, quæ ex quotidiano sumptu decerpserit, frugalius vitam instituens; sed beneficiorum, quæ abdicavit, impensis id præstare non potest; neque enim ea Fidelibus data sunt, ut in negotiis ad Ecclesiam minime pertinentibus insumerentur; id Joannes in mentem revocet necesse est, quod Concilium Aquisgranense an. 816. habitum c. 116. declaravit his verbis: *Res Ecclesiæ, ut a sanctis Patribus traditur, vota sunt fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum; Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium, & cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut hi Milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.*

Ex hactenus dictis sequitur, cum in expositione nullum legitimum fundamentum occurrat, quo 1200. librarum pensio, quam ex resignata Thesauri custodia Joannes percipit, fulciri possit, omnino necesse esse, ut eam ipse Carolo remittat, eidemque restituat, quicquid inde percepit, nisi, ut a restitutione eximatur, supponi placeat, eum bona fide fecisse, nec ditiorem inde evasisse. Quod si Joannes, cum a Confessario monitus fuerit, officium hoc, quod quidem justitia postulat, Carolo persolvere detrectaverit; tum vero Confessarius ipse ei ad Pœnitentiæ Sacramentum accedenti absolutionem denegare merito potest.

Decisum hac die 28. Decembris an. 1700.
G. *Fromageau*.

Pensio modum excedens.

CASUS IV.

1 *Nonnullorum Auctorum judicio citra simoniam institui nequit stipulatio pensionis, quæ fructuum Beneficii tertiam partem excedat.*
2 *Ad trientem ea redigenda est.*

QUÆSITUM.

PErmutavit Titius Canonicatum librarum mille cum Cajo, a quo Capellam 80. librarum, & 400. pensionis libras vicissim recipit. In hac facti specie quæritur, an Titius injustitiam non committat, pensionem, quæ Canonicatus tertiam partem excedit, accipiens, contra ac mandavit Pontifex, qui ejusmodi pensionem concessit ea tantum clausula: *modo non excedat tertiam partem fructuum* &c. quidque Titio & Cajo faciendum sit, ut suam ipsorum conscientiam in tuto ponant?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, si ea ratione spectetur pensio, qua stipulata fuit, ac jure summo de ea judicetur, conventionem simoniacam esse; ex quo sequitur, simoniam a partibus commissam fuisse, quæ eas pœnis omnibus in Jure contra Simoniacos inflictis obnoxias reddidit. Titius enim & Cajus probe noverunt pensionem eam esse, ut Præbendæ fructum tertiam partem excederet; Pontifex porro ea tantum conditione pensionem admisit, ut trientem non superaret. Excedens igitur, quod Titius & Cajus stipulati sunt, eorum peculiari auctoritate nititur, absque Pontificis approbatione; est enim perinde, ac si inter eos, quin Romam mitterent, conventum esset, ut Cajus Titio certam quotannis summam solveret; id autem esset simoniacum.

Edictum quoque Ludovici XIII. an. 1637. art. 18. declarat pensiones, quæ tertiam partem fuerint prætergressæ, nullas, abusivas, & simoniacas; quamobrem nonnulli Doctores in proposita facti specie simoniam detegunt.

In hanc quidem sententiam descendit Augustinus *de Lamet*; sed alii sunt, qui contendant id simonia prorsus vacare, immodicaque pensione, de qua inter partes convenit, Titulum non vitiari; Canonicatus provisionem ratam & Canonicam esse, sed pensionem ad tertiam partem esse redigendam. Ex eo autem firmari potest sententia hæc, quod in foro externo pensiones ultra partem tertiam ut simoniacæ non spectantur, sed solum ut in ordinem redigendæ. Moderationem hanc attulit Magnum Consilium Rescripto an. 1638. articulo 18. Edicti laudati, cum eas agnoscens addidit verba hæc: quin pensiones tertiam partem excedentes pro nullis habeantur, vel tanquam simoniacæ &c. Consuli potest *Brodeau* in suis annotationibus in Louet *V. Pensiones* §. 30. a. 12. Quocirca in casu proposito, quamvis certum sit, Cajum, pensionem ultra tertiam partem pollicitum contra regulas peccavisse, non proinde tamen asserendum est, in ullam irregularitatem eum incidisse; quoniam in foro externo, atque usu ejusmodi pensiones simoniacæ non censentur, nec tanquam nullæ spectantur; standum tamen est priori sententiæ, & Cajus a Romana Curia redintegrationem petere debet.

Decisum hac die 3. Octobris an. 1795.
G. *Fromageau*.

Pensio super Beneficio in alium translato.

CASUS V.

1 *Odiosa est in Beneficii materia pensionum translatio; nec in Gallia permittitur.*
2 *Resignans Resignatarium suum adigens ad solvendas institutæ pensionis impensas, simoniæ reus est.*
3 *Simoniacum est etiam pensionis solutionem ante tempus, & urbanam ejusdem pensionis cautionem a Resignatario postulare.*
4 *Universum negotium hoc Pontifici, qui simoniam admisit, exponendum est.*

QUÆSITUM.

TItius est Titularis Capellæ in Ecclesia Collegiata Diœcesis P. Capella hæc, quæ resi-

den-

dentiam non requirit, onerata est 500. librarum pensione Petro Titii fratri solvenda; Titius nunc temporis eam Joanni resignare vult, his omnino conditionibus.

I. Ut Joannes Titio solvat 20. pensionis libras ultra 100. libras, quibus Capella Petro onerata est; ac si Petrus ante Titium e vita excesserit, Joannes Titio solvat 100. libras præter 20. non sine Pontificis approbatione.

II. Ut Joannes Titio pensionis creationem de suo conficiat, quin Titius quicquam expendat.

III. Ut Joannes pensionem solvat ante tempus, & fidejussorem ex Urbe det ad pensionis securitatem. Qua in re

Quæritur, I. Hæccine in Titii favorem pensionis translatio canonica sit post Petri mortem? Ita esse videtur, si Papa consenserit, quia totalis 120. librarum summa dimidium fructuum Capellæ non excedit; in Romana porro Curia pensiones ad proventuum dimidium super Beneficiis simplicibus conceduntur.

II. An Joannes cogi possit creatæ pensionis litteras Titio propriis sumptibus obtinere; ac si id fieri possit, an requiratur Papæ consensus?

III. An Joannes se anno primo pensionis solutionem anticipaturum promittere tuta conscientia possit?

IV. An ad urbanæ cautionis institutionem Pontificis consensu opus sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut quatuor propositis quæstionibus satisfaciat, existimat,

Primo pensionis ab uno ad alium translationem Cardinalis Corradi sententia *l.* 5. *c.* 6. *nn.* 4. & 7. *prax. benef.* odiosam rem esse, quia eo tendit, ut perpetuam in servitutem redigantur Beneficia, quæ ex institutione libera esse, & sine diminutione conferri debent; huc adde, hoc pacto hæreditariam veluti successionem in Beneficiis induci, quod Ecclesiæ menti repugnat.

Quamobrem in Galliis pensionum translationes non admittuntur, juxta sententiam Cabassutii *l.* 2. *c.* 14. *n.* 10. *in praxi*, Rebuffi, & Fevreti *de abusu l.* 2. *c.* 5. *n.* 35. Ex quo fit, ut Titius petere non debeat ejusmodi translationem, quæ (ut concederetur) effectum suum sortiri non potest, quoniam Resignatarius semper eam poterit abrogandam curare, tanquam nostris moribus repugnantem.

II. Titio jus non competit a Joanne petendi, ut pensionis librarum viginti, quam Capellæ novam imponere vult, creationem ipse solvat, quia cum ea pensio in Titii favorem fit, debet ille ejus expensis subesse, ac si qua Titium inter & Joannem hac in re institueretur conventio, simoniaca foret.

III. Simoniacum est, de pensionis ex Beneficio anticipanda solutione conveniri; quia ita Joannes traderet rem temporalem, scilicet annuum pensionis redditum, quem non nisi sub anni finem debet, pro Titii Capella, quæ spiritalis res est.

IV. Joannes ad urbanam cautionem exhibendam adigi nequit; & adesset simonia, si Joannem inter ac Titium de hac obligatione, tanquam de conditione, sine qua Titius non resignasset, ageretur. Omnino conditiones hæ omnes in Supplicatione Pontifici oblata exprimendæ forent, ut a Simonia purgarentur, nihilque esset, quod recto ordini adversaretur.

Decisum in Sorbona hac die 15. Maji an. 1694.
G. *Fromageau*. J. *Du Rieux*.

Pensiones, quæ ab Episcopis institui possunt.

CASUS VI.

Cum Pontifices in Parochiis pensiones admittere nolunt, Episcopi œconomica potestate, naturali æquitate, & Ecclesiæ bono nixa Parochos, quia non amplius laborare valeant, abdicantes pensionibus donare possunt.

QUÆSITUM.

Sermo est de Episcopo J. in cujus Diœcesi Parochi non pauci sunt infirmi, diutius deserviendo impares, nec habentes, unde subsistant. Quæritur, an, Pontifice pensiones ex Beneficiis non amplius concedente, possit Episcopus eas instituere in eorum favorem, de quibus modo, siquidem illi renuntiationem exhibeant?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat ejusmodi pensiones institui posse non jam ex conventione partium, quod esset simoniacum, sed Episcopi auctoritate, cui quidem tanquam prudenti ac bono Patrifamilias competit congruo loco ad familiæ suæ utilitatem domesticorum suorum quemque statuere, ac singulorum subsistentiæ consulere.

Non esset hæc pensio ex genere Clericalium, quæ fere conferuntur in eos, qui ea conditione Beneficio renuntiant, & quarum obligatio ad successores transit. Esset id alimentarium subsidium, quod Episcopus œconomica quadam facultate largiretur in ejus favorem Presbyteri, qui non amplius laborі par esset, nec alioquin, quo viveret, haberet.

Si Episcopus ea potestate careret, Parochi bene multi in officio, cui obeundo inepti forent, relinquendi essent, quod eum Diœceseon bono pugnaret. Quare si Pontificum Reformationes, quoad Parochialium pensionum prohibitionem, de ejusmodi pensionibus intelligerentur, pronuntiari posset, eas, ne dum ad Ecclesiæ ædificationem tenderent, ejus destructioni inservire, bonumque impedire; quod dubio procul maxime opponitur intentioni Pontificum, qui omnium Superiorum diligentissime Ecclesiæ, cui præsunt, utilitati tenentur invigilare. Videndus Sylvius 2. 2. *q.* 100. *art.* 4. *conclus.* 4. qui huic sententiæ se adhærere significat.

G. *Fromageau.*

PÆNITENTIA.

Vide (CONFESSARIUS.
(CONFESSIO.
(ABSOLUTIO.

PERMUTATIO.

Permutatio in re beneficiaria nihil est aliud, quam beneficii unius in aliud mutatio, quæ Superioris permissu, nempe Pontificis vel Episcoporum auctoritate perficitur, alterutrius porro auctoritate non accedente, non modo nulla foret Permutatio, verum etiam nonnullorum judicio vacantia & impetrabilia redderet Beneficia. Contendunt Auctores multi, Abbates exemptos, qui præscriptione vel titulo Episcopalia jura obtinent, beneficiorum Ordinis sui Permutationes admittere posse, propterea quod instituendi, ac destituendi gaudent potestate; sed hæc prærogativa ad eos tantum Abbates

bates pertinet, qui unum Pontificem Superiorem agnoscunt. Abbas enim in Ordina, aui generale Caput est, ut in Ordine Cisterciensi, Permutationem firmare non potest; sed ad Ordinis Caput est confugiendum.

Auctores nonnulli sunt opinati non æque quovis anni tempore Permutationes institui posse; ut proinde duo beneficia permutari non liceret iis mensibus, qui Concordio Graduatis reservati sunt, vel ita ut Indultariis, Diplomatariis ob susceptum imperium, seu præstandæ fidei jusjurandum officeretur. Ludovicus XIV. Edicto mensis Decembris an. 1691. aliam in hoc negotio quæstionem decidit in hæc verba: „ Declaramus provisiones Collatorum, demissionis, ant permutationis gratia, nullas, si „ procurationes ad instituendas demissiones seu permutationes, nec non provisionas earum gratia ex- „ peditæ, insinuatæ non fuerint diebus liberis, anta Resignantis, vel Permutantis decessum, insinua- „ tionis, & decessus diebus haud numeratis, quod a Judicibus nostris exacta servari volumus, nulla „ eorum judicia, si secus egerint, pronuntiantes. “ Alia insuper quæstio excitata est; an viginti dierum regula in permutationis casu locum habeat, ut proinde Permutantium altero intra dies viginti a procurationa e vita excedente, alter Permutans ejus, qui decessit, beneficium inire nequeat. Ultramontani regularum Romanæ Cancellariæ fideles executores decidunt permutationem non amplius existere, sed alterius Permutantium morte, quæ diebus viginti nondum elapsis contigit, evanuisse; at in Galliis asseritur regulæ locum esse non posse nisi quoad permutationes, quæ fiunt in manu Pontificis, & ejus auctoritate.

Permutationem firmare Magni Vicarii non possunt, nisi peculiari ad id potestate ab Episcopo instructi sint. Proprium tantummodo beneficium permutari licet, adeoque permutatio, quæ triangularis dicitur, improbatur; fit autem ea permutatio in hunc modum: Petrus permutatione remittit beneficium suum Joanni; hic autem suum remittit Jacobo, qui suum & ipsa Petro resignat. Beneficia tantum proprie dicta permutari possunt. Non requiritur proventus æqualitas; ac si contingat, inutilem quoad unnm permutationem evadere, nulla etiam quoad alterum est, & ad pristinum uterque statum revertitur.

Urbanus III. ad permutationes quod attinet, ejusmodi regulam tradit: *Generaliter itaque teneas, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possant, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ. Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut qui uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.*

Ex quibus concludi potest, beneficium *in favorem causa permutationis* in Episcopi manu resignari licere, dummodo nihil aliud quam Ecclesiæ bonum propositum habeatur. Non est sane vetitum, partes mutuo convenire; sed id tamen ea conditione faciendum est, ut id, de quo convenerint, Episcopus approbet, adeoque permutatio non quidem initæ conventionis, sed Episcopalis tantum auctoritatis, & consensus vi perficiatur; quod ex D. Antonino, (a) & Glossa compertum fit. Quod si ob aliquod temporale commodum alterius Permutantium, vel utriusqua fiat permutatio; tum vero ast simoniaca; cujus quidem exempla in casibus, qui sequuntur, occurrent.

(BENEFICIA.
Vide (CANONICI.
(SIMONIA.

Conventio simoniaca in Permutationis negotio.

CASUS I.

1 *Conventio fundandæ Capellæ, ut deinde permutetur, est contra Canones, proindeque illicita, & simoniaca.*
2 *Itaque filiusfamilias Capellam hanc inire non potest, eo consilio, ut eam deinde permutet.*

QUÆSITUM.

Ecclesiasticus beneficium possidet, quod cum Capella permutare vult, & quidem in favorem filiifamilias sibi amicitia conjuncti. Quia porro is nullam Capellam obtinet, proponit ejus Pater se Capellam fundaturum cum tercentarum librarum redditu, & cum duarum per hebdomadam missarum onere, quas tenetur, ex Majorum suorum dispositione celebrandas curare. Quamvis autem Capella extra Urbem N.... sita sit, ad Ecclesiastici tamen hac in Urbe degentis commodum, eas Missas ibidem celebrari ultro assentitur. In eum finem præbet assensum suum, posita facultate, quam ab Archiepiscopo petendam curabit.

Quæritur, an in hac facti specie aliquod simoniæ periculum adsit, quod causa, ad Capellam eo cum reddito fundandam excitans est permutatio, instituenda cum beneficio, quod pater filio conferendum curabit. Licet enim asseri posset, eamdem Capellam ideo quoque fundatam esse, ut missarum duarum obligatio, qua Pater adstringitur, impleatur; certum tamen est, nisi ea permutatio ob oculos haberetur, futurum non esse, ut tanto cum redditu Capella fundetur. Ex alia parte id bonum esse videtur Ecclesiæ, quæ eo pacto suorum beneficiorum numerum augere vult; ac si Capella fundetur, existit rei spiritalis cum alia, quæ pariter spiritalis est, permutatio. Non est omittendum, Patrem sibi Patronatus jus reservare. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac re proferant sententiam suam.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, consilium, quod Ecclesiasticus, & filiifamilias Pater inierunt, executioni mandari non posse, duplici ex capite.

Primo quia, quo quidem pacto res explicatur, adest conventio fundandæ Capellæ, ut deinde permutetur. Et sane præcipua fundationis ratio est permutatio. Porro quævis conventio in beneficiorum negotio Canonibus adversatur, *C. Tan nos, de simon. Cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat, juxta Canonicas sanctiones.* Nulla est transactio hæc *C. fin. de pact. Pactiones factæ a vobis pro quibuscumque spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi pactio omnino cessare debeat, nullius sunt momenti.* Est denique simoniaca; hæc sententia est Glossæ laudati Capitis *v. cessare*, eademque mens est Capitis *Tan nos, de simonia*, declarantis, existere simoniam, dum beneficium cum pactu datur, accipiturve.

Deinde vero in facti specie, prout quidem proposita est, filiusfamilias eam Capellam suscipiens nil aliud

(a) S. Anton. 3. part. 25. c. 1. Glossa in Clementinica de rerum permut.

alıud in animo habet, quam ut eamdem permutet; jam vero repugnat regulis beneficium iniri, cum ejus retinendi intentio non adest. Hæc Auctorum sententia est in Caput *Commissa de elect.* & Pauli IV. in Bulla, quæ incipit: *Inter cæteras n. 12. §. 1.*

Decisum in Sorbona hac die 11. Januarii an. 1694.
G. *Fromageau*.

Permutatio, quam recepit Episcopus.

CASUS II.

Episcopi jure gaudent, ac possessione Permutationes, inscio Patrono Ecclesiastico, recipiendi.

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut edisserant, quid moris Lutetiæ Parisiorum quoad Permutationes in Episcopi manu factas obtineat; an Compermutantes declarare possint se in certæ cujusdam personæ favorem permutare; atque an Episcopus Permutationem absque Patroni Ecclesiastici consensu admittere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Beneficii Permutationem esse resignationem factam alteri causa permutationis; ea scilicet conditione, ut Beneficium permutatum certæ cuidam personæ tradatur. Quamobrem non posset Episcopus, cui vellet, Beneficium tribuere, quod in ejus manu permutationis gratia dimitteretur. Olim permutationes solus Pontifex admittebat, quia, cum in favorem fierent, Simoniæ notam præseferebant; sed his temporibus eas recipit Ordinarius, Vide in superiore casu allatas auctoritates. Neque vero in Parisiensi Diœcesi peculiaris permutandi forma vigere creditur. *Clementin. cap. Unic. de rerum permutatione*. Castel. *Definitiones Juris Canonici, Verbo, Permutationes*, Stilus *Notariorum Apostolicorum p. 51.*

Potest Episcopus permutationem ratam habere absque Ecclesiastici Patroni approbatione, absque Laici approbatione non potest, quod apud Fevretum, & Castellum jam laudatum videri potest. Fevretus *Tractatu de Abusu l. 2. c. 6.*

Decisum in Sorbona hac die 30. Augusti an. 1695.
G. *Fromageau*.

Unio fundi, ut constet Permutatio.

CASUS III.

1 *Parochus, qui, ut suum Beneficium alterius Parochi, quicum permutat, Beneficio æquale reddat, fundum addit absque Ecclesiæ auctoritate, simoniam committit, perinde ac Compermutans.*

2 *Solius Ecclesiæ est, bonum, quod Beneficio tribuitur, spirituale, & Ecclesiasticum reddere.*

QUÆSITUM.

Titius Parochiam possidet, cujus annuus sexcentarum librarum redditus est; aliam obtinet Sempronius, quæ libras non ultra quingentas reddit. Inito permutationis consilio, Titius Sempronio proponit empturum se Prædiolum, cujus annuus census librarum circiter centum fuerit, illudque ejus Beneficio uniturum, ut utriusque Curæ proventus æquetur. Acquiescit Sempronius, suæque Parochiæ Prædiolum unit; tum vero fit Permutatio, Prædioli circumstantia Episcopo non detecta.

Humillime rogantur Sorbonæ Doctores, ut declarent, an pœnas in Jure Simoniacis impositas hi Permutantes subiarint? Rursusque, an Fundus unitur Parochiæ, inscio Episcopo, Beneficii loco esse possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in proposita facti specie Simoniam non deesse.

I. Fundus hic, cum non Ordinarii auctoritate, cujus oportebat in hanc rem Decretum existere, Beneficio unitus fuerit, nec Beneficio incorporatus, nec boni Ecclesiastici ratione, ac privilegio gaudere censetur; neque enim aliter ejusmodi fit, quam quia Beneficii titulo unitur; cum nempe Ecclesia fundi donationem acceptat, tunc ille evadit aliquid spirituale, & una cum titulo constituit id, quod Beneficii nomine venit. Quocirca Prædiolum illud tanquam bonum prorsus temporale spectandum est; ex quo sequitur, Titium permutasse Beneficium cum aliquo temporali bono, quod ei tradidit Sempronius, adeoque simoniæ se labe fœdasse.

Secundo loco, ut Ordinarius hanc unionem probasset, & ejusmodi Fundum bonum Ecclesiasticum reddidisset; semper tamen conveniat necesse est, quo tempore Sempronius fundi unionem se perfecturum promisit, eum rem aliquam mere temporalem fuisse, quamvis id consilii captum fuisset, ut rei spirituali, videlicet Sempronii Beneficio uniretur; atque ita concludi licet, Sempronium pro Titii Beneficio rem temporalem dedisse.

Atque hoc principio niti videntur non pauci, qui Simoniæ damnant permutationem Beneficii cum alio, quod vel pecunia, vel prædio fundandum promittitur.

Addi denique potest, in ea, de qua agitur, permutatione peculiarem pactionem exstitere, ut nempe Sempronii Beneficio certus fundus uniatur. Jam vero in rebus Beneficiariis quævis pactio est Simoniaca, *Cap. Quæsitum de rer. permut.* Cabassutius *l. 6. 15. n. 12. in praxi.*

Ex hactenus dictis sequitur, Titium, & Sempronium simoniæ crimine se obstrinxisse, pœnisque omnibus, quas Canones in Simoniacos infligunt, obnoxios esse. Quamobrem sibi consulant, oportet, quo salutem suam, suaque Beneficia in tuto ponant.

Decisum hac die 4. Aprilis an. 1698.
G. *Fromageau*.

Beneficii permutatio cum pensione.

CASUS IV.

1 *Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Thesaurarius non potest duo Beneficia, quæ possidet, cum pensione super Abbatia, quæ ei commutationis loco traditur, permutare.*

2 *Huic Canonico jus nullum est pensionis ex ea Abbatia, cui nunquam deservit, percipiendæ.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut velint consultationi, quæ sequitur, satisfacere.

Ecclesiasticus, qui Cathedralis Ecclesiæ Canonicus & Thesaurarius est, quærit, an hæc duo Beneficia possit Abbati tradere, æqualis pensionis gratia, quam ei Abbas sua super Abbatia creaturum promittit, non sine Regis approbatione?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Canonicum, & Thesaurarium, qui consulit, ea duo Beneficia Abbati renuntiare non posse, ea conditione, ut ipse ex ejus Abbatia æqualem pensionem percipiat.

I. Quia quævis pactio in Beneficiorum negotio est simoniaca, *Cap. Quæsitum de rer. perm. Hæc fieri vere non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.*

II. Conventio hæc redigi posse videtur ad permutationem Beneficii cum pensione; porro ex regulis permutatio facienda est Beneficii cum Beneficio; hæc Juris mens est, præsertim in capite laudato, quod permutationes hac omnino ratione fieri

sup-

supponit. Quoniam ergo peusio Beneficium proprie dictum non est, ipsa per se Titulum non constituit, uec per collationem, institutionemve obtinetur; illicita proinde est conventio, de qua agitur, & ad Pontificem confugiendum est, ut firmetur, cum is unus Canonici cum Abbare conventionem a simoniæ labe purgare possit, cum omnes ejus circumstantias, quæ in libello supplici candide explicandæ sunt, perspectas habuerit.

Quod si Guimerii in Pragmaticam *tit. de Collat. §. Item quod universitates V. Beneficiorum pag.* 319. Louet in suis Rescripris Littera *P. §.* 30. *n.* 8. Lessii, aliorumque senrenriam sequi lubeat; omnis pensio est aliquid temporale, iis præsertim in locis, in quibus Pii V. Bulla recepta nou est; atque ita cum pensione facta permutatio simonia foret contra divinum jus, ac ne ipse quidem Pontifex in ea dispensare posset; ex quo sequeretur, Canonicum, de quo quæritur, pensionis ex Abbatia percipiendæ conditione Beneficia sua abdicare non posse. Consulendus hac iu re Pyrrhiugus *tom.* 3. *l.* 3. *tit.* 19. *§.* 4. *n.* 29. *de rer. permat.*

III. Regulæ contrarium apparet, Canonico super Beueficio, quod nunqnam possedit, & cui nunquam deserviit, pensionem tribui; si enim pauper est, Beneficia duo, quibus gaudet, retinere potest; si minus, quoniam pensio ideo tantum ei tribueretur, ut haberet, quo congrue vitam duceret, *ne cogatur mendicare in opprobrium Cleri*, eam sane contra Ecclesiæ mentem possideret, nec tuta conscientia servare posset.

Decisum hac die 6. Jauuarii an. 1697.
G. *Fromageau*.

Alia Permutatio cum pensione.

CASUS V.

Ecclesiasticus in quadam Ecclesia Canonicatum, seu Capellam possidens cum pensione super ejusdem Ecclesiæ Canonicatu, dispensationem a Pontifice obtinere debet, ut utrumque possideat; id tutius est, tam quoad conscientiam, tum ad vitanda litigia.

QUÆSITUM.

PErmutavit Petrus cum Paulo Canonicatum, e quo sibi ducentarum librarum pensionem reservavit. Aliquanto post aliam permutationem instituit cum Capella, quæ in eadem Ecclesia existit, in qua Cauonicatus, quam dimisit; qua in re quæritur,

I. An hujus secundæ Permutationis Actu, qui in Romana Curia instituitur, debeat Petrus ejus pensionis mentionem facere, quam obtinet super Canonicatu, qui, ut jam declaratum est, in eadem Ecclesia, in qua Capella, existit?

II. Possetne aliquando Paulus pensionem suam abrogandam curare, si forte Petrus dispensationem, ut utrumque possideat, non obtinuerit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, existimat;

Quoad quæstionem primam, Petrum, si stricte loquimur, non reneri pensionem, qua super Pauli Canonicatu gaudet, exprimere. Nullus quippe juris Textus id eum facere cogit; hæc Cabassutii senrentia est *l.* 2. *c.* 26. *n.* 3. *Id*, inqnit, *secundam jus cautius non est necessarium*. Et sane si Ecclesiasticus in casu Permutationis factæ coram Pontifice non renetur communi jure alia sua Beneficia declarare; potiori ratione pensionem, si quam possideret, exprimere non teneretur, etiamsi id Romanæ Curiæ stilus requireret, ut contendit Azorius 2. *p. l.* 7. *c.* 29. *q.* 27. Ratio est, quia peusio nec Titulus est, nec Beneficium, ac non nisi in alimenti modum, & tanquam subsidium eam recipienti necessarium confertur.

Verumtamen, ut Cabassutius scite monet, *ad cautius agendam, & ad evitandos omnes litium anfractus, consultius erit, ad impetrationem Apostolici pro Beneficio rescripti, non solum Beneficia, quæ quis possidet, sed etiam pensiones super Beneficiis recensere*; atque adeo Petrus pensionis, quam super Pauli Canouicatu possidet, apud Pontificem mentionem facere debet.

Quoad quæstionem secundam; est Jure vetitum, duo ejusdem generis Beneficia, puta duos in eadem Ecclesia Cauonicatus possideri, *C. Litterae de concess. Præb. & C.* 5. *de consuetud. in* 6. nullus autem occurrit textus, quo sub eodem tecto Capellam & pensionem possideri prohibeatur. Paulus igitur ex Jure non posset Petri pensionem abrogandam curare.

Quia porro usus regulæ loco est, & Cardinali Corrado teste in Praxi Beneficiaria *l.* 2. *c.* 6. *n.* 54. fere petitur a Pontifice dispeusatio, ut Beueficium ac pensio in eadem Ecclesia possideantur; ideo Petrus in conscientiæ foro tutus non esset, nisi dispensationem peteret; ponit autem Auctor hic discrimen inter Beneficia, quæ pro cousuetudine in una eademque Ecclesia citra dispeusationem retineri possunt, & ea, quæ dispensationem requirunt; ad priora quod attinet, eorum unum, & pensionem super alio citra dispensationem possideri licet; quoad posteriora vero non licet: *alias autem*, ejus verba sunt, *ubi non adest talis consuetudo, pensio prædicta cum alio Beneficio non potest in eadem Ecclesia retineri, nisi secus fuerit, dispensatum ad utrumque.*

Garcias 1. *p. c.* 5. *nn.* 316. & 317. *de Benef.* eamdem sententiam tuetur, aitque Romanæ Curiæ stilo praxim hanc firmatam videri: *quia quando*, inquit, *impetrans Beneficium narrat habere pensionem super fructibus Beneficii certi, additur: non tamen in eadem Ecclesia consistentis.*

Rebuffus in Praxi *tit. de disp. &c. V. Etiamsi sub eodem tecto* pronunriat, Beneficium in eadem Ecclesia cum pensione constare non posse, seque ob eam causam, cum consultus esset, respondisse, statim atque aliquis Beneficium in Ecclesia, in qua pensionem habet, acceptat, ipsum pensioni renunciare videri. Hujus porro Auctoris verba magis faciunt ad rem nostram, quam ut prætermitti possint: *itidem dicunt, incompatibilem esse pensionem in eadem Ecclesia cum alio Beneficio; ideo consului, quod acceptans Præbendam in eadem Ecclesia, in qua habet pensionem, eidem pensioni renunciare videtur, nisi fuerit dispensatus ad retinendum utrumque*; ut proprerea horum Auctorum judicio cum Petrus Permutationis suæ causa Romam mittet, dispensationem petere debeat, ut pensionem cum Canonicatu retineat, atque ita actionem, ac litigia, quibus eum fortasse Paulus impeteret, antevertat.

Pensio creari potest super Beneficio, quod distributiones tantum obtinet. V. de Rescripta Louet p. n. 46. *& Feureti l.* 2. *c.* 5. *n.* 23.

Decisum in Sorbona hac die 20. Novembris an. 1692.
G. *Fromageau*.

Cum eo inita Permutatio, qui Beneficii retinendi consilium non habet.

CASUS VI.

Beneficium tuta conscientia cum eo permutari non potest, quem certo constat ea mente esse, ut illud non retineat, sed quam primum dimittat.

QUÆSITUM.

PEtrus Beneficium possidet addictum Officio Chori, & residentiam requirens; animarum Curam obtinet Paulus; uterque permutare paratus est, siquidem annuerit Episcopus, a quo Beneficium utrumque pendet.

Dum Permutatio propouitur, declarat Paulus se non eo animo esse, ut Beneficium Officio in Choro oueratum retineat, sed se potius statim Beneficium simplex impetraturum.

Quæritur, an hæc Permutatio licite transigi possit a Petro, quem Pauli non latet intentio?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Petrum de Pauli voluntate non ignorantem, eam cum ipso permutationem inire non posse, quia Petrus in foro conscientiæ tenetur in id incumbere, ut Beneficium suum ei tribuat, a quo juxta regulas, & Ecclesiæ mentem administretur. Quia vero non contendit Ecclesia negotiationem veluti quamdam a suis Ministris in iis muneribus, ad quæ eliguntur, induci, quoniam eos tantum in eum finem appellat, ut iisdem deserviant; Petrus proinde mali longe gravissimi causa esset, si daret operam, ut ei Beneficium suum traderetur, qui ejus retinendi consilium non habet, illudque non suscipit, nisi ut aliud commodius obtineat, id quod Ecclesiæ menti omnino repugnat. Petrus ergo gravissimo se crimine obstringeret, si suum Paulo Beneficium tribueret, quem ab iis dispositionibus maxime alienum videt, quæ ad Beneficium tuta conscientia possidendum sunt necessariæ.

Decisum in Sorbona die 9. Junii an. 1680.
Aug. *De Lamet.*

Alia Permutatio permissa cum pensione.

CASUS VII.

1 *Retineri potest pensio super Prioratu, qui cum Canonicatu, cujus minor est redditus, permutatur.*
2 *Instituenda ea est in Romana Curia, & in Libello supplici declarandum, pensionem peti causa permutationis.*
3 *Pensio ad dimidium fructuum Prioratus adduci potest.*

QUÆSITUM.

JOannes gaudet Prioratu simplici non Consistoriali; Petrus autem Canonicatu, cujus grossi fructus quinquaginta, seu sexaginta libris constant. Joannes ob causas apprime canonicas vult permutare cum Petro, & in Prioratu, cujus pinguior quam Canonicatus redditus est, pensionem retinere.

Quæritur I. An possit, & a Romana Curia pensionis institutionem postulans exponere debeat, se intuitu Canonicatus Petri eamdem exposcere?

II. Possideretne Joannes legitime Petri Canonicatum, ex Prioratu, quem eidem cedit, pensionem percipiens?

III. Possetne ad dimidium proventus, qui ex Prioratu ducitur, pensionem adducere?

Tu vero rogaris, Domine, ut tuam super hoc negotio sententiam proferas; illud quidem urget, & ad eum quod attinet, qui te consulit, nonnullius momenti est. Rogaris præterea, ut rationes indigites, quibus censeas, negotium hoc canonice ad exitum perduci posse.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod quæstiones in libello supplici expositas vidit, existimat;

Quoad primam, Joannem super Prioratu, quem dimittit, pensionem in Romana Curia instituendam retinere posse, ita tamen, ut significet eam se petere causa permutationis, scilicet intuitu Canonicatus Petri, cujus minor proventus est. Cum enim Joannes & Petrus de resignatione, pensionis apposita conditione, conveniant, conditio hæc, quæ ex jure simoniaca est, exprimatur necesse est, ut quicquid in ejusmodi conventione vitiosum est, a Pontifice purgari possit. *Generaliter teneas, quod permutationes de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniæ. Cap. Quæsitam de rer. permut.*

Quoad secundam; Admittente Pontifice resignationem, quam Petrus in Joannis favorem ederet, imposita Prioratui pensione: Canonicatus possessio, quam Joannes iniret, legitima foret, dummodo resignatio eo modo facta fuisset, quo declaratum est in responsione ad quæstionem primam: aliter resignatio, possessionis susceptio, & quicquid consequeretur, nullum esset, utpote simoniacum.

Quoad tertiam; Posset Joannes, siquidem ei gravis aliqua causa suppetat, a Pontifice pensionem petere, quæ proventuum Prioratus sui dimidium æquaret, facta semper hypothesi resignationem iniri, prout supra dictum est, atque explicari Pontifici pensionem esse *causam permutationis.*

Decisum in Sorbona hac die 24. Augusti an. 1697.
G. *Fromageau.*

Permutatio cum Beneficio, quod Seminario uniri placet.

CASUS VIII.

1 *Beneficium non alia mente ineundum est, quam ut retineatur, eique deserviatur.*
2 *In Permutatione is, cujus Beneficium est pinguius, potest ex eo sibi pensionem sumere, ut redditum obtineat, quo se spoliat.*
3 *Simoniaca esset tum compensationis impensarum, quas is, quicum permutatur, ob reparationes edidit, promissio, tum pensionis solutio, oneribus non computatis.*
4 *Episcopi Beneficia simplicia, quæcumque tandem ea fuerint, ad Seminarii fundationem unire possunt.*
5 *Relinqui potest integer redditus Beneficii, quod Titularis Diœcesano Seminario uniri assentitur.*
6 *Satisfieri potest Permutationis impensis, vel Beneficium regulare in Commendam vertendum est.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut dicant sententiam suam super quæstionibus, quæ sequuntur.

I. An Petrus Beneficium suum tuta conscientia cum Pauli Beneficio permutare possit, ejus Seminario uniendi consilio, quia Pauli Beneficium in eum finem commodius est?

II. An Paulus, dum permutat, possit tuta conscientia pensionem sumere, ut redditum Beneficii Petri exæquet ei, quod permutat, quodque ducentis libris annuis superat illud, quod suscipit, & quod annuis quadraginta tritici septuncibus oneratum est; præterquamquod dimittit Paulus beneficium obnoxium feudo, cujus gratia passim existunt vectigalia venditionis jure solvenda?

III. An Petrus tuta conscientia possit Paulo reddere sexcentas circiter libras, quas ob reparationes beneficio necessarias expendit?

IV. Possitne idem Petrus tuta conscientia pensionem ab omnibus ordinariis, & extraordinariis, quæ quidem imposita fuerint, oneribus liberam Paulo solvere?

V. Possitne Paulum eximere ab omnibus impensis expeditionum, insinuationum, initæ possessionis, omologationis pensionis in Romana Curia, & ubicumque?

VI. An ad Pontificem sit confugiendum, ut Seminario regulare Beneficium uniatur: atque an non Galliarum Episcopi possessione gaudeant instituendi ejusmodi uniones, ac Titularibus, qui in unionem consenserint, integrum Beneficiorum redditum tribuendi? Atque adeo an aliquid etiam præterea iis tribui possit?

VII. An Paulus beneficium suum Petro resignans possit in conscientiæ foro provisionum Romanæ Curiæ expensas omnes conficere, ut beneficium, quod regulare est, in Commendam perpetuam instituatur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam expositionem, & in ea contentas quæstiones vidit & expendit, existimat;

Quoad

Quoad quæstionem primam, non licere pet Ecclesiæ regulas beneficium iniri absque ejus retinendi cnnsilio, atque ita Petrum Pauli beneficio potiri non posse, ea mente, ut Seminatio illnd nniat. Quia porro Pontificis est, siquidem ita expedire crediderit, in Ecclesiæ regulis dispensare; permutatio de qua agitur, in Romana Curia instituenda est.

Quoad alteram; existeret simonia, si Petrus conveniret de iis Paulo reddendis, quæ ob beneficii necessarias reparationes expendit.

Quoad quartam; non tenetur Petrus *ea vi permutationis* Paulo pensionem ab omnibus impositis imponendisve taxationibus exemptam tradere; & conventio, quæcumque in permutationis contractu iniretur, nulla foret ac simoniaca. Et hoc quidem responso satis est factum quæstioni quintæ.

Cum autem quinta quæstio plures articulos complectatut, respondetur ad primum, Episcnpos beneficia regularia Seminario unire posse. Declaratio an. 1584. art. 46. edita super Gallicani Cleri articnlis quinquaginta oblatis Regi mense Novembti præcedentis anoi in hanc rem expressa est tom. t. Collationis *l. 1. tit. 4. part. 2. pag.* 103. Et sane id satis apparet Tridentini Coneilii menti conforme. Dum enim *Sess.* 24. *c.* 15. permittit Episcopis, ut Cathedralibus, & Collegiatis iis beneficia uniant, in quibus Præbendarum redditus levior est, beneficia regularia excipit; *Aliquot simplicia brneficia, non tamen regularia unire possint*. Sed cum eadem Synodus *Sess.* 23. *c.* 18. de unione loquitut, quam in Seminariorum gratiam Episcopi instituere possunt, indiscriminatim mandat, ut *Beneficia aliquot simplicia, cujascumque qualitatis & dignitatis fueriat, etiamsi sint beneficia affecta vel rfservata*, nnjantur: ex quo concludi licet Concilio visum esse rationi consonnm, ut beneficia vel regularia ad Seminaria tum erigenda tum dotanda ab Episcopis unirentur. Ejusmodi quidem Galliarum est mos. Vide Collectionein Monumentorum Cleri *tom.* 1. *p.* 2. *c.* 6. & D. *de Sainte Beuve tom.* 5. *Casu* 189.

Respondetur ad secundum, cum de beneficiis ad Ecclesiæ ntilitatem uniendis agitur, fructus omnes Titularibus relinqui posse; qua de re consulendi Fevretus *l. 2. c. 5. a. 31. de abusu*, & Louet *lit. P. a.* 31. Episcopi, quibus per Tridentinam Syoodum Beneficia Semioatiis unire licet, eorumque titulum extinguere, ejnsmodi reservationem addere possuot; præsertim cum ea fuerit Synodi mens, ut Seminaria, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ, ejusque doctrinæ puritati custodiendæ maxime inservire putabat, quam facillime fieri posset, erigerentur. Quamobrem asseri potest facultatem Titularibus in Beneficiorum suorum unionem consentientibus reservandi fructus omnes esse potestatis ejus, quam Synodus tribuit Episcopis ea Seminariis uniendi, consecutionem.

Respondetur ad tertium, non posse pensionem ultra beneficii proventum institui; cum enim pensio ducatur ex redditibus beneficii, non videtur Episcopus quicqnam prærerea tribuere posse; nempe simoniacum esset ulterius progredi, quia id, quod excederet, esset aliquid temporale, quod eo animo tribueretur, ut Titularis ad beneficii, quod spirituale quid est, abdicationem pertraheretur.

Quoad septimam, eamdemque postremam quæstionem in expositione propositam: Potest Paulus citra conventionem conficere impensas omnes provisionnm Romanæ Curiæ, ut ipsius Beneficium, quod regulare est, in Commendam perpetuam vertatut; at si adesset conventio, sine qua Petrus non permutaret, ea quidem Eeclesiæ regulis adversaretur, & permutationem nullam efficeret. *Cap. fin. tit. de pact.* & c. *Tua nos, de simonia*.

Consequens ex bis omnibns fit, petmutatinnem, de qua in casu proposito setmo est, in Romana Curia instituendam esse, ut, si qnid in ea vitiosum, & ab Eeclesiæ regulis alienum fuerit, a Pontifice purgari possit.

Decisum hae die 5. Junii an. 1695.
G. *Fromageau*.

PICTURÆ TURPES ET OBSCOENÆ.

NEmo, qui sapiat, negare potest ad imaginationem eotrumpendam, ad inflammandas cupiditates, & ad cor inficiendum nihil magis valete quam Tabulas ac Statuas, quæ quicpiam, quod pudorem lædat, exhibeant. Hac de causa S. Joannes Chrysostomus (a) ptonuntiavit, ibi Dæmonem adesse, suamque ibi semper, ut in throno, ac loco sibi potissimum dicato sedem servare. D. quoque Augustinus in Confessionum suarum Libro *cap.* 16. io hujusmodi pictns Tabulas, quæ ipsi peccati occasio fuerant, vehementer invehitur.

Inhonestas Picturas servandi prohibitio.

CASUS.

1 *Christianus non potest tuta conscientia Picturas ac Tabulas ab honestate alienas domi sua retinere.*
2 *Id prohibeat passim Concilia.*
3 *Non satis est iis velum obduci, sed eas flammis devoveri necesse est, aut ita reconcinnari, ut non amplius possint pravas cogitationes in spectantium animis excitare.*
4 *Confessarii eas tolerantes æternæ damnationis periculo spectatores exponunt.*

QUÆSITUM.

TItins non vulgaris pretii Tabnlam, celebris Pictoris opus habet domi suæ; in ea Ledæ, ac Jovis in Cycnum transformati amores repræsentantur; apparet Leda cubans omnino denndata, ea magnitudine, quæ fere fæminarum est, & Cycnus ei incubans pudenda tegit.

Diœcesis Episcopus Titinm monuit eam Tabulam execrandam esse, nec ab eo tuta conscientia servari posse; Titius porro respondet, se quidem eitra ullum scrupulum eam retinere in ejus valoris ac pulcritudinis gratiam, nunquam id sibi Coosessarios omnioo exprobrasse, seque cum claris magnique nominis viris id contulisse, qui id ipsum minime vituperarunt, atque ita probabile sibi videri licere sibi citra culpam eam Tabulam retinere. Quia tamen Episcopo suo aliqua ratione obseqni vult, eam se velo tecturum promittit, nihilque præterea, eam quidem ad hæredes transferri volens, quemadmodum a Parentibus ad se devenit. In hac facti specie consuluntur Sorbonæ Doctnres, & quæritut;

I. An non ea Tabula procax turpisque pictura censenda sit?

II. An tuta conscientia Titius eam apod se retinere ac servare possit?

III. An qnod ait Confessarios ac celebres viros id minime vituperasse, satis ejus conscientiam in tuto ponat?

IV. An velum, quod imagini se obducturum promittit, ad ejus animum, ad hanc rem quod attinet, tranquillandum sufficiat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti fidenter pronuntiant Picturam, cujus in Expositione facta est mentio, quæque Ledæ, & Jovis in Cycnum transformati amores exhibet, infamem ac turpissimam esse, ex earum scilicet numero, quæ SS. Patrum, Ecclesiæ doctrinam sequentium unanimi sententia proscriptæ fuerunt. Itaque magnopere mirari subit, videturque portento simile eum super hac re a Confessariis monitum noo fuisse, qui sane, si rem eandide iis exposuisset, ipsum arguisseot, eidemque significassent, quanto cum studio ac sollicitudine ejusmodi

(a) S. Chrysostom. in Ps. 113.

modi Picturas Ecclesiasticæ Leges damnaverint, ut Fidelium animos ab omnibus impuris cogitationibus avocarent. Si D. Paulus, quicquid turpe atque obscœnum esse possit, Christifidelibus (*a*) interdicit; an vero inhonestas picturas, & ad impuritatem incitantes spectari licebit? Præsertim cum Pictor artis subsidio res in ejusmodi Tabulis ad vivum repræsentare, oculisque subjicere conatus fuerit. Firmatur sententia hæc S. Caroli auctoritate, dum in tertio suo Mediolanensi Concilio de iis verba facit, quæ ad Clericorum honestam ac bene moratam vitam pertinent. Vetat magnus hic Cardinalis non Clericis modo, sed etiam Laicis, ne picturas, quæ obscœnitatis imaginem secum afferunt, servent; easque absolute interdicit, jubetque eas a locis, in quibus expositæ prostant, removeri; atque in posterum similes fingi prohibet. (*b*) En ejus verba: *In hostiis, ac ædibus, aliisve Ecclesiasticorum hominum locis si signa, imagines, aut picturæ sunt, quæ procaces, vel ullo alio modo aliquam obscœnitatis, turpitudinisve speciem præ se ferunt, ita reconcinnentur, ut offensionem oculis ne præbere possint, aut tollantur, deleanturve ex omni loco, ubicumque extant, neque in posterum ejusmodi aliquo modo effingantur, aut pingantur. Et quoniam Christianorum hominum mentes facile corrumpuntur, peccandi libidine inflammatæ ob rerum turpium atque obscœnarum imagines, ideo illas effingi vetitum est Constantinopolitanæ Synodi Canone*; cujus quidem hæc verba sunt: *Itaque curet Episcopus, ut quicumque Laici homines id generis imagines habent, vel tabulis, vel parietibus expressas, pro pietatis Christianæ, cui addicti esse debent, studio eas abjiciant, vel plane deleant, vel ad honestatem reconcinnent.*

Quamobrem Titius animo percipere debet, ac persuasum habere Episcopum nihil a se postulare, quod Ecclesiæ Legibus non nitatur, seque in conscientia tutum non esse, si Confessariorum suorum, aliorumve virorum, Christianæ Religionis Leges emollientium, ac domesticam supellectilem, quam æternam salutem ejus, qui consulit, majore in pretio habendam esse opinantium decisionibus plus fidei adhibeat, quam proprio Episcopo, cujus sermo Decreto concinnit Constantinopolitani Concilii a Mediolanensi Synodo confirmati, quod Laicos ejusmodi Legibus se subdere, atque obsequi jubet.

Nec refert Titium obscœnam eam Tabulam so caute tecturum, eique velum obducturum promittere, quasi vero ita quidem infamis turpisque pictura ad hæredes transiens, aut aliqua alia ratione minus evaderet criminosa; sed nimirum Titius id consilii suscipere nequit, nisi crimen crimine tegere, atque adeo in majore salutis discrimine versari velit.

Decisum Parisiis in Sorbona hac die 26. Junii an. 1690.

Aug. *de Lamet.*

POSSESSIONIS SUSCEPTIO.

Susceptio possessionis Beneficii continetur iis cæremoniis, quæ, dum Ecclesiasticus ad Beneficium aliquod nominatus installatur, servari solent.

Is, cui facta provisio est, in Ecclesia ingreditur, in qua Beneficii Titulus est, & sedem occupat, quæ sibi congruit; si Canonicus est, in Stallis; si Abbas, in Abbatiali Cathedra. Si sint adversarii, qui Ecclesiæ ingressum impediant, satis est, si janua pulsetur; si citra periculum non licet accedere satis est æra campana spectari. Possessio per Procuratorem iniri potest; sed peculiari procuratione opus est. Possessionis inchoatio publica esse debet; ejusque Actus existat oportet Notarii manu exaratus coram duobus testibus ex Edicto an. 1550. art. 13. Nulla sine titulo legitima Beneficii possessio est; neque enim illud ad instar est profani boni, quod cedit primo occupanti, cum nemo reclamat, & quod præscriptione acquiri potest. Verum in re Beneficiaria sufficit apparens Titulus, & initur quandoque possessio, quin Titulus præ manibus habeatur. In Gallia enim sufficit Expeditionarium per litteras testari Provisiones in Romana Curia expediat esse, quamvis nondum pervenerint.

Ex inita possessione statim jus oritur instituendæ querelæ, si possessori negotium afferatur. Annalis possessio jus affert ad possessorium; videlicet ut qui per annum possedit, ac diem, in possessione stare debeat, quoad petitorium dijudicatum fuerit, quoniam post annum querelæ non est locus. Hoc fundamento nititur Cancellariæ regula *de annali possessione*.

Triennalis possessio efficit, ut ne amplius possessor vel quoad possessorium, vel quoad petitorium turbetur: hæc in Beneficiorum negotio legitima præscriptio est, nixa Decreto *de pacificis*, quod a Basileensi Concilio ad Pragmaticam Sanctionem, & ad Concordatum transiit, & regulam *de triennali possessore* constituit. Possessio, ut ejusmodi effectus sortiatur, niti debet titulo colorato, quem scilicet is tribuerit, qui potestate gaudet, & in quo nullus defectus appareat. Præterea possessio in eadem persona continuetur necesse est; præcessoris enim possessio non facit ad rem. Debet esse pacifica, quin scilicet ulla judiciaria interruptio per causæ contestationem intercesserit; nisi forte Contendens majore vi impeditus fuerit, quominus ageret.

Pecuniæ summa ante inchoatam possessionem exacta.

CASUS I.

1 *Capitula nihil a novis Canonicis exigere debent, antequam eos possessione donent.*
2 *Exactiones reprobantur in Jure tanquam Simoniacæ.*
3 *Nihil exigendum, nisi ut in pia opera conferatur.*
4 *Quicquid in Capituli & Canonicorum commodum cedit, prohibitum est.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut super insequenti facti specie suam scripto sententiam aperiant, suæque decisionis rationes addant.

Mos obtinet in Ecclesia Collegiata N.... ut post Statutorum lectionem, quæ in Capitulis Generalibus quotannis peragitur, Canonici a Præside interrogati respondeant, sibi dicta Statuta probari. Unum tamen inter ea existit, quod nonnullis molestiam affert, & est ejusmodi: *Quilibet Canonicus, antequam recipiatur, in prompta super mensam Capituli viginti scuta aurea ad solem deponat, in quibus comprehenduntur jura assueta, ut fabrica percipiat quatuor libras Parisienses pro supportandis illius oneribus, Dormentarius quadraginta solidos Parisienses, Capellanus Regis per obitum viginti & unum, reliquum Officiario Senescali distribuitur pro continuatione panis Capitularis.*

Quæritur, liceatne Canonico in hac facti specie Capituli sui Statuta generatim probare; an vero in foro conscientiæ illud ipsum, quod modo recitatum est, excipere teneatur? Ad ostendendum porro hac exceptione opus esse, affertur:

I. Tridentina Synodus *sess.* 24. *c.* 14.

II. Pii V. Bulla, quæ incipit: *Durum nimis, in* 7. *c.* 5. *tit.* 11. *c.* 4.

III. Postremum Provinciale Concilium Remense an.

(*a*) Epist. ad Ephes. c. 5.

(*b*) S. Carolus in Conc. Mediol. III. de iis, quæ partim ad Clericorum honestatem & studia pertinent 1. parte.

an. 1583. celebratum, & a Gregorio XIII. titulo *de Simonia* confirmatum.

IV. Lateranense Concilium sub Innocentio II. tr. 39. cap. 2. Caput *Ad audientiam extra de consuetudine*.

V. Rebuffus *in praxi beneficiali cap. alt. de regia ad prælaturas nominatione*. Suarez *de Religione, cap. 4. de Simonia c. 48.* Bonacina *de excommunicationibus in particulari extra Bullam Cœnæ contentis disput. 2. q. 3. p. 26.* Azorius *instit. moralis p. 3. lib. 12. c. 11. q. 6.* Fagnanus *in caput Tua nos de Simonia*, &c. Animadversione dignum est;

VI. Eam summam, quam Capitulum exigit, ut novo Canonico possessionem conferat, *esse onus Beneficiati, non Beneficii*, quia si eam pecuniam super Capituli mensa non deposuerit, ipse non cooptatur, & quia ejus pecuniæ non eadem ratio est, ac decretionis ejus redditua, qui primo anno percipitur, ut in Capitulis nonnullis assolet. In præsenti quippe facti specie si Canonicus recens cooptatus postridie, quam est cooptatus, e vivis excesserit, ea viginti scuta aurea, quæ tribuit, perierunt ejus familiæ, quæ funeris etiam impensis obnoxia erit; præterea si Canonicus, ut litigiosum Canonicatum sibi confirmet, possessionem pluries inierit, pluries quoque eamdem summam solvere necesse habet.

VII. Illud constans firmumque esse, Capitulum, quamvis exemptum, nil statuere potuisse contra Sanctionem Conciliorum Generalis, & Provincialis, quorum utrumque probavit Pontifex, cui Capitulum immediate subjectum est.

Ad extremum, ut res in meliore lumine collocetur, additur & illud, summam exactam tribui *pro continuatione panis Capitularis*, eamque proinde unice vergere in bonum Canonicorum, quibus alioquin satis proventuum est.

Econtra ut Canonicus, dum sibi Capituli sui statuta probari respondet, ab ejusmodi exceptione eximatur, asseritur,

I. Præsumendum non esse, Statutum, quod veteri, ac maxime communi consuetudine in Capitulis nititur, Ecclesiæ regulis adversari.

II. Capitulum, de quo agitur, non exigere convivia, quæ quidem, dum Canonicus admittitur, alibi fiunt; atque ita de medio tolluntur excessus gulæ; atque articulus, de quo controvertitur, eo tantum refertur, ut Capitularis panis continuetur; quod sane longe aliud est.

III. Conciliorum Tridentini, Remensis, aliosqua super hac re Canones non nisi disciplinæ Leges esse, in Provincia, perinde atque in pluribus aliis locis nunquam receptas; & Capitula ipsa Provinciæ N . . . . . unanimi sententia protestata esse contra Decreta Provincialis postremæ Synodi, quæ earumdem rationem habebat, suæque protestationis actum obtinuisse.

IV. Nullam Simoniæ speciem in praxi, de qua agitur, occurrere, quoniam Capitulum Præbendarum Collatione non gaudet; neque vero *turpe lucrum* existere, cum Leges id prohibentes executionem sortitæ non sint.

V. Ejusmodi consuetudinum cognitionem & reformationem a Tridentina Synodo Episcopis demandari; jam vero diœcesanus Episcopus, quem consuetudo hæc omnino non latet, in ea nihil invenire, quod improbet, eamque ipse probare creditur.

VI. Hanc viginti scuta aurea tribuendi consuetudinem tanquam Beneficii onus spectandam esse, ac Fagnanum quidem ita sentire *in caput Præterea tit. ne Prælati vices suas*.

Denique coram omnibus Confratribus congregatis non posse absque vituperandæ singularitatis affectatione in Statutorum approbatione hunc potissimum articulum exipi.

Responsso.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositum libellum supplicem vidit, existimat, Canonicum non posse tuta conscientia statutum, de quo quæritur, approbare, quia Canonibus, & Ecclesiæ menti repugnat; primo quidem in eo, quod mandat, ut a novo Canonico initio statim, atque ante cooptationem viginti scuta aurea solvantur, quam quidem constat conditionem esse, sine qua minime cooptaretur; hæc autem Simoniaca conditio est. Deinde in eo, quod instituit, ut eorumdem scutorum exigua parte in nonnullos peculiares usus collata, in Canonicorum commodum vergat, quod Canonibus vetitum est.

Quod attinet ad Articulum primum, quo novus Canonicus, ante quam admittatur, jubetur viginti scuta aurea solvere; id sane tanquam simoniacum reprobat generalis Lateranensis Tertia Synodus sub Alexandro III. *Cap. Cum in Ecclesia de Sim. Ne igitur pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.*

Glossa in hunc locum v. consuetudine nihil omnino exigi patitur ante Canonici receptionem, etiamsi id inveterata consuetudine niteretur: *Videtur, quod talis consuetudo non sit reprobanda, ut pro receptione Canonica, vel introductione personæ in Ecclesiam aliquid recipiatur, dum tamen non detur ex pacto, aut exigatur, sed sponte, & ex post facto offeratur.* Citat deinde Canones sententiam hanc confirmantes.

D. Thomas 2.2. *q.* 100. *art.* 3. negat Ecclesiæ Ministros, qui Fidelibus spiritualia distribuunt, ab iis, antequam eadem distribuant, exigere id posse, quod eos ad proprium stipendium accipere legitima & ab Ecclesia approbata consuetudo, permittit: *Hoc enim*, inquit S. Doctor, *haberet quamdam venditionis speciem; gratis enim spiritualibus prius exhibitis, licite possunt consuetæ & statutæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi.* Dum porro ait D. Thomas quodammodo fore, ut ita Sacramenta vendantur, facile intellectu est, hac in re Simoniam, saltem præsumptam existere; atqui in Statuto, de quo sermo est, Capitulum pecuniam exigit, ante quam possessionem novo Canonico tribuat; videtur ergo idem Capitulum in eum venditionis casum incidere, de quo loquitur D. Thomas.

Tridentina Synodus *Sess.* 24. *c.* 14. *de Reform.* tanquam simoniacos puniri jubet eos, qui pro Canonico, vel alio Beneficiato possessione donando quicpiam acceperint, nisi in pios usus convertatur, & veteres in hanc rem Canones, & Constitutiones instaurat: *Pœnis contra Simoniacos editis tam in Canonibus, & variis summorum Pontificum Constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit.* Porro in Statuto hoc exacta pecunia maxima ex parte non confertur *in pios usus*.

Garcias *p.* 8. *c.* 5. *n.* 83. *& p.* 1. *n.* 50. *c.* 2. *Similiter*, inquit, *a noviter recepto, seu in admissione ad possessionem Canonicatus, seu Præbendæ, aut Beneficii non potest exigi, nec solvi aliquid, etiam modicum, convertendum in commodum & utilitatem Canonicorum, & Beneficiariorum, & personarum Ecclesiæ; sed est Simoniacum, non obstante aliquo statuto, vel etiam immemoriali.* Affert autem complures Cardinalium Congregationis Declarationes, ut suam sententiam confirmet.

Barbosa in *lib.* 5. *Decretalium cap. Jacobus de Simonia* de eo verba faciens, quod dat ex consuetudine Canonicus, antequam possessionem suscipiat, id omnino non licere concludit in hæc verba: *Huic conclusioni convenit testimonium Theologorum, qui in hac materia constanter docent nunquam licere per subtractionem spiritualium exigere etiam ad usus pios temporalia: Quoniam licet ex justa causa petantur, habet tamen exactio venditionis speciem: oblatis tamen gratis & libere spiritualibus, docent illi licitum esse secundum legem, vel consuetudinem temporalia petere ex causa justa.*

Quod autem ad eum Statuti Articulum spectat, in quo viginti scutorum aureorum pars in Capitularis Mensæ utilitatem obitura dicitur, quæcumque demum hac in re vigeat consuetudo, id sane Ecclesiæ regulis, & Canonistarum sententiæ adversatur.

Gregorius IX. *cap. Jacobus de Sim.* morem damnat quorumdam Canonicorum, qui recens cooptato id imponebant, ut prandium pararet.

Guimerius in Pragmaticam Sanctionem *tit. de annatis v. consuetudini* rejicit Capitulorum praxim, quæ Canonicum, dum cooptatur, aliquid cæteris tribuere jubent: *Posset dici, quoddam consuetudo imponit onus*

vero.

recepto, quod vendat ad privatam utilitatem Canonicorum, & illa non valet, ut in dicto Cap. Jacobus. Porro quod ad Mensæ Capitularis bonum datur, dubio procul in Canonicorum commodum cedit.

Tridentina Synodus in Beneficiariæ possessionis ingressu quicquam vel minimum accipi vetat, nisi id in pios usus ex consuetudine conferatur.

Cardinalium Congregatio quicquid ex novo Canonico exactum est, restituendum pronuntiat: *& debet restitui Canonico recepto, quod exactum est*; & e vestigio subdit: *reprobatur item dandi pro reparatione & instauratione Mensæ Capitularis consuetudo.*

Bulla Pii V. *duram nimis* statuit in hac facti specie *vel alia quomodocumque petenda, vel exigenda non esse.*

Copinus in Tractatu de Politia l. 1. tit. 8. n. 14. in ea est sententia, ut putet a Capitulo Statutum edi non posse, quo quicpiam a Canonico recens admisso exigatur, nisi id quidem in piis operibus impendatur.

Fevretus lib. 4. de abusu cap. 8. n. 5. ejusdem sententiæ est. En ejus verba: „ Si quibus in Ecclesiis, vel Monasteriis quædam ingressus jura „ tribui vel accipi consueverunt, privatorum, non „ Ecclesiæ bono futura, id sane vituperanda conniventia, pravoque usu nititur, qui nunquam in „ laudabilem probatamque consuetudinem abire potest.

Pinsonius in Tractatu de Beneficiis *c. 2. n. 22. §. erogationes*, inquit, *quæ pro introitu exiguntur, valent, si in usus pios impendantur.*

Garcias loco supra laudato n. 87. cum statuisset tanquam certum, in Canonicatus ineunda possessione nil accipi posse, quod ad aliorum commodum vergat, addit majoris explicationis gratia: *Adverte illud etiam capi pro commodo proprio Canonicorum, quod solvitur Mensæ Capitulari, seu convertitur in reparatione bonorum Mensæ Capitularis, eo quo cedit, & redundat in utilitatem singulorum.*

Barbosa in Tractatu de Canonicis & Dignitatibus *c. 15. n. 24.* affert Cardinalium Declarationes, quibus prohibetur Episcopis, ne, vel propriis Capitulis consentientibus, statuant, *ut aliquid minimum solvatur in ingressu Canonicorum, quod redundet in utilitatem singulorum.*

Galliarum Concilia, & Auctores, qui super ejusmodi negotiis scripserunt, consuetudines has, quamvis inveteratas, tanquam veri nominis abusus proscribunt, ac fere Simoniacas declarant.

Remense Concilium a Cardinali Guisio an. 1583. celebratum titulo *de Simoniacis, & Fiduciariis* n. 11. Bituricense a Reginaldo Bolxio habitum, an. 1584. *tit.* 3. *Can.* 4 Burdegalense a Cardinali Surdisio congregatum an. 1624. *cap. 9. n.* 15. Fagnanus in *C. Tua nos de Sim.* n. 38. Lessius *l.* 2. *de just. & jur. c.* 35. *de Sim. dub.* 18.

Caballutius *in praxi l.* 5. *c.* 4. *n.* 7. *consuetudinem hanc Simoniæ* arguit, id tamen addens, pœnas contra Simoniacos sancitas, quod ad hanc facti speciem attinet, in Gallia receptas non esse; eos, qui dant, non peccare, quia pecunia hæc tanquam vexationis redimendæ gratia erogata spectari potest, quique dare renuerent, sententiæ, qua id facere cogerentur, obnoxios fore, exigentes tamen peccare.

Ut statutum, de quo agitur, legitimum, & Ecclesiæ menti adamussim consentaneum efficeretur, necesse esset I. ut viginti scuta aurea, quæ quisque Canonicus in ingressu solvit, omnino Fabricæ, Sacristiæ, Pauperibus, vel Seminario concederentur; II. ut ejus solutionis mos vetus foret, nec ex Capituli exactione ortus esset, sed ex eorum liberalitate, qui possessionem ineuntes libere, & in eleemosynæ modum pecuniam eam obtulissent; si enim ejus praxis initium præposterum extitisset, praxis ipsa probanda non esset; III. ne dicta viginti scuta nisi post initam possessionem postularentur; IV. ut, esto propemodum certum foret, novum Canonicum minime soluturum, postquam receptus fuisset, non tamen Capitulum possessione eumdem donare vel renueret, vel differret, ea quidem conditione, ut deinde Canonico significaret, quæ sit consuetudo, quæ utilitas, quæ denique necessitas pii ejus operis, cui destinatum id est, quod in ipso ingressu quisque Canonicus elargitur.

Decisum in Sorbona an. 1692.
G. *Fromageau.*

Possessionis non sine oppositione susceptio.

CASUS II.

1 *Ecclesiasticus ad Dignitatem, quæ a Titulari pure ac simpliciter dimissa fuerat, a Rege nominatus, & necessarias expeditiones a Romana Curia consecutus angi non debet, quod adversus possessionem ab ipso susceptam Titularis oppositionem ediderit, quia ea quidem nulla est.*

2 *In Gallia quicquid in Beneficiorum negotio spectat ad possessorium, competit Judici Regio, quovis alio Judice excluso.*

3 *Rex in hac facti specie potest illud ob circumstantias ad Consilium suum evocare.*

QUÆSITUM.

Titius requisitis dotibus exornatus ad Ecclesiæ primariæ Dignitatem, quam pure ac simpliciter Titularis dimiserat, a Rege nominatus est, & ad eam Romani Pontificia provisionem obtinuit, opponente nemine. Cum se stitisset possessionem initurus, ei significatus est Actus oppositionis dicti Titularis per Regium satellitem, sed absque præcedenti Supplicatione, & absque Mandato Judicis. In hac significatione expressum extat Opponentis nomen, ac tantum declaratur, eum se opponere ingressui Titii ob causas, ubi, & quando opus fuerit, producendas, & quidem apud eum, quem ipse idoneum censuerit. Graves porro, & ex publico bono petitæ causæ Titio suppetunt, cur id definiendum iis non relinquat, qui ejusmodi negotiorum ordinarii Judices sunt. In hac facti specie rogantur Sorbonæ Doctores, ut satisfaciant quæstionibus, quæ sequuntur.

Quæritur I. An valeat oppositionis Actus, de quo dictum est?

II. An omnis omnino oppositio & contradictio, quæ contingit etiam in causis majoribus, quoad ineundam possessionem Beneficii simplicis, vel cum animarum cura, Consistorialis, vel non Consistorialis, Prioratus, Capellæ, Canonicatus, Parochiæ, Abbatiæ, vel Episcopatus, ad id referatur, quod spiritale est?

III. Quinam Judices, ex Galliæ Jurisprudentia, de hujusmodi oppositionibus cognoscere debeant, Ecclesiasticine Judices, an Regii?

IV. An non Rex harum oppositionum cognitionem ad Consilium suum revocare possit, facta hypothesi eas ex ordinario Juris ordine ad aliud Tribunal spectare.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod libellum supplicem, & quæstiones in eo contentas vidit, & expendit, existimat,

Quoad primam, oppositionem, qua Titii, necessariis Romanæ Curiæ provisionibus instructi ingressus turbatus est, nullam, vanamque apparere. Si enim agitur in præsentia de Beneficio Consistoriali, cujusmodi est Abbatia, vel Episcopatus: statim ac Titularis eo se libere atque ultro abdicavit, & Rex proinde vi Concordii tribuit nominationis Breve, & Breve ipsum Sanctæ sedi oblatum est, admissumque per *Expediatur*; ac præconizatio in Consistorio peracta est: esto nondum Bullæ expeditæ essent, res tamen Resignanti non amplius integra est; cum enim ipse suo se jure spoliaverit, non amplius se rettactare, vel ad dicti Beneficii titulum contendere potest. Hæc communis sententia est, ut videri potest apud Brodeau in Louet *v. Beneficium n.* 13. & apud Fevretum *l.* 2. *c.* 6. *n.* 17. *de abusu.* Quod tum etiam fit certius firmiusque, cum Beneficii, de quo quæritur, omnes necessariæ provisiones in Titii favorem expeditæ sunt ad puram, simplicem, ac liberam Præcessoris demissionem in manu Patroni,

ni, cum actu præsentationis Patroni ipsius. Oppositio igitur, de qua in hac facti specie sermn est, Titii titulo oihil officere porest; estque propterea, cur nulla, omnique legitimo fundamento destituta declaretur.

Quoad secundam, oppositiones, & querelæ, quæ quoad Brneficium quodlibet ineundum contingunt, ad id non spectare, quod spiritale est, ac proinde de iis judicare Laici non Ecclesiastici Judicis esse. Veritatis hnjus probatio pendet a responsione ad quæstionem sequentem; quamobrem respondetur

Ad quæstionem tertiam, Judices tantum Regios harum oppositionum compctentes Judices esse; quia quodvis possessorium, & quodvis in hoc negotio litigii genus spectatur in Gallia tanquam aliquid temporale, & Sæcularibus proinde Judicibua demandatur.

Et sane possessotium res est facti, enjus gratia partes congredi, ae vi uti contingere posset; & Magistratus solius est in ejusmodi casibus præsto esse, sive ut Spoliatos in inregrum restituat, sive ut veros possessores tueatur, *ne partes confugiaar ad arma*. Id autem temporale est. Quamobrem Ecclesia de hoe negotio judicare non debet. Atque ut singillatim de Beneficiorum possessorio sermo instituatur, in Gallia id moris óbtinet, ut de eo Regius Judex *privative* ad quemvis alium eognoscat, ut animadverunt Brodeau in Louet *v. Beneficium*, *n.* 11. & Fevreins *l. 4. c.* 11. *de abusu*. Quamvis cnim Beneficii possessio sit rei spiritalis possessio, non tamen in Gallia spiritali ratione spectatur. Sæpe contingit, ut occasione possessorii fructuum sequestrationem, vel integram manutentionem pronuntiari necesse sit; jam vero Judex Ecclesiasticus citra abusum super hac re pronnntiare non potest; oempe communis sententia est, Ecclesiam territorio carere; qua de eausa de ipso Beneficiorum possessorio ejus Judices pronuntiare non debent.

Videtur Martinus V. Doctrinam hanc probare Bullis, quas in Caroli VII. favorem expedit annis 1423. & 1428. eum declaravit penes Galliæ Regem, ejusque Ministros de Beneficiorum possessorio judicandi jus esse. Referuntur hæ Bullæ tomo primo Libertatum Ecclesiæ Gallianæ *cap.* 26. Videri etiam potest collatio Constitutionum *lib.* 3. *tit.* 8. in qua bene multæ Regum nnstrorum Constitutiones occurrunt; quæ litium eognitionem quoad Beneficiorum possessorium Regiis Judicibus tribuunt. Sixtus IV. in sua Extravaganti *ad universalis de Tregua & pace §. causa* fatetur ejusmodi possessorium in Gallia apud Laicum Judicem agitari. Episcopi quidem identidem ea de re apud Regem conquesti sunt; sed mos tamen semper viguit, & etiamnum viget, ut Regius Judex in Beneficiorum negotio de possessorio eognoseat.

Quod si ita res habet de Beneficiis in universum multo magis mos hic apparet legitimus, eum agitur de Beneficiis a Regis nominatione pendentibus, vel ad patronatum Laicum spectantibus; ex quo concluditur, potiore jure Regium Judicem de eorum possessorio eognoscere debere; de eo enim judieandi penes subalternos Judices jus non est. Hujus rei tationes affert Brodeau in Louet loeo supra laudato *n.* 11.

Ad quartam & ultimam quæstionem respondetur, Regem, qui Ministris suis de possessorio in Beneficiorum negotio cognoscendi jus tribuit, non ita sibi illud ademisse, ut ejusmodi eausas ad suum Consilium, eum ipsi videbitur, evocare non possit. Quamobtem si in proposita facti specie personarum qualitas, & peculiares negotii eircumstantiæ postulant, ut de eo Rex cognoscat, non solum id agere potest, sed ad ejus quoque humanitatem atque æquitatem spectat, ut ejusmodi cognitionem sibi reservet, ut eonsulat Partium famæ, quæ gravi subesset incommodo, si aliter negotium, cujusmodi quidem illud est, de quo agitur, diseuteretur.

Decisum hac die 59. Augusti ao. 1697.
G. *Fromageau*.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

INdubitatum prorsus est Ecclesiæ a Christo ipso concessam esse facultatem certas quasdam res Christianis, qui ejus Filii sunt, præcipiendi, eique non subjici nequicquam aliud esse, quam Dei ipsius imperium detrectari. Qui porro in ea leges sanciunt, sunt Pastores, quibus Ecclesiæ suæ regimen Dei Filius concredidit; ut proinde qui eos audit, Servatorem andiat, & qui eos spernit, eum ipsum spernat, ut in Evangelio traditur apud S. Lucam eap. 10. Apostoli in Hierosolymitana Synodo congregati prohibuere, ne Fideles sanguine, & suffocatis aut Idolis immolatis earnibus vescerentur: „ Visum est Spiritui Sancto, & nobis, inquit ea Synodus, vobis imponere, ut abstineatis a „ carnibus Idolis immolatis, a sanguine " &c. Ex quo concludendum, cum Ecclesia loquitur, Spiritum Sanctum per ipsam loqui, & in ejus potestate esse ea, quæ necessaria judicaverit, instituere; id quod ex consuetudine atque omnibus Conciliorum Canonibus compertum fit. Ipsa igitur Filiis suis aliquot præcepta præscripsit, atque ea quidem numero sex, tum ut exteriores aliquæ pietatis actiones reformarentur, & facilior Divinorum Præceptorum observantia redderetur; tum ut hæc eadem Præcepta servandi tempus & modus definiretur.

Et sane repetamus animo necesse est Dei Beneficia, ad æternæ vitæ desiderium nos excitemus, spectemus Sanctorum gloriam tanquam eos imitandi stimulum, ac de eorum victoriis & recte factis gratias Deo persolvamus. Ut nos ergo ad hæc officia perducat, in suorum præceptorum primo jubet Ecclesia, ut imperatos dies festos sanctificemus. Vi Legis naturalis, & Decalogi tenemur exteriorem cultum Deo exhibere, & cujusque hebdomadæ diem in Dei servitio impendendum sanctificare; Ecclesia ut obligationem hanc subeamus, nobis præcipit secundo loco, ut Missam diebus Dominicis ac Festis audiamus; quia Sacrificium Religionis actio est omnium gravissima. Debemus aliquando ad communionem accedere, & mortalia peccata confiteri, si volumus cum Deo in gratiam redire; Ecclesia tertio loco tempus determinat, quo nos oportet his duobus officiis fungi, in suorum Præceptorum tertio & quarto nobis injungens semel saltem in anno confessionem, & in Paschate communionem. Denique tenemur reprimere, castigare corpus nostrum exemplo Divi Pauli, illud in servitutem redigere, jejunare; in hunc finem jejunia & abstinentiam Ecclesia præcipit; nempe Quatuor Temporum, Vigiliarum, & totius Quadragesimæ jejunium nobis imponit in suo Præcepto quinto, in sexto autem præcipit, ut feria sexta & sabbato a carnibus abstineamus.

Vere itaque dici potest Ecclesiæ Præcepta nihil aliud esse quam Divinorum Præceptorum determinationes, & media, quæ ut ea impleamus, Ecclesia nobis præscribit. Casus sequens ad dierum Dominicorum & Festorum sanctificationem solummodo spectat.

Obli-

Obligatio Ecclesiæ Præcepta servandi.

CASUS.

1 *Ecclesiæ Præcepta obligant sub mortalis peccati pœna, quippe quæ alicui Divino Præcepto conjuncta sunt.*
2 *Qui ea cum contemptu violat, mortaliter peccat.*
3 *Tonsores, Pistores, aliique artifices possunt in quibusdam casibus diebus festis, & Dominicis laborare.*
4 *Episcopi possunt ac debent dierum festorum numerum imminuere.*
5 *Possunt illi populo permittere, ut aliquibus Festis, quæ retinent, post Missam operetur.*
6 *Responsio ad Divi Augustini testimonia, in quibus hic Pater ait diei Dominici Sanctificandi præceptum figurativum esse, & Christianos non obligare.*

QUÆSITUM.

QUæritur, quomodo se gerere debeat Episcopus quoad Societatem Religiosam, in qua eorum multi, quibus constat, persuasum habent Ecclesiæ Præcepta sub gravis peccati pœna non obligare, atque ita Episcopum non debere, quod ab aliquot annis facit, Tonsoribus instare, ut eos impediat, ne barbam & capillos iis diebus tondeant, quandoquidem hæc prohibitio, cui se pertinaciter omnes opponunt, ad eos efficiendos prævaricatores vim tantum habet. Qua in re plures proponendæ veniunt difficultates. Quæritur igitur,

I. An hæc doctrina, scilicet Ecclesiæ Præcepta sub gravi non obligare, tolerari possit, an vero aliqua censura, & quali notanda sit?

II. Facta hypothesi hanc doctrinam perniciosam esse, estne iis interdicenda Sacramenti Pœnitentiæ administratio, qui eam ita animo imbiberunt, ut se dicat omnino non posse sibi contrarium persuadere? Ratio dubitandi est, quia ejusmodi homines ultro fatentur eos absolvendos non esse, qui in voluntate persistunt Ecclesiastica Præcepta violandi, quamvis ea, ipsorum judicio, sub gravi non obligent; quod sane videtur contradictionem involvere, & repugnare communi Doctorum sententiæ, statuentium peccata venialia, si stricte loqui velimus, necessariam Confessionis materiam non esse.

III. An ad plerasque Fidelium prævaricationes quoad hujus præcepti observantiam, possit Episcopus in legibus Ecclesiasticis facile dispensare, permittens exempli causa Tonsores abradere, barbam tondere, capillos recidere diebus Dominicis & festis, aliisque operibus non necessariis vacare; videtur enim id ei licere, cum etiam possit Festorum numerum augere, atque imminuere; verum juxta communem doctrinam inferior in Superiori lege dispensare non potest, & quod inde consequitur, Episcopus in universalis Ecclesiæ Legibus dispensandi facultate non pollet.

IV. Facta hypothesi quoad Chirurgis & Tonsores hanc ei potestatem congruere: æquene congruit, ut cum aliis Artificibus, puta Molitoribus, Pistoribusque dispenset? Congruitne quoad Mercatores, qui in suis Officinis non minus quam Chirurgi laborant, ea de causa quod eorum negotio opus habet Populus, qui commode nequit ad eos se conferre ferialibus diebus, quibus sustentandæ vitæ gratia non possunt, quin operentur.

V. Nonne Ecclesiæ menti conformius esset, quam maxime fieri posset, Festa decerpi, ut sanctius, quæ superessent, Populus custodiret?

VI. In Festis, quorum celebrationem Episcopus proponeret, nonne posset satis habere, si audiendæ Missæ obligationem Populo imponeret, permittens eum, quod temporis superest, operari, prout in Sancti Rocchi die festo, & aliquot aliis fieri consuevit?

Quia porro qui asserunt Ecclesiæ Præcepta sub gravi non obligare, experrecti doctique sunt, hoc loco afferentur in medium eorum momenta, ut Dominis Doctoribus placeat respondere, & Conciliorum, Sanctorumque Patrum testimonia, quæ sunt opponenda, proponere, cum Casuistarum rationes & auctoritatem non ii tanti ponderis esse crediderint, ut manus darent. Fatentur enim Scholæ Doctores & Casuistas contra sentire.

Eorum potissimum fundamentum libertas est, quam Jesus Christus suo sanguine Christifidelibus acquisivit, eos eximens ab omnibus Legalibus cæremoniis, & ab omnibus externis actibus, iisque tantum præscribens adorandum Deum in spiritu & veritate cultu mere spiritali. Ejusmodi, inquiunt illi, Ecclesiæ sensa sunt; cumque ipsa filiis suis ad ipsorum bonum aliquod præceptum imponit, ut suam disciplinam in ordinem redigat, semper fundamenti loco ponit hanc libertatem, quam spectat tanquam pretium sanguinis Sponsi sui, tanquam ejus amoris lucrum, & tanquam characterem, quo a Synagoga cum laude distinguitur.

Ajunt secundo loco obligationem sub lethalis peccati pœna infirmis & carnalibus pondus fore; sine formidine, & cum amore bonos obsequi; & si nequam homines ob id unum parerent, quod reputarent, se, si secus fecerint, graviter peccaturos, eorum obedientiam superstitiosam & Judaicam fore, quia crederent hos actus ad novæ Legis cultum pertinere; quod adeo perniciosum est, ut docente Divo Paulo Jesus Christus nil prosit iis, qui hac mente Legis cæremonias observant.

Ajunt III. Ecclesiam benigniorem matrem esse, quam ut suos filios sub æternæ damnationis pœna ad ea obliget, quæ suapte natura sunt indifferentia, semperque tanquam infideles ministros a Deo habitos esse Sacerdotes & Pastores, qui legi quicquam addunt, humanasque traditiones Populos docent, sacra Scriptura id rotundis verbis vetante. *Non addas ad verbum Domini, neque minuas ex eo. In vanum colunt me, docentes doctrinas hominum.*

Quarto loco, Festorum ratione, contendunt Ecclesiæ praxim per octo & amplius sæcula eam fuisse, ut ne iis diebus ab operibus servilibus abstineretur, & Apostolum Paulum diem a die distingui, dies observari, &c. omnino nolle. Allegant aliquot testimonia Patrum, & inprimis Divi Augustini, cui quidem plurimum deferunt. Citant inter alia *Epistolam* 119. *cap.* 12. *Librum* 2. *de Genesi ad litteram cap.* 18. *Speculum ex Libro Exodi in Præfatione, de utilitate credendi cap.* 20. *contra Adimant. cap.* 16. *contra Faustum l.* 59. *contra duas Epistolas Pelagianorum l.* 3. *cap.* 4. *l. de decem chordis cap.* 3. *tractat.* 3. *in Joannem.*

Ajunt V. eum, qui putat diebus festis laborando graviter delinqui, diem a die superstitiose distinguere.

Satis ad hæc omnia argumenta responsum videtur; sed cum responsio hoc genus hominum non convicerit, rogantur Sorbonæ Domini, ut ad has objectiones accurate respondeant.

RESPONSIO.

Doctores Theologi subscripti ad difficultates propositas respondentes existimant;

Quoad primam, doctrinam hanc (*Ecclesiæ Præcepta non obligant sub mortalis peccati pœna*) tolerari non posse, ac dignam esse, cui censuræ nota inuratur in sensu Lutheri, qui Leges condendi, & Fidelium conscientiam ligandi facultatem omnem Ecclesiæ adimit. At si ea accipiatur in sens. Gersonis, poterit tolerari, dummodo cum præcisione explicetur, neque falsæ consecutiones inde eruantur; vide ejus Librum *de vita spirituali lect.* 4. vide etiam Almainum *in Libro de potestate Ecclesiastica*. Potest ea quoque sustineri in plurium Theologorum sententia, contendentium Ecclesiæ Præcepta tum solum sub mortalis culpæ pœna obligare, cum contemptus inobedientiæ conjunctus existit. Eademque est vero consona in eorum sensu, qui dicunt omnia Ecclesiæ Præcepta sub peccati mortalis pœna non obligare.

Quoad secundam, facta hypothesi, existere, qui adeo sibi persuaserint doctrinam hanc in sensu Lutheri, ut sibi, quod ajunt, contrarium persuadere omnino non possint; in hac facti specie primo necesse fore eos juridice hujus erroris convinci, cum

vero

vero juridice declarati fuerint attenti & convicti, opus fore Sacramenti Pœnitentiæ administrationem iis interdici; quia porro hi ipsi fatentur eos minime absolvendos esse, qui Ecclesiastica Præcepta violandi voluntatem retinent, est, cur credantur non aliud sentire, quam quod Gerson, qui ita pronunciat: *nulla transgressio legis naturalis aut humanæ, ut naturalis est & humana, est de facto peccatum mortale, &, omissio Horarum Canonicarum, transgressio jejuniorum Ecclesiasticorum, & generaliter omnium statutorum, & Regularum, & Canonum, nunquam est mortale peccatum, nisi pro quanto divinæ legi præcipue dissonans invenitur; & ita quantum lex aliqua habet admixtum de lege divina præceptiva, tantumdem & non amplius est ejus transgressio mortaliter vitiosa; & si aliqua lex humana canonica vel civilis non possit concludi ex lege divina, nisi coassumendo propositionem, vel consequentiam legi divinæ impertinentem, consequenter impertinens est, an transgressio illius legis sit mortalis, an non mortalis*. Quibus tamen addit: *occurrente dubio probabili de aliqua lege, utrum divina sit, an divinæ connexa seu pertinens, tutius est legem illam pro divina suscipere, quam humanam negligere. Tene certum, consulit Augustinus, & dimitte incertum. Est itaque regula Magistralis, quod exponens se discrimini peccati mortalis peccat mortaliter.* Idem Gerson ex his principiis ita concludit: *ex hoc quod aliquis peccavit mortaliter transgrediendo constitutiones aliquas humanarum traditionum, non sufficienter concluditur, quod illæ constitutiones obligent ad mortale delictum*, propterea quod *ex mutua colligatione & mixtione, quam ad leges divinas habent, resultat crimen faciens reos æternæ damnationis ipsos contemptores*. Potest etiam poni tanquam certum his hominibus persuasum esse, Ecclesiæ Præcepta in contemptus casu sub gravi obligare, atque id in causa esse, cur eadem violandi voluntatem retinentibus absolutionem denegent. Asseri ad extremum potest hos ipsos credere, jure dici posse in facti specie, de qua agitur, nullum occurrere grave peccatum quoad Tonsores, aliosque, quos necesse est ad vitæ sustentationem iis ipsis diebus laborare. Ad Tonsores sane quod attinet, cum fere soleant, qui eorum opera indigent, diebus Dominicis & Festis se ad ipsos conferre, in comperto est, eos, qui iis diebus suas officinas clauderent, quamprimum ad mendicitatem redactos iri.

Sane si Episcopus nixus Magistratus auctoritate mandaret universis & singulis huic arti deditis, ne diebus festis operarentur, & mandatum hoc fideliter custodiretur, ejus violatores omni prorsus excusatione carerent. Verum hac schedula nondum instituta & custodita, nemo privatus tenetur ei se subdere cum adeo gravi incommodo, ut inde tum ipse tum ejus familia fame periret. Qua in re animadversione dignum est cum D. Thoma non omnem laborem ad vitam tuendam absolute necessarium censendum esse opus pure servile 2. 2. q. 122. art. 4. *Opera corporalia ad Spiritualem Dei cultum, in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes; in quantum vero sunt communia servis & liberis, servilia non dicuntur; quilibet autem tam servus, quam liber tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed etiam proximo, præcipue quidem in iis, quæ ad salutem corporis pertinent.*

Quoad quæstionem tertiam, Episcopum debere facile dispensare in Ecclesiæ Legibus, cum adest causa legitima, multorum autem prævaricationem causam legitimam non esse; at quoad Tonsores, legitimam causam suppetere cum iis dispensandi, qui ad Ecclesiæ parendum animo comparati non haberent, unde subsisterent, nisi diebus festis operarentur, quia aliis ejusdem artis hominibus operantibus, non ipsis diebus cæteris plus laboris esset. Quod si Magistratus de Ecclesiasticæ constitutionis executione sollicitus impediret, ne quis ex hoc hominum genere diebus Dominicis & festis operaretur; tunc multorum prævaricatio dispensationis legitima causa non esset. Eadem est aliorum ratio, quæ in Expositione his verbis significata sunt, *& alia non necessaria*.

Quoad quartam, de Molitoribus idem sentiendum, cum illi non satis aquæ & venti aliis hebdomadæ diebus habent, aut ni laborarent, non possent tritici ad eos allati farinam opportune conficere; in his enim duobus casibus eorum opera necessaria est, & proinde excusabilis & licita. Idem statuendum de Pistoribus; etenim illi tum quia respublica pane opus habet, tum quia ipsorum maxime interest ad se accedentibus obsequi, laborare permittuntur. Hæc regula extenditur ad Lanios, Caupones, aliosque id genus homines. Ad Mercatores quod attinet, si adesset necessitas, opus esset indulgentia; at nulla fere necessitas adest.

Quoad quæstionem quintam, Ecclesiæ menti conformius esse, quantum fieri potest, imminui Festorum numerum, ut Fideles, quæ supersunt, Festa sanctius colant. Ejus rei ratio occurrit *in opusculo tripartito post Lateranens. concil. sub Innocentio III. apud Crabrum*; apud Nicolaum *de Clemangis opuscul. de novis celebrationibus non instituendis*; apud Gersonem *Concione, quam habuit in Concilio Remensi an.* 1408. *in statutis Synodalibus Joan. Ep. Meld. an.* 1493. *in Synodo Senonensi* 1524. *in Statutis Aurel.* 1525. *Carnot.* 1526. *Tolos.* 1521. *Bellov.* 1531. *in Concil. Turon.* 1549. *in Statutis Valentin.* 1558. *Concil. Camerac.* 1563. *Statut. Audomar.* 1583. *Aurel.* 1587. *in Clemente VIII. apud Cardinalem d'Ossat, Epistola data* 18. *Januar.* 1599. *ac denique in Bulla Urbani VIII.* 1642. *quæ incipit, Universi*. Hoc principio nixus Antissiodonensis Episcopus plura Festa a suis Antecessoribus instituta abrogavit; eademque de causa Clemens VIII. plura a Gallicanis Episcopis abolenda censuit, retentis Festis Domini Nostri, Sanctæ Virginis, Apostolorum, præcipuorumque Sanctorum; licetque juxta hunc Pontificem in Galliæ Episcopatibus abrogari Festa Octavæ S. Sacramenti, Inventionis & Exaltationis sanctæ Crucis, S. Marci, S. Lucæ, S. Barnabæ, S. Nicolai, Sanctorum Innocentium, Sancti Lodovici, Sanctæ Annæ, Sanctæ Magdalenæ, Sanctæ Catharinæ, Sanctæ Genevesæ, atque alia complura.

Ex hoc capite nostri Præsules abrogarunt aliquot Festa contenta cap. *Pronunciandum de consecrat. dist. 3. ut conquestus de Feriis*. Rogationes, hebdomadam Sanctam, quæ olim universa festa erat, quatuor postremos dies Paschalis hebdomadæ, Feriam tertiam Pentecostes, Conceptionem Virginis, dies S. Michaelis, S. Barnabæ, S. Thomæ, S. Matthæi, S. Jacobi Majoris, S. Martini, S. Sylvestri.

Quoad quæstionem sextam, in Festorum aliquibus, quæ servari utile esse crederet Episcopus, posse ipsum Populis permittere, ut, audita tamen Missa, quod reliquum esset diei, laborarent. Id moris obtinet in Remensi Diœcesi in Festis Innocentium, Magdalenæ, S. Michaelis, & S. Matthæi, ut constat ex Rituali an. 1585. *Usque post Missam*: obtinet etiam in Diœcesi Catalaunensi; quiquidem unus est ex articulis, quos memorat Cardinalis d'Ossat epistola jam appellata.

Quod spectat ad fundamentum, quo ii, quibuscum res est, opinionem suam fulcire dicuntur, animadvertendum est, Christum quidem nobis sanguine suo libertatem comparasse, cum nos ab omnibus legalibus cæremoniis liberavit, & Christiani hominis cultum interiorem & spiritualem esse oportere, at id non obesse, quominus etiam exterior & corporalis esse debeat; ex quo fit, ut sacrificium, Sacramenta, Officium divinum, & plures alias exteriores praxes habeamus. Libertas hæc in eo sita est, ne omnino, quod Christus præcipit, servetur in spiritu timoris & servitutis, sed in spiritu charitatis, quæ a libertate sejungi nequit juxta hoc Oraculum: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*.

Christiani porro nequam debent ut boni Ecclesiæ parere ex motivo charitatis, nec servili timore contenti esse; si secus faxint, & eorum obedientiam inficiat superstitio, id repugnat intentioni & ordini Ecclesiæ, quæ docere non desinit Deum Spiritum esse, & velle adorari in spiritu & veritate. Ei injuriam infert, qui ipsius Legibus id, quod S. Paulus de Mosaica Lege dixit, accommodat, nempe Jesum Christum nihil iis prodesse, qui ejus cæremonias observant, quoniam Ecclesia nec præcipit nec tolerat cæremonias nec cessat filiis suis inculcare, servanda iis esse præcepta tum divina, tum sua in spiritu Legis novæ, scilicet fide viva, firma spe, atque ardenti charitate; quoniam sine charitate Christianus nihil est, nihilque meretur, quicquid egerit.

Temere quoque prætenditur Ecclesiæ benignitatem longe majorem esse, quam ut sub damnationis pœna obligare velit ad quædam facienda, quæ suapte natura sunt indifferentia, quandoquidem idem de Deo ipso asseri posset, dum protoparentes nostros de fructu & ligno vitæ edere vetuit. Quod si ii, de quibus agitur, adhærent Gersonis sententiæ, respondetur, in ipsorum hypothesi graviter tum solum delinqui, cum qui Ecclesiæ præcepta violat, eodem tempore divinum aliquod præceptum transgreditur, jam vero diei dominicæ sanctificatio fundamenti loco habet præceptum illud, quo tenemur indentidem Deo latriæ cultum, qui ipsi debetur, exhibere: *Lex divina*, inquit Gerson, *vult, ut aliquando cultus latriæ exterior Deo persolvatur. Ne igitur homines peccent aut per ignorantiam, aut per desidiam, aut per inadvertentiam, licuit Ecclesiæ præcipere certum tempus & certum modum exequendi præceptum, velut diem Dominicum, & cessationem ab operibus servilibus, & Missæ auditionem &c.* Sin aliorum Theologorum sententiæ subscribunt, ajentium contemptum requiri, ut Ecclesiastici præcepti transgressio lethalis sit, nonne jure asseri potest hanc transgressionem cum contemptu conjunctam esse, quoties frequens est, & nulla subest legitima causa, cur illud non observetur?

Adversus rationem eam, quam quarto loco proponunt, videlicet octo & amplius Sæculorum spatio eam fuisse Ecclesiæ praxim, ut ne in ejusmodi festis diebus ab operibus servilibus abstineretur: opponuntur Concilium Laodicenum *c.* 29. Lex *Omnes . . . . . . cap. de Feriis*, Constitutio 54 Imperatoris Leonis, tertia Synodus Aurelianensis *cap.* 18. Concilium Antissiodunense c. 26. Maconense c. 1. Edictum Regis Gontrami post concilium, Concilium Narbonense *cap.* 4. Catalaunense *cap.* 18. Statuta Tonnacii Archiepiscopi Rhemensis, & Bonifacii Moguntinensis, Concilium Wormatiense *cap.* 14. & Aquisgranense sub Carolo Magno *l.* 1. *cap.* 18. Capitularium 24. Theodulphi Episcopi Aurelianensis, Concilium Arelatense VI. *cap.* 16. Moguntinense cap. 37. Capitularia 88. & 188. Libri S. Caroli Magni; Concilium Rhemense *II. cap.* 35. Turonense tertium *cap.* 40. Parisiense sextum *cap.* 50. Atto Basilem ad octavum Capitularium; *Herald* Turonis ad secundum Capitularium; Vauterius Aureliani ad vicesimum quintum Capitularium; Atto Vercellensis ad septuagesimum Capitularium.

Ei vero conclusioni, quæ ducitur ex eo loco, in quo Sanctus Paulus inter diem & diem distingui, diesque observari prohibet, quasi vero vetet Apostolus, ne diebus dominicis & festis ab operibus servilibus abstineatur: opponitur sanctus Hieronymus ad hunc ipsum Apostoli locum Commentario in quartum caput Epistolæ ad Galatas, ubi hanc objectionem sibi proponit: *Si dies observare non licet & menses & tempora & annos, nos quoque simile crimen incurrimus quartam Sabbati observantes, & parasceven, & diem Dominicum, & jejunium Quadragesimæ, & Paschæ festivitatem, & Pentecostes lætitiam, & pro varietate regionum diversa in honorem Martyrum tempora constituta*; cui quidem objectioni occurrit duplici responsione, altera, quam simplicem asserit: *Ad quod qui simpliciter respondebit, dicet non eosdem Judaicæ observationis dies esse ac nostros: Nos enim . . . . non Azymorum Pascha celebramus, sed Resurrectionis & Crucis, nec septem juxta morem Israel numeramus hebdomadas in Pentecoste, sed Spiritus Sancti veneramur adventum; & ne inordinata congregatio populi fidem minueret in Christo, propterea dies aliqui constituti sunt, ut in unum omnes veniamus: non quo celebrior sit dies, in qua convenimus, sed quo quacumque die conveniendum sit, ex conspectu mutuo major lætitia oriatur.* Altera responsio, eademque subtilior ejusmodi est: *Qui vero apposite . . . . quæstioni acutius respondere conatur, illud affirmat: omnes dies æquales esse: nec per parasceven tantum Christum crucifigi, & die Dominica resurgere, sed semper Resurrectionis esse diem, & semper (Christianum) carne vesci . . . . . . Dominica. Jejunia autem & congregationes inter dies a viris prudentibus constitutos propter eos, qui magis sæculo vacant, quam Deo; nec possunt, imo nolunt toto in Ecclesia vitæ suæ tempore congregari, & ante humanos actus Deo orationum suarum offerre Sacrificium. Quotus est quisque, qui saltem hæc pauca, quæ statuta sunt, orandi tempora, vel jejunandi semper exerceat? Itaque sicut nobis licet vel jejunare semper & semper orare, & diem Dominicum accepto Domini corpore indesinenter celebrare: non ita & Judæis fas est omni tempore immolare Agnum, Pentecosten agere, Tabernacula figere, jejunare quotidie.*

Opponitur etiam divus Augustinus, qui *cap.* 16. *contra Adimantum* occurrens objectioni, quam hic Manichæus ei proponebat ex eodem Apostoli testimonio, quod corrumpebat ponens *Sabbata*, ubi legitur, *annos*, ei respondet: *Non enim nominat ibi Sabbatum Apostolus: dicit enim, dies observatis & annos*, &c. *Sed putat esse de Sabbato dictum. Numquid & nos non dicimus ista non esse celebranda, sed illa potius, quæ his significantur? Illi etiam serviliter ea observabant, non intelligentes, ad quarum rerum significationem & prænunciationem pertinerent, hoc in eis culpat Apostolus, & in omnibus, qui serviunt creaturæ potius quam Creatori. Nam & nos quoque & Dominicum diem & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias dierum festivitates: sed quia intelligimus, quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus.* Et infra: *Sabbati quietem non observamus in tempore, sed signum temporale intelligimus & ad æternam quietem, quæ illo signo significatur, aciem mentis intendimus.*

Ad id vero, quod in expositione animadvertitur, personas, de quibus est querela, in medium afferre aliquot Patrum loca, & ipsorum quidem judicio potissimum Augustini; respondetur nullum Sancti Augustini textum existere, quo asseratur licere Dominicis Festisque diebus vacare servilibus & manualibus operibus; sed quicquid apud Augustinum occurrit, ad tria redigi.

Primum est, in duobus sermonibus, qui dubii sunt, nec ejus esse creduntur; ita vero ibidem legitur; unus est 215. de tempore: *Omni die Dominico ad Ecclesiam convenitis: Si enim infelices Judæi tanta devotione celebrant Sabbatum, ut in eo nulla opera exerceant; quanto magis Christiani in die Dominico soli Deo vacant, & pro animæ salute debent ad Ecclesiam concurrere.* Horum Sermonum alter est 251. *de tempore: ideo a Sanctis Patribus constitutum est Christianis, & mandatum, ut in solemnitatibus Sanctorum & maxime in Dominicis diebus otium haberent, & ab omni negotio vacarent, ut paratiores & promptiores essent ad divinum cultum, cum non haberent, quod eos unde retardaret, incommodum.* Et infra: *Dies Dominicus appellatur, ut in eo ab omnibus operibus, vel mundi illecebris abstinentes, tantum divinis cultibus serviamus.* Et rursus: *Videamus, ne otium nostrum vanum sit, sed a vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici sequestrati a rurali opere & ab omni negotio, soli divino cultui vacemus.*

Alterum, quod occurrit in Sancto Augustino, est, in Libris, qui dubio procul genuini sunt, tradi diem Dominicum Deo sacratum esse ob Jesu Christi Resurrectionem, atque ea de causa festum esse. En ejus Epistolam 119. *cap.* 19. *Dies tamen Dominicus non Judæis sed Christianis Resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cœpit declarationem suam.* Sermone 15. de verbis Apostoli ait, Resurrectio Jesu Christi *consecravit nobis Dominicum diem. Qui vocatur Dominicus, ipse videtur ad Dominum pertinere, quia eo die Dominus resurrexit.* Et cap. 16. Libri contra Adimantum: *Nam nos quoque & Dominicum diem & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festivitates.* Qua in re duo licet animadvertere; primum est, a Divo Augustino diei Dnminici originem ad Judaicum Sabbatum non referri, neque ipsum dicere ab operibus servilibus & manualibus eo die vacandum esse, propterea quia Judæi die Sabbati ab iisdem abstineant, neque item laborandum Dominicis diebus esse, ut otio, quod die Sabbati Judæi servant, nos opponamus. Alterum est, diem Dominicum evasisse diem festum, diem solemnem, diem peculiari titulo Domino consecratum, quia Domini Nostri Resurrectio ei ortum dedit; ex quo necessaria consecutione conficitur, ea die non servilibus & profanis negotiis, sed solum divino cultui vacare licere. Quemadmodum enim vas sacrum ad profanos usus transferri non potest, ita nequit in profanis rebus impendi dies solemnis & festus, divino cultui peculiariter consecratus.

Sæ-

Sæpenumero Divus Augustinus ad litteram explicat tertium Decalogi præceptum de Sabbato, quin illud unquam ad diem Dominicum referat. Neque enim dubitat pronunciare, præceptum hoc ad nos non spectare nisi tanquam præceptum figurativum, & quietem, quæ in eo imponitur, continere quoad Christianos solam a peccato cessationem, quæ ipsis affert Spiritalem quietem, quæ in Deo reperitur, & cujus Judæorum quies tantummodo figura erat. Quamobrem in Epist. 119. cap. 12. hæc habet: *Inter nostra illa decem præcepta solum ibi quod Sabbato positum est, figurate observandum præcipitur. Quam figuram nos intelligendam non etiam per otium corporale celebrandam suscepimus.* Et infra: *Observare tamen diem Sabbati non ad litteram jubemur, secundum otium ab opere corporali, sicut observant Judæi: & ipsa eorum observatio, quæ ita præcepta est, nisi aliam quamdam Spiritalem requiem significet, ridenda judicatur.*

In Præfatione Libri, qui inscribitur *Speculum*, *Horum autem*, inquit, *quæ jubendo & vetando scripta sunt, alia sunt Sacramentorum velata mysteriis, quæ multa veteris testamenti populo illi facienda mandata sunt, neque a populo Christiano nunc fiunt, sed tantummodo intelligenda requiruntur atque tractantur, sicut est Sabbatum ob visibilem vacationem, sicut azymus in pane sine fermento, Pascha in ovis occisione, &c.* Et cap. 3. *libri de utilitate credendi: In quibus tamen Legis præceptis atque mandatis, quibus nunc Christianos uti fas non est, quale vel Sabbatum est, vel circumcisio, vel sacrificia, & si quod hujusmodi est, tanta mysteria continentur, ut omnis pius intelligat nihil esse perniciosius, quam quicquid ibi est, accipi ad litteram, id est ad verbum: nihil autem salubrius, quam spiritu revelari.* Capite 9. Libri 19. contra Faustum. *Cum quæris, Sabbati otium cur non observat Christianus, si Christus non venit solvere legem, sed adimplere? Respondeo, imo id propterea non observat Christianus, quia quod ea figura prophetabatur, jam Christus implevit: in illo quippe habemus Sabbatum, qui dixit: venite ad me omnes, qui laboratis, &c.* Sermone quarto in psalmum 32. *Observa diem sabbati non carnaliter, non Judaicis deliciis, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim utique tota die foderent, quam tota die saltarent: sed tu cogitans requiem in Deo tuo, & propter ipsam requiem omnia faciens, abstine ab opere servili; omnis enim, qui facit peccatum, servus est peccati, & utinam hominis & non peccati,* In Psalmum 91. *Ecce & hodiernus dies Sabbati est. Hunc in præsenti tempore otio quodam corporaliter languido & fluxo, & luxurioso celebrant Judæi, vacantes ad nugas: & cum Deus præceperit observari Sabbatum, illi in his, quæ Deus prohibet, exercent Sabbatum: vacatio nostra a malis operibus; vacatio illorum a bonis operibus est: melius est enim arare, quam saltare: illi a bono opere vacant, ab opere nugatorio non vacant. Nobis indicit Sabbatum Deus. Quale? Primo ubi sit, videte. Intus est in corde Sabbatum nostrum; multi enim vacant membris, & tumultuantur conscientia. Omnis homo malus Sabbatum habere non potest; nusquam enim illius conquiescit conscientia, & necesse est, ut in perturbationibus vivat: cui autem bona est conscientia, tranquillus est, & ipsa tranquillitas Sabbatum est cordis.* Tractatu tertio in Joannem: *Observa diem Sabbati. Magis nobis præcipitur, quia spiritualiter observandum præcipitur; Judæi enim serviliter observant diem Sabbati ad luxuriam & ebrietatem; quanto melius feminæ eorum lanam facerent, quam illo die in foro saltarent: Absit, fratres, ut illos dicamus observare Sabbatum. Spiritualiter observat Sabbatum Christianus, abstinens se ab omni opere servili. Quid est enim ab opere servili? A peccato. Et unde probamus? Dominum interroga: omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Ergo & spiritualiter præcipitur observatio Sabbati.* Et Tractatu 44. *Sabbatum spiritale hoc est non habere peccatum. Denique, fratres, hoc admonet Deus, quando commendat Sabbatum. Omne opus servile non facietis in eo. Hæc sunt verba Dei commendantis Sabbatum; jam superiores lectiones interrogate, quid sit opus servile, & Dominum audite: omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.*

Constat ex his omnibus textibus, quibus præceptum diei Sabbati, quo Judæi tenebantur ab operibus servilibus abstinere, Divus Augustinus explicat, in universo Decalogo hoc solum præceptum a Christianis ad litteram servandum non esse, sed ad sensum mysticum; hunc porro mysticum sensum eum esse, ut Christiani in Jesu Christo suam quietem habeant, & quoniam die Sabbati Judæis præcipiebatur otium corporale, mandari Christianis, ut in sancto spiritali otio, quod est abstinentia ab operibus peccati, persistant.

Ea vero omnia testimonia, quæ ab iis objiciuntor, qui Ecclesiæ Præcepta sub peccati mortalis pœna non obligare contendunt, illud quidem evincunt, Christianos non teneri servare diem Sabbati, qui non nisi Judæis impositus est, & quietem corporalem, cui illi ea die vacant, non eam esse, quam Deus requirit a Christianis, quibus ea tantum opera servilia sunt, per quæ se peccati servos constituunt, & a quibus abstinere debent non solo die Sabbati, sed omni vitæ suæ tempore, cum ipsis nunquam liceat peccato se dedere, quod eos omnes captivos efficit, qui illud perpetrant; sed ea ipsa testimonia non destruunt textus ipsius Sancti Augustini, dicentis expressis verbis, diem Dominicum ob Domini Nostri Resurrectionem institutum & consecratum esse, & Christianos teneri ejus solemnitatem servare, & alios dies festos celebrare, quos Ecclesia statuit, honorandi gratia Domini Nostri Mysteria. Idem sanctus Pater de Passionis, Resurrectionis, & Pentecostes diebus festis verba faciens docet, merito credi Apostolos eorum primos institutores fuisse, quia eorum institutio aliunde non constat, & semper in Ecclesia servati sunt. Illud etiam ex ejus principiis unum est, non posse nisi temere in dubium revocari, aut rejici consuetudinem, quæ in Ecclesia semper & universim obtinuit. Quod si huic animadversioni addantur Canones Conciliorum, quæ jam laudavimus, & quæ jam inde a primis temporibus diei Dominici, & aliquot aliorum festorum celebrationem ita præceperunt, ut communione privarent eos, qui absque legitima causa per tres dies Dominicos Congregationibus iis diebus in Ecclesiis fieri solitis non interfuerint, facile concludi licebit, sententiam ajentium Ecclesiam sub peccati mortalis pœna nihil præcipere, generatim falsam esse, atque oportere, ut Episcopus revocet eorum facultates, qui ab ea recedere nolunt, ut doctrinam vulgo in Ecclesia receptam amplectantur.

Decisum in Sorbona die... Septembris an 1669.
Aug. *de Lamet*.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

PRÆDA EX HOSTIBUS.

CASUS.

1 *In bello justo Piratæ, qui Principis Mandato gaudent, possunt mari in Hostes excurrere, eorumque spoliis potiri.*

2 *Quod in bello justo captum est, non est ipsum per se charitati contrarium, nec in rerum raptarum numero ponendum est id, quod ii cepere, qui piraticam faciunt.*

QUÆSITUM.

Belli tempore Mandata Rex sancit, quorum vi nonnulli, instructa Navi, vela dant, & in Regni Hostes excurrunt; si quam Navim ceperint, & in portum traxerint, prædam dividunt, & lucrantur multo plus, quam Navim ad cursum instruentes expenderint.

Quæritur, an ejusmodi lucrum legitimum sit? Iis sane Regis auctoritas præsto est, & publico bono student; verum nihilne in hoc negotio odiosum est, & cha-

& charitaei contrarium ? Ac nonne dici posset id non parum ad artem accedere, quam fures exercent, ac proinde legitimam hanc acquirendi rationem non esse ?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in justo bello Piratas, qui annuente Principe Regni Hostes mari insectantur, posse in eosdem irruere, & spoliis inde perceptis frui. Mos hic nititur jure gentium, eoque Principes uti solent, ut Hostes suos, a quibus aut non mediocri damno, aut gravi injuria affecti fuerunt, ad reparationem adigant. Itaque Hostium ditionem, & privatos, qui eam componunt, ejusque membra sunt, impeti sinunt; tam vero licet eorum personis, ac bonis potiri, siquidem capi possint. Eo nimirum bellum spectat, ut pax servetur, ac firma reddatur, utque justitia, & æqualitas, quæ inter homines existere debet, restituatur; eoque ipsi sunt ducendi vi, si sa rationi non dedant.

Quamobrem in bello justo Hostibus, cum capi possunt, libertas adimitur, atque adeo potiore jure propriis bonis spoliari possunt, ut exnerveatur, & imminentium malorum metu eo demum adigantur, ut læso Principi debitam satisfactionem exhibeant. Hoc sane principio nititur illud Juris: (a) *si quid est in bello captum, est in præda, & non post Domino redit*. Adhærent sententiæ huic omnes fere Theologi; qua de re consuli possunt Sylvius, Duval, Bassæus, Diana, aliique apud ipsos, asserentes in bello justo licere in hostes excurrere.

Id igitur fit consequens, id quod belli justi tempore captum est, suapte natura charitati non repugnare, nisi forte ob aliquas circumstantias præda illicita ac mala efficiatur; nec publicorum Hostium spolia ab iis capta, qui, Principe facultatem concedente, piraticam faciunt, tanquam furta spectanda esse, & quod inde consequitur, legitime retineri posse.

Decisum in Sorbona hac die 2. Februarii an. 1705.

G. *Fromageau*,

PRÆMONSTRATENSES.

PRæmonstratenses sunt Religiosi Canonici Regulares, ita dicti ab Abbatia, quæ eorum Ordinis Caput est, sita in Picardia, & Ecclesiam administrante Calisto II. & Ludovico Crasso regnante a S. Norberto, Magdeburgensi deinde Episcopo an. 1119. instituta. Bartholomæus Episcopus Laudunensis huic sancto Viro auctor fuerat, ut S. Martini Abbatiam sua in Urbe administrandam susciperet: sed cum Canonicos ad reformationem amplectendam ægre adduci posse animadverteret, recessit, Præmonstratumque acceptavit, ubi discipulos collegit numero tredecim, qui die ipso Natalis Dominici an. 1122. professionem ediderunt.

Bonis hisce Religiosis initio quidem non nisi ex sectione lignorum Sylvæ *de Couci* omnis reditus existebat; eorum unus quotidie Laudunum mane petebat, ligna pridie secta venditurus, perceptaque pecunia panem emebat; sed brevi temporis spatio evaserunt opulentissimi, annoque ab Ordinis fundatione non amplius trigesimo extitit generale Capitulum ex Galliæ ac Germaniæ Monasteriorum Abbatibus prope centum; atque in Germanis potissimum Præmonstratensibus ingens opum vis accessit, Brandeburgensis, Havelbergensis, & Ratzburgensis Episcopi ex hujus Ordinis Religiosis esse debebant, & ab earumdem Cathedralium Canonicis eligebantur, qui & ipsi eumdem Ordinem profitebantur, nec ab iis tamen pendebant, sed a Sanctæ Mariæ Magdeburgensis Præposito, qui in ejusmodi Canonicos, & Abbatias tredecim omnimoda spirituali jurisdictione pollebat, nec omnino Generalis Præmonstratensis Abbatis jurisdictioni subdebatur. Certum quoque fit hujus Ordinis Abbatias ad sexagesimum quintum usque numerum excrevisse per Italiam, in qua nunc temporis ne una quidem existit; atque ubique gentium ejusmodi Monasteria tot extiterunt, ut Abbatiæ mille, tercentæque Præpositurae, sine Prioratibus, in triginta quinque Cyrcarias seu Provincias divisæ numerarentur.

Cum porro puellæ, ac viduæ longe plurimæ S. Norberti regulam, ipso duce ac magistro, amplecti vellent, eas ille perinde ac viros excepit, & antequam e vita migraret, ultra Religiosarum decem millia in suum Ordinem cooptavit, quas inter e primario gradu non defuere. Dum sanctus Fundator in vivis esset, utriusque sexus personis, non nisi claustrali pariete sejunctis Monasteria communia fuerunt; sed Fortunatus Hugo Fossezius ejus successor in Capitulo an. 1137. habito statuendum curavit, ut Moniales in alia domicilia transferrentur, ibique Monasteriorum virorum, e quibus egrestæ fuissent, impensis alerentur. In Gallia quidem his temporibus non amplius existunt, cum Abbates, ut earum redditibus potirentur, Novitias recipere detrectaverint; at in Germania vigere hujus Ordinis Conventus plures, & nonnullorum ejusmodi Monasteriorum Abbatissæ Principissæ supremæ sunt; nec desunt in Hispaniis, quæ quidem hujus Cyrcariæ Vicario generali subduntur.

Carnis abstinentia, omninoque omnis S. Benedicti Regula ad annum usque 1245. sancte religioseque servata est; tum vero cœpit fervor pristinus defervescere, annoque 1288. Nicolaus IV. Religiosis itinerantibus carnis usum concessit; sed gratiam hanc & sedentarii sibi arrogarunt, eademque re ipsa usi sunt, ut proinde Pius II. an. 1460. opus esse crediderit, ut in abstinentia cum Ordine dispensaret, additis aliquibus clausulis, quæ in communis Observantiæ Familiis etiamnum vigent. Paulo ante, scilicet an. 1438. Abbatibus ad generale Capitulum profecturis mandaverat Eugenius IV. ut strenue ad Ordinis universi reformationem incumberent; verum seu quod ejusmodi Decretum executi non essent, seu aliqua alia de causa Hispanica Cyrcaria prorsus a regulari disciplina deflexit, & anno tantum 1573. tanto malo remedium afferri cœptum est. Cyrcaria hæc in præsentia peculiarem Congregationem constituit; Abbates, qui antea perpetui erant, ibi triennales sunt, nec possunt in iisdem Monasteriis continuari; & Vicarius Generalis, qui Abbas esse non debet, eadem, ac Generalis, potestate gaudet, nisi is quidem in Hispaniis existat.

Alia Congregatio, in qua primitiva Præmonstratensis disciplina servatur, instituta fuit Lotharingia ineunte sæculo XVII. Patribus Daniele, Picartio, & Servasio Larvelsensi adlaborantibus. Ejus Constitutiones an. 1617. approbavit Paulus V. & an. 1621. Ludovicus XIII. iis per Patentes Litteras die 2. Februarii permisit, ut in omnibus Monasteriis, quæ quidem assentiri voluissent, reformationem instituerent. Ejus Congregationis Generalis Vicarius, ad cujus electionem quoque triennio devenitur, Superior & Judex immediatus est, Capitulum quotannis habetur, cui quidem Abbates, & Priores interesse tenentur.

Qui

(a) Digest. Tit. 15. l. 58. de captivis Sylvius 2. 2. q. 40. art. 1. Duval de carit. q. 16 art. 5. Bassæus v. Bellum Diana 6. p. tr. 4. de bello.

Qui hanc reformationem amplexi sunt, tum propria domicilia, tum Parochias possidendi jus retinuerunt, sed cum proprii Generalis jugum excutere, & pro suo ipsorum arbitratu vivere Parochi vellent; ex sequenti Constitutione, quam hujus Ordinis Reverendus Abbas edidit, licebit intelligi, quo usque eorum Religiosorum licentia progressa fuerit, cum Parisios agendarum rerum causa venirent, omnino renuentes in Ordinis Ædibus degere, sed domicilium in Diversoriis, aliisque in locis quærentes.

Explorata est super hoc negotio Sorbonicæ Facultatis sententia, decisumque est in Abbatis favorem, qui suspensionem, excommunicationem, atque adeo carcerem iis est minitatus, qui, quam ipse super ea re sanctionem ediderat, exequi noluissent. Huc nimirum spectant ea, quæ subduntur, monumenta, inter quæ occurrunt Sorbonicorum Doctorum decisio, & Regis quoad eorumdem Præmonstratensis Ordinis Parochorum institutionem ac revocationem Declaratio.

Præmonstratensis Abbatis Epistola ad Germanum Fromageau.

DOMINE,

Noster Pater prior Parisiensis Collegii tibi significavit, quid nos egerimus, ut Religiosos nostros Lutetiam Parisiorum venientes in dicto Collegio nostro degere cogeremus; & nos quidem Constitutionem hanc tanquam nostri Ordinis disciplinæ, & publicæ ædificationi maxime accommodatam spectavimus, eamdemque deinde suæ Majestatis intentioni conformem deteximus.

Ille quidem, Domine ad me scribit, se ex te quæsivisse, quid de Censurarum, quas nostro nos Decreto addiximus, validitate sentires, teque sibi respondisse Censuram sententia tua recte inflictam esse, ac Legis transgressores dubio procul in eam incidisse.

Sed eodem tempore mihi significat, ex Beneficiatis nostris non deesse, qui Constitutioni huic reluctentur, quique tibi libellum supplicem exhibuerint, quo se a Censuris Decreto nostro appositis immunes esse contendunt, quippe qui sint a Jurisdictione nostra veluti emancipati, & Episcoporum potestati subdantur, nobisque suorum Curialium munerum exercitium Censuris ullis turbare atque impedire minime liceat.

Quamvis autem noster Pater Prior jam responderit, & ut nullus dubito, cumulatissime ac diligentissime; id tamen quoad rectum ordinem, nostramque disciplinam tanti momenti est, ut non possim, Domine, quin tibi novam molestiam afferam, teque orem, obtesterque, ut, dum adeo Ecclesiæ bono vacas, momentum tamen temporis legendis meis in horum Religiosorum sententiam animadversionibus tribuas.

Tantum abest, ut illi a Superiorum suorum Regularium Jurisdictione emancipati sint, ut potius ad eosdem Superiores spectet temporis distributionem ipsis præscribere, eorumque sociorum functiones moderari, ut otium effugiant, sibique a temporis jactura caveant: *Pastoribus eorumque sociis distributionem temporis præscribant* &c. ut etiam eos, utpote jurejurando obstrictos possint, cum ipsis videbitur, ad Claustra revocare: *Nullus etiam quantumvis idoneus ad Pastoralem Curam promoveatur, nisi præstito prius juramento, quod, quandocumque Abbati, vel Vicario, vel Visitatori necessarium, vel expediens visum fuerit, ad Monasterium revertetur. Stat. dist. 2. cap. 23. de Pastoribus.*

Quamvis autem posteriorum Rescriptorum sanctione Rex nobis mandaverit, ut in Parochorum nostrorum revocatione Episcoporum consensum obtineremus; nobis tamen non proinde in eorum personas ac mores Jurisdictionem ademit, & quod inde consequitur, dubitari non potest, quin illi Censuris subjecti sint, quas nos ad disciplinæ bonum, ac Religionis nostræ firmitatem infligimus.

Firmum igitur constansque est non eam Religionis nostræ vim ac rationem esse, ut ii semper in Parochiis relinquantur, & nos omnino privemur jure, quod in eorum tum personas tum mores, editorumque votorum executionem nobis competit.

Tridentina Synodus *Sess.* 25. *cap.* 11. ita rem definivit, ut nempe Parochi regulares subdantur Episcopis, ad animarum regimen, & Sacramentorum administrationem quod attinet; verum quoad personas, mores, observantiam, suis superioribus subsint; quia enim Parochi sunt, non ideo quoad ejusmodi obligationes dispensatione, vel emancipatione gaudent, sed semper Religioni devincti sunt vinculo solemnis & ineluctabilis obedientiæ, qua propria statuta, propriamque Regulam servare coguntur.

Atque hæc Parochorum a suis Superioribus personalis dependentia tanta est, ac tam late patet, ut per Statuta Superiores iis indigitare debeant loca, ubi res ad vitam necessarias sibi comparent: *Ut vero unusquisque necessitati suæ satisfacere queat, Abbates singulis suis Pastoribus & Beneficiatis Civitates, vel loca vicina & commoda assignent, quæ ad necessaria comparanda licite adire possint: alia autem loca si sine speciali Prælatorum suorum licentia, vel gravi necessitate accesserint, pœna gravioribus culpis dist. 3. c. 3. præscripta sine remissione plectantur.*

Præterea: *Parentes & amicos duobus milliaribus ab ipsorum residentia distantes absque Prælatorum suorum consensu visitare non præsumant.*

Quid? Quod: *Præcipitur districte Visitatoribus Ordinis, ut in Visitationibus suis de quantitate proventuum Ecclesiarum Parochialium diligenter inquirant, & assignata Parochis secundum loci, patriæ, & onerum ipsis incumbentium exigentiam congrua portione, si quid superfit, in Ecclesiarum, ad quas spectant, commodum utilitatemque convertant.* Si quis autem in hoc negotio apud Sæcularem vel Ecclesiasticum Judicem contestetur, *ipsa facto* excommunicationem incurrat.

Tenentur quotannis Superiorum suorum, aliorumve, quos ii delegaverint, Visitationem subire, propriæ familiæ status rationem redditturi: *Proinde Prælati, quando videbitur expedire, per se, vel aliam idoneum Pastores suos visitent, & quis sit familiæ status, diligenter & discrete conspiciant.*

Rursus: *Ut nulla notabilia dona sive parentibus, sive quibuscumque aliis absque Prælatorum suorum consensu largiantur; alias pro majori vel minori excessu furti & proprietatis judicio dist. 3. cap. 4. & 14. decreto condemnentur.*

Ut singulis annis omnium rerum, quarum habeat usum & dispensationem, computum fideliter reddant, & sinceram & integram earum dent descriptionem, sive Inventarium, in quo omnia quoque tam debita, quam credita bona fide exprimant.

Quod si quispiam in suo computo, vel descriptione dolose & fraudulenter egisse, & res aliquas majoris momenti, vel notabilia debita suppressisse comperiatur, tanquam Proprietarius puniatur, & si mortuus fuerit, sepultura careat Christiana.

Denique si se, viribus deficientibus, se jam morti proximos sentiant: *satis tempestive suam constitutionem Abbati significari curent, ut ipse tanquam verus eorum Pastor advigilet, & sive per se, sive per alium in extremo illo agone, unde æterna salus pendet, iis adsistat,* &c.

Judices tu, quæso, Domine, an Religiosus ita se habens, ut ex allatis statutorum verbis liquet, liber sit, independens, & emancipatus a totali Superiorum suorum Jurisdictione. Possuntne Superiores ipsi se auctoritate spoliare, qua in Religiosos suos gaudent, quippe quæ solemni, atque adeo immutabili, & indispensabili voto nitatur? Religiosus definitne ejusmodi esse, cum Parochus sit, ut in hoc supplici libello contenditur? Quæ porro in eo laudantur, Rescripta non id confirmant, quod ii sibi arrogant.

Rescripto an. 1678. Jurisdictionem in Religioso ani-

animarum curam habentes Superioribus non adimi vel obiter legenti compertum sit; immo vero illud eamdem confirmat, dum eorum potestatem Parochos revocandi ratam habet. Id unum statuit, ut in posterum revocatio non nisi cum Ordinarii consensu fiat; ex quo sane conficitur, eo Rescripto Superioribus in Parochos Jurisdictionem non adimi, sed tantum ipsorum auctoritatis, dum eos ex Parochiis revocant, exercitio conditionem apponi. Episcopi cum Superioribus de hac Jurisdictione minima digladiantur, persuasum habentes Parochos eo perfectius Pastorali munere persuncturos, quo magis religiosi, ac propriæ regulæ addicti, suisque Superioribus dicto audientes fuerint.

Adeo porro verum est Superiorum in Parocho Jurisdictionem, ne dum laudato Rescripto an. 1678. infirmetur, potius firmari, ac roborari, ut Rex, postrema Cleri Congregatione vehementer instante, statuerit nova Declaratione, quam in ejusdem Rescripti an. 1678. explicationem edidit, ut iidem Parochi cum Ordinariorum consensu a Superioribus revocari, eorumdem Superiorum suorum mandato parere teneantur, quin monitio præcesserit, quin litis adsit forma seu ratio, quin denique de causa cognoscant, ob quam revocati fuerint, ut ita cuivis contestationi, atque inobedientiæ prætextui iisdem Parnchis intercludatur.

Rescriptum an. 1646. quod in eodem libello adducitur, contra Sillentis Abbatiæ Priorem editum non tantum mores, sed animarum quoque regimen & Sacramentorum administrationem spectabat. Duplex ea facti species adeo erat implicita, ut mirandum non sit in eo Rescripto mandatum suisse, ut Parochus a dicto Sillensi Priore, ut in eum inquireret, in carcerem conjectus, in Episcopi carceribus redintegraretur, ut de eo per Officialem cognosceretur.

Aliud Rescriptum an. 1656. quod pariter in libello laudatur, Superioribus in Parochos Jurisdictionem non adimit, quoniam in ipsis una cum Episcopo primo loco eamdem agnoscit.

Cæterum utut res habeat, ea duo Rescripta nullam vim habent adversus Regis Declarationes in magni Consilii Acta relatas, quibus, post eadem Rescripta, Ordinis statuta firmantur, palamque fit eam Regis mentem esse, ut executioni mandentur pro ipsorum forma ac tenore, servato semper Rescripti an. 1678. temperamento, ad eorumdem Parochorum revocationem quod attinet.

Si ergo jure dubitari non potest, quin Parochi regulares semper propriis Superioribus devincti subjectique remaneant, quoad mores ac personas, solemnis & inelucrabilis obedientiæ vinculo; dubitari quoque non potest, quin Superiores in eorum personas cumulatissima polleant Jurisdictione, gaudeantque jure iis præcipiendi, resque ad rectum ordinem necessarias vel sub Censurarum pœna mandandi, ac Parochi æque ac Religiosi cæteri iisdem subdantur.

Curiales functiones edendi necessitas eos a Censuris non eximit; Episcopi & Superiores in ejusmodi negotiis conspirant, eorum auctoritate non repugnante, sed omnino invicem congruente. Si ergo Parochus constitutionem aliquam violaverit, Censuramque subierit, Superioris Regularis est de re tota Superiorem Ecclesiasticum certiorem facere, ut Beneficii servitio prospiciat, quoad a Censura Parochus liberetur; ex quo facile intellectu est, frustra libelli supplicis Auctorem asserere, siquidem Parochi regulares Superiorum suorum regularium Jurisdictioni subessent, quoad vim directivam tantum subesse posse, non vero quoad coactivam, nempe quoad Censuras Parochialium functionum causa, quas impediendi jure Superior regularis non gaudet. Frustra, inquam, id asserere; quivis enim Superior jus obtinet pro subditorum suorum bono præcipiendi, eosque ad sibi parendum compellendi Canonicis iis rationibus, quæ ei ab Ecclesia exhibentur; & quivis Inferior subditur Legi; non modo quoad vim directivam, sed etiam quoad coactivam. Principes tantum eo gaudeant privilegio, ut Legibus quidem subsint, easdemque servare debeant, sed ad id tamen pœnis adigi nequeant, quia Superiorem neminem habent; at certo certius est, id ipsum nulla prorsus ratione ad Religiosum, qui obedientiæ votum emisit, spectare posse.

En tibi, Domine, breves animadversiones meas in ejusmodi libellum supplicem, qui eo demum spectat, ut Parochos nostros a propria regula, propriisque Superioribus exemptos, atque independentes efficiat; quod si vinculum, quo illi in propriæ regularis professionis officio continentur, semel solvatur, statim eosdem Parochos longe maxima licentia abreptos conspicies.

Tu quidem non ignoras, modo Religiosus vel mediocriter obeat officium suum in animarum regimine, & Sacramentorum administratione, fere personalem ejus rationem non ulterius explorari; in conscientiæ tamen foro non id sufficit Religioso, qui tenetur ad perfectionem contendere, qui in eum finem se regulas custoditurum promisit, qui solemnia denique vota edidit. Necesse omnino est, ut de aliorum salute sollicitus ad suam ipsius sanctificationem incumbat regularum suarum custodia, & votorum executione. Superiorum in Parochos inspectionem de medio tolle; illi exleges erunt, nullius regulæ, atque observantiæ tenaces; in dies enim sequior ac deterior evadit humana natura, nisi legum quasi vello septa teneatur.

Quamobrem te rogo, ut authenticam sententiam exhibeas, quæ nobis in posterum Legis ac Regulæ loco sit, & ex qua nobis compertum fiat, qua demum ratione cum Parochis nostris ipsi nos gerere debeamus; tibi enim ingenue fateor me animo vehementer angi, quod videam Parochorum nostrorum plerosque, arrogatæ hujus independentiæ prætextu, a regularum suarum ratione aberrare, nec vota exequi, quæ ediderunt, obedientiæ potissimum ac paupertatis; teque oro, ut tibi persuadeas me tibi ingenua cum observantia esse

Domine,

Præmonstrati hac die 8. Octobris an. 1701.

Humillimum, atque Addictissimum
F. Michaelem Colbertum Abbatem
Præmonstratensem, & Generalem.

Oblitus sum, Domine, tibi significare Jurisdictionem, qua Superiores in Parochos gaudent, summorum Pontificum Bullis cumulatissime firmatam esse, in quibus expressis verbis asseritur, id juris ipsis congruere, ut eorum mores corrigant, eos ad Monasticæ Disciplinæ exercitium compellant, & in eum finem ad Claustrum revocent, Ordinariisque præcipitur, ne refragentur, neve suum patrocinium dictis Parochis impertiantur, & ratio affertur in hæc verba: *Non obsistatis eisdem, nec illis favorem indebitum impendatis, ne aliter faciendo tribuatis eis audaciam detrectandi obedientiæ jugum, & ipsorum Abbatum potestatem quodammodo enervetis.* Verba sunt hæc Bullæ Honorii III. an. 1220.

Alexander IV. in sua Bulla an. 1256. quæ non nisi Honorii III. Bullæ continuatio est, idem præcipit.

Nicolaus IV. in Bulla an. 1289. idem mandat Ordinariis, ne scilicet Jurisdictionis, qua Superiores in Parochos gaudent, exercitium impediant, dum eos revocant ad Claustra: *Pro recipienda Ordinis disciplina, seu pro alia justa causa.*

Joannes XXIII. cum Abbas Præmonstratensis, ac cæteri Ordinis Abbates apud eum quererentur, Parochos prætendentes se ab Ordinariis institutos esse, proinde contendere se ab Ordinis Jurisdictione exemptos esse, & cum Monasterio utiles esse possent, ejus muneribus obeundis, Abbatibus tamen revocantibus parere nolle; Joannes, inquam, summus Pontifex Ordinis Jurisdictionem confirmat in Bulla an. 1414. quæ incipit: *Nos itaque attendentes, quod obedientia melior est victima,* &c.

Est igitur apprime certum, Ordinis nostri Parochos, ad eorum personam, & morum correctionem quod attinet, semper Superiorum Jurisdictioni subjectos esse. Jurisdictionem hanc Tridentina Synodus confirmavit *Sess. 25. de Regul. c. 11.* dum statuit,

tuit, ut Parochi Regulares, ii quoque, qui Parochias in Monasteriis administrant, in rebus ad animarum regimen, & Sacramentorum administrationem spectantibus, visitationi, correctioni, & Episcopi Jurisdictioni subjecti sint; ac Superiores ne amovibiles quidem Commissarios deputare possint, quin Episcopi consensus accesserit, & antea vel per se vel per Officiales examini eos ipse subjecerit, exceptis nihilominus tum iis Monasteriis, in quibus Primores Ordinis, & Abbates Generales consuetam suam Sedem obtinent, tum etiam iis, in quibus Abbates, aliique Superiores Regulares sunt spirituales & temporales Domini, & Episcopali Jurisdictione gaudent: *Ut personæ tam Regulares, quam Sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in iis, quæ ad dictam Curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, Jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sitæ.* Ut inde nobis liquido appareat, eos in aliis negotiis ad ipsorum personas, mores, & Ordinis disciplinam spectantibus Superiorum suorum Jurisdictioni omnino subjectos esse. Non sunt igitur amancipati, quemadmodum in supplici libello contenditur, nec omnino ab Ordinis ad Episcopi Jurisdictionem gradum fecerunt.

In hac Epistola sermo est de libello supplici, quem D. Fromageau nonnulli Præmonstratensis Ordinis Parochi obtulerunt. Est autem, quæ sequitur, Dissertatio.

In Parochorum Præmonstratensium favorem Dissertatio.

Quæritur, an Superior Regularis possit indicta interdicti, suspensionis, excommunicationis, atque adeo carceris pœna Constitutionem edere, qua Parochi Regulares ab eo pendentes jubeantur Parisiis in propria Familia degere, quotidianam triginta solidorum pensionem solventes, parum vel nihil impensæ facturi, si cum amicis & cognatis versarentur?

Sane convenit, Constitutionem ipsam per se bonam esse, & summopere rationi consonam, ac Parochos ob rectum ordinem, & ad exemplum eidem parere debere, dummodo Superior Regularis in id incumbat, ut seu quoad domicilium, seu quoad alia suis Hospitibus omnia congrua ac necessaria commoda comparet, id omne evitans, quod cupiditatem & lucri studium suboleat, & id unum sibi proponat, ut mandati sui executionem facilem reddat, rectoque ordini, atque ædificationi publicæ invigilet.

Quare si Parochi mediocris redditus Curas, seu congruæ portionis lege obtinuerint, cum iis in compositionem Superior veniat necesse est, & ne dum tanquam Hospites quotidianis triginta solidis obnoxios, sed tanquam studentes & conventuales excipiat pro rata pensionis tercentarum quinquaginta librarum, quæ quotidianos circiter octodecim solidos reddunt; quia cum ea domus coactum demum hospitium evadat, tanta opus est humanitate, ac dexteritate, quantam justitia ac ratio præscribunt; secus enim adesset rusticitas, quæ præposteram & Superioris, & ejus Constitutionis opinionem pareret.

Verum in eo vertitur difficultas, utrum Superior Regularis rem quamvis in se ipso bonam sub Censuræ Canonicæ, atque adeo carceris pœna Parochis Titularibus præcipere possit, absque potestatis Episcopalis, eorumque, a quibus pendent, Episcoporum concursu?

Regularis, quicumque a Claustro ad animarum curam transit, (quod non nisi proprii Superioris Regularis permissione fieri potest) videtur statum & Superiores mutare, & facultate eidem a Superiore Regulari concessa jurisdictionem, qua in eum prius ille pollebat, abrogari; ita ut status mutatio ejus permissu facta sit quædam amancipatio ex ipsius potestate & auctoritate, ut Episcopo subjiciatur.

Religiosi quoque hominis ratio, quam semper retinet, non videtur obesse; cum enim Regulari Superiore annuente ad Hierarchicum ministerium transierit, proinde permissio hæc ipsa in causa est, ut Episcopali auctoritati subdatur; & ita quidem redit ille ad vetus commune jus, quo Regulares omnes suberant Ordinariis.

Quamobrem hæc status mutatio, quæ tum contingit, cum Regularis evadit Parochus, ejus subjectionem & dependentiam immutat, & abrogat obedientiam, quam proprio Superiori Regulari debebat, ut eum obedientiæ subdat Episcopi, qui in omnibus ejus Superior evadit; eumque a priore subjectione liberat, id quod Superiorem Regularem lædere nequit, quippe qui assensum præbuerit; eo prorsus pacto quo Pater de filii emancipatione conqueri nequit, cum eum vel ad conjugalem, vel ad Religiosum statum progredi passus fuerit.

Hæc sane emancipatio in Regulari evidens & aperta est, cum Episcopus renuntiatur; quod quidem non aliunde quam ex status mutatione derivatur. Inter Episcopum porro & Parochum, quorum uterque Regularis sit, id unum discriminis intercedit, quod ille, cum Hierarchiæ sit Princeps, præter proprium officium Dominum non agnoscit; hic vero, cum non nisi Prælatus inferior (a), & Episcopo suo subordinatus evaserit, ejus Jurisdictioni subjectus esse, ab eoque pendere incipit, id quod regularem & claustralem adimit Jurisdictionem, quæ Claustri fines prætergredi, & ad Parochias extendi non debet, cum Parochi duobus Dominis servire non possint, nec majori subjectioni obnoxii esse debeant, cum in altiore ac perfectiore statu versantur.

Dici non potest, Regularem Parochum, cum semper Regularis simul & Parochus sit, Episcopo quidem tanquam Parochum, Superiori vero regulari tanquam Religiosum respondere debere.

Canonicum enim Galliarum Jus Parochum Regularem omnino Episcopo suo, nec solum ut Parochum, verum etiam ut Religiosum subesse declarat. Statuta nova Præmonstratensia, quæ juxta veterem Canonicorum Regularium morem distinctionem hanc statuere voluerunt, in Regis Consilio an. 1678. proscripta sunt. (b) Eorum quoque executioni jam extiterat oppositio an. 1656. in appellatione tanquam abusus a compluribus Ordinis Parochis edita, interventu Ambianensis quondam Episcopi, regularis Jurisdictionis, cui subjectus fuerat, peritissimi. Ad D. Bignonii tunc Advocati Generalis, & Fori luminis Conclusiones intervenit Rescriptum, quod Ordinis statuta abusiva declarat, mandatque, ut Episcopus de regularium Diœcesis suæ Parochorum agendi ratione, tum ad Sacramentorum administrationem quod attinet, tum quoad eorum vitam, mores, actiones; de cæteris ad eos spectantibus Abbas Præmonstratensis una cum Episcopo cognoscat.

Itaque hujus Rescripti vi potest Episcopus de regulari Parocho ipse solus cognoscere non solum quoad Sacramentorum administrationem, & prout Parochus est, sed etiam quoad Religiosæ vitæ institutionem, mores, actiones; quoad cætera porro, quæ nihil esse possunt aliud, quam proventuum, rerumque temporalium distributio, Regularis Superior non nisi conjunctim cum Episcopo cognoscere potest.

Rescriptum aliud editum an. 1646. contra Priorem Silliensem Ordinis Præmonstratensis, & in Sezensis Episcopi favorem eamdem disciplinam instituit. (c) Agebatur tunc de ejus Diœcesis Parocho nequam & scandaloso homine, quem Silliensis Abbatiæ Prior, tanquam ejus Superior capiendum & Abbatiæ carceribus includendum mandaverat, ut de eo cognosceret; itaque tanquam ab abusu appellante Sezensi Episcopo, exiitit Rescriptum, omnia Prioris acta nulla & abusiva declarans, jubensque dictum Parochum in Episcopi carceribus redintegrari, ut in eum Officialis inquireret, denique servans dicto Episcopo cognitionem omnium erratorum,

(a) Decisio Facultatis an. 1400. Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati ex primaria institutione Christi.

(b) Vide Monumenta Cleri tom. 1. tit. 2. cap. 10. art. 5.
(c) Vide Monumenta Cleri tom. 1. tit. 2. cap. 16. art. 5.

rum, criminum, & transgressionum, quibus ejus Diœcesis regulares Parochi se polluissent. Porro qui omnia dicit, nihil excipit; atque ita Religiosi animarum curam habentes Episcoporum suorum Jurisdictioni omnino subjecti sunt, id quod regularem Jurisdictionem quoad eos nullam, inutilem, nulliusque roboris efficit.

Ex hoc principio deducenda est ea conclusio, ut si Superior Regularis excidit omni jure, quo in Religiosum gaudebat, cum ab eo Parochiam iniri, & Hierarchicum ministerium suscipi passus est, nulla amplius in eum vi polleat, sed omnis Episcopo reservetur, nihilque ei aliud supersit, quam persuadendi ratio, & sola atque unica facultas eum privandi Ordinis bonis & dignitatibus, quemadmodum etiam omni commercio cum fratribus, omni aditu in Ædes Ordinis, & precum, quas omnes Religiosi fuderint, communione.

R. Pater Duvau, Sanctæ Genevefæ Professor, qui super hoc negotio Generalis sui jussu admodum erudite scripsit, id ipsum ingenue fassus est pag. 138. suæ responsionis ad Domini quondam Gerbois epistolam tertiam, diserte declarans, etiamsi Religiosus Parochus a Superiore Regulari quoad mores, & regularum observantiam pendeat, eumdem tamen Superiorem nulla coactiva potestate in illum gaudere, præsertim si Titularis sit, & Ordinis tantum pœnas, quæ quidem Curiales functiones minime turbant, eidem imponere posse.

Jam vero Superior Regularis si vim coactivam in Religiosos Parochos nullam retinet, ex consequenti nequit iis præcipere sub ulla pœna Canonica, multoque minus sub pœna carceris; sed ad Episcoporum, a quibus illi omnino pendent, auctoritatem confugere debet, ut eos Censuris, & Canonicis pœnis adigat, quemadmodum Sæcularem auctoritatem quoad civiles pœnas, & carcerem implorare tenetur.

Quocirca primus Præsidens, cujus æque vivida ac profunda cognitio est, cum examinasset ut Procurator Generalis an. 1691. appellationem tanquam abusus interjectam a Parocho Præmonstratensi, ab Abbatia Flavamontana pendente, ad Mandatum Prioris ejus Abbatiæ, qui eum jusserat sub interdicti pœna actionum suarum rationem redditurum ad idem Ordinis Domicilium venire, pro Ordinis Reformationibus, Statutisque, conclusit abusivum Mandatum esse; ejusque Conclusiones consecutum est Rescriptum, quod Parochum ad suam Parochiam redire jubet, eique illius administrandæ possessionem & libertatem conservat.

Et sane ello Religiosus Parochus adhuc Superioris sui Regularis Jurisdictioni subesset, hujus omnis auctoritas ad ejus personam referri, nec ulterius omnino progredi deberet. Jam vero excommunicatio, & Censura Canonica in Parochum inflicta pœna est, quæ universam afficit Parochiam, ac Parochianos, in quos sane Regularis Superior nulla pollet auctoritate; eos tamen Censuris inflictis proprii Parochi ministerio privaret, quin alium in ejus locum sufficere posset, utpote carens auctoritate. Itaque si ejusmodi pœnas in eum privata auctoritate decernat, sibi jus, quo caret, usurpat, ut, si carcerem quoque decreverit, in Episcoporum Jurisdictionem irrepit.

Evidenter id ac liquido constat, si animadvertatur, Rescripto Consilii privati in Ausciensis Archiepiscopi gratiam an. 1678. Regem prohibere Superioribus Præmonstratensibus, (a) ne quem Regularem Parochum ab animarum cura revocent sine Episcoporum consensu ac permissione; quod si absque eorum permissione revocare non possunt, ne removere quidem absque eorum consensu possunt, atque ita nec possunt in eosdem Regulares Parochos carceris pœnam privata auctoritate decernere.

Mandatum* Generalis Præmonstratensis adversus Religiosos Parochos, ad proprium Collegium Parisiis divertere renuentes.

Fr. Michael Colbertus, Dei, & S. Apostolicæ Sedis gratia, Abbas Præmonstratensis, Caput, & Generalis totius Ordinis: Omnibus dicti Ordinis Religiosis, Salutem.

Quamvis Decreta non pauca in nostris Generalibus & Provincialibus Capitulis ediderimus, ut Ordinis nostris Religiosos omnes, qui Parisios venissent, in Collegium nostrum se recipere, & in eo domicilium suum ponere cogeremus; intelligimus tamen, ac non sine dolore conspicimus, eum adeo utilis, adeo necessariæ Constitutionis detrimento, ne dicam, contemptu, Religiosos complures Parisios venientes ibidem ignotos consistere, de Censuris nihil sollicitos, quas ob continuam Decretorum nostrorum transgressionem iis injungere coacti fuimus; tametsi eædem Censuræ non sint, ut aliqui contenderunt, comminatoriæ solum pœnæ, sed proprie dictæ Censuræ legitime inflictæ, & merito a transgressoribus contractæ, ut palam fit ex Sorbonica in hanc rem Decisione, quam nos ad calcem nostræ præsentis Constitutionis typis imprimendam curavimus.

Præterquamquod autem abusus hic nobis perspectus est, Virorum quoque, quos jure nos plurimi facimus, & singulari observantia prosequimur, querelæ non semel ad aures nostras pervenere, Religiosos bene multos ex nostris Lutetiæ Parisiorum apparare & discurrere horis indebitis, ac sæpe indutos vestibus regulari modestiæ parum conformibus; id quod Ordinis Corpori generatim, & nostræ singillatim Familiæ, & Collegio Parisiensi longe maximam injuriam irrogat. Denique ut omnibus Decretis nostris major vis adderetur, feliciter etiam accessit peculiaris Sanctio suæ Majestatis, cujus dignatione per D. Legatum Generalem Politici status nobis significatum est, se quidem ad rectum Ecclesiæ ordinem, & communem ædificationem velle, ut Regulares omnes Parisios venientes in sui Ordinis Domicilia se reciperent, nec in sæcularibus domibus degere iisdem liceret. Nos in ejusdem Regiæ sanctionis executionem, & Decretorum in nostris Capitulis editorum confirmationem renovantes, prout opus fuerit, Censuras in iis jam inflictas præcepimus, & præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna suspensionis & excommunicationis *ipso facto*, aliisque pœnis in iisdem Decretis impositis, tenore præsentium omnibus Religiosis Ordinis nostri, Superioribus, Inferioribus, Parochis, & Beneficiatis, qui Parisios venerint, ut in dictum nostrum Collegium se recipiant, ibique degant, & non alibi, quocumque demum prætextu.

Mandamus in trasgressionis casu Patri Priori dicti nostri Collegii, & Patri Procuratori Generali Ordinis nostri, ut delinquentes comprehendendos curent, implorato quoque, si opus fuerit, brachio sæculari, in eum finem utrique simul, vel alterutri singillatim plenam nostram potestatem & auctoritatem impertientes. Omnibus Familiarum nostrarum Superioribus districte injungimus, ne quem Religiosorum suorum Parisios venire, quovis agendi negotia, vel suos invisendi prætextu, patiantur, nisi ea conditione, ut in dicto nostro Collegio versentur; iisque declaramus, si minus ipsi propriæ subsistentiæ in dicto Collegio prospexerint, futurum, ut suarum familiarum sumptibus & impensis alantur, ne ullam ignorantiæ causam prætendant.

Volumus etiam, ut dicti Religiosi teneantur in dicto nostro Collegio diebus Festis & Dominicis Officio interesse, sibi sacrum facere, si quidem Sacerdotio initiati sint, & si minus Sacerdotes sint, sacram Communionem suscipere. Mandamus omnibus nostrarum peculiarium Familiarum Superioribus, ut curent præsentem nostram Constitutionem in pleno Capitulo, & coram suis omnibus Religio-

sis

(a) Vide postremum Diarium Aulæ tom. 1. p. 958. & præterea vide Monumenta Cleri.

sie legendam, atque indicendam, eamdemque exhibitis exemplis significandam omnibus Ordinis nostri Parochis & Beneficiatis, qui a dictis Familiis pendent, vel iisdem proximi sunt; nosque quamprimum certiores faciant diligentiæ, quam ad mandatorum nostrorum executionem contulerint, ne quis hac in re ignorantiæ causam prætendere possit, Datum Parisiis in nostro Collegio die 6. Februarii an. 1702. In quorum fidem Nos præsentes hasce subsignavimus, Secretarium nostrum contra signare, & sigillum Ordinis insignibus munitum apponi voluimus. Eamdem porro fidem exemplis a Secretario nostro subscriptis adhiberi volumus, quæ Exemplari Præsentium adhiberetur.

F. Michael Colbertus, Abbas Præmonstratensis, & Generalis,

Locus ✠ Sigilli.

Per Dominum,

Dissertatio, & decisio Sorbonæ Doctorum super Censurarum sequentibus Decretis annexarum validitate.

EXtractum ex Capitulo Nationali Ordinis Præmonstratensis, Parisiis celebrato die 4. Septembris, & sequentibus anni 1695. Sessione 2.

Reverendissimus Præses, & Capitulum, inhærendo Decreto Capituli Provincialis an. 1691. quo sub pœna suspensionis, & excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec non sub pœna apprehensionis corporalis, & incarcerationis præcipitur omnibus Prælatis, aliisque nostri Ordinis Religiosis Parisios adventantibus, *ut in Collegio, & non alio hospitentur; decernit ipsum ab omnibus districte observandum, severeque prohibet omnibus Superioribus, ne ulli Religioso Parisios venire permittant, nisi sub conditione dictum Decretum stricte ac fideliter observandi.*

Ea de causa Generalis Præmonstratensis, ejusque Ordinis Generale Capitulum allato Decreto Censuras adeo graves apposuerunt, quod idem Decretum passim violari, magnaque inde incommoda derivari animadverterent, quodque ad eumdem Generalem magni ponderis querelæ delatæ forent a Viris nobilitate, dignitate, ac virtute præstantibus, non paucos nimirum ex Ordine parum religiose se gerere, dum se Parisiis latere ac delitescere prætendentes maximæ licentiæ se dederent, exempli causa Parisiis, atque adeo in viis publicis, & quidem horis indebitis vagarentur, sæpe indecoris, & nonnumquam brevibus induti vestibus, sine scapulari, sine Pallio, &c. quod non contingeret, si omnes exteri ad Collegium accederent, ubi oculatos actionum suarum testes haberent.

Eodem accedit, quod Cardinalis Noviliacensis nuperrime conquestus est Decretum illud minus recte servari, quodque Rex ipse id ægre tulit, & Generalem ea de re monitum voluit, eidemque per Legatum suum Generalem Politici regiminis, & Præfectum Suessionensem, intra cujus fines sita est Abbatia, & Caput Ordinis Præmonstratensis, mentem suam declaravit. Positis hisce rationibus, in quæstionem vocantur tria, quorum solutio ac decisio ex Sorbonæ Doctoribus expectatur.

I. An Censura universim recte lata sit, an nempe Generali, ejusque Capitulo jus fuerit ejusmodi Censuram apponendi Decreto, quo Parochi regulares itinerantes in Collegio degere jussi sunt; cum nonnulli contenderint, violato Decreto, eamdem Censuram non contrahi, eamque tanquam pœnam comminatoriam spectandam esse?

II. An excommunicatio *ipso facto* in eos inflicta, qui in Ordinibus non versantur, haud durior censura sit; atque an delinquentes ipso facto in eam incidant, quin aliis monitionibus opus sit, quam quæ in quisque Communitate peractæ sunt, cum Decretum, de quo supra, ter lectum, indictumque est?

III. An juxta Generalis, & Capituli mentem Decretum & censura eidem addita Ordinis Religiosos respiciant, qui Beneficiati sunt, quique vel ob sua ipsorum, vel ob Ecclesiarum suarum negotia Parisios veniunt?

Dubitandi ea ratio est, quod ii quidem quoad Sacramentorum administrationem, & Ecclesiasticam disciplinam in propriis Parochiis subduntur Episcopis, qui absonum fortasse ducerent, alia quam sua Potestate propriis Parochis censuras inferri.

Sed duo quoque veniunt animadvertenda;

I. Ordinis Parochos maximo in numero esse, præsertim prope Parisios, ubi adsunt quam sæpissime; malum porro, ad cujus remedium tendit ea, de qua quæritur, Reformatio, ex iis potius, quam ex Religiosis aliis oriri, atque ita semper illud perstiturum; ex iis, inquam, potius, quam ex aliis, quia illi cæterorum quodammodo magistri sunt; neque vero palam fieri, quandonam Parisios accedant, vel inde recedant: eos autem Superioris correctione non deterreri.

II. Quia Beneficiarii cum sint, semper quoad mores Ordini subsunt, Statutorum & Canonum vi, atque Ecclesiasticus status sæcularis ex regulari subsidia trahit, quin ad ejus perniciem tendat; quia denique Religionis vota per animarum curam non abrogantur, ac præterea minime inter se pugnant hæc duo, Parochum regularem negotia Parisiis agere, simulque versari in Religiosa proprii Ordinis domo, cujusmodi Collegium est, cujus fores summo mane aperiuntur, nec nisi admodum sero clauduntur.

Majoris claritatis gratia proponuntur rationes, quæ adversus Decretum, de quo est sermo, proferri possunt.

Religiosi, quos afficit ea Constitutio, sunt vel Abbates, vel Parochi, vel Claustrales; sed graviores, quod attinet ad hoc Generalis Præmonstratensis Decretum, difficultates Parochos potius quam alios respiciunt, & ad duas potissimum rediguntur, quarum solutio inserviet cæteris, quibus idem Decretum impeti potest, atque adeo quæstionibus, quæ in expositione occurrunt, dirimendis.

Prima igitur difficultas in eo versatur, an Decretum hoc, qua quidem absoluta ratione conceptum est, quoad Religiosos Parochos negotiorum gratia Lutetiam venientes locum habere possit; cum enim Religiosus Parochus fit, ad alium statum migrare videtur, ut ejus proinde Superior, qui eum Parochum esse assentitur, eumdem quoque ad Hierarchicum statum transire assentiatur, atque adeo alii, quam suæ, scilicet Episcopi, in cujus Diœcesi Parochiam init, Jurisdictioni subesse; ex quo sequitur, auctoritatem, qua in eumdem Religiosum Superior gaudebat, cessare, eumque a Superiore in quadam veluti ejus potestatis emancipatione constitui, ut omnino Episcopo subjiciatur.

Et sane Religiosi, qui in Episcopos consecrantur, statum mutant, & ob eam mutationem Superioribus Regularibus, quibus antea suberant, non amplius subjecti sunt; idemque quodammodo de Religiosis iis dici potest, qui Parochi evadunt, quique eo titulo sunt *minores Prælati*, & de jure divino propriis Episcopis immediate subjecti; quamobrem ex Galliarum Jurisprudentia ac praxi Episcopi in eorum acta generali inspectione gaudent. Videri possunt Rescripta an. 1646. an. 1656. an. 1678. an. 1695. in Episcoporum favorem contra Præmonstratenses Superiores edita, ex quibus compertum fit Ordinis Parochos non modo quoad Sacramentorum administrationem, sed etiam quoad mores Episcopis subjectos esse; ex quo inferri potest, Superiores Præmonstratenses non amplius in suos Religiosos Parochos coactiva potestate gaudere, sed tantum directiva, & cohortatoria, ut luculenter ostendit Pater du Van in responsione ad Auctorem dissertationis contra Parochorum Regularium Peculium.

Difficultas altera in eo est posita, quod, esto Religiosi Parochi Superioribus suis Regularibus semper subesse ponerentur, non inde tamen necessario consequeretur Superiores hos ipsos, inscius Episcopis, censuras in eos infligere posse, quoniam censuræ, aliæque pœnæ, ut *incarceratio*, eos ineptos reddunt Parochialibus suis muneribus obeundis, quorum gratia eorum Superiores Episcopi sunt, ut allatis Rescriptis tam sæpe firmatum est. Possent ergo Episcopi inde occasionem sumere conquerendi, si Decretum, cujusmodi a Superiore Generali Præmonstratensi editum est, locum haberet, ejusque executio

tio a Regularibus Parochis ad eorum Diœcesim spectantibus requireretur, nec ipsis antea certioribus factis, nec impetrato ipsorum consensu.

Super hisce difficultatibus in hunc modum declaratis exquiritur Doctorum sententia, Regulæ loco futura.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod Decretum propositum vidit, & difficultates in contrariam partem allatas expendit, existimat,

Quoad primam, veteri novoque jure firmum constansque esse, Canonicos Regulares semper Superioribus suis subjectos manere, quamvis Parochiale officium susceperint; ac licet ut Parochi Episcopis quoque locorum, in quibus eorum Parochiæ sitæ sunt, ex alia parte subjecti sint: propriis tamen Superioribus quoad personas, ac mores, Ordinariis autem quoad animarum regimen, & Sacramentorum administrationem subduntur.

Alexander III. qui sæculo decimo secundo Romanam Ecclesiam administrabat, scribens ad Abbatem S. Joannis de Vineis Diœcesis Suessionensis de Regularibus Parochis, qui ad eas Urbes venientes, in quibus proprii Ordinis Domicilium adesset, in Sæcularibus tamen domibus versabantur, eos prohibet ita se gerere: *Statuimus*, inquit Pontifex, *ut si in Civitate, castro & villa Abbatiam, vel Prioratum habueritis, & aliquem ex Canonicis vestris Parochialem esse Presbyterum contigerit, in eadem domo cum fratribus suis moretur, ne a suo capite videatur divisus; cum autem in Civitate vestra Synodus celebratur, vestri Canonici Parochialia administrantes, in eadem Civitate extra Claustrum comedere, aut dormire nulla ratione præsumant.*

Ex his verbis licet intelligi, I. Alexandrum III. decidere Quæstionem, de qua agitur, dum statuit, ut Religiosus Parochus, si quo pervenerit, in proprii Ordinis domicilio consistat; quod ipsum Generalis Præmonstratensis statuit in suo Decreto quoad suos Religiosos Parochos Lutetiam venientes. II. Hujus Pontificiæ Constitutionis eam vim ac notionem esse, ut Religiosus in Claustro existens Superiori suo tanquam proprio Capiti, a quo pendeat, conjunctus maneat, *ne a suo Capite videatur divisus*; eumdemque propterea quamvis Parochum ei subesse debere: atque ita Religiosum Præmonstratensem legitime contendere non posse se emancipatum esse, nec amplius a Superioribus suis pendere, statim ac Parochus institutus est; quod nimirum id est, quod ostendere volumus,

Sed ut clarius appareat eam Alexandri III. Pontificis mentem fuisse, ut Religiosi Ordinis sui Parochias administrantes suis Superioribus subderentur, animadversione dignum est eumdem Pontificem in Epistola, quam ad hunc ipsum Abbatem dedit, ei declarare Religiosum Episcopo quidem quoad spiritualium rerum administrationem, Abbati vero quoad temporalia, & quoad ea, quæ ad Religiosi rationem spectant, parere debere: *Diœcesano Episcopo*, inquit, *præsentetur, ut ab ipso curam recipiant animarum, ita quod eidem de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, & de Ordinis observantia debeant respondere.*

Clemens III. in Bulla an. 1188. idem pronuntiavit, posuitque firmi principii loco Religiosum Parochum respondere debere *Episcopo de Spiritualibus, & cura animarum, Abbati de temporalibus & Ordinis observantia.*

Id ipsum confirmat Archiepiscopi Remensis Epistola ad Abbatem S. Joannis Ordinis Præmonstratensis Ambianensi in Urbe: *Venerabilis Frater Theobaldus Ambianensis ad petitionem nostram dilectis filiis, Abbati, & Capitulo sancti Joannis Ambianensis concessit, & indulsit, ut in Parochia S. Germani, cujus Patronatus ad Abbatem pertinet, ab eodem, vel a successoribus suis unus de Canonicis sancti Joannis Curatus in perpetuum substituatur, qui scilicet de animarum cura Episcopo Ambianensi, Abbati vero suo de temporalibus, & de Ordinis observantia respondeat, sicut Præmonstratensi Ecclesiæ matri eorum a Sede Apostolica jampridem indultum est, & concessum.*

Ergo Ambianensis Episcopus, ejusque Metropolitanus Remensis Archiepiscopus unanimi sententia statuunt Religiosum Parochum eodem tempore, non eadem tamen ratione Superioribus duobus subesse, idque in universo Præmonstratensi Ordine Sedis Apostolicæ auctoritate statutum esse.

Et sane cum Episcopi Religiosis ad Abbatum præsentationem Parochias conferunt, eo spectant, ut ex Regulari statu, quem tamen incolumem esse volunt, propriæ Diœcesi subsidium quærant; neque vero Parochiale munus vota abrogat, quæ Religiosus emisit, adeoque ille suo semper Superiori subjectus manet.

In medium afferri possent Pontificum Bullæ bene multæ, in Præmonstratensis Ordinis gratiam editæ, ut Honorii III. Alexandri IV. Nicolai IV. & Joannis XXIII. Occurrunt illæ in Patris Pagii Bibliotheca Præmonstratensi, atque universæ ac singulæ Superiorum in Regulares Parochos jurisdictionem confirmant.

Gradum facimus ad recentiores Pontificum Bullas, cujusmodi sunt Bulla Alexandri V. sæculo quinto decimo, quæ in laudata Bibliotheca refertur, & Bulla Pii V. an. 1571. quæ Tomo primo Monumentorum Cleri legi potest in gratiam Melitensis Ordinis quoad Capellanos Religiosos Professos Ordinis, & Parochos ab eo pendentes. Hæ Bullæ subdunt Regulares Superiori Ecclesiastico *quoad Sacramentorum administrationem dumtaxat.*

Tridentina Synodus *Sess. 25. cap. 11. de Regul.* eodem fere modo mentem suam explicat, dum statuit: *Ut personæ tam Regulares, quam Sæculares hujusmodi curam exercentes subsint immediate in his, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni & correctioni Episcopi.* Quibus verbis satis ostendit Synodus quoad cætera Parochorum Regularium personam, quod attinet ad Ordinis disciplinam, Superiorum suorum Regularium jurisdictioni subjectam esse.

Barbosa in hunc Concilii locum *n. 21.* monet Congregationem decidisse Parochum Regularem, exceptis administratione Sacramentorum, & animarum regimine, suis Superioribus subdi, ut, si deliquerit, puniatur: *Regularem tamen delinquentem extra administrationem Sacramentorum, & curam animarum, non ab Episcopo, sed a suis Superioribus puniri refert decisum Aloisius Ricius tom. 1. Decis. 523.* &c. Idem Auctor in alium Concilii locum *Sess. 7. c. 7. n. 10. de Reform.* aliam affert Romanæ Sedis resolutionem, qua deciditur, Ordinario jus esse Regulares Parochos visitandi, non jam Superioribus eorum exclusis, sed abundantia quadam juris, quo in Religiosos tanquam Parochos gaudet: *Hoc decretum*, inquit, *dat facultatem Ordinariis visitandi tantum personas inibi curam animarum exercentes, cumulative, non privative ad Abbatem.*

Liquet ex verbis hisce Regulari Parocho Superiores duos esse, Episcopum scilicet, & Abbatem; unum quidem, ut, ea quæ Parochi sunt, expleat, alium vero, ut propriæ Regulæ Statuta servet, quantum quidem Parochialia munia patiuntur, eam vitæ rationem ineat, quæ probum Religiosum deceat, vel saltem Religioni dedecus omnino non afferat. Cum enim hæ duæ qualitates Parochi scilicet & Regularis in una eademque persona conjunctæ sint, fieri proinde posset, ut Parochus in eas facti species incideret, quæ ad Superioris utriusque jurisdictionem spectarent; ut propterea tum Episcopus, tum Superior Regularis eumdem punire possent, vel eum revocantes, & Beneficio privantes, & tunc quidem ambos conjunctis viribus agere oporteret juxta Rescriptum Consilii status an. 1678. vel seorsim agentes, & jus, quod in ejus mores uterque singillatim obtinet, exercentes; fieri quippe posset, ut ejusmodi Parochus adeo a recto ordine alienam vitam duceret, ut universæ Parochiæ malo exemplo foret, atque ita tum Parochiali muneri se inutilem redderet, tum etiam Ordini suo injuriam notabilem irrogaret; ut proinde Superior uterque, Ecclesiasticus, & Regularis eumdem punire possent, unus quidem pœnis, quæ Ecclesiæ Regulis, alter vero iis, quæ Ordinis Statutis conformes essent.

Si Religiosus causa exempli proprium habitum non deferret, Episcopus, & Abbas in eum sejunctim agere possunt, quin prior tamen posteriorem excluderet; sed mutuo non una ratione in id conspira-

rent,

rent, ut eumdem Parochum ad officium suum revocarent, atque ita bonum Parochum, probumque Religiosum efficerent; una enim qualitas alteri magnopere inservire potest; quod sane sibi voluit Barbosa, cum dixit Regularem Parochum a proprio Episcopo corrigi posse *cumulative*, *& non privative*, nimirum Superiores duos juris superfluentia quadam ejus moribus invigilare, quin tamen alter excludat alterum, vel alter alterius defectu agere nequeat.

Igitur inferri potest, Regularem, quamvis Parochum semper superioribus suis subesse, nec, quia Parochus est, Religiosum esse desinere.

Nec refert dicere, allata pleraque testimonia id quidem evincere, Parochos suis superioribus subjectos esse, mirum tamen videri non debere, quoniam eadem testimonia pro certo ponere ejusmodi Curas puras putasque Commissiones, non autem perpetuos Titulos esse, cujusmodi nunc temporis Præmonstratenses Parochiæ sunt. Ne enim ad examen revocetur, quod proponitur quoad ea testimonia, an scilicet cum vero consentiat nec ne; respondetur, ex eo quod Parochiæ Regulares nunc temporis in titulum erectæ sint, non sequi eos, qui eas possident, propriis superioribus Regularibus non amplius subjectos esse. Vera nimirum ratio, quæ eos superioribus suis semper subjectos efficit, ea est, quod semper illi remanent Religiosi, & proinde semper obnoxii sunt obligationi implendi Religiosi hominis officia, quæ cum Parochialibus functionibus nequaquam pugnant; nec, quia Parochorum titulo Episcopis subsunt, a Religione, & a superioribus non amplius pendere. In Monasterio S. Joannis de Vineis, quod a Diœcesis Episcopo omnino pendet, & in quo Parochi Regulares in præsentia Tituli sunt, tenentur adhuc accedere ad Generalia Familiæ Capitula, actionum suarum rationem reddituri.

Regularium porro Parochorum non eadem ratio est ac Religiosorum, qui Episcopi consecrantur, ne enim illud dicatur, hos ipsos vota sua servare teneri, ideo superiorum Regularium potestati subesse desinunt, quia dignitas, ad quam Papa eos evehit, Principes, & hierarchici Ordinis Capita ipsos efficit, & quod inde consequitur, a subjectione eximit inferioris, a quo suam illi dignitatem non obtinent, quemadmodum Parochi Regulares Parochias a propriis superioribus acceperunt.

Quod si quando *minores Prælati* Parochi nuncupantur, & quamvis divini juris esse dicantur; id tamen non impedit, quominus Regulares Parochi tum Episcopi, tum superiorum, quatenus Religiosi sunt, jurisdictioni subdantur, quandoquidem ambo unanimi sententia eos Parochiis privare, & ad Claustrum redigere possunt, ut Rescripto an. 1678. edito definitur. Sane Regulares Parochi a superioribus suis Parochialem jurisdictionem non obruunt; verum Jurisdictio, qua in proprias Parochias gaudent, non perturbatur, cum jubentur, dum adeundæ Lutetiæ causa ab iisdem recedunt, ibidem in propriis Ordinis domicilium sese recipere.

Pontifices, quorum supra auctoritas allata est, & Concilia non ignorabant, cujusmodi Parochorum esset jurisdictio; eos tamen in iis capitibus, quæ ad Ordinem, & disciplinam Regularem spectarent, propriis superioribus subdiderunt. Concilium Moguntinum an. 1549. de Parochis Regularibus verba faciens loquitur in hunc modum: *Nihilominus sub Prælatorum Regularium cura, qui eos corrigere valeant, volumus permanere.* Turonense Concilium an. 1583. celebratum non minus luculenter suam in hoc negotio mentem aperit. *Eos*, inquit, *qui suas ad Ecclesiarum Parochialium regimen assumpti, scire volumus, voto sui Ordinis perpetuo obligari, nec professionis suæ habitum, capitis rasuram, & alia hujusmodi insignia posse deserere.*

Quod denique magis magisque firmandæ Parochorum Regularium quoad eorum Superiores subjectioni inservire potest, est hujus temporis consuetudo. Dum causa exempli Pontifices Clericis sæcularibus Regulares Parochias conferunt, ea tantum conditione conferunt, ut Religionem profiteantur, prout Tridentina Synodus statuit *Sess. 24. & 10. de Reform.* videlicet tribus Religionis votis se obstringant, & quod inde consequitur, Regulari Prælato obedientiam, edito voto, promittant. Jam vero non est vero simile Pontifices, quo tempore jubent sæculares evadere Regulares, ut Parochi renuntientur, iis ipsis Regularibus proprii status obligationes adimere, quia Parochi jam evaserunt, ita ut hodie Professionem edant, ut cras sui juris ac liberi fiant.

Probatio hæc quidem, cæque omnes, quæ supra allatæ sunt, fere omnes generales sunt, ac non nisi in universum ostendunt, Religiosum quamvis Parochum semper tamen propriis subjectum superioribus remanere. Jam peculiares proferimus, quæ quoad Præmonstratensis Ordinis Parochos eamdem veritatem evincunt.

Rescripto Consilii Regis diei 12. Novembris an. 1641. quod in Cleri Monumentis refertur, statuitur, ut Religiosi Beneficiati Præmonstratenses, alique, siquidem a residentia ultra quindecim dies abfuerint, a suis Prælatis majoribus permissionem obtineant; ex quo proinde concludi potest Religiosos Parochos Præmonstratenses propriis superioribus subesse non desinere, ut contenditur, nec ab eorum obedientia, & jurisdictione emancipatos esse.

Si Præmonstratensis Ordinis Statuta, quæ singuli Religiosi Professionis tempore se solemni jurejurando servaturos promiserunt, consulantur, intelligetur, eos omnes & singulos ab Ordinis Prælatis pendere. Ne a residentiæ quidem loco recedere possunt absque superiorum permissu, qui quidem loca proxima, ubi necessaria sibi comparent, indigitabunt: *Ut vero necessitati suæ unusquisque satisfacere queat, Abbates singulis suis Pastoribus, & Beneficiatis civitates, vel loca aliqua vicina, vel commoda assignent, quæ ad necessaria comparanda licite adire possint; parentes, vel amicos duabus milliaribus ab ipsorum residentia distantes, absque Prælatorum suorum consensu, visitare non præsumant. Alia autem loca si sine speciali Prælatorum suorum licentia, vel gravi necessitate accesserint, pœna gravioribus culpis Dist. 3. cap. 4. præscripta sine remissione plectantur.* Cap. 23. num. 31. 31. 33. dist. 2. Statutorum 4. C. 16. num. 21. *Præcipitur autem districte Visitatoribus Ordinis, ut in visitationibus suis de quantitate proventuum Ecclesiarum Parochialium diligenter inquirant & assignata Parochis secundum loci, personæ, & oneris ipsi incumbentiam exigentiam congrua portione, si quid supersit, in Ecclesiarum, ad quas spectant, commodum, utilitatemque convertant.* Rex Rescripto & Declaratione an. 1669. hæc omnia statuta firmavit, statuitque, ut pro eorum forma ac tenore executioni mandentur.

Adest etiam Statutum, quo præcipitur, ut *Prælati, quando videbitur expedire, per se, vel alium idoneum Pastores suos visitent, ut quis sit familiæ status, diligenter, & discrete conspiciant.*

Ita habet statutum aliud: *Ut singuli omnes omnium rerum, quarum habent usum, & dispensationem, computum fideliter reddant, & sinceram ac integram earumdem descriptionem, sive inventariam, in quo omnia quæque, tam debita quam credita, bona fide exprimant.*

Adeo porro iidem Parochi non modo quoad temporalia, sed etiam quoad Spiritualia a propriis Prælatis pendent, ut in alio statutorum loco jubeantur, si se morti proximos senserint, nulla interjecta mora Abbatem monendum curare: *Satis tempestive constitutionem Abbati significari curent, ut ipse tanquam eorum verus Pastor advigilet, ut sive per se, sive per alium in extremo illo agone, unde æterna salus pendet, eis assistat.*

Si superiores Præmonstratenses quoad proprios Parochos visitationis jure gaudent, ut ex ipsorum statutis compertum sit, consequens primo fit, ut in eos jurisdictione polleant; deinde vero ut jus habeant eorum personas & mores examinandi; quod si eos non talem vitæ rationem tenere, qualis Religiosos viros decet, & gravioribus Religionis officiis deesse, iis injungere debent, ut se corrigant. Fieri potest exempli causa, ut quis ex Parochis prioris sui status adeo sit immemor, ut vix ac ne vix quidem a Sæculari Parocho secernatur, nec amplius ad Monasterium a quo pendet, referri velit, sæculares vestes teneat, mobilia bona possideat, indulgeat oblectationibus, impensas faciat, cum personis versetur, quæ ejus statui non congruunt, quæ-

que

que ei pet Ordinis Statuta prohibitæ sunt ; hoc in casu Regularis Prælatus , visitationem instituens , ejusmodi Parochum adigere potest , ut personam , moresque componat, atque adeo, si relnctetur, eum potest iis rationibus compellete, quibus, ut obedientiam extorqueat, ei per Ordinis Statuta uti licet. Prælatus ita se gerens id non attingit , ut supponitur, quod ad Sacramentorum administrationem, & Ecclesiasticam disciplinam pertinet, quæ quidem Episcopi sunt.

Si ergo non ponitur huic Prælato inter visitandum jus esse eum Parochum corrigendi , visitatio erit frugis expers , idemque fuerit , ac si id juris Episcopo noo esset , cum sit inutile. Nec refert, Episcopum de eo Parocho non conqueri ; constat enim , modo Parochus in animarum regimine , & Sacramentorum admioistratione satis bene obeat officium suum , fere non ulterius in ejus personam inquiri. Quod tamen io tuto non ponit Religiosum, qui ad perfectionem tendere debet , eaque de causa Regulas servandas suscepit , & solemnibus se votis obstrinxit ; atque omnino necesse est , ut ipse de aliorum salute sollicitus invigilet suæ ipsius sanctificationi, Regulas, & vota custodiens, atque ita bonns Religiosus evadeos , Parochiæ utilior , meliorque Parochus sit.

Si Superiores hac inspectione non gandent in Parochos , iidem Parochi erunt actionum suarum domini, sine regula ac disciplina pro arbitratu vitam instituent ; fere enim ad remissionem tendit humana natura.

Post hactenus dicta sine temeritate propugnari posse non creditur , Parochum Regularem , statim atque evasit Parochns , a Prælati sni obedientia emancipari, nec amplins eidem subesse , ita ut ab Ordinis ad Episcopi jurisdictionem omoino migret, Prælatis prorsus exclusis.

Illud forte concedetur, Religiosos Parochos suis Prælatis subjici, ut, si rei fuerint, regularibus, & Religioni peculiaribus pœnis puniri possint , non autem ut censuris ionodari queant , inscio eorum Episcopo , vel in carcèrem conjici, quia ita Curialibus obeundis functionibus inepti tedduntur ; hæc re ipsa est difficultas altera , quæ contra Prælati Præmonstratensis Decretum proponitur , vel altera ratio est, quæ affertur ad ostendendum illud esse justo gravius.

Ad difficultatem hanc tespondetur , Generalis Præmonstratensis, & Capituli Nationalis Decretum cum Regulis congruete , ut proinde nec Episcoporum , nec Rescriptorum auctoritatem omnino lædat.

I. Animadvertendum est , qua occasiooe Decretum hoc editum sit , & ad quod tandem malum cohibendum referatur. Generalis Præmonstratensis tum Regis, tum Cardinalis Noviliacensis, tum deoique Magistratuum nomine certior fit , Religiosorum suorum complures , quorum plerique sunt Ordinis Parochi, licentius agere, nempe Parisiis in viis publicis, & horis incongruis se conspiciendos præbere , induros sæpe mollioribus , & nonnunquam brevibus vestibus, sine Scapulari , & sine Pallio , &c. Gravius erat malum hoc, quam ut remedium, quod iode orto scandalo responderet , eidem non afferretur. Quia porro compertum fuit , iteratis querimoniis , ac monitionibus ejusmodi malum reprimi non potuisse; necesse proinde fuit, vehementiora remedia, cujusmodi excommuoicatio, suspensio, & incarceratio sunt, adhiberi , ut malum hoc earum pœnarum formidine averteretur. Hinc ergo Dectetum extitit, de quo agitur , quodque justitiæ conforme est, quia in præsentibus rei circumstantiis necessarium apparet.

II. Haud novum est , in Canonicorum Regularium Ordine Censuras , ut excommunicationem , aliasque pœnas in Religiosos , qui officio suo defuissent , infligi. Stephanus Turnacensis Epistola 162. quam ad Urbanum III. Pontificem scripsit, id testatur in hæc verba: *Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio Ordinis nostri, Parochiales Canonicos nostros in Episcopatibus, in quibus libere , & absque alla contradictione , pro necessitate & utilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum acceptione culparum, consuevimus amovere, & in Claustrum reducere , & quoties res argebat, excommunicare.* Neque id mirum videri debet , quoniam Generales io sno quique Ordine gaudent Ordinarii potestate , suosque subditos in negotiis ad vota, ac regularem disciplinam spectantibus excommunicationis pœna mulctare possunt.

III. Ex Statutis Præmonstratensibus Regularis Parochus tenetur quotannis beneficii proventuum , eorumque usus rationem reddere ; ac si coram Judice patere detrectet, excommunicatus est *ipso facto*.

Ex alio Statuto tanquam Proprietarius punitur , si quam non exiguam proventuum portiooem celet, seponatque , ut pro lubidine insumat ; quod si ita animo comparatus e vivis excesserit , Ecclesiastica sepultura privatur.

IV. Hactenus Episcopi non crediderunt , Statuta hæc, quæ suarum Diœceseon Parochos communione privant, aliisque Ecclesiasticis pœnis io quibusdam casibus plectunt , suæ ipsorum auctoritati adversari, cum de iis questi nunquam fuerint, nec ab iisdem sibi caverint.

V. Verum ne ulterius inquiratur, an ex Præmonstratensibus Statutis ejusmodi Parochi quibusdam in casibus gravibus , magnique momenti Censuris puniri possint , nec ne , illud pro certo habetut quoad præsentem facti speciem , & in circumstantiis, de quibus agitur , Antistitem Præmonstratensem in Nationali Capitulo legitime Constitutionem sub suspensionis , excommunicationis , & carceris pœna edete potuisse, ut suos Religiosos Parochos , aliosve Lutetiam venientes in Ordinis Domicilio , videlicet in Collegio degere cogeret , nec apud suos, vel alibi, quod hactenus præstiterant, versarentur , unde grave extitit malum , quod querelis ad Generalem Præmonstratensem delatis locum dedit.

Parisiensis Antistes in Constitutione diei 26. Septembris an. 1697. art. 18. sub pœna suspensionis *ipso facto* prohibet Regularibus, quos negotia in ipsius Diœcesi ultra mensem detinuerint , ne post id tempus ibidem Missam celebrent , nisi in domibus Regularibus, vel Communitatibus Ecclesiasticis actu constiterint; mandatque præterea Promotori suo , ut Regulates omnes , qui in sæcularibus domibus commorari comperti fuerint, persequatur , atque id quidem juxta sancta Decreta, & Canonicas adversus Religiosos vagantes Constitutiones.

Si Episcopus ea potestate gaudet , ut in Regulares extraneos indiscriminatim censuras infligat, si instante Promotore iidem Regulares impeti , atque adeo censuris affici , & in carcerem etiam trudi possunt, si Diœcesis Statuto , ac disciplinæ parere noluerint; prælatus Præmonstratensis in suo Nationali Capitulo quoad Religiosos suos a propria Diœcesi, ac residentia aberrantes eadem potestate pollere videtur. Convenit, Ordinarium *ratione delicti* id juris obtinete in exteros Religiosos, qui cum scandalo in ejus Diœcesi morantur; eademque ratione asseri potest , Prælatum Præmonstratensem ad reprimendum publicum scandalum , quod ejus Religiosi nonnulli Parisiis afferunt , mandare posse, ut illi Parisios venientes in Ordinis Collegium se recipiant , idque sub pœnis in ejus Decreto propositis.

VI. Cum Sua Majestas, Archiepiscopus, & Magistratus apud Prælatum Præmonstratensem conquesti sunt de publico scandalo , quod ejus Religiosi non pauci afferebant , quodque præsenti remedio indigebat; illi sane in eodem Prælato satis potestatis esse credidisse videntur , ut impediret , ne tam grave malum latius serperet ; secus enim frustra querimonias suas ad eum convertissent , quod dici nequit, salva observantia, quæ longe maxima iisdem debetur. Quod quidem in causa est , ut idem Præmonstratensis Antistes speret, fore , ut Sua Majestas Decretum , de quo quæritur, auctoritate sua firmet, ac fulciat, & Parisiensis Præsul, ac Magistratus in ejus executionem conspirent.

VII. Ne dum ergo dolere quis possit Præmonstratensis Prælati Constitutionem duriorem esse, & non nihil Episcoporum auctoritati detrahere, asseri potius vere potest , cum malum extremum esset , ut cohiberetur, vehementiore , quam declarationes, & cohortationes sint , remedio opus fuisse. Episcopis

porro

porro pergratum esse debet, Superiores Regulares operam dare, ut Parochi ad eorum Diœcesim spectantes in officio contineantur, ac tempestive ad propriæ residentiæ locum remittantur, quin iis liceat diutius, quam par sit, Parisiis consistere, quod facile contingit, cum alibi, quam in proprii Ordinis Domicilio Religiosi versantur.

VIII. Ea bis Religiosis nonnulli, qui non ignorant, si huic Ordinis Decreto se ipsi subdere debeant, futurum, ut non amplius ea gaudeant libertate, qua prius gaudebant, cum Parisiis essent, atque ita indirecte impediri, ne ipsi tam crebro ad Urbem accedant, ut antea solebant, Episcopis suis, si fieri possit, persuadere conantur Generalis Præsulis, & Capituli Nationalis sanctionem cum ipsorum auctoritate pugnare, seque, statim atque instituti Parochi sunt, in eorum jurisdictionem omnino venire, adeoque a Prælatis Regularibus suspensionis, excommunicationis, aut carceris pœnis non amplius puniri posse; adesse Rescripta, variis edita temporibus, ut an. 1646. 1656. 1678. & 1691. ea quibus constat Parochos Regulares a locorum, in quibus Parochi sunt, Ordinario prorsus pendere. Nec desunt ex Ordine Religiosi bene animati, qui Generalis sui Constitutionem perutilem quidem putent, sed vereantur, ne qua difficultas eorumdem Rescriptorum occasione reipsa suboriatur, quæ ejus executionem impediat.

IX. Si laudata Rescripta intimius ac distinctius expendantur, intelligetur, ea quidem ad rem, quæ in manibus est, omnino non facere, nec merito ad Prælati Præmonstratensis & Provincialis Capituli Constitutionem impugnandam afferri posse. Ea enim prout Regulares Parochos afficit, in eos est edita, qui a propriis Parochiis, ac Diœcesibus absunt, qui Parisios veniunt, & minus religiose ibidem vivunt. E converso allata Rescripta eos Parochos petunt, in quos, in suis quidem Parochiis degentes agerent Prælati Præmonstratenses in iis casibus, in quibus minime deberent, insciis Episcopis; ex quo licet intelligi inter eorumdem Rescriptorum, & Decreti, de quo quæritur, speciem longum, latumque discrimen esse.

Rescriptum primum exempli causa, quod an. 1646. editum est, statuit, ut Ordinis Parochus, quem Silliensis Abbas comprehendendum curaverat, ad Episcopi Sezensis carceres transferatur, ab eodem Præsule judicandus; sed nimirum de ejus quidem moribus, potissimum vero de animarum regimine, & Sacramentorum administratione agebatur. Quod si in eodem Rescripto dicitur Religiosus Parochus Diœcesano Episcopo de morum suorum institutione respondere debere, non ei soli tamen in omnibus casibus respondere debere, dicitur; nempe Regularis Parochus mores suos instituere debet & ut Parochus juxta Ecclesiæ Canones, & ut Religiosus juxta Ordinis sui statuta, siquidem ea cum Parochialibus functionibus stare possint. Si ergo violet Ecclesiæ Canones, debet Episcopo respondere; si proprii Ordinis statuta violet, Abbati respondere debet.

Rescriptum porro diei 28. Februarii an. 1656. in Ambianensis Episcopi gratiam contra Abbatem Selincurtiensem editum fuit; Episcopo quidem jus inspectionis in Regularium Parochorum mores servatum est, sed Abbate minime exclusn.

Animadversione dignum est, quamvis Abbas Præmonstratensis ei causæ non adfuisset, Bignonium tamen Advocatum Generalem conclusisse eum appellandum, & audiendum esse, tametsi Regulares Parochi a Selincurtiensi, aliisque Ordinis Abbatiis pendentes petiissent in ea causa, ut Statuta Præmonstratensia, quæquidem Pastores afficerent, abusiva declararentur. In hoc Rescripto juxta Advocati Generalis Conclusiones statutum fuit, ut Episcopus & Abbas ejusmodi Statuta conjunctim expenderent; & hoc sane sensu dicitur in Rescripto, futurum, ut quoad residuum Episcopus & Abbas simul cognoscant, non autem ut Episcopus & Abbas simul cognoscant de Parochialium proventuum administratione; Episcopus enim, quod attinet ad caput hoc, nil juris obtinet; atque ita residuum hoc est Præmonstratensium quoad Pastores Statutorum examen.

Quod ad an. 1678. Rescriptum attinet, en quidem Religiosi Parochiis suis restituuntur, a quibus per vim a Regulari Prælato amoti fuerant; ejusdemque Prælati potestas quoad revocationis articulum certis terminis circumscribitur, dum statuitur, ut sine Episcopi consensu id ipse præstare non possit; sed Rescriptum tamen ipsum, dum ita statuit, Regularis Prælati in Ordinis sui Parochos jurisdictionem confirmat, & satis ostendit eos, ex quo Parochi creati sunt, ipsius jurisdictioni subesse non desinere, quod in Expositione contenditur.

Denique an. 1691. Rescriptum a specie, de qua quæritur, aliud omnino est; cum enim ibi ageretur de Regulari Parocho, qui cum resideret, injuria ac temere per Regularis Prælati interdictum functiones suas obire prohibitus fuerat, hic vero de Religiosis agitur, qui a propriis Parochiis recedunt, qui Lutetiæ Parisiorum in sæcularibus ædibus commorantur, quique eadem in Urbe publicum ac tam grave scandalum pariunt, ut eorum Generali id significari necesse sit.

X. Ex hactenus dictis duo inferri possunt, quæ satis demonstrata videntur.

Primum est, Regulares Parochos Ordinis Præmonstratensis semper propriis Prælatis subjectos remanere, & Statuta, quæ cum Curialibus functionibus stare possunt, servare debere.

Alterum est, Præmonstratensis Nationalis Capituli, ac Prælati Generalis Constitutionem, prout Religiosos suos Parochos, aliosque Lutetiam venientes in Collegio degere jubent, non autem in domibus sub Censuræ pœna *ipso facto*, atque adeo carceris, nihil non rationi consonum continere, nec omnino Rescriptis in Episcoporum nostrorum favorem editis derogare.

XI. Ad obtinendam tamen hujus Constitutionis cumulatam executionem forsitan expediret, ut Prælatus Præmonstratensis Episcoporum nonnullos, & Parisiensem præsertim Antistitem alloqueretur, non modo ne ejus Constitutione ipsorum animi turbarentur, verum etiam ut iis innotesceret nulla alia ratione complurium Religiosorum suorum licentiæ, dum Parisiis quidem versantur, melius ac promptius occurri posse.

XII. Hoc posito, Religiosi, qui Constitutioni, de qua sæpius, non satisfecerint, subeunt suspensionem, seu excommunicationem *ipso facto*, tum quia Decretum ipsum ita habet, tum quia in omnibus Ordinis Communitatibus indictum fuit, ut proinde Religiosorum nullus ignorantiæ causam prætendere possit; atque adeo iidem Religiosi parere nolentes in carcerem trudi possunt, servato tamen eo juris ordine, qui in Religioso, qui extra suum Claustrum est, in carcerem conjiciendo servari consuevit. Consequens ergo fit, ejusmodi Censuras non comminatorias tantum esse, ut perinde monitionibus, seu potius citationibus opus non sit, nisi cum id agetur, ut declarentur, vel denuntientur ii, qui, quod allatum Decretum violaverint, Censuram subierint.

XIII. Addi & illud potest, non amplius timendum fore, ne Episcopi Parochis extra proprias Diœceses vagantibus, & non sine gravi scandalo Lutetiæ Parisiorum versantibus patrocinari, atque ita tam utilis, ac tam necessarii Decreti executionem impedire velint. Si enim illi ita se gererent, accommodari iis possent Honorii III. ad nonnullos Episcopos Parochis Regularibus plus æquo faventes scribentis verba hæc: *Non obsistatis eisdem, nec illis favorem indebitum impendatis, ne alter faciendo, tribuatur eis audaciam detrectandi obedientiæ jugum, & ipsorum Abbatum potestatem quodammodo enervetis*. Prælatus porro Præmonstratensis, si quid egerit quoad nonnullos Ordinis sui Parochos in Constitutionis editæ consecutionem, id omne debet Episcopis significare, ut interim earum Parochiarum servitio prospiciant, quarum Parochi functionibus obeundis impares fuerint.

Decisum in Sorbona die   Januarii an. 1702.
Subscripti   Joisel, Huart, De Blanger, Germ. Fromageau.

In hujus decisionis consecutionem Abbas Præmonstratensis Constitutionum supra allatam edidit, omnesque Ordinis sui Religiosos parere jussit; quoniam porro mentio fit Edictorum & Declarationum Regis, quibus ipse nititur, non abs re fuerit ea hoc loco, quam late patent, afferre.

Excerptum Actorum Consilii Status.

CUm Regi in Consilio suo existenti significatum fuerit per Fratrem Michaelem Colbertum Abbatem Præmonstratensem, Caput, & Generalem dicti Ordinis, quamvis obedientia propriis Prælatis a Religiosis exhibenda, ac regularium omnium votorum custodia sint Statutorum & Constitutionum Ordinis præcipua capita: bene multos tamen Religiosos Parochos, Procuratores, Priores, Vicarios, aliosque Beneficiatos, antea missos ab eorum Prælatis ad deserviendum Parochiis, Procurationibus, aliisque Beneficiis, quæ dicti Ordinis Abbatiis annexa fuerunt, ut earum Religiosis sustentandis inservirent, non parere mandatis, quæ ad eos mittuntur ab ipsorum Generali, vel ab Abbatibus Regularibus Vicariis Generalibus, aliisve eorum Superioribus, cum eos vel ad Abbatias, e quibus eggressi sunt, revocandos, vel ad alias ejusdem Ordinis Familias mittendos censent, quod prætendant se Archiepiscoporum, vel Episcoporum, in quorum Diœcesi dictæ Abbatiæ sitæ fuit, provisione, & approbatione gaudere, perinde ac si ob Parochorum & Beneficiatorum titulum eximerentur a votis, quæ solemniter ediderunt, cum Religionem amplexi sunt, & ab eo quoque voto, quod edere tenentur, cum ad easdem Parochias mittuntur, in executionem Articulorum 41. & 42. dictorum Statutorum, qui expresse mandant, ut omnes dicti Ordinis Religiosi, Parochi, aliique Beneficiarii ad sua Conventualia Domicilia redeant, & dictas animarum Curas & Beneficia deserant, quoties a suis Superioribus jussi fuerint, & omnes Resignationes, ac demissiones necessarias peragant, sub excommunicationis pœna; cumque requiratur a Sua Majestate, ut sibi placeat præcipere, ut dicta Statuta juxta ipsorum formam & tenorem executioni mandentur: & prout statuitur Capite 23. dictorum Statutorum & Constitutionum quoad dictos Parochos & Beneficiatos dicti Ordinis, omnes Religiosos Parochos, Procuratores, Priores, aliosque, redeant ad sua Domicilia Conventualia, & Regularia, vel alia, quæ iis præscribentur, primo quoque Mandato, Requisitione, vel Obedientia, quæ ipsis imponetur, vel ad eos mittetur a Generali, Vicariis Generalibus, Abbatibus Regularibus, vel aliis eorum Prælatis. Viso dicto Capite 23. Articulis 7. 41. & 42. dictorum Statutorum & Constitutionum dicti Ordinis Præmonstratensis Bullis concessis a nostris Sanctis Patribus Papis Julio II. aliisque, Litteris Patentibus, & Privilegiis confirmativis dictorum Statutorum concessis a Regibus Prædecessoribus suæ Majestatis: Audita relatione dictæ supplicationis, & omnibus ponderatis, *Rex existeas in suo Consilio* mandavit, mandatque, ut Statuta, & Constitutiones dicti Ordinis Præmonstratensis juxta eorum formam & tenorem executioni mandentur; atque ita omnes Parochi, Procuratores, Priores, Sub-Priores, aliique Beneficiati Religiosi dicti Ordinis se recipiant, redeantque in Abbatias, & Domos Conventuales, ex quibus educti fuerint, ut dictis Parochiis, Procurationibus, aliisque Beneficiis deservirent, vel ad alias quascumque Domos, & Abbatias, quæ ipsis præscriptæ fuerint ab eorum Generali, vel Successoribus in posterum, Vicariis Generalibus, vel Abbatibus Regularibus, Prioribus, aliisque Superioribus Abbatiarum, a quibus pendebunt, quoties necessarium judicaverint; & id quidem ad primam Requisitionem, Mandatum, vel Obedientiam, quæ ad eos mittetur juxta dictum Caput 23. & Articulos 7. 41. & 42. dictorum Statutorum, & Constitutionum super hoc negotio, in pœnam inobedientiæ; & cum dictus Generalis, ejusque Successores, vel Abbates Regulares, Vicarii Generales, aliique dicti Ordinis Superiores revocabunt dictos Religiosos Parochos, Procuratores, Priores, aliosque in sua Domicilia Conventualia, teneantur eligere Religiosos alios idoneos, in eorum locum mittendos, qui deinde auctoritatem consueta forma obtinebunt; mandatque Majestas sua omnibus Archiepiscopis & Episcopis, in quorum Diœcesi sitæ sunt Parochiæ, Procurationes, aliaque Beneficia dicti Ordinis Præmonstratensis, Generalibus eorum Vicariis, aliisque Ministris, ut dicti Ordinis Statutorum, & præsentis Rescripti executioni invigilent, non obstantibus omnibus aliis Rescriptis & Declarationibus huic contrariis, quæ Majestas ipsa declaravit nulla, nulliusque ponderis; & non obstantibus etiam omnibus oppositionibus, vel appellationibus quibuscumque, quarum si quæ intervenerint, Majestas Sua omnem Jurisdictionem & cognitionem sibi reservavit & reservat, eamque suis omnibus Curiis Senatoriis, aliisque Judicibus interdicit; Volens insuper ut omnes Patentes Litteræ, & Declarationes, quibus opus fuerit, ad præsentis Rescripti executionem, expediantur, & ubicumque res postulaverit, in Acta referantur. Datum in Consilio Status Regis, coram Majestate sua, habito in Fano S. Germani die 8. Maji an. millesimo sexcentesimo sexagesimo nono,

Subscriptus, De Lionne.

Ludovicus Dei Gratia, Franciæ & Navarræ Rex, Delphinus Viennensis, Comes Valentiensis & Diensis, Comes Provinciæ, Forcalcherii, & Tractuum adjacentium. Omnibus has præsentes Litteras inspecturis, Salutem. Noster charus & dilectus F. Michael Colbertus Abbas Præmonstratensis, Caput, & Generalis dicti Ordinis; Nobis significandum curavit, variis nostrorum Sanctorum Patrum Paparum Bullis, & præsertim Julii II. Statuta & Constitutiones dicti Ordinis Præmonstratensis generatim quoad omnes Articulos firmata fuisse, cum diligenter, & ut decebat, in pluribus Generalibus Capitulis examini subjecta fuissent, ac deinde auctoritate donata Patentibus Litteris Regum Prædecessorum nostrorum, ac rursus nuper Rescripto nostri Consilii Status diei octavæ præsentis mensis; quo quidem, aliquibus ex dicto Ordine Religiosis Parochis, aliisque Beneficiatis ad sua Conventualia Domicilia redire renuentibus, Nos mandaverimus, ut dicta Statuta executioni darentur, omnesque Religiosi Parochi, aliique Beneficiati ejusdem Ordinis ad proprias Conventuales Domos redirent, quoties ab Ordinis Generali, aliisve Prælatis acciti essent. Cum intentio, ac voluntas nostra ea sit, ut hic Ordo, cujus redintegratio nobis cordi est, & ad quam dictum Fr. Michaelem Colbertum dicti Ordinis Generalem merito atque utiliter incumbere vehementer optamus, sustentetur, ac vigeat; cumque aliqui Religiosi Parochi, Procuratores, Priores, Vicarii, aliique Beneficiati dicti Ordinis haud ita pridem a Prælatis suis missi ad regimen Parochiarum, Procurationum, aliorumque Beneficiorum, quæ dicti Ordinis Præmonstratensis Abbatiis annexa sunt, ut earum Religiosis alendis inservirent, mandatis parere negligant, quæ ad eos missa sunt a Generali, aliisve Abbatibus Regularibus, Vicariis Generalibus, aliisque eorum Superioribus, cum eos ad Abbatias, e quibus educti fuerunt, revocandos, vel ad alia ejusdem Ordinis Domicilia mittendos judicaverint, eo prætextu, quod ab Archiepiscopis, vel Episcopis, in quorum diœcesi dictæ Abbatiæ sitæ sunt, provisiones obtinuerint, id quod aliis earumdem Religiosis exemplo esse posset, ut idem facerent, contra intentionem nostram in nostri dicti Consilii Rescripto declaratam; quoquidem mandamus, ut dicta Statuta pro ipsorum forma ac tenore executione mandentur, Ad has Causas, cupientes dictum Ordinem peculiari nostra protectione tueri, de Consilii nostri sententia, plena potestate & auctoritate Regia, confirmavimus, & confirmamus dicta Statuta, & Constitutiones Ordinis Præmonstratensis; Volumus, nobisque placet, ut omnes dictorum Statutorum articuli, & præsertim Capitis vigesimi tertii, quod ad dicti Ordinis Parochos, aliosque Beneficiatos omnino spectat executionem obtineant pro ipsorum forma ac tenore, perinde ac si hoc loco singillatim proponerentur, & exprimerentur; id autem ut omnes dicti Ordinis Præmonstratensis Religiosi,

qui

qui dictis Parochiis, Procurationibus, aliisque Beneficiis, ab Abbatiis dicti Ordinis pendentibus potiti fuerint, ad suas Conventuales Domos, vel alias quæ iis distinctim indicatæ fuerint, revertantur, statim ac jussi fuerint a F. Colberto eorum Generali, vel ab ejus Successoribus, Vicariis Generalibus, Abbatibus Regularibus, aliisque Prælatis, sub inobedientiæ pœna, atque ut alioquin cogi possint, juxta dictorum Statutorum Articulos, non obstantibus omnibus in contrarium Rescriptis & Declarationibus, quæ revocavimus, & revocamus præsentium tenore, quæque nulla, nulliusque ponderis declaravimus, & declaramus, non obstantibus etiam omnibus oppositionibus, vel appellationibus quibuscumque, quarum si quæ intervenerint, Nos earum omnem Jurisdictionem & cognitionem nobis reservamus, & utramque omnibus nostris Aulis Senatoriis, aliisque Judicibus interdicimus: Sic in mandatis damus nostris Dilectis & Fidelibus Præfectis nostri dicti Magni Consilii, omnibusque aliis nostris Judicibus ac Ministris, ad quos pertinebit, ut hoc dictum Rescriptum nostræ Cancellariæ sigillo munitum, simulque præsentes nostras Confirmationis & Declarationis Litteras, & omnia in iis, & in dicto Rescripto contenta curent legenda, indicenda, & in acta referenda; nec non dictis Statutis & Constitutionibus faciant, tolerent, sinantque frui dictum F. Colbertum Generalem, ejusque Successores, eorumque Vicarios Generales, Abbates Regulares, aliosque Superiores, plene, ac pacifice, quin contra quocumque modo fieri patiantur, aut permittant; & prout quidem dictum Rescriptum, atque hæ præsentes dicto F. Colberto, ejusque Successoribus non uno in loco usui esse poterint; Nos volumus, ut earum *Vidimus*, a nostris Dilectis & Fidelibus Consiliariis & Secretariis edito, tanquam præsenti Exemplari fides adhibeatur; & præterea injungimus primo nostro Officiali seu satelliti in hoc rogato, ut edat omnes expositiones, significationes, & coactiones necessarias in executionem dicti Rescripti, ac præsentium, quibus, in horum fidem, sigillum nostrum apponi voluimus. Datum in Fano S. Germani mense Majo, anno salutis millesimo sexcentesimo sexagesimo nono, & Regni nostri vigesimo sexto. *Subscriptus*, *Ludovicus*: & infra, pro Rege, Comite Provinciæ, *De Lionne*. Et signatum magno sigillo ceræ rubræ.

Relatum in Acta Magni Consilii Regis, juxta Rescriptum hoc, hodie in eodem editum. Parisiis hac die millesimo sexcentesimo sexagesimo nono.

Subscriptus, *Herbinus*.

Collatum cum Exemplari, per me Consiliarium Secretarium Regis, Familiæ, Regni Galliarum, & Vectigalium.

DECLARATIO REGIS.

Quoad institutionem, & revocationem Parochorum Canonicorum Regularium Ordinis Præmonstratensis.

LUdovicus Dei gratia, Franciæ & Navarræ Rex. Omnibus has præsentes Litteras inspecturis, Salutem. Cum Ecclesiasticæ disciplinæ in Regno nostro custodiendæ sollicitudo Nos moverit ad plures edendas Constitutiones super administratione Parochiarum Regularium Ordinis Sancti Augustini, ut nimirum Religiosi, quorum exemplaris sit vitæ ratio, iis præficiantur: Nos modum quæsivimus tuendæ auctoritatis, quæ ad dicti Ordinis Superiores pertinet, in Religiosos Parochos, quin tamen Archiepiscoporum & Episcoporum ordinariæ in propriis Diœcesibus Jurisdictioni quicquam detrimenti afferatur; & Nos intelleximus, rationem magis Canonicam, ad utriusque sustentationem, non sine Populorum ædificatione, eam esse, ut restituatur ordo præscriptus Statutis Congregationum Galliæ, & Præmonstrati, quoad Religiosorum Parochorum institutionem & revocationem; id quod Nos ita præstitimus, ut dictis Religiosis animarum curam obtinentibus in memoriam revocantes obedientiam, quam propriis Prælatis voverunt, & a qua Parochorum qualitas eos non eximit; Nos eodem tempore servaverimus Episcopis potestatem eos in dictis Parochiis retinendi, quos Parochiis suis utiliter administrandis, ibique Religionis bono, & emolumento, quæ semper præcipua nostra cura est, procurando idoneos judicassent. Hac nimirum mente per Rescriptum nostri Consilii Status diei quintæ Aprilis an. millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Nos mandavimus, ut juxta articulum quintum Statutorum Congregationis Galliæ, Canonici Regulares dictæ Congregationis Parochias obtinentes possent ab ejusdem Capitulo, vel Superiore Generali ex propriis Beneficiis removeri ac revocari, ob eorum culpas, & scandalum, vel etiam ob Ordinis bonum, de Episcoporum tamen consensu. Atque ut id stabilis & perpetuæ Legis loco esset, atque adeo silentium imponeretur iis, qui opinarentur dictos Religiosos Parochos ob crimina ab ipsis patrata revocari non posse, quin in eos inquisitio institueretur, vel saltem ipsis suæ revocationis causæ præcedentibus monitionibus explicarentur: Nos Patentibus Litteris nostris, in formam Edicti mensis Octobris an. millesimo sexcentesimo sepuagesimo nono declaravimus eam voluntatem nostram esse, ut dicti Religiosi Parochi absque ulla præcedenti monitione, ac sine forma, aut ratione judicii a Beneficiis suis revocari, & in suæ Congregationis Monasteria remitti possent ab ejus Capitulo, vel Superiore Generali, ob patrata delicta, & scandalum, Episcopo, & eorum Superiori cognitum & perspectum, vel etiam ob Ordinis bonum & emolumentum, quod ita requireret, consentientibus tamen Archiepiscopis & Episcopis, in quorum Diœcesibus Beneficia sita essent, & non aliter, quod ex eo tempore executioni mandatum fuit apud Canonicos Regulares Congregationis Galliæ, non sine magna disciplinæ Ecclesiasticæ utilitate, in omnibus Diœcesibus, in quibus dictæ Congregationis Parochi existunt. Et quamvis ea nobis intentio fuerit, ut in omnibus Regularibus Parochiis Præmonstratensibus ejusdem Ordinis Sancti Augustini eamdem regiminis formam institueremus, statuentes, ut egimus Rescripto nostri Consilii Status diei decimæ secundæ septembris an. millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, ut juxta dicti Ordinis Præmonstratensis Statuta vetera, Religiosi Parochiis potientes revocari, & ad Monasteria, in quibus professi sunt, redigi possent, ob delicta ab ipsis commissa, ac scandalum, nec non ob Ordinis bonum & emolumentum, quod ita requireret, dummodo cum Episcoporum consensu, & non aliter. Nihilominus Nos intelleximus, ejusdem Ordinis Præmonstratensis Canonicos Regulares animarum cura gaudentes producere, in hujus Rescripti interpretationem, easdem difficultates, quas paulo ante producebant Canonici Regulares Congregationis Galliæ, quoad executionem Rescripti nostri Consilii status diei decimæ quintæ Aprilis an. millesimi sexcentesimi septuagesimi noni, contendentes pariter iidem Religiosi Parochi ejusdem Ordinis Præmonstratensis se a propriis Parochiis revocari non posse, haud sibi cognita causa, propter quam revocentur, sine judicii forma ac ratione. Et quoniam hæc eorum sententia dubio procul januam aperit innumeris contestationibus, quæ vim habeant regularis disciplinæ funditus evertendæ; & Nos probe novimus, quam Declaratio nostra mensis Octobris an. millesimo sexcentesimo septuagesimo nono Ecclesiastico regimini utilis fuerit; Nos proinde necessarium judicavimus, ut nostram quoque mentem quoad Præmonstratensis Ordinis Regulares Canonicos explicaremus, & ejusmodi regimen in omnibus utriusque Congregationis ejusdem Ordinis S. Augustini uniforme redderemus. *Ob has Causas*, aliasque ad id nos moventes, de sententia Consilii nostri, quod vidit dictum Rescriptum diei decimæ secundæ Septembris an. millesimi sexcentesimi septuagesimi octavi, nec non Statuta dicti Ordinis Præmonstratensis, quæ omnia hic nostræ Cancellariæ sigillo munita existunt; ac de scientiæ nostræ plenitudine, & potestatis atque auctoritatis Regiæ plenitudine; Diximus, statuimus, & mandavimus, & per has præsentes manu nostra signatas, dicimus, statuimus, & mandamus, vo-

lumus, & Nobis placet, ut juxta antiqua Præmonstratensis Ordinis Statuta, dicti Ordinis Religiosi, qui ejusdem Ordinis Parochias, seu Vicarias perpetuas, seu Prioratus animarum curam habentes obtinuerint, possint absque ulla præcedenti monitione, & sine forma vel ratione judicii a propriis Beneficiis revocari, & removeri, & in alia ejusdem Congregationis Monasteria mitti; videlicet Religiosi veteres & non reformati, qui de communi Observantia Præmonstratensi dicuntur, a Capitulo, vel Superiore Generali dicti Ordinis; & Religiosi strictæ Observantiæ ejusdem Ordinis, a Capitulo vel Vicario Generali dictæ Reformationis, ob crimina a dictis Religiosis Parochis perpetrata, & Scandalum, notum Episcopo, & eorum Prælato, atque adeo ob Ordinis bonum & emolumentum, siquidem ita habeat, de consensu tamen Archiepiscoporum, vel Episcoporum, in quorum Diœcesibus Beneficia sita sunt, & non aliter; & id quidem non obstant generali dispositione Declarationis nostræ mensis Januarii an. millesimi sexcentesimi octuagesimi sexti, qua statuitur, ut omnes Parochiæ in posterum a Parochis vel Vicariis perpetuis in titulum administrentur; quæ dispositio impedire non poterit, quominus dicti Regulares Parochi Ordinis Præmonstratensis revocabiles sint, prorsus ut Nos mandavimus quoad Canonicos Regulares Congregationis Franciæ, Parochiis instructos, Declaratione nostra mensis Octobris an. 1686. in hunc finem derogantes Declarationi nostræ diei 29. Januarii dicto an. 1686. quoad hoc tantum. Volumus insuper, Nobisque placet, nullum Canonicum Regularem dicti Ordinis Præmonstratensis acceptare posse provisionem ullius Parochiæ, Vicariæ perpetuæ, vel Prioratus animarum curam habentis, nisi prius Episcopo exhibuerit testimonium vitæ ac morum, & consensum e scripto Superioris Generalis quoad Religiosos communis Observantiæ, & ejusdem Superioris Generalis, vel ejus Vicarii Generalis Reformationis, quoad Religiosos strictæ Observantiæ; quod ni fiat Canonicum Regularem provisum omni jure possessorio spoliatum remanere. Prohibemus, ne nostri Judices ejusmodi provisionum rationem habeant, & dictorum Beneficiorum Patronis & Collatoribus permittimus, ut provideant. Sic in mandatis damus nostris Dilectis & Fidelibus nostri Magni Consilii Præfectis, quibus Nos omnem Aulæ rationem, Jurisdictionem, & cognitionem tribuimus omnium causarum & litium, quæ ad præsentium executionem spectare possunt, hac quidem ipsa omnibus nostris Magistratibus & Judicibus interdicta: ut dictas Præsentes in acta referendas curent, & quod in iis continetur, retineant, & retinendum curent, custodiendum, servandumque pro earum forma & tenore, cessantibus, & cessare jussis omnibus contrariis impedimentis; ejusmodi quippe beneplacitum nostrum est; in quorum fidem Nos sigillum nostrum dictis hisce Præsentibus apponi voluimus. Datum Versaliæ die nona Augusti an. Salutis millesimo septingentesimo, & Regni nostri quinquagesimo octavo. *Subscriptus, Ludovicus. & infra*, Pro Rege, *Phelypeau*. Et signatum magno sigillo ceræ flavæ.

Relatæ in acta Magni Consilii Regis, ut pro ipsarum forma ac tenore executioni mandentur, juxta Rescriptum Consilii hujus diei trigesimæ septembris an. millesimi septingentesimi.

Subscriptus, Normantius.

Collatum cum Exemplari per me Consiliarium & Secretarium Regis, Familiæ, Regni Galliarum, & Vectigalium.

Examen

QUÆSTIONIS PROPOSITÆ.

An Abbas Præmonstratensis, Ordinis Superior Generalis in Religiosos suos, qui Parochi creati sunt, aliquam semper potestatem retineat?

Quibus in rebus versetur potestas hæc?

Quibus pœnis eos, si officio suo defuerint, punire possit?

AD quæstionem primam quod attinet, respondeo, Abbati Præmonstratensi semper in sui Ordinis Religiosos juris aliquid superesse, tum etiam, cum Parochi renuntiantur, quia I. quamvis Parochi, Religiosi esse non desinunt.

II. Ii ipsi ad Superioris Generalis, cujus mandata non amplius amplecti volunt, electionem operam suam contulerunt sive immediatam, sive mediatam. Religiosi Parochi in omnibus Ordinis Capitulis activæ & passivæ vocis capaces sunt, quidni se subdant ei potestati, quam ipsi propria electione instituerunt?

III. Statuta, quæ se servaturos voverunt, eos Superiori Generali subjiciunt; eos quoque subjiciunt Superioribus peculiaribus Monasteriorum, a quibus pendent eorum Regulares Parochiæ. Statuta hæc ipsos monuerunt, eos, cum Parochiam obtinuerint, ab obedientia exemptos non fore; iidem tamen vel ita moniti se ea servaturos obstricto voto promittere non destiterunt. Qui possunt in præsentia suam ipsi fidem adeo solemni jurejurando obstrictam fallere?

IV. Quia nunquam non a Regularium Canonicorum institutione Pontifices, editis Bullis, apertissime statuerunt, ut Religiosi Parochi vel post susceptum Pastoris officium a Regularis Superioris Jurisdictione penderent. Magnus harum Bullarum numerus in responsis ad D. Gerbasium productus est; quamvis autem ille eas refutandas susceperit, nunquam tamen id præstitit distincte, sed semper ejusmodi auctoritatem elusit.

V. Quia Galliarum mos Bullis hisce conformis est, easque Rex Patentibus Litteris, Consilium Status, & Magnum Consilium suis Rescriptis amplexi sunt. Id optime noverat D. Gerbasius, qui proinde super hac auctoritate altum silentium servavit, non ignorans sibi non licere Bullas Regia auctoritate acceptatas evertere.

VI. Quia nostri ipsi Episcopi in Regulari Prælato id juris agnoscunt. Cur enim tandem in negotio, quod quæstioni, quæ in manibus est, occasionem præbuit, Eminentissimus Cardinalis Noviliacensis ad Abbatem Præmonstratensem confugisset, qui Religiosos Parochos ab Ordinis sui Domibus pendentes, & Parisiis in Sæcularibus Domibus degere audentes coerceret, nisi credidisset eum aliqua in ejusmodi Religiosos Parochos auctoritate gaudere? Illud autem animadversione dignum est, Parochos Regulares ex Canonicorum Regularium Ordine, qui ab Episcopo maxime pendent, cæterorum omnium Regularium Parochorum maxime a Regulari Superiore pendere. Religiosi Parochi a Sancto Victore Parisiensi pendentes Superiori Regulari omnino subjecti sunt; ille in eos plena pollet auctoritate, atque adeo absque Episcopi consensu eos revocare potest. Nec dici potest hanc in S. Victoris Regulares Parochos auctoritatem Regulari Prælato non aliunde advenire, quam ex eo quod ejus Abbatiæ Parochiæ sint adhuc puræ putæque Commissiones, quales prioribus sæculis Ordinis Canonicorum Regularium ubique erant. In Monasterio Suessionensi S. Joannis de Vineis, quod plena dependentia Episcopo subditur, & in quo Parochiæ Regulares nunc temporis Tituli sunt, Regulares Parochi, quamvis Titulares, nihilominus Regulari Prælato apprime subjecti sunt, ac tenentur actionum suarum rationem reddituri ad Generalia Familiæ Capitula accedere, quæ quidem Generalia nuncupantur, quia non solum ex Religiosis omnibus in Claustro morantibus, verum etiam ex Religiosis Parochis constant.

VII. Quia Rex Prælati Regularis auctoritatem ipse confirmat, dum illi mandat, ut eadem utatur in ea facti specie, de qua agitur, quæque propositæ quæstioni locum præbuit. Rex in mandatis dedit, ut Præmonstratensis Abbas admoneretur, ejus Religiosos nonnullam querimoniæ causam præbere, quod Parisiis extra proprii Ordinis Domicilia versarentur; eique per Politici status Legatum significatum voluit, ejus esse ejusmodi malo remedium afferre.

In

In hac querela ille generatim eos omnes compleaus est, qui Præmonstratensem habitum deserrent; eum autem Regulares Parochi deserunt, nec ab eo deferendo se eximere possunt; ibi ergo & ii continentur, & Præmonstratensi Prælato eos cohibendi jus est; in quo quidem jure servatur a Rege ipso, qui sane eumdem Prælatum, qui nulla in eos Parochos potestate polleret, frustra ac temere, quod dictu nefas est, monuisset.

VIII. Earum Familiarum Regulares Abbates, a quibus Præmonstratenses Regulares Parochiæ pendent, subdunrur & ipsi Generalis Prælati Decreto, quod mandat, ut quisquis ex Ordine Parisios venerit, in Ordinis Domicilium sese recipiat; atque adeo pœnis in eodem Decreto impositis obnoxii sunt. Regulares autem Parochi, qui ejusmodi Abbatibus inferiores sunt, qui non nisi ad eorum præsentationem Parochias obtinuerunt, quos denique tot Pontificium Bullæ iisdem subjiciunt, ab ea se lege exemptos contendent? Cum Prior Abbatiæ, cujus illi dependentia membra sunt, cumque ejusdem Abbatiæ Abbas Regularis Prælato Generali parere debeant: se illi credent ob Parochiæ Titulum peculiari privilegio gaudere, quo ab obedientia liberentur?

IX. Cum Pontifices Sæcularibus Clericis Regulares Parochias conferunt, ea tantum conditione conferunt, ut se tribus Religionis votis obstringant, & quod inde consequitur, Regulari Prælaro obedientiam promittant. Dum ergo a Secularibus id requirunt, ut ad Parochiale officium incundum Religiosi fiant: eximent Religiosos a proprii status obligationibus, quod Parochi evaserint? *Regularia Beneficia*, inquit Tridentina Synodus *sess.* 14. *cap.* 10. *de Reform. in titulum Regularibus professis provideri consueta, cum per obitum, aut resignationem, vel alias illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, & Professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem lino lanaque contextam induant, conferantur*. Hinc liquido constat, ne Beneficium quidem, quod in titulum possidetur, alii conferri posse, quam vel Regulari, vel Sæculari, qui apud se statuerit Religiosum statum amplecti. An vero ille pridie ante susceptam Regularis Beneficii administrationem Regulari statui se addicit, ut postridie vi Parochialis Tituli se ab omnibus Regularis status obligationibus liberet? Hodiene obedientiæ Professionem edit, ut cras independens fiat? Hæc nimirum absurda, quæ quam sint absona, nemo non videt, ea Adversariorum nostrorum principiis consequerentur.

X. Independentia, quæ hocquidem tempore prætenditur, nova est; Ante Gerbasium ea nemini prorsus in mentem venerat; atque universus Ordo quoad Regulares Parochos in auctoritatis suæ tranquilla possessione perstiterat. Turbatur illa nunc temporis post tot sæculorum spatium, postquam tot Abbates sanctitate præstantes eam tanta cum Ecclesiæ utilitate, nec sine approbatione exercuerunt Episcoporum, qui non ideo suam ipsorum auctoritatem lædi crediderunt, & semper probe noverunt eam in aliis versari capitibus, quam in quibus sua ipsorum versaretur auctoritas, illosque ea utiliter uti posse, ut Religiosos Parochos sanctificandis populis magis magisque idoneos efficerent; quandoquidem ii consiliis Evangelicis, quæ voverunt, fideliter adhærentes, multo minus præcepta violabunt, quæ Ecclesia seu Christifidelibus universim, seu Clericis singillatim imponit.

XI. Hæc denique Regularis Superioris auctoritas apprime utilis est, atque adeo necessaria. Ea quidem apprime est utilis, ut Regulatis Parochus Religiosi hominis officia, & quod inde consequitur, ea quoque, quæ Parochi sunt, accurate exequatur; est etiam maxime necessaria, quoniam nemo magis, quam Regularis Prælatus servandis Religiosi status obligationibus invigilare potest, præsertim cum Ecclesiastici Præsules non æque ac Regulares Prælati easdem obligationes cognitas habeant atque perspectas.

Jam altera quæstio instituitur, in eo posita, quæ tandem sint ea capita, in quibus Religiosus Parochus adhuc a Regulari Prælato pendere debeat? Sæpe quidam Pontifices suam hac in re mentem aperuere, ac de Religiosis ad Parochiarum provisionem Episcopo præsentandis verba facientes, ejusmodi verborum formulis usi sunt: *Diœcesano Episcopo præsentetur*, inquit Alexander III. sæculo decimo secundo, scribens ad Ahhatem Regularem Sancti Joannis de Vineis Suessionensis Urbis, a quo quidem plurimæ Regulares Parochiæ pendent, *ut ab ipso Curam recipiant animarum, ita quod eidem de spiritualibus, vobis vero de temporalibus, & de Ordinis observantia debeant respondere*. Itaque excepta Sacramentorum administratione, pronuntiat Alexander III. Regularem Parochum Regulari Prælato de cæteris omnibus capitibus, & singillatim de Regularum suarum observantia, deque suorum proventuum administratione respondere. Quod si eum de Regularum observantia ipsi respondere vult, eum ergo adhuc Religiosum, semperque implendis Religiosi hominis obligationibus obstrictum putat. Equidem non inficior, Regularem Parochum non modo de Sacramentorum administratione, verum etiam de morum suorum institutione debere Episcopo respondere; non inde tamen sequitur, Regulari Prælato non amplius licere moderandis ejus moribus invigilare. Nimirum Regularis Parochus mores suos conformare debet & ut Religiosus, & ut Parochus; si populo sibi concredito scandalosis vel sermonibus vel criminibus noceat, debet dubio procul Episcopus eumdem reprimere, & hoc quidem sensu ipse ejus mores moderandi jus habet. Verum ille in ejusmodi quidem excessus non incidens potest aliis officiis deesse, quæ ipsi tanquam Religioso sint essentialia; fieri nimirum potest, ut pristini sui status prorsus immemor non amplius a Sæculari Parocho distinguatur, ad Monasterium, a quo pendet, omnino referri nolit, habitus, & mobilia bona possideat, indulgeat oblectationibus, expensas faciat, cum personis suo statui non congruentibus, sibique per Ordinis proprii statuta prohibitis commoretur; an vero, rebus ita se habentibus, Regularis Prælatus nullo amplius in eum jure pollet? Dominus quidem *de Sainte Beuve* (a) adeo non putat, Regularem Parochum sibi ipsi relinqui posse, permittique tamquam mere Sæcularem Parochum vivere, ut potius decidat, si forte proprium habitum ille deponeret, omnino necesse fore, ut Episcopus suam & ipse operam eo conferat, ut eumdem ad habitum iterum sumendum, vel Censuris inflictis, compellat. Complures Pontificum Bullas non moror, in quibus scilicet declaratur, Regularem Parochum quoad solam Sacramentorum administrationem ab Ecclesiastico Prælato pendere; ita quidem suam mentem explicant Alexander V. (b) sæculo quinto decimo, & Pius V. sæculo sexto decimo: *Quoad administrationem Sacramentorum dumtaxat*. Ac posterior quidem agens de Diœcesani Episcopi, & Melitensis Ordinis juribus in Fratres Capellanos Religiosos professos Ordinis, & Parochiis ab eo pendentibus instructos, pronuntiat Parochiæ visitatione ab Episcopo Diœcesano institutam Superiorum Ordinis visitationi omnino non derogare. Sed ut universum negotium hoc clarius intelligatur, distinguenda sunt capita tria, in quibus Regularis Parochus propriis obligationibus deesse potest, suntque disciplina regularis, disciplina Ecclesiastica, & Civilis institutio. Regularis Superior potest in eum animadvertere, si deficiat in primo capite; Diœcesanus Episcopus potest auctoritatem suam in eum exercere, si in altero aberret a via; in eum denique locum habet Laici Magistratus Jurisdictio, si tertium violet. Tres hæ potestates distinctæ aliæque sunt, non tamen oppositæ; potest Regularis Parochus omnibus hisce tribus eodem tempore satisfacere, in iis, quæ quamvis diversa, non tamen invicem pugnant, sed potius mutuo conspirant. Si contenderet Regularis Parochus se non debere quoad Civilem institutionem ulla ratione a Laico Magistratu pendere, quia quoad Ecclesiasticam disciplinam ab Episcopo pendet, nonne statim appareret, quam temere id arrogaret? Ac minusne absurdum est, eumdem se a Regularis Prælati Jurisdictione exemptum contende-

(a) Tom. 2. Casuum Conscientiæ p. 49. n. 7.

(b) Extat Bulla Alexandri V. in Bibliotheca *Præmonstratensi* Patris Pagii p. 706. Bulla vero Pii V. tom. 2. Monumentorum Cleri pag. 971. an. 1572. pro Equitibus Melitensibus.

re, quod Episcopo quoad Ecclesiasticam disciplinam subjectus sit? Si in Ordinis Monasterio, in quo Abbatis eligendi jus adbuc vigeret, de Regulari Abbate eligendo ageretur, Religiosi Parochi, qui ab eo Monasterio penderent, tum sane contenderent, se, quod animarum curam susceperint, non proinde tamen Religiosos esse desiisse, atque ita sibi jus esse vocis activæ ac passivæ in Capitulo, in quo instituenda electio est. Cum agetur de obtinenda dignirare, Religiosos se fatebuntur, ac prædicabunt; cum autem de præstanda obedientia agetur, se tunc amancipatos dictitare non verebuntur.

Sed tandem veniamus ad præcipuam eamdemque postremam quæstionem, quæ nempe in eo sita est, quam demum pœnam Regularis Prælatus imponere possit, cum Religiosus Parochus in iis deficit, quæ ad ejus Jurisdictionem spectant; eumne excommunicatione mulctare possit? Possitne eum in carcerem conjicere?

Ad excommunicationem quod attinet, respondeo; primo quidem Regulares Prælatos quoad Religiosos Parochos obligationibus suis infideles eadem ab Ordinis incunabulis usos esse. Testatur id Stephanus Turnacensis in sua Epistola 162. ad Urbanum III. *Verum perhibemus testimonium, quod ab exordio Ordinis nostri Parochiales Canonicos nostros in Episcopatibus, in quibus sunt, libere, & absque ulla contradictione pro necessitate, vel utilitate Ecclesiarum nostrarum, vel pro suarum correptione culparum consuevimus amovere, & in Claustrum reducere, & quoties res urgebat, excommunicare.* Postrema hæc verba in hanc rem diserta & aperta sunt.

II. Generales Ordinis in suo quique Ordine gaudent Ordinarii potestate. Possunt ergo excommunicare, siquidem non nisi in proprios subditos, & in negotiis ad se pertinentibus ejusmodi pœnam infligant.

III. Animadvertendum est, Prælatum Præmonstratensem, cum Religiosum Parochum excommunicat, qui Parisios venit ex Parochia, quæ in Provincia sita est, & Parisiis degit extra proprii Ordinis Domicilium, non pronuntiare excommunicationis sententiam in Religiosum, in propria Parochia residentem, & in proprii Episcopi Diœcesi commorantem; sed in Religiosum e propria Parochia aggressum, & in eo loco morantem, qui eidem non congruit; atque ita excommunicatio hæc Episcopi juri omnino non derogat, nec Parochiales functiones turbat, quippe cum ille tunc temporis extra propriæ residentiæ locum, eique incongruum locum existat.

IV. Ut potestas utraque concilietur, & cohæreat, necesse est, ut Archiepiscopus Parisiensis, qua est humanitate, auctoritatem suam Præmonstratensis Prælati auctoritati addat, & ipse quoque Religiosos Parochos Parisiis in sæcularibus domibus commorantes Censuris percellat. Ut autem Episcopi & Abbatis quoad Parochorum Regularium revocabilitatem auctoritas componatur, Rescripto Consilii Status an. 1678. statutum fuit, eam non nisi mutuo utriusque consensu decerni posse. Quod si in excommunicationis negotio potestas utraque consocietur, tum vero nihil erit, cur ejus validitatem Religiosi Parochi (*a*) contesteatur, præsertim cum ea nitatur causa satis justa, nempe scandalis, quæ, Religiosis Parochis Lutetiæ in Sæcularibus domibus pro arbitratu degentibus, possunt existere.

V. Non est silentio prætereundum, in Concilio Salisburgensi an. 1420. celebrato Canone 7. interdici & excommunicari Religiosos, etiamsi Episcopi fuerint, qui pristini sui status habitum deposuerint. Si ergo ob hanc causam, quæ sane minoris momenti est, quam commoratio in domibus Sæcularibus magna in Urbe, ubi delicta proprio statui contraria, iis insciis, qui correctionis jus habent, facile admitti possunt, ob hanc, inquam, causam Religiosi etiam Episcopali dignitate insigniti communione privantur: quid erit, cur Religiosi Parochi conquerantur, se ob causam multo sane graviorem excommunicatione percelli? Equidem non ignoro, his temporibus in Gallia Episcopos Regulares non amplius Regularem habitum retinere; verum ne illud quidem me latet, non ante annum 1665. vererem super hoc capite morem in Gallia mutatum fuisse, eumque in omnibus aliis Regionibus adhuc vigere, & Romæ quidem Religiosos, quamvis Cardinales, suum pristinum habitum non deponere, & a Religiosis cæteris solo purpurei coloris pileolo differre, quod ipsum novum est, & an. 1591. non ante cœpit, permissu Gregorii XIV. cum nonnulli Religiosi Cardinales eam distinctionis notam sibi concedi vehementer expostulassent. (*b*) Octavum Concilium œcumenicum, (*c*) Concilia duo Londinensia sæculis 12. & 13. quartum Concilium Lateranense (*d*) an. 1215. statuerant expressis verbis, ut Regulares Episcopi suum pristinum habitum retinerent. Super hac disciplina obtinuit in Gallia dispensatio; sed hæc tamen dispensatio nondum ad Religiosos usque Parochos propagata est. Ipse Dominus *de Sainte Beuve*, ut jam animadverti, eos ab Episcopo ad Religiosum habitum recipiendum, siquidem eum deposuerint, Censuris adigi vult. Quandiu ergo hunc illi habitum deserent, qui fieri poterit, ut Superiores Regulares conniveant in iis criminibus, quæ illi sub hoc habitu perpetrabunt, & quibus eum dedecore afficient.

VI. Nulla diu vigere Lex potest, quæ pœnis in violatores statutis non fulciatur. Jamdiu est, quod Lex, quam Religiosis Parochis Præmonstratensis Prælatus imposuit, lata est ab Alexandro III. qui in Epistola ad Abbatem S. Joannis de Vineis Suessionensi in Urbe ita pronunciat in hanc rem: *Statuimus, ut si in Civitate vestra, Castro, vel Villa Abbatiam, vel Prioratum habueritis, & aliquem ex Canonicis vestris Parochialem esse Presbyterum contigerit, in eadem domo cum fratribus suis moretur, & Ordinem suum, quod regula præcipit, pro viribus observet, ne a suo capite videatur divisus. Cum autem in Civitate vestra Synodus celebratur, vestri Canonici Parochialia administrantes, qui ad Synodum accesserunt, in eadem Civitate extra Claustrum comedere, vel dormire nulla ratione præsumant.*

Verum quoad incarcerationem major quam quoad excommunicationem videtur occurrere difficultas; illa quippe Ecclesiastica pœna est, hæc autem non nisi a Laico Magistratu præcipi posse videtur. Non sum nescius penes Episcopum jus esse Presbyteros, qui scandalosa delicta commiserint, in carcerem conjiciendi; sed & illud probe novi eum concessione tantum Principum ejusmodi potestate gaudere, eamque exercere non posse nisi ad *Pareatis* Sæcularis Judicis, & per sæcularis Justitiæ Ministros, nisi forte is, in quem carceris pœna decernitur, tunc adsit in Auditorio; ut enim compertum est, Ecclesiastica Justitia Auditorium quidem habet, Territorium vero nullum habet; atque ita non potest ipsa in sæcularis Justitiæ Territorium aliter quam ab ea mutuatis Ministris, ejusque consensu functiones suas exequi; quamvis tamen Ecclesiastico Judici incarcerationis potestatem, quam habet, exequi non liceat nisi cum *Pareatis* Judicis Sæcularis; verum tamen est ei jus esse decernendi carceris in casibus, qui id requirunt; ac proinde licet Prælatus Præmonstratensis Decretum carceris, quod in Religiosos Parochos criminum, de quibus agitur, reos edidit, absque Episcopi & Magistratus consensu executioni mandare non possit; non tamen consequens fit, ita decernendi jus ei non fuisse; ejus quippe potestatem Decretum non prætergreditur; bene vero Decreti executio.

Decretum hoc est necessarium. Religiosos Parochos cohibendi duplex ratio præsto est; directiva scilicet in modum consilii, cohortationis, atque adeo injunctionis; & coactiva per positivas pœnas. Religiosi Parochi suis obligationibus infideles facile directivam rationem contemnerent. Jam ad coacti-

vam

(*a*) Archiepiscopus Parisiensis 18. Statuto Synodali generalis Synodi an. 1697. suspendit ipso facto Regulares omnes, qui Parisiis in domibus Sæcularibus degunt, mandatque suo Promotori, ut eos insectetur, juxta sancta Decreta, & Canonicas Constitutiones contra Religiosos vagantes.

(*b*) Canon. 27.

(*c*) an. 1138. & 1268. can. 14. & can. 5.

(*d*) Can. 16.

vam quod attinet, pœnæ quoque sunt, quæ patum eorum animos commoverent, ut vocis activæ & passivæ in Ordinis Capitulis privatio, ex omnibus domibus ab eo pendentibus exclusio. Quia porro grave malum est, & efficax remedium postulat, deveniendum est ad pœnas, quibus illi vehementius percellantur, cujusmodi sunt suspensio, excommunicatio, atque adeo facti ratio per carcerem; Ecclesiasticarum tamen & Sæcularium potestatum consensu, qui sane non denegabitur, quoniam pro sua pietate Rex ea de re Præmonstratensem Abbatem monuit, eumque ut malo occurreret, vehementer extimulavit, ac Noviliacensis Cardinalis, & Politici Regiminis Custos eidem Abbati tum Regis, tum suo ipsorum nomine idem significarunt.

Proponuntur quidem aliquæ difficultates adversus ea, quæ posita sunt, ac primo dicitur, Religiosos Parochos emancipatos esse.

Respondeo, eos non ab aliis Regulæ suæ capitibus exemptos esse, quam ab iis, quæ cum Pastoralibus eorum functionibus stare non possunt. An vero cum ejusmodi functionibus pugnat, eos, cum ex propria Parochia Parisios venerint, non in Sæcularem, sed in Ordinis sui Religiosam Domum se se recipere?

Opponitur secundo loco, Religiosos Parochos ab uno ad alium Superiorem gradum fecisse, antea quidem Abbati, nunc autem, suscepto Parochiali munere, Episcopo tanquam proprio Superiori subesse.

Respondeo, eos utrique uno eodemque tempore subjectos esse, sed in aliis tamen capitibus, passim a Pontificibus, quos laudavimus explicatis. Ita quidem super hoc negotio declarat mentem suam Remensis Archiepiscopus scribens ad Abbatem S. Joannis Ordinis Præmonstratensis Ambiani: *Venerabilis Frater Theobaldus Episcopus Ambianensis ad petitionem nostram dilectis filiis Abbati & Capitulo Sancti Joannis Ambianensis concessit, & indulsit, ut in Parochia Sancti Germani, cujus Patronatus ad Abbatem pertinet, ab eodem, vel a successoribus suis unus de Canonicis Ecclesiæ Sancti Joannis Curatus in perpetuum instituatur, qui scilicet de animarum cura Episcopo Ambianensi, Abbati vero suo de temporalibus, & de Ordinis observantia respondeat, sicut Præmonstratensi Ecclesiæ matri eorum a Sede Apostolica jampridem indultum est, & concessum.* Ergo Religiosis Parochis Superiores duos esse, Episcopum, & Abbatem, quoad alia tamen, liquido constat ex Ambianensis Episcopi, & Remensis Archiepiscopi ejus Metropolitani verbis hisce, quæ ducta sunt ex Abbatiæ S. Joannis Ambianensis syngrapha, quæ cum ejusmodi aliis omnium temporum bene multis producta fuit in responsionibus ad Gerbasium.

Objicitur tertio loco, Parochorum institutionem divini juris esse, ac proinde Regulares Prælatos nihil in eorum personas aggredi posse.

Respondeo primo, Pontifices, & Concilia, an divini necne juris essent Parochi, non ignorasse, Regulari tamen Antistiti eos in declaratis capitibus subdidisse. Moguntina Synodus an. 1549. de Religiosis Parochis ita loquitur: *nihilominus sub Prælatorum Regularium obedientia, qui eos corrigere valeant, volumus permanere*. Turonense Concilium an. 1583. non minus luculenter suam hac in re mentem aperit in hæc verba: *Eos, qui sunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen assumpti, scire volumus, voto sui Ordinis perpetuo obligari, nec suæ professionis habitum, capitis rasuram, & alia ejusmodi insignia posse deserere*. Multa alia Concilia proferre possem; sed cum in responsione ad Gerbasium allata sint, nolo acta agere.

Respondeo secundo loco, Parochialis ministerii divinam institutionem id unum evincere, eos in propriis Pastoralibus functionibus turbandos non esse; jam vero turbanturne in ejusmodi officiis, dum Lutetiam venientes jubentur in proprii Ordinis Domibus commorari?

Quarto loco præsidium petitur ex Regularium Episcoporum exemplo, qui quidem Regularis Prælati jurisdictioni non amplius subjecti sunt.

Respondeo primo, juxta Concilia, Pontifices, Jus Canonicum, ac Divum Thomam, quamvis illi ob Episcopalis dignitatis, quæ cuivis Abbatiali jure divino Superior est, eminentiam a Regularis Prælati jurisdictione re ipsa exempti sint, ipsos tamen nec a propriis votis, nec a propriæ regulæ capitibus iis, quæ cum functionibus Episcopalibus minime pugnant, liberos esse. Dubio procul a paupertatis voto non sunt exempti, ut expressis verbis docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 85. *art.* 8.

Respondeo secundo loco inter Religiosum Episcopum, & Religiosum Parochum longe maximum discrimen esse, sive dignitatis, sive Beneficii ratio habeatur. Episcopalis dignitas jure divino Abbatiali superior est. Inquientne Religiosi Parochi ea se dignitate insigniri, qua præstent Abbatibus, qui semper sunt Parochiarum, quas illi obtinent, Præsentatores, & sæpenumero ipsarum Parochialium Ecclesiarum Parochi primitivi? Episcopatus sunt Beneficia, quæ ab Abbatia nec pendent, nec vero pendere possunt; pendent autem Regulares Parochiæ.

Quinto loco opponuntur Rescripta quatuor; primum an. 1646. in gratiam Sezensis Episcopi adversus Abbatiæ Silliensis Priorem, qui Regularem Parochum a se pendentem sustulerat, & in Monasterii sui carcere clauserat. Alterum an. 1656. in gratiam Ambianensis Episcopi contra Priorem Solincurtiensem, qui in Religiosos Parochos ab Abbatia sua pendentes simili facti ratione usus fuerat. Tertium an. 1678. pro Archiepiscopo Auscensi contra Abbatem Domus-Dei, qui cum Religiosis Parochis a se pendentibus eodem modo se gesserat. Quartum denique an. 1691. in favorem Religiosi Parochi Abbatiæ Flavimontii, eodem modo a Priore sublati, captique.

Respondeo, singula Rescripta hæc ab ea facti specie, de qua agitur, procul abesse; tunc enim Regulares Prælati Religiosos Parochos a propriis Pastoralibus functionibus averterant, & e proprio residentiæ loco sustulerant; at vero hic agitur de iis Religiosis Parochis reprimendis, qui extra propriæ residentiæ locum existunt, qui extra proprias Parochias non eam vitæ rationem ineunt, quæ aliis exemplo sit, qui Parisiis in Sæcularibus domibus commorantur, qui denique pro arbitratu licentius se gerunt.

Cæterum ex eis Religiosis Parochis, quorum gratia ejusmodi Rescripta edita fuerunt, alii quidem Canonica, quæ ad Episcopi jurisdictionem spectabant, crimina perpetraverant, alii vero nec contra Pastoralem, nec contra Regularem statum quicquam peccaverant; atque ita ipsis illata vis Pastoralium functionum exercitium contra jus fasque turbaverat. Hoc autem loco de Parochis sermo est, qui ab eo loco absunt, in quo suam eorum Episcopus Jurisdictionem exercet, quique procul dubio non satis ad aliorum ædificationem apposite vivunt, quoniam Potestates Præmonstratensi Abbati mandarunt, ut huic rei præsens remedium afferret.

Præter hanc generalem animadversionem aliæ peculiares super horum Rescriptorum unoquoque possunt institui. In primo quidem an. 1646. declaratur oportere, ut Religiosus Parochus Episcopo Diœcesano de morum suorum institutione respondeat, verum ut ei tantum respondeat, oportere non dicitur. Religiosus Parochus mores suos moderari debet, & ut Parochus, juxta Ecclesiæ Canones, & ut Religiosus, juxta Ordinis sui Statuta, quæ quidem cum Pastoralibus functionibus nequaquam pugnent. Si violet Ecclesiæ Canones, Episcopo, si sui Ordinis Statuta, Abbati respondere tenetur.

Animadvertendum est, eos, qui an. 1646. Rescriptum obtinuerunt, voluisse, ut Aula declararet nullum & abusivum jusjurandum, quo Præmonstratenses Prælati Religiosos Parochos eo pertrahebant, ut sua se Parochia, cum primum jussi fuissent, abdicarent, sed Aula quidem nihil voluit super ejusmodi capite pronunciare, & quoad hanc rem Partes extra forense negotium ac litem posuit.

Ad an. 1656. Rescriptum quod attinet, servatum est Episcopo jus inspectionis in Religiosorum Parochorum mores, sed ita tamen, ut ne Abbas excluderetur, prout nimirum toties fuit explicatum.

Non est omittendum, tametsi Præmonstratensis Abbas huic an. 1656. causæ non interfuerit, Hieronymum tamen Bignonium Advocatum Generalem conclusisse, futurum, ut ille appellaretur, &

audi-

PRÆSCRIPTIO.

PRÆscriptio, quæ pariter in Jure dicitur *Usucapio*, est exceptio, quæ in eum affertur, qui nobis negotium facessit, vel aliquid a nobis petit, elapso certo temporis spatio, post quod Leges & Constitutiones nolunt nobis super ea re molestiam afferri, vel eamdem apud Judicem ex nobis peti. Causa exempli stat præscriptio adversus eum, qui postulat Beneficium, quod Ecclesiasticus pacifice per triennium possedit. Præscriptio legitimus, & quoad conscientiam justus titulus est; & tuta conscientia retineri potest bonum, quod sine interruptione per tempus a Legibus definitum bona fide possessum est, cum verus ejus proprietarius lapsu temporis innotescit. (a) Hæc Civilium Legum, Jurisque Canonici doctrina est.

Definitur in Jure præscriptio, acquisitio dominii per continuationem possessionis eo spatio temporis, quod Lege statutum est. I. est acquisitio dominii alicujus rei, quia qui bona fide rem possedit per id tempus, quod Usucapioni, seu præscriptioni Lex tribuit, vere ac proprie efficitur ejus Dominus; ut causa exempli si quis bona fide rem emit, vel donatione, aliove justo titulo accepit ab eo, ad quem minime pertinebat, ratus ipsum ejus dominum esse, eam possessione per tempus Legibus definitum præscribere, atque ita verum ejus dominium acquirere potest. II. est adeptio dominii per possessionem non interruptam, quia ut alicujus rei dominium præscriptione obtineri possit, possessionem interruptam omnino non fuisse necesse est. III. Requiritur possessio per tempus definitum, quod olim erat anni spatium, quoad res mobiles, bienni vero quoad immobiles, sed postea Justiniani Imperatoris Constitutione productum fuit quoad primi generis res ad triennium, quoad res autem cæteras ad decennium inter præsentes, & ad vicenium inter absentes.

Præscribi tamen potest breviore tempore; sed id tum solum, cum res ex fisco per auctionem emitur; tunc enim statim dominium acquiritur, quin actioni sit locus, etiamsi res fisco non cesserit; id autem statutum est, quo facilius essent, qui emerent; verus autem Dominus contra fiscum agere potest intra quadriennium. Verum locum non habet præscriptio quoad res sacras & Religiosas, qualia sunt Ecclesiæ bona, si minus quam diutissime possessa fuerint, puta quadraginta annorum spatio. Ne locum quidem habet illa in rebus furto ablatis, vel per vim possessis, tametsi bona fide semper possessa sint, quia Lege duodecim Tabularum quoad priores, Lege autem Julia & Plautia quoad posteriores præscriptio prohibetur.

Quoad emptorem bonæ fidei, ut rem præscribere possit, non una existit necessaria conditio. I. Necesse est, ut possidere cœperit ex justo titulo, ut emptionis, donationis, & ejusmodi, quia tituli imaginarii falsa opinatio Præscriptioni locum non tribuit; causa exempli si quis rem possideat, quam se putet emisse, quamvis non emerit, vel possideat donationis titulo, quod sibi donatum non fuit, præscriptioni locum non esse firmum constansque est. II. Opus est, ex Jure Canonico, ut bona fides, nempe justæ possessionis cognitio nunquam interrupta fuerit, quia eodem Jure expresse prohibetur, ne bonæ fidei possessor præscribere unquam possit; cum contra ex Jure Civili rem justo titulo & bona fide acquisitam fuisse sufficiat, ut præscriptioni sit locus, quamvis deinde mala fides extiterit, ex cognitione, quæ suborta est, eum, qui rem vendiderat, ejus Dominum non fuisse. Denique ut præscribi possit, satis est hæredem vel defunctum bona fide rem possedisse eo spatio temporis, quod Lege præscribitur, perinde ac venditorem emptoremque; neque vero necesse est, ut hæres, vel emptor rem per id omne tempus possederint, qui tempus ad præscriptionem necessarium excurrit, quamvis res ab uno ad alium Dominum migret.

Quod attinet ad restitutionis obligationem quoad eum, qui, cum ex justo titulo ac bona fide possederit, in mala deinde fide versatur, quod intellexit, venditorem Dominum non fuisse; responder D. Thomas, (b) hac in re Jus Civile, Jusque Canonicum non cohærere; quia Civili Jure præscribi potest, quamvis decursu temporis in possessore mala fides existat; id autem abhorrer a Jure Canonico; & ejus quidem oppositionis ea est ratio, quod Civilis Legis finis, qui is demum est, ut inter Cives servetur pax, quæ turbaretur, si nullo unquam tempore præscribi posset, differt a Canonici Juris fine, qui nihil est aliud, quam Ecclesiæ quies, & animarum salus; jam vero nullus peccator est, qui salutem consequi possit, quemque ejus, quod attulit proximo, pœnitest damni, ni illud reparet, cum possit.

Quamobrem si quis præscripserit, cum rem bona fide possederit per id omne tempus, quod Lege definitum fuit, eum ad restitutionem non obligari sentiendum est, quamvis eo tempore elapso, cognoscat rem ipsam ad alterum pertinere, quia nempe Leges aliquem proprio bono in ipsius culpæ ac negligentiæ pœnam privare, & illud alteri tribuere possunt; qui vero incidit in malam fidem, antequam tempus ad præscriptionem Lege definitum elapsum sit, tenetur rem vero Domino restituere, adeoque damnum, quod intulit, reparare. (c) Id conforme est decisioni Innocentii III. in œcumenico Lateranensi Concilio; ut enim est in Jure Canonico, statuit Pontifex malæ fidei possessorem nunquam dominium præscriptione acquirere posse, quamvis ei rem Leges adjudicaverint; propterea quod, inquit Concilium, quicquid contra conscientiæ lumen agitur, peccatum est; nos Synodali judicio decidimus, tam Jure Canonico, quam Civili absque bona fide præscriptioni locum esse non debere, *Cum generaliter sit omni Constitutioni atque Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari*. Ut ergo res præscriptione acquiri possit, omnino necesse est, possessorem nunquam merito credere potuisse, rem, cujus ipse possessione gaudebat, ad alterum pertinere.

Lex igitur præscriptionem instituit, ut contestationes, quas in dies excitat habendi cupiditas, certis terminis coercerentur, & familiarum statui ac firmitati consuleretur. Videtur ea quidem cum naturali jure pugnare, quod prohibet, ne quis ex alieno bono locupletetur; (d) præscriptio tamen acquirit alte-

(a) L. 2. Instit. tit. 6. §. 1. Decretal. 16. q. 3 & 4. tit. de præscript. c. Placuit. c. Sanctorum. c. ad Audientiam, &c. S. Thom. quodlib. 12. art. 24.

(b) S. Thomas quodlib. 12. art. 26. in corpore.

(c) Cap. Quoniam, de Præscript.

(d) L. 1. ff. de usucapione.

alterius bonum, quo ille vel ex ignorantia, vel ex oblivione privatur; verum hi duo prætextus, ad præscriptionem destruendam, admitti non debent, quia quisque proprii boni conservationi tenetur invigilare, ac probe scire, quid agere debeat, ut sibi a rerum suarum jactura caveat; publica autem utilitas hac in re majoris momenti est quam privata. Is præscriptionis effectus est, ut civilem, atque adeo naturalem, quæ ex delicto, vel quasi delicto oritur, obligationem extinguat. Nihil porro est, cur expendatur, ea ne favorabilis sit, an odiosa: ei Lex auctoritatem tribuit; ad favorem obtinendum nihil præterea requiritur; sed eam oportet, ut dictum est, vel titulo niti, vel certo annorum numero, qui efficit, ut titulus præsumatur, atque adeo tituli loco est, præsertim vero ex bonæ fidei possessione. Titulus porro is esse debet, quem Lex, usufque præscribunt.

Quærunt nonnulli Doctores, an qui titulum suum ignorat, præscribere possit; iisque respondetur, eum, qui de proprio titulo ignorat, nec re ipsa, nec animo possidere, ac proinde præscriptionem adipisci non posse, nisi ante omnem memoriam adsit possessio, quæ ipsa quidem omnino tituli loco sit; verum longe maximum robur titulo addit bona fides; & nulla unquam præscriptio est, quam non bona fides saltem colorata comitetur; facile ea quidem præsumitur; ut proinde si quis novo possessori significet, sibi jus esse ad hæreditatem, quam ille acquisivit, non eum conjiciat in malam fidem, quamvis titulorum, qui jus suum firment, exemplum eidem exhibeat; nimirum servato Juris ordine agendum est, ut novis possessoribus afferatur certa cognitio, quæ eos in mala fide constituat.

Hoc loco animadvertendum est, bonæ fidei possessione decennali inter præsentes, & vicennali inter absentes hypothecas præscribi, quibus fundus acquisitus obnoxius erat. Dicuntur autem præsentes ii, quorum domicilium iisdem Regiæ Jurisdictionis terminis continetur; iique censentur absentes, qui, quamvis proximi sint, ad aliam tamen Jurisdictionem spectant. Cæterum quemadmodum Emptor bona Venditoris fide se tueri potest, ita eidem mala ejus fides, siquidem eam perspectam habuerit, opponi potest; quod si eam minime noverit, possidet bona fide, quæ Venditoris mala fide omnino non læditur. Denique ea Romanæ Jurisprudentiæ constans ac firma regula est, actionem personalem non nisi per annos triginta præscribi, actionem autem realem, vel hypothecariam decennio præscriptam esse; cum vero hæc duplex actio conjuncta est, possessorem non ante quadragesimum possessionis annum in tuto poni.

Vide { RESTITUTIO.

Census annui Præscriptio.

CASUS I.

Hæredes ejus, qui censum debebat ex domo, non possunt, ut ab eo solvendo se eximant, ad præscriptionem confugere, cum actio in eorum aliquem intentata fuerit.

QUÆSITUM.

Guillelmus an. 1610. domum emit annuo 15. librarum censu, cujus sors 300. librarum est; sola domus hypothecæ loco est; in contractu nihil occurrit, ex quo appareat Emptoris bona cætera realiter hypothecæ addicta esse; sed ea quidem personaliter obligata esse constat ex ejusmodi Contractus clausula: *præterea tenetur dictus Emptor prospicere, ut dicta domus ita constet ac vigeat, ut dicto censui par sit.*

An. 1659. Simon, Robertus, & Artusius filii & hæredes Joannis Guillelmi filii partiuntur inter se Joannis patris sui successionem; atque in partitione Simon & Robertus cedunt Artusio fratri dictam domum, quam acceptat Artusius, & census elapsos, elapsosque se recipit soluturum, ut proinde Simon & Robertus nihil in posterum vel jacturæ vel damni sentiant.

Anno decimo a partitione vendit Artusius dictam domum tertiæ personæ, cui Nicolao nomen, pretio 300. librarum numeratæ pecuniæ, non sine annui fœnoris Artusii loco solvendi obligatione.

An. 1692. & 1693. Artusius, & Nicolaus non amplius solvendo sunt; Nicolaus domum deserit, adeoque ad hoc usque tempus ultra 220. libras census elapsi sunt.

Paulus porro, cui census debetur, sibi cavit, atque ut Simon, ejusque hæredes ad solutionem damnarentur, a Judice non semel obtinuit; Paulus tamen ac Simon ab omni in Robertum, ac Petrum ejus hæredem actione abstinuerunt; ut proinde Robertus, qui an. tantum 1691. e vita excessit, ejusque pariter filius Petrus nunc temporis, ex civilibus legibus, in Paulum creditorem, & Simonem cohæredem præscriptionis jure se tueri possint.

Robertus, ut facile intellectu est, probe noverat omnia Joannis patris sui bona huic censui addicta esse; sed id ejus filio non nisi biennio post Roberti mortem innotuit.

Prima quæstio. Petrus interrogat, an tuta conscientia præscriptionis jure uti possit?

Si forte non possit, ita instat: Jurisconsulti distinguunt in censu contractibus obligationem duplicem, realem unam, & fundo inhærentem, personalem alteram.

Realis obligatio principalis fundi, qualis in præsenti facti specie domus est, fruitione contrahitur.

Initur autem obligatio personalis quibusdam clausulis, cujusmodi occurrit in contractu, de quo agitur: *ac præterea ea lege, ut Emptor ita domui prospiciat, ut* &c. Clausula hæc personalem continet obligationem, juxta Silvanecti, ubi ea domus sita est, & Parisiorum consuetudinem, quæ ita habet: *recipit Emptor se perfecturum, & curaturum* &c. ut proinde si harum, vel ejusmodi clausularum nulla sit in contractu, Emptor, & ejus hæredes annuo se censu liberare possint, principalem fundum deferentes.

Ægre Petrus adduci posset, ut præscriptione sibi caveret ab obligatione reali, vel a censu fundo addicto, quippe qui sciret, ejus summæ, cujus ita solutionem evitaret, patrem suum debitorem fuisse, ac fundi, unde census existit, ipse detentor esset, quin illud ipsum creditoris sui proprium bonum est.

Secunda quæstio. Sed quærit, an non possit tuta conscientia adversus obligationem mere personalem præscriptione uti, qui non erit in causa, cur amittatur fundus, quem ipse possederit?

Tertia quæstio. Omnino an non ille ejusmodi ære alieno liberabitur, creditori cedens id omne, quod Robertus ejus pater hæreditario jure obtinuit in partitione, quæ ao. 1659. contigit? Sed facta hypothesi, hæc omnia ad ejus conscientiam tranquillandam satis non esse, rursus instat;

Ex iis omnibus, qui censu, de quo agitur, obligatione tenentur, Simon tantum, ac Petrus solvendo sunt. Simon porro se præscriptione tueri non potest, quippe qui personaliter damnatus fuerit, & satisfacere valeat; quia tamen ille asper ac litigiosus homo est, Paulus in præsentia Petrum aggreditur, hominem facilem, litium fugitantem, & qui jacturam subire, quam in jus vocari malit; jam si semel cum Paulo conventionem Petrus inierit, ipse toti negotio obnoxius fiet, eoque se adductum intelliget, ut in Simonem agat, ac litiget, quod odit, ac refugit cane pejus & angue. Ut id incommodi

cri-

evitet, an non potest ad præscriptionem confugere, ut creditori timorem incutiat, eumque cogat a se tum elapsi, tum labentis census dimidium accipere, ea conditione, ut a se non repetat dimidium alterum, quod solvere Simon tenebitur? Hac ratione nihil jacturæ patietur Paulus, quia Simon solvendo est, & Petrus optata pace fruetur; quicquam ne est hac in re, quod minus justitiæ consonum sit?

Humillime rogantur Doctores, ut super quæstionibus quatuor in hoc supplici libello contentis decisionem suam scripto tradant.

Responsio *Doctorum Navarræ*.

Nos subscripti sacræ Facultatis Theologicæ Parisiensis Doctores existimamus, Petrum, cujus facta est mentio in proposita facti specie, non posse ex præscriptione sibi præsidium quærere, si in Roberti patris sui locum, tanquam universalis & immediatus ejus hæres successit, quia ipse una atque eadem cum patre persona censetur; jam vero pater quidem pro loci Consuetudine ad dictum censum solvendum damnari posset, ita ut tamen in Artusium, vel in eos, qui eumdem repræsentarent, ei actio esset.

Decisum Parisiis hac die 9. Septembris an. 1700.
B. *Marion*. *Herlua*.

Aliud responsum Sorbonæ Doctorum.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, præscriptionem legitimum titulum esse, quo non solum in externo, sed in interno quoque foro retineatur alienum bonum, cum illud eo temporis spatio, quod Leges requirunt, bona fide possessum est.

Porro nihil evincit, Robertum patrem, & Petrum ejus filium in bona fide non extitisse, cum semper, ut pro certo ponitur, eo animo fuerint, ut vellent Paulo solvere, siquidem ipsi, Artusio, & Nicolao, qui inepti evaserunt, deficientibus ad solutionem adigerentur. Neque vero Paulum latebat, eos ipsos, Robertum scilicet, & Petrum eo ære alieno, de quo agitur, obstrictos esse, illi saltem nihil egerunt, ut hanc ei notitiam adimerent. Poterat proinde Paulus, quemadmodum in Simonem, & ejus hæredes egit, ita Robertum, vel Petrum aggredi. Ac fortasse si Paulus intra definitum tempus Petrum aggressus esset, egisset ille, ut domus censui par esset.

Ut res habebat, non est hoc loco spectandus Petrus ut purus putusque debitor, & ex communi genere, qui nempe ipse per se atque immediate Paulo debeat, debet Petrus, altero deficiente, ut proinde initio statim in eum directe agi non potuerit, ut id solveret, quod Paulo debebatur, nisi antea constitisset, Artusium, & Nicolaum solvendo non esse, & domum reddendo fœnori imparem esse declaratum fuisset.

Sane Paulus in hac facti specie Robertum, vel ejus hæredem Petrum aggredi potuit; verum ad hoc usque tempus id ille non præstitit, ita ut quadraginta & amplius anni jam sint elapsi, quin ita sibi consuleret tum quoad census sibi debitos, nec solutos, tum quoad solvendos in posterum, quemadmodum quoad Simonem, ejusque hæredes se gessit.

Hinc concludi licet, Petrum, si in foro externo Paulo præscriptionem opponere possit, videri pariter ea uti posse, ut solutionem evitet, vel saltem ut Paulo timorem incutiat, eumque adigat, ut annuorum, ac præteritorum censuum dimidio contentus sit.

Decisum in Sorbona hac die 6. Septembris an. 1700.
G. *Fromageau*. G. *Bourret*.

Præscriptionis qualitates.

CASUS II.

1 Ejus hæres, qui quatuordecim jugera, quæ suo Septo concluderet, usurpavit, cu Domino solvere teneatur; neque eum præscriptio ab ea solutione eximere potest.

2 Quænam qualitates præscriptionem legitimam reddant.

QUÆSITUM.

Titia petit a Marchionissa N... hærede Marchionis P.... patrui sui solutionem quatuordecim jugerum, quæ in suo septo Marchio conclusit.

Sæpe jam ac sæpius insignis injuriæ sibi illatæ rationem petierat Titiæ pater, sed frustra, eludente Marchione pro ea gratia & auctoritate, qua ibidem ita valebat, ut nemo auderet cum eo contendere; adeo potens erat, ac formidandus.

An. 1665. Marchionis Prædium sequestro addictum est, instante Procuratore Generali Cameræ Justitiæ; Titiæ pater oppositionem suam edidit, quæ significata fuit, cujusque Actus extat. Cum deinde Marchio negotiis suis in integrum restitutis Prædium recuperasset: occubuit Titiæ pater, superstite filia adhuc minore; Tutores Marchionis impotentiam veriti a suscepto negotio destiterunt. Nupsit Titia, sed vidua jacuit haud multo post. Cum porro egestate prematur, instat Marchionissæ, hæredi Patrui sui, ut suum sibi jus tribuat. Ostendit illa legitimis productis contractibus, quatuordecim jugera, de quibus supra, ad patrem suum spectasse, eique, ut & sibi nunquam soluta fuisse.

In hac facti specie Titia Sorbonæ Doctores rogat, ut definiant, an præscriptio, quam fortasse ejus juri opponet Marchionissa, possit ejus conscientiam in tuto ponere, & a jugerum, quæ possidet, quæque ad Titiam ipsam pertinent, solvendo pretio eamdem eximere?

RESPONSIO.

Consilium subscriptum putat, ut præscriptionis jure quis uti possit, necesse esse, ut bona fide per omne tempus Lege statutum de debiti veritate ignoraverit. Jam vero in defuncto Marchione bona fides omnino non extitit; atque ita quamdiu ille in vivis fuit, præscriptioni locus esse non potuit. Hoc posito, ad Marchionissam dicti Marchionis neptem & hæredem spectat expendere, an ex quo ipsa Septum possidet, in quo ejus Patruus quatuordecim jugera ad Titiæ patrem spectantia concluserat, ipsa ignoraverit, eorumdem quatuordecim jugerum pretium solutum non fuisse, & in hac quidem ignorantia per annos triginta versata fuerit.

Verum ut poneretur Marchionissam per id omne tempus in bona fide fuisse, & de usurpatione ignorasse, simul atque in ejus notitiam venit, hæredis qualitas præscriptionem ei prorsus inutilem reddit; ut enim hæres in defuncti jura succedit, ita omnia ejus onera ac negotia in se recipit, & iisdem obstringitur. Quamvis ergo Marchionissa acquisitionem Patrui, a quo sibi tradita est malæ fidei possessio, vitio laborare ignoraverit, non tamen hac in re præscriptionis jure gaudere potest, ut sentit Auctor Legum Civilium juxta earum naturalem ordinem tom. *3. l. 3. tit. 7. sect. 4. n.* 18. qui sententiam suam firmat bene multis Juris textibus, ut ait *Lex 11. ff. de divers. temp. præscrip. Cum hæres in omne jus defuncti succedit, ignorantia sua defuncti vitia non excludit*; & infra: *Usucapere hæres non poterit, quod defunctus non potuit. Idem juris est, cum de longa possessione quæritur. Neque enim recte defenditur, cum exordium bonæ fidei ratio non tueatur*; & in Codice L. 11. de acquis. & rer. possess. *Vitia possessionum a Majoribus contracta perdurant, & successorem auctoris sui culpa comitatur*.

Hinc sequitur, Marchionissam, hæredem Patrui sui teneri, ad propriæ conscientiæ tranquillitatem, postulationibus in hoc libello supplici a Titia Consilio propositis satisfacere.

Decisum hac die 12. Aprilis an. 1705.
G. *Fromageau*.

An

An Presbyter contumeliam passus apud Judicem agere possit?

CASUS I.

1 Non desunt facti species, in quibus Presbyteri possint, immo debeant apud Judicem in eos agere, a quibus injuriis, contumeliis, atque adeo verberibus affecti sunt.

2 Quam tandem moderationem ac patientiam Clericalis ab ipsis status expostulet?

QUÆSITUM.

VIcario Parochiæ N.... nec pauci, nec semel injurias irrogant, qnas ille quidem ex Parochi sui consilio patitur æquo animo. Quidam ex incolis ex hae ipsa parientia audacior factus eum excipit contumeliose, baculo graviter cædit, prostrat, trahit, injectisque pedibus couterit. Vicarium hunc causa minime laborate pro certo pouitur, quæriturque;

I. An hic Vicarius multas jam contumelias perpessus potuerit, atque adeo debuerit in foro conscientiæ ad Judicem confugere, ut sibi illatam vim reprimeret; atque an non conniti debeat, ut postremæ injuriæ, quam gravissimam pertulit, auctor puniatur, ita tanien, ut a veræ charitaris tramite non deflectat, paratus æquæ compositioni, cum primum sibi proposita fuerit, acquiescere. Loci Judex criminis, de quo agitur, circumstantiis testium depositione perspectis reum capiendum decrevit. Eo oe decrero uti potest Vicarius, nou ut illud executioni mandet, sed solum ut ei, a quo læsus est, timorem incutiat, & ad compositionem eumdem pertrahat?

II. Qui Parochiam hanc administrat, ita se gessit: edixit inter Missarum solemnia, se, nisi a suis Presbyteris lædendis desisteretur, non posse, quin reos persequatur; pertulit injurias præteritas, ut scandalum evitaret; accurate exploravit, quemadmodum se res habuerint; Vicarium nemo unus accusavit. Hoc posito, debetne Parochus impedite, quominus hic Presbyter aggressorem suum insectetur? An non potius eidem in hoc negotio patrocinari debet, ut ejusmodi malis occurrat, & Parochianos suos in officio contineat, reum tamen per amicos sollicitans, ut ad bonam menrem redeat, & veniam petat.

Nonne Parochus ita se gerens adhæret sanctis Parribus, quorum unanimis sententia est, eos, qui præsunt, scandalis occurrere debete, dantes operam, ut delinquentes puniantur, nec moderationi ac patieotiæ plus æquo studentes, rametsi virtutes has alte auimo impressas servare debeant; quod tamen non impedit, quominus vehemenrer & animose ad disciplinæ, rectique ordinis custodiam incumbant?

An non timeudum est, ne in huuc reum intentata actio scandalo sit populo, qui in omnibus omnino negotiis Ptesbyteros damnate solet, ac dictitare eos magis, quam Laicos, vindicta gaudere, minusque parcere? An non ejusmodi scandalum ineptum foret? Parochus vero, qui officio suo deesse non vult, debetne omnia permittere hominibus impotentibus, male animatis, ignorantibus, quibus Evangelii, & Ecclesiasticæ disciplinæ regulæ videntur intolerandæ?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, Vicarii, de quo supra dictum est, consilium vituperari non posse; cum oon modo potuisse, verum etiam debuisse a Judice petere, ut repararetur injuria, quam postremo loco subivit, quæque cæterarum, quas a Parocbianis non paucis antea pertulerat, quasi eumulus extitit. Ejusmodi contumeliæ, ac postrema præsertim injuria non unius Vicarii personam lædunt, sed universi status Ecclesiastici dignitati nou parum officiunt; ut proinde hoc in sensu iojuriæ publicæ rationem induant, atque adeo magis ad satisfactionem postulandam Vicarium impellant. Quamvis enim patientia sere laude maxima digna sit, fatendum tamen est, perditos ac nequam homines ita ea nonnunquam abuti, ut impudentius iis viris insultent, quorum gradus ac dignitas obsequium requirit. Quamobrem Vicarius hic ne dum contra charitatem, atque animi moderationem, quæ christianum hominem decet, egerit, adeo scelestum aggressorem apud Judicem insectatus; Episcopum potius adire deberet, ut ex ipso intelligeret, an carceris sententiam, quam obtinuit, exequi debeat, nec satis habere ei metum incutere, atque ita ipsum ad compositionem petendam adigere; injuria enim, quam audax homo Vicario intulit, longe gravior est, quam ut ille punitionis tantum formidine sit percellendus; dignus sane est, qui re ipsa puniatur.

Ex his omnibus sequitur I. Parochum, initis consiliis iis omnibus, quæ in expositione producta suot, impedire non debuisse, quominus Vicarius reum, de quo agitur, apud Judicem persequeretur.

II. Eum Vicario patrocinari debuisse ad characteris dignitatem tuendam, & ejusmodi mala in postetum impedienda.

III. Ut actioni major accedat auctoritas, fuerit apprime utile, Episcopi patrocinium obrineri, eum negotio præfici, atque adeo scelesti hominis punitionem ejus oomine postulari.

IV. Parochus ita se gereus nihil aget, quod Sanctorum Patrum principiis, vel Canonibus adversetur, quoniam ii porius Prælatos hortantur, ut reos acriter puniaot, ne augeant crimina, quæ impunita reliquerint, aliisque prava ejusmodi exempla sequendi ansam tribuant: *Nonne cum uni indulges indigno*, inquit Sanctus Ambrosius in Psalmum 118. n. 2. *plurimos facis ad prolapsionis contagium provocari? Facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi*. Referuntur verba hæc Decreti *cap. 33. 23. q.* Gregorius Magnus in suo Pastorali 2. *p. c. 6.* de Superioribus Ecclesiasticis lenitati atque humilitati plus æquo studentibus ita pronuntiat: *Cum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvuntur jura regiminis*.

Parochus igitur, ejusque Vicarius in hoc negotio hominibus ex mentis hebetudine, atque animi pravitate garrientibus auscultare non debent; quicquid enim inde oritur scandali, non aliunde quam ex prava eorumdem hominum præparatione ortum trahit, neque omnino duobus hisce Ecclesiasticis viris, iisdemque innocentibus tribui potest.

Decisum hac die 23. Martii ao. 1701.
G. *Fromageau.*

Presbyter in Parochia habituatus.

CASUS II.

Ecclesiæ Habituatis minime licet cibaria, vel pecuniam ab iis exigere, qui eorum Societati adscribi volunt. Quicquid in ejusmodi casibus exigitur, avaritiam sapit, ad simoniam accedit, Canonibus adversatur.

QUÆSITUM.

IN Parochiali Ecclesia Sancti Martini Urbis N.... id moris obtinebat, ut Presbyteri habituati, aggregationis tempore Parocho & Communitati triplex convivium apponerent; primum, cum prima vice Epistolam canerent; secundum, quo primum die canerent Evangelium; ac tertium, quo die primum Missæ sacrificium peragerent. Archiepiscopus visitationi vacans mense Augusto an. 1666. eam praxim mutavit, & ejusmodi conviviis certas quasdam pecuniæ summas substituit: *Visis istis statutis, illa confirmavit, exceptis tamen pastibus, seu conviviis, in rece-*

ptione

ptione familiarium fieri solitis, vetaitque illos pastus amplius fieri, statuitque, ut is, qui recepturus esset, solveret pro pastu ad primam Epistolam quindecim francos, pro pastu ad primum Evangelium viginti francos, pro pastu ad primam Missam triginta francos.

Hæ omnes summæ additæ centum viginti libris, quas Presbyter in familiaritatem, vel Communitatem cooptatus erogat, in Ecclesiæ thesaurum conferuntur, ut fœnori dentur, aut emendis fundis adjiciantur, quorum proventus omnis babituatis accrescit.

Quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, quid tandem de ejusmodi praxi sentiendum sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, propositam facti speciem eo demum redigi, ut de eo agatur, quo exigitur certa pecuniæ vis, ut in Parochia habituatis conscribatur, atque ita jus obtineat obeundi Servitii, celebrandæ Missæ, aliisque Ecclesiasticis functionibus ibidem vacandi, ac denique distributionum, quæ iisdem functionibus annexæ sunt, portionem percipiendi; seu quod idem est, propositam speciem redigi ad eum casum, in quo id Presbytero injungitur, ut pecuniam det, quo jus habeat Epistolam, Evangelium, Missamque dicendi, Sacramenta in Parochia administrandi, ac deinde emolumenta, quæ ab iis percipiuntur, qui in familiaritate, vel Communitate versantur, participandi.

Quocumque sensu accipiatur ejusmodi praxis, illicita est; neque enim pecunia legitime exigi potest, ut tribuatur facultas canendi Epistolam &c. quoniam jus hoc non est res pretio æstimabilis, vel quæ in earum rerum commercium veniat, quæ pecunia numerata pendi possint; atque ita non licet illud vendi, & quod inde percipitur, lucrum sordidum ac turpe est: *Turpe lucrum*, inquit Sylvester, V. eodem, *fit ex opere lege humana, vel divina prohibito*. Addi potest, id ipsum magna Simoniæ suspicione non carere; neque enim dici potest, Sanctæ Missæ, ac divinorum Officiorum celebrationem, denique Sacramentorum administrationem non esse munia ideo instituta, ut ab Ecclesiæ Ministris ob supernaturalem finem exerceantur; & quod inde consequitur, spiritualia non esse. Quamobrem pecuniæ erogatio, ut functiones in Parochia obeundi jus obtineatur, est, ut videtur, simoniaca.

Et sane Tridentina Synodus *Sess.* 24. c. 14. *de Reform.* vetat quicpiam tribui, ut ejusmodi ministeria suscipiantur; non de Canonicalibus tantum Ecclesiis loquitur, sed etiam de Parochiis, *in pluribus Ecclesiis Parochialibus*; ac neminem ad emolumenta, quæ ibidem percipiuntur, ita admitti vult, *in admissione ad partem proventuum*; atque ejusmodi ingressus, qui pecunia, vel aliis oblatis rebus fiunt, non carere simoniæ suspicione, vel sordidæ avaritiæ effectum esse; deinde mandat Episcopis, ut *ingressus eos, qui simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem babent, fieri non permittant, consuetudines eas, sive constitutiones ut pravas & scandalosas rejiciant, & aboleant*. Eos denique, qui hujusmodi Consuetudines secuti fuerint, *pœnis contra Simoniacos editis Canonibus, & variis SS. PP. Constitutionibus, quas innovat, teneri decernit*. Cardinalium Congregatio in hunc Concilii locum, referente Galeno, ita pronuntiat: *Comprehenditur hoc Decreto, quidquid solvitur pro Missis novis decantandis, ut qui, admittatur ad portionem Sacerdotalem, etsi tales solutiones cederent in pios usus; non enim sunt Beneficia. sed potius spectant ad avaritiam, ut Sessione 22. Caps De observandis, & evitandis in celebratione Missarum satis declaratum est.*

Concluditur ex his omnibus, abrogandam esse praxim Ecclesiæ N.... tanquam Ecclesiæ menti, bonisque moribus repugnantem; Presbyteris nempe, quod digni, ac virture præditi sint, in hujus Parochiæ Communitatem ingressus tribuendus est. Potest autem solvi pensio, si reditus, quem Habituati percipiunt, impensis, quas illa eorum gratia subit, non respondeat.

Decisum bac die 23. Octobris an. 1696.
G. *Fromageau*.

PRIORISSA.

Priorissa, quæ abdicat in manu Beatæ Virginis.

Vide (DEVOTIO male ordinata *tom.* I. *pag.* 1223.

PROFESSIO RELIGIOSA.

Religiosa Professio est obligatio, qua se publice ac solemniter Religiosus obstringit profitendi, quoad vixerit, Evangelii consilia juxta regulam ab Ecclesia approbatam, pronuntians vota tria, Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, protestatione publica abrenuntians negotiis, occupationibus sæcularibus, hujus mundi bonis, honoribus, voluptatibus, quorum sibi usum toto vitæ tempore interdicit, devovens se Deo, qui unus omnium Religiosi, vel Religiosæ cogitationum, affectionum, desideriorum objectum futurus est, ut proinde rebus vel necessariis, quasque omnino postulat humana conditio, non amplius iis uti liceat, nisi quoad Deum, & animo eidem placendi. Hanc Monasticæ vitæ notionem illustris ac pius Abbas Trappensis nobis exhibet, quæ sane eos debet perterrefacere, qui eamdem non cognoscentes, eaque ætate, qua ipsi se cognoscere minus valent, amplectuntur, quod in causa est, ut pœnitentiæ, quod maxime dolendum est, exempla passim occurrant.

Prioribus Ecclesiæ sæculis Christiani, qui in solitudines se recipiebant, ut persecutionem effugerent, seque a corruptis sæculi moribus abducerent, non alii regulæ, quam divinæ, quæ ipsis aderat, gratiæ motionibus adhærebant. Cum porro Anachoretarum numerus haud mediocriter excrevisset, inter eos sensim institutæ sunt Communitates, quæ ad spiritualia exercitia mutuo se vinculo conjunxerunt, a Superiore pendentes, quem eligebant, & cui obedientiam absque ulla tamen formula promittebant, castitati studentes, & temporaneis bonis omnibus nuntium remittentes. Visum deinde est hoc ita instituendæ vitæ consilium solemne reddi, ut majore in pretio haberetur, & difficilius everteretur; fortasse etiam ut eorum occurreretur inconstantiæ, quos identidem pœnitebat, id quod in familiis scandalo, & perturbationi erat.

Religiosam Professionem antecedebat Novitiatus, & is quidem ad triennium in Orientis Ecclesia, si Novitius e Monasterio nunquam eggrederetur, & ad quadriennium, si quandoque eggredi cogeretur,

tur, ut Aloſerrius animadvertit. Sed in præſentia Novitiatus hic concluditur anni completi ſpatio, ejuſdemque ſine cauſa legitima non interrupti; quo quidem ea, qua par eſt, ſedulitate abſoluto, Communitatis capitulariter congregatæ conſenſu opus eſt; ac Novitius ad tam gravem Actum præparatus, in facie Eccleſiæ, & coram teſtibus ſe regulam, quam amplectitur, exacte cuſtoditurum promittit; acceptatur a Superiore promiſſio, ejuſque in Communitatis libro Actus exeritur. Omnes hæ cæremoniæ ætatem congruam ſupponunt.

Sed ætas hæc non uno modo definita fuit. Aurelianenſi Conſtitutione requiritur annus vigeſimus quintus in viris, & vigeſimus in puellis, ac ſi quis ætatem hanc non attigiſſet, ſemper erat succedendi ac teſtandi capax, non obſtante ejuſmodi Profeſſione, quivis rigore juris, aut quibuſvis conſuetudinibus repugnantibus. Bleſenſis Conſtitutio juxta Tridentinum Concilium ad validam Profeſſionem non niſi annorum ſexdecim completorum ætatem poſtulat. En verba Bleſenſis Conſtitutionis: „ Religioſorum & Religioſarum Profeſſio non ante ſexdecim annos completos, nec ante probationis „ annum ab habitu ſuſcepto emittatur; in pœnam nullitatis tam dictæ Profeſſionis, quam omnium „ contractuum, obligationum, & diſpoſitionum bonorum, quæ in ejus gratiam extiterint. Qui vero „ ante dictam ætatem Profeſſionem ediderint, poſſint ſua bona in ſuorum, aliorumve, prout ipſis „ videbitur, favorem diſponere, non autem in bonum ullius Monaſterii directe, vel indirecte, idque „ tribus menſibus poſt annorum ſexdecim completorum ætatem; quod ſi ante dictum tempus ſua bo„ na non diſpoſuerint, eadem bona recidant ad eorum proximos hæredes *ab inteſtato* “. Abrogata eſt conſuetudo tacitæ Profeſſionis, quæ olim præſumebatur, cum quis in Monaſterio, & quidem Religioſi Profeſſi habitum deferens ultra annum verſatus fuerat. Hac de cauſa elapſo Novitiatus tempore, Profeſſio publice peragitur, Profeſſus ejus Actum e ſcripto profert, ſignatque manu ſua, ſecus rejiciendus.

Vetitum non ſemel fuit, ne ingreſſus in Religionem venderetur, quoniam ea quidem Simoniæ ſpecies eſt. Religioſa Profeſſio illuſio eſt, niſi ad bona ſpiritualia unice referatur. Nihilominus ſemper licuit, eos, qui Religioni nomen darent, bona ſua, vel eorum partem ſecum deferre, & conſanguineos in ipſorum gratiam Monaſterio aliquid elargiri. Præterea ſi Monaſterium non ſatis habeat, quo plures, quam adſunt, Religioſos ſuſtentet, non erit reſpuendus dignus vir, ne ejus pecunia accipiatur. Quare in hoc negotio tradi nequit aptior regula, quam conſcientia Prælatorum, qui coram Deo ſe enormi crimine obſtringunt, ſi in temporalis alicujus boni gratiam indignum ſuſcipiant. Ex D. Caroli praxi debet Epiſcopus definire, quid Monaſterio tribuatur, prout opus eſſe cognoverit. Profeſſionis Actus reciprocam inter Religioſum, qui recipitur, & Conventum, qui recipit, obligationem ſecum trahit; & quemadmodum ille non amplius a Communitate recedere poteſt, ita nec eum Communitas ejicere poteſt, quocumque prætextu, cum vota jam pronuntiavit.

Præſto ſunt tamen Religioſo Profeſſo anni quinque, quorum ſpatio contra ſua vota reclamare poteſt; id quod ei conceſſit Tridentina Synodus loco ſupra laudato „. qui, & quæ, inquit Synodus, „ a Religione recedere voluerint, timorem, vel ætatem prætendentes, debent intra quinquennium a „ Profeſſione ſibi proſpicere, quo elapſo nullus ſupereſt reclamationi locus. “ In ipſo quinquennio Religioſus non eſt audiendus, ſi propria auctoritate habitum depoſuerit, vel a Monaſterio receſſerit, ſed tanquam Apoſtata habendus eſt. Debet igitur in ſuo ſtatu perſiſtere, & ad Epiſcopum, ut contra ſua vota in priſtinum, cauſa cognita, reſtituatur, accedere. Paſſim in eum finem obtinetur Papæ Reſcriptum; ſed non eſt illud neceſſarium. Ordinariæ reſtitutionis cauſæ ſunt, vis, aut metus conſtantiæ communis vincendæ capax; id quod claris, & evidentibus probationibus conſtare debet.

Si Religioſi Profeſſi eo temeritatis devenerint, ut religioſum habitum deſerant, & ad ſæculum redeant, Superiores connivere non debent, quippe quibus eorum ſalus commiſſa ſit, ſed eos vehementer operam dare neceſſe eſt, ut ipſos comperiant, compertoſque pœnitentiæ addicant, & ad mentem & officium revocent. Sæculares Judices præſto eſſe debent, ac perficere, ut hujuſmodi transfugæ, cum innotuerint, comprehendantur, eorum Superioribus committendi. Intereſt autem eos non tolerari non ſolum ob Religionis decus, verum etiam ob publicam ſecuritatem, quia nihil tam grave atque execrandum eſt, quo ſe ejuſmodi Apoſtatæ inquinare non audeant. In Caroli Magni, & Ludovici Pii Capitularibus Monachi & Religioſi, qui, cum Conventum, in quo vitam tranſigerent, elegerint, ab eo recedunt, ut apud ſuos, vel alibi vitam trahant, ſi ab Epiſcopo, ut ad Conventum ſuum revertantur, admoniti non paruerint, declarantur a Communione interdicti, & ſuſpenſi, atque ejuſmodi, ut Euchariſtiæ gratiam percipere nequeant, niſi prius Epiſcopi juſtitiæ ſatisfecerint.

Quamvis ex veteri Regula ab uno Monaſterio ad aliud Monachi non tranſirent, quod etiam quoad Regulares Canonicos ſervabatur; Religioſi tamen Mendicantes, aliæque novæ Congregationes hanc loci ſtabilitatem non cuſtodierunt; domicilia mutant, ſed ita tamen, ut ſemper in propria Congregatione verſentur; ac generatim ab uno Regulari Ordine ad alium migrare non poſſunt. Excipiuntur ii, qui perfectionis deſiderio ad ſtrictiorem Obſervantiam ducuntur; id autem efficere poſſunt, quin Prælatorum ſuorum permiſſionem obtinuerint, quam quidem ſatis eſt eos petiiſſe. Mendicantes tamen non poſſunt niſi ad Carthuſianum Ordinem gradum facere, niſi iis adſit peculiaris aliqua Pontificis diſpenſatio.

(RELIGIOSI.
Vide (TRANSLATIO.
(VOTUM.

Professio, quæ nulla est, per annuam votorum renovationem valida non evadit.

CASUS I.

1 Votorum renovatio, quæ in multis Religiosis Ordinibus quotannis fit, Professionem, quæ ab initio nulla fuit, validam non efficit.

2 Religiosus per annos plusquam duodecim in errore versatus, haud facile in foro externo Professionis suæ nullitatem probare potest.

QUÆSITUM.

PAter N.... maxime stricti Ordinis Religiosus, ejus habitum annorum duodecim ætate suscepit; & quamvis Patres non temere credere possent, eum non ea ætate esse, quam Canones postularent, vel ob personæ tenuitatem, vel ob ea, quæ ex ejus consanguineis ipsis audierant: id tamen ignorare voluerunt, eumque post Novitiatus annum ad Professionem admiserunt. Vix ille primum suum annum compleverat, cum pressus asperitatibus tam parum ætati suæ congruentibus in morbum incidit, quo per anni spatium correptus tam grave salutis dispendium subiit, ut ex eo tempore identidem ægrotaverit; quod ei spem adimit, fore, ut Ordinis exercitiis, jejuniis, vigiliis, aliisque asperitatibus perferendis par sit. Jussus est tamen, cum sexdecim annos complesset, professionem suam iterare; sed certus est, se in eam non nisi ex erronea conscientia, & puerili pusillanimitate consensisse; eique persuaserunt Patres, ipsum coram Deo, & in foro conscientiæ votis obstringi perinde ac cæteros, ac tacitum Professum esse, quandoquidem Professorum privilegia participaret.

Cæterum in tantula ætate quid consilii caperet, ignorabat; patris domus, quod unum sibi perfugium supererat, ipsi interclusa videbatur; ei nempe, ante quam habitum sumeret, edixerat pater, ut, quid ageret, etiam atque etiam videret; quod si semel Religiosum habitum induisset, non amplius de eo abjiciendo cogitaret. Hæc ille secum animo reputans, ea pusillanimitate, quæ pueri prorsus est, grave Superiorum supercilium & censoriam virgam veritus vota sua confirmavit; sed omnino persuasum habet futurum non fuisse, ut ita se gereret, si se nec in conscientiæ foro teneri, nec sibi patrem infensum fore credidisset.

Rebus ita se habentibus, serio animum studiis addixit, seque Sacerdotio initiari passus est; sed hæc innocens, & acerba victima, prout ætate progrediebatur, oculos aperiens tandem aliquando cognovit se Religiosorum & Consanguineorum ludibrium fuisse; ei visum est Religionis jugum intolerandum, ac ni se studiis per omne tempus applicuisset, jampridem ejus gravitati succubuisset. In hoc rerum statu per annos duodecim semper irrequietus, semperque titubans versatus est. Cum demum ad ætatis annum trigesimum pervenisset, intellexit evidentissime non eam esse Divini Numinis voluntatem, ut in eo statu persisteret, statuitque nihil omittere, ut ex Ordine, in quo nec quietem, nec prosperam valetudinem, nec animi tranquillitatem inveniret, egrederetur, præter quam quod abhorret ipse a vita Monastica, quam non minus procellosam quam sæcularem agnoscit, ac pro certo habet, eam, quod ad æternam salutem attinet, scopulis, ac periculis obnoxiam esse, ex ambitione & invidia graves in ea perturbationes existere, eosque, qui ex externa tantum specie de eadem judicant, sæpe falli. Quæritur ergo

I. An dictus Religiosus valide secundam Professionem ediderit, & an in conscientiæ foro in ea ad mortem usque perseverare teneatur?

II. Possitne tuta conscientia ad Pontificem confugere, ut votorum suorum dispensationem, & Sæcularizationis Bullas obtineat?

III. An ad incommoda, ac dispendia vitanda licite se Romam conferre possit *incognito*, negotium suum commodius acturus, an vero curare debeat, ut illud consueto juris ordine dijudicetur? Primum quidem propugnant bene multi, quia cum negotium loci Episcopo commissum est, Partes a Religiosis impediuntur, vexantur, acerbius habentur; atque adeo non defuere, qui hac una de causa integri biennii spatio in carcere detinerentur.

Sorbonicorum Doctorum decisionem exponens quamprimum expectat, prout scripto monebitur, acturus.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

Quoad quæstionem primam: Religiosi hujus alteram Professionem nullam esse coram Deo perinde prorsus ac primam, quia eam quidem non confirmavit, nisi rem falsam, atque errorem supponens, sua nempe priora vota legitima fuisse, & prout in Expositione dicitur, se iis non minus quam cæteros Religiosos obstringi, & tacitum Professum esse. Præter quam quod enim ejusmodi tacitæ Professiones in Gallia non admittuntur, omnium de Regularibus negotiis agentium nomine Pelizarius (a) ita pronunciat in hanc rem: *& quidem quod requiratur notitia invaliditatis, & novus consensus, constat; quia nihil est magis contrarium consensui, quam error; qui autem ratificat professionem, ignorans ejus nullitatem, consentit per errorem; quatenus putat suam professionem esse validam, & per consequens eam invalide ratificat.*

Ex hoc principio concludi potest, sacrorum Ordinum susceptionem, & votorum renovationem, quæ quotannis in Religiosis bene multis Ordinibus fit, satis justam causam non esse, quamobrem Religiosus, qui semper in errore persistit, & cujus vota nulla sunt, ea proinde confirmasse, & professionem suam validam reddidisse censeatur.

Quamvis autem professio in foro conscientiæ nulla sit, non tamen apparet, quin Religiosus hic ejus nullitatem in foro externo probare possit; quin potius cum in Ordine per annos duodecim perstiterit, & proinde intra quinquennium, ut Tridentina (b) Synodus postulat, non reclamaverit, vota sua confirmasse, vel saltem refragandi jure cecidisse censetur.

Sane convenit, fieri fortasse posse, ut Religiosus hic Pontificis Rescriptum seu Breve obtineat non sine quinquennii vel etiam decennij restrictione; semper tamen necesse foret, ut Religiosus in foro externo professionis suæ nullitatem probare posset.

Quoad quæstionem secundam; ex hactenus dictis consequens fit, non apparere, quomodo is Religiosus sæcularizationis Bullas obtinere possit, quoniam difficile factu est, ut probare possit vota sua nulla esse vel ex metu Patris, quo se perculsum ait, si Religionis habitum deposuisset. Id ille unum curare debet, ut in Romana Curia obtineat Breve, quo transeat *ad Laxiorem*; ac sperare juvat, fore, ut illud obtineat, dummodo inveniat *benevolam receptorem*. Ita nimirum sibi cavere debet, ut ab Ordine suo recedat, cum primum Breve obtinuerit; eaque ratione ab incommodo, ac vexatione, quam sibi a Superioribus timet, se in tuto ponere.

Decisum in Sorbona hac die 5. Decembris an. 1700.
G. *Fromageau*. G. *Bourret*.
Du Mas.

Defectus, ob quos de professionis validitate dubitari potest.

CASUS II.

1 Commune Jus sæpenumero cum privilegiis non convenit, quæ nonnullis Religiosis concessa sunt, quoad defectus, quibus professio nulla reddi potest.

2 Laborantes infamia seu juris, seu facti ad professionem edendam non sunt inhabiles.

Lamet Tom. II. Y 2 QUÆ-

(a) Pelizar. Tom. 1. tract. 3. c. 5. n. 5.

(b) Concil. Trid. Sess. 25. c. 19. de Regularibus.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super bisce quæstionibus aperiant sententiam suam.

I. An Religiosi Professio firma ac valida sit, quam non ejus vitæ, ac morum cognitio præcesserit?

II. An Religiosus, qui gravem aliquem defectum, de quo interrogatus est, de industria celavit, possit necne post defectus cognitionem extrudi, quamvis professionem emiserit?

III. Quid de peccatoris, quid de infamis professione sentiendum sit? Illicita ne est? Estne invalida?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum super propositis difficultatibus putat.

I. Sixtum V. Pontificem an. 1588. edidisse Constitutionem in Bullario cap. 7. relatam, qua eum, de cujus vita ac moribus non antea quæsitum cognitumque fuerit, ad professionem inhabilem declaravit. Clemens VIII. in Bulla 83. an. 1602. edita Sixti V. Constitutionem moderatur, ad professionis nullitatem quod attinet, cum nulla inquisitio præcessit, eamque redigit ad commune Jus, cujusmodi quidem ante eam Sixti Bullam extiterat. Consuli potest super hac re Pelizarius. (*a*).

II. Ex Leonis X. Bulla, quæ, eodem Auctore teste, edita est die 15. Martii an. 1516. in gratiam Fratrum Minorum, Religiosus super defectu notabili, quem celavit, professionis tempore interrogatus potest deinde a Superioribus repudiari; non jam quod ejus Professio nulla sit, sed vi privilegii Prælatis per eamdem Bullam concessi eadem Professio irritari potest. Communi Jure si quis defectum quempiam juxta Ordinis, cui nomen suum dare vult, Statuta essentialem celaverit, ac deinde professionem emiserit; ejusmodi professio nulla est, si gravis defectus sit; at si minus gravis sit, ea nulla non est. Nihilominus ex privilegio, quod Fratribus Minoribus concessit Leo X. Religiosus hic in deceptionis pœnam repelli posset, siquidem ejus deceptio mortalis fuerit. Porro Jure communi rejici nequit, quia nunc temporis ex Decreto Congregationis Cardinalium sub Urbano VIII. non alii, quam incorrigibiles exploduntur.

III. Insignis peccator ex Sixti V. Bulla supra in medium allata professionem edere nequit, ejusque professio illicita est & invalida. Eam temperat Bulla Clementis VIII. *in Suprema n. 63.* & ad commune jus redigit, ut illicita quidem sit, non autem invalida; verum ex familiarum a Sede Apostolica approbatarum peculiaribus Statutis invalida esse potest, ut Pelizarius (*b*) animadvertit.

Infames tum juris, tum facti de Jure communi Professioni non sunt inepti; sed ejusmodi quidem illicita professio est, ut ex Sixti V. & Clementis VIII. Bullis ostendimus, neque ii fere ad professionem sunt admittendi. Quamvis porro futurum non fuisset, ut ejusmodi hominem Ordo susciperet, si peccatum, quod perpetravit, innotuisset; non inde tamen sequitur, consensum, quem ille susceptioni suæ præbuit, involuntarium fuisse, ac proinde nullum; ea prorsus ratione, qua eam conjugem ducens, quam divitem putat, quamque alioqui non duceret, non proinde non valide contrahit.

Impedit infamia, ne quis eligere, vel eligi possit; sed ejusmodi ea tantum infamia est, quæ ex publico crimine oritur, cum ipsa fundamentalis solum sit, & in radice, cum crimen occultum est. I. Hujusmodi personam ad regulares Dignitates evehi non posse evincitur ex *cap. Inter dilectos de excess. præl. Cum personis vilibus & indignis portæ Dignitatis patere non debeant, juxta legitimas sanctiones.* Potest nempe textus hic ad dignitates extendi, ad quas electio de jure nulla est, si facta sit in gratiam personæ tam juris, quam facti infamia laborantis. II. persona hæc eligere nequit; electio quippe legitimus actus est, *ex Cap. solet de sent. excommunic. 6.* Porro infamis actum legitimum edere nequit *ex Cap. infectatas, de rescriptis*, & ex Pelizario (*c*).

(*a*) Pelizar. tom. 1. tract. 2. cap. 3.
(*b*) Pelizar. tract. 3. c. 2. n. 2.

Acerbitatibus extorta Professio.

CASUS III.

1 *Nulla est Adolescentis in Religioso Ordine Professio, quam is edidit, quod acerbius a Patre haberetur.*

2 *Facile obtinere poterit, ut vota, quæ edidit, nulla declarentur, si et graves rationes præsto sint, quibus vim sibi illatam ostendat.*

QUÆSITUM.

Adolescens, cum a suis acerbius habitus esset, atque adeo carcerem, indigentiam, rerumque, quibus humana vita maxime constat, privationem pertulisset, invitus quidem in Monasterium ingressus est, ibique Professionem emisit, eo animo, ut se liberaret ab ejusmodi vexatione, quam se a suis ideo pati non temere judicabat, ut, quod illi unice optabant, ipse volens nolens Religionem amplecteretur. Et sane emissa Professione non eamdem suorum asperitatem expertus est, id quod ejus conjecturam firmavit. Hoc posito

Quæritur, an ejusmodi Professio obligationem inducat? An persecutio, quam pertulit, haud ei satis gravem causam suppeditet contra vota edita reclamandi? Atque an, quia consanguinei ita se gessisse dicuntur, quod ejus fratres præ ipso diligerent ideo Claustri deserendi libertas ei adimatur, præsertim cum hæc ipsa excusatio vim, qua illi in eum usi sunt, significet ostendatque?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, difficultatem modo propositam eo demum redigi, ut innotescat,

I. An absque obligationis contrahendæ animo facta Professio in foro interno, & coram Deo valida sit?

II. An adolescens, qui Religionem amplectitur, ut vexationem effugiat, ne amplius in carcere detineatur, ne fame moriatur, eo in statu professionem in foro externo validam edere possit?

Quoad quæstionem primam respondetur, votum coram Deo nullum esse & invalidum, si subeundæ obligationis intentio non adsit; votum enim voluntaria promissio est, ita ut obligatio, quam vovens coram Deo contrahit, ex ea, quam ipse sibimetipsi imponit, lege ducatur. Jam vero lex nulla est, cum Legislator obligandi intentionem ac voluntatem omnino non habet. Quamvis autem Religiosa Professio hunc in modum peracta nulla sit coram Deo, quoad externum tamen forum, & quoad Ecclesiam rata ac firma censetur, quia Ecclesia de iis tantum judicat, quæ apparent, non vero de rebus prorsus internis.

Quoad secundam, si Adolescens, qui consulit, ideo Religionem inivit, quod se non alia ratione a vexatione, quam patiebatur, eximere posset, & alia ex parte consanguinei ea asperitate usi sunt, ut ipsum in Claustra conjicerent, ejus Professio nulla est, quia non extitit voluntaria. Et sane ut Professio valida sit, libera, & a coactione exempta esse debet. Quamobrem Tridentina Synodus *Sess. 25. c. 19. de Regul.* de vi verba faciens, quæ fit in ejusmodi facti specie, absolute pronuntiat eam Professionem nullam effici: *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse in Religionem*, &c.

Præterea in eadem Sessione *c.* 16. Concilium vetat, ne quid boni ad Novitiam spectantis a consanguineis, vel Tutoribus Monasterio tribuatur, iis exceptis, quæ ad victum ac vestitum Probationis tempore necessaria sunt, *ne Novitia hac occasione discedere nequeat*. Quod si proprii boni ex parte amittendi timor eam libertatem adimere potest, quæ ad Professionem in Monasterio emittendam requiritur: potiori sane ratione extremæ famis, vel assiduæ vexationis formido satis est ad libertatem, quam so-

lemnia

(*c*) Pelizar. tract. 5. n. 146. cap. 5. sect. 3.

lemnia vota postulant, adimendam, & quod inde consequitur, ad eadem vota, quippe quæ per vim fiant, nulla reddenda.

Nonnulli quidem Theologi Religiosam Professionem eum Matrimonio comparantes ajunt, quemadmodum vis, quæ Matrimonium nullum reddit, inferenda est *in ordine ad extorquendum matrimonium*, ita vim, quam patitur, qui Religionem amplectitur, ut Professionem nullam efficiat, eo spectare debere, ut ille in Claustra compellatur, nec satis esse, si Religionis suscipiendæ tantum occasio fuerit. Ita sentiunt Sanchez *l. 1. disp. 12. c. 4. n. 3. de Matrim.* & Pelizarius *tom. 1. tr. 3. c. n. 56.* &c.

Verum non hæc generalis sententia est; Laurentius enim *de Peyrinis tom. 1. c. 25. §. 4. a. 4.* contendit, Professionem, ut valida sit, absolute liberam esse oportere; ut proinde coactio, seu vis, unde unde proveniat, & quemcumque demum finem propositum habeat, Professionem nullam efficiat, sive vis obligationis contractæ causa proprie dicta, sive tantum occasio fuerit.

Ut ut res habeat, certum est in præsenti facti specie vexationes, quas Adolescens perpessus est, eo prorsus spectasse, ut ipse Religioni nomen daret. Sane post editam Professionem suos ille consanguineos non ita ut ante sibi infensos expertus est; igitur dici potest Adolescens Religiosum statum non elegisse, nisi quod vereretur, ne consanguinei vexa re pergerent, atque ut vexationem effugeret, secus numquam eum statum suscepturus; nempe gravis mali timor eum in aliud malum præcipitem egit; ejusmodi enim Religio est, cum vi & coacte suscipitur. Itaque quærit ipse se ab ea liberare, ac spes adest fore, ut ei res e voto cedat. Asperitates, quas subiit, satis grave momentum habent, ut ejus Professio nulla declaretur, dummodo habeat, unde probet se a Consanguineis vexatum fuisse, eosque id propositum habuisse, ut eum in Monasterium compellerent, quam quidem voluntatem apertissime significarunt, quæcumque tandem eos causa impulerit, sive ut ejus bonis fruerentur, sive quod ejus fratres præ ipso diligerent.

Decisum in Sorbona hac die 25. Julii an. 1695.
G. Fromageau.

Professio, cujus coactio probari non potest.

CASUS IV.

1 *Benedictini Ordinis Professio, quam edidit Adolescens, nulla declarari non potest, cum ille probare nequeat se coactum minis, quæ ei libertatem ad ejusmodi statum amplectendum adimere potuerint.*

2 *Quomodo deberet ille se gerere, si legitime contra sua ipsius vota reclamare posset.*

3 *Religiosus hic Regulare Beneficium cum sæculari permutare non potest.*

QUÆSITUM.

N...... quærit, an rationibus, quæ sequuntur, uti possit, ut solemnium votorum, quæ in Sancti Benedicti Ordine emisit, dispensationem obtineat.

Prima ratio ea est, quod Pater, cujus indignationem vehementissime reformidabat, eum coegit in ejusmodi Ordine Beneficium suscipere, inquiens, se ei non daturum, quo studiorum suorum curriculum prosequeretur. Eum igitur amplexus est minime reputans, an a Deo vocaretur, sed omnino ut Patri dicto audiens esset, eidemque gratificaretur.

Altera est; Novitiatus tempore, quo ei quidem Regularis vitæ obligationes declaratæ non fuerunt, de egressu sæpenumero cogitavit, se minime vocatum sentiens ad eam familiam, in qua non nisi Religiosos remissos, atque oscitantes videbat. Et re quidem ipsa egressus esset, si asylum, in quod se reciperet, habuisset, nec timuisset, ne patris indignationem subiret, & ad incitas redigeretur.

Tertia, reclamavit contra vota duobus annis cum dimidio post professionem, idque ipso Probationis tempore perfecisset, si instructus fuisset; quartus autem nondum est annus, ex quo professus est.

Quarta; (facta hypothesi rationes has satis graves fore) quomodo se gerere debet, ut nullitatis Professionis declarationem obtineat.

Quinta; possitne hoc tempore Beneficium suum, quod Sacristiæ procuratio est, cum Sæculari Beneficio permutare?

Ad extremum cum ipse nec lucri studio, nec licentiæ cupiditate abreptus agat, & nihil aliud, quam Dei gloriam, propriamque salutem quærat; rogat, obtestaturque Sorbonæ Doctores, ut super articulis propositis suam ad juris apices sententiam proferant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, duo requiri, ut contra solemnia vota merito reclametur; legitimam reclamationis causam adesse, eamdemque probari posse.

I. Necesse est, ut metus patris, quo Religiosus consulens ita perculsus est, ut propterea Religioni se dederet, ejusmodi fuerit, ut viri fortis & constantis animum frangere posset. Porro paternæ indignationis timor satis non esset, nisi gravis mali minæ accessissent, & quidem minæ non vanæ, nempe verborum tantum; necesse nimirum fuisset, Religiosum hunc non temere credere, patrem suum eum esse, cujus comminationes facile effectum sortiri possent. Sanchez *lib. 4. disp. nn. 18. & seqq. de matrim.* statuit principium hoc non solum quoad matrimonium, sed quoad Regularem pariter Professionem; ex quo, cum adest, utriusque nullitatem concludit.

Expendendum est igitur, an minæ, quibus pater filium perculit, inquiens nil ei se daturum, quo studia prosequeretur, satis grave malum fuerint, ut ipse, quo illud vitaret, suscipiendæ Religionis consilium capere cogeretur; ut proinde asseri posset ejus Professionem in hac facti specie satis liberam non fuisse; quod ægre quidem credi potest. Quod si addit se veritum, ne patris indignatione, ni Religioni nomen dedisset, in extremas calamitates incideret, pergrave sane malum est, & quod libertatem, quæ ad Professionem necessaria est, de medio tollere possit; verum oportuisset malum hoc ipsum ab eo tanquam certum spectari, nullumque remedium vel in tempore, quod omnia mutat, vel aliunde præsto fore, jam vero malum hoc vel ejusmodi fuisse, vel prorsus ut ejusmodi ab Adolescente spectatum fuisse non constat.

Denique quod ait filius se Probationis tempore non satis instructum fuisse, ac sæpe de egressu cogitasse, siquidem asylum, quo confugeret, extitisset, id sane non sufficit, ut Professionis substantiæ derogetur. Non ergo ex hac facti specie, prout quidem exposita est, apparet ejus Professionem nullam esse, ac proinde reclamationi locum fore.

II. Quamvis autem pro certo haberetur filii rationes in expositione declaratas satis ad reclamationem valere; id præterea requireretur, ut Judices in foro externo convinci possent, videlicet patris minæ, quæ quidem filii animum gravissime perculissent, idoneis testibus probarentur; id porro admodum difficile apparet.

Hoc posito, cum nullum reclamationis fundamentum legitimum suppetat, nihil est, quod quæratur quid Religiosus agere debeat, ut nullitatis Professionis declarationem obtineat. Quod si grave fundamentum ei præsto foret, ex præsentis temporis consuetudine Romanæ Curiæ Rescripto opus esset, Ordinario de suscepto consilio jam certiore facto. Ejusmodi Breve ad loci Officialem mittendum est, qui rationum, quæ supplicatione continentur, veritatem expendat.

Quod attinet ad Regulare Beneficium, seu potius Officium, quod Religiosus hic possidet, illud quidem cum Sæculari permutare non potest, quia cum Religiosus sit, sæculare Beneficium possidere non potest juxta tritum illud: *Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus*. Probibetur id Jure, nec absque

Papæ dispensatione fieri potest, *C. Cam ex Beatf. de Præb. in 6.* Videndi hac in re Garcias *p. 7. c. 11. n. 28. de Benef.* & Pelizarius *tom. 2. tr. 8. c. 6. n. 231.*

Decisum hac die 5. Septembris an. 1698. G. *Fromageau.*

Professio alibi quam in statuto loco peracta.

CASUS V.

1 *Professio, quæ non in eo loco est edita, qui ad eam recipiendam est institutus, nulla est.*

2 *Ratio est, quia ejus loci Superior, in quo Religiosus vota pronuntiat, potestate satis ad id idonea non gaudet.*

QUÆSITUM.

IN Religiosi cujusdam Ordinis generali Capitulo Statutum, quod Papa, Rexque probarunt, editum fuit, in quo nominati fuere Conventus sex, qui Novitios, eorumque, qui Religioni nomen dare voluissent, Professiones exciperent, declaratumque est, Professiones, quæcumque alibi peragerentur, *ipso facto nullas* fore. Septimi tamen Monasterii Superior in Provinciali Capitulo Novitios ac Professos admittendi permissionem obtinuit, ea conditione, ut permissio hæc in Romana Curia reciperetur, & in Gallia confirmaretur. Ergo ille viginti Professos & amplius admisit, quin permissionem suam approbandam curasset. Multo post cum Prælati Religiosis his proposuissent, ut vota renovarent, renuerunt eorum non pauci, quippe qui in incerto statu versari mallent. Ex iis unus gracilis & infirmæ valetudinis quærit, an cum servandæ reformationi, quæ in Monasterio, in quo professionem edidit, deinde instituta est, impar fit, eggredi nequeat, ac se recipere apud Parochum, qui sibi Vicariatum suum offert, Episcopo consentiente, ac seu prospera seu adversa valetudine utatur, futurum promittit, ut eum de proprio patrimonio sustentet? Rogat Sorbonæ Doctores, ut sibi indicent, quid consilii capere debeat, ut salva conscientia, quod proponitur, exequatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, horum viginti Religiosorum Professionem ab origine nullam fuisse, nullamque proinde eam quoque esse, quam is, qui consulit, Religiosus emisit, quia in ea familia edita est, cujus Superiori non satis erat potestatis, ut eumdem Religiosum admitteret, & Religioni incorporaret, cum Monasterium, in quo ea facta Professio est, ex eorum non fit numero, quæ ad sumendos habitus, edendasque Professiones generali Capitulo sunt instituta. Non inde tamen sequitur, quia generalis hujus Capituli Statutum Professiones, quæ alibi emissæ fuerint, *ipso facto* nullas declarat, Religiosum consulentem independenter a proprio Superiore eggredi posse, habitumque deponere, ut in societate versetur, quia per solemnia vota, quæ edidit, se Religioni devinctum non esse contendit. Ratio est, quia quamvis Religio ejus vota atque obligationem hactenus acceptasse non videatur, penes eam tamen semper jus est ejusmodi Professionem probandi, atque acceptandi, quia Religiosus hic contra vota, quæ edidit, non reclamavit.

Ita definiit Tridentinæ Synodi Congregatio in Decreto an. 1636. quod ab Urbano VIII. approbatum, & Bullario insertum est *n.* 115. ibi enim ita Pontifex pronuntiasse dicitur: *Audita super hoc sententia sacræ Congregationis Concilii declaravit & decrevit hujusmodi Receptos & Professos, contra formam dictorum Decretorum, allegantes propterea nullitatem receptionis & professionis, non posse super hujusmodi nullitate, post lapsum quinquennium audiri.* Si ergo Religiosus consulens habitum independenter a proprio Prælato deponeret, transfuga, & apostata haberi posset. Ita sentit Pelizarius *tom. 1. tr. 2. cap. 1. q. 18. n. 27. & tr. 3. c. 2. q. 2. nn. 4. & 5.* Animadvertendum hoc loco est, non ob decretum Tridentini Concilii *Sess. 25. c. 19. de Regul.* Religiosum hunc, elapso quinquennio, reclamare non posse, sed vi Decreti, quod modo allatum est.

Et sane inusitata & scandali plena res est, Religiosum, relicto Claustro, de repente ad societatem redire, cum per annos viginti Religionis habitum detulisset. Hinc sequitur, non licere Religioso, de quo quæritur, Ordinem suum deserere, ut ad Vicarii officium in Parochia obeundum se conferat, quamvis eum Parochus, & Episcopus accipiant. Quod si quia mollior est & infirmior, asperiorem reformationem, quæ post ejus professionem in Monasterio instituta est, perferre non potest, debet ad Pontificem confugere, ei difficultates, quibus angitur, explicare, & ad laxiorem Ordinem transeundi permissionem ab eo postulare; neque enim fit vero simile futurum, ut Pontifex ejus vota nulla declaret, eique Sæcularizationem concedat, ut ex iis, quæ hactenus diximus, satis evincitur.

Decisum hac die Januarii an. 1700. G. *Fromageau.*

Professio, quam Antistita sine Communitate recipit.

CASUS VI.

In Ursulinarum Familia, quæ non nisi ex Antistita, Conversa, duabusque Novitiis constat, unas Episcopus eam facultatem Antistitæ tribuere potest, ut ejusmodi Novitias ad Professionem recipiat; quæ facultas si non adesset, vota nulla forent.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Antistita Ursulina, quæ sola exi-stit cum Moniali Conversa in Monasterio, quod instituit, possit ad Professionem recipere Novitias duas, quæ habitum susceperunt, cum ibidem adessent nonnullæ proximorum Monasteriorum Religiosæ, & cum eadem Antistita Communitatem componerent, quæ tamen deinde ad suos quæque Conventus revocatæ fuerunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Novitias, de quibus agitur, ab Antistita ad Professionem admitti posse, dummodo ei præsto fit Ordinarii consensus; quamvis enim nulla nunc temporis constituta Communitas adsit in ea Domo, cujus illa regimen obtinet: satis tamen est, Episcopum, qui in hac facti specie Communitatem eminenter continere censetur, assensum præbere, ut eædem Novitiæ duæ vota emittere, ac deinde vere ac proprie Religiosæ esse possint. Quod si Episcopus, ad quem ex Ursulinarum instituto spectat vota recipere, earum Professioni non assentiatur, ad eamdem Professionem ab Antistita admitti non possunt; ratio est, quia Antistita una tantum cum Conversa una non censetur Communitatem constituere, & quod inde consequitur, Novitias ad Professionem recipiendi jus omnino non habet; sed id juris ad Episcopum unice pertinet. Quæ cum ita fint, Puellarum, de quibus sermo est, vota nulla forent, si absque Superioris, qui Ordinarius est, permissu edita essent.

Decisum in Sorbona hac die 16. Octobris an. 1695. G. *Fromageau.*

Professio, in qua emittenda pestifer morbus celatus est.

CASUS VII.

1 *Religiosi Professio nulla est, si exitialem morbum occultavit eo in Ordine, cujus Statutis a Sancta Sede*

de approbatis, quicumque ejusmodi contagione infecti sunt, excludantur.

2 *Religiosus hac de causa rejectus potest tuta conscientia in Societate versari, quia ejus vota nulla sunt.*

QUÆSITUM.

Adolescens in Capucinorum Ordinem ingressus Professionem edidit non sine occulta ægritudine, ex earum genere, quibus qui correpti fuerint, etiamsi Professionem emiserint, eos tamen retinendi obligationem sibi nullam fore declarat idem Ordo Constitutionum suarum secundo Capite.

Ille quidem Novitiatus tempore ob ejusmodi morbum de egressu cogitavit; sed Pater Magister, qui eum diligebat, impediit, ratus id nihil aliud quam tentationem esse. Professus ergo est, sed semper abeundi animo, cum primum posset. In id operam contulit eo anno, qui Professionem proxime secutus est, reclamans, & nihil omittens eorum, quæ ad egressum necessaria putaret; sed cum sibi non auscultari videret, quod ea tentatio esse crederetur, seque eo morbo oppressum sentiens, cui congrua remedia Religio nec suppeditare posset, nec vellet: rationem re quidem ipsa malam, sed quæ tamen omnino ex voto cessit, excogitavit; ut nihil eorum quæ regula præscriberet, exequeretur, ac prorsus licentiæ se dederet. Id in causa fuit, ut Capucini Capitulum cogerent, in quo, cum ejus morbi rationem duobus Chirurgiæ peritis testibus perspectam habuissent, ei tandem concesserunt *Exeat*, quod ille adeo vehementer optabat. Declarant in hoc *Exeat* causas duas, alteram a morbo repetunt, alteram ab animo correctionis impote; en excerptum, quo negotium hoc in bono lumine poni potest: *Nos, &c. Declaravimus & declaramus I. e testimonio duorum Chirurgicorum peritorum, post exactam ab ipsis prædicti Fratris N.... visitationem, seriumque naturæ, causarum, effectuum, ægritudinis ejusdem Fratris examen, certo constare ipsum morbo laborare, in cujus suspicionem venerat, cuique sanando sæpe jam frustraque remedia adhibuerat, deinde juxta id, quod expresse habetur in secundo Constitutionum nostrarum Capitulo declaravimus, & declaramus, nos nullo modo Professione prædicti Fratris N. .... ligari, nullamque nostram Religionem ipsum retinendi contraxisse debitum ..... Igitur nostro jure utentes declaravimus, & declaramus, nos rebus ita stantibus prædictum fratrem N .... retineri non debere, maxime cum ad ipsius morbum nobis notorissimum accedat, quod mores illius nulla posse emendari correctione videantur. Hunc itaque Fratrem N. .... Ordinis nostri Clericum in sæculum rejicimus, potestatisque eorum, quibus subjici debet, restituimus; Declarantes insuper nos circa alia, quæ ex Professione sua contrahere debita potuisset, nullam ipsi dispensationem concedere, sic declaravimus, & declaramus.*

Adolescens hic quærit I. An ejus vota valida sint?

II. An eorum dispensationem obtinere debeat?

III. Quid sentiendum de ejus egressu, ad quem, ut videtur, adactus non fuisset, ni se Regulis infidelem exhibuisset, & gravissime tum apud Deum tum apud homines deliquisset abdicationis obtinendæ consilio? Quid agere debet, ut in conscientia tutus sit? Quicquid Sorbonæ Doctores agendum præscripserint, exequi paratus est.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet ea, quæ in expositione quæruntur, non alia ratione melius dirimi posse, quam si innotuerit, an Professio Fratris N... nulla sit?

Non apparet ex Jure communi ejus, qui pestifero morbo laborat, professionem nullam esse. Navarrus *Tom.* 2. *lib.* 3. *Consil. tit. de Regul. Consil.* 48. Nec sane nulla est, nisi in Ordine expressum vel a Sancta Sede approbatum Statutum adsit, quod eam nullam declaret. V. Sanchez *lib.* 5. *moral. c.* 4. *n.* 57. *Nav. l. c. Consil.* 26. Tambur. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 3. *n.* 26. Lessium *de just. & jur. l.* 2. *c.* 41. *dub.* 7. *n.* 6. Ratio, quam postremus hic Auctor affert, ea est, quod, quemadmodum Religiosorum institutio a Sanctæ Sedis approbatione omnino pendet, ut constat ex Concilio Lugdunensi *Cap. Religionum de Regul. in* 6. *ex Greg.* X. ita dirimens impedimentum, quod Professionem invalidam reddat, videtur a solo Pontifice statui posse.

Ut ut res habeat, ea praxis obtinet, inquit Tamburinus *l. c.* ut Religiosus Professus, qui pestiferum morbum ante Professionem celavit, ejiciatur. Et sane, inquit Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 3. *n.* 5. posset malum tam grave esse, ut tanquam defectus essentialis spectaretur, atque impediret, quominus is, quem eo correptum esse constaret, ad Professionem admitteretur. Ex quo fit, ut ob consensus defectum Ordo vel Monasterium nullam cum eo contrahat obligationem, cumque ejus Professio nulla sit, ipse remitti possit.

Quod ad Capucinos singillatim attinet, Diana 4. *p. tr.* 4. *resol.* 188. Tambur. l. c. Bassæus Religiosus ejusdem Ordinis, aliique plures consentiunt apud eos Statutum a S. Sede approbatum existere, quod ejus Religiosi Professionem nullam declarat, qui ante Professionem pestiferum morbum celaverit.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur.

Ad primam, Religiosi, de quo agitur, vota valida non esse; cum enim ejus Professio nulla sit, obligationem nullam contraxit, nisi ipse ad aliquid, independenter a Professione, se obligare voluerit, id quod simplex votum esset, quod servare teneretur. Ita sentit Pelizarius *tom.* 5. *tr.* 3. *c.* 1. *q.* 31. *Communissima DD. sententia est, Professionem obligare ad instar voti simplicis, modo vovens voverit independenter a fine permanendi in Religione; certum est tunc Professionem nullo modo obligare, cum votum non obliget ultra intentionem voventis.* Bassæus, cujus in hac facti specie auctoritas maximi ponderis esse debet, propugnat *l. c.* Capucini vota hoc in casu nulla esse, eumque ad nihil obligari vi Professionis: *Secundo præfatum dictis morbis laborantem, & cujus Professio est irrita in nostra sacra Religione, & in quibusdam aliis, non esse obligatum ad Religionem, nec allam nullius Professione induci obligationem, nisi Profitens ex peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat se eo ligare: quod tamen votum non dicitur validum, tanquam aliquid Professionis, sed ut votum simplex.*

Secundæ quæstioni per ea, quæ dicta sunt, satisfactum est.

Quod spectat ad tertiam, si Frater N.... ob depravatos, & a correctione prorsus alienos mores rejectus fuisset, major occurreret difficultas; complures enim Auctores, ut Bassæus *l. c. n.* 6. contendunt Religiosum ob desperatam depravationem dimissum teneri ad reditum se comparare, putantque id eum efflagitare debere. Verum alii contra stant. Ut ut res habeat, non ille, desperata solummodo correctione, remissus fuit, sed ob id etiam, quod ejus Professio utpote cum impedimento, quod Statutu dirimens declaratur, emissa absolute nulla est.

Debet igitur a Deo veniam exposcere, I. quod ad Capucinos accesserit, siquidem ob Statutum, de quo dictum est, ineptum se noverit. II. quod se, ut fatetur, licentiæ dediderit, & scandalo fuerit, ut Capucinos ad se repudiandum adigeret. Cæterum cum *Exeat* legitimum obtinuerit, potest in sæculo tuta conscientia versari, si judicet non sine sapientum piorumque virorum consilio hanc vitæ rationem suæ ipsius saluti congruere.

Decisum hac die 25. Julii an. 1694.
G. *Fromageau.*

Conditione suspensa Professio.

CASUS VIII.

1 *Professio, quæ conditionem futuram adjunctam habet, nulla est, & in foro interno non obligat.*

2 *In foro externo absoluta apparet Professio, quamvis Profitentis Acta contrarium evincunt.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

JEsuita, cum videret postremi sui voti tempus appropinquare, illud ea tantum conditione edere statuit, si nempe rationes, quas, ut e Societate eggredi sibi liceret, majoribus Superioribus allegare in animo habebat, probatæ non fuissent. Quinto decimo ante Professionem mense per Actum Notarii manu firmatum se non aliter, quam ea conditione velle vota pronuntiare significat; eumque Actum evulgat uno tantum, vel duobus ante Professionem mensibus; haud dissimilem Actum postulat a Notario, qui Anicii in Velaunia degebat, eumque rogat, ut Rectori, in cujus manibus vota editurus erat, actum exhibeat. Notarius omnino renuit, ne sibi, ut ait, negotium, & contentio cum Patre Rectore sit.

Paucis ante Professionem diebus Religiosus per Urbem, qui Jesuitarum mos est, obambulans conditionatæ tantum Professionis edendæ consilium cujusdam Monasterii Antistitæ aperuit, idemque Jesuitis duobus, & Laico declaravit; denique horæ dimidio ante cæremoniam Superiorem convenit, eique significat se quidem velle, qua supra declaratum est, ratione Professionem emittere. Respondet Superior, tentationem eam esse, eumque cohortatur, ut, quod cæteri consueverunt, & ipse perficiat. Religiosus assentienti similis a colloquio recedit, nec sine consuetis omnibus cæremoniis Professionem edit, signatque manu propria.

Sex circiter mensibus post reclamat, & Romanæ Curiæ Rescriptum obtinet, in quo ait Pontifex ex supplicis libelli expositione eum Professionem edidisse *in manibus cujusdam Superioris, ad id potestatem non habentis contra Constitutiones Societatis*, &c. Hoc posito, quæritur;

I. An Professio hæc ita peracta vere conditionata sit, vel an ejusmodi censenda sit?

II. An, facta hypothesi conditionatam eam esse, valida sit?

III. An non expositio in Pontificis Rescripto contenta falsa sit, ac proinde dispensationem nullam efficiat? Contendunt nonnulli eam veritati non repugnare, quia reipsa ejusmodi Professionem, cujusmodi ab hoc Religioso edita est, conditionatam scilicet admittendi potestas penes Superiorem non erat.

IV. An non Jesuita, de quo quæritur, Capite *Super litteris, de rescriptis*, quod extat in Decretalibus, uti possit? Videtur autem non posse, quia testatur Expeditionarius ad conditionatæ Professionis expositionem nunquam in Romana Curia dispensationem concedi.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, obligationem perpetuam cum Religioso statu conjunctam esse saltem quoad eum, qui ipsum amplectitur, quique proinde recipit se in eo, quoad vixerit, perstiturum. Quamobrem fieri nequit, ut ejusmodi obligatio ex una quidem parte suspensa sit, quoad conditio compleatur, ex alia vero parte qui eam conditionem apposuit, vere ac proprie Religioni devinctus sit.

Itaque futura conditione suspensa Professio nulla est, nec obligationem inducit; ejus nempe, ut inquiunt Theologi, eadem ratio est, ac matrimonii, quod communi sententia nullum est, si, conditione addita, contrahatur. Consuli potest Pelizarius *tom. 1. tr. 3. c. 1. n.* 12. *& c. 5. n.* 18. Utrum autem, conditione completa, ad Professionis validitatem novo consensu opus sit, alia quæstio est, de qua inter Theologos controvertitur, ajentibus aliis, aliis negantibus, sed quæ tamen ad præsentem facti speciem non spectat.

Hoc posito, respondetur ad quæstionem primam, In foro interno Professionem, hanc sub conditione factam fuisse, in foro autem externo absolutam apparere. Quamvis enim hujus Jesuitæ Actus contrarium probare videantur; quia tamen ante quam ille pronuntiaret extremum votum, Superior, cui consilium suum aperuit, eidem significavit, eam tentationem esse, eumque id facere debere, quod alii facerent, eique ipse acquiescere visus est, Professionem de more statim emittens; retractasse proinde censetur, quicquid antea dixerat, feceratque, ut obligationem suam conditionatam efficeret.

Ad secundam, ejusdem Jesuitæ Professionem coram Deo non valere; facta quippe fuit sub conditione, qua subsistente, nec Professus ipse, nec proprie Religiosus est.

Ad tertiam, expositionem, cujus in Rescripto mentio fit, falsam esse, cum verum non sit, Jesuitæ hujus Professionem a Superiore tanquam conditionatam receptam fuisse; ac ne id quidem præsumi potest, cum ejusmodi Professiones inusitatæ in Ecclesia sint, gravis scilicet esset abusus, si eas Superior admiserit, ut monet Pelizarius loco citato *c. 1. n. 13.* ex quo inferri potest, dispensationem nullam esse, & quod inde consequitur, Rescriptum hoc ab Officiali pronuntiandum non esse.

Ad quartam, Jesuitam se tueri non posse *C. super litteris de Rescript.* quoniam Pontifex solum ob falsitatem in supplicatione contentam dispensationem concessit, quod nempe Professio peracta fuerit *in manibus cujusdam Superioris, ad id potestatem non habentis contra Constitutiones Societatis*, &c. atque ita, remota falsitate, locum non habet gratia, cujus illa fons, & origo fuit. Neque ad rem facit Decretalis *Super litteris*, quamvis ibidem dicatur, Rescriptum usui esse posse, cum certum est, falsitatem, quæ in eo occurrit, Pontificem impedituram non fuisse, quominus gratiam tribueret, etiamsi falsitas ei nota fuisset.

Decisum hac die 10. Martii an. 1698.
G. *Fromageau*.

PROMISSIO.

DUorum generum Promissio est; verbalis una, scripto exarata alia; in sequenti casu non nisi de prioris generis promissionibus sermo est.

Promissiones verbales.

CASUS.

Matrona, quæ ore tenus Cubiculariæ promisit centum nummos aureos in donum nuptiarum gratia, & annuos præterea quinquaginta francos, quibus ejus stipendium augeret, tenetur coram Deo duplex hoc promissum facere, siquidem possit.

QUÆSITUM.

Articulus Primus. MAria-Anna pridie quam matrimonium contraheret, Annæ-Franciscæ, quæ ei a cubiculo erat ab annis quatuor, centum nummos aureos promisit, eique testata est, se, ni eam summam continuo solverit, ejus annuum censum a promissionis die soluturam. In præsentia eam prætendit excusationem, quod ejusmodi promissio sit gratia, quam proinde, non nisi cum voluerit, exequi debeat.

Secundus Articulus. Præterea eadem Maria-Anna promittit Annæ-Franciscæ se ei, quamdiu sibi erit a famulatu, quinquaginta libras annuas soluturam in augmentum stipendii, quod ei a matre tribuebatur, & cujus gratia non satis in servitio detinebatur, cum ex iis, quibus antea deserviebat, mercedem longe majorem perceperit.

Rogatur Conscientiæ Consilium, ut indigitet, quæ tandem Mariæ-Annæ obligatio sit.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Mariam-

riam-Annam teneri centum nummos anteos, quos Annæ-Franciscæ promisit, vel eorum loco, quoad summæ tradendæ par sit, annuum reditum solvere; quamvis enim hac in Syngrapha nulla sit, sed tantum verbalis adsit data quidem & acceptata promissio; non minorem tamen obligationem coram Deo ea verba producunt, ad conscientiam quod attinet, quia Mariæ-Annæ eam intentionem fuisse constat, ut se vere obligaret, suæque promissionis effectum exigendi jus Annæ-Franciscæ tribueret, quod id est, quod Justitiæ obligatio dicitur.

Fortasse quidem si promissio hæc ab exordio spectetur, nihil est aliud, quam gratia, ac Mariæ-Annæ bona voluntas; verum ex quo probata & acceptata fuit, evasit proprie dicta promissio, quæ proinde falli non possit, quin violetur obstricta fides, ac Justitia lædatur.

Ad alterum articulum idem responsi esto; immo vero injustitia existeret longe gravior, ni quinquaginta libræ in stipendii augmentationem exhibitæ solverentur, non solum quia ultro ac libere prorsus ut centum nummi aurei promissæ sunt, verum etiam quia perspectum fuit id incrementi ad Justitiam spectare; ut proinde ea quædam restitutio, seu damni reparatio sit, eo tendens, ne Anna-Francisca Dominam deserat.

Hinc sequitur, Mariam-Annam ad summas, quæ duplici propnsito articulo continentur, solvendas, siquidem possit, obligari.

Decisum in Sorbona hac die 31. Januarii an. 1697.

G. *Fromageau*

PROPRIETAS RELIGIOSORUM.

PRoprietas semper tanquam vitium spectata est in Religiosis, quibus per Canones stricto jure vetitum fuit, ne quid haberent proprii, tanquam oppositum paupertatis voto, quod solemniter ediderunt secundum Evangelii verba hæc: *si vis perfectus esse, vende omnia, quæ possides, & sequere me*. Quamobrem Religiosi nihil privatim habere debent, non vestes, non libros, non laboris instrumenta, non aliud quicpiam; imprimis vero pecuniam habere omnino non debent. Ex veteri disciplina quisquis in mortis articulo privati quicquam habere compertus esset, Ecclesiastica sepultura, tanquam in manifesto peccato mortuus privabatur. Facile quidem Monachi, utpote ab humana societate secreti, & in solitudine consistentes omnem proprietatem vitare poterant. Sed postquam & illi, & Religiosi cæteri passim itinerari cœperunt, iis inter itinerandum non nihil pecuniæ, & nonnulla peculiaria commoda permissa sunt. Qui Beneficiorum capaces sunt, ut Regulares Canonici, qui Parochias obtinent, non potuere, quin mobilia bona, & pecuniam haberent, venderent, emerent, & Sæcularium more familiam tenerent; sed iis tamen immobilia bona acquirere minime licet. E vita excedentes in eo se Religiosos præsesetunt, quod legitimos hæredes non habent, nec testari possunt; iis succedit Abbas, aliusve Superior; & hæc quidem regula generalis est quoad omnes Religiosos Beneficiatos, aliosve, quicumque morientes boni quicquam reliquerint. Successionis forma hæc dicitur spolium, seu cadaveris exuviæ; Juris autem vocabulo peculium nuncupatur, quia Religiosi spectantur tanquam filiifamilias, quibus nihil proprii nisi ex Superioris expressa licentia fuit, ejusque usus precarius extitit, nempe non sine Superioris approbatione.

Tridentina Synodus Constitutiones veteres renovavit, quibus mobilis vel immobilis boni quicquam tenere seu possidere Religiosi quique prohibentur. (*a*) Eos oportet omnia deponere in Superiorum suorum manu, quibus ipsis minime licet illa stabilia bona iisdem quocumque demum prætextu concedere. Omnia Conventus bona administrentur necesse est ab Officialibus, quos Prælati pro arbitratu abdicare possunt. Mobilia bona, quorum usum Prælati Religiosis concedunt, debent semper paupertatem redolere, quam ii profitentur, si contra se gesserint, activa & passiva voce biennii spatio privandi, & pro suarum Constitutionum ratione puniendi.

Vide (RELIGIOSI.
(PAUPERTAS.
(VOTUM.

Religiosi pecuniam habentis Proprietas.

CASUS.

1 *Religioso minime licet pecuniam privatim, sibique propriam habere vel Superioris permissu.*
2 *Multo minus negotiari potest, prætextu solvendi non nihil æris alieni, quo laborat ejus Communitas, quodque non putat legitimum, nec solvere vult.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, I. An Religiosus ex proprii Abbatis consensu possit apud se retinere pecuniæ vim, quæ sibi superfuit ex administratis familiæ suæ proventibus, & ex nonnullius æris alieni exactione, quam Minister ejus Decessor neglexerat.

II. An idem Religiosus eam pecuniam conferre possit in negotiationem mercium, quas curat emendas, ut rursus apto tempore carius vendat, atque ita ex lucro, quod inde sperat, solvat alienum æs, quod ipso officium obtinente, Communitas contraxit, sed quod tamen eadem Communitas, & Officialis actu munere fungens, qui nunc temporis Exactor est, contendunt haud legitime deberi, nec omnino solvere volunt. Non est omittendum, hanc agendi rationem scandalo esse Religiosis nonnullis, quibus nihil proprii est præter non nihil pecuniæ, quam accipiunt a suis, quamque apud Custodem a Superiore nominatum deponunt, ut proinde nemo unus eamdem, nisi Superiore ipso permittente, disponat.

Is quidem id omne, atque hujus Religiosi negogotiationem permittit, atque adeo declarat, se minutarum oblectationum gratia id ei pecuniæ relinquere, id quod nec Communitatis querelas & obmurmurationes, nec Sæcularium hominum scandala reprimit.

Quæritur, in hac facti specie quid & Superioris, & Religiosi Confessarius agere debeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Superiorem Abbatem stare debere Tridentinæ Synodi Decreto huic Sess. 25. *Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat*. Et quoniam alienum æs, quod hic Religiosus exegit, & cujus gratia consulitur, ad Monasterii bona spectat; percepta proinde pecunia tradenda est ei, qui

(*a*) Conc. Trid. sess. 25.

qui nunc temporis familiæ bona administrandi ac distribuendi munere fungitur, nec Abbas omnino debet rationem quærere, qua super regula a Concilio statuta cum suo Religioso dispenset.

Præterea summa hæc, quam solutionis titulo Religiosus percepit, in negotiationem, de qua in expositione, conferri nequit, quia ea proprie dicta mercatura foret per Ecclesiæ Leges Religiosis prohibita, ut ex titulo, *Ne Clerici, vel Monachi*, & ex Capite *Secundum*, licet intelligi. Id porro non postulat Monasterii satis gravis necessitas, quoniam Communitas habet, quo Religiosorum suorum congruæ sustentationi prospiciat, ac si quid eidem deesset, satius foret ex manuum labore, quam ex negotio remedium quæri.

Tertio loco Abbas videre debet, an æs alienum, de quo dictum est, vere ac proprie debitum nec ne sit; cumque ita esse perspexerit, mandare debet, ut de Monasterii bonis ei satisfiat; atque adeo potest ad id Religiosos suos obligare, vel eidem satisfacere ipse per se, siquidem penes eum sint Abbatiæ bona, nec eorum inter se, ac Religiosos sit facta divisio; quod si facta fuerit, atque illud alienum æs Religiosos singillatim respiciat, non potest ille eam summam disponere, Religioso permittens, ut contra Regulam eamdem retineat.

Quarto loco tenetur Abbas in foro conscientiæ, quantum in ipso est, id scandali da medio tollere, quud ex ratione oritur, qua cum eo Religioso se gerit, ipso videlicet ad aliorum normam redacto.

Quinto loco, ita quidem Confessarius super Abbatis ac Religiosi obligatione satis instructus est, Magna tamen in hoc negotio prudentia, ac moderatione uti debet.

Decisum in Sorbona hac die   an. 1694.

G. Fromageau,

PROXENETA Vulgo SENSALE.

Proxeneta permutatæ pecuniæ.

PRoxeneta idem est atque interpres, interventor, conciliator permutatæ pecuniæ. Hæc quatuor vocabula eum significant, qui se interponit in venditionum, pretiorum, emptionum, & matrimoniorum negotiis, qui ultro citroque tractat eas res, quibus constat humana societas. Quem politiores Galli *Courtier* nuncupant, Provinciales vocant *Censal* mutuato ab Italis nomine. Proxenetæ porro vocabulum omnino græcum est, ductum a verbo προξενέω, concilio. Ad hujusmodi officium, quod in civili societate maximi momenti est, non omnes indiscriminatim admittuntur in Gallia. Edicto an. 1673. ab eo excluduntur, qui prorogationis litteras obtinuerunt, aut differendæ solutionis contractum inierunt, aut decoxerunt *tit.* 2. *art.* 3. Et in *art.* 19. Fori nundinarii Lugdunensis dicitur: „ Proxenetæ, & conciliatores permutatæ pecuniæ, fori argentarii, mercium ejusdem Urbis nominentur a Præpositis Mercatorum, & Scabinis, in quorum manibus de more jurabunt, probantes præcipuorum negotiatorum assertione, servato juris ordine, se bene moratos esse, & idoneos operæ & exercitio dicti muneris “. Marcardus in suo tractatu *de Mercatura lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 62. animadvertit juxta Urbis Lubecensis Constitutiones oportere, ut Proxenetæ apud Magistratus jurejurando se obstringant, & suæ fidei cautionem exhibeant.

Præcipua Proxenetæ obligatio est, ut sit fidelis; atque illud conveniat necesse est mendacium in nulla alia æque atque in hac arte locum habere; qui enim eam exercent, illud secum reputant, se, si ex animo loquerentur, & quicquid compertum habent, ingenue aperirent, longe paucissima negotia ad exitum perducturos. Quamobrem, nonnullorum Doctorum sententia, Proxenetæ semper præsumuntur mendaces; atque ob hoc sane infidelitatis & mendacii præjudicium, quo vulgo laborarunt, crediti sunt in negotiis, quibus se immiscuere, testes esse non posse, nisi partes omnes consenserint, ut animadvertit Marecalus in suo tractatu de publica pecuniæ permutatione. Verum his temporibus aliter judicatur; siquidem Constitutio *an.* 1673. *tit.* 3. *art.* 2. mandat, ut qui sunt a pecuniarum permutatione, generalem librum teneant, omnia ab ipsis transacta negotia continentem, qui in contestationis casu consuli possit. Eorum quoque testimonium probatur in Statutis Melodunensibus art. 89. quod respui non potest, *ex eo quia fuerit proxeneta*. Quoniam malum præsumi non debet, ejusmodi Ministri liber sufficiens probatio est conventionum & mercaturæ potissimum quoad pretium, & tempus solutioni præstitutum; at cum agitur de mercium liberatione, alia probatio quærenda est; proxenetæ quippe liber non sufficit; verum si proxeneta huic liberationi præsens fuerit, tanquam testis deponere potest.

Cæterum proxeneta utendi obligatio non adest; suas quisque res agere potest ipse per se juxta hanc regulam *de Loysel* in suis Institutionibus Consuetudinariis lib. 3. tit. 4. art. 14. proxenetam non adhibet, qui non vult. Est atiam generalis regula proxenetas eventus & successus negotiationum suarum prædes non esse; proponunt, animos conciliare student, atque adeo consilium dant; quod quidem prout cognoscunt, & sentiunt, præstare debent; neque vero iis imputandus est debitorum defectus, etiamsi spoponderint eos maxime solvendo esse, quia ex Lege, *Qiod si venditor* §. *de dolo*, & Lege *sciendum* §. *de dolo*, & Lege quoque secunda *de proxenetis* sibi quisque imputare debet, quod credere facilis fuerit. Verum est tamen de suo dolo proxenetam teneri; sed difficulter statui potest, in quo proxenetarum dolus consistere possit; vix enim ulla ratione contineri possunt in bona fide, quæ facile corrumpitur proprii lucri aviditate, ac timore, ne quæstus occasio favorabilis ex eorum manibus elabatur.

Eodem Edicto an. 1673. prohibentur Proxenetæ pecuniam ipsi permutare, idque seu proprio nomine, seu aliorum nominibus interpositis, directe, vel indirecte, in pœnam privationis Officii, & librarum 1500. titulo correctionis; ac denique eodem Edicto prohibentur ullum commercium inire, permutationi inservientem pecuniam apud se retinere, aut permutationis litteras cautionis titulo subscribere. Ad stipendium quod attinet, debetur proxenetis ob negotia tantum justitiæ consentanea, tametsi mercatura exitum sortita non fuerit. Certum est etiam proxenetam a duabus partibus stipendium petere posse, juxta consuetudinem locorum, in quibus stipendium definitum est pro mercaturæ ratione.

Proxeneta, cujus opera pecunia mutua datur.

CASUS.

1 *Quilibet Proxeneta graviter peccat, cum in re injusta suam operam collocat.*
2 *Minime peccat, si in id incumbat, ut alicui opus habenti pecunia fœnori detur.*
3 *Id quod operæ collatæ gratia percepit, retinere potest.*

QUÆSITUM.

PEtrus indigens mille libris mutuis anni spatio ad Carolum Proxenetam pergit, eiqua suam schedulam exhibet librarum 5050. solvendam intra annum cuivis delatori. Carolus sa confert ad Paulum, qnem novit consuevissa fœnori dare, eique dictam schedulam offett; eam Paulus acceptat, & nulla interjecta mora Carolo numerat libras 1000. quas confestim Carolus ad Petrum defert. Elapso anno Paulus, delata schedula, librarum 5050. summam a Petro recipit. Pecunia mutua datur recipiturque Parisiis. Carolus Proxeneta stipendii titulo accipis solidos 25. a Petro mutuatario, & pariter 25. solidos a Paulo mutuante, contenditque stipendium hoc, quod utrinque accipit, sibi adjudicari Parisiensis fori sententiis, & sui muneris institutione.

II. Carolus proxeneta in præsentia indiget libris 5000. eiqua præsto est schedula, & quidem rutissima ejusdem summæ librarum 5000. intra annum solvendæ. In eum finem adit Petrum Mercatorem, cui sunt 50000. nummi aurei, quos mutuos dare in animo habet, eumque rogat, ut sibi in præsentia dictæ schedulæ solutionem anticipet. Petrus recipit a Carolo dictam schedulam, eamque ipsi statim solvit, detractis quinis annuis pro centenis ob dictam anticipationem; ita ut elapso anno Petrus recipiat dictæ schedulæ solutionem, & ob eamdem anticipatam 250. libras.

Quæritur in prima facti specie,

I. An Paulus recipiat usurario modo dictas 50. libras, & an eas restituere teneatur?

II. An Carolus Proxeneta peccarit graviter, curans, ut dictum mutuum perageretur, atque an debeat restituere dictas 50. libras census, quas Paulus recepit, & stipendia, quæ accepit a Petro & Paulo?

In altera facti specie quæritur, an Petrus usuram commiserit recipiens has 250. libras ob anticipatam per anni spatium dictæ schedulæ 5000. librarum solutionem, & an eas debeat restituere?

Rasponsso.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

Quoad primum casum, Paulum, qui 50. libras sibi sumit lucri titulo ob summam simpliciter commodatam 5000. librarum, usuræ reum asse, quæ quidem juxta communem Theologorum sententiam post Divum Thomam 2. 2. *q.* 78. prohibetur naturali & divino Jure, & quod inde consequitur, est injustitia. Ex quo sequitur Paulum teneri lucrum ex pecunia, quam mutuam dedit, perceptum restituere.

Proxeneta Carolus peccavit graviter, quia in re injusta suam operam collocavit, quamvis enim Paulus cogitaret fœnori dare, tamen Proxeneta per suam interpositionem applicat, ut ita dicam, hanc Pauli generalem dispositionem facto & mutuo peculiari, de quo agitur; usus est hac Pauli dispositione, ut ab eo mutua daretur Patro summa, de qua quæstio est, librarum 1000. Quoniam ergo Carolus cooperatus est injustitiæ Pauli, tenetur, eo non reddente, restituere dicto Petro census, quos solvit, summæ 1000. librarum.

Sane si Carolus solius Petri rem egisset, nequaquam peccasset, quia cum fieri potuerit ut, Petrus in egestate constitutus pecuniam quæreret, & ad usuram acciperet, cum aliter non inveniret, Carolus potuit, ut Petro gratificaretur, ei pecuniam quærere, & invenire; at idem Carolus in Pauli quoque favorem egit. Dici enim potest inter Carolum & Paulum pactum tacitum esse, ut nempe cum Carolus ad Paulum deducet, qui ad usuram accipere velint, Paulus compensationis titulo certum stipendium Carolo tribuat. Itaque Carolus egit rem Pauli, suamque operam interposuit, ut Paulus Petro pecuniam fœnori daret. Re ipsa stipendii nomine 25. solidos recepit a Paulo; qua de causa dicitur Carolus injustitiæ Pauli particeps fuisse, & ax consequenti teneri in solidum restituere, tanquam qui injustitiam, quæ exitum sortita est, consulit, aut ei cooperatur. Et quamvis hic Proxeneta nullum ex Paulo lucrum perciperet, satis tamen esset eum Pauli negotia, eo sciente, fecisse, & quæsivisse, quibus Paulus fœnerari vellet, ut in solidum restituere teneretur.

Quod spectat ad 25. solidos, quos Carolus accepit a Petro, potest eos retinere pro opera, quam impendit, ut ei 1000. libræ mutuæ darentur. Licet enim dictæ summæ redditus injustus sit, & ex hac parte Carolus nihil mereatur; nihilominus gratificatio, quam Petro exhibuit, ei quærens dictam summam, est aliquo pretio æstimabilis. At non apparet, qui alios 25. solidos, quos a Paulo accepit, retinere possit. Quamobrem eos debet restituere. Nec juvat dicere ejus officii institutione, & Castellanæ Parisiorum Curiæ sententiis id juris eidem congruere; etenim respondetur jus hoc in ejusmodi casibus locum non habere; adeoque id lucri ob hos prætextus percipi non posse, quoniam jura naturale & divinum repugnant. Proventus hi Proxenetarum officiis assignati per institutionem & per sententias in aliis occasionibus percipiuntur.

Quoad casum alterum, Petrus usuram commisit; hæc enim anticipata summa librarum 5000. quæ nonnisi post annum solvenda esset, ob lucrum 250. librarum, reducitur ad mutuum summæ 5000. librarum, quod Petrus Carolo dat ob lucrum 250. librarum, quas idem Carolus pendet post annum cum dicta summa principali 5000. librarum, quæ usura aperta est. Ex Expositione non apparet ullum titulum Petro suppetere, cur has 250. libras recipiat.

Decisum in Sorbona hac die 7. Februarii an. 1696.

G. *Fromageau*. M. *Charton*.
G. *Bourret*. A. *Salmon*.
F. *Du Charmoteau*. *Anquetil*.
Pinsonnat. *Boucher*.
Ph. *de la Coste*.

Vide (USURA.

QUADRAGESIMA.

QUadragesimæ vocabulo designantur quadraginta sex dies præcedentes Paschatis Festum, quorum dierum spatio Fidelibus Ecclesia jejunium præcipit, & quemcumque carnis esum sine legitima causa & dispensatione interdicit. Quadragesimæ nomen vel inde derivatum est, quod Jesus Christus ipsa diebus quadraginta jejunavit, vel inde quod diebus quadraginta completis in nonnullis Ecclesiis jejunabatur. Verum quoad dierum jejunii definitum numerum in tribus prioribus sæculis pergraves difficultates occurrunt; & licet per Quadraginta da Quadragesima sermo sit in Conciliis Niceno, & Laodiceensi, Sanctique Epiphanius & Basilius ejusdam per idam nomen mentionem faciant, tanquam rei, quæ in universa Ecclesia obtineret, & Gregorius Nyssenus duorum mensium fuisse pronunciet; hac tamen in re multum contigit varietatis. Testatur Cassianus eum numerum triginta sex dierum fuisse tam in Orientis, quam in Occidentis Ecclesia, quoniam hic numerus decimam fere totius

anni

anni partem complectitur; cum hoc tamen discrimine, quod in Orientis Ecclesia, in qua nec die Sabbati, excepto Sabbato Sancto, nec vero diebus Dominicis jejunabatur, Quadragesima constabat hebdomadis septem; cum contra in Occidentali Ecclesia, in qua die Sabbati jejunium servabatur, nonnisi sex hebdomadas complecteretur. Sed quoniam hic numerus ad quadraginta accedebat, & ad Jesu Christi jejunium tanquam ad exemplar referebatur, quod quidem dierum quadraginta completorum extiterat, additi deinde sunt dies quatuor, qui, jejunii caput nuncupantur, *in capite jejunii*; atque hæc additio Caroli Magni temporibus nondum facta contigit regnante Carolo Calvo, quoniam Ratramnus Religiosus Corbejensis, qui pro Ecclesia contra Græcos scribebat, ejus mentionem facit.

Quadragesimale jejunium initio nec obligationi obnoxium fuit, nec ulla lege præscriptum; sæculo tertio jam procedente Quadragesimalis jejunii consuetudo tanquam obligatio spectari cœpta est, quamquam ejus duratio satis determinata non statim fuit. Qui nec die Dominico, nec Sabbato, nec feria quinta jejunabant, novem hebdomadis ante Pascha suam Quadragesimam inchoabant, id quod triginta sex dies tantummodo complectebatur; unde est Dominica Septuagesimæ, a qua Ecclesia incipit suæ pœnitentiæ signa deducere. Neque in Occidente defuerunt Ecclesiæ, quæ dierum quatuor additionem post feriam quartam Cinerum nequaquam probarent; atque etiamnum Mediolani Quadragesima non inchoatur nisi Quadragesimæ die Dominica, quæ abstinentiæ dies est. Hujus jejunii tempore nonnisi ad vesperas, videlicet labente sole comedebatur; & prandium quidem adeo jejunio contrarium judicabatur, ut prandere, & non jejunare unum, idemque censerentur. Disciplina hæc in Ecclesia Latina etiam post D. Bernardi tempora obtinuit, quandoquidem hic Pater de Quadragesimali jejunio verba faciens Religiosos suos monet, eos ad Quadragesimam usque ipsos solos ad Nonam jejunasse, quoniam jejunia, quæ servabant, ad Regulam pertinebant; at imposterum ad vesperas jejunio vacaturos cum tota Ecclesia, cum Regibus, Principibus, Clero, Populo, Nobilibus, & ignobilibus, pauperibus & divitibus. Ab eo tempore remissio, ad hanc rem quod attinet, pedetentim irrepsit; & jam cœperat in Ecclesia sæculo Decimo, quod ita quidem factum est, ut minime sentiretur; & post annum 1200. adeo paulatim anticipata est comestionis hora, ut in Occidente ad meridiem referretur. Ad extremum inducta est refectiuncula, quam D. Carolus permittit indigentibus ad panis unciam tantum, & vini cyathum.

Ad ea quod attinet, a quibus abstinendum erat jejunii tempore, in Occidentis Ecclesia a carnibus, ovis, lacticiniis, atque adeo vino abstinebatur. Minime vetiti pisces erant, tametsi Christifidelium non pauci leguminibus tantum & fructibus vescerentur. Quoad volatilis nonnulli reputantes ex aquis aves creatas esse non secus ac pisces, atque eadem die productas esse, eam esse posse contendebant alimoniam quadragesimali tempore permissam; sed hæc subtilior disputatio proscripta fuit. In Orientis Ecclesia Quadragesimale jejunium semper admodum accurate servatum est, & plerique eo quidem tempore pane tantum & aqua cum leguminibus utebantur; verum peculiaris hæc praxis apud antiquos Ponti & Cappadociæ Monachos obtinuerat, ut carnis sale conditæ frustum cum suis leguminibus ipso Quadragesimali tempore coquendum curarent. Eustathii, aut potius Eustachii error hujus consuetudinis institutioni occasionem præbuisse creditur. Ancyrana Synodus, quæ hujus Monachi impia dogmata diris devovit, passa tamen est Presbyteros & Diaconos suis leguminibus cum modica carne coctis vesci; & S. Basilius hanc praxim in suis Constitutionibus confirmavit.

Procedentibus temporibus paulatim imminuta est jejuniorum severitas & ante annum 800. vini, ovorum, & lacticiniorum usu valde remissa est, quæ quidem non solum ægrotantibus permittebantur, sed iis quoque, quibus nihil aliud præsto erat, quo ad se in suis laboribus sustentandos vescerentur; & jejunii essentia constare censebatur, si a carnibus abstineretur, & labente sole post Vesperas refectio sumeretur; ovorum & lacticiniorum abstinentia in Italia servabatur; at in Gallia & Germania postremis tantum Hebdomadæ Sanctæ diebus ea in usu erat; tum in Romana Curia impetratæ sunt quoad lacticinia dispensationes, quæ ad tempus tantum concedebantur, & deinde in commune jus abierunt. Atque hæc indulgentia apud Græcos etiam obtinuit, Religiosis exceptis, qui veterum jejuniorum severitatem custodiunt. Refectio aliud fuit remissionis genus; sæculo tertio decimo aliquid obsonii sumi cœptum est ad stomachum confirmandum, tum vespertina refectio cœpit in usu esse; ductum est id nominis a Religiosis, qui post cœnam coibant ad collationem, scilicet ad lecturam collationum Sanctorum Patrum, ut eas latini appellant, quo facto ipsis permittebatur jejunii tempore aquæ, aut modies vini potio, id quod etiam *collatio* nuncupatur. Verum extra hujusmodi tempus prandii & refectionis nihil omnino, & ne aqua quidem sumebatur. Hujus rei nobis argumentum præsto est apud Rufinum, qui memoriæ prodit Abbatem Sylvanum, cum ad Monasterium una cum suo Discipulo Zacharia invisendum profectus esset, cumque hic Discipulus aquam, quam bibere volebat, comperisset, quominus id faceret, impediisse, ob eam causam, quod jejunii dies esset. Cum etiam nescio quis Sancto Fructuoso Tarraconensi Episcopo, dum ad martyrium duceretur, potum obtulisset, cum ipse respuit, ut ait Prudentius, quia jejunii tempus erat. Illud igitur conveniat necesse est esus æque ac potus abstinentiam vero jejunio contineri.

Spectavit Ecclesia tanquam Arii hæresim asserere cuique liberum esse jejunare, aut non jejunare. Canones Apostolici Clericos depositioni, & Laicos pœnitentiæ subjiciunt, nisi Quadragesimali tempore, & totius anni feriis quarta & sexta jejunaverint. Concilium Gangrense jejunii violatoribus anathema dicit; Sanctus Ambrosius pronunciat, Quadragesimali tempore non jejunare peccatum esse, & nullo Quadragesimæ die jejunare esse Sacrilegium. Toletana Synodus an. 653. celebrata Paschali communione privat, & anni spatio ab esu carnium arcet eos, qui Quadragesimæ tempora absque necessitate iis usi essent. Verum Patres identidem declararunt, jejunia nihil prodesse, nisi cupiditates compescerentur, & ad proprium officium, & orationem diligentius incumberetur. Quia porro nemo unus est, qui, nisi omnino non possit, se a pœnitentia eximere debeat, certum proinde est eos omnes, qui jejunium servare valeant, ad id obligari.

Qua-

Quadragesima, cujus tempore justum prandium quotidie instituitur.

CASUS.

1 Qui Quadragesimali tempore tam splendide prandium parat, quantum divits cupere licet, jejunium ab Ecclesia præscriptum non violat, si hac una comestione, & consueta quidem hora contentus sit.

2. At peccat contra temperantiam, & contra pœnitentiæ rationem, qui præcepti finis est.

QUÆSITUM.

QUidam dives Quadragesimali tempore quotidie laute prandet; ei exhibentur succosa juscula, excellentes plurium generum pisces, exquisitum vinum, & sub prandii finem omnia fructuum, & dulcium genera. Licet ille cibis hisce cum modo utatur, tantumdem tamen eadem die comedere non posset sine valetudinis detrimento; adeo ejusmodi prandio exsaturatus est; vix par est vespertinæ refectioni. Quæritur, an hic homo in hunc modum vivens jejunii præcepto satisfaciat. Quæstio gravis est, & magnum hominum numerum respicit. Itaque decisio Dominorum Sorbonæ Doctorum dubio procul multum utilitatis afferet iis, quibus religio cordi est, quique sunt de sua ipsorum salute solliciti.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat; eum, de quo in Expositione dictum est, quantumvis laute Quadragesimali tempore ac magnifice prandeat, præcise contra Ecclesiæ jejunium jubentis præceptum nequaquam peccare; ut enim servetur præceptum hoc, satis est a cibis vetitis abstinere, & semel tantum in die comedere. Si in quantitate, aut qualitate, aut comparatione ciborum, quibus hujus locupletis hominis mensa instruitur, excessus adsit, potest quidem peccatum hoc temperantiæ repugnare, sed contra jejunii præceptum omnino non est; illud enim implet, si stricte loquimur: *in continua quantitate prandii*, inquit Toletus *lib. 6. c. 2. n. 6. non est certa servanda mensura ratione jejunii, sed quamvis aliquis multum excedat, non ob id solvit jejunium, peccat tamen contra sobrietatem*. Verum quidem est hunc hominem, quibus diebus jejunandum est, immodice comedentem contra plures virtutes peccare, atque hanc intemperantiam in causa esse, cur meriti jacturam faciat, & nihil utilitatis ad salutem ex jejunio percipiat. Ita in hanc rem loquitur magni nominis Tostatus *in c. 6. Matth. q. 166. Ecclesia autem nihil aliud de jejunio statuit, quam ut semel in die, de certa hora, & a quibusdam cibis abstineatur. Quandocumque ergo quis semel tantum hora præsumpta comederit, & cibis vetitis abstinuerit, quicquid aliud comedat, vel bibat, sive moderate, sive delectabiliter, sive aliter, non frangit jejunium Ecclesiasticum. Attamen potest inde perire meritum jejunii in totum vel in partem, secundum conditionem excessus minuentis laborem jejunii, ex quo pendet meritum*. Jejunium ex. c. ad reprimendas cupiditates institutum est; hic autem homo tam lautis epulis earum originem alit: *saturitas ventris, seminarium est libidinis*, inquit D. Hieronymus l. 2. contra Jovinian. cap. 6. Jejunatur præterea, ut ob propria peccata Deo satisfiat; at hic ne dum deleat, eadem multiplicat tam magnifice prandens jejunii tempore. Posset ille absque culpa satis naturæ facere, prout ratio æquitasque requirunt. Sed cum præcipue comedat ad voluptatem, atque ut lubidinem expleat, regulam violat, quam tradit D. Augustinus, quæque apud D. Thomam occurrit 2. 2. q. 141. art. 6. *Habet vir temperans in rebus hujus vitæ regulam utroque testamento firmatam; ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet utentis modestia, non amantis affectu.*

Illud igitur convenit, hunc hominem jejunii diebus fere tam magnifica prandia parantem, & tam laute prandentem, ut vespertinæ refectionis non amplius egeat, nec eidem par sit, graviter peccare contra temperantiam, contra pœnitentiæ virtutem, contra castitatem ipsam, & contra charitatem æque, ac contra intentionem Ecclesiæ, & contra finem, propter quem illa jejunium instituit. Sed nihilominus re quidem ipsa hic homo laute prandens contra jejunii legem non peccat, licet ejus meritum amittat. Finis enim legis sub præceptum non cadit. Præceptum eo continetur, quod ad finis consecutionem est necessarium; id unum commendatur, & obligationem inducit. Non est necesse, ut expendatur Legislatoris intentio: *licet lex dirigat in finem, non est de fine, sed de eo, quod est ad finem*, inquit Tostatus loco citato, *ita intentio Ecclesiæ est homines per jejunium affligere, & ad hoc determinavit modum, qui est abstinere a talibus cibis, & semel tantum comedere. Licet ergo quis non affligat seipsum, dum semel tantum comedat & abstineat a cibis vetitis, non frangit jejunium, licet agat contra intentionem legislatoris, quia non agit contra intentionem legis expressam.* Videri possunt Bassæus, & Auctores, quos ipse producit *tom. 1. V. jejunium cap 1. num. 6.*

Decisum hac die 11. Martii an. 1699.

G. *Fromageau*.

QUIETISMUS.

QUietismus continetur erroribus Discipulorum cujusdam Hispani Presbyteri, cui nomen Michael Molinos, quique in Diœcesi Cæsaraugustana an. 1627. natus est. Cum ille deinde Romæ domicilium posuisset, insignis Directoris opinionem ibidem adeptus est, & Librum vulgavit inscriptum: *spiritualis Moderatio*, quem Hispanico idiomate composuerat. Rumorem sparsit Opus hoc, & tristia negotia attulit Auctori suo, qui accusatus, quod super re mystica periculosas opiniones in eo proposuisset, adeoque comprehensus, in Romanæ Inquisitionis carceres an. 1685. mense Julio conjectus est. Ejus processus in generali Congregatione coram Pontifice, & Cardinalibus Inquisitoribus habita institutus fuit. Damnatæ sunt 68. Propositiones, quas proposuerat, & Decreto die 28. Augusti edito declaratum fuit, Michaelem Molinos falsa & perniciosa dogmata docuisse, ejus Orationem *Quietis* esse contra Ecclesiæ Doctrinam, & Christianæ pietatis puritatem, ac 68. Propositiones, quas se vulgasse fassus est, hæreticas esse, scandalosas, & blasphæmatorias. Ejus omnes Libros & scripta proscripsit Innocentius XI. (*a*) & Inquisitoribus, Ordinariisque mandavit, ut, quæcumque detegere potuissent, flammis tradenda juberent.

Molinos jussus fuit errorum suorum abjurationem publicam edere ea edito loco in Dominicanorum Ecclesia, in quam Sacrum Collegium convenerat, tum ad strictum perpetuumque carcerem damnatus est, eoque a Justitiæ Ministris ductus, cum indutus fuisset Scapulari flavo, cum rubri coloris cruce ante ac retro, qui pœnitentiæ habitus nuncupatur. Fama est, eum ea animo pœnituisse; quod fortasse in causa fuit, ut ne morti adjiceretur, quo scilicet ii, quos seduxerat, de ejus conversione cognoscentes ad bonam frugem redirent. Ætatis anno 60. captus est, cum per annos 22. Doctrinam suam Romæ sparsisset, ubi magnam sibi famam vel apud Cardinales ac Pontifices comparaverat. Su-

(*a*) Bulla Innocentii XI. quæ Molinianas Propositiones damnat, edita est XII. Kal. Decembris an. 1687. ejus Pontificatus an. 12. & incipit verbis hisce: Cœlestis Pastor.

premum diem obiit in carcere die 29. Decembris an. 1696. Ejus Discipuli dicti fuere Quietistæ, quia perinde atque eorum magister docebant ad summum perfectionis apicem pertingere *Quietis* Orationem, quæ simplici contemplatione absque ulla reflexione continetur. Accusantur nonnulli Quietistæ, quod longius progrediantur, ac doceant, depravationibus citra peccatum se quempiam dedere posse, dummodo superior pars Deo per hanc Quietis Orationem unita permaneat. Certum saltem est eorum mysticitatem ad aberrationes ducere, quæ merito damnatæ fuerunt.

Errores hi statim per Galliam grassati sunt. Vidua *Montargis* orta nobili genere, Matrona *Guyon* nuncupata eos excitavit in nonnullis operibus, quæ concinnavit, & singillatim in duobus hisce, quorum titulus: *brevis modus Orandi*, & *Explicatio Canticorum*, illo quidem Gratianopoli, hoc autem Lugduni typis edito. Hæc opera, & querelæ, quibus impetita fuit hujus Matronæ doctrina, in causa fuerunt, ut in Sanctimonialium Visitationis Monasterio Parisiis ad S. Antonium mense Januario an. 1688. concluderetur; ejusque Director P. *de la Combe* Religiosus Barnabita ejusdem calamitatis particeps fuit. Matrona Guyon se purgavit; ex eoque Conventu egressa, necessitudinem iniit cum Abbate *de Fenelon*, qui, cum Cameracensis Archiepiscopus nominatus fuisset, adhæsit ejus partibus, eum secusata est, quod fictorum mysticorum erroribus abriperetur, cum etiam comprehensa fuit, & in Castellum *de Vincennes* an. 1695. ad finem vergente conjecta.

Novas procellas excitavit Liber inscriptus: *Sententiæ Sanctorum*, a laudato Archiepiscopo elucubratus; ex eoque Bossuet Meldensis Episcopus admodum obsoas consecutiones deduxit, pluresque super hoc negotio scripsit libros, quos replica secuta est, cui quidem posterior hic Prælatus respondit. Regis animo tanquam crimen exhibuit verecundam constantiam, qua Archiepiscopus Cameracensis renuit suum Librum explodere, quoad de eo Summus Pontifex judicasset. Proposita est hæc agendi ratio tanquam hominis se subdere omnino nolentis pertinacia; quod cum Regi persuasum esset, tum ille impulit, ut eumdem exilio mulctatum, ex propria Diœcesi repelleret an. 1697.

Interea negotium hoc ad Romanam Sedem eodem anno delatum fuit. Liber, cui titulus: *Sententiæ Sanctorum*, commissus est Sancti Officii Consultoribus, qui numero decem erant, suasque Congregationes per octo fere menses habuere. Sed iis diversa sentientibus, res ad Pontificem deducta est; & post octodecim mensium examen, judicium tanta animorum cupiditate expectatum apparuit, & Innocentius XII. (a) edito Brevi, Librum, & ex eo excerptas viginti tres Propositiones damnavit. Cameracensis Antistes nulla interjecta mora se subdidit, & Mandatum vulgavit, sui erga Ecclesiam obsequii, ac maximi, quo pacem prosequeretur, studii æterno monumento futurum; ut proinde si Meldensi Episcopo gloriæ fuit, quod victor evaserit, fuit etiam, quod gauderet pium ac doctum Adversarium suum humiliter auscultare Sanctæ Sedis decisionibus, submissione, atque animi moderatione eo magis admiratione digna, quo pauciora ejus exempla occurrunt. Innocentii Bulla edita est die 12. Martii an. 1699. & die 4. Augusti ejusdem anni prodiit Declaratio Regis, imperantis executionem Constitutionis Pontificis in formam Brevis, enuntiantis condemnationem libri, cui titulus: *Sententiæ Sanctorum*.

Eodem anno, quo Cameracensis Antistitis negotium ad Romanam Sedem delatum est, lucem aspexit opus inscriptum: *Communio spiritualis*, in fano S. Maclovii typis impressum apud *Raoul de la Mare* an. 1697. Cum porro Liber hic contineret Propositiones non paucas, quæ Quietismum redolebant, novem proinde seu decem ex eo excerptæ fuerunt, de quibus Sorbonæ Doctores, ut sententiam suam aperirent, consulti sunt; id quod argumentum est insequentis casus, qui consultationis in modum est, cui quidem Doctores ipsi responderunt.

CASUS.

Super Quietismi negotio.

Excerptum nonnullarum propositionum ex Libro, cui titulus: *Communio spiritualis*, de quibus exposcitur Sorbonicorum Doctorum sententia.

Prima Propositio. Consideratio, seu simplex reminiscentia mortis Christi Domini fons est & origo luminis, sanctique fervoris, Deo nos per cognitionem & amorem unientis. *pag.* 20.

Secunda propositio. Quoad Orationem tu quidem pro viribus, ac pro ea libertate, quam tibi Deus tribuerit, cura, ut in ea te semper detineas, te Deo sistens per D. N. J. C. Ille nimirum ad divinitatem est janua. Si tamen id facere nequeas, ne animo angaris, atque adeo ne nitaris quidem id agere, nec te in Oratione otiosum putes, quamvis in ea nihil agas, nisi te ipsa dormias; quia si te in quiete, sanctoque otio versari Deus velit, quo minus egeris, senseris, & cogitaveris, eo melius Orationi vacabis, otium hoc est, quod divinitate animos imbuit. Quare temetipsum interius ac sedenter dede. *pag.* 20.

Tertia Propositio. Nihil ergo in Oratione aliud agere debes, cum te receperis, teque sisteris Christi Domini pedibus ut Magdalena, quam in pace ac silentio ibidem consistere, quicquid tibi possit accidere; tantum vide, ne voluntariis distractionibus, & corporali somno abripiaris. *pag.* 22.

Quarta Propositio. Non est acidia nihil in Oratione operari, cum Deus nos in quiete, ac silentio interiore esse vult, nostrique directores, aliive Dei famuli nobis id ipsum testantur; præferenda est ejusmodi requies lectionibus, precibus vocalibus, aliisque bonis operibus, quæ obligationem adjunctam non habent; quandoquidem hæc omnia non aliam ob causam prætermittimus, quam ut rei meliori vacemus, coram Deo scilicet in silentio permaneamus. *pag.* 23.

Quinta Propositio. Discrimen, quod intercest inter sanctum otium, quod Deus a nonnullis animis postulat, & acidiam, quam adeo iidem animi perhorrescunt, id ipsum est, quod quietem & otium Orationis bonum malumve reddit, æque atque omnes alias actiones nostras; quamobrem bono semper principio opus est, & omnia bona erunt, quæ consequentur. *pag.* 24.

Sexta Propositio. Silentium interius, & quietem coram Deo vocalibus omnibus precibus, quæ obligationi quidem non subsint, anteferas; ita enim præstat; adeoque cum privatim tecum ipse, & non ex obligatione orare volueris, seu pro Ecclesia, seu pro peccatoribus, pro amicis tuis, pro te ipso, seu propriæ devotionis explendæ gratia, testatus Christo Domino, vel Beatæ Virgini amorem, singularem affectionem, gratum animum; ne timeas tempus impendere, quod ante Christi Domini pedes in quiete ac silentio ad hæc omnia præstanda conferes; id unum cura, ut facias, tuoque silentio ab eo postules, quicquid vocalibus precibus ageres, ac postulares, ac pro certo habe, te hac ratione devotioni tuæ, quæcumque ea demum fuerit, longe melius, quam aliter, satisfacturum. Magna tamen pol-

(a) Bulla hæc Innocentii XII. diei 12. Martii an. 1699. incipit his verbis: Cum alias.

polleas animi libertate, ut tum hac tom alia ratione ores. *pag.* 25.

Septima Propositio. Cum inter Orandum te in pace ac silentio versari intelliges, vide etiam atque etiam, ne actibus tua ipsius motione editis, vel in te ipsum, quoad id, quod accidit, regressibns ac reflexionibus eam pacem turbes. Quam enim id tibi malo fuerit. At si tuus animus sensim, ut fere fit, eo feratur, ot, quid in te, persistente hac Orationis quiete, cootingat, videre, ac scire velit: fac, ut eum revoces, & pro viribus eas omnes reflexiones impedias, quæ non oisi a desidia, & curiositate, quæ animo nostro ingenita ac naturalis est, originem ducunt. Sed fac id lenius, magisque in patientis, quam agentis modum; & eura, ut in tua recessione interna permaneas absque regressione ant reflexione voluntaria vel in te ipsum, vel io id, quodcumque in te ipso contigerit. *pag.* 27.

Octava Propositio. Nen time, ne pax, in qua te quandoque versari intelligis inter distractiones, & privationes Orationis, sit argumentum ac nota te iis assentiri, vel distractiones sentiendi, vel non sentiendi indifferentia pravum signum sit. Minime vero: quin potius oporiet te in indifferentia versari, modo semper in non assentiendi voluntate perstas: in Dei nomine semper in pace permaneas, quocumque demum in statu fueris; ita enim Deo placet. *pag.* 35.

Nona Propositio. Nec magis anxius ac sollicitus sis, ut cognoscas, quæ Dei volnntas sit, ut eamdem sequaris; sed fac, & perser, quicqud occurrerit, ea intentione, nt eamdem perficias: cumque in aliqua singillatim re eam cognoveris, ad eam te fideliter confer, ac persuasum habe, quicquid egeris ea intentione, ut Dei voluntatem eapleas, dummodo tamen id ipsum cum alia Dei voluntate, vel cum tua ipsius obligatione aperte non pugnet, id omne sanctam ejus voluntatem fore. *pag.* 40.

Decima Propositio. Quoad ipsam obligationis Missam, post voluntatis actum, vel simplicissimam intentionem, sine actu vel discursu intellectus, audiendæ Missæ ad Dei gloriam, in memoriam & unionem mortis & passionis Domini Nostri, & in sanctis ac divinis omnibus intentionibus, nil aliud facias, quam in tuo silentio, & quiete consueta permaneas: Deo tantuio addic animum, teque puta Missam hac ratione quidem audire, qoamvis de ea non amplius cogites. *pag.* 41.

Undecima Propositio. Nihil ulterius, sed idem omnino facias, ut ad Sanctam Communionem, vel ad gratiarum actionem te compares; quia profecto hæc præparatio, & hæc gratiarum actio majoris momenti est, quam quæ a te fieret magnopere agendo. Non implicato, turbatoque sis aoimo quoad confessiones tuas; majore fiducia te opus est agere. Eadem ratione te geras in contritionis negotio.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hisce undecim Propositionibus, ex Libro, de quo supra mentio facta est, depromptis sententiam suam proferant.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in Propositionibus hactenus in medium allatis spectari posse, I. generalem Auctoris mentem, II. uniuscujusque singillatim Propositionis notionem, ac vim. Dabitur opera, nt utrumque detegatur, iisdem Propositionibus enucleate ac distinctim ad trutinam revocatis, & ad singulas allato responso.

Ad Auctoris mentem quod attinet, ejus generalis intentio in Propositionibus, quas in medium adducit, ea est, I. neminem unum Orationi, quam proponit, ineptum esse. II. Orationem, quæ simplicior est, & in qua mens ac voluntas actum omnino nullum exerunt, esse meliorem. III. Præparationem ad eam faciendam, perinde atque examen, post quam facta est, magis nocere, quam prodesse. IV. Fidelium preces, ejus judicio, ad eas tantum redigi, quæ obligationem adjunctam habent. V. ad cognoscendam Dei voluntatem fere non ita magna sollicitudine opus esse; statum quippe, in quo quisque versatur, & in quo pace fruitur, ejus signum esse. VI. indifferentia denique opus esse in iis repellendis, quæ, quominus bonum ageremus, impedire possent, quia debemus nos Deo committere, & sinere eum agere, quin nos ipsi quicquam agamus. His in hunc modum constituris,

Respondetur, ejusmodi doctrinam falsam esse, temerariam, Fideles illusioni exponere, & ea parte Molinianas Propositiones ab Innocentio XI. damnaras an. 1687. renovare, id quod in aliis quoque Quietistarum Libris nonnullorum Episcoporum judicio damnatis occurrit. Id porro ita esse, ex uniuscujusque Propositionis peculiari examine compertum fiet.

Quoad primam, respondetur, simplicem quidem reminiscentiam mortis, & passionis Christi Domini ejusmodi esse, ut cognitionem sanctumque servorem in eo eacitare possit, qui in Orationis praxi versatur; at non idem de eo sentiendum, qui incipit se Deo dedere, & nnnquam ad Orationem incubuit; si nempe ei simplex recordatio proponatur, nihilque præterea, cujusmodi essent exempli causa non unius generis animadversiones, ex quibus Dei bonitas, & amor, quo nos complectitur, certo innotescit, pœnatum nempe, quas in sua passinne pertulit Christus Dominus, gravitatisque peccati, quod earumdem causa fuit; subibit fere Fidelis dispendium temporis in Oratione, Deumque tentabit, qui jubet incipientes ad Orationem se comparare; alioquin nihil, ut videtur, discriminis erit inter eos, qui se Deo dedere incipiunt, & eos, qui in perfectionis statu positi sunt, ut nos monet Archiepiscopus Parisiensis in sua Constitutione art. 74. cum Catalaunensis (*a*) Episcopus esset. Præterea hæc pura putaque passionis reminiscentia, de qua in expositionis articulo primo sermo est, supponit doctrinam, quæ falsa est, Auctoris Libri, ex quo Propositiones, quæ præsenti examini subjiciuntur, depromptæ sunt. Ejusmodi sane est articulus 20. (*b*) Molinianus, in quo statuitur, simplicem apprehensionem in Oratione satis esse, ut se magis animæ Deus communicet; quod non fieret, si hæc simplex apprehensio reflexiones aliquas adjunctas haberet.

Quoad secundam; Asserere generatim, eos omnes, qui Orarioni vacant, sive incipiant, sive in praxi, ac progressu sint, quo minus egerint, cogitaverint, senserint, eo melius ad Orationem incumbere, nt proinde hæc Orationis ratio animam divinizet, quamvis nihil agat, modo non dnrmiat: doctrina hæc est Propositio 5. (*c*) Moliniana, in qua anima transformari ac divinizari dicitur, eum nihil agit; est & Propositio 21. (*d*) quæ statuit, nihil io Oratinne cogitandum, sed quiete tantum, rerumque omnium oblivione opus esse. Præterea in hac Propositione, quam expendimus, pronuntiat Auctor, si Deus nos in hac quiete, & in hoc sancto otio esse vult, in eo statu consistendum. Jam vero qoa tandem ratione, quaque nota is, qui incipit Orationi se dedere, cognoscere poterit, se Dei voluntati obsequi, nec temporis jacturam facere? Cum Patres & Magistri spiritualis vitæ contrarium doceant; nempe bonis aliquibus cogitationibus vacandum esse, cum in Orationis, ad quam incumbitur, argumento consisti nequit, ne temporis jactura fiat. Vide Propositionem 42. in Carnutensis Archiepiscopi Constitutione damnatam.

Quoad tertiam: non idem judicinm ferendum est de iis, qui incipiunt Orationi vacare, ac de iis, qui magnos io eadem progressus fecerunt. Regula tamen, quæ in hac Propositione traditur, generalis est, & ad omne genus hominum indiscriminatim refertur; ita ut, quisqnis orandi gratia se recepit, debeat, in-

(*a*) Fuit hic quondam Cardinalis Noviliacensis.

(*b*) 20 Propositio Molinos damnata ab Innocentio XI. asserere, quod in Oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est, &c.

(*c*) 5 Prop. Molinos. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, & divinizata, &c.

(*d*) 21. Prop. Molinos. In Oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctionis attributorum Dei.

quit hic Auctor, in quiete, ac silentio versari, quin præterea quicpiam agat. Nonne hæc, ad incipientes quod attinet, projiciendi temporis occasio est? Quod si, ut subdit idem Auctor, qui Orationi se dat, id unum curare debet, ut a corporali somno, ac voluntariis distractionibus sibi caveat; quid, quæso, de distractionibus involuntariis, ac tentationibus sentiendum erit? An non eas repellere, cum senserit, debet? An vero jacet ille, ut Auctor ait, in quiete, ac silentio? Atqui doctrinæ, quam spiritualis vitæ Patres tradunt, id omnino repugnat.

Quoad quartam; dum asseritur, hanc silentii & quietis Orationem, in qua, ut in secunda Auctoris Propositinne declaratur, nihil agitur, nihilque cogitatur, ejusmodi esse, ut universis ac singulis congruat: sane perdendi temporis occasio præsertim incipientibus suppeditatur, qui dum in oratione otiosi relinquuntur, Dæmonis illusionibus exponuntur. In hac quidem Propositione dicitur, tum solum in ejusmodi silentii & quietis Oratione manendum esse, cum Directores nostri nos certos reddunt, Deo ita placere. Sed respondetur, nullum unquam idoneum ac veritatis amicum Directorem iis præsertim, qui Orationi vacare incipiunt, auctorem fore, ut Auctoris, de quo agitur, regulas amplectantur; quia spiritualis vitæ Magistri docent, in hisce principiis ad desidiam, quæ fere contingit, evitandam, super veritate, quæ meditationis argumentum est, non paucis reflexionibus opus esse, ut Orans eam sibi non persuadeat modo, sed etiam applicet, atque ita ex ea fructum percipiat, quo indiget; sive ad propriam conversionem, sive ad majus robur in bono acquirendum, & in eo proficiendum magis magisque: qui universus est Orationis fructus, ac finis, cujus gratia instituta est.

Quoad quintam; quod in Propositione quinta fundamenti loco ponitur, nempe cum bonum principium, & bona pariter intentio est, bonum & sanctum esse, quicquid fit, falsum est, & in praxi maxime periculosum: non ergo verum est, ntium, quod mala res est, in Orationem bonum evadere posse, quocumque tempore in eo consistatur: nec magis verum est sufficere ad actionis bonitatem, recte agendi intentionem adesse. Possunt nimirum in actionibus nostris occurrere circumstantiæ, quæ pravos exempli causa effectus producant.

Quoad Propositionem sextam, ejus eo tendit vis ac ratio, ut praxim & opera pietatis & charitatis inter Fideles de medio funditus tollat: si enim silentium interius, & quies coram Deo præstat, absolute loquendo, precibus, quæ quidem ad obligationem non spectant, cæterisque omnibus devotionibus; eodem jure concludi potest, idem silentium, eamdemque quietem omnibus charitatis & supererogationis operibus antestare. Id si ita sit: quæ ratio erit devotionis, qua Beatam Virginem, Sanctosque prosequimur? Ita quidem preces in Ecclesia graviter imminuuntur; non amplius pro peccatorum conversione, pro Purgatorii animabus orandum erit; non amplius ad eos accedendum, qui in carcere detinentur, ut iis auxilium, atque adeo liberatio afferatur; non amplius adeunda Hospitalia, ut pauperibus ægrotantibus solatium, subsidiumque præstetur; siquidem tum nobis, tum aliis utilius fuerit, coram Deo in interiore silentio & quiete manere. Consiliorum tamen, & supererogationis operum praxis non modo Fidelium fervori fovendo, verum etiam ipsis in obedientia, quam Dei Præceptis præstare debent, magis magisque firmandis inservit.

Quoad septimam; hujus Propositionis doctrina tendit ad renovandas 5. (a) 9. & 24. (b) Michaelis Molinos Propositiones; prohibet enim, ne Orans convertat animum ad se ipsum, ad id, quod in Oratione contingit: ac proinde quoad distractiones, ac tentationes, quamvis impuræ verbi causa sint, attentione nulla opus est; passivus esse debet animus, ut eas perferat, non activus, ut easdem vel advertat, vel avertat. Præterea Doctrina hæc pugnat cum regulis, quas spiritualis vitæ Magistri iis potissimum tradunt, qui Orationi se dedere incipiunt, videlicet ut eas cogitationes expendant, quæ altius animo adhæserunt, quæque ad permovendum aptiores sunt, in iisque proinde diutius persistant; ut Orationis defectus, quos corrigant, animadvertant, ut fructum sibi proponant, quem consequi volunt, quoad errata præcipua, & vitia prædominantia, quorum correctio necessaria est. Quod si ad id, quod in Oratione contingit, attentio nulla confertur, nullus ex ea percipi fructus potest, & ipsa evadit inutilis.

Quoad octavam; in ea ponuntur tria, quæ falsa sunt, animosque in magna discrimina conjicere possunt: I. distractiones in Oratione cum indifferentia tolerandas esse; neque enim locum habere potest indifferentia quoad id, quod generatim loquendo, ipsumque per se potest Orationis fructum impedire; porro distractiones hæ peculiariter possunt ejusmodi esse, ut nos ad peccatum ducant, nisi reprobentur; atque adeo actus virtutis, quæ vitio ad quod eæ pertrahunt, contraria est, exeratur. Id sane in ejusmodi casibus identidem spiritualis vitæ Patres commendant; & quamvis nos moneant, ne vehementiorem animi contentionem, & conatus ita magnos adhibeamus: statuunt idem tamen principii loco, ne in nobis, quantum quidem est rationi consonum, distractiones eas toleremus. II. In quocumque statu verseris Orationis tempore, in eo tibi esse consistendum in pace, videlicet absque ulla motione contraria, qua Deo significes eumdem statum tibi displicere, quamvis horribiles, & periculosæ fuerint ejusmodi tentationes. Id si ita se haberet, nil sane fuisset, quamobrem D. Paulus ob ea, quæ in se ipso carnis rebellio contra spiritum producebat, se quidem invito, turbaretur, & quereretur; non ergo debuisset Deum rogare, quod ter præstitit, ut se ab eo statu, quem sibi periculosum putabit, liberaret. III. Deum velle, ut in hoc distractionum, & tentationum statu verseris, dummodo non consentias. Non apparet, quam rationem, vel auctoritatem hujus Propositionis Auctor afferre possit, ut persuadeat eam esse Dei voluntatem, ut hoc in statu consistatur. Sane omnino contra stat sacræ Scripturæ m...s, & Patrum Doctrina. Uno vero octava hæc Propositio Molinianas 17. (c) & 37. (d) renovat.

Quoad nonam; continet illa falsitates duas, in praxi periculosas; prima est, sollicitudine opus non esse, ut voluntas Dei cognoscatur; quasi vero Dei voluntas, prout actionum nostrarum regula est, fere in aperto posita sit, & facile cognosci possit. Ergo nemo unus antequam vitæ statum suscipiat, Oratione uti debet, ut Dei voluntatem cognoscat, in consilium adhibere nemo debet viros prudentes ac doctos, ut animorum Moderatores, ut intelligat, sitne illud vitæ genus, ad quod a Deo vocetur; sed satis est intentionem adesse Dei voluntatem faciendi. Idem statui de iis omnibus potest, quæ sive in se ipsis, sive quoad nos aperte mala sunt. Itaque principium, quo nona hæc Propositio nititur, pugnat cum regulis, quæ in ineundæ vitæ ratione, doctorum graviumque virorum judicio, fere servandæ sunt, atque adeo in causa esse potest, cur & sæpe, & graviter aberretur. Alterum est, Dei voluntatem tum semper fieri, cum id agitur, quod officio nostro non est manifeste contrarium; ex quo quidem principio illud suapte sponte consequitur, omnia omnino fieri posse, quamvis bonæ an malæ sint, dubitetur. Potest etiam se quisque exponere periculoso cuique statui, in eoque versari, seu status ille habeatur ejusmodi quoad se ipsum, seu quoad

nos,

(a) 9. Propositio Molinos. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas proprias actiones humanas, & ad proprios defectus.

(b) 24. Propositio Molinos. Qualescumque cogitationes in Oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem fidei; imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

(c) 17. Propositio Molinos. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere, quia est natura.

(d) 37. Propositio Molinos. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore & resignatione remanere.

nos, donec ille aperte Dei voluntati contrarius, malusque nobis appareat. Hujus principii consecutio in praxi est maxime periculosa, eoque magis, quod Auctor ad cognoscendam Dei voluntatem sollicitudinis, atque industriæ usum quemvis explodit, dummodo ejus faciendæ intentio adsit.

Quoad decimam; Propositio hæc duo falsa pro certis ponit. Primum, admodum bene Missam audiri, cum de Deo cogitatur; aliud enim est Missam bene audiri, & aliud audiri; porro perfectior audiendæ Missæ ratio non in eo sita est, ut præcise de Deo cogitetur, sed ut cogitetur de mysterio, quod repræsentat, & continet, quæ quidem Christi Domini, Dei scilicet hominis facti passio est. Alterum vero, rectissime Missam audiri, cum non amplius de ea cogitatur (quod etiam de Passionis Mysterio intelligitur.) Nihil aliud, hujus Auctoris sententia, præstandum est, quam in quiete ac silentio consueto consistendum, quin scilicet detur opera, ut distractiones, & tentationes repellantur; immo vero quicquid accidere posset, tolerandum; hoc enim sensu silentium & quietem Auctor intelligit. Quod sane hac notione explicatum falsum est, & maxime periculosum.

Quoad undecimam ac postremam. Doctrina hac Propositione (*a*) contenta est aleæ plenissima, sacrisque Litteris, & sanioribus spiritualis vitæ Patribus opposita. Conformis est Molinianæ Propositioni 32. (*b*) quæ negat interiores animas seu ante, seu post Communionem ulla alia præparatione vel gratiarum actione indigere, quam ut de more in passiva resignatione versentur, hoc est, ut ait Auctor noster, in naturali silentio & quiete detineantur. Uult tamen D. Paulus unumquemque se ipsum probare 1. Cor. 11. *Probet autem se ipsum homo*. Quod accommodandum est tum examini, quod Confessionem præcedere debet, tum dispositionibus ad Sacrosanctam Communionem conferendis, sive ut obseqnium suum Fidelis erga hoc adorabile Sacramentum testetur, eoque se dignum exhibeat, sive ut ad omnia sua peccata confitenda se comparet, eorumque proinda remedium a Confessario percipiat.

Ex omnibus hactenus dictis sequitur, Librum, qui doctrinam continet, quæ in allatis Propositionibus exhibetur, damnandum esse; ac præterea vetandum, ne Confessarii in Fidelium moderatione eo utantur, vel Fideles in propriis instituendis moribus eidem adhæreant.

Decisum in Sorbona hac die 22. Aprilis an. 1698.

G. *Fromageau*.

RAPTUS.

RAptus est ab uno in alium locum vi facta asportatio non sine intentione matrimonii cum rapta persona ineundi. Qua in re cum D. Thoma venit animadvertendum, ut quis se raptus reum faciat, non esse necesse, ut persona rapta cogatur, & compellatur; sed satis est eam contra patris voluntatem, quamvis ipsa in raptum suum consenserit, asportari. Interdum, inquit hic sanctus Doctor, patri vis infertur, non autem puellæ, ut cum illa se e paterna domo vi educi assentitur; verum quacumque demum ratione vis intervenerit, semper veri nominis raptus est pœna dignus, Legibusque proscriptus.

Acerrimæ sunt Civiles Leges adversus raptores, eosque, qui ad ejusmodi asportationes operam suam contulerint; mortis pœna pronuntiatur æque in utrosque. Decidit tamen Innocentius III. in Decretalibus *cap. 7. titulo de Raptoribus*, matrimonium inter raptorem raptamque contractum firmum ac legitimum esse, cum apparet animos mutatos esse, & reciprocum esse consensum, nullamque coactionis, ac vis suspicionem adesse. Gonzales non paucas decisiones in medium protulit, quæ in Gallia vim obtinent, ubi Superiores Curiæ facile a pœna raptores eximunt, cum rapta sibi conjugem raptorem petit.

Quondam usitatior quam hoc tempore raptus fuit, præsertim prioribus orbis conditi sæculis, quibus animi, non aliam regulam quam proprias cupiditates sequentes Legum auctoritate nondum satis in officio continebantur.

Et sane raptus bene multis Quinctiliani declamationibus, nec paucis Senecæ controversiis argumentum suppeditavit. Et Herodotus historiam suam orsus est a compluribus asportationibus, e quibus inter Græcos, aliosque populos, quibus ad suas novas institutiones propagandas fœminarum non satis erat, acerba bella extiterunt. Et Romulus usus est hac ratione, quæ eidem ex voto cessit.

Duorum generum raptus est, coactus unus, voluntarius alter; est enim tritum illud, *raptus fit in volentem*. Posterior porro hic raptus seductionis, seu subornationis nuncupatur; & quamvis minus quam prior in crimine esse, & indulgentiam aliquam mereri videatur, nisi evidens seductio fuerit, Leges tamen ab eo quoque acriter puniendo non destiterunt, ut ex responsione ad sequentem facti speciem compertum fiet.

Raptus seductionis a fœmina quoad adolescentem commissus.

CASUS.

1 *Raptus fieri potest in adolescentes, perinde atque in fœmina, vel puella.*

2 *Seductionis, seu subornationis raptus ex parte fœminæ matrimonium nullum reddit.*

QUÆSITUM.

CUm Titius adolescens, septemdecim annos natus huc illuc concursaret, & apud Chirurgi viduam, ut famulus in quodam Britanniæ angulo, centum leucis ab ipsius patria dissito versaretur; Cauponis vidua post menses tres eum apud se traxit, ac persuasum reddidit, eum apud se plus emolumenti, quam ex officina, in qua degebat, perceptutum, totumque lucrum eidem fore.

Mævia, (hoc tabernariæ viduæ nomen est) nata erat annos quadraginta quinque, eique erant quinque filii; cum Titii amore capta esset, ei se uxorem obtulit; cumque ille difficultates non paucas adduceret, ipsa sollicitationes duplicans, ejus tandem consensum extorsit. Sed eos Parochus ob adolescentis minoritatem, & partium inæqualitatem renuit in matrimonium conjungere. Mævia in dies magis amore flagrans, novis usa est sollicitationibus ac blanditiis, spem addens fore, ut ei secum bene sit, tametsi ea nil haberet in bonis, ut deinde ejus bonis Creditorum nomine venditis constitit.

Os-

(*a*) Propositio hæc est 22. & 32. ex iis, quæ Caruntensis Episcopi Constitutione damnatæ sunt, ductæque ex libro, brevis modi Matronæ Guyon.

(*b*) Propositio Molinos. nec ante nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in sola resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & fiunt in via ordinaria &c.

Officialis loci, cum ex Titii ac Mæviæ commercio rumor non sine scandalo sparsus esset, eos ad se accitos voluit, cumque ambos in matrimonii consensum traxisset, mandavit loci Parocho, ut eos post publicationem primam, eum ipse in secunda ae tertia dispensasset, in matrimonium conjungeret. Sane matrimonium semel indixit Parochus, quod tamen celebrare noluit, tum quod adnlescentis ætas acerbior esset, tum quod ipse minor foret, nullumque suorum consensum proferret. Mævia, abnuenre Parocho, Titium duxit ad alium Presbyterum, qui eos copulavit, editaque declaratione, Parochi consensum supposuit, ac testes adfuisse significavit, quamvis nullus in codice, qui subscripserit, testis appareat.

Titius ac Mævia decem seu duodecim annorum spatio una versati sunt, quin adolescens Patri seductionem suam significaret. Denique necessitate compulsus in patriam rediit apud patrem, ad quem ducit & Mæviam. Pater expensis rebus omnibus, certiosque factus nullum matrimonii contractum adesse, Titium ac Mæviam paulo post, quam pervenissent, ejecit domo. In hac expositione quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, an non credi possit matrimonium hoc nullum esse, ob defectum proprii Parochi, quod sine testibus celebratum fuerit, & præsertim quod, ut videtur, in hac facti specie subornationis & seductionis raptus existat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, matrimonium de quo agitur, nullum esse.

I. Si Presbytero, qui matrimonium celebravit, præsto non fuit consensus Parochi alterutrius contrahentium.

II. Si matrimonii celebrationi nulli testes adfuerint. Consuli super hac re potest Tridentina Synodus *Sess. 24. de Reform.*

III. Nullum quoque est matrimnnium, quia ex parre fœminæ seductionis & subornationis eaptum apparet extitisse. Sed antequam deveniatur ad probationem, quæ ex circumstantiis in expositione delaratis ducenda est, dijudicanda est Juris quæstio, quæ difficultatem aliquam pati potest; videlicet an subornationis, aut seductionis raptus sit matrimonii dirimens impedimentum?

Ergo non solum in fœminis, sed in viris etiam raptas proprie committitur, inquiunt Barbosa & Sanchez. Nititur sententia hæc Decretali *in Archiepiscopatu de rapt.* Neque vero semper necesse est, absolutam & apertam vim adhiberi, ut patris, consanguineorum seu tutoris domo adolescens seu puella extrahantur. Satis est persuasionibus aut sollicitationibus urgentibus & fraudulentis personam adigi ad domum, in qua est, deserendam, atque ita in petentis possessionem se tradere, nt vere ae proprie rapta esse censeatur.

Imperiales Leges, quæ raptores tam gravibus pœnis mulctarunt, non de violentiæ tantum, sed etiam de persuasionis raptu accipiuntur, ut ex his Imperatoris Justiniani verbis in Codice licet intelligi: (a) *Quia hoc ipsum velle mulierum ab insidiis nequissimi hominis qui meditatur rapinam, inducitur; nisi eteaim eam sollicitaverit, nisi odiosis artibus circumvenerit, non facit eam velle in tantum dedecus sese prodere parentibus nescientibus.*

Capitularia matrimonium nullum declarant, cum seu vi seu seductione, seu quavis alia ratione fœmina rapta est: (b) *Placuit, ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eas postmodum dotaverint nuptialiter cum consensu parentum.* Jus Canonicum Constitutioni huic Decreti vim addidit 36. q. 2. *Cap. Placuit.*

Ludovicus XIII. in sua Constitutione mensis Januarii an. 1629. art. 169. quæ a Nerone, (c) & in Constitutionum Collationibus in medium adducitur declarat, matrimonia eorum, qui viduarum, adolescentum, & puellarum in patrum, matrum, tutorum, & consanguineorum potestate existentium raptum & asportationem commiserint, esse, ex Decretis & Constitutionibus Canonicis, nulla, nullius effectus, & roboris, tanquam non valide ac legitime contracta; Filios, qui ex ejusmodi matrimoniis suscipientur, spurios fore, illegitimos, & indignos omni successione directa, & collaterali, &c. Ex Edicto Blesensi *art.* 42. (d) & Regis Declaratione mensis Novembris an. 1639. *art.* 2. qui seductione, vel subornatione viduas adolescentes, & puellas rapuerint, morte puniuntur.

Gregorius Tolosanus ostendit seductionis raptum existere, veterisque Legislatoris auctoritatem affert, qui *magis punivit eum, qui verbis pellexisset mulierem, quam qui vi, teste Plutarco in Solone*: fortasse quia posterior hic raptus solum corpus afficit, cum contra seductionis raptus & corpori simul officiat, & animo, quem in raptoris criminis partem trahit.

Cum Auctorum plerique raptum explicant, qui communi sententia, impedimentum dirimens est, fatentur hoc vocabulo seductionis etiam raptum venire, qui nempe fit sollicitationibus urgentibus, & precationibus importunis, per quas raptor puellæ verbi causa consensum extorquet, ut scilicet e loco, in quo degit, exeat, & in alium se conferat, *in ordine ad matrimonium contrahendum*. Postulant sane Auctores hi, seu supponunt in hujusmodi importunis, ae dolosis precibus vim adesse; qua de re Sanchez, (e) Navarrus, & Bonacina consuli possunt. Porro sollicitationibus hisce, ae precibus urgentibus vis semper aliqui continetur; Pyrrhus Corradus id explicat, dum ita loquitur: *Puella dicitur rapta, etiam volens, dummodo invitì sint parentes, vel tutores tum raptus sine violentia esse non possit.* Deinde addit: *Quod quidem extenditur ad eum, qui per munera data, vel promissa persuadet mulieri, ut domo exeat, & ad eam veniat; hoc enim dicitur violentiam inferre.*

Jam ex his principiis ostendi potest, in proposita facti specie seductionis non sine violentia raptum existere. Sanchez, & Bonacina, aliique, qui citantur, Auctores asserunt seductionis raptum veri nominis raptum esse, qualis ad matrimonii nullitatem requiritur: *Quando preces sunt importunæ, ut æquiparentur violentiæ.* Id tum contingit, inquit Sanchez, ut magis probabilis opinio fert, cum timor his urgentibus persuasionibus admixtus, vel etiam dolus intervenit.

Si ergo illud reputetur, adolescentem, de quo quæritur, non nisi ætatis annum 17. natum fuisse, ae viduam, quæ ei nubere volebat, 45. eam in causa fuisse, ut ille exiret domo, in qua degebat, ut apud se veniret, in eumque finem ei promisisse pecuniam, ac spem dedisse, fore ut ei imposterum, matrimonio inito, bene esset; cumque eum ad se traxisset, novas sollicitationes, ut in expositione declaratur, addidisse, quod ille in ejusmodi matrimonium consentire renueret. Denique si mulieria perdire amantis blanditiæ addantur, ac technæ, facile intellectu erit hanc viduam dolose ac violenter cum adolescente se se gessisse; & quod inde consequitur, extitisse seductionis raptum, non sine iis omnibus conditionibus, quas Auctores requirunt atque ita matrimonium nullum fuisse.

Adolescentis acerbior ætas impedimento erat, quominus se tueri posset a blanditiis, impulsibusque vehementibus ejus fœminæ, quæ eum a suo latere numquam discedere patiebatur. Ab hoc Adolescentulo in hac facti specie haud plus consilii & constantiæ operari poterat, quam Heros ille veteris Testamenti præsetulerat, qui, ut in (f) Judicum Libro memoriæ proditur, suo malo fato muliebri arte illectus, ac tandem victus fuit, *cumque molesta esset ei, & per multos dies jugiter ei adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima ejus, & ad mortem usque lassata est; tunc aperiens Samson veritatem, dixit ei*, &c.

In hujusmodi vehementioribus sollicitationibus ac per-

(a) Cod. l. 9. tit. 13. de rapt. virg.
(b) Capitular. lib. 7. cap. 395.
(c) Neron. pag. 442. collat. constit. tom. 1. l. 5. tit. 32. p. 706.

(d) Lib. 36. cap. 8. n. 3. de raptor.
(e) Sanchez l. 4. disp. 7. & l. 7. disp. 12. n. 10. de matrim.
(f) In libro Judicum cap. 16.

persuasionibus afferi potest nunquam non vim adesse; *Blando vis latet imperio, dum rogat*, inquit vetus Auctor, vel ut in Jure dicitur; *vim etiam habent persuasoria verba .... Persuadere autem est plusquam compelli & cogi*. Quamobrem cum D. Bernardo in libro de Consideratione ad Eugenium Pontificem ita concludi posset: *Licentia per importunitatem obtenta non est licentia, sed violentia*.

Ex hactenus dictis sequitur, etiamsi Presbyter, qui partes in matrimonium conjunxit, proprii Parochi consensum obtinuisset, eique matrimonio testes adfuissent, & in Acta nomen suum retulissent, semper tamen fore, quamobrem idem matrimonium nullum esse censeatur, quia in vidua tabernaria, de qua quæritur, seductionis raptus locum habuit.

Decisum in Sorbona hac die 25. Novembris an. 1695.

G. Fromageau.

RESERVATIO PECCATORUM.

NOn longior in hoc negotio disputatio instituetur, cum de eo satis jam in Casuum reservatorum titulo dictum fuerit; satis ergo erit in universum pronuntiari, reservationem locum habere, non solum cum de peccatis agitur, verum etiam cum de censuris, dispensationibus, votorum commutationibus, procurationibus ad Beneficiorum provisionem, delegatione, aliisque ejusmodi sermo est. Hæc autem reservatio, quæcumque tandem fuerit, nihil est aliud, quam ordinariæ vel delegatæ potestatis limitatio. Cum ordinaria potestas est, in iis tantum casibus ea locum habet, in quibus expressa est; quod si delegata potestas sit, reservatæ censentur res, quæ quidem disertis verbis concessæ non sunt. Regula hæc eo nititur fundamento, quod Ordinarius ea omnia potest, quæ eidem non sunt prohibita; & Delegatus ea tantum facere potest, quæ ipsi permissa sunt. Si potestas sit ordinaria, odiosa est reservatio, & quod inde consequitur, restringenda; at si delegata potestas sit, reservatio est favorabilis, ac proinde extendenda. Utraque provenit vel a Jure, vel ab Homine; & quoniam ambæ firmantur in Sacris Litteris; in interno perinde atque in externo foro, æque coram Deo & coram hominibus obligant.

Sed ut de peccatorum tantum reservatione dicatur, ea quidem ex Tridentina Synodo (a) nihil est aliud, quam limitatio potestatis absolvendi; jam vero peccata hæc vel in se ipsis, vel in rebus aliis reservari possunt; reservantur in se ipsis, cum certa quædam peccata nominatim sunt reservata; reservantur in rebus aliis, cum ideo sunt reservata, quia cum rebus aliis, quæ reservatæ sunt, conjuncta reperiuntur. Cum peccata primo modo sunt reservata, explicite & distincte reservata dicuntur; implicite autem vel confuse, cum alio modo reservata sunt. Occurrunt in Juris corpore nonnulla peccatorum in se ipsis reservatorum exempla ante initium sæculi quarti decimi; & Extravagans 1. *de Privileg.* quæ Benedicti XI. est an. 1303. omnium primus est Juris textus, in quo quidem peccatorum in se ipsis reservatorum mentio fiat; sed in eodem Jure alterius peccatorum reservationis exempla bene multa eademque antiquissima reperiuntur.

Peccata reservandi facultas pertinet ad potestatem jurisdictionis, prorsus ut absolvendi facultas, quam reservatio restringit. Ducta est doctrina hæc ex Tridentina Synodo loco laudato; ut proinde quicumque absolvendi potestatem conferre possunt, possint etiam reservare peccata. Verum inter eos, qui ejusmodi reservationes statuere possunt, Concilium Pontificem tantum & Episcopos nominat, qui quidem id possunt divino Jure; & si qui alii ejusmodi sunt, ab Ecclesia id potestatis accipiunt. Peccatorum reservationes fieri possunt a Conciliis, a summis Pontificibus, & Episcoporum Constitutionibus; eorumque peccatorum qualitatem Tridentina Synodus exprimit. Ejusmodi reservationum finis vel generalis est, vel particularis; generalis est animarum salus, & Dei gloria; (b) particularis porro finis est in triplici genere; primus eo spectat, ut Ecclesiæ disciplina servetur; alter eo, ut ne Fideles ad malum propensiores evadant, si facilius, quam par fuerit, suorum peccatorum veniam obtineant; tertius denique, ut præcipuis Sedibus suus stet honos, ac reverentia.

Reservatio Confessarium sequitur, quocumque se conferat, facta hypothesi eum absolvere ejus auctoritate, qui reservationem posuit; non ita, si per aliquam aliam auctoritatem absolvat: & hæc quidem regula ex eodem Tridentinæ Synodi loco ducitur; at non eadem pœnitentis est ratio, si e Diœcesi, in qua peccatum reservatum commiserit, egrediatur: qua in re animadvertendum est, nullam in mortis articulo reservationem esse, ne ea æternæ damnationis occasio sit, ita ut in omni reservatione mortis casus censeatur exceptus.

Vide (CASUS RESERVATI.

Scrupuli super reservatorum criminum Confessione.

C A S U S.

Qui semel peccata reservata Sacerdoti, absolvendi facultate pollenti confessus est, si per scrupulum, vel aliter de propriæ Confessionis validitate dubitat, potest apud quemvis Presbyterum approbatum eamdem repetere, quia reservatio per priorem Confessionem sublata est.

QUÆSITUM.

ADolescens, cum peccata reservata patrasset, Sacerdoti absolvendi facultate instructo confessus est; tum Religionem amplexus generalem Confessionem edidit, in qua ad particularia non descendens, sed satis habens dicere se multas impuritates commisisse, speciebus non declaratis, Confessarium monuit eas reservatas fuisse. Religiosus, qui Confessionem audiit, ei absolutionem tribuit, minime sciscitatus distinctiorem explicationem, nec interrogans de peccatorum natura; ille vero tranquillo per aliquot annos animo fuit, quin ejusmodi Confessio ullam ei molestiam afferret.

Verum deinde cum serio in se rediisset, timeretque, ne sacrilegæ forent Confessiones, quas, cum humana societate versaretur, ediderat, atque ea, quam in ipso Religionis ingressu instituerat, nulla esset, iterum & quidem non sine singulari cura & præparatione confessus est.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut hunc Religiosum scrupulis eximant, decidantque, an ille Confessario reservatos casus non habenti confiteri potuerit?

Re-

(a) Conc. Trid. Sess. 14. de Pœnitentia, cap. 7.
(b) Vide Conc. Trid. loco citato cap. 3. De pœnis & remiss. Extravag. comm.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositæ quæstioni satisfaciat, existimat, Confessarium, qui Religiosi, de quo agitur, postremam Confessionem excepit, reservatis Casibus, ut eum absolveret, opus non habuisse, quia peccatorum reservatio sublata fuerat in Confessione, quam Religiosus idem confecit, cum adhuc in humano convictu esset, etiamsi poneretur eam Confessionem defectu dispositionis, vel sufficientis examinis nullam fuisse. Cum enim Ecclesia quibusdam peccatis reservationem apponit, & Fideles iisdem obstrictos jubet ad Ordinarium, vel ad alium ejus nomine delegatum accedere, ut ea confiteantur, eorumdemque pœnitentiam recipiant; eo nimirum spectat, ut ipsorum animis majorem eorum horrorem atque aversionem inspiret, reddita minus facili Confessione.

Jam Religiosus hic sua priore generali Confessione huic Ecclesiæ mandato se subdidit, & quantum opus erat, ei sibi satisfecit, quem illa peccatorum reservationem statuens sibi proposuit. Hæc Auctorum communis sententia est, & nominatim S. Antonini, (a) Sylvestri, Cajetani, Henriquez, Reginaldi, Suarez, Comitoli, Bassæi, Mæratii, Dianæ, Bonacinæ, aliorumque complurium.

Præterea non erat absolute necessarium, ut Religiosus hic confiteretur, & absolveretur, ut ita ejus peccatorum reservatio tolleretur, quoniam extra Confessionem Ordinarius, vel ejus Delegatus, docente Bonacina *f. 4. n. 3.* loc. ad marginem cit. reservationem tollere possunt, cum Pœnitens se sistit, ut Ecclesiæ mandato pareat, peccata sua reservata recitat, sibique impositam pœnitentiam acceptat; ut proinde quocumque modo spectetur Confessio, quam Religiosus hic edidit, antequam Religionem susciperet, cum adhuc in humano convictu esset, ejus peccatorum reservatio sublata fuerit, nec amplius substiterit.

Decisum in Sorbona Kal. Januarii an. 1693.
G. *Fromageau.*

RECLAMATIO contra VOTA.

Reclamatio contra vota post quinquennium.

CASUS.

1 *Religiosus, elapsis a Professione annis quinque, contra sua vota reclamans non est audiendus, ejusque reclamatio nulla est.*

2 *Quamvis nulla declarata sint ejus vota, nec possidere, nec retinere Parochiam potest, quam obtinuit, quia ea Parochia regularis non est.*

3 *Archidiaconus eo suam omnem operam conferre debet, ut eum ad Parochiam dimittendam compellat.*

QUÆSITUM.

PEtrus Professionem edit in Ordine Reformato, ætatis anno decimo sexto, & aliquot præterea mensibus; quinquennium elabitur, quin contra sua vota reclamet; post hoc quinquennium Subdiaconatus Ordinem suscipit *sub titulo paupertatis*, deinceps Diaconus creatur, ac Presbyter, quin eum Superiores adegerint, vel aliam ipse oppositionem testatus sit. Decimo secundo circiter post Professionem anno a Romana Curia Rescriptum obtinet, contendens id assequi, ut nulla declaretur ipsius Professio, eo prætextu, quod eam edere coactus fuerit ab eo, qui secundis nuptiis ejus aviam conjugem duxerat, cum ei tunc nec pater superesset, nec mater. Hujus Rescripti vi Diœcesanus Officialis, & quidam Superior Ordinis, in quo Professionem emisit, delegantur, ut negotium conjunctim expendant, ac judicent. Tres Jurisconsultos adhibent in consilium, & non obstantibus aliquibus violentiæ testimoniis a Petro productis, ejus Professionem firmam, validamque declarant.

Non affertur, quid Ordinis Syndicus, Petri adversarius contra hæc testimonia allegare posset, quia judicium eo præsertim editum est, quod Petrus Prælatis suis nullum reclamationis Actum significaverit, quamvis id commode facere potuisset, quoniam ejus Aviæ maritus, a quo se coactum contendebat, sex annis & amplius ante quam Rescriptum obtineret, occubuerat, & ipse post Avi sui mortem sacros Ordines *sub titulo paupertatis* susceperat.

Petrus iterum ad Romanam Curiam confugit, novumque Rescriptum obtinet ad Officialem proximum, & ad alium ejusdem Ordinis Superiorem. Contendit Ordinis Syndicus secundum hoc Rescriptum nullum esse, quod significatum non fuerit nisi post mortem Pontificis, qui illud concesserat, & de cujus morte jam innotuerat, cum Rescriptum in Galliam pervenit. Accedit Petrus ad Senatum, in quo Rescriptum validum judicatur. Superior a Sancta Sede commissus, ut una cum Officiali hujus alterius Rescripti vi judicium ferat, acta sibi communicari petit ab Officiali, qui renuit, inquiens satis fore ea legi, cum una aderunt de negotio judicaturi. Cum id Officialis abnueret, Superior stata hora non adest, ut cum Officiali ipso sententiam dicant; ac proinde Officialis ipse unus judicat, & nullam Petri Professionem pronuntiat. Appellat Ordinis Syndicus ab hac sententia; sed cum deinde intelligeret, Petro in Ordine diutius permanente, perturbationem, atque adeo scandalum oriri, ab appellatione desistit. Tum Petrus ex Ordine egreditur, habitum exuit, & aliquanto post in Romana Curia Parochiam obtinet, quæ nunquam regularis fuit, quæque proinde non nisi a sæculari Presbytero possideri potest. In qua facti specie proponuntur difficultates sequentes, quibus ut occurrant responsis suis, rogantur Sorbonæ Doctores.

I. An Petrus in foro externo valide sit absolutus, atque an possit extra proprium Ordinem tuta conscientia vitam ducere, & ita suæ salutis satagere?

II. An tuta conscientia retinere proinde seu possidere possit Parochiam, quæ ei resignata est, cujusque possessionem ante aliquod tempus obtinuit?

III. Facta hypothesi Petro non licere Beneficium hoc possidere, an non spectet ad Archidiaconum suam omnem auctoritatem impendere, omnemque officii sui vim, ut eum cogat Parochiam dimittere; ita tamen, ut se in Conventum suum, si velit, recipere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositis tribus quæstionibus satisfaciat, existimat,

Quoad primam, Petrum quoad vota edita valide absolutum non fuisse, vel ad formam, vel ad rem ipsam, quod attinet. Si forma spectetur, sententia ad alterum Romanæ Curiæ Rescriptum edita, qua Officialis eumdem Petrum a votis absolutum declarat, nulla est, non solum quia Superiori, quem Sancta Sedes cum eo judicem delegaverat, acta significare noluit, verum etiam quia Officialis hic solus judicavit; etenim ex Jure cum duo unius causæ delegati sunt judices; sententia, quam unus sine alio protulerit, nullum effectum sortitur: *Quia cum*

(a) S. Antonin. 3. part. tit. 4. §. 17. Sylvester v. Confessio c. 9. 19. Cajetanus v.
Henriquez lib. 6. cap. 16. §. 5.
Reginald lib. 8. cap 5. n. 62.
Suarez de pœnitentia disp. 31 sect. 4. n. 9.
Comitolus lib. 1. quæst. 3. n. 2. Respons. moral.
Bassæus v. Casus reservatus, n. 29.
Mæratius in D. Thomam tract. de pœnit. disp. 30. sect. 3. n. 1.
Diana 1. part. tract. 11. resolut. 17. & 4. part. tract. 4. resolut. 124.
Bonacina de pœnit. disp. 5. quæst. 7. p. 5. §. 5. n. 9.

cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet. Nec dubitatur, quin in Rescripto delegatorio adsit expressa ea clausula, delegatos nempe de hoc negotio *conjunctim* judicaturos.

Quod attinet ad ipsam rem, Petrus proprie Religiosus est, & nihil extitit causæ, quamobrem ejus Professio nulla declararetur. I. Non apparet Petrum vere ad Religionem suscipiendam adactum fuisse; si enim singillatim spectentur ii, a quibus se coactum contendit, intelligetur fortasse eorum nec statum, nec indolem ejusmodi fuisse, ut id molirentur. II. Si id ita se habuisset, debuisset idem Petrus ex Tridentina Synodo *Sess.* 25. *cap.* 29. intra quinquennium reclamare, quod tamen non fecit, cum tamen nihil esset, quod impediret. Ejus erat id probare, si ita se res habuisset; ac si forte impeditus fuisset, actu, vel argumento authentico probare debuisset se reclamare, sibique consulere non potuisse, ut vel post quinquennium reclamationi locus esset, ut Fevretus contendit. Præterea idem Petrus in Monasterio post Professionem permansit, ibique Ordines & Presbyteratum suscepit, quin eum Superiores adegerint, vel ipse ullam renitentiam significaret; & quamvis ad Religionem compulsus fuisset, quod non apparet, ejusmodi coactio ac violentia tectæ fuissent diuturna, quam in Monasterio servavit, commoratione. Ita olim respondit Innocentius III. *coactio, si qua fuerit in voti emissione, patientia, & pœnitentia penitus profugatur.* Id etiam in causa fuit, ut sententia, quæ Romanæ Curiæ Rescriptum primum est consecuta, quæque satis ostendit negotium non a Commissariis solum, sed a tribus quoque Jurisconsultis mature ponderatum fuisse, Petri, de quo agitur, Professio firma ac valida declararetur.

Quoad secundam, sequitur ex hactenus dictis, Petrum utpote vere ac proprie Religiosum non posse Parochiam, quam obtinuit, possidere ac retinere, juxta principium illud vulgo receptum: *Regularia Regularibus, Sæcularia Sæcularibus.* Religiosis quidem ex Jure licet Parochias possidere, non tamen hujusce generis, ut ex lectione Capitis *Quod Dei timore*, & ex Canonistarum in hunc locum unanimi sententia licet intelligi.

Quoad tertiam, Archidiaconus, quantum in ipso est, curare debet, ut Petrum ad hujus Beneficii dimissionem permoveat, & ejusmodi scandalum ex Ecclesia de medio tollat, nempe Monachum regulari statu relicto, habituque deposito, & quidem immerito, prorsus ut Sæcularem contra jus fasque Parochiam possidere.

Decisum in Sorbona hac die 5. Maji an. 1694.
G. *Fromageau.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

REDITUS.

Reditus nomine venit emolumentum, quod aliquis terræ fundus quotannis reddit, vel annua pecunia ex summa constitutioni vel fœnori data proveniens. Reditus argenti pretio constitutæ Romanis ignotæ fuerunt, quia purum putumque mutuum apud eos lucrum producebat; quia porro nos lucrum ex mutuo nequaquam percipimus, inventa est lucri inde percipiendi ratio, alienato fundo per annui reditus constitutionem, & id quidem politici regiminis gratia, ut nempe divites ad opes suas, quas scriniis inclusas tenerent, extrahendas permoverentur, potius quam eas simplici mutuo gratis in discrimen adducerent.

Occurrunt conditiones aliquæ in Reditus constitutione servandæ, quæ quidem ad tres rediguntur. Prima est, ut Sors alienetur, ita ut repeti nequeat. Altera est, ut census eum non excedat, quem Princeps Edicto in Senatu firmato definierit. Hic autem census non semper unus idemque fuit; olim extitit denario sexto decimo, deinde denario decimo octavo, tum denario vicesimo, atque adeo denario vicesimo quarto, quadragesimo, & quinquagesimo; in præsentia denarius vicesimus in reditibus privatim constitutis est definitus. Tertia demum conditio est, ut Debitor possit Reditus, quem solvit, Sortem pro libito rependere. Occurrunt veteres contractus constituti denario decimo secundo, & decimo quarto.

Reditus in personis, quæ solvendo sunt, tuta conscientia minoris emi non potest, quam creatus fuerit, nisi per Decretum ematur. Itaque omnis reditus suo justo pretio emi debet; at non omnium redituum est idem pretium. Distinguendum est inter pretium reditus, quo tempore creatus est, & illud, quo constare potest, dum jam creatus ad alium transfertur; distinguendum est etiam inter Reditus, qui tuti sunt, facileque exigi possunt, eosque, qui ejusmodi minime sunt. Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Cum onus*, Reditum constitutum alio, quam creationis pretio emi vetat; sed Bulla hæc in Galliis recepta non est; præsertim cum Reditus non satis tuti, vel qui difficulter exigi possunt, minori pretio emi possint, quam fuerint constituti.

Vide (CONTRACTUS.

Reditus Ecclesiæ Fabricæ propositus a Domus proximæ Proprietario.

CASUS I.

Parochus, & Editui Parochiæ, qui mandare possunt, ut ædificia, quæ ipsorum Ecclesiæ graviter officiunt, æquentur solo, pati non possunt eadem subsistere vi reditus annui, quem Proprietarius in compensationis modum se soluturum promittit.

QUÆSITUM.

Est domus, quæ Parochialis Ecclesiæ N... partem contingit. Ante annos circiter viginti constructæ sunt, & appositæ tenues ædiculæ parietibus ejusdem Ecclesiæ ope arcæ ad eamdem domum pertinentis. Aliquot annorum lis extitit super eorum ædicularum demolitione ob incommoda, quæ Ecclesiæ afferunt. Superiore anno 1685. periti viri a Legato civili nominati pronuntiarunt ejusmodi ædificia Ecclesiæ parietibus officere, ejusdem Ecclesiæ prospectum auferre, & præterea latrinas, utpote Ecclesiæ muris objectas, præter apertam turpitudinem, grave incommodum importare. Cum porro Tribunalis, vulgo *Chatelet*, sententia jussa esset ejusdem domus eversio, Proprietarius ad Senatum appellavit.

Interea temporis idem Proprietarius Fabricæ, quæ quidem inopia non laborat, spondet se annui reditus libras duodecim soluturum, ea lege, ut nil innovetur. Non est omittendum, Proprietarium hunc locasse Cauponi domum, atque ita Potores in parvis cubiculis existentes rumoris multum excitare, Officii ac Missæ tempore, quippe cum ex Altari quicquid in cubiculis dicitur, auribus obstrepet. Fieri quoque posset, ut decursu temporis ibidem ne quam homines exciperentur, quia nempe Ecclesia domusque a societate remotæ sunt, quod valde incommodum, atque indecorum esse posset.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an dictæ

dictæ Ecclesiæ Parochus & Æditui tuta conscientia annui perpetuique reditus libras duodecim, ea conditione sibi oblatas, ut res esse sinant, prout se habent, acceptare possint?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui præsentem Expositionem viderunt, existimant, nec Parochum, nec Æditucs Proprietarii oblationem, de qua in proposita facti specie, tuta conscientia acceptare posse, quia turpitudo atque incommoda, quibus Ecclesiam, & Fideles orandi causa convenientes subesse pro certo ponitur, non sunt ejusmodi, quæ argenti pretio emi possint, aut compensari. Removenda nimirum sunt, quantum quidem fieri potest, rumor, cantilenæ, atque alia licentiæ genera, quæ Cauponas comitari solent, quæque a populo, & a Sacrosancti Altaris Ministris percepta auribus non possont, quin a rerum divinarum contemplatione vehementer animos avocent.

Dedecet quoque non parum Ecclesiæ lucem adimi, vel imminui. Cum porro locus sanctus, atque orationis & meditationis domus Ecclesia sit; Parochus, & Æditui, e quibus ille quidem ejus Ecclesiæ spiritualia, hi vero temporalia negotia procurant, nunquam assentiri debent ædificia fervari, licentiæ inservientia, & apta nata Ecclesiasticas functiones perturbare, atque interrumpere; præsertim cum Ecclesiæ iisdem privilegiis gaudeant, quibus Ædes Principum, quibus privata ædificia nihil omnino officere debent, docente Glossa in cap. *Nulla* 12. q. 4. quæ refert Legem, *Quicumque cod. de operibus publicis*; cui addi potest auctoritas *Capitis Nulla & cap. Sicut antiquitus* 17. q. 4.

Decisum in Sorbona hac die 4. Maji an. 1686.
Aug. *de Lamet*.

Reditus redemptus.

CASUS II.

Qui reditum debet, non tenetur Creditorem monere de duplici redemptione, quam Lex eidem concedit, cum plus quam tricennalis est Reditus constitutio; dummodo paratus sit duplicem redemptionem solvere, siquidem ex ipso petita fuerit.

QUÆSITUM.

Robertus Reditum debet; ei filius est Ludovicus nomine. Creditor Jacobus est, ejusque hæres Antonius.

Occubuit Robertus, cum libras mille ducentas Jacobo deberet ex elapsis censibus, fœnore, recentarum librarum sententia, mutuis mercedibus, & prætera libras annuas trigiota quatuor trifariam solvendas.

Patris hæreditatem & bona repudiat Ludovicus, intelligens ei æris alieni dimidio plus esse, quam patrimonii.

Jacobus Creditor conventionem init cum Ludovico, & libras mille ducentas redigit ad octingentas, annorum 16. spatio solvendas, nempe quinquaginta quotannis, non sine triginta quatuor annuarum librarum reditu, quem Ludovicus novo titulo, quemadmodum etiam dictas octingentas libras obligationis jure se recipit soluturum, ea conditione, ut summa hæc dictorum redituum redemptionem impedire non possit, ut rotundis verbis Ludovicus ipse pronuntiavit.

Nota I. hæreditatem ad Ludovicum spectantem longe minoris esse, quam libras octingentas, ac census, quibus ille se subdidit.

II. Ludovicum compositionis tempore ignorasse de Lege, quæ duplicat redemptionem post annum a constitutione tricesimum, eumque, si de ea scivisset, fuisse sibi ut in aliis, ita hoc in capite prospecturum, ut nempe simplicis redemptionis permissionem renovandam curaret; aliter quippe nullam obligationem suscepisset.

Ludovicus biennio post initam compositionem forte fortuna de hac duplicis redemptionis Lege audit, & ex contractibus intelligit, reditus, de quibus quæritur, ante annos quadraginta quinque, & amplius esse institutos.

Quæritur, an Ludovicus hac dispositione dictorum redituum partem simpliciter redimere potuerit, quin de creatorum redituum tempore, vel de duplicis redemptionis Lege Antonium Jacobi filium commonefaceret, atque an duas alias partes in eadem animi præparatione redimere possit?

Rogantur etiam, atque etiam Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie aperiant, subscribantque sententiam suam.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum Ludovicum censet debere se Legi subdere, quæ reditus ante annos triginta constituti redemptionem duplicat, cum id ex ipso postulabitur, quamvis de eadem Lege ignoraverit; cum enim Lex publica sit, eam ipse scire debuit; ut proinde ejus ignorantia derogare non debeat juri tertii, scilicet Antonii Creditoris, qui bona fide cum ipso egit. Quia porro Ludovicus teneri non creditur Antonium de ipsius jure monere, deque eo, quod exigere potest; ideo Ludovicus ipse redituum partem, & sic porro, simpliciter redimere potest, propterea quod ad Antonium spectat suo duplicis redemptionis jure uti, illudque sibi vindicare, cum Ludovicus non impediat, quominus idem Antonius dictorum redituum Contractus, & commodum, quod inde adversus eum percipere potest, cognoscat & expendat. Unius igitur Antonii culpa fit, ut ipse simpliciter tantum redemptionem recipiat, quoniam Ludovicus duplicem tradere paratus est, si ex ipso petatur.

Decisum in Sorbona hac die 1. Septembris an. 1695.
G. *Fromageau*. Ph. *De La Coste*. G. *Bourret*.

R E L A X A T I O N E S.

Relaxationes Christianis prohibitæ.

CASUS.

1 *Ea vitæ ratio, quæ sæculi dicitur, saluti adversatur.*

2 *Quod innoxiæ voluptatis nomine donatur, sæpe est summopere criminosum.*

QUÆSITUM.

Confessarius Urbis in Gallia secundum Parisios maxime nobilis Doctores rogat, ut dicant, quid sentiant de Christianorum conventibus, inquibus sunt *Concertus, Ludi, Illuminationes, & Epulæ magnificæ*. Ex horum ludorum numero sunt aleæ, Inter magnificas epulas nonnullæ Choreas, & Personas adjunctas habent; & in Concertibus locum habent dramaticæ cantiones. Testantur nonnulli conventus hos iis in locis haberi, in quibus existit, quicquid innoxiarum voluptatum concedit Christiana Religio; hi tamen ipsi de Ethnico Principe verba facientes, inter peccata, quæ Deum ejus imperio infensum reddere potuerunt, referunt *ejus Palatii magnificentiam, aecnon ciborum copiam, & mensæ molitiem*.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet ejusmodi conventicula, in propositis quidem circumstantiis, id initio statim præsefere, quod valde repugnat Sacræ Scripturæ, cujus regulæ in Novo Testamento id a Christifidelibus requirunt, ut a Sæculi, vitæque illecebris sibi temperent, & præposteras cupidi-

piditates coerceant. (a) Ne diligatis mundum, inquit S. Joannes, nec quæ sunt in Mundo. Si quis amat mundum, amor Patris non est in eo. Jam mundus præterit, & concupiscentia mundi præterit cum eo. S. Paulus loquens de passionibus ad Galatas ait: (b) qui sunt Jesu Christi, crucifixerunt carnem suam cum suis passionibus, & desideriis inordinatis.

Sane nihil magis ad mundi amorem allicit, eique nos devinctos tenet quam variæ, quæ in eo percipiuntur, voluptates; nihilque cohibendis animi motibus magis opponitur, quam quod eosdem excitandi vim habet. Jam vero constat, quicquid occurrit in conventiculis, de quibus supra dictum est, ejusmodi esse, ut in Christifidelium cordibus terrenarum rerum dilectionem, & passionum contra id, quod facto opus est, rebellionem producere possit, ac fere producat. Ex quo concludi licet, conventus hos, quippe qui Christianis occasiones proximæ peccati sint, iisdem permittendos non esse.

Præterea si paulo attentius & sigillatim expendantur eæ voluptates, quas innoxias nonnulli nuncupant, facile intellectu erit eas esse prohibitas, aut sæpe sæpius lædendi divini Numinis occasiones proximas esse ob circumstantias, quæ cum hujusmodi oblectationibus passim conjunctæ sunt. Personarum usus exempli causa non est permissus, si ut personatus incedas, alterius sexus veste utaris. Est per se malum vestes in hunc modum motari, ut loquitur D. Thomas: (c) *vitiosum est de se, &c.* Aleæ, præsertim cum de gravibus summis agitur, pecuniæ cupiditatem atque amorem excitant, animum perturbant, malisque compluribus causam præbent. Raro choreæ sunt innoxiæ S. Francisci Salesii sententia. Dramaticæ cantilenæ Christianum cor molliunt, & sæpe animis inspirant sensa Christianarum virtutum praxi contraria. Impensæ denique quibus hæ magnificæ epulæ, & cætera omnia parantur, quibus horum conventuum relaxationes constant, immodicæ sunt quoad personas, quæ primas non tenent; atque ut ab iis fierent, qui gradu præstarent, si frequentiores essent, probari tamen non possent, sed potius pauperum solatio inservire deberent; quoniam ea dispendia spectanda sunt tanquam superfluum, quod ad pauperes spectat, & quod ipsis proinde tribuendum est.

Fatendum tamen in exhilarationum occasionibus extraordinariis, & quarum graves causæ sunt, ejusmodi conventus aliquando permitti posse; dummodo cæteroquin hi gradu præstantes viri etiam atque etiam viderint, ne quid uno verbo in iisdem conventibus existat, quod peccandi proxima occasio esse posset.

Decisum in Sorbona hac die 2. Augusti an. 1700.

G. Fromageau.

RELIGIOSI ET RELIGIOSÆ.

Religiosorum nomen, quod olim Christianorum omnium commune erat, hoc tempore iis tantum tribuitur, qui ab humana societate recedunt, ut in Monasteria seu Communitates se se recipiant, ubi vitæ statum Deo prorsus addictum, atque Evangelicorum consiliorum exercitia per vota tria solemnia Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ profitentur. Ii nimirum sunt, quos Monachos appellavit antiquitas. Non desunt, qui eorum originem ab Ecclesiæ exordio repetant, contendantque Philonis Therapeutas Monachos extitisse; hæc Sancti Hieronymi, Sancti Epiphanii, Cassiani, & Sozomeni opinio est, cui quidem ex parte subscribit Bernardus *de Montfaucon* in sua Tractatus Philonis gallica versione, quam Lutetiæ Parisiorum an. 1709. typis edendam curavit, quæque a nonnullis Auctoribus confutata fuit. Complures Ordinis Religiosorum antiquitatem Sancti Dionysii Areopagitæ testimonio confirmant, quod nempe Sanctus hic Episcopus in Ecclesiasticæ Hierarchiæ libro de iis diserte loquatur, & cæremonias ætate sua in Religiosorum receptione servari solitas afferat; sed hæc quidem probatio pro certo ponit, Opera, quæ Sancti Dionysii Areopagitæ nomen præseferunt, vere ejus non esse, cum contra longe recentiorem, videlicet sæculi quinti Scriptorem auctorem habeant. Sanctus Epiphanius memoriæ prodit, hæreticum hominem Marcionem a juvenili ætate statum Monasticum amplexum fuisse, nempe an. circiter 130. & Græcorum Menologia sanctorum ejus temporis Religiosorum nonnulla exempla suppeditant.

Quia tamen tribus prioribus Ecclesiæ sæculis persecutio fere semper grassata est; haud facile creditu est Religiosas Communitates, seu Monasteria iis quidem temporibus extitisse; fitque vero simile, Sanctum Antonium an. circiter 305. primum eorum Institutorem fuisse. Heremitæ quidem in Ægypto & alibi antea forsitan extiterunt; at difficillime ostendi posset fuisse Religiosos in una communi domo congregatos, ut eamdem regulam sequerentur. Cum Sanctus Antonius instituendam magnam hominum multitudinem suscepisset, a quibus Evangelicæ perfectionis magister electus fuerat, primum suum Monasterium in inferioris Thebaidis deserto posuit, in loco, cui nomen Pisper, prope montes, qui ad Nili Orientem sunt. Regulam deinde instituit, quæ vel extra Ægyptum servata fuit; sæculo enim XII. aderat Constantinopoli Monasterium Religiosorum septingentorum, qui eamdem servabant.

Anno circiter 330. S. Pachomius in gratiam Religiosorum superioris Thebaidis Regulam edidit, & Monasterium Tabennæ jecit, quod in Insula prope Siennam vulgo ponitur, sed quod inferius fuisse videtur ad Nili ripam in Diœcesi Tenthiriensi. S. Macarius Ægyptius eos moderatus est, qui in Desertum Scetis se recipiebant. Mons Sinai, & desertum Raithe in Arabia excepit Solitarios ab exordio IV. Sæculi. Spectatur S. Hilarion tanquam Religiosi status in Palestina, seu Terra Sancta Fundator; is enim primum Monasterium ibidem extruendum curavit, cum interim S. Antonius Ægyptiorum Religiosorum signifer & caput esset. Instituit D. Hieronymus Monasterium Bethleemi an. circiter 390. S. Basilius Cæsareæ in Cappadocia Episcopus prædicatur Monastici Ordinis in Asia minore fundator, quia Religiosis Provinciæ Ponti præscripsit Regulam, quæ deinceps in universo fere Oriente servata fuit. Anno circiter 430. S. Alexander Religiosus Acæmetarum Ordinem in Syria instituit. Erant illi Religiosi in turmas divisi, qui divini Officii canendi gratia alii aliis succedebant, ita ut diu noctuque nunquam deessent, qui in choro psallerent.

In Gallia, quæ a Francorum victoria Franciæ nomen sortita est, S. Athanasius eo veniens an. 336. Religiosam Professionem, quam Romæ instituerat, ibidem significavit. Quarto sæculo Insula Barbara prope Lugdunum incolebatur ab Heremitis, quorum societas fuit prima fortasse Monachorum Communitas, quæ in Galliis efformaretur. Ajunt alii Monasteria omnino nulla ante Sanctum Marti-

(a) 1. Epist. c. 2. v. 15.
(b) Cap. 5. v. 4.
(c) 2. 2. q. 196. art. 1. ad 3.

Martinum in Gallia extitisse, eorumque institutionem tribuendam esse huic magni nominis Episcopo, qui fundavit Marmusteriorum Abbatiam, & complura alia Monasteria in Jurena, ubi ita excrevit Religiosorum numerus, ut decem mille & amplius ejus sepulturæ interessent. Illius discipuli, aliive exemplum sectantes passim in Galliis, & præsertim Rothomagi, Teruannii, Cenomani, Tolosæ, Massiliæ, in Insula Lerinensi, Arelate, Viennæ Allobrogum, Lugduni, aliisque in locis Monasteria erexere; quorum Religiosi omnes Sancti Benedicti regulam sequebantur, sed ita tamen, ut disciplina non æque apud eos exacta foret atque in Oriente, minus labori vacarent, ac leviora jejunia custodirent.

Monachi fere omnes Laici erant; nullaque in iis alia, ut Monachi evaderent, dispositio requirebatur, quam bona voluntas, ingenuumque pœnitentiam agendi, & in Christiana perfectione proficiendi desiderium. In eorum album referebantur ex omni conditione & ætate, atque adeo pueri, qui in pietate educandi a parentibus offerebantur. Excipiebantur servi æque ac liberi, assentientibus tamen dominis, rudes æque ac docti, atque adeo non pauci legere nescientes. Non prompti ingenii, non robusti corporis ratio babebatur; pœnitentiam agebat quisque pro viribus. Veri omnes Monachi Cœnobitæ erant & Anachoretæ; verum haud multo post pseudo-Monachorum extitere genera duo; alii certo quidem loco addicti manebant, sed soli, vel duobus tantum tribusve adsciiis sociis, non pendentes, non subjecti, nullamque regulam præter suam ipsorum privatam voluntatem sectantes, majotis perfectionis prætextu; & Sarabitæ nuncupabantur. Alii, qui Gyrovagi, seu Monachi errantes appellabantur, quique cæterorum omnium deterrimi erant, nunquam non huc illuc concursabant, per omnia Monasteria transeuntes, & in nullo consistentes, perinde ac si fatis perfectam vitæ rationem nullibi comperissent. Monachorum, qui vere ejusmodi erant, hospitalitate abutebantur, ut laute exciperentur, omnia subibant loca, omni hominum generi se se immiscebant, & inordinate viventes, a vita Monastica, cui dedecus afferebant, alieni erant.

Ab annis jam prope ducentis vigebat vita Monastica, cum S. Benedictus, in solitudine jamdiu versatus, & jamdiu Monachorum institutione potitus suam Regulam scripsit, in ejus Monasterii gratiam, quod in Monte Cassino Romam inter & Neapolim ipse fundaverat. Eam ille Orientali molliorem reddidit, haud quotidianum jejunium imponens; sed manuum laborem, exactum silentium, solitudinemque servavit; permisit vini non nihil, & præter panem obsonium duplex. Regula hæc adeo rationi consona visa est, ut eam Occidentis plerique Monachi amplexi fuerint, & in Galliam detulerint.

Initio quidem Monachi Episcopis, & Pastoribus ordinariis subjecti erant, haud in Ecclesia occupantes locum, qui universo populo communis esset, quia nempe ex Laicorum numero erant. Verum cum inter eos non deessent docti viri, & servitio Ecclesiæ præstando idonei; eos Episcopi a solitudine abductos ad gravia munia vocarunt, quibus optime persungebantur, ut ex Nestorii negotio apparet; sed cum illi omnibus se negotiis admiscentes auctoritate sibi concessa abuterentur; visum est Chalcedonensi Concilio Leges condere, quibus incommoda, quæ illi Ecclesiæ afferebant, averterentur. Quamobrem Concilium hoc statuit, ut illi Episcopis omnino subessent, nec amplius absque eorum permissione se ulli negotio vel Civili, vel Ecclesiastico admiscerent; ne a propriis Monasteriis recederent, ut hac illac vagarentur, & ad Urbes accederent; ne ullum Monasterium vel Oratorium extruerent, nisi loci Episcopo permittente, atque ab Ecclesiasticis muneribus arcerentur, nisi ad ea ab Episcopis, ita expedire judicantibus, acciti essent. Ita quidem quoad Religiosos statuit commune Jus.

Sed Episcoporum jugum plerique deinde excusserunt. Cum Sanctua Ordo Monasticam disciplinam propagasset in Cluniacensi Familia, an. 919. Abbatis Bernonis studio & opera instituta; Familia hæc titulo fundationis sub peculiari sancti Petri & Pontificis protectione posita fuit, prohibitis omnibus sæcularibus & Ecclesiasticis potestatibus, ne Monachos in bonorum possessione, vel Abbatis electione turbarent. Hac de causa se ab Episcoporum Jurisdictione exemptos contenderunt, & privilegium hoc ad omnia Monasteria a Cluniacensi pendentia extenderunt. Hæc Familiarum complurium unum caput habentium Congregatio prima est, immediate Papæ subjecta, ut unum corpus constituat, vel ut nunc temporis dicitur, Religiosorum Ordinem unum. Recepit vita Monastica novum decus in Cisterciensi Familia, a Sancto Roberto Molesmi Abbate an. 1098. fundata. Adhæsit ille Sancti Benedicti Regulæ, restituit manuum laborem, silentium, & solitudinem. Sumpsit albi coloris habitum; & Monachorum quidem Alborum nomen bis potissimum Religiosis, quemadmodum Nigrum Monachorum nomen Cluniacensibus inditum fuit. Ordo hic brevi temporis spatio mirum in modum excrevit, ita ut quingentæ Familiæ a fundationis anno quinquagesimo septimo existerent. Ejus præcipui filii sunt Firmitas, Pontiniacum, Claravallis, & Morimontium, quibus adhuc insignia, ac peculiaria supperunt privilegia. Abbatia Claravallis an. 1115. a Sancto Bernardo Cisterciensi Monacho fundata fuit; verum adeo illustre magni hujus Sancti nomen evasit, ut ille tanquam Ordinis Caput spectatus fuerit, & Cistercienses Monachi Bernardini nuncupati.

Cum porro disciplina omnino corruisset apud Canonicos, qui ab humana societate minus, quam Monachi sejuncti essent; Sancto Petro Damiano sollicitante, Nicolaus II. an. 1059. Episcoporum 113. Consilium Romæ celebravit, in quo, simonia, & concubinatu proscriptis, jussi sunt Clerici communi domicilio, communique mensa uti, & quicquid ex Ecclesia recepissent, in commune conferre; eodemque Synodus cohortata est ad communis Apostolicæ vitæ rationem, ut nimirum nihil omnino sibi peculiare ac proprium haberent. Decretum hoc renovavit an. 1063. Alexander II. in centum & amplius Episcoporum Concilio. Clerici autem communem vitam amplexi Regulares Canonici sunt appellati. Magno illi in honore fuerunt sæculis undecimo ac duodecimo, & in plerisque Cathedralibus Ecclesiis obtinuerunt. Hine extitere Sanctus Rufus prope Valentiam in Delphinato, & Sanctus Victor Parisiensis an. 1110. Inter hos Ordines clarissimus fuit Præmonstratensis, a Sancto Norberto an. 1120. fundatus.

Religiosorum ad illud usque tempus incognitorum novum genus, nempe Militares Ordines Cruciatæ produxerunt. Omnium celeberrimus est Ordo Sancti Joannis Hierosolymitani, qui cœpit ob Hospitali,

pitali, ubi Peregrini excipiebantur. Terra Sancta potitis Barbaris, hujus Ordinis Equites Rhodum se receperunt an. 1350. sed cum eos inde expulissent Turcæ, Imperator Carolus V. Melitensem Insulam iis dono dedit, ubi illi an. 1530. domicilium posuerunt. Eodem tempore exurrere complures Religiosi Ordines Hospitalarii, in eum finem instituti ac destinati, ut vel ægrotantibus deservirent, vel peregrinos exciperent; eorumque nonnulli Captivorum redemptioni se devoverunt.

Sed omnium recentiorum Religiosorum celebratissimi sunt Mendicantes. Sanctus Dominicus Oxomensis in Castella Canonicus, cum Episcopum suum itinerantem secutus esset, constitit in Occitania, ut ad Albigensium conversionem incumberet ao. 1206. Coegit nonnullos Presbyteros, annoque 1216. ab Honorio III. privilegium obtinuit Prioratui sancti Romani Tolosani in favorem Clericorum, qui ibidem eum ducem ac magistrum sequebantur juxta sancti Augustini Regulam, quam ille jam ut Canonicus amplexus fuerat; ii porro Fratres Prædicatores sunt nuncupati, atque is Ordo in Ecclesia perillustris evasit.

Sub idem tempus Sanctus Franciscus, Assisii Mercatore patre natus vitam extremæ paupertati ac pœnitentiæ addictam ducere cœpit, nonnullosque sibi socios adjunxit, alios Clericos, Laicos alios, quibus peculiarem præscripsit Regulam, quamque Honorius III. an. 1223. confirmavit, quamque Sancta Clara Assisii & ipsa orta eodem tempore amplexa est. Sancti Francisci Discipuli dicti fuere Fratres Minores; & Ordo Monialium Sanctæ Claræ nuncupatus est secundus Ordo Sancti Francisci; ac Tertius Ordo viros ac fœminas, in humana societate, atque adeo in matrimonio viventes, & quantum eorum status patitur, Sancti Francisci Regulam servantes complectitur.

Eodem ineunte sæculo, Albertus Hierosolymitanus Regulam Heremitis in Monte Carmelo viventibus, magnæque austeritati addictis præscripsit. Cum eorum nonnulli in Europam venissent, ipsorum Regula an. 1226. confirmata fuit. S. Ludovicus nonnullos Parisios duxit an. 1254. eosque nos dicimus Carmelitas, quorum origo non supra decimi secundi sæculi finem assurgit.

Sub idem quoque tempus Alexander IV. collegit in unum Ordinem plures Heremitarum Congregationes, diversorum nominum, & diversarum institutionum, sub nomine Heremitarum Sancti Augustini. Hæc nimirum præcipuorum quatuor Ordinum mendicantium origo est. Omnes enim Religiosi se nihil in bonis possidere vel in commune, & ex quotidianis tantum Fidelium eleemosynis subsistere profitebantur. Ad studium, ad prædicationem, ad pœnitentiæ administrationem, ut hæreticos, & peccatores converterent, incumbebant.

Post initium sæculi XVI. prodiere complures Clericorum Congregationes, ut moribus reformandis, disciplinæ Ecclesiasticæ redintegrandæ, novisque hæresibus impugnandi studerent. Omnes tempore præcessere Theatini instituti an. 1524. a B. Marcello Gaetano una cum Petro Caraffa, qui deinde Papa Paulus VI. fuit. Decennio post Sanctus Ignatius de Loyola jecit fundamenta societatis, in cuius gratiam an. 1540. a Paulo III. Bullas obtinuit. Ejusmodi sunt Religiosorum Ordines insigniores, qui redigi possunt ad quinque, ut sint Monachi, Canonici Regulares, Equites, Mendicantes, & Clerici Regulares; ut de Cartusianis an. 1086. a Sancto Brunone fundatis nihil dicatur; nihil de Religiosis Grandimontii fundatis a Sancto Stephano an. 1047. nihil de Camaldulensibus, auctore Sancto Romualdo an. 1012. nihil de Ordine *de Fontevraut*, Fundatore Roberto Abrissellio an. 1099. nihil de Cœlestinorum Ordine, Institutore Petro Moronio, qui summus Pontifex fuit Cœlestinus V. dictus an. 1254. nihil de Minimis, quos Sanctus Franciscus de Paula an. 1467. instituit, nihil denique de variis variorum temporum Reformationibus.

Omnes hæ Religiosorum Ordinum institutiones non virorum tantummodo peculiares ac propriæ fuerunt; in eorum partem venere fœminæ, ac non uno sæculo non defuere virgines, ac Viduæ, quæ Ordines instituerent, & omnino mundo nuntium remitterent, ut in Monasteria se reciperent, ibique orationi, ac meditationi, divinoque Officio psallendo, procul ab omni sæculari commercio vacarent. Hinc ortum traxere Canonicissæ Regulares Sancti Augustini an. 800. hinc Religiosæ Ordinis Sancti Dominici an. 1256. hinc Religiosæ Sanctæ Birgittæ an. 1344. hinc Annuntiatæ fundatæ a Regina Joanna conjuge Ludovici XII. Galliarum Regis an. 1502. hinc aliæ Annuntiatæ cœlestes an. 1602. hinc Religiosæ Ursulinæ an. 1537. hinc Virgines Visitationis an. 1610. hinc Religiosæ Præsentationis an. 1625. hinc denique Benedictinæ, Bernardinæ, Hospitalariæ, Virgines Sancti Sacramenti, Carmelitæ reformatæ & non reformatæ, Foliantinæ, Capucinæ, Franciscanæ Minores, Religiosæ de Fontevraut; aliæque complures.

In Cleri Monumentis Constitutiones bene multæ ad Religiosas utriusque sexus personas spectantes occurrunt. In iis dedaratur, exempli gratia, Monachos, & Religiosos, quacumque demum in Urbe, vel Regione instituti fuerint, Episcopo obedire debere; id quod ex Caroli magni Capitularibus ductum est; nullum virum nullamque fœminam ad Religiosam Professionem admitti posse, nisi sexdecim ætatis annos compleverint; in qualibet Abbatia, ac Prioratu Conventuali Præceptorem fore, qui Monachos & Religiosos edoceat. Constitutio an. 1629. art. 4. mandat Prælatis omnibus, tam Regularibus, quam Sæcularibus, ut intra sex menses ab ejusdem publicatione Abbatiis, Prioribus, aliisque Diœcesεon suarum Familiis tam Religiosorum, quam Religiosarum, quæ in reformata Congregatione non fuerint, reformandis invigilent, in iisque Monasticam Regulam, & Clausuram servandam curent, non obstantibus quibuscumque reservationibus Sanctæ Sedi, ac dent operam, ut earumdem Congregationum Prælati Regulas & Constitutiones ibidem servandas jubeant, suoque muneri satisfaciant.

Ex Edicto an. 1606. art. 7. Religiosi, cujuscumque tandem Ordinis fuerint, extra proprias Abbatias absque Prælatorum suorum commeatu versantes in carcerem, Archiepiscopis, & Episcopis, eorumque Magnis Vicariis, vel Officialibus mandantibus trodi possunt; mulctarique pœnis & correctionibus arbitrariis, quæ executioni mandentur, non obstantibus omnibus privilegiis, executionibus, appellationibus, &c.

Quod attinet ad concionandi facultatem Religiosis concessam, quod idem de confessionum excipiendarum potestate statuendum, dictum est alias, iis non licere confessiones audire, quin antea examen subierint, & ab Episcopo Diœcesano, vel ejus Magno Vicario approbati fuerint, cum ea, quæ ipsi

quidem statuenda videbitur, restrictiones eos uti non posse ullis indultis, aut privilegiis suæ Sanctitatis, ut a casibus reservatis absolvant, cujusmodi sunt hæresis, & irregularitas, quin ea Diœcesanus Episcopus firma ac valida judicaverit; Religiosos, eos ipsos, qui se exemptos dictitant, in ullis Ecclesiis, ac ne in propriis quidem, absque Diœcesani Episcopi permissione concionari posse, nihilque non orthodoxum in punitionis pœnam prædicare debere; Abbates, Priores, Capitula, & Communitates, qui Rectores, ant-Parochi primitivi Parochialis alicujus Ecclesiæ sunt, nec edere, nec edenda mandare posse ulla Curialia munia, nisi Episcopi, vel ejus Magni Vicarii accesserit approbatio; Religiosos, sub exemptionis prætextu, renuere non posse Episcopi Mandata, quæ ad se quidem missa fuerint, enuntiare, vel publicis sibi significatis Processionibus interesse; eosque cavere debere, ne Parochialem Missam audiendi, & Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramenta in propria Parochia saltem Paschali tempore percipiendi obligationem suis in concionibus impugnent.

Sua quoque Abbatissis, Priorissis, aliisque Monialibus Mandata sunt. Abbatissa opus habet Episcopi, cui ejus Monasterium subditur, confirmatione. Religiosæ, edita Professione, e Monasterio egredi nequeunt, vel ad breve tempus, quocumque prætextu, absque Episcopi, vel alicujus alterius Superioris permissu. Abbatissæ eligi nequeunt ante quadragesimum ætatis annum, & ante octavum ab edita Professione, non sine laudabili vitæ ratione. Nonnunquam eligi possunt Antistitæ ætatis anno tricesimo, & Professionis quinto, dummodo Episcopus, vel aliquis alius superior assentiatur. Una eademque Monasteriorum duorum Antistita esse non potest. Moniales singulis mensibus confiteri, sanctamque Communionem percipere debent; mandaturque, ut præter ordinarium Confessarium Episcopus, vel aliquis alius Prælatus bis aut ter in anno alium extraordinarium ad eas mittat; ut Monialium Clausuram accurate custodiant Archiepiscopi & Episcopi, a quibus inobedientes Censuris Ecclesiasticis percellantur; ut eorumdem Monasteriorum Clausuram nemo unus subire possit, quæcumque ejus qualitas, sexus, vel ætas fuerit, absque Episcopi vel alterius Prælati scripto expressa licentia, tantummodo in necessitatis casibus, sub Juris pœnis; ut denique Sanctimoniales proprii Ordinis habitum deserant, quin ullam sæcularem speciem affectent.

Vide (ABBAS, ET ABBATISSA.
(PROFESSIO.
(PROPRIETAS.
(RECLAMATIO.
(VOTUM.

Reus damnatus, absolutusque, qui Religioni nomen dare vult.

CASUS I.

1 *Sacerdos ad Triremes damnatus, tum gratiam consecutus inter Religiosos cooptari potest, si ejus animum divino instinctu afflatum esse, ipsumque resipuisse moraliter certum sit.*

2 *Ejus porro vocatio satis quam diligentissime expendenda est.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie suam scripto sententiam exhibeant.

Sacerdos ob publica & scandalosa crimina ad Triremes damnatus satis in Aula gratia valuit, ut a damnatione liberaretur; ei Rex gratiam concessit, & Patentibus Litteris in Senatu cognitis vetuit, ne quis damnationem ei exprobraret. Presbyter hic Divino se Numine afflatum sentiens, apud sa statuit ad asperrimum, strictæque reformationis Ordinem pœnitentiæ agendæ causa se conferre. Postulat, recipitur in Cistercienfium Monasterio strictæ Observantiæ, atque adeo Ordinis habitu induitur; Superior Generalis certior factus receptum esse hominem ita notatum, Priorem, qui eumdem Presbyterum ad Novitiatum admisit, per litteras monet, admissionem hanc Ordini turpem esse, ei habitum tribui omnino non debuisse, cavendumque etiam atque etiam, ne Professionem edere permittatur, præsertim cum Sixtus V. edita Bulla, prohibuerit, ne iis in Monasteria ingressus concederetur, qui ad ejusmodi pœnas damnati fuissent. Urget Novitius cum magna pietatis laude susceptum opus, & ingenuam conversionem præsefert. Superior Monasterii, in quo is actu est, quærit, eumne rejicere debeat, an vero ad Professionem admittere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in Monasterium, Professionis edendæ gratia, quemvis admitti posse, quamvis maxime depravati moribus fuerit, dummodo moraliter certum sit eum vere divino instinctu moveri, & pœnitentiam agere velle; nihilque præterea in Monasterii Regula & Constitutionibus sit, quod impediat, quominus Superior ejusmodi hominem ad Professionem admittat, quemadmodum, teste Pelizario, in (a) Jesuitarum Societate statutum est.

Objicitur, Ordini turpe fore, ejusmodi insignes peccatores admitti, & sancto Religionis habitu indui; Sixti V. Bullam prohibere, ne in Monasterium aditus tribuatur iis, qui ad ejusmodi pœnas, cujusmodi ea est, de qua in expositione, damnati fuerint. Sed respondetur

I. Falso credi, Regularibus Familiis turpe fore, personas recipi, quarum depravata vitæ ratio publico scandalo fuerit, siquidem agendæ pœnitentiæ tantum animo accesserint. Semper quidem Claustra, præsertim vero antiquis temporibus habita sunt tanquam recessus loca, in quæ insignium criminum rei, ut ingenuis lacrymis animi sordes abluerent, se recipiebant, atque adeo pœnitentiam toto vitæ suæ tempore acturi compellebantur. Visigothorum Lege ita Monasteriis incestuosi concludebantur; *Judex eos non differat separare, ut juxta qualitatem sexus in Monasteriis delegentur, illic jugiter permansuri.*

Libro 6. Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii Seditiosi Clerici ita puniuntur: (b) *Ut Clerici, qui in quacumque seditione arma volentes præsumpserint, reperti, amisso sui Ordinis gradu, in Monasterio pœnitentiæ includantur.* Et lib. 7. *Tales Sacerdotes, qui Ecclesias conturbant, vitandi, & honore proprio sunt privandi, Carceribusque, vel Monasticæ vitæ sub pœnitentia diebus vitæ suæ tradendi, mala, quæ egerunt, luituri.*

In Aurelianensi Concilio, (c) quod refertur in Jure, statuitur, ut *Si quis Clericus adulterasse aut confessus aut convictus fuerit, depositus ab officio, communione concessa, in Monasterio vitæ suæ tempore detrudatur.*

Ge-

(a) Pelizar. tom. 1. tr. 3. cap. 2. n. 10.

(b) Lib. 1. tit. 5. leg. 2. Capitul. lib. 6. c. 321. & l. 7. c. 144.

(c) Concil. Aurel. III. Can. 7. in dist. 81. Si quis.

Generalius loquitur Toletana Synodus: (a) *Sacerdotes, & alii Clerici incontinentes . . . . . . si omnino coerceri nequiverunt, usque ad extremam vitæ suæ Monasteriis deputati, disciplinis Monasticis maneant omnino subjecti*.

Refert Sanctus Bernardus (b) Episcopos a Sancto Gregorio Magno in Monasteria conjectos fuisse, ut pœnitentiam peragerent.

In medium afferri possent Canonici & Civilis Juris testimonia non pauca, quibus palam fieret, olim fuisse magnopere in more positum, ut Clerici Monasteriis concluderentur, ubi criminum, quorum convicti fuerant, pœnitentiam agerent. Consulendi super hac re Antonius Augustinus, (c) & Gregorius Tolosanus.

II. Non solum in Claustra recipiebantur, qui multis se criminibus inquinaverant, ut ibi tanquam in carceribus, & pœnitentiæ quidem causa detinerentur; verum etiam ad Regularem sumendum habitum, atque adeo edendam Professionem admittebantur, siquidem id ipsi petiissent, eosque vero conversionis & pœnitentiæ desiderio flagrare certo constitisset.

Stephanus V. summus Pontifex Viro nobili homicidii reo auctor fuit, ut Monasterium ingressus Religionem profiteretur, atque ita peccatum hoc, & alia, quæcumque patraverat, pœnitentia expiaret. Non credidit sane hic Pontifex Virum nobilem sibi dicto audientem id acturum fuisse, quod Monasterio, in quod reciperetur, indecorum foret. Idem quoque Sancto Bernardo visum fuisse necesse est, dum adolescenti multorum gravium criminum conscio idem consilium dedit in hæc verba; (d) *Quantumlibet sordeas vitiis, quantumvis fœdam geras conscientiam, horrendisque licet sceleribus tuam adolescentiam sentias inquinatam, & si inveteratus dierum malorum computrueris tanquam jumentum in stercore suo, mundaberis sine dubio, &c. Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia; tantum veni, & experire*. Hic Pater, qui saluris animarum amore captus peccatores consectabatur, ut eos pertraheret, pronuntiat loco laudato se minime dubitare inter suos Religiosos hominem, pluribus licet criminibus inquinatum recipere, eamque rationem affert: *Non me sane horret hoc, & peccator non horreo peccatorem, nec ægrum sperno, cum me sentiam ægrotare: sed tibi me sanum putas non recuso infirmus infirmo fieri, ut infirmum lucrifaciam, libenter audias & hoc Pauli consilium, qui ait, Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*.

Erant D. Thomæ ætate, qui crederent, insignes peccatores, & qui vitam omnem criminibus polluissent, ad Religionem admitti non posse, nisi antea in Divinis præceptis se exercuissent, quod praxis hæc videretur consiliorum praxi, quæ in Religione suscipiuntur, præmittenda, tanquam prorsus necessaria dispositio. Sententiam hanc refellit Sanctus Doctor, statuitque in suis Opusculis, (e) *quod statim pœnitentes post quamcumque immanitatem peccatorum, viam consiliorum possint arripere . . . . Quia videlicet post peccata, quibus homo a Deo recessit, ejus præcepta transgrediens, ad majora debet animum extendere, & hoc esse mediocriter contentus*. Tum subdit: *huic etiam rei multa exempla Sanctorum suffragantur; plurimi enim utriusque sexus post gravia facinora & flagitia perpetrata in quibus totam vitam suam consumpserant, statim consiliorum viam assumentes, nullo præmisso præceptorum exercitio, Religioni arctissimæ se dederunt*.

Hoc loco D. Thomas id ponit tanquam certum, Ordini indecorum non esse, insignem peccatorem recipi, adhuc quidem peccatorum plenum, sed ab iis tamen, Religione suscepta, se liberare volentem. Secus enim dicere non debuisset ejusmodi homines in Monasteria se recipere posse; si enim hi recipi non debuissent, eos ipsos debere, agendæ pœnitentiæ gratia, ad Religionem accedere: *Debent etiam viam consiliorum assumere, Religionem intrando, quæ est perfectæ pœnitentiæ status*.

III. Neque vero Jure novo vetus hic Ecclesiæ mos mutatus est, & Regularibus generatim Ordinibus vetitum, ne peccatores publicos, vel qui ob crimina damnati fuerint, ad Religiosam Professionem admittant. Sixtus porro V. de quo in expositione dictum est, iis, qui damnati fuerunt, Monasteriorum aditum non intercludit; etenim in Bulla *Cum de omnibus* an. 1587. n. 71. & in ea, de qua quæritur, de iis tantum scelestis hominibus loquitur, qui ad Monasteria confugiunt, *non pia intentione, sed ad evitandam legum & judiciorum severitatem, quia tuto in sæculo vivere non possunt; tum demum quærunt a Religione auxilium, quando aliunde illud non sperant . . . . Ut his quoque subterfugii, & impunitatis spes omnino tollatur; omnes autem crimine notos, vel suspectos, ad Religionem perpetuo inhabiles declaramus*. Esto Sixtus V. de omnibus universim peccatoribus loqui voluisset, quod tamen ita non habet: asseri tamen posset, ejus Bullam temperatam fuisse, redactamque ad Juris communis, & Canonum normam Bulla Clementis VIII. *In Suprema*. Præterea Presbytero, de quo quæstio instituta est, pœna, ad quam damnatus fuerat, remissa est; atque ita ejus causa quoad Religionis professionem est favorabilior, quam cujusvis alterius rei. His ita declaratis, proponitur responsum triplex, ut expositis quæstionibus satisfiat.

Primum est; Presbyterum, de quo agitur, ad Religiosam Professionem admitti posse, modo in Ordinis, vel Familiæ, in qua Novitiatum agit, Constitutionibus nihil sit, quod repugnet.

Alterum est; non ideo enim a Professione arcendum esse, quod Superior Generalis, cujus nutus vim legis habere debet, refragetur; sed potius nihil omittendum esse, ut, salva & incolumi remanente, quæ ei debetur, observantia, ejus consensus obtineatur; quod si ille omnino repugnet, agi potest, ut in similibus casibus assolet, pro Regulæ & Constitutionum ratione.

Tertium est; antequam idem Presbyter recipiatur, expendenda est quam diligentissime ejus vocatio, videndumque, an vel ex ejus animi levitate, vel ex ejusdem cupiditatum depravatione existat timendi causa, ne ille deinceps tam malus sit Religiosus, quam malus hactenus Presbyter fuit.

Decisum Parisiis hac die 29. Septembris an. 1694.

G. Fromageau.

Religiosus, qui Familiæ suæ malis occurrere vult.

CASUS II.

1 *Religiosus, qui Familiæ suæ malis mederi non potest, debet quamprimum ad Prælatos suos Regulares accedere, eosque de re tota certiores facere.*

2 *Si iidem Prælati remedium non afferant, ad Ordinarium confugiendum est.*

QUÆSITUM.

PAter A . . . . . . electus est Definitor in Provinciali Capitulo, quatuor ab hinc mensibus habito, cum per annos novem, eosque continuos in tribus Familiis Prioris munere functus esset. Pater B . . . . in eodem Capitulo Remensis Conventus Prior creatus est. Quinto circiter post die ille officio se abdicat, & a P. Provinciali substituitur in ejus locum Pater A . . . . . quamvis Definitor, & Novennarius. Quidam Religiosus consultans Regulas, & imprimis Clementis VIII. decimam Constitutionem, comperit id huic Bullæ maxime repugnare, editque actum, qui sequitur, & coram dicto novo Priore, omnique Communitate eumdem legit.

Ego subscriptus declaro iis, quorum intererit,

(a) Concil. Toler. VIII. cap. 5.
(b) S. Bernard. tom. 1. de præc. & disp. cap. 17. n. 52.
(c) Anton. August. l. 9 de Mon. & Regul. tit. 13. quibus de causis aliquæ personæ in Monasteriis includuntur Gregor. Tolos. l. 31. Syntag. Juris. c. 32. de detrusione in Monast. 33. q. 2. c. Admonae.
(d) S. Bernard. Epist. 415.
(e) S. Thom. opusc. 36. alias 17.

me tuta conscientia electioni Patris A . . . . assentiri non posse, I. Quia Clemens VIII. in sua decima Constitutione §. 9. & 10. prohibet in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Ordinis nostri Prioribus, ne post Prioratus annos novem immediate pergant Priores esse. II. Quia §. 9. tum eligentes, tum electos *ipso facto* excommunicat, eosque in perpetuum dignitatibus, officiis, & immunitatibus omnibus privat. III. Quia eodem paragrapho ejusmodi electiones nullas, invalidas, omnisque effectus expertes declarat. IV. Si duo consanguinei ad tertium usque gradum suffragiis suis electionem quamcumque promoveant, eam electionem Pontifex nullam pronuntiat, & talis quidem apud nos eadem censetur; porro ille in eadem Constitutione Prioris novennalis electionem nullam & sine effectu declarat; quo loco animadvertendum est, ab Ordine nostro ex Clemente VIII. petitam esse Constitutionem hanc, quæ a sæculo semper absque ulla iotermissione servata est. V. Dictus Pater A . . . . Definitor est, juribus ac privilegiis dignitati suæ annexis gaudet; jam vero in Regulis nostris expresse prohibetur, ne Definitor sit Prior: *Strictæ prohibemus*, ac &c. VI. Is quoque non potest Vicarius & Prior esse; id declaratum est in Generali Capitulo Romæ habito an. 1685. Explicantur hæ prohibitiones in nostris Legibus; denique tanquam Definitor, & Novennarius Pater A . . . . excluditur a Prioratu & Vicariatu. VII. Conventus noster Remensis Novitios habet, qui aliquando contra Professionem suam reclamare poterunt, ajentes se vota sua in Superioris illegitimi manibus edidisse.

Actus hic missus est ad Officialem, qui eum flocci fecit, Patri A . . . . dignitatem, quam ipse eidem contulit, servare voleos. Ergo Provinciali refragante, quærit Religiosus hic,

I. An tuta conscientia possit urgere depositionem Patris A . . . . qui prætcrea fraudulenter ab Archiepiscopo approbandum curavit Religiosum, qui in postremo Provinciali Capitulo tanquam suspectus crimiois Catalauni cum puella patrati reprehensus fuit.

II. An huic depositioni insistere teneatur, non obstantibus Provincialis minis, cum oemo alius id facere possit, vel aggredi audeat?

III. Ao in Pœnitentiæ Tribunali audire & absolvere possit dicti Patris A . . . . Confessarium, ingenue fatentem, cum contra jus fasque Prælatum esse?

IV. Quoniam Religiosus hic idem ad Generalem appellare non potest, quippe qui excommunicationis minis terreatur, nec pecuniæ satis habeat, ut appellationis impensis par sit; quem tandem adibit Judicem?

V. Possetne ad Remensem Archiepiscopum, tanquam Sanctæ Sedis suapte natura Legatum confugere? Præsertim cum Regis Edictum 24. Martii an. 1696. declaret expressis verbis, Archiepiscopos, vel Episcopos de aliqua Monasteriorum vel ab ipsorum Jurisdictione exemptorum depravatione commonefactos Superioribus Regularibus maodare posse, ut præsens malo remedium afferant.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie decisionem suam proferant.

R E S P O N S I O.

Equidem censeo, mi Reverende Pater, ad ea quod attinet, de quibus ad me scribis, imprimis utile fore, siquidem liceat, ex sanioribus Patribus tuis aliquem consuli, qui rem totam, & animarum dispositionem propius inspiciens tibi melius indigitabit, quid facere debeas, quid consilii capere, quodque tempus ad hunc finem, videlicet ad successum obtinendum, tuæque Familiæ malum reparandum magis accommodatum eligere. Cum enim nil aliud propositum habeas, quam ut officio tuo satisfacias, si provideatur fore, ut res neutra ex voto, & quicquid egeris, animorum potius pertinaciam, atque adeo malum augeat; satius esse puto te ingemiscere, atque orare, ut a Deo veniam efflagites. Sane nostra fere peculiaria peccata Cœlum irritant, & in causa sunt, ut Deus mala permittat, quæ in Communitatibus grassari conspiciuntur.

Quod te porro in universum monitum volo, non impedit, quominus super difficultatibus, quas mihi singillatim proponis, meam tibi senteotiam aperiam. Te id unum oro, obtestorque, ut id animo reputes, quod ingenue Præfationis in modum tibi a me dictum volui, sperans fore, ut me excusare velis, quod libere dixerim, quod sentirem, cum me amici munere fungi crederem.

Pone igitur ea tanquam vera, quæ mihi significas tum de Bulla Clementis VIII. ejusque ex Provincialis, aliorumque parte violatione, tum de tua ipsius impotentia urgendi negotii servato Juris Ordine, ut malo, quod in tua Familia gliscit, occurras, prout tu quidem præsertim debes, si ea dignitate, atque ætate sis, ut tibi sit auscultandum. Facta ergo rursus hypothesi, te iis rationibus uti non posse, quæ in Religiooibus vulgo servantur, ut nempe querelæ ad earum Prælatos ordioarios deferantur, quod, per parenthesim, ægre admodum credi potest; Conscientiæ Consilium, quod coosultum est, censet;

I. Oportere, ut initio statim ad Generalem tuum scribas; ei tu quidem id officii debes, eidem significans Familiæ tuæ mala, rerumque statum non sine rationibus, quibus tuæ querelæ nituntur.

II. Si Generalis nullum huic malo remedium afferat, resque ita, ut se habent, esse patiatur, eum ad tempus aliquod expectaveris, potes, atque adeo debes ad Communitatis tuæ publicum bonum de re tota Ordinarium monere, & Regiæ Declarationis an. 1696. in Expositione laudatæ articulo uti. Archiepiscopi erit expendere, quid per eam Declarationem sibi liceat, quidque remedii ad querelas, quas ei tu proposueris, afferendum sit; ejus quoque erit impedire, ne tibi malo sit, quod querelas tuas ad ipsum detuleris si forte id innotuerit.

III. In Pœnitentiæ Tribunali Confessarium Patris A . . . . . non amplius audire debes, persuasum habens, ut tu quidem coram Deo judicas, te ei absolutionem impertiri non posse, nec te posse monitionibus tuis obtinere, ut ille sibi non desit quoad Patrem A . . . . . cujus confessiones excipit, quemque ea quidem ratione, qua cum ipso se gerit, in sententia confirmat.

Decisum Parisiis hac die   an. 1700.
G. *Fromageau*.

Religiosus, qui tum ex pensionibus, tum ex Beneficiis gaudet pingui reditu, qui negotiatur, thesaurizat, & fundos acquirit.

C A S U S III.

1 Religioso sine causis gravissimis pingaee reditus ex plutibus Beneficus, sea pensionibus provenientes possidere non licet; id quidem tanquam certum ponitur sa Pontificis dispensatione.

2 Equorum, vinorum, aliarumque rerum mercaturæ tuta conscieatia vacare non potest.

3 Religiosas Beneficiatus Prælato suo administrationis proventaum sai Beneficis rationem reddere non teaetur.

4 Religiosi thesaarizantis, contrahentis, negotiantis Superior impedire debet, ne Missam celebret, & officio fungatur; & Confessarius ei, ai resipuerit, absolutionem negare debet.

5 Religiosus suæ se Commanitati addere debet, ut ejus legitima jura tueatar.

QUÆSITUM.

PArisienses Doctores rogantur humillime, ut super hac facti specie suam scripto decisionem producant.

Religiosus veteranus Ordinis S. Benedicti in Abbatia, in qua residet, gaudet reditu librarum bis mille suæ Monachalis pensionis titulo. Præterea librarum ter mille pensionem percipit ex Beneficiis duobus, quæ duobus suis nepotibus resignavit. Denique

nique Prioratu quoque fruitur, qui annuo sexcentarum librarum censu locarus est.

Horum omnium proventuum possessione saltem triginta numeratæ pecuniæ libras congessit; possidet contractua plures tum suo, tum suorum nomine, & bona alia non mediocria, cujusmodi est prædium, ea quo pinguem quotannia reditum percipit. Vendit, emit, permutatque quotannis non mediocrem generosorum equorum numerum; hiberno tempore armenta equorum locat. Ei fere in cella vinaria exquisita vina sunt ad francorum due millia.

Religiosus hic in Capitulo semper Monasterii bono refragatur, ut faveat Abbati Commendatario, cum quo Communitatis lis est. Ætatis anno est circiter 68. identidem podagra laborans, multisque proinde domesticis opus habens. Quamobrem quæritur;

I. An Religiosus, qui paupertatis votum edidit, possit, Pontificiæ dispensationis prætextu, suos omnea reditus, ac tam ingentem pecuniæ vim tuta conscientia possidere? Debeatne potius in pauperum solatio, iisque Ecclesiis, ac Beneficiis, ea quibus ita ditescit, sustentandi pecuniam suam collocare?

II. Potest ne tuta conscientia equorum, armentorum, vini, &c. commercium peragere?

III. An non ille administrationis suorum proventuum rationem Prælato suo reddere tenetur? Hic vero an non id exigendi jure gaudet? Patine potest, ut ille tot reditibus gaudere pergat? An non id ai injuogere potest, ut ad Conventualem Mensam suos reditus conferat, atque impedire, ne quid acquirat, nisi id quidem ad Monasterii commodum vergat?

IV. Potestne Superior Religioso, qui in ita depravato statu versatur, ut Missam celebret, & divino intersit Officio, permittere?

V. Eumne absolvere potest Confessarius, quin exigat, ut abusus hactenus declaratos de medio tollat, & paupertatis votum, quod edidit, servet?

VI. Potestne Religiosus hic Communitati suæ se semper opponare, dum illa apud Judicem sua jura ac privilegia tuetur adversus Abbatem Commendatarium, qui non desinit eamdem impetere, eique perniciem afferre conatur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quamvis Pontifex gravibus justisque de causis Religioso permittere possit, ut Beneficium possideat, & ex aliis Beneficiis pensiones percipiat, raro tamen fieri, ut eæ causæ tales existant, quia hæc Beneficiorum & pensionum pluralitas Religiosis potissimum communi Jure prohibetur. In dispensationum negotio tam gravibus causis est opus, ut admodum pauci tuta conscientia ejusmodi dispensationibus uti possint. In proposita facti specie nihil est, quod Religiosum, de quo agitur, non condemnet; nimirum ille contra paupertatis editum votum pingues proventus possidet, qui ei tam parum sunt necessarii, quibusque utitur, ut thesaurizet, agatque commercia proprio statu prorsus indigna. Debet ergo in foro conscientiæ Beneficia & pensiones, quibus fruitur, abdicare, & sua monachali pensione contentus esse; cum enim ea bis mille librarum sit, ejus sustentationi, quamlibet infirma sit valetudine, satis superque respondet. His principii loco positis, Consilium respondet

Ad quæstionem primam; Religiosum hunc tam pingui reditu, ex Beneficio, duabusque pensionibus proveniente potiri non posse, quia non satis graves ei causæ præsto fuerunt, ut a Pontifice dispensationem efflagitaret. Verum esto ea dispensatio fuerit justitiæ consona, non potuit ille numeratæ pecuniæ libras triginta mille legitime congerere, & suo, suorumve nomine contractus transigere; hæc nimirum accumulatio non aliunde esse potest, quam aa temporalium bonorum immodica, ac præpostera cupiditate. Jam vero si hæc cupiditas in simplici Beneficiato est vituperanda, ut dubitari non potest, multo ea pejor est in Religioso, cujus animum a terrenis rebus paupertatis votum longius abducit, votum, inquam, in quo dubio procul Pontifex eum eo dispensare non contendit, dum ei Ecclesiasticorum bonorum, quæ possidet, administrationem concessit; hæc enim permissio semper administrationis juxta Ecclesiæ regulas & mentem peragendæ obligationem supponit.

Ad secundam, Religiosum non posse tuta conscientia equorum, vinorum, aliarumve rerum mercatorem esse; id enim ei sub excommunicationis pœna prohibetur in Jure: *sub interminatione anathematis prohibemus, ne Clerici, vel Monachi lucri causa negotientur*. Videndus super hac prohibitione Pelizarius *tom. 3. tr. 6. c. 10.*

Ad tertiam, Religiosum Beneficiatum non teneri Prælato suo administrationis suorum proventuum rationem reddere, cum eos impendit juxta Canones, ut nempe pauperibus opituletur, & Beneficii oneribus satisfaciat. Dum ei Titulus collatus est, collata quoque est ejusmodi administratio; hæc illum consequitur, inquit Peliaarius; adeoque ex Clementina prima *de supp. negl. Præl. §. eadem* Prælatus fere Beneficiato Religioso mandare non possit, ut ad Conventualem Mensam Beneficii sui reditum ex parte conferat. Ad duas pensiones quod attinet, de earum usu Prælatus videre potest, quia quoad hunc articulum Religiosus eidem subditur.

Ad quartam, necesse esse, at Prælatus, qui Religiosi sui avaritiam, animumque terrenis hisce rebus addictum, nec non commercium, quod contra Ecclesiæ sanctiones ac mentem exercet, probe novit, primo quidem de malo, ac de publico scandalo eumdem admoneat; quod si ille resipiscere, ac regulis in hac facti specie necessario præscribendis obtemperare noluerit, tum vero Missæ celebrandæ, divinique Officii peragendi permissionem eidem deneget. Potest etiam Prælatus post iteratas monitiones in eum juxta Monasterii regulas, & consuetudinem inquirere, Beneficio, pensionibusque privare, pecunia, & contractibus spoliare, idque omne partim ad Conventus, partim ad pauperum utilitatem impendere, partim denique locorum e quibus proventus percepit, Ecclesiis applicare. Quia tamen Religiosus hic est prope septuagenarius, & podagra valde laborat, potest proinde Superior Monachalem pensionem, quæ bis mille librarum est, eidem relinquere, ne inter eas ægritudines, quibus premitur, necessaria subsidia desideret.

Ad quintam, hujus Religiosi Confessarium ei absolutionem denegare debere, si ad bonam frugem redire, hoc est negotiationi renuntiare, nec amplius thesaurizare noluerit.

Ad sextam, ac postremam quæstionem, Religiosum, utpote membrum Communitatis, a qua habet alimentum, ac cætera communis vitæ adjumenta, ejus jura ac privilegia, quæ legitima supponuntur, tueri ac propugnare debere adversus eos, qui eadem impetere vellent, atque adeo contra Abbatem Commendatarium, si ea lædere aggrederetur.

Decisum in Sorbona hac die 31. Maji an. *1698.*

G. *Fromageau*.

Charitatis Religiosus, qui ad alium Ordinem transit.

CASUS IV.

1 *Frater Charitatis Professus ab Ordine suo recedere nequit, at in Monasterio Septifundii Religioni nomen det; ejus quippe professio nulla foret.*

2 *Pœnitentiariæ Breve, quod in Romana Curia obtinuit, ut a Septifundio ad Cistercienses migraret, nullum est, & ille quidem ad Charitatis Fratres redire debet.*

QUÆSITUM.

Religiosus Charitatis jam Professus ad Septifundii Abbatiam se recepit, ibique Professionem edidit, quin Ordinis sui Superiorum permissionem obtinuerit; tum ut Septifundii Religiosus Profes-

fessus Romanæ Pœnitentiariæ Breve, quo ad Cistercienses migraret, petiit, obtinuitque. Quid sentiendum de Professione in Septifundii Monasterio edita, quidque de Pœnitentiariæ Brevi, ut ille ad Cistercienses gradum faceret?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Religiosum, de quo in expositione dictum est, & cujus Congregatio in Gallia Fratrum Charitatis dicta a Pio V. an. 1572. approbata est, ad Monasterium Septifundii transire, ibique Professionem edere non potuisse; ratio est, quia Clemens VIII. in Bulla an. 1595. Charitatis Religiosis probibet, ne a Congregatione recedant, eive renuntient, cujuscumque generalis permissionis vi, etiam Sanctæ Sedis, atque ita se se eximant a voto pauperibus inserviendi in hujus Congregationis Hospitalibus.

Nulla quoque est Professio hæc ex Bulla Urbani VIII. *n.* 19. *v.* *Sacrosanctum* &c. an. 1624. ubi Pontifex §. 2. Charitatis Fratribus communia reddit ea privilegia, quibus gaudent Clerici Regulares ægrotis in Hospitalibus deservientes, quorum Sixtus V. approbaverat Congregationem in Bulla an. 1586.

Jam vero Paulus V. in Bulla *an.* 1606. *n.* 20. §. 3. ad Clericorum Regularium infirmis inservientium Congregationem in perpetuum servandam declarat eos ad nullum alium Ordinem, ne ad Cisterciensem quidem migrare posse absque Sanctæ Sedis auctoritate, quamvis Gregorius XIV. in Bulla *Illius* *n.* 17. §. 34. quoad Cisterciensem Ordinem id eis permiserit.

Quamquam porro probationes hæ satis evincunt Professionem Fratris Charitatis in Abbatia Septifundii nullam esse; accedit tamen & alia Bulla Urbani VIII. diei 12. Julii an. 1628. *v.* *Injuncti* §. 3. cujus authenticum exemplum Consilio exhibitum est, quæ pro Charitatis Fratribus clara & expressa est; in ea probibetur, ne migrent illi ad alium Ordinem minus severum, vel æqualem, absque Sedis Apostolicæ permissione; & in austeriorem, absque Superiorum permissione de scripto, sub pœnis *ipso facto* apostasiæ, excommunicationis, infamiæ, & privationis vocis activæ, & passivæ.

Apparet ex Patentibus Litteris Regis Henrici IV. mensis Martii an. 1602. ad commendationem Reginæ Matris, primæ Fundatricis Fratrum Charitatis, hunc Ordinem in Gallia sub Episcoporum Jurisdictione receptum fuisse. Atque ex aliis Patentibus Litteris Ludovici XIII. mensis Augusti an. 1628. priores confirmantibus servantur his Religiosis suæ Regulæ & Constitutiones a Pontificibus approbatæ die 13. Febr. an. 1617. die 16. Martii an. 1619. & 20. Junii an. 1624. statuiturque, ut Mendicantium privilegiis, exemptionibus, & immunitatibus gaudeant, & Bullæ ac Brevia dictis Fratribus Charitatis concessa executioni mandentur, & omnino serventur. Ut porro Patentibus hisce Litteris postrema forma tribueretur, earumque executio probaretur, in Acta relatæ sunt in Senatu die 15. Februarii, in Rationum Camera die 28. Maji an. 1631. & in Auxiliorum Aula die 13. Februarii an. 1632.

Denique hæ Regulæ & Constitutiones a Sancta Sede approbatæ, hæc Brevia, & hæ Bullæ, hæc Privilegia, & hæ Gratiæ in Fratrum Charitatis Ordine in usu extiterunt; ita ut si qui fuerunt ex Fratribus, qui absque requisitis permissionibus Ordinem suum derelinquere, & ad alium transire voluerint, se Prælati opposuerint, & a sæcularibus ipsis Judicibus necessaria subsidia obtinuerint, ut sua sibi privilegia servarent. Et sane ex Parisiensis Senatus Rescripto diei 22. Martii an. 1703. anno circiter postquam Frater, de quo agitur, in Monasterio Septifundii receptus esset, apparet Patrem Provincialem Charitatis, ut Magnum Vicarium Generalis Galliæ sibi repetiisse alium Religiosum, qui ad eamdem Abbatiam migraverat, eique Monasterio mandasse, sub pœna sequestrationis temporalium, ut sibi eum restitueret. Illi vero Rescripto sibi significato paruerunt, & Religiosum Prælatis suis tradiderunt, quamvis Rescriptum illud non nisi per defectum esset. Est etiam animadvertendum, ad Procuratoris Generalis conclusiones tunc quidem statutum fuisse, ut Patentes Litteræ, & præterea Statuta Ordinis Charitatis executioni mandarentur, prohibitumque, ne Religiosi Septifundii, aliique Ordines refragarentur.

Post has omnes auctoritates dubitari non amplius potest, quin Professio Fratris Charitatis in Monasterio Septifundii edita nulla sit, ac proinde ille sit liber ab omnibus obligationibus, quascumque ibidem contraxerat. Ex quo sequitur, Breve, quod ipse a Romana Pœnitentiaria impetravit, ut ad Cistercienses gradum faceret, nullum esse, quia in eo suppositum fuit Religiosum hunc esse Septifundii Professum, quod verum non erat; atque ita semper is Charitatis Religiosus est, debetque ibi consistere, ut pauperibus ægrotantibus, sub Prælatorum suorum obedientia deserviat.

Decisum hac die 3. Novembris an. 1704.
G. *Fromageau.*
Pirot, & *Prevelles.*

Jusjurandum Religiosæ Professioni additum.

CASUS V.

1 *Non subest veri nominis jusjurandum verbis hisce Professionis Benedictinorum:* Coram Deo, & Sanctis ejus, *nisi, qui ea pronuntiat, jurandi intentionem habeat.*

2 *Discrimen inter jusjurandum assertorium, & jusjurandum promissorium. In priore materiæ levitas non efficit, ut perjurium sit veniale peccatum; bene vero in posteriore.*

QUÆSITUM.

PRofessionis formula, qua S. Benedicti Monachi utuntur, ejusmodi est: *Promitto stabilitatem & conversionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam sancti P. Benedicti, coram Deo, & Sanctis ejus.*

Id in quæstionem vocatur, ea ne verba, *coram Deo, & Sanctis ejus*, contineant nec ne proprie dictum jusjurandum, quemadmodum videtur asserere D. Thomas 2. 2. *q.* 89. *art.* 1. *ad.* 3. *Duplex*, inquit, *est modus jurandi: unus quidem per simplicem Dei contestationem; sicut cum aliquis dicit, est mihi Deus testis, vel coram Deo loquor, vel per Deum, quod idem est, ut dicit Augustinus*; seu cum jusjurandum voto additur, quod quandoque contingit, ut ait idem S. Doctor: *Votum interdum confirmatur juramento, ut per duas res immobiles major firmitas habeatur, ibid. art.* 8. *ad* 2. Si verba ea verum juramentum voto additum complectuntur, consequens erit Religiosos Ordinis S. Benedicti mortaliter peccaturos, si vota sua vel in re levi transgrediantur, quandoquidem Sancta Sedes censura notavit ejusmodi Propositionem: *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, I. constans firmumque non esse in ejusmodi verbis, *Coram Deo* &c. veri nominis juramentum adesse, nisi voventis ea sit intentio, ut eorum, quæ promittit, Deum testem appellet; possunt enim ea pronuntiari vel in modum enuntiationis, ut si quis Deo promittens diceret, Deum omnia cognoscere, ac probe scire promissionem sinceram esse; vel per invocationem, ut nempe Deus ejus voti, quod eidem fit, testis statuatur; & in hac quidem posteriore facti specie jusjurandum adest, in priore autem non adest. Ut igitur innotescat, an Benedictinorum vota jusjurandum proprie dictum adjunctum habeant, videndum est, quæ sit voventis intentio, quæque Ordinis consuetudo; si enim Novitius ante Professionem moneatur votis, quæ pronuntiaturus est, juramentum conjunctum esse, non am-

amplius dubitari poterit, quin verba, de quibus agitur, veri nominis jusjarandum contineant.

Sylvius in laudatum D. Thomæ locum ita rem explicat: *Respondeo quasdam esse formas juramenti, quæ non semper continent juramentum. Nam hæ: coram Deo loquor, Deus me audit, Deus scit me verum dicere, juramentum non continent, si tantum dicantur enuntiative, ita ut is, qui talibus verbis utitur, non intendat Deum vocare in testem, sed tantum commemorare, seu enuntiare, quod Deus, qui omnium est cognitor, etiam quod dicitur, cognoscat. Si autem pronuntiatur invocative, invocando scilicet testimonium divinæ veritatis, juramentum continent. Tam ergo prolatæ tales sententiæ, quando vel intentio proferentis, vel usus loquendi habet, ut accipiantur tanquam juramenta, vera juramenta sunt; alias non sunt.*

II. Sed ut in iis verbis juramentum existere poneretur; illud quidem promissorium esset, assertorium non est, ut Theologi dicunt; ac proinde Religiosus, si dum promittit, præstandæ fidei intentionem habet, potest in executione peccare tantum venialiter *ratione parvitatis materiæ*, atque a voto levibus in rebus deficiens, infidelitatis potius, quam perjurii peccatum committit. Consuli super hac re potest Layman, dum de assertorii, ac promissorii juramenti discrimine verba facit; ita quoque statuit Sylvius: *Unde omne perjurium defectu veritatis præsentis, est peccatum mortale; non autem omne illud, cui contigit deesse veritatem in futuro, sicut nec omnis voti fractio.* Sane convenit, in juramento assertorio materiæ levitatem a mortali culpa non excusare; quo quidem sensu propositionis supra allatæ condemnatio, quam Sancta Sedes pronuntiavit, explicanda est; verum asserunt vulgo Theologi in promissorio jurejurando materiæ levitatem existere posse; & hoc in sensu ejus culpa, qui illud levibus in rebus violat, tantummodo venialis est.

Decisum hac die 27. Februarii an. 1699.
G. *Fromageau*.

Religiosus, qui appellat tanquam ab abusu.

CASUS VI.

Religiosus, quod ab obedientia sibi a suo Superiore significata ut ab abusu appellaverit, non propterea excommunicationi obnoxius est.

QUÆSITUM.

TU mihi, quæso, ignosce, Domine; quod audeam rogare sententiam tuam, aliorum quoque e sociis tuis nomine subscriptam, super negotio, quod ut suscipiam, charitas una efficit, ut nempe, si fieri possit, Religiosum e misero statu, in quo ab annis quinque & amplius jacet, educam.

Degebat ille in Conventu, quem suis ægritudinibus accommodatum putabat; ejus Provincialis utens jure suo ei obedientiam exhibuit, ut in aliam Familiam se conferret; renuenti ea juridice significata fuit; ab ea ipse tanquam ab abusu appellavit ad Senatum; negotium ad contentionem deductam est; ille litem perdidit, & tunc quidem obediit, & ad Conventum sibi præscriptum concessit. Tum vero Superiores eum monuerunt, ipsum appellationis causa excommunicatum esse; ille contra stetit, maluitque Sacerdotalis officii & Sacramentorum privationi subesse, quam absolutionem, vel *ad cautelam*, petere, quod se appellationis suæ vi Ecclesiæ rebellem non fuisse contenderet, non ignorans, ut ajebat, ejusmodi appellationes in Gallia in usu esse, permittique. Ordinis tamen Constitutiones a Pontificibus approbatæ, & a Provinciæ Religiosis acceptatæ appellationes has sub excommunicationis Pontifici reservatæ pœna interdicunt; ita quidem in Clementis VIII. Bulla, qua Pontifex Prælatis mandat, ut hunc articulum exacte servandum curent, nisi Appellans intra triduum ab appellatione desistat. Porro Religiosus hic Theologiæ Professor, ac doctus vir est, tantumque abest, ut se excommunicatione irretitum putet, ut potius Prælatos famæ reparationem sibi debere persuasum habeat; semper ille religiose vixit, multisque majoribus Provinciæ muneribus defunctus est.

Ex te quidem, Domine, super hoc negotio positiva ac præcisa ratio quæritur, ut illud in Conventu sub hujus mensis finem habendo finiri possit.

RESPONSIO.

Jam equidem super hoc negotio consultus fui, respondique, Religiosum hunc mihi quidem excommunicatum non videri, quod tanquam ab abusu appellasset; simulque rem contuli cum nonnullis e sociis nostris, qui pariter in sententiam venerunt; I. quia excommunicatio non infligitur *ipso facto*; II. quia esto ita res haberet, cum appellationes tanquam abusus deinde institutæ fuerint, non apparet, qui legitime excommunicari possit is, qui inde sa sibi posse putat præsidium quærere.

Itaque spectatur appellatio tanquam Juris forma, qua nonnunquam uti licet.

Nonnunquam, inquam, non tamen semper; universim quippe satius est suis quemque Prælatis obsequi; ac mihi quidem persuasum est eum fere peccare, qui non obsequitur. Quamobrem censeo Religiosum, de quo quæritur, per inobedientiam graviter peccavisse; sed ægre admodum adduci possum, ut credam eum excommunicationi obnoxium esse, quod tanquam ab abusu appellaverit.

Decisum hac die 18. Aprilis an. 1702.
G. *Fromageau*.

Religiosus, qui Professionem suam nullam putat.

CASUS VII.

1 *Professio Religiosi, qui proprii status obligationes quam late pateant, nesciret, non propterea tanquam nulla spectanda est.*
2 *Simonia eam nullam non reddidit.*
3 *Dictus Religiosus, quamvis extra suum Monasterium ad Divinum Officium obligatur.*

QUÆSITUM.

SEmpronius, satis honesto genere, in lucem prodiit brachio minor; contenditque se a matre, quæ eum ferre non posset, nutrici traditum, deinde apud minutos homines pensionarii titulo positum, ac ratione, quæ gradum suum non deceret, educatum fuisse. Supremum diem obiit Pater, cum Sempronius adhuc junior esset, cumque familiæ suæ excidium creasset.

Octavo ætatis anno alendus datus est in Alumnorum Academia, mutato nomine, ne in Familia dignosceretur, nec omnino data est opera, ut in studiis proficeret.

Quindecim annos natus a Matre accitus ex ea intellexit sibi nihil in bonis esse, atque oportere, ut, capto consilio, sibi prospiceret.

Sempronius ætatis, atque educationis defectu, quid sibi vellet, consilium capere, mente non assecutus aufugit, se in lacrymas dedit, atque hoc mœrore captus perdiu jacuit.

Nunquam tamen ei Mater dixit se ab eo unum, quam aliud consilium suscipi malle.

Aliquanto post una cum familiæ amico in villam missus, ab eoque, ut se determinaret, & consilium caperet, magnopere sollicitatus responsi loco lacrymis usus est, identidem sciscitatus, quid hoc rei esset, nempe consilium capere.

Ductus est apud Religiosos, quorum magna licentia, & vix ulla est disciplina; tum amicus ex eo quæsivit, in illudne Monasterium ingredi vellet. Ei nihil unquam Mater ea de re; minarum nihil, sed multum potius dexteritatis, humanarumque rationum, quæ ex pravo statu rerum familiæ, & ex commoda eorum Religiosorum vita petitæ sunt; tum vero Sempronius inconsulto ac temere in illud Monasterium ingressus est.

Pro-

Probationis annum exlex, & absque ulla pietatis praxi transegit, trocho semper ac pluma ludens; tum actum est de Professione; Mater Monasterii bono stipulata est librarum decem millia; & quia Sempronius mancus est, multæ stipulationi locus fuit; si contractus ad examen revocetur, erit, quod simoniacus appareat; id quod consulens non animadvertit.

Denique Sempronius vota edidit, voluntatis expers, ut ait, nescius quid esset, quod ageret, quibus se obligationibus irretiret, quamque sanctam vitæ rationem susciperet; sed perterrefactus, & sollicitatus a suis, nec melius, quam quod caperet, consilium cognoscens. Fatetur tamen ea de re Matrem sibi ne verbum quidem; se porro ei gratificari, ejusque voluntatem facere credidisse.

Ait Mater se in id operam omnino non contulisse, adeoque Sempronium pridie ante Professionem ad multam diem cum Patruo collocutum esse, qui quidem ei, quas obligationes contraheret, ad vivum significaverit, cumque eum in proposito persistere animadverteret, ei suam benedictionem tribuerit. Atque ita quidem se res habuit.

Edita Professione, Sempronius, cum haud suo statu contentus esset, animo vehementer hæsit; quinquennium transegit, quin reclamaret, ac sæpe consuluit; ait sibi Doctores alios aliter respondisse; demum ex animo cupiens suam conscientiam in tuto ponere;

I. Quærit, an se tanquam Religiosum spectare debeat, cum eum statum susceperit voluntatis & cognitionis expers, & quadam adactus majore vi, denique rationibus Christianam pietatem minime præseferentibus seductus tractusque? Nec opinari, nec sibi persuadere potest, obligationis, quam tanta cum levitate contraxit, se rationem Deo redditurum.

II. Facta hypothesi contractum, de quo dictum est, Simoniacum fuisse, an non ejus vota nulla essent, & ipse libertate gauderet?

III. Dum non amplius in Monasterio degit ex sui Directoris consilio, propter pericula, quibus ejus salus obnoxia est, ac dum nihil ex eo percipit, teneturne tanquam Canonicus Regularis Breviarium recitare?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, qui propositam facti speciem vidit, & expendit, existimat, ut triplici in ea contentæ quæstioni respondeat,

I. Professionem Sempronii inter Canonicos Regulares validam esse; prius enim quam eam emitteret, obligationes, quas subiturus erat, satis perspectas habuit; iis siquidem sibi a Patruo exhibitis, mansit in Religionis suscipiendæ proposito. Fatetur ipse minas non extitisse; porro non ita gravis seductio fuit, ut statui possit eum libertate, quæ ad Professionem requiritur, caruisse. Tantula, qua prædictus erat, humanarum rerum, proprii status, familiarum negotiorum cognitio satis justa causa esse potuit, quamobrem statueret Religionem amplecti, hoc est eam vitæ rationem, qua in præsentibus circumstantiis nulla sibi utilior, aptiorque esset, institueret. Hæc agendi ratio videtur hominis in hac rerum conditione sapientis, & consulto, non temere agentis; atque adeo asseri nequit, Sempronium, dum Professionem edidit, consilii ac mentis non satis compotem extitisse.

Quod si obligationes regularem statum comitantes, quam late pateant, animo non est assecutus; non inde tamen sequitur ejus Professionem nullam esse; si enim id sufficeret, de eorum, qui ætatis anno sextodecimo regularem vitam ineunt, Professione dubitandum foret; hac enim ætate pauci sunt, qui obligationes, quas contrahunt, perfecte cumulateque cognoscant. Atqui præsumendum est, eum, antequam voveret, satis ex Patruo, quid ageret, intellexisse. Ille quidem, prout in præsentis cogitat de statu suo, de quo dolet ac queritur, facile sibi persuadet obligationis contrahendæ voluntatem sibi Professionis tempore non fuisse; eo prætextu se liberum credit; sed ex facti, prout in expositione declaratum est, omnibus circumstantiis apparet, ei satis voluntatis, ut vota ederet, adfuisse. Quamobrem est, cur ejus Professio valida censeatur.

II. Esto ea Professio esset simoniaca, non tamen propterea nulla foret. In Beneficiario negotio Simonia quemvis actum nullum reddit; præsentatio, provisio, electio, resignatio simoniaca nulla est; hæc omnia Jus abrogat, irritatque; at in Jure nihil est, quod Religiosam Professionem, quæ Simoniaca est, aboleat, & irritam reddat; immo vero in Jure ipso eam validam esse pro certo ponitur, quoniam in Capite *de Regularibus de simon.* & in Cap. *Quoniam ord.* statuitur, ut Religiosa, quæ per simoniam in Monasterium irrepsit, in aliud compellatur, quoad vixerit, pœnitentiam actura, vel si in suo perstiterit, gradu cadat, & ad sedem infimam rejiciatur; ex quo concludunt Canonistæ Simonia Professionem nullam non effici. Hanc sententiam præfert D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a* 5. *ad* 5. *v.* Ita pariter Panormitanus *cap. Quoniam, simonia non impedit Monachatum, licet impediat locum habere in illo Monasterio.* Barbosa *in cap. Quoniam* n. 6. Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 1. *q.* 25. *n.* 63.

III. Sempronius utpote Chori Religiosus tenetur ad Breviarium *ex consuetudine præscripta*; ad id etiam tenetur ut Canonicus Regularis, quia censetur Beneficiatus. Quamvis ergo ex sua Monachali sede nihil percipiat, satis est eum, prout Canonicus est, eo jure gaudere, & in ipsius potestate positum esse ut eodem fruatur, si nempe ad Monasterium redierit, ut proinde ad Breviarium teneatur. Nempe Sempronius ex Monasterio in præsentia nihil percipit, quia, Directore ita suadente, ex eodem egressus est, ne propriam salutem in discrimen adduceret; hæc autem egrediendi ratio Canonica non est, adeoque ille quamprimum reverti, sibique deinde consulere debet, conscientiæ suæ Moderatoribus in consilium adhibitis, ut vel ad aliam Familiam, vel ad alium Ordinem migret; interim vero Officium suum quotidie recitare debet, ad id obligatus & ut Chori Religiosus, & ut Canonicus Regularis.

Decisum hac die 29. Decembris an. 1694.
G. *Fromageau*.

Religiosus, qui strictiori, quam par est, Ordini nomen dat.

CASUS VIII.

1 *Qui certus est Regulam, de qua suscipienda cogitat, ita supra vires suas positam esse, ut quamprimum sibi mors inde futura sit, ei se dedere nequit, quin propriæ mortis reus sit.*

2 *Responsio ad objectionem ex Carthusianorum praxi ductam super abstinentia carnis, quæ nec in morte permittitur.*

QUÆSITUM.

HOmo, gracili corpore, Trappensem Ordinem amplecti vehementer optat, eo animo, ut laboriosa pœnitentia adolescentiam licentius transactam expiet. Dum monetur ejusmodi vitam asperiorem esse, quam ut ei par sit ejus corporis habitudo, ac certo fore, ut eidem succumbat; respondet objectionem hanc rationi consonam fore, si ad Trappam se conferret, ut ibi viveret, se porro eo pergere, ut moriatur, Deoque sui ipsius Sacrificium offerat, quippe qui nihil aliud post tot ac tam gravia peccata eidem offerre possit. Magnus is quidem zelus est; at eumne scientia moderatur? Licetne vitæ statum ultra proprias vires positum suscipere? Licetne inter pœnitentiæ labores mortem quæri? An non qui ita se gerit, homicidii proinde reus est? An non ille propriæ suæ morti directe cooperatur, præsertim cum sit vero similius fore, ut laboribus iis succumbat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, homi-

m inem, de quo agitur, non facile iis credere debere, qui ut a Trappa eum absterreant, ajunt vitam, quæ ibidem ducitur, ejus valetudini asperiorem esse, ac certo fore, ut ille eidem succumbat. Ingenita mollities, levisque timiditas nonnunquam in causa sunt, ut amici, idemque vel scientia præstantes, Deumque timentes nos ita perterrefaciant. Ut igitur ille, sui quid ferre recusent, quid valeant humeri, magis magisque cognoscat, prudentes pinsque viros, atque adeo doctos, divinæque Legis peritos Medicos, qui quidem blandiri non studeant, in consilium adhibere debet, seque ipse probare potest, ac Novitiatum quoque aggredi, ut virium suarum periculum faciat. Vide Auctores ad marginem appellatos. (a).

Post ejusmodi circumspectiones si quæ sibi proposita sunt, cum vero congruere, seque re ipsa in omnibus allatis circumstantiis versari intellexerit, nec ipse ad Trappenses Religiosos accedere, nec ab iis admitti potest; certum enim argumentum, quempiam ad statum aliquem non vocari, illud est, cum nempe nec ejus obligationes impleri, nec exercitia servari possunt. Quamobrem cum is, de quo agitur, adeo infirmo corporis habitu sit, ut probabilius, hoc est moraliter certum sit fore, ut quamprimum succumbat, se ille huic Monasterio dedere omnino non debet.

Respondet se eo pergere, ut mortem occumbat; atqui id ei minime licet. Non sunt ultro suscipiendi labores e quibus mors certo futura sit; quia qui ita agit, directe suæ ipsius morti dat operam, ejusque se reum facit, v. *cap. non mediocriter dist. 5. de consecr. Tolet. l. 5. c. 6. n.* 14. Sane non semper oportet propriam vitam protrahi quecumque modo; sed nec ejus imminuendæ intentionem haberi, vel ea fieri licet, quæ ad id directe referantur, nisi eo moveat peculiaris instinctus Divini Numinis, quod haud leviter credendum est.

Pœnitentiæ porro de juvenilis ætatis licentia agendæ consilium, quod homo hic sibi proponit, ad hanc agendi rationem tuendam non sufficit; si enim sufficeret, nunquam vituperari possent extrema, ad quæ præpollero zelo se quidem abripi sinunt, sibi semper bonum finem in susceptis asperitatibus exhibentes; hæc nimirum vel bona vel mala sunt, non ob propositum modo finem, sed etiam ob circumstantias, quæ ea comitantur. *Exercitatio corporalis*, inquit D. Paulus, *ad modicum utilis est*, id quod D. Thomas, aliique Interpretes de corporis maceratione intelligunt. Ea quidem tum solum prodest, cum inordinatis animi motibus reprimendis inservit; itaque subdit D. Paulus, *pietas autem ad omnia utilis est*; ut nempe austeritates hæ catenus tantum permissæ sint, quatenus vera pietas eas moderatur. Cum ergo Religionis exercitia reddunt hominem ratione infirmæ valetudinis ineptum pietatis officiis quæ in Religione servantur, rationi repugnat eadem suscipi. Quisquis id agit, Deum lædit, quia contra rationem agit: *Rationalis homo*, inquit S. Thomas 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *ad* 2. *dignitatem amittit, qui jejunium charitati, vel vigilias sensus integritati præfert.*

Tantum abest, ut Paulus Apostolus crederet austeram vitam suscipi posse accelerandæ mortis animo, vel cum futurum prævidetur, ut inter ejus exercitia succumbatur; ut potius ad Discipulum suum Timotheum 1. c. 5. ita scripserit: *Noli aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.*

D. quoque Augustinus austeritates, quæ valetudini graviter officiunt, a consilio alienas putabat; quamobrem ajebat in sua Regula *tom.* 1. *n.* 4. *Carnem vestram domate jejuniis, & abstinentia escæ & potus, quantum valetudo permittit.* Ratio autem in promptu est, quia nempe vitæ nostræ domini nos ipsi non sumus; & charitati, quæ sibimetipsi debetur, repugnat ejusdem vitæ contractionem expresse velle, quamvis id propositum sit, ut ejus Sacrificium Deo offeratur.

Abstinentiæ, vigiliæ, labor, atque alia molesta exercitia, quæ magis in Trappensi, quam in aliis Religiosis Familiis in more posita sunt, in laudabilium ac permissarum rerum sunt numero; & quamvis inserviant imminuendæ sensim vitæ, quam Religiosus vivere posset, præscripta sunt tamen in Regula, quam Ecclesia probavit, & ab iis sunt instituta, qui divino spiritu se afflatos exhibuere; ea Supremi Pontifices rata esse voluerunt; sanctitate ac doctrina præstantes viri, qui hac in Familia floruerunt, eadem exemplo suo confirmarunt. Hinc satis evincitur ea rationi contraria non esse, nec ex immoderato zelo provenire, & sane apprime utilia sunt ad comparandas virtutes, ad cohibendas cupiditates, ad proximum ædificandum, & quodammodo sunt necessaria, ut perfectæ pœnitentiæ ratio & exemplum in Ecclesia custodiatur; verum enim vero genus hoc vitæ non congruit universis ac singulis, nec desunt inter homines, qui illud aggredi sine culpa non possent.

Divinus cultus, inquit D. Paulus *Rom.* 12. rationem adjunctam habere debet: *Rationabile sit obsequium vestrum*; hoc est, ut explicat D. Thomas, in corporis macerationibus, & pœnitentiæ exercitiis prudenter videndum, ne quid nimis; in quo quidem deficit, qui asperitatibus ultra vires se dedit, ac proinde jejuniis & abstinentiis universo fideli populo ab Ecclesia præscriptis impar evadit; hæc S. Basilii sententia est *lib. de ver. Virg. paulo post initium.* Jejunari potest, inquit D. Thomas, 2. 2. *q.* 147. *art.* 1. *ad* 2. ut aliqua corporis infirmitas evitetur, vel ut opus aliquod alacrius suscipiatur; non potest, quod potius est, ut aliqua spiritualia mala vitentur, vel ut alicui bono promptius aptiusque vacetur: *Ratio judicat, quod propter aliquam specialem causam aliquis homo minus sumat de cibo, quam sibi competeret secundum statum communem: sicut propter infirmitatem vitandam, aut ad aliqua opera corporalia expeditius agenda; & multo magis ratio recta hoc ordinat ad Spiritualia mala vitanda, & bona prosequenda.* Tum subdit S. Doctor: *non tamen recta ratio tantum de cibo subtrahit, ut natura conservari non possit; quia, ut Hieronymus dicit, non differt, utrum magno, vel parvo tempore te interimas.*

Posset hoc loco objici consuetudo Carthusianorum, qui ne in mortis quidem articulo jus ex carne sumere, vel carnem edere possunt, etiamsi Medici crederent id ad Religiosi vitam producendam necessarium fore.

Respondetur I. Carnis usum non ita huic Religioso jam jam morienti necessarium esse, ut ne alio cibo suppleri possit,

II. Religiosum non teneri omnibus omnino remediis uti ad propriam vitam tuendam; potest ille consueto alimento contentus esse, nec tenetur delicatius obsonium quærere, quamvis sciret illud in causa fore, ut vita protraheretur. Non censetur autem Religiosus hic sibi directe mortem consciscere, sed tantum non eam, quibuscumque posset, rationibus impedire. Ejus porro, qui ad Trappam contendit in iis circumstantiis, de quibus supra, non eadem est ratio, quia directe morti suæ cooperatur, dum vitæ genus aggreditur; supra ipsius vires aperte positum, & in quo futurum supponitur, ut certo succumbat.

III. Denique esto Carthusianus ægrotans carne omnino opus haberet, ut mortem vitaret, posset ille tamen in hac ipsa facti specie ab ejus usu abstinere, ac fortasse teneretur ad commune Religionis bonum, & ad eam disciplinam in Ordine sartam tectamque servandam, quæ ibidem jamdiu custoditur, cujusque dispensatio pedetentim ad majorem in aliis capitibus relaxationem ducere posset, id quod quam brevissime Ordini perniciem afferret. Id secum animo reputans Carthusianus jam moriturus potest carnem respuere, quamvis pro certo habeat ad vitam producendam ea sibi opus esse; nempe generale bonum Ordinis suæ ipsius vitæ, quæ non nisi peculiare ac privatum bonum est, anteponit.

Id autem non occurrit in Adolescente, qui ad Trappam se conferre in animo habet; neque enim apparet, ullum generale bonum eidem propositum esse

(a) Sairus de Reg. l. 7. c. 9. n. 19. 28. &c. Reginal. l. 21. n. 48. Sanchez l. 5. Consil. dub. 33. 34. Diana tom. 3. tr. 3. resol. 136. tr. 4. res. 33.

esse, vel ejus mortem sancti hujus Monasterii Regulæ ac disciplinæ præsidio ac fulcimento esse posse.

Hinc illud consequitur, eum non posse huic se statui devovere, quin se propriæ mortis reum faciat, ac Deum offendat, facta hypothesi eum ita infirmum esse, ut in expositione dicitur.

Decisum in Sorbona hac die 18. Octobris an. 1694.
G. *Fromageau*. G. *Bourret*.
M. *Charton*. Tr. *Viat*.

Religiosus Professus, in Ordine grassante schismate.

CASUS IX.

1 *Professiones emissæ in sancti Francisci Ordine schismatis tempore, quo Gallorum Provinciales Generalis deposuerat, non minus validæ sunt, quia Superiores, qui eas acceptaverant, habebantur legitimi, & titulo colorato gaudebant.*
2 *Ad objecta Responsum.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut hanc facti speciem diligenter expendant, in qua de validitate Professionis complurium S. Francisci Religiosorum sermo est.

Professionem quidem valere convenit, cum omnes ad bonam Professionem requisitæ conditiones adsunt; at si ex ejusmodi conditionibus una desit, si causa exempli Superior, qui eam acceptat, haud vere Superior sit, valetne Professio?

Ergo Doctores rogantur humillime, ut hunc auctoritatis defectum, cujus gratia Religiosus contra sua vota reclamat, ad trutinam revocent. Ut autem melius judicent, monendi censentur, omnes Fratres Minores, Recollectos, Tertiique Ordinis eidem Generali subesse. Generalis Provincialibus subditos recipiendi facultatem concedit, sibi tamen reservato jure permissionem eam revocandi', cum peculiaribus de causis ita expedire judicaverit.

An. 1688. Provinciales Minorum, Recollectorum, Tertiique Ordinis ob causas singulis Religiosis ignotas cum Generali rixati sunt. Auctoritate sua usus Generalis eos auctoritate spoliavit, irritum nullumque, quicquid agerent, declaravit, & excommunicatione perculit, eo jure nixus, quod Nicolai III. Bulla eidem tribuit, ut videre est apud Marchand in libro, cui titulus: *Expositio litteralis in Regulam Sancti Francisci pag.* 55. Divisio hæc in Ordine schisma produxit ob Provincialium pertinaciam, qui quidem vel abnuente Generali Novitios & Professiones recipere non destiterunt. Post annos aliquot se subdiderunt, veniamque petierunt a Generali, qui eos tanquam oves errantes amplexus est, & per Pontificis Breve, quod in Galliam misit, quicquid egerant, redintegravit, *exceptis tamen Professionibus, de quibus Superiores tenentur admovere subditos*. Id quidem in autographo Brevi esse certo asseritur, sed ex eo detractum, perinde atque alios articulos perduellibus parum utiles.

Ut id credatur, id facit, quod Tertii Ordinis Fratres agentes bona fide, proposuerunt, lecto Diplomate, Professis eorum temporum, ut abirent, vel consisterent; abiere nonnulli, cæteri constitere. Hæc Fratrum Tertii Ordinis agendi ratio apertissimo argumento est, quicquid hoc loco proponitur, firmo fundamento niti.

Recollectorum Provincialis ad Provinciæ suæ Conventus Diplomatis exempla mittens, articulum hunc (*exceptis tamen Professionibus*,) quemadmodum plures quoque alios parum utiles detrahere, vel mutare potuit; quo in casu magis dubia, seu potius nulla Professio esset, quoniam *non est major defectus, quam defectus potestatis*. Ea porro verba detracta fuisse id etiam evincit, quod Recollectorum Provincialis Decreto ad Familias suas misso mandavit, ut quicumque schismatis tempore professi fuissent, coram sacrosancto Sacramento, in Superioris localis, vel alterius ab eo nominati manu Professionem renovarent; ac si quis ita facere detrectaret, pœnas Decreto suo inflictas subiret; nihil sane firmius afferri potest. Omnino tamen Sorbonicis Doctoribus negotium hoc definientibus auscultabitur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in Brevi, quod quidem exhibitum fuit, sanctiones, & excommunicationem, de quibus in Libello supplici, non occurrere. Cum id ita se habeat, Professiones grassante schismate a Prælatis receptæ validæ sunt, utpote in eorum manu editæ, qui legitimi Superiores erant, & ejusmodi censebantur; quod ad Professionum validitatem satis est. Superiores, qui eas acceptarunt, titulo colorato gaudebant, & Ecclesia potestatis vel jurisdictionis defectum, quicumque in iis re ipsa extitisset, supplevisse censetur. Ex quo sequitur, Professos eo tempore, quo Recollecti a Generali defecerant, non posse de Professionum suarum validitate dubitare, vel contendere sibi nunc temporis egrediendi jus esse.

Objici possunt tria; primum, Generalem omnia, grassante schismate, Acta, exceptis Professionibus, rata declarasse. Alterum, Recollectorum Provincialem non obscure significasse ejus temporis Professiones nullas esse, quandoquidem sanxit, ut ante sanctum Sacramentum in localis Prælati manu iterum ederentur. Tertium, Ordinis Tertii Fratres Religiosis, quorum Professiones schismatis tempore receptæ fuerant, liberum esse voluisse, ut vel remanerent, vel recederent.

Respondetur ad primum, Consilium, cum expenderit, an quod in Libello supplici proponitur, ita se habeat, & genuina exempla duo sibi a Recollectis oblata legerit, persuasum esse, Acta ad unum omnia, nullo excepto, probata fuisse, verum esto hujus Professionum exceptionis in Brevi mentio fieret, quod tamen ita non habet, non inde tamen sequeretur Generalem credidisse Professiones eas nullas esse. Id unum fortasse ille sibi voluit, ut Gallicorum Recollectorum Prælatos puniret, suamque iis auctoritatem significaret, mandans, ut Religiosi, qui eo tempore professi fuerant, vota renovare juberentur. Vel dici potest ita ab eo *ad majorem cautelam* mandatum esse, ut eos nempe tutiores redderet, & scrupulis, quibus Religiosi super hoc articulo obnoxii esse possent, remedium afferret.

Responsum hoc objectioni secundæ inservire potest.

Ab objectionem tertiam respondetur, facta hypothesi Tertii Ordinis Fratres ita, ut dicitur, sese gessisse, quod tamen vix credi potest, dubio procul essentialem aliquem defectum in eorum Professionibus extitisse, quibus, ut abirent, vel manerent, integrum reliquerunt; secus enim egissent contra regulam Civili & Canonico Jure statutam, contraque communem Theologorum sententiam, asserentium, id quod errore communi, & colorato titulo factum est, modo cæteroquin cum divino ac naturali Jure non pugnet, valere, obligare, locumque habere debere.

Decisum hac die 3. Julii an. 1697.
G. *Fromageau*.

Concordium inter Religiosos quatuor ad Officia sibi mutuo perpetuanda.

CASUS X.

1 *Ejusmodi Concordium Simoniacum est, & regulis omnibus adversatur.*
2 *Religiosi quatuor, qui Concordium hoc inierunt, excommunicati sunt, ac proinde quibusvis Officiis inhabiles.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Quæritur, an quatnor ejusdem Provinciæ Religiosi, qui de proprii Ordinis muneribus sibi perpetuandis inter se convenerunt, & secretum Concordium in eum finem inierunt, censuras subierint, iisdemque Ordinis sui muneribus inhabiles evaserint?

Transactum est Concordium inter Religiosos duos, eo qui sequitur, modo aliorum nomine stipulantes.

CONCORDIUM.

Nos subscripti, de Reverendorum Patrum consensu, & ut apparet, de potestate, quam nobis tribuerunt, eorum nomine agendi, promittentes se ratum habituros, quicquid Reverendus Pater A. & ego concluderemus pro pace & bono Provinciæ; Deum ob oculos habentes, ita ut sequitur, pronuntiavimus:

Primo. Optimum factu judicavimus, ut Concordium clam esset, ad Crucifixum jurare nos ullum ex articulis omnino nemini patefacturos, Deo solemniter promittentes, nos nec directe, nec indirecte, quocumque demum prætextu, nisi inter nos quatuor hac de re verba facturos.

Secundo. Postquam Religiosos, e quibus constat Provincia hæc, examinavimus, Reverendos Patres N. N. qui sunt iidem quatuor, digniores, qui in capite superiores essent, judicavimus.

Tertio. Consensimus fore, ut nostrum duorum alteruter in proximo Capitulo Provincialis nominetur.

Quarto. Fore, ut Provincialis in proximo Capitulo electus alteri aliorum duorum, quorum nomine nos hanc conventionem inimus, dignitatem suam remittere teneatur.

Quinto. Quod attinet ad suffragia pro generali proximo Capitulo, ernnt duo ex quaque parte quatuor in secundo articulo nominatorum, & quintum de quatuor supra nominatorum consensu; omnesque ibunt in sententiam Reverendi Patris A. in hoc generali proximo Capitulo; ad alia officia quod spectat, de eorumdem quatuor consensu ex æquo & bono distribuentur.

Sexto. Declaramus in hoc articulo sexto futurum, nt Definitores Provinciales eligantur partim ex loco . . . . . partim ex alio loco . . . . . . semperque de Reverendorum Patrum supra nominatorum consensu; denique concludimus hoc præsens Concordium, promittentes, nos deinceps unanimes, & præteritorum immemores fore. Factum &c. Subscriptus, Agens pro me, F. agens pro me, & pro R. P. A. Et pro R. P. &c.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Concordium inter quatuor memoratos Religiosos initum recto ordini, & Religionis menti adversari, Simoniacum esse, & ejusmodi, ut Religiosos muneribus iis, ad quæ deinceps eligerentur, possidendis ineptos reddat.

Nulla fere est Religiosa Familia, in qua per Regulam & Constitutiones peculiariter non sit vetitum, ne ambitu & conspiratione officia tum sibi tum alteri conquirantur. Et sane nihil est Ordini, vel singulis Monasteriis æque perniciosum, inquit S. Bernardus Serm. 6. in Psalmum *Qui habitat: Est enim venenum secretum, pestis occulta, doli artifex, tinea sanctitatis, indeque oriuntur invidiæ, dissensiones, rixæ.*

Est etiam Concordium hoc regulis, rectoque ordini oppositum, cum ratio postulet, ut officia dignioribus conferantur; jam vero hujus Concordii vi conrenduut hi Religiosi quatuor se in Ordinis muneribus perpetuare, atque alios excludere; quodcunque demum eorum meritum fuerit, se iis anteferunt præsumptione, qua nimirum indigni fiunt. Sane convanit esse nonnunquam apprime utile, cum electio aliqua instituenda est, præsertim si de gravi munere agatur, ut nempe plures mutuo conferant, atque ita eligendorum dignitatem ad trutinam revocent, & alii vicissim aliis facem velut quamdam præferant; dicitur fere collatio hæc *Tractatus consultorius*. Verum ambitiosi tractatus ii, qui cum pactionibus & conditionibus ineuntur, damnandi sunt; eosque pariter damnant Auctores, ut Pelizarius *tom. 2. tr. 9. c. 2. sect. 1. n. 18. & 61. & quæst. 12. n. 20.*

Secundo. Concordium hoc est Simoniacum per regulas Juris, quæ ad spiritales res quod pertinet, conventiones omnes proscribunt; & per Caput etiam *Quæsitum de rer. perm.* Cap. *De tua autem de Sim.* & per alios Juris textus, quos Petinius in medium affert. Addi potest extravagans Joannis XXII. *Cum detestabile de Sim.* quæ sub pœnis in Jure expressis prohibet dignitatum & officiorum electiones, provisiones, postulationes, & confirmationes Simoniacas, quæ in Monasteriis fiunt, quas Pontifex nullas declarat. Hac de re consulendi Pelizarius, Navarrus *in Man. c. 23. n.* 100. *§. 2. & de Perinis de sub. q. 1. c. 35. §. 59.*

Sane vulgo Simoniæ pœnæ non contrahuntur nisi in triplici facti specie; I. Cum agitur de re Beneficiaria; II. de Ordinatione; III. de ingressu in Religionem. Porro non apparet in expositione de horum trium ullo quæstionem esse.

Respondetur id certum esse, cum nullus adest expressus Juris textus in rem, de qua agitur, cujusmodi potissimum esse posset Extravagans appellata; sed ut ut res habeat, nullus superest dubitandi locus, quin Concordii hujus Auctores censuras ac pœnas contra Simoniacos in Jure inflictas subierint, post Bullam Clementis VIII. *c. Nullar.* an. 1599. quam Bulla alia Urbani XIII. *C. Sacra Congregatio* 28. *an.* 1624. confirmavit. Hæ Bullæ ad Regularium reformationem editæ fuerunt. V. Pelizarium lib. 1. En verba, quæ omnino faciunt ad rem nostram: *Ut omnis officiorum ambitus occasio præcidatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione tam pro se ipsis, quam pro aliis cum in Capitulis locorum, tum in cæteris præsertim Capitulis generalibus, aut Congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas & censuras hactenus contra hujusmodi ambientes, & prabicantes inflictas, (quas in suo robore permanere volumus) in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeantur, super quo a nemine dispensari, valeant, nisi a nobis, & a successoribus nostris.*

Asseri demum posset in hoc Concordio confidentiam existere; quoniam qui Provincialis, causa exempli, electus fuerit, idemque de cæteris Ordinis Officiis sentiendum, hujus conventionis vi uni ex quatuor officium remittere debet, quæ sane confidentia est a Pio V. damnata in Bulla *Intolerabilis*; ex quo inferri potest, Religiosos quatuor in dicto Concordio nominatos hujus officii, & cujusvis alterius possidendi incapaces esse, quamvis Concordium ipsum non omnino consummatum sit.

Ex his omnibus consequens fit, Religiosos quatuor, de quibus in Expositione dictum est, in censuras incidisse, & ad proprii Ordinis omnia inhabiles evasisse.

Decisum in Sorbona hac die 53. Maii an. 1696.
G. Fromageau.

Religiosus a correctione prorsus alienus.

CASUS XI.

1 *Ex S. Benedicti Regula, & Carthusianorum Statutis Religiosus apostata cum solum correctionis impos habendus est, cum tertio reversus, quarto demum explóditur.*

2 *Regulæ, quas Regularium Congregatio non sine Pontificis auctoritate præscribit Superioribus, qui Religiosum vitiorum causa ejiciendum putant.*

3 *Non spectat ad Episcopum, qui Religiosi Ordines administravit, eamdem, cum e Monasterio evasit, in integrum restituere.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Religiosus Carthusianus, cum non ita graviter Ordinis mandata violasset, diuturnæ pœnitentiæ addictus fuit; reversus in Claustrum subiit bene multas acerbitates, quæ pravis monitis, ac perniciosis consiliis additæ in causa fuerunt, ut statueret a Religione deficere, quod præstitit; sed conscientiæ stimulis agitatus rediit suapte sponte pœnitentiam petens errori suo respondentem. Receptus est, ac per annos prope decem, tempus pro ejusmodi culpa æquo longius, in carcere detentus fuit.

Cum noctu nonnunquam Confratres aliquos invisurus egressus esset, eum Superiores insanabilem declararunt, eumdemque tanquam hominem servandæ Regulæ incapacem expellere statuerunt. Antequam ei significaretur expulsionis sententia, territus est nonnullis minis, futurum nempe, ut ferreo ergastulo concluderetur, & aufugit.

Super hac facti specie quæritur I. An secunda evasio hæc apostasia secunda sit, atque an non terror, quo Religiosus perculsus fuit, eumdem excuset?

II. An Sententia, quæ ei significanda erat, adhuc significari possit, eumdemque effectum producere debeat, eique spem omnem adimere ad Monasterium redeundi?

III. An Episcopus, qui ei Ordines contulit, eum redintegrare possit, ut Missam celebret, quoad obtinuerit a Pontifice Breve sæcularizationis & transmigrationis *ad laxiorem*, præsertim cum res agantur *de consensu Superiorum*? Hi nimirum Doctores rogant, ut sibi consilium præbeant, declarantes, quid optimum factu judicent.

Animadversione dignum est, nihil esse criminis in Religioso, de quo agitur; negotium totum continetur omissionibus, & Regulæ transgressione; his omnino de causis edita est Sententia, qua declaratur a correctione prorsus alienus; porro ille Sententiæ se subdere paratus est.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum non illud ad examen revocat, an ob leves transgressiones Religiosus, de quo agitur, pœnitentiæ ad longum tempus addici debuerit; quia nempe non desunt errata, quæ quamvis in se ipsis levia, gravia tamen sunt habita ratione perfectionis, quam Ordinum Institutores propositam habuerunt, nec non pravorum effectuum, quos illa possunt in Monasteriis producere. Possunt igitur errata hæc pœnitentia plus minusve gravi digna esse, prout plus minusve Religionis fini opponuntur.

Nec magis expenditur, an prope decennalis carcer haud sit aliquid æquo gravius quoad Religiosum, apostatam eum quidem, sed qui tamen rediit suapte sponte, & pœnitentiæ a Superioribus impositæ se se subjecit; fortasse cum ille in carcere non satis gravia conversionis argumenta præberet, iis visum est eum diutius in carcere detinere, ea spe fore, ut tandem aliquando ad bonam frugem rediret.

Non id agitur in præsentia, ut quod Superiores cum hoc Religioso consilium inierunt, ad examen vocetur, ac definiatur, quicquamne illi contra prudentiæ & charitatis regulas egerint. Id unum nimirum agitur, ut propositis quæstionibus satisfiat; quamobrem

Respondetur ad primam, posse ab apostasia Religiosi hujus evasionem alteram excusari, ne saltem asseri eum in excommunicationem contra Religiosos proprium habitum abjicientes in Jure inflictam *cap. 2. Ne Cler. vel Mon. in 6.* non incidisse, quia territus minis pœnæ, quæ fortiorem animum frangere posset, abiisse non censetur omnino voluntario, vel ex Regulæ contemptu, cui quidem Jus Censuram addicit: *Si quis horum temeritatis violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto.*

Ad secundam, ex S. Benedicti Regula ac mente *art. 28. & 29. Frater, qui proprio vitio egreditur, aut projicitur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est, & sic in ultimo gradu recipiatur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur. Jam vero postea sciat sibi omnem reversionis aditum denegari.*

Cistercienses in suis antiquis Statutis hanc prudentem sanctionem quoad Ordinis sui Religiosos profugos & Apostatas sequebantur; in altera enim compilatione an. 1259. *l. 2. c. 22. pag.* 164. idem præscribitur ex S. Benedicti Regula: *Post tertiam reconciliationem, sciant omnes tam Clerici, quam Laici sibi reconciliationis aditum, secundum B. Benedicti dicta, denegari.*

Olim durior erat quoad Religiosos profugos disciplina; eos quamvis correctionis nescios Prælati quærere tenebantur; detecti in perpetuum concludebantur, ne humanæ societatis periculis amplius subessent, suisque depravationibus Religionem fœdarent. Consulendi Haftenius in Regulam S. Benedicti *tom. 2. l. 8. tr. 4. disquisit. 7. & 8. pag.* 822. Pyrrhing in Decretalem Gregorii IX. *Ne Religios. de Regul. & trans. tom. 3. l. 2. tit. 31. sect. 5. §. 1.* & Fagnanus in veterem Decretalem *c. 2.*

Citatur sane ab his ipsis Auctoribus Congregationis Decretum diei 21. Septembris an. 1624. ab Urbano VIII. approbatum, & in Bullario n. 28. relatum; quo quidem quoad Religiosos, de quorum salute desperatur, novum jus instituitur, videlicet.

I. Ut Religiosus non amplius in posterum nisi post pœnitentiæ annum ejiciatur, *elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida ac membrum putre ejici tandem possit; sed ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu seu Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis vel Congregationibus generalibus.*

II. *Sit vero ejecti* (Religiosi) *quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.*

Denique monentur Decreto hoc, & per Jesu Christi viscera rogantur Prælati, ut paternæ charitatis ac mansuetudinis, quam profitentur, meminerint, nihilque non agant, quo fratrum suorum de salute periclitantium animas lucrentur, antequam triste ac postremum expulsionis remedium adhibeant, præsertim cum eorum, siquidem sua ipsorum negligentia, vel prava administratione perierint, in supremo judicio Christo Domino rationem reddituri sint: *Cæterum sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, & per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur, idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & officii sui immemorum Prælatorum regimine perибuat, Dominus noster J. C. in supremo Dei judicio, de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.*

Videtur Cistercienfis Ordo huic Urbani VIII. Decreto se conformare velle; suorum enim Annalium & Statutorum libro tertio *cap. 25. n. 10. pag.* 334. de Apostatis ita statuit: *Declaratur autem, quod Apostatæ juxta Regulam sancti Benedicti post tertiam apostasiam non sunt amplius requirendi, sed nec in Ordine recipiendi. At extat Decretum a S. D. N. Urbano Papa editum, quod in hac re consulendum est.*

Prælatorum ergo, de quibus agitur, est expendere, an hujus Decreti menti adhæserint, atque an Religiosi, quos expulerint, in ejusdem Decreti specie versentur, correctionis prorsus impotes sint, atque adeo nulla eorum emendationis spes supersit, ac præterea an ea peccaverint, quorum gravitate, ex Ordinis Constitutionibus, sint penitus extrudendi; idem quippe Decretum, quod Gregorii IX. Decretalem renovat, statuit, ut expulsi recipiantur, *dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii.* Quod si Religiosus expulsus insanabilis omnino sit, ei significanda est expulsionis Sententia. Nec satis est eum Sententiæ assentiri, sed requiritur gravis &

urgens

nrgens causa, juxta Canonum & Decreti Urbani VIII. §. 6. mentem, cujus vi dimittendus atque expellendus sit. Ita enim loquitur Pontifex: *Ad hæc ut imposterum a Religionibus nullus legitime ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis, vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis & Constitutionibus cujusque Religionis & Ordinis, etiam a Sede Apostolica approbatis & confirmatis. Denique non nisi instructo secundum Capitulorum generalium stylum & Constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad formam Canonum præscriptam.*

Ad tertiam, eamque postremam quæstionem respondetur, Episcopo, in cujus Diœcesi Religiosus expulsus initiatus est, non licere eumdem redintegrare, & sacrosancto Missæ Sacrificio celebrando habilem reddere, quia Urbanus VIII. in suo Decreto §. 10. ita statuit: *Item ut ejecti extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* Ex quo sequitur, religiosum, cujus gratia consulitur, ante impetratam a Summo Pontifice redintegrationem, nullam Ordinum suorum functionem obire posse. Verum Religiosus hic ne dum ad Romanam Curiam mitteret, eo suum omne studium conferre deberet, ut Prælatorum suorum animos flecteret, & ad Monasterium suum redeundi facultatem ab iis impetraret. In eum finem necesse foret, ut eum præteritæ vitæ ex animo pœniteret, sequa ipse in posterum fidelius officio suo satisfacturum, suorumque Superiorum voluntati diligentius obsecuturum proponeret; ut proinde suis Prælatis se sistens tot tantaque conversionis signa daret, ut nulla amplius superesset causa timendi, ne iterum laberetur.

Decisum hac die 2. Januarii an. 1690.
G. *Fromageau*.

Religiosi Monachi a Parochiis exclusi.

CASUS XII.

1 *Ecclesiasticus bona fide ad Prioratum tanquam simplicem nominatus, cui comperit animarum curam olim adjunctam fuisse, non propterea se abdicare, vel in id incumbere debet, ut eidem Prioratui Parochia redintegretur.*

2 *Jure ibidem Vicariatus perpetuus est institutus.*

QUÆSITUM.

AN. 1580. Dominus N . . . . . Religiosus Professus Abbatiæ Sancti G . . . . Ordinis S. Benedicti, & Prior Prioratus Sancti P . . . . . pendentis a dicta Abbatia statuit operam dare, ut in Ecclesia Prioratus sui Parochia vel Vicariatus perpetuus institueretur; in eumque finem Diœcesano Episcopo supplicem libellum exhibuit, significans, se, cum passim negotiis distentus administrandæ Parochiæ suæ semper vacare non posset, cumque cæteroquin Concilia præciperent, ut qui Prioratus ejusmodi possiderent, & residere non possent, Presbyterum regendæ Parochiæ idoneum Diœcesano Episcopo præsentarent, ad primi Parochi, vel Vicarii perpetui officium præsentare Dominum R . . . . . Tum Episcopus, negotio ad trutinam revocato, nullaque alia adhibita formula, Vicariatum perpetuum erexit in Beneficii titulum, in dicto Prioratu S. P. eumque dicto Domino R . . . . ejusdem actus vi contulit, assignata tum ei tum Successoribus certa portione fructuum dicti Prioratus, ut in erectionis Decreto fusius declaratur; ac vi creationis hujus (alius saltem actus non apparet) Prioratus S. P . . . . . qui antea animarum curam adjunctam habebat, Prioratus simplex evasit; atque ex eo tempore ad hoc usque semper absque interruptione, (nulla saltem apparet) & Partibus non reclamantibus, res in eo statu persliterunt. Sed cum hoc erectionis Decretum ad Prioris ejus manus venisset, qui nunc temporis eumdem Prioratum in Commendam possidet, ei suborta est de tituli sui validitate dubitatio; qua in re fuit sententiæ duæ.

Prima est strenui Advocati, qui consultus respondit, sejunctionem animarum curæ ab eo Prioratu, ut Vicario perpetuo conferretur, nullam & abusivam fuisse tribus de causis.

I. Quia Episcopus eam instituit, iis, quorum intererat, non appellatis, nec iis servatis formulis, quas Leges requirunt, sed ad simplicem Titularis postulationem, & ad ejus tantum utilitatem.

II. Quia Parochia grave subiit incommodum, quippe quæ cum opulenta ac pinguis esset, tenuis evasit, redituum potiore parte Prioratui reservata; quod in causa est, ut Vicarius perpetuus eleemosynæ in pauperes erogandæ, & subsidio ægrotis præstando non sit, ut sane esset, si universo proventu, qui fere omnis decimis constat, frueretur.

III. Quia si Parochia, ut erat ab origine, Prioratui unita foret, non deessent Doctores, & idonei viri, qui ad eam contenderent, ac longe meliorem Ecclesiæ operam exhiberent, quam puri putique Curati Congruistæ exhibere valeant.

Cum porro Advocatus idem monitus esset, in Senatu N . . . . in cujus districtu Prioratus, de quo quæritur, situs est, abusuum præscriptionem post centesimum annum admitti, dummodo non aliunde, quam ex formulæ defectu proveniant; respondit se vehementer dubitare, an ejusmodi Jurisprudentia, quippe quæ Juri publico, Regni Legibus, & cæterorum omnium Senatuum praxi repugnet, Priorem a dicta Parochia Prioratui redintegranda in foro conscientiæ eximere possit, cum sejunctionis actus aperte vitiosus titulus sit.

Opinio altera e converso contendit sejunctionem hanc abusivam non esse, nec vero formulis aliis, quam quibus Episcopus usus est, opus fuisse; idque de causis pluribus, quæ facile ducentur ex animadversionibus insequentibus, quæ procul dubio Advocati animum a suscepta sententia abduxissent, si eidem innotuissent.

Prima est, S. Benedicti Monachos antiquis temporibus animarum cura instructos fuisse & Parochiis non paucis deserviisse; adeoque earumdem Parochiarum decimis vel omnino, vel maxima ex parte potitos fuisse, ut etiamnum potiuntur. Qui porro eas administrandas susceperint, an quod eorum virtutis odor Fideles impulerit, ut ipsos ad se pertraherent, an aliter, haud facile dictu est; illud est prorsus indubitatum, jampridem Ecclesiæ probatum non fuisse, Monachos a Monasticæ vitæ quiete atque exercitiis recedere, ut Curialibus functionibus vacarent; quod in causa fuit, ut identidem Vicarios perpetuos in dictarum Parochiarum nonnullis crearent, in aliis vero Vicarios amovibiles ponerent, qui post Regis Declarationem an. 1686. perpetui evaserunt, quin unquam Episcopis in mentem venerit inquirere *de commodo & incommodo*, eosque, quorum intererat, appellare. Præterquamquod enim satis eos Declaratio ipsa moneret, cum Princeps Legem aliquam sancit, eam quidem non sine causæ cognitione sancire censetur; quamobrem nemo unus extitit, qui Episcoporum in hoc negotio consilium tanquam abusivum damnaret. Quod cum ita se habeat, quid ergo est, cur Episcopi N . . . . consilium in Vicariatus perpetui, de quo agitur, erectione tanquam abusui obnoxium traducatur, quoniam dum ita se gessit, nil aliud egit, quam Conciliorum mandata, quæ quidem cognita causa, cognitaque, quam inde Ecclesia perciperet, utilitate instituta sunt, executus est?

Altera animadversio est, ex dictis omnibus Parochiis aliquas extitisse, quæ ante Tridentinum Concilium immediate administrarentur a Monachis, quibus ejusmodi Prioratus cum animarum cura Abbas & Capitulum conferebant; sed cum Ecclesia eam praxim improbare non desineret, ii pauci ex Monachis, quibus dictarum Parochiarum cura supererat, Parochiale onus post Tridentinam Synodum deposuere; quod nimirum præstitit an. 1580. Dominus M . . . . S. Benedicti Religiosus, & Prior Titularis Prioratus Curati S. P . . . . . oblata Episcopo Supplicatione, eique præsentato Presbytero, qui Vicarii perpetui munere fungi posset. Hanc

porro agendi rationem abusivam pronuntiat opinio prior. At si Prior idem tunc quidem simplicem Vicarium amovibilem deputasset, quod jam complures in Parochiis aliis præstiterant, & hic idem Vicarius vi Decreti simplicis ei similis, de quo agitur, deinde perpetuus evasisset; Episcopi consilium magnopere commendaretur; quia porro initio statim Vicarium perpetuum instituit, id quod egit, tanquam abusus arguitur, quia non animadvertitur, cum ita se gerentem ea tantum executum esse, quæ Concilia sanxerunt.

Animadversio tertia est, Monachos, abdicatis Parochiis, duplici tantum ratione Conciliis obsequi potuisse.

Prima ratio ea erat, ut ad Episcopos, a quibus Parochialibus oneribus exuerentur, se se conferrent, executionem omnem iis relinquentes; atque hac quidem ratione nulla alia esse potest, quæ magis Canonica ac legitima sit. Cum porro Episcopi efficacius ovium suarum salutem curare non possent, quam si constantes ac residentes pastores iis compararent: mirum proinde videri non debet id eos consecutos esse Vicariatuum perpetuorum institutione, quin de commodo aut incommodo inquirerent, vel Partes, quarum res agebatur, appellarent. Ut enim supra dictum est, præterquamquod illi nil aliud agebant, quam Conciliorum mandata, quæ magis notoria ac publica erant, quam ut ignorari possent, exequebantur; non iis ea præsto erat auctoritas, ut inquirerent, ac rursus expenderent, quod Ecclesia jam ipsa discusserat, vel ut Regis Declarationem an. 1686. examini subderent.

Ratio altera, qua Monachi, ut animarum curam deponerent, uti poterant, in eo posita erat, ut Prioratus suos, quibus animarum cura conjuncta erat, Episcopis traderent, sæcularibus Presbyteris committendo; sed noluit, ut videtur, Ecclesia id ipsis imponere, quoniam id illi facere non poterant, quin dictorum Prioratuum reditibus, quibus semper potiti fuerant, se ipsos spoliarent; verum ejus ea tantum mens extitit, ut illi Presbyteris Sæcularibus, quibus eorum Parochiæ traderentur, congruam subsistentiam tribuerent. Eodem accedit, hanc secundam rationem fuisse moraliter impossibilem; neque enim Episcopi Prioratus eos Regulares Presbyteris Sæcularibus conferre potuissent, nisi vel eos ad sæcularem formam redigerent, quos proinde in titulum iisdem conferre possent, vel in perpetuam Commendam instituerent; quod Episcopi quidem facere propria auctoritate non poterant, summus autem Pontifex facere noluisset, quoniam ea ratione Monasteria bene multa, quæ dictis Prioratibus privasset, funditus evertisset.

Animadversio quarta est, si ad actus, de quo quæritur soliditatem aliis formulis opus fuisset, credendum esse Episcopum eas omissurum non fuisse; neque enim præsumi posse, Episcopum, cui Magni Vicarii, Officialis, Promotor, aliique Ecclesiastici præsto erant, quos vero simile est in hujusmodi rebus non fuisse prorsus hospites ac peregrinos, absque causæ cognitione in negotio tanti ponderis egisse.

Animadversio quinta est, a sæculo & amplius neminem reclamasse; saltem tale nihil apparet; Abbas & Religiosi S. G. ita semper servarunt, dictum Prioratum S. P. tanquam Prioratum simplicem ex eo tempore conferentes; & Parochiani semper Vicarios perpetuos tanquam proprios Pastores spectarunt, quod argumento est, eos, quorum intererat, satis assentiri visos esse. Ex quo concluditur, esto formulæ defectus aliquis extitisset, hac tamen omissione nullum, in foro interno, actum, cui Partes omnes adhæserunt, effici non potuisse; præsertim cum ejusmodi formulæ non alia de causa institutæ fuerint, quam ut fraus & injustitia, quæ in tertiam personam committi possent, impedirentur; ut proinde cum Episcopus, ponderata tota re, Ecclesiæ, & Partium utilitatem cognoscit, plene ac plane satisfaciat Legis menti, quamvis litteræ non sit addictus.

Sexta animadversio est, ut in eo, quod egit Episcopus, aliquis abusus fuerit, cum tamen beneficio temporis tutum fore; quoniam Jurisprudentia Senatus, in cujus districtu dictus Prioratus situs est, tuetur actus, quantumvis abusivi sint, dummodo per annos centum constiterint, & abusus nonnisi ex formulæ defectu proveniat. Quod si prior opinio contendit hanc Jurisprudentiam ad forum externum tantum spectare; respondetur spectare ad internum quoque; præterquamquod enim falsa præsumptione non nititur, Ecclesiæ tranquillitas postulat, ut peculiares Ecclesiæ ab eo statu, in quo sæculi spatio perstiterunt, non deturbentur; quemadmodum requirit bonum publicum, ut eorum bonorum possessio cuique servetur, quibus per annos triginta potitus est.

Septima animadversio est, notorie impossibile esse præsentem rerum statum mutari; id enim duplici tantum ratione fieri posset.

Primo quidem cura Prioratui redintegrata, quod postulat opinio prima, quodque fieri non potest, quoniam tunc a Presbyteris sæcularibus possideri non posset, qui nempe Regularia Beneficia possidere nequeunt, nisi ad sæcularem formam redacta, vel in Commendam sint instituta; quod Episcopus efficere nequit, quodque Papa non faceret ob rationes supra in animadversione tertia commemoratas.

Secundo iterum peracta Parochiæ a Prioratu sejunctione, servatis omnibus formulis, quas prior opinio requirit; sed hæc quoque secunda ratio non minori difficultati subest, quam prima duabus de causis.

Prima est, futurum, ut Abbas, & Religiosi, præsenti rerum statu sibi apprime utili contenti refragentur; in quo quidem Parisiensis Senatus Procurator Generalis iis patrocinaretur, ut ejusdem Senatus Jurisprudentiam & consuetudinem tuererur. Eodem accedit, id Parochiæ S. P . . . . . nulli utilitati fore, quoniam hæc nova sejunctio, vel nova perpetui Vicariatus erectio non efficeret, ut eadem Parochia vel opulentior esset, vel melius administraretur, quam hoc tempore.

Ratio altera est, quod statim ac negotium hoc susciperetur, innumeri devolutarii non modo in Prioratum S. P . . . . . verum etiam in eos omnes Prioratus irruerent, qui passim in Gallia ejusmodi perpetuorum Vicariatuum erectionibus simplices evaserunt; quod in pluribus Ecclesiis ac Monasteriis magnam perturbationem pareret; atque adeo credi potest futurum profecto, ut Episcopus negotium hoc aggredi nolit, quippe quod in eorum numero poni potest, quæ Ecclesiæ & Reipublicæ tranquillitas in eo statu relinqui postulat, in quo ab immemorabili tempore sunt, etiamsi illicitis modis confecta fuerint, præsertim si mutatio, quæcumque fieret, nihil utilitatis sit allatura.

Ac per hactenus dicta satis responsum videtur opinionis primæ rationibus, quarum præcipua erat, Parochiam S. P . . . . per eam sejunctionem, cum pinguis esset, tenuem evasisse; ejusmodi quippe sejunctio non modo Priorem non liberavit obligatione, qua tenebatur, eleemosynas in pauperes erogandi, & opem ægrotantibus afferendi; sed ei quoque novum Vicarium perpetuum laboris ac sollicitudinis socium addidit.

His in hunc modum constitutis,

Quæritur I. An Prior Commendatarius Prioratus S. P . . . . tuta conscientia dicto Prioratu potiri possit, ut hactenus potitus est, quin ullam mutationem obtinere conetur?

II. Facta hypothesi opus esse, ut eo se abdicet, aut aliquam mutationem obtinere conetur, quomodo se gerere debeat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, juxta posterioris opinionis rationes, quæ in proposita facti specie sunt explicatæ, Priorem, de quo sermo est, tuto tranquilloque animo esse debere. Et sane sententia hæc probabilior & firmior apparet. Cum enim Ecclesia multis in Conciliis statuerit, ut Religiosi Monachi Parochias, quas obtinerent, dimitterent, atque ita ad propriæ vocationis, nempe silentii ac solitudinis rationem redirent; nulla opus erat, ut videtur, inquisitione *de commodo & incommodo*, in hac facti specie, ut nempe innotesceret,

sejun-

fejungendane effet animarum cura a Prioratn S. P . . . . . ut Vicario perpetuo committeretur, cujus Beneficium in posterum ad Prioris, & Episcopi loci præsentatinnem & collationem spectaret. Quod si quis in forma defectus extitit, rei ipsius dignitas, & Ecclesiæ, quæ ejus perpetui Vicatiatus erectionem postulabat, ntilitas præferenda est cuique formæ defectui, quamvis eentenaria tantum adsit præscriptio cum bona fide, quæ sane supplere valet, quicquid ad ejusmodi erectionem firmandam desiderari posset, præsertim quoad Senatum, in cujus jurisdictione Prioratus hic situs est.

Eam porro Ecelesiæ mentem fuisse, ut Monachi in sua se Monasteria reciperent procul a Sæcularibus, quibuscum Parochiarum, quas administrabant, obligatio eos versari cogebat, dubitari non potest, postquam Lateranensis III. Synodus sub Alexandro III. an. 1179. cap. 10. eui concinit *Jus cap. Qaod Dei timorem de stat. Monach.* ita statuit: *Monachi non singuli per villas & oppida, seu ad quascunque Parochiales Ecclesias ponantur, sed in majori Conventu, aut eam aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictionem expectent.*

Superiore sæculo Rothomagense Concilium an. 1074. idem mandaverat: *Ut nulli Monacho Paræcia regenda committatur.*

Idem quoque an. 1078. pronuntiaverat Vigorniense Concilium: *Si quis Monachus etiam Canonice susceptus fuerit, non permittatur Ecclesiis publice deservire.*

Quod vero Lateranense Concilium instituit, complura deinde particularia Concilia deelararunt. Avenionense Concilium in Monasterio S. Rufi an. 1326. celebratum ita pronuntiat: *Item statuimus, quod in singulis Ecclesiis per Monachos solitis gubernari, infra sex menses Priores earum suis Diœcesanis ad Curam animarum perpetuos Presbyteros præsentent, quod nisi fecerint, ex tunc hac vice Episcopi instituant Presbyteros perpetuos in Cura prædicta, & ipsos Priores compellant ad providendum eisdem Presbyteris, prout idem instituens duxerit ordinandum.*

Coloniense Concilium 4. *parte art.* 18. an. 1536. idem præcipit in hæc verba: *Decens est, ut Monachi, qui Parochiales Ecclesias incorporatas, ut vocant, Monasteriis suis habent, non per Religiosos, quos in Monasteriis perpetuam vitam agere convenit, sed per Vicarios Presbyteros sæculares, examinandos, admittendosque gubernari procurent.*

Concilium Bituricense an. 1584. cæteris subscribit: *Monachi Beneficiis Curatis non præficiantur.*

Ex hactenus dictis sequitur, I. Erectionem Vicariatus perpetui in Prioratu S. P . . . . institutam revera Ecclesiæ menti, atque intentioni conformem esse; II. Priorem, cum Prioratum hunc tanquam simplicem bona fide susceperit, legitime posse eum retinere, eoque frui, prorsus ut hactenus, quoad ejus possessio turbetur, id quod futurum non creditur ob eas causas, quæ in expositione allatæ sunt. Debet igitur dictus Prior tranquillo animo esse, nec ab eleemosynis cessare, quas erogare tenetur, ut pauperum & ægrotantium in Vicariatu perpetuo existentium necessitati præsto sit.

Deeisum hac die 22. Julii an. 1699.
G. Fromageau.

Religiosus Professus, quin propositus, receptusve fuerit.

C A S U S XIII.

1 *Religiosus, qui Professionem edidit, quin in Capitulo proponeretur, aut reciperetur, facta hypothesi ejus Professionem validam esse, rejici non potest, eo prætextu, quod ejus animus deferbuerit.*

2 *Ad Ordinis generale Capitulum spectat definire, an qui in ejus Professione defectus occurrit, eam nullum reddant, ejusque explodendi Jus afferant.*

QUÆSITUM.

ADolescens ætatis an. 24. appellatus est, receptus, approbatusque annuæ Probationis spatio in Cisterciensis Ordinis Reformata Familia, in eaque Professionem edidit ex peculiari testimonio, quod Visitatoribus Superior exhibuit, ex Communitate plerosque non repugnare; Communitas porro congregata non fuerat, ne, qui refragarentur, in suas partes cæteros traherent; in quo servatum id est, quod Benedictus XII. in sua Bulla in Cisterciensis Ordinis gratiam statuit, ut nempe Novitii *de consilio seniorum, aut majoris, aut sanioris partis* ad Professionem admitterentur; ut proinde absolute loquendo suffragiorum pluralitas in hoc Ordine non requiratur.

Quod porro post Professionem contigit, ut quæstiones sequentes proponerentur, in causa fuit. Nempe Adolescens hic melancholia correptus versatur in dementiæ periculo; quod quidem ex ejus animi naturali imbecillitate provenit; est autem, ut credatur id nonnihil mentis, quod obtinet, servaturus, si a Professione recesserit.

Quæritur I. An hujus inhabilitatis gratia in aliquam sæcularem Communitatem rejici possit, & an ipse, iique, qui ejus egressum curarent, in conscientiæ securitate futuri sint?

II. An sit ad Pontificem confugiendum, ejus proposita reclamatione, vel aliter; an vero Visitator, consentientibus ejus consanguineis, eum privatim dimittere possit?

III. An ejus Professio in foro externo nulla declarari possit, quod suffragiorum pluralitate, in publica deliberatione recepta non fuerit?

Cum hæc facti species proposita fuisset, non satis in bono lumine posita visa est; itaque circumstantiæ magis peculiares quæsitæ, allatæque sunt per epistolam, cujus exemplum hoc loco subditur.

Septimus jam mensis est, ex quo Religiosus, de quo ad te scripsi, Professus est; nullus ex eo tempore Actus extitit, quem subscripserit; sed minores quatuor suscepit Ordines. Non est congregata Communitas, ut super ejus receptione deliberaretur; immo vero audivi non ita pridem, omnes fere Religiosos, me absente, Visitatori, cum eo venisset, formiter declarasse, se refragari; qui tamen verbalem sententiam subscripserunt, in qua statuebatur, ut post examen, quod in Novitiatus loco perageretur, si capax judicaretur, Familiæ nostræ Professus reciperetur; iique ipsi, qui maxime refragabantur, attestationi meæ subscripserunt ad calcem ejus Professionis, cui omnes interfuerunt; ajunt in præsentia se ita fecisse adactos majore vi, ne Superiorum majorum indignationem subirent. Est etiam veritati consonum, eum ego Generali nostro res, ut se habebant, simpliciter exposuissem, nimirum plerosque in pluribus collationibus mihi testatos esse se minime pugnare, quin, omnibus scientibus, & consentientibus, & eo quidem tempore reciperetur, visum non fuisse, Capitulum convocari, ne qui pertinaciores essent, in suam sententiam cæteros traherent. Generalis mihi per litteras facultatem concessit hujus Novitii ex majoris partis consensu recipiendi. Non habeo, quod addam in hujus Religiosi gratiam, nisi quod nollem negotium hoc cum forensi clamore transigere; multæ enim charitatis & prudentiæ rationes sunt, quæ postulent, ut aliter transigatur. At si malum evaserit insanabile, interrogo, an tuta conscientia huic ægrotanti sæculares habitus reddi possint, cum ejus familiaribus, honestis & gravibus hominibus inita conventione, atque ille clam ad sæculum remitti possit; & quibus rationibus minus clamosis, & coram Deo tutis possit negotium hoc expediri?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Religiosum Professum dimitti non posse, quod in mentis imbecillitatem inciderit, sed omnia erga eum charitatis officia adhibenda esse. Omnis porro difficultas in eo vertitur, ut cognoscatur, an Religiosus, de quo quæstio est, sit vere Professus, necne;

ne; adeoque expendendum, an ab iis ad Religionem admissus fuerit, qui auctoritate pollerent, quoniam ad Professionis validitatem absolute necesse est, ut Professus Religioni approbatæ incorporetur ab iis, qui gaudent potestate, quæ fere ex Ordinis consuetudine ac praxi pensanda est. Sane si Sixti V. Bulla spectetur, Religiosi non nisi Definitorum consensu in Generali seu Provinciali Capitulo sunt recipiendi; ita in ejus Constitutione 71. Verum de hac Professione melius judicari non potest, quam ex Ordinis consuetudine, in generalibus Capitulis ponderata ac definita; præsertim cum caput hoc maximi momenti sit; atque adeo illud determinari oporteat. Si tamen placeat rem ex S. Benedicti Regula dijudicari, videtur ea quidem Abbati magis favorabilis esse, eamque Abbati auctoritatem tribuere, ut, capto Capituli sui consilio, possit, quemcumque voluerit, ad Professionem recipere; quam quidem opinionem propugnant Panorm. in *cap. Apostolicam de Regularibus*, Sylvius *v. Religio 3. a.* 13. & Navarrus *comment. 3. de Regularibus n.* 5. Sed quoniam Professionis species extitit, ea proinde non nisi juxta Ecclesiasticam formam, & prout in Cisterciensi Ordine in more positum est definiri potest; quamquam si res in se ipsa spectetur, non parum præcipitationis, atque adeo non nihil fraudis, ac bonæ fidei parum apparet in Visitatoris ac Prioris consilio; siquidem rationem in expositione enuntiatam adhibuerunt, quod providerent fore, ut Religiosus hic minime reciperetur, si, quæ consueta ratio est, in Capitulo proponeretur.

Decisum Parisiis hac die 20. Maii an. 1682.
Aug. *de Lamet.*

Religiosus, qui Professionem edens se obligare non vult.

CASUS XIV.

1 *Adolescens, qui in Monasterio Professionem emittens se intus in animo Religiosæ vitæ obligationibus adstringere nolait, coram Deo Religiosus non est.*
2 *Sed non minus tenetur externa specie Religiosi hominis more vivere ad scandalum evitandum; quia cum non reclamaverit, publice spectatur ut ejusmodi, nec juridica ulla ratione contrariam evincere potest.*

QUÆSITUM.

ADolescens subiratus familiæ suæ Monasterium, ut ab ea recederet, ingressus est. Cum Professionis tempus jam jam adesse intelligeret, se ab ea alienum esse palam edixit, petiitque, ut egredi sibi liceret. Nonnulli ex Religiosis eum monuere, futurum, ut, si rediisset, a patre male haberetur. Itaque perculsus metu statuit consistere. Protracta est ad menses quatuor ejus Professio, quibus elapsis pronuntiavit vota, quin, ut ait, subeundæ obligationis intentionem haberet. Non reclamavit intra tempus, quod Leges concedunt, idque cognitionis defectu; cum id facere vellet, elapsum tempus erat. Quæritur, an in foro conscientiæ ad Regulam obligetur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, facta hypothesi eum, cujus gratia consulitur, interius agere noluisse, quod agebat externus, nec id deinde approbasse, quod ore tenus pronuntiavit, ipsum coram Deo Religiosum non esse; non propterea tamen ad Regulam servandam non obligari, ut scandalum nimirum impediat; cum enim ille apud homines Religiosus habeatur, nec iis probare possit, animi sui sensa prorsus alia fuisse a verbis, quibus sese obligabat, debet divinæ Providentiæ se subdere, & conformare, atque in suo statu persistere, quoniam nulla ipsi ratio legitima præsto est, quamobrem ab eo recedat.

Decisum in Sorbona die 21. Septembris an. 1683.
Aug. *de Lamet.*

Religiosi non Professi quomodo Ordines suscipere possunt?

CASUS XV.

1 *Religiosi, quos vis major impedit, ne in Abbatia Professionem emittant, Ordines sacros absque satis justo titulo suscipere nequeunt.*
2 *Pius V. ad annum suspendit a jure sacros Ordines conferendi quemvis Episcopum, qui sanctionem hanc non servaverit.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Religiosi, qui novem aut decem ante annos in veteri Abbatia regularem habitum susceperunt, sed Professionem edere non potuerunt, quod eos major vis impedierit, absque titulo, qui ad eorum congruam sustentationem sufficiat, ad sacros Ordines accedere possint?

Rationes, quas allegant ad ostendendum id sibi licere, sunt,

I. Professos tacitos se censeri.

II. Per se non stetisse, quominus post suum Probationis annum expressam Professionem ederent.

III. Timendum non esse, ne mendicare cogantur, ullamve artem, quæ proprium characterem dedeceat, exercere, etiamsi ab Abbatia, in qua recepti fuere, recederent; quia cum eorum consanguinei divites sint, ex eorum bonorum legitima parte, quæ ipsis denegari non potest, pro statua proprii dignitate vivere possunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ex Bulla *Romanus Pontifex* Pii V. quæ ejusdem 75. est in Bullario, Religiosos, qui ante annos novem aut decem in veteri Abbatia habitum susceperunt, sed qui tamen expressam Professionem edere non potuerunt, quod eos major vis impedierit, absque titulo sacros Ordines suscipere non posse, si qui impedierunt, impediendi jure gaudebant, ita ut iidem Religiosi e Monasterio egredi possint, quin ullum jus adsit eos revocandi vi tacitæ Professionis, quæ nunquam supponitur, cum legitima potestas extitit, quæ expressam Professionem impediit, ut nonnunquam contingit in casibus aut reformationis, aut alterius mutationis status, quæ instituitur alicujus familiæ, quam ob causam impediendum proponitur, ne eorum, qui eamdem componunt, numerus augeatur. Itaque Religiosi, pro quibus consulitur, siquidem e Monasterio egredi possint, quia Professionem non ediderunt, ad Ordines promoveri non possunt, nisi iis ad congruam sustentationem præsto sit sufficiens titulus, ut Beneficium, vel patrimonium, quod actu possideant, aut constans ac certa pensio, ac nisi eos titulos Episcopus examinaverit, ac sufficientes judicaverit, ea prorsus ratione, qua sæcularium titulos ponderat, prout quoad hos quidem statuit Tridentina Synodus *sess.* 21. *de reform. c.* 2. Ratio est, quia Pius V. caput hoc ad eos Regulares extendit, qui suam Professionem non ediderint, & quia in Bulla supra laudata suspensionis pœnam imponit iis Regularibus, qui contra fecerint. En ejus verba: *Decretum de Clericis sæcularibus loquens, ad omnes & singulos, etiam cujuscumque Ordinis Clericos, Religiosos, sive sæculares more Religiosorum viventes in communi non professos, harum serie extendimus, & ampliamus . . . . . Statuentes, & decernentes promotiones quorumlibet Religiosarum personarum prædictarum ad Ordines hujusmodi contra ipsius Decreti Tridentini formam, etiam cujusvis licentiæ ab Apostolica Sede, vel illarum Superioribus, cujuscumque dignitatis, status, gradus, & præeminentiæ existant, etiamsi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore præfulgeant, concessæ prætexta factas, executione prædictorum Ordinum omnino carere, nullasque prorsus & irritas existere, sicque promotas personas in Altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis Clericis concessis*

omni-

omnino privari, & irregularitatis, aliasque in dicto Decreto contentas pœnas eo ipso incurrere, a quibus nisi a summo Pontifice, vel in mortis articulo absolvi possint.

Disciplina hæc nititur Jure veteri, cujus pœnas loco appellato Tridentina Synodus instauravit: *antiquorum Canonum pœnas super his innovando*. Canones porro sunt, *Neminem*, & *Sanctorum distinct.* Pius autem V. cujus sanctionem produximus, transgressorem Episcopum ab Ordines conferendi jure ad annum suspendit: *Nec non omnibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, gratiam, & communionem Sedis Apostolicæ habentibus, ut Ordines ipsos hujusmodi Religiosis personis impendere, nisi observata forma dicti Decreti, nos virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna interdicimus & prohibemus: ac contra facientes per annum a præstatione talium Ordinum ipso jure suspendimus.*

Decisum in Sorbona die 26. Decembris an. 1681.

Aug. *de Lamet*.

Quomodo cum iis Religiosis agendum, qui a correctione prorsus alieni sunt?

CASUS XVI.

1 *Congregationis reformatæ Prælati Religiosos incorrigibiles ad Monasteria non reformata mittere non debent.*

2 *Neque vero iis Beneficia comparare debent, ut ab iisdem se expediant.*

3 *Habent illi ex Jure, quid in hujusmodi casibus sibi facto opus sit.*

QUÆSITUM.

IN Religiosa Congregatione, quæ Deo accurate deservit, imbecilles atque imperfecti non desunt; atque adeo sunt, qui ad scandalum usque, atque ita ut correctionem pati nequeant, delinquant propriam Regulam contemptui ducentes, assidue de Superioribus conquerentes, & a disciplina magnopere deflectentes.

Quæritur, an cum diuturna experientia compertum sit Religiosos hos emendationis impotes esse, cumque remedia, quæcumque charitas & prudentia inspirare potuerunt, incassum adhibita fuerint, iis, ut removeantur, conquiri possint Beneficia, vel sedes Monachales, quas postulant in iis Prioratibus, qui reformationem non susceperunt?

Ita quidem licere ex eo videtur ostendi, quod ii dimitti, sibique permitti possunt, quos Religio potest expellere; porro ex S. Benedicti Regula jus adest incorrigibiles expellendi.

Major foret difficultas, si Religio positive eorum egressui cooperaretur, quamvis id et liceat ex Regula.

Non licere probatur ex eo, quod ea permissio concedi non potest, qua tuta conscientia uti non licet; atqui Religiosus, qui, quod esset correctionis prorsus impatiens, egredi sineretur, tuta conscientia non esset. Difficultatem tamen hanc de medio tollere videtur Regula, quæ tot Conciliorum auctoritate firmata vim certæ Legis habere debet; ac de Religioso ob insanabilem pertinaciam expulso idem judicium ferendum est ac de Christiano excommunicato; porro quamvis Ecclesia certo sciat nullam extra suum ipsius sinum salutis spem fore, non dubitat scandalosos & incorrigibiles tanquam putrida membra recidere, & divinis judiciis omnino relinquere.

Monumentum Doctorum super exposita facti specie.

Dubitari non potest, quin disciplina hæc non modo plerisque Religiosorum Ordinum Regulis nitatur, sed etiam Jure, quod eam supponens statuit, ut Religiosi incorrigibiles ejiciantur, ut liquet ex *cap. Cum ad Monasterium, extra de statu Monach.* quod est Innocentii III. & *C. ea quæ* eodem titulo, quod Honorii III. est. Verum Gregorius IX. cum mala reputasset, quæ Religiosi expulsi patrabant, iisque remedium afferre vellet, mandavit Præsidibus Generalium Capitulorum, quæ habenda essent, prout Innocentius III. in Lateranensi Quarto Concilio statuerat, ut profugos vel expulsos Religiosos quotannis quærerent, quos ad propria, vel ad alia Monasteria, in quibus pœnitentiam agerent, redire juberent; ac si forte reluctarentur, eos excommunicatione percellerent, & ab Ecclesiarum Prælatis declarandum curarent, eos communione privatos jacere, donec ad Familias quique suas rediissent. Sapientissimum Pontificis statutum ejusmodi est *c. final. extr. de Regularib. Ne Religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, statuimus, ut præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii Generalis, seu Patres, Abbates, seu Priores, fugitivos suos, & ejectos de ordine suo, sollicite requirant annuatim. Qui si in Monasteriis suis recipi possunt secundum Ordinem Regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione prævia per censuram Ecclesiasticam ad receptionem ipsorum, salva ordinis disciplina, cogantur. Quod si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis domibus ejusdem Ordinis ad agendam pœnitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero ejusmodi fugitivos, vel ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publice nuntiari, donec ad mandatorum ipsorum observationem humiliter revertantur.* Navarrus sane, quem Saytus, aliique nonnulli Auctores secuti sunt, pronuntiat Pontificem de iis tantum locutum esse, qui injuria, & fraudulenter expulsi fuerant; sed quod ille cum aliis proposuit, cum graviorum, antiquiorumque Doctorum sententiæ repugnet, non videtur hujus novæ Constitutionis menti conforme, præsertim si omnes ejus clausulæ perpendantur. Etenim dicine potest Regularis Ordo impedire, ne ii recipiantur, qui de proprio statu deturbati fuerint, & dolo malo Religionis possessione privati, qua gaudebant ob vota, quæ ediderant, neque in hac facti specie servatum esse tritum illud, communique sententia receptum: *spoliatus ante omnia restituendus*? Ac Pontifex jussurus fuisse, ut qui ejusmodi vim passi essent, & re quidem ipsa rei non erant, in alias domos pœnitentiæ agendæ causa detruderentur? Itaque Panormitanus communem opinionem secutus in *C. ad Monasterium de Statu Monachorum n.* 13. ita pronuntiavit: *Credo, quod hodie non habeat locum expulsio a Monasterio: sed sit procedendum, prout habetur in dicto Cap. final. de Regul. Nam illud caput fuit posterius, cum sit Gregorii IX. & providit circa ejectos & fugitivos, ut saltem casu, quo licita est expulsio, deputentur tales in ergastulo, infra septa Monasterii, ne detur occasio vagandi.* Prosper Fagnanus in 12. *part.* 3. *Decretal. de Regular. C. Ne Religiosi n.* 37. laudat in hanc sententiam celebratissimos, summique nominis Canonistas, cujusmodi sunt Archid. *in C. Pervenit* 27. *q.* 2. Petr. de Sampson Abbas *antiq. sub. n.* 4. Boich. *n.* 15. Bellarm. post princ. in *verb. consortio & n.* 4. Anchar. *n.* 6. Imola *n.* 8. Joan. de Anan. *n.* 4. & quod gravius est, nunquam ad Romanam Ecclesiam quæstio hæc deducta est; quin ea huic sententiæ patrocinaretur.

Idem Fagnanus in idem Caput *n.* 36. ait in Concilii Congregatione sub Pio IV. Decretum editum fuisse, quod Regularium Ordinum Procuratoribus significatum fuit, eoque prohibitum: *Ne quis Regularium imposterum ejiciatur a Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes a Superioribus ignominia & carcere puniantur.* Et n. 5. refert die 13. Januarii an. 1624. Congregationem habitam fuisse coram Cardinalibus Pontificis jussu congregatis, ut definiretur: *An persistendum esset in Decreto hac de re edito a sacra Congregatione Concilii sub Pio IV. Procuratoribus intimato*; porro Cardinalium Cajetani & Mellini sententia declaratum fuisse consilium a Concilii Congregatione sub Pio IV. susceptum sa-

cris Canonibus conforme esse. Sed cum Religiosi, tum Gregorii IX. & Concilii Congregationum Constitutionibus, tum Canonistarum sententiis nihil obstantibus, suis Regulis mordicos adhærerent; tandem negotium eodem an. 1624. die 21. Septembris definitum fuit, habita sub Urbano VIII. Congregatione, qua Religiosis quidem permittitur, ut incorrigibiles ejiciant, sed simul etiam, quomodo hac in re se gerere debeant, iisdem præcipitur; En hujus Constitutionis verba a Fagnano in idem Caput post numero 71. & in Bullario Tomo 4. Constit. 28. Urbani VIII. §. 6. in medium allata: *Ad hæc ut imposterum a Religionibus nullus legitime Professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis & Constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apostolica approbatis & confirmatis; verum etiam probetur unius anni spatio in jejunio & pœnitentia in carceribus; proindeque unaquæque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem possit; sed ab ipsomet Generali tantum de consilio & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & Constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen usque ad primum generale Capitulum, seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex justis & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit a Generali cum Consilio & assensu sex Patrum, ut supra, quos idem Generalis eligere debeat infra quatuor menses a præsentis Decreti publicatione; servata tamen in reliquis forma superius præscripta.*

§. 7. Sic vero ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint; proindeque Generalis illico expulsionis sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. 8. Cæterum sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Jesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas fratrum suorum fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officii immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus Noster Jesus Christus in supremo Dei judicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

§. 9. Præterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§. 10. Item, ut ejecti extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

§. 11. Ac postremo censuit esse innovandam, & suæ Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem felicis recordationis Gregorii IX. relatam in C. finali extra de Regularibus. Ac præterea declarat, eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui juste, definitiveque, ac juris ordine servato, expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis ejusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendi sacra Congregatio serio oneravit.

Cum id non nisi ut monumentum spectari possit, en enucleatius distinctiusque responsum.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatum libellum supplicem vidit, expenditque, non putat eos, qui consulunt, satis gravi fundamento niti, ut Religiosos, quos incorrigibiles judicaverint, ejiciant, si stare velint Regulis Juris, quod Gregorius IX. instituit, quoque videtur voluisse corrigere, ac temperare Jus vetus, quod non modo S. Benedicti & S. Augustini, ac fere cæteris omnibus Regulis firmatum erat, sed etiam Jure Canonico *C. Ad Monasterium & C. Ea quæ extra de statu Monachorum*, & complurium Sanctorum sententia, qui quidem disciplinam hanc, ut rectus ordo ac pax in Religiosis Communitatibus custodiretur, necessariam esse censuerunt.

Id porro non impedit, quominus Gregorius IX. animo reputans, quam gravia Religiosorum expulsionem, eorumque ad humanam societatem regressum incommoda consequerentur, contrariam Constitutionem ederet, statuens *C. fin. de Regularibus*, ut Superiores quotannis Religiosos quærerent, quos expulissent, atque adeo ad eos agendæ pœnitentiæ gratia Monasteriis suis restituendos, vel in alia ejusdem Ordinis compellendos excommunicatione uterentur.

Haud standum hoc loco censebitur explicationi, quam Navarrus, & qui eumdem secuti sunt, huic Capiti *fin. de Regularibus* adhibuerunt, cum laudatum Gregorii Decretum legenti compertum fiat, hunc magni cæteroquin nominis virum ei vim inferre, nec ejus obvium ac genuinam notionem reddere; id quod confirmatur judicio Doctorum in Jure Canonico tum fama, tum antiquitate præstantium, qui Caput hoc Juris veteris correctionem esse pronuntiarunt, quorum nomine Panormitanus in *C. ad Monasterium de statu Monachorum n. 13.* ita statuit: *Credo, quod hodie non habet locum expulsio a Monasterio, sed sit procedendum, prout habetur in dicto C. final. de Regularibus. Nam illud Caput fuit posterius, cum sit Gregorii IX. & providit circa ejectos & fugitivos. Et saltem casu quo licita est expulsio, deputentur tales ergastulo infra septa Monasterii, ne detur occasio vagandi.* Congregatio Concilii sub Pio IV. hanc sententiam amplexa est, Religiosisque prohibuit, ne incorrigibiles pellerent, mandavitque, ut, si quidem in eos animadvertere deberent, carcere, aliisque pœnis uterentur; ut proinde dubitari non possit, quin Gregorius IX. Religiosorum incorrigibilium expulsionem impedire voluerit. Quamobrem ex Regula Juris in *C. Religiosi* Congregatio regularis, de qua agitur, Religiosos suos, quos ut incorrigibiles spectat, expellere non potest.

Nec magis hæc eadem Regularis Congregatio uti potest novo Jure, quod Tridentinæ Synodi Congregatio die 21. Septembris an. 1624. Urbani VIII. consensu statuere voluit, dum Superioribus concessit, ut incorrigibiles pellerent, & Ordinariorum potestati subjicerent; propterea quod I. non quidem in Regno tanquam Leges non recipimus earum Congregationum Decreta, quamvis ea Pontifex approbaverit; & quicquid a Romana Curia est, ad ordinarias formas est redigendum, & juxta Galliarum principia & consuetudines recipiendum, ut auctoritate ibidem polleat; II. esto harum formularum, quæ cæteroquin necessariæ sunt, ratio non haberetur, hujus tamen Congregationis Constitutionibus se Religiosi tueri non possent, cum ea Leges Regulasque præscribat, si quidem incorrigibilitas constet; præterquamquod enim postulat, ut probetur, prout communi Juri præscribitur, declarat, omnibus Ordinum Constitutionibus & Statutis etiam Sanctæ Sedis approbatione & confirmatione gaudentibus minime spectatis, ne Religiosus incorrigibilis habeatur, nisi prius integri anni spatio pœnitentiæ addictus, & in carcerem conjectus fuerit; quod si in malo pertinax sit, tum demum de eo Generalis non sine sex aliis Religiosis perspectæ virtutis, & in Generali Capitulo electis judicium ferat; ac tum postea Religiosus e Monasterio extrudatur, & Episcopi Jurisdictioni subdatur, cui quidem suberit ab Ordinibus suspensus, quamdiu in humana societate, & extra Monasterium versabitur; ut proinde regularis Congregatio difficile possit has omnes Regulas ad præsentem facti speciem accommodare, suorumque Religiosorum profligatam pervicaciam probare; ac si quidem possit, non immerito timendum sit, ne hæc agendi ratio per appellationem tanquam abusus disjiciatur.

Hæc igitur Congregatio in ea consuetudine, qua sibi per Regulam licet pertinaces expellere, persi-

stere

ftere non poſſet, niſi contenderet C. *Ne Religioſi* nec executioni mandatum, nec receptum fuiſſe, & Religioſos ſemper in priſtinæ diſciplinæ poſſeſſione manſiſſe, ut ex eo apparet, quod ſcribunt D. Thomas *quodlibet* 12. *q.* 24. & D. Bonaventura *q.* 14. in regula S. Franciſci, omneſque veteres Canoniſtas non de conſuetudine, quæ obtinuerit, ſed ſolum de ſtatutorum Gregorii IX. obvio ſenſu locutos eſſe; ut proinde Religioſi ſemper in veteri poſſeſſione perſtiterint, quicquid ſtatuerit ſub Pio IV. Concilii Congregatio, cui ſe illi oppoſuerunt, ut eſt apud Fagnanum *in* 2. *part.* 3. *Decretal. in c. Ne Religioſi n.* 36.

Ut ut res habeat, Conſilium cenſet,

Regularem Congregationem non niſi juxta Canonicas Regulas cum depravatis Religioſis ſuis agere, ac non niſi juſtis ac rationi conſonis modis ſe ab iis liberare poſſe. Quod ſi Beneficiis habentur indigni, ea ipſis conferri nequeunt, adeoque minus, ſi conſtet id iis majoris depravationis occaſioni fore. Ex eo autem quod ejici poſſint, concludi nequit, eos, collatione Beneficii, removeri poſſe, quoniam eorum expulſio juſtitiæ actus eſt, & in eos exercetur punitio, quam Regula ſtatuit, quæque in eum finem adhibetur, ut illi ad bonam frugem revocentur, dum in ſæculum rejiciuntur, tanquam indigni, qui degant in Monaſterio, quod iis tantum patet, qui ad propriam perfectionem incumbunt.

Porro pœnæ omnes, quas infligit Eccleſia, eo demum ſpectant, ut qui puniuntur, reſipiſcant, atque adeo excommunicationis, quæ cæterarum graviſſima eſt, is finis eſt, *ut ſpiritus ſalvus fiat*. Hac de cauſa Cardinalium Congregatio in Decreto diei 21. Septembris an. 1624. mandavit, ut ejecti, extra Monaſterium quidem ſuſpenſi eſſent; & renovat *C. final. extra de Regularibus*, ut iidem Religioſi ad Monaſterium redire poſſint, *dummodo tamen in expulſis hujuſmodi ſubſit ſpes evidens emendationis ex litteris teſtimonialibus Ordinarii, cujus conſcientiam in his litteris concedendis S. Congregatio ſerio oneravit*. Itaque Regulares Ordines, incorrigibilibus expellendis, non id ſolum propoſitum habere debent, ut iis malis occurrant, quæ eorumdem Religioſorum præſentia Communitati afferre poſſet, ſed etiam ut hac ratione, quoad fieri poteſt, aberrantium ſaluti proſpiciant.

Non eadem eorum ratio eſſet, quibus Beneficia conferrentur; ne dum enim punirentur, iis potius in malo perſiſtendi occaſio præberetur.

Deciſum in Sorbona die 29. Aprilis an. 1684.
Aug. *de Lamet*.

Religioſus Ordinario ſubjectus, ab alio Epiſcopo initiatus.

CASUS XVII.

1 *Religioſus exemptus, cui proprius Epiſcopus Presbyteratum negavit, non potuit ad Romanum Sedem confugere, ut Reſcriptum obtineret* ut a quocumque, *niſi Epiſcopi ſui negationem expoſuerit, ejuſque negationis actum produxerit.*

2 *Epiſcopus, qui abſque proprii Epiſcopi dimiſſoriis litteris ei ordines contulit, ordinandi jure ad annum privatur, & Religioſus privatur jure functiones ſuas obeundi; quod ſi quam obivit poſt Ordinationem, irregularis eſt.*

QUÆSITUM.

Religioſus Hoſpitalarius, qui que ab hinc annis Diaconus, cum ei proprius Epiſcopus Sacerdotium conferre nollet, petiit, Superiore ſuo conſentiente, a Romana Curia facultatem ſuſcipiendi Ordinis *a quocumque*, propterea quod Hoſpitale Presbyteris indigeret, recuſationis Epiſcopi nulla mentione facta. Itaque Reſcriptum obtinuit cum clauſula: *de conſenſu Superiorum*, & ab alio Epiſcopo, qui ex Superioris Regularis commendatitiis Litteris de ejus vita moribuſque cognoverat, Presbyter creatus eſt. Quid de Religioſo, ac de Epiſcopo ordinante, quid de Reſcripti, conſequenterque Ordinationis validitate ſentiendum eſt? Clauſula *de conſenſu Superiorum* de Ordinatione, an de Regulari Superiore accipienda eſt?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Religioſum Epiſcopo ſubjectum, cum ab eo Presbyteratus Ordinem obtinere non potuerit, ejus Ordinis *a quocumque* ſuſcipiendi a Romana Curia petere non potuiſſe, quin Epiſcopi ſui reluctationem exponeret; Presbyterorum nempe indigentia, qua ejus Hoſpitale tenebatur, haud ſatis juris ad id ei tribuebat; graviterque ille peccavit, qui de hac negatione ſiluerit. Quamvis enim Papa nonnunquam gratiam conferat *ut a quocumque*, non eam tamen confert niſi juxta regulas a Tridentino Concilio præſcriptas, ut tum ex Romanæ Curiæ ſtilo, tum ex Cardinalium ejus interpretum definitione licet intelligi.

Poterat Religioſus, ſiquidem injuriam ſibi ab Epiſcopo factam crederet, ad Metropolitanum confugere, appellatione interpoſita, ab eoque recuſationis Actum expoſcere. Si enim, de Epiſcopi negatione nullis dictis, ad Romanam Curiam recta pergere permitteretur, janua graviſſimis abuſibus aperiretur. Procul dubio Pontifex Reſcriptum non conceſſiſſet, ſi de ea circumſtantia cognoviſſet, & Oratorem ad Ordinarium, ut examini ſubderetur, miſiſſet. Nullum ergo eſſe creditur Reſcriptum hoc allata de cauſa, & quia clauſula *de licentia Superiorum* de Ordinario accipienda eſt, præſertim cum de Religioſo, qui Epiſcopo ſubeſt, ſermo eſt.

Ordinatio porro valida eſt; ſed Epiſcopus ordinans male ſe geſſit, qui non niſi ad Epiſcopi dimiſſorias litteras ordinare debebat, cum Regularis Prælati commendatitiæ litteræ ſatis non eſſent. Itaque Religioſus in pœnas incidit, quæ cap. 8. Tridentinæ Synodi *de Reform. ſeſſ.* 23. declarantur his verbis: *Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiamſi ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur: ſi ſecus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, & Ordinatus a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Cardinalium definitio declarat Papam nunquam gratiam *ut a quocunque concedere*, quin Epiſcopus de ejus vita ac moribus, qui Reſcriptum obtinet, teſtatus ei cooperetur: *Qui a Sede Apoſtolica obtinuit, ut ordinari poſſit ab alio quam a ſuo Ordinario, debet probitatem ſuam & mores Ordinarii ſui teſtimonio comprobare: ac ideo inolevit illa clauſula, ſub Ordinario, vel de ejus licentia probitas & mores Ordinandi comprobentur.* Eu Cardinalium deciſionem: *An qui facultatem a Sede Apoſtolica obtinuit, ut poſſit Ordinari ab alio quam a ſuo Ordinario, debeat nihilominus probitatem ſuam & mores Ordinarii ſui teſtimonio probare? Congregatio cenſuit debere, prout ſignatura S. N. D. jamdudum ſolita eſt, in hujuſmodi facultatibus, ponere clauſulam illam: de licentia Ordinarii.* Quod argumento eſt, clauſulam *de licentia Superiorum* ad Epiſcopum pertinere; eoque magis, quod Religioſus, de quo agitur, exemptus non eſt; addendum & illud, quod Concilii regula utpote generalis Religioſos æque ac Sæculares Clericos complectitur; & Cardinales Ordinarii nomen cum Epiſcopi vocabulo confundentes, proprium Epiſcopum ob oculos habent, cum de Ordinario loquuntur, eum, qui ordinare poſſit, intelligentes, quod in Epiſcopum tantum cadit; prætereaquamquod Ordinarii nomine apud Canoniſtas non venit Superior Regularis, ſed ſolum is, qui Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali poteſtate gaudet, id quod de Magno Vicario accipitur, ut ex Pyrrho Corrado intelligimus *in praxi diſpenſationum Apoſtolicarum l.* 2. *cap.* 4. *n.* 16. *Sub nomine Ordinarii intelliguntur etiam inferiores Epiſcopis, ſi habeant juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut per Garciam de Beneficiis p.* 9. *c.* 2. *n.* 142. *Et licet in clauſulis ſupradicta ſupplicationis additum fuerit, & committatur Ordinario; Conſueverunt hujuſmodi committi Vicario Generali Epiſcopi juxta communem ſtylum Cancellariæ Apoſtolicæ; ipſe enim Vicarius eſt Ordinarius.*

Et

Et infra de Vicatiis Generalibus quoad Episcopos ita pronuntiat : *Nam unum & idem tribunal constituaat*. Cum ergo Ordinarii vocabulum hoc sensu acceptum Religiosi Episcopo subjecti Prælato non congruat, excusari non potest ejus agendi ratio, & omnino statuendum est, eum in suspensionem incidisse, ac si post Ordinationem celebravit, irregularem esse, nec posse ab ejusmodi censura nisi Pontificis auctoritate liberari.

Decisum die 11. Octobris an. 1690.
Aug. *de Lamet*.

Religiosus absque Novitiatu ad Professionem admissus.

CASUS XVIII.

Religiosi Professio, quam Novitiatus annus non præcessit, nulla est; debet ille tamen ante quinquennium sibi providere, at contra sua vota legitime reclamare possit.

QUÆSITUM.

QUidam sumpsit habitum Ordinis ætatis anno septimo, eumque ad decimum tertium usque detulit, in Abbatia commorans, ibique Novitii functiones exercens. Ætatis anno decimo tertio Parisios venit, annuente Priore, ut ibidem studiis vacaret. Ibi usque ad decimum sextum constitit, quo temporis intervallo habitum non detulit, immo vero coloris vestibus indutus incessit; tum a patre accitus, apud eum ruri mansit ad tempus aliquod sæculari habitu vestitus. Pater in eo consilio persistens, ut eum Religiosæ Professioni addiceret, adolescentis propensioni se se conformans, ei proposuit, ut in Monasterio, in quo habitum sumpserat, Professionem emitteret. In eam Abbatiam ingressus, ibi Professionem edidit, quamvis Religiosorum uno vel altero refragantibus, & contendentibus eum, cum Noviriatum necessarium non confecisset, vota proinde edere non posse. Triduo seu quatriduo mansit in Monasterio post editam Professionem; tum Parisios ad absolvenda studiorum suorum curricula reversus est. Ei deinde Regularia Beneficia sunt comparata; Subdiaconatum suscepit tanquam Religiosus; habitum fere non defert, sed solum per intervallum, & in patris gratiam, qui eum jubet ad Professionis Domum quandoque pergere, ubi paucis tantum diebus moratur, ut redeat ad sua consueta exercitia, venationem scilicet, aliasque sæculares relaxationes, quam quidem vitæ rationem a Professione ad usque trigesimum quintum ætatis annum transegit.

Quæritur I. An hujus Religiosi Professio ac vota valida sint?

II. An si forte non sint valida, curare possit, ut ab iis liberetur?

III. An si Religiosus non sit, Beneficia sua dimittere teneatur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem expenderunt, existimant, quoad quæstionem primam, Professionem, ac vota, quæ edita fuere, nulla esse ex Regula Tridentinæ Synodi *sess.* 25. *c.* 15. declarantis Professionem, quam non integer Probationis annus præcessit, nullam esse, nec ad ullam regularem cujuscumque demum Religionis observantiam obligare. Expressa sunt ejus verba: *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum, Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur. Professio autem antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ vel Religionis observationem*. Cum porro ex expositione certum sit eum, cujus gratia consulitur, Religionis habitum deposuisse ætatis anno decimo tertio, quem septimo sumpserat, & ab anno tertio decimo ad Professionis usque diem, quam anno sexto decimo emisit; evidens proinde est ejus Professionem, haud præcedente Novitiatus anno, editam fuisse, & quod inde consequitur, in causa esse non potuisse, ut ille Regulam servare teneretur. Neque enim contendi potest, tempus, quo ille in Monasterio mansit, Novitii habitu indutus, Novitiarum censeri posse, quoniam juxta veteres Regulas Novitiatus ab habitus susceptione computandus non est, siquidem ante pubertatis ætatem susceptus fuerit, & id omne tempus haud censetur Probatio, quæ non nisi discretionis ac pubertatis ætate inchoari potest, qua quidem ætate, qui Religioni se devovere vult, potest de propriis viribus judicare, ac Religio ipsa cognoscere potest, an ejus receptio sibi utilis sit. Hæc antiquorum pariter ac recentiorum Theologorum & Canonistarum doctrina est. Expressus in hanc rem est S. Antoninus *p.* 3. *t.* 16. *c.* 3. *§.* 2. *Annus igitur probationis*, inquit hic sanctus Pater, *est* XV. *secundum Jo. An. & hujus ratio est, quia tempus probationis datur ad probandam austeritatem Religionis, ut extra de reg. C. Apostolicam, inter quas est præcipua custodia castitatis, quam communiter loquendo non est aptus antea probare*. Angelus idem asserit *v. Novitius*, sibique eam quæstionem proponit: *Quis possit esse rationis capax, & pubes* 20. *q.* 1. *per totam, & de Regulari C. Cum simus .... Unde licet ante annos pubertatis, vel oblatus a parentibus, aut aliter quis possit suscipere habitum; tamen non est Novitius, qui experiri non potest, quid est castitas, nec malitia potest supplere ætatem, ut in C. ad nostram, & C. significatum de Regul. & ideo oportet, quod compleverit quatuordecim masculus, fæmina vero duodecim*. Tabiena, & Armilla in verbum *Novitius* n. 1. idem docent iisdem prope verbis, easdemque afferunt auctoritates. Sylvester *v. Religio* 5. *q.* 3. *Tertio quæritur, quanto tempore quis debeat esse Novitius? Et dico, quod anno toto regulariter* 17. *q.* 1. *Consaldus & de Regul. ad Apostolicam. Et incipit annus ipse ab hora impositionis habitus, modo sit pubertas, alias a puncto pubertatis*. Azor. *t.* 1. *instit. mor. l.* 12. *c.* 2. Suarez *de Religione t.* 3. *l.* 5. *c.* 13. *n.* 4. Sanchez *de matrim. l.* 7. *disp.* 37. *n.* 49. eidem sententiæ subscribunt; quod argumento est, Professionem, pro qua consulitur, Novitiatum subsecutam non esse, sed tantum a patre filium oblatum Religioni, quæ quidem eum educandum suscepit, ut ex Ecclesiæ disciplina fieri licet; sed probationis annum omnino non extitisse, quoniam ante tempus, quo ea edi potest, ille e Monasterio egressus est, & non modo Religionis habitum deposuit, sed vestes omnino singulares induit, quod evincit eum in regulari probatione non fuisse.

Sane non desunt Auctores, qui Religionis habitum, aut in Monasterio commorationem non ita ad Novitiatus essentiam spectare, quin Superioris auctoritate in iis dispensari possit, ut contigit in præsenti facti specie. Verum ne quæstio hæc funditus expendatur, Superior, dum huic adolescenti eam facultatem concessit, ut Parisios studiorum causa se conferret, profecto eum sæculares habitus sumere non permisit, ac si permisisset, id non nisi necessitatis causa fecisset, qualis esse non potest in adolescente, qui ad Catholicam, ut studiis vacet, Universitatem se confert, ut Religiosi alii bene multi, qui ibi instruuntur, instituunturque, quin propterea tamen suos regulares habitus deponant.

Sed ex eo etiam magis apparet hujus objectionis levitas, quod hujus pueri Superior non ipsius tanquam Novitii Superior erat, quoniam ille nondum Novitius esse poterat, atque nulla in eum, ad hanc rem quod attinet, auctoritate gaudebat, atque ut summum ei præerat ea solum ratione, qua Collegii Moderator Pensionariis, vel Seminarii Rector iis præest, quos ibidem ad Ecclesiæ servitium informat, & quod inde consequitur, ex ejusmodi permissione ostendi omnino non potest ejus Professionem validam fuisse, qui, dum poterat, nullam Regulæ probationem edidit, & antequam juxta Ecclesiæ regulas Novitius esse posset, habitum exuit.

Ad quæstionem secundam quod attinet, Subscripti censent, eum, qui consulit, admodum difficulter obtinere posse, ut a Professione solvatur; I.

Quia

Quia jam tempus elapsum est, quo sibi immediate coosulere posset apud Ordinarium, ac Monasterii sui Superiorem, qui ex disciplina in Tridentino Concilio *sess. 25. cap. 19.* instituta noo debent ejus querelas audire, qui, cum per annos quinque siluissent, Professionis suæ nullitatem probare contenderet: *Quicumque Regularis*, inquit Concilium, *prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, nisi intea quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.*

II. Nec facilius contra quinquennii lapsum a Romana Curia dispensationem obtinere poterit ob clausulam, quam Urbanus VIII. instituit in stilo, qui in Commissionibus adhibetur: *Dummodo a Professione omissa decennium elapsum non fuerit.* Ita enim Pyrrbus Corradus io hanc rem *l. 5. dispensat. Apost. c. 14. n. 53. Quinto adjicitur in hujus restitutionum commissionibus clausula: Dummodo decennium a die omissæ Professionis lapsum non sit: quæ tamen antea non apponebatur, sed tantum a nonnullis citra; ita mandante Sanctissimo D. N. Urbano Papa VIII. & sine dicta clausula vix & raro conceduntur, & nos ista observantia docet; aliter enim elapso dicto decennio, Orator nullo modo in prætensis juribus audiretur.* Ex quo asseritur multo minus fore, ut audiatur, qui per annos a Professione viginti quinque conticuit.

III. Quod si a Romana Curia id obtineat, ut contra quinquennii lapsum restituatur, ei sane difficilis erit restitutionis executio, cum stet præsumptio, eum Professionem suam duplici ex capite ratam habuisse; I. Subdiaconatus Ordioe suscepto; II. sibi comparatis Regularibus Beneficiis; ut proinde in clausulæ verba, quæ in Commissione occurrunt, inciderit: *Dummodo tacite, vel expresse non ratificaverit.* Audiendus Pyrrhus Corradus, qui capite supra laudato n. 50. hæc babet: *Quarto additur supradicta clausula: Dummodo hujusmodi Professionem tacite vel expresse non ratificaverit; quo casu si constaret aliquo modo illam Oratorem ratificasse, non admitteretur ad proponendas nullitates: & in dubio intentionis de ratificanda Professione contra quinquennium, eo transacto, præsumeretur eam ratificasse, cum in dubio in favorem Religionis præsumendum sit: & hujusmodi Professio præsumitur per gestationem annalem habitus indistincti; nec non inducitur per Ordines in Religione susceptos.* Quod porro dicitur de Subdiaconatus Ordine, quem suscepit, idem quoque dicendum de Regularibos, quæ sibi comparavit, Beneficiis, ea nempe non minus evincere ipsum se Religiosum fassum esse, ut eadem Beneficia, quibus jamdiu fruitur, obtineret. Cum autem ad ejus defensionem nihil aliud supersit, quam ut ejus ignorantia allegetur; timendum est, ne contendatur eam ejusmodi non esse, ut ipsum in tuto ponere possit, quoniam ex oppositionibus, quæ in ejus Professione extiterunt, cognovit, rem difficultate non carere, ac proinde bona fides io eo non omnino locum habuit; ut propterea, cum acta, quæ edidit in dubio, quod in eo fuisse præsumetur, votorum confirmationem adjunctam habeant, hac de causa a sua petitione dimoveri possit a Commissario, cui negotium a Pontifice traderetur.

IV. Est, cur timeatur, ne, si favorabilem sententiam a Commissario Consulens obtineret, ea a Senatu abrogetur, & abusiva declaretur, si res per per appellationem tanquam abusos ad eum deducatur; ac Subscripti quidem nituntur Rescriptis, quæ in simili facti specie edita fueruot, & quorum magnum numerum in suo Tractatu de abusu Fevretus in medium affert. Sed Doctores consulti persuasum habent se non posse, quin subdant, eum, de quo quæritur, gratia, siquidem a Pootifice eam obtineret, uti non posse, dum non deferat Ordinis habitum, quem sua ipse auctoritate abjicere non potuit, juxta Tridentini Concilii *Sess. 25. cap 19.* verba hæc: *Quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur.* Quod non obscure significat, Religiosum hunc se coram Deo reum effecisse, cum Religionis, quam professus est, habitum dimisit, nec gestavit, prorsusque oportere, ut eum recipiat, & in posterum deferat, adeoque in Monasterium coocedat, ibidem sub obedientia Superiori debita victurus, quoad Sententiam, qua ejus vota declarentur irrita ac nulla, obtinuerit. Neque vero tuta conscientia relaxationibus, quas Clericis ac Religiosis sacri Canones interdicunt, indulgere potest, atque abstinere proinde debet a venatione, quæ in eo quidem oblectatio honesta non est, quamvis ejusmodi in Sæcularibus esse possit.

Quod spectat ad quæstionem tertiam, Subscripti sentiunt, facta hypothesi eum, cujus gratia consulitur, Religiosum non esse, ipsum suis se Beneficiis abdicare debere, sed expectare tamen posse, dum negotium ad exitum perducatur.

Decisum in Sorbona die Decembris an. 1673.

Aug. *de Lamet*.

Religiosus, qui, ut recipiatur, pecuniam erogat.

CASUS XIX.

1 *Quicumque pecuniam dant, ut sibi ad Religionem aditus pateat, & Religiosi directe vel indirecte pecuniam ab accedentibus exigentes, per Canones excommunicati sunt.*

2 *Canones hos quoad Sanctimoniales nonnulli Pontifices temperarunt; sed eos omnino quoad Religiosos in integro esse voluerunt.*

QUÆSITUM.

MOnasterii Soperior pecunia opus habens nanciscitur adolescentem, cujus consanguinei quatuor mille libras offerunt, si eum inter Chori Religiosos recipere velit. Adolescens bic nec scientia, nec mente pollet, nec ulla ex iis qualitatibus, quas Constitutiones exigunt, ornatus est. Ad obtinendum Superioris assensum, ei pecunia tribuitur, quo tempore adolescens habitum suscipit, eo scilicet tempore, quo Superior eadem pecunia maxime indiget, id quod argumento est, ei nihil aliud causæ fuisse, quamobrem ipsum reciperet. Ita porro negotium palliatur, ut Superior libras 4000. constituat Novitii Consanguineis; hi vero summam hanc Conventui certam reddant, quo tempore Novitius Professionem emittet. V. Pirrhingum *tom. 5. de Simon. p.* 50. & Tractatum *de Sim. Cod.* 193.

In eorum gratiam, qui in ejusmodi negotiis rudes sunt, quibusque proinde falsæ rationes fucum faciunt, in quæstionem vocatur,

I. An non ea receptio Simoniaca sit?

II. An qui ad hojus adolescentis receptionem conferent, eum ad Professionem suffragiis suis admittentes, simoniæ, atque excommunicationis, quam Canones in Simoniacos infligunt, participes futuri sint necne?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

I. Adolescente hoc inter Chori Religiosos suscepto, peccari gravissime, qooniam nulla ex requisitis dotibus gaudet, eum Constitutiones excludunt, nulla studiorum laude commendator, atque adeo studiis ineptus est.

II. Ejus consanguineos suscepti habitus tempore libras 4000. erogantes, & Superiorem eas acceptantem peccare contra Decretum Tridentini Concilii *Sess. 25. c. 16. de Regul.* sub excommunicationis pœna prohibentis, ne quid a Novitio, vel ab ejus consanguineis, seu Tutoribos accipiatur, quocumque demum prætextu, excepta pensione ad eum Probationis tempore alendum, ne scilicet Monasterium eumdem retineat, ut ne cogatur reddere, quod receperit, vel ne Novitius recedere non audeat, veritus, ut id recuperare valeat, quod fami-

lia pro se persolverit : *Sed neque ante Professionem, excepto victu & vestitu Novitii illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat . . . . . Quia potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus & recipientibus, ne hoc ullo modo fiat.*

III. Superior hic, qui libras accipit 4000. ut indignum suscipiat, eum nonnisi hujus pecuniæ gratia admittere censetur, ac proinde rem spiritualem, qualis in Religionem ingressus est, pro temporali dat. Itaque simoniam perpetrat cum naturali, divino, & canonico jure pugnantem, ut liquet ex Extravaganti: *Sane de Simon.* in qua Urbanus Pontifex ita pronuntiat : *Districtius inhibemus, ne tam a maribus, quam a mulieribus, volentibus eorum ingredi Religionem, pecunias, aut alias res, directe vel indirecte, petere, vel exigere quoquo modo præsumant.* Eum quidem Superiorem libras 4000. formaliter petiisse non apparet, sed eas tamen exegit ille implicite & indirecte, cum eam summam, id quod expositio significat, acceptavit, & in se recepit, ejus summæ gratia, adolescentem ad Novitii habitum & ad Professionem admittendum. Quamobrem versatur ipse æque atque adolescentis consanguinei, in ea facti specie, de qua loquitur Urbanus Pontifex, dum addit : *Nos, qui secus egerint, tam dantes, quam recipientes ejusmodi excommunicationis sententiæ eo ipso decernimus subjacere, a qua præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, absque Sedis Apostolicæ sententia speciali.*

Contendunt nonnulli Theologi, quod Cabassutius animadvertit *l. 5. c. 5. n. 17. in praxi* excommunicationem in hac Extravaganti latam pluribus posteriorum Pontificum Bullis in Monialium favorem editis sublatam fuisse ; subdit tamen Cabassutius, cum temperamentum hoc Religiosas tantum afficiat, Extravagantem proinde contra Religiosos locum habere posse : *Veruntamen cum mitigationes SS. Pontificum sola exonerent fœminarum Monasteria, posset adhuc ista Extravagans suo robore perdurare, circa Conventus & Monasteria virorum.*

Hinc sequitur :

I. Adolescentis receptionem simoniacam esse non solum quoad Superiorem, sed etiam quoad Religiosos, qui suffragiis suis eum susceperunt, pecuniæ, quam dedit, intuitu.

II. Non temere credi posse Superiorem ac Religiosos, de quibus est sermo, in excommunicationem contra Simoniacos, Religionis januam ob pecuniam patefacientes inflictam incidisse ; neque vero contendi potest in Superiore, ejusque Religiosis bonam fidem adesse ; est enim simonia crassior & apertior, quam ut eos ignorantia excusare possit. Utrum autem excommunicatio hæc in ipsa habitus susceptione contracta fuerit, an vero in Professione tantum sit contrahenda, utrum etiam in utraque, quod Theologi nonnulli contendunt, referente Pelizario *tom. 2. tr. 7. c. 2. n. 119.* nunc quæritur ; illud extra omnem dubitationis aleam positum est, fore, ut in Professione quidem ea contrahatur, quia tunc actus completus erit, omnemque suum effectum sortietur, quemadmodum Pelizarius loco laudato propugnat.

Decisum hac die 14. Octobris an. 1701.
G. *Fromageau*.

QUÆSITUM.

Mercator Religioso ad Parochiam nominato mutua dedit librarum quindecim millia, quibus ille ad Presbyterii ornatum usus est. Religiosus hic ejus summæ obligationem constituit ; sed Mercator nec summæ traditæ solutionem, nec ejus ullum fœnus exegit a Religioso per annos omnino sexdecim, quibus ille Parochiam administravit. Cum is se morbo, quo etiam oppressus jacuit, correptum videret, deposuit apud amicum quadringentarum librarum summam, Mercatori, vel ejus hæredibus, se mortuo, tradendam, in censuum, quos ille non petierat, compensationem. Id autem Religiosus egit, insciis Superioribus, cæterisque Confratribus, ad quos spectant ejus exuviæ.

Quamobrem quæritur ;

I. An hic Religiosus, qui testari non potest, moriens eam quadringentarum librarum summam, tanquam ejus pecuniæ, quam Mercatori debebat, censum, ac retributionem tradere potuerit.

II. An hic idem Mercator tuta conscientia eam pecuniam accipere ac retinere, ac præterea ex successione libras quindecim mille sibi debitas exigere possit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Mercatorem, de quo in Expositione dictum est, librarum quindecim millia, quæ ipse Religioso mutua dedit, quæque ille utiliter, nempe ad decentem Beneficii ornatum impendit, ex bonis, quæ Religioso eidem supersunt, exigere posse. Quadrigentarum autem librarum summam pro fœnore nequit accipere, quia non constat id ei deberi, cum nunquam petierit. Nec magis ille eamdem pecuniam, tanquam retributionem, ac liberalitatem, quam erga se testamentaria quadam dispositione idem Religiosus exerceat, sumere potest ; Religiosus enim testari non potest.

Beneficiatus quidem Religiosus Beneficii sui reditus administrat, eosque ob pias honestasque causas disponere potest, ut ex Clementina *§. Sed & tales, de vita & honestate Clericorum*, atque ex Canonistis, quorum testimonia profert Layman *l. 4. tract. 5. cap. 7. n. 17.* licet intelligi ; sed ille tamen donationes, aut munera, quæ quidem haud parvi momenti sint, exhibere paupertatis voto prohibetur ; ut proinde si Mercator quadringentas libras eas accepisset, Beneficio, vel Beneficii Ecclesiæ restituere teneretur, nisi Monasterium ex consuetudine sibi sumeret, quicquid Religiosi Beneficiati post mortem reliquerint.

Quod si tamen Religiosus hic oscitantia sua Mercatori detrimentum aliquod attulisset, vel lucro, quod legitime percipere posset, eumdem privasset : posset Mercator quadringentas libras, utpote legitime sibi debitas retinere. Et in hac facti specie pecuniæ, quam post suam mortem Mercatori tradendam Religiosus alteri commisit, depositum spectandum est non tanquam dispositio testamentaria, quam Religiosus edere nequit, sed tanquam æris alieni solvendi mandatum, quod is edere potest, atque adeo debet.

Decisum Parisiis hac die 19. Januarii an. 1702.
G. *Fromageau*.

Religiosus Prior Parochus, qui ære alieno gravatus moritur,

CASUS XX.

1 *Religiosus Parochus moriens certam pecuniæ vim non potest alteri tradere ad solvendos censūs æris alieni, quo Mercatori obstringitur.*
2 *Qui hujus Religiosi spoliis gaudeat, ex defuncti bonis sumere debent, quo ejus æs alienum solvant.*
3 *Ejus creditores possunt pecuniæ mutuæ fœnus accipere, si ea lucri cessantis, vel damni emergentis specie versentur.*

Religiosus, qui vota sub conditione pronuntiat.

CASUS XXI.

1 *Religiosus, qui probat se ea conditione Professionem edidisse, si nempe ejus valetudo, quæ Novitiatus tempore teterrima fuerat, deinceps redintegraretur, petere potest, ut ea nulla declaretur, conditione non posita.*
2 *Si eam conditionem probare non possit, a Pontifice postulare debet, ut ad mitiorem Ordinem gradum facere sibi liceat.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Sorbonæ Doctores rogat Tullanus Episcopus, ut definiant;

An Fratris Jacobi Racquet Professio Tullana in Urbe, prout mox declarabitur, in Dominicanorum Conventu edita valida sit?

Frater hic an. 1685. Novitiatum incepit, & anno 1689. Professionem emisit. Anno 1692. reclamavit. Cum Novitiatus tempore valetudine summopere laboraret, egredi voluit; sed eum Medicus impedivit, certumque reddidit post Professionem se melius habiturum. Porro Medicus in sua declaratione testatur, eum Novitium omnino nec vota pronuntiaturum, nec Professionem editurum fuisse, si se semper infirma valetudine futurum, nec melius habiturum credidisset.

Hic idem Religiosus nonnullorum Religiosorum declarationes alias producit, e quibus id unum constat, eum Probationis tempore valde hæsitasse; prununtiatque in Supplicatione, quam Tullano Episcopo obtulit, se a Novitiorum Patre Magistro dolo malo irretitum, & ad Professionem edendam adductum fuisse.

Hoc loco additæ erant Declarationes, & Supplicatio Tullano Episcopo oblata.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, visis & expensis iis, de quibus in Supplicatione Tullano Episcopo a Fratre Jacobo Racquet in id exhibita, ut in Fratrum Dominicanorum Ordine ab eo edita Professio nulla declaretur, existimat, haud satis causæ esse, quamobrem dicti Fratris Professio in præsentia nulla declaretur, quia eorum, quæ Expositione continentur, probatio constans non est.

I. Neque ex allatarum declarationum ulla, neque ex depositionibus a Tullano Episcopo receptis apparet, Fratrem Racquet ad Professionem vi adactum, doloque atque arte pertractum fuisse.

II. Quod attinet ad intentionem, quam sibi dictas Frater fuisse ait, Professionis conditione tantum appositâ edendæ, obstrictâ sibi ab Olerione Conventus Medico fide, futurum nempe, ut ejus valetudo, quæ Novitiatus tempore infirma ac languida fuerat, redintegraretur in posterum, ac melior evaderet; afferi potest, ejus intentionis conditione suspensæ probationem nec completam, nec satis firmatam esse.

Olerionis quidem Medici declaratio significat Jacobum Racquet nunquam Professionem editurum fuisse, si se ita infirmum, ut tunc erat, semper fore credidisset; sed ejus testimonium est unius testimonium; nec ait Medicus, utrum Frater ipse Racquet suam ipsi intentionem diserte explicuerit, an eam aliunde cognoverit. Quæ porro Medici declarationem consequitur, alterius probationis loco esse non potest, tum quia non satis apparet eam Fratris Hudelot Novitiorum Magistri esse, quam vis ita præsumi possit, tum quia declarationi, quam ipse deinde exhibuit, non omnino conformis est, ut facile intellectu est.

Hæc faciunt, ut rebus ita se habentibus, Fratris Racquet Professio nulla declarari nequeat. Possent tamen in jus vocari Medicus, Frater Hudelot, & Prior, qui tum aderat, cum dictus Medicus Fratrem Racquet alloqueretur; non solum ut magis juridicæ, atque authenticæ eorum declarationes evaderent, verum etiam ut difficultates, quæ in iis occurrunt, quæque supra propositæ sunt, in bono lumine ponerentur. Cum porro si ex novis eorum depositionibus palam fieret, Fratrem Racquet non alia de causa Professionem edidisse, quam quod sibi data fides esset, valetudinem suam meliorem fore; secus actualem ejus intentionem tunc eam fuisse, ut Professionem omnino non ederet: hoc in casu Professio nulla declarari posset; quandoquidem ne dum ejus valetudo redintegrata fuerit, deterior in dies evadit, eumque Regulæ atque Observantiis custodiendis imparem efficit.

Conditio, quam Frater Racquet Professioni suæ apposuisset, impedimento fuisset, quominus absolutum consensum præberet, qualis ad validam certamque Professionem reddendam requiritur; ut proinde, conditione non impleta, ille Religionis suscipiendæ intentionem habuisse minime censeretur. Et sane Professio contractus est, quem quis init cum Monasterio, cui se obligat; porro velle se obligare de contractus essentia est. Si ergo ex Patris Prioris, ex Magistri Novitiorum, ex Medici, vel saltem ex duorum ex ipsis, testimoniis authenticis constet, Fratrem Racquet, cum se infirmum, languidaque valetudine esse videret, profitendæ Religionis intentionem non habuisse, nec Professionem edidisse, nisi quod sibi Monasterii Medicus testaretur, se integra valetudine in posterum fore, certumque fit, eum semper in obligationis minime contrahendæ, si contra se res habuisset, proposito perstitisse; certum sane fit, eum intentione ad se obligandum, ac Religionem profitendam necessaria caruisse. Itaque ex rei essentialis defectu nulla declaranda est ejus Professio.

Illud objici posset, ex Fratris Hudelot Novitiorum Magistri declaratione apparere Fratrem Racquet, cum anceps esset, se demum determinasse, & a Superiore petiisse, ut sibi liceret Professionem emittere.

Sed respondetur, præsumendum non esse, Fratrem Racquet, qui Novitiatus tempore gravissima de causa egredi voluisset, quod scilicet ejus valetudo deterior in dies evaderet, nec se nisi momento temporis ante Professionem determinare potuisset, ejusdem Professionis edendæ intentionem habiturum fuisse, si prævidisset valetudinem suam, quæ maxime depravata erat, deinceps longe pejorem fore, adeoque ejusmodi, ut ipsum servandæ Regulæ, obeundisque Observantiis in dies magis ineptum redderet. Magis profecto rationi consonum est asserere, eum Professionis edendæ facultatem ea tantum de causa petiisse, quod sibi tanquam certum propositum fuisset, valetudinem suam deinceps integram fore; ut proinde semper in suscepto consilio perstiterit, obligationis nempe non contrahendæ, si, quod sibi promittebatur, minime contigisset.

Ad extremum ut responsio, quæ ad propositam facti speciem adhiberi potest, ad verba quam paucissima contrahatur;

I. Fratri Racquet non satis probationum præsto est, ut votorum suorum abrogationem obtineat.

II. Ille ob gravem propriæ valetudinis infirmitatem, ejusque omnino perdendæ periculum ad Romanam Curiam accedere potest, ut Breve obtineat, quo ad mitiorem Ordinem migrare possit.

III. Si ille juridicis & authenticis rationibus probet, se nunquam Fratrum Prædicatorum Tullanæ Urbis Conventui nomen dare voluisse, facta hypothesi valetudinem suam semper malam fore, & ejusmodi, ut ipse servandæ Regulæ ineptus fiat, Tullanus Episcopus ejus Professionem nullam declarare potest, facta hypothesi eam possessionem & consuetudinem Tulli vigere, ut Tridentini Concilii Decretum *Sess.* 25. de Regularibus servetur, quin ad Romanam Curiam sit confugiendum, si contra vota reclametur, ut Breve, quod committat *in partibus*, ut in Gallia mos obtinet, impetretur.

Decisum in Sorbona hac die 24. Decembris an. 1695.

G. Fromageau.
Pirot.

Religiosus infirmus in carnis abstinentia dispensatus.

CASUS XXII.

1 *Minimus compluribus morbis, dum ex Regula a carnibus abstinet, impetrari potest a suis Superioribus, quin ad Romanam Curiam confugere necesse habeat, dispensationem obtinere.*

2 *Si, repudiato carnium usu, insanabilis morbus fit, a Pontifice Breve petere potest, quo ad mitiorem Ordinem migret.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

Religiosus ex Minimorum Ordine, idemque Sacerdos, qui a multis Professionis annis, quam potest, diligentissime Regulam servat, quinque aut sex abhinc annis ingentem patitur gravium morborum vim, articularem morbum, pectoris fluxionem, colicam, nephreticam, rheumatismos, renium dolores, ut decimus quintus jam mensis sit, ex quo in Infirmaria jacet; ac si quando se non nihil levatum sentiens ad communem vitam redire, ac cibis Quadragesimalibus uti vult, statim ejus dolores iterum excitantur.

Quæritur, an Religiosus hic ita se habens a Pontifice petere possit, ut in Quadragesimali vita, quam eum morbi servare non sinunt, secum dispenset; eoque magis, quod votum a carnibus abstinendi apud Minimos non nisi conditionatum votum est, & necessariam valetudinem præsto fore pro certo ponit, ut in eorum Regula videre est? An potius Religiosus hic idem mitioris Ordinis adeundi facultatem petere debet, quoniam, cum ille tantum quadragesimo septimo ætatis anno sit, reparandæ valetudinis spes adhuc aliqua superest?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet difficultatem propositam ad hæc duo capita redigi posse; I. An dictus Religiosus ad Apostolicam Sedem confugere possit, ut quadragesimalis vitæ, quam per ægritudines servare non potest, dispensationem obtineat; II. An omissa dispensatione hac, absolute mitioris Ordinis adeundi facultatem a summo Pontifice petere possit?

Quod attinet ad caput primum, respondetur dictum Religiosum posse a supremo Pontifice Quadragesimalis vitæ, ad quam Minimi tenentur ex voto, dispensationem petere; quippe cum Pontifex non eo se jure privaverit, quod ipse hujus Ordinis Regulam approbans, ejus Superioribus concessum voluit. Jam vero per hanc Regulam Superiores cum Religiosis suis infirmis dispensare possunt. Laurentius *de Peyrinis* ejusdem Ordinis Religiosus in medium affert ipsissima Regulæ verba a Pelizario laudata: *Quamprimum quis eorum in ægritudinem inciderit, ad infirmariam claustralem per Infirmarium deducatur; & ibidem primitus de cibis quadragesimalibus illius infirmitati juxta medicinalem ordinationem congruentioribus, prout loci suppetit facultas, diligenter ac sollicite ipsi per obedientiam subveniatur: si autem talis examinata ægritudo invaluerit, deducatur ægrotus ad Infirmariam exteriorem intra Conventus clausuram sitam, & inibi juxta ordinationem Medici, de Correctoris jussione, de quibusvis cibariis pro facultate celerius restauranda, succurratur.*

Quo loco animadvertendum, Superiorem in Professionis votis non dispensare; Quadragesimalis enim vitæ votum, quod Religiosus Minimus edit, non est absolutum, ut cætera, & eatenus tantum obligat, quatenus illud Regula moderatur, atque definit, ut luculenter hæc Professionis verba significant: *Juxta determinationes & circumstantias in ipsa regula positas & limitatas*. Itaque voti hujus executio suspenditur, si Religiosus infirmus sit, atque ægritudinibus corripiatur; quod argumentum est ejusmodi votum conditionatum esse, adeoque necesse non esse Religiosum, de quo in expositione mentio fit, ad Pontificem confugere, ut eam dispensationem obtineat; quoniam eam potest ex Regulæ verbis ipsis a suis Superioribus obtinere.

Quod spectat ad caput alterum; ægritudines maxime legitima causa sunt, quamobrem Religiosus ad mitiorem Ordinem migret, ex Sanchez, Pelizarii, & Azorii sententia; atque ita Religiosus, de quo quæritur, eam facultatem a summo Pontifice petere potest. Nec desunt Abbates Regulares, qui privilegiorum suorum vi se in simili facti specie id juris habere contendant, ut Religiosis suis ad mitiorem Ordinem transeundi facultatem concedant, ut Sanchez, & Pelizarius testantur; sed hæc privilegia sunt contra Tridentinæ Synodi mentem: *nemo etiam regularis cujuscumque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem*; sed utut de hujuscemodi privilegiis sentiendum sit: is hujus Regni mos est, ut ad Sanctam Sedem in hac facti specie confugiatur. Hæc Fevreti ac Rebuffi sententia est.

Quamvis porro Minimorum Superiores, ut dictum est, in Quadragesimali vita possint ob ægritudinem dispensare, quin ad Romanam Sedem sit confugiendum; ex quo quidem inferri posset inutile fore, ut Religiosus, de quo agitur, ad Pontificem confugeret, ut sibi ad laxiorem migrare liceret: satius tamen fore creditur, ut ille hoc posterius consilium iniret; secus enim oneri futurus esset Ordini Minimorum, qui, ut Sanchez animadvertit, ægre, nec sine querimonia paterentur homini otioso, & qui Monasterio nullum servitium exhibere posset, alimenta suppeditari; præsertim cum Religiosus hic, ut in expositione declaratum est, utpote annorum non amplius quadraginta septem sperare possit se ad pristinam valetudinem rediturum ad alium Ordinem gradu facto, ubi alia vitæ ratione suscepta, majore animi tranquillitate ac pace gaudebit, id quod ad prosperam valetudinem multum confert.

Decisum in Sorbona hac die 9. Julii an. 1693.
G. *Fromageau*.

Religiosus profugus alimenta petens.

CASUS XXIII.

1 *Religiosus, qui ab injuriis, quas patiebatur, sibi alia ratione, quam fuga prospicere non potuit, non est habendus Apostata, præsertim si habitum non abjecerit.*

2 *Satius foret eum in Monasterium aliquod sese recipere, quam apud suos in societate vivere.*

3 *Eo temporis spatio jam elapso, quod Pontificio Decreto ad alium ineundum Ordinem concedebatur, novum Breve a Romana Sede petendum est.*

4 *Cum Generalis tam indigne hunc Religiosum exceperit, ut ille propriæ vitæ tuendæ gratia aufugere cogeretur, ejus Conventus debet ipsi ad vitam necessaria suppeditare.*

QUÆSITUM.

Cum Religiosus Carmelita Discalceatus falso insimulatus esset, quod proprium Conventum flammis devovisset, in eum ab Ordinis Superioribus ex officio inquisitum est, adeoque edita est Generalis Sententia, quæ eum declaravit *graviter suspectum de multis criminibus, & præcipue de incendiis Monasterii, & ideo in perpetuo carcere esse detinendum.*

Appellavit Religiosus eo ipso temporis puncto; sed Superiores nullam ejus appellationis rationem habuerunt. Post menses aliquot se carcere liberandi viam nactus apud suos se recepit, ubi certior factus de Cardinalium Decreto *de Apostatis & fugitivis* an. 1694. edito, quamvis ex eorum se numero esse non crederet, quippe quod ejus fuga legitima esset, & naturali jure niteretur; ad Bononiensem tamen Episcopum, qui loci suæ nativitatis, suique recessus Diœcesanus Episcopus erat, accessit, ut beneficiis in eo Decreto concessis frui posset; Antistes hic eum suo patrocinio gaudere, suæque jurisdictioni subesse declaravit sententia edita die 5. Julii an. 5695.

Obtinuit deinde Religiosus appellatorium Breve, missum ad Bononiensem Officialem, apud quem processit, & cum inauditas Ordinis sui calumnias diluisset, infirmata fuit Generalis Sententia, & Religioso permissum, ut receptorem benevolum quæreret, interea vero Bononiensis Episcopi jurisdictioni subjectus maneret; qua in re animadversione dignum est;

I. Bononiensis Officialis Sententiam eo magis incontestabilem esse, quod ea, quam Generalis edidit, nulla ratione sustineri potest, seu quoad procedendi modum, cum ea fuerint omissa, quæ per-

tinent

nent ad essentiam, ut testium confutationes, defensiones, &c. seu quoad depositiones, in quibus apparet evidens partium studium, & quarum nullum aliud fundamentum est, quam falsa expositio, cujus oppositum liquido comprobatur; seu quoad ea, quæ in Sententia continentur, cum suspicio puniri nequeat perpetui carceris pœna, quæ apud Ecclesiasticos mortis loco est; id quod ostendit hujus Religiosi perdendi consilium initum fuisse.

II. Animadvertendum, sex annorum spatio, ex quo Religiosus hic Bononiæ ad mare versatur apud suos, cum semper ita vixisse, ut aliis optimo exemplo foret, quin in eo quicquam vituperatione dignum occurreret, ullamve eorum scelerum speciem, de quibus accusatus fuerat, præseferret.

III. Naturale jus, quod nempe propriam vitam servandam spectat, propriæque salutis negotium impedimento esse, quominus ille ad Ordinem redeat.

IV. Eum non potuisse intra quatuor menses, ex quibus juxta Decretum an. 1694. Bononiensi Episcopo se stitit, receptorem benevolum invenire, ut ad Ordinem alium migraret, cum adhuc censeretur sub reatu, vel post Bononiensis Officialis sententiam, ac nondum pacifice purgatus esset, quoniam Ordinis Conventus peculiaris eum impetere ac turbare non cessat, impetrato Brevi appellatorio Sententiæ a dicto Bononiensi Officiali editæ, quod Breve ad id Ambianensem Officialem committit.

V. Religiosum hunc nunquam se adduci passum esse, ut Ambianensem Officialem tanquam ad hanc rem commissum spectaret, semperque contendisse Breve subreptitium esse, propterea quod Conventus particularis a Generalis Sententia appellare non possit; alioquin futurum, ut ipse novis totidem subeundis litibus obnoxius esset, quot in Ordine sunt Monasteria. Nihilotamen secius Commissarius mandavit, ut apud se procederetur, ac Religioso præcepit, ut Provincialis obedientiæ deferret; cum enim ab illo post secundum hoc Breve constitui hujus ipsius Conventus localem, qui Breve impetravit. Ab his omnibus tanquam ab abusu Religiosus hic appellavit; recepta est appellatio, & in Senatu actu proceditur.

VI. Non omittendum, ab hoc Religioso nunquam habitum dimissum fuisse.

VII. Eum vi Sententiæ Officialis Bononiensis nunquam a Missæ celebratione abstinuisse, excepto bimestri spatio, quo Apostata, ac proinde Missæ licite celebrandæ ineptus habitus est.

VIII. Ipsum Brevium neutro juberi ad Ordinem suum redire, sed tantum in eo, quod prius obtinuit, pronuntiari, eum in Episcopi de appellatione judicaturi carceres concessurum; quod fecit.

Ut autem Sorbonæ Doctores clarius de hac re tota cognoscant, en ipsis exemplum facti, quod hic idem Religiosus ad causam suam Judicibus exponendam, seque purgandum produxit.

Factum pro Fratre N. Religioso Carmelita Discalceato.

Religiosus hic est appellans ut ab abusu ab iis omnibus, quæ Officialis Ambianensis egit contra se in consecutionem, & vi arrogati Brevis appellatorii, quo peculiaris cujusdam Conventus Religiosi contra Sententiam die 5. Augusti an. 1697. a Bononiensi Officiali editam fraudulenter obtinuerunt. Appellatio hæc primo quidem atque essentialiter nititur incompetentia Judicis, qui arrogatam auctoritatem suam non aliunde deducit, quam ex Brevi nullo ac subreptitio, a dictis Religiosis, qui nunquam in lite Pars extiterunt, qui nihil Religioso significarunt, quique nihil unquam significandum curarunt, impetrato; omnis ejus actio semper directa fuit contra Ordinis Generalem, contra ejus Sententiam, injustamque, qua ille in ipsum usus est, procedendi rationem. Est enim animadvertendum neminem unum extitisse, qui se accusatorem aut partem contra dictum Religiosum constitueret, sed omnia generali inquisitione peracta esse, & Patrem Provincialem processisse ex officio, quin accusatio præcederet; itaque tam contra ipsum quam contra ejus Sententiam instituta est appellatio, id quod Regulis, atque ordini conforme est, quia nempe Regulares cum domicilium stabile non habeant, & singuli civiliter mortui sint, non censentur agere nisi per corpus, & per Superiores, qui illud repræsentant, nisi agatur de naturali jure, ut in præsenti negotio, in quo quilibet unus pars competens esse censetur, quia naturale jus agendi facultatem tribuit, ut vita servetur. Dictus ergo Religiosus tantummodo Generalem impetiit, & ipse Generalis tantum appellationem instituere potuit, non vero dicti peculiaris Conventus Religiosi, qui non sunt Pars in lite, quæ apud Bononiensem Officialem acta est. Dicti enim peculiaris Conventus Religiosi se non declararunt Partes, atque adeo ne liti quidem interfuerunt, Religiosus vero ipse eos tanquam suas Partes non est aggressus; atque ita iis appellationis institutio non competit, sed solum Patri Generali; aliter in infinitum procederetur, quoniam quisque Conventus, atque adeo privatus quisque appellationem edere posset; & quamcumque Sententiam dictus Religiosus ad tuendam causam suam contra privatos obtinere posset, semper tamen Generalis Sententiæ subesset, cum Pater Generalis liti non adfuisset, quippe qui solus esset ejus Pars, quemadmodum ipse solus ejus Judex extitit.

Ejus appellationis tanquam ab abusu ratio altera ea est; quod, esto Breve justitiæ consonum foret, legitimeque impetratum, quod tamen ita non habet, profecto Ambianensis Officialis suæ potestatis terminos prætergressus esset, cum dictum Religiosum statim ad dictum peculiarem Conventum redire jusserit, qua de re pronuntiare non potuit, nisi saltem postquam de validitate aut nullitate Sententiæ, qua Bononiensis Officialis eumdem Religiosum Episcopi Jurisdictioni subjectum declaravit, pronuntiasset, ac judicasset; quam quidem potestatem, nullamque præterea ei tribuit Breve, siquidem legitimum est, cujusmodi tamen non est; ac postquam bene penitus rationes eas expendisset, quibus idem Religiosus adducitur, ut nihil intentatum relinquat, ut propriam vitam conservet, ac salutem suam tueatur potius, quam dicti privati Conventus Religiosis se dedat; id quod naturalis juris est, ac proinde omnibus Constitutionibus anteponendum.

Cum ejus peculiaris Conventus Religiosi Senatum rogassent, oblata supplicatione die 19. Septembris, ut ad se negotium evocare, de eoque definitive judicare vellet, ultro dictus Religiosus assensus est; adeo ejus causa æquitati consona, & agendi ratio in eum adhibita adeo a justitia, atque ab omni prorsus humanitate aliena est, ut minime dubium sit, quin Judex quisque legitimus in eos Patres justa ira exardescat, siquidem rem expendere voluerit; nihil enim est magis absonum, quam processus, tum facti, tum formæ ratione, nihilque magis injustum est, quam Sententia.

Quod attinet ad formam, Religiosi quidem quasdam formulas, ad judicii tantum solemnitatem spectantes omittere possunt; sed quæ essentialia sunt, præsertim cum de infamia perpetua, vel de civili morte agitur, ut in præsenti negotio, ea vero prætermittere omnino non possunt. Porro nihil eorum, quæ essentialia erant, in eo servatum est; immo vero satis apparet, id fuisse propositum, ut Religiosus hic perderetur; præterquamquod enim contra jus fasque non est auditus in generali inquisitione, quæ ad incendii auctorem detegendum peracta est, & ante dies aliquot comprehensus est, citra ullam in eum juridicam accusationem, ac citra probatam infamiam: I. non est auditus, ut se purgaret; II. recepti sunt testes, quin ullum examen institueretur, & quin ex eo quæreretur, an haberet, quod in ipsos reponeret; III. Ei non sunt exhibita testium nomina, neque eorum depositiones, quamvis id ad ejus defensionem necessarium foret; IV. testes hi nec recollecti, nec collati fuerunt; V. Pater hic vocatus non fuit ad Judicem, antequam Sententia pronuntiaretur; VI. Non ei datus est Procurator, ut se defenderet, de processu prorsus

sus ignorans, quæ omnia essentialia sunt, atque adeo ejusmodi, ut processum incontestabiliter nullum efficiant.

Ad factum quod spectat, non modo in informationibus convictio nulla est, sed ne apparet quidem, quod rationabilem suspicionem efficiat, ex qua vel minima probatio existere possit. Quamvis autem dictus Religiosus nihil haberet, quo se tueratur, quodque contra testes reponeret; quicquid tamen adversus ipsum occurrit in depositionibus, in quibus privatum odium est apertissimum, falsa tantum suppositione nititur, nempe suum ei statum displicuisse; cum enim aliquando in graves ægritudines incidisset, atque adeo paralyticus ad tempus aliquod jacuisset: motu proprio Superiores majores ei de scripto facultatem tribuerunt ad laxiorem migrandi, quod crederent illud vitæ genus ejus valetudini repugnare. Sed ne dum inde ejus calumniandi justa occasio sumi possit, ast potius, cur ex hoc ipso capite consecutio prorsus opposita deducatur, siquidem ille, cum deinde convaluisset, ai permissioni renuntiavit, suamque renuntiationem ad generale Capitulum misit, quod ex ejusdem Capituli Actis, quem producit, satis ad suam ipsius defensionem confirmat. Cæterum ea vitæ ratio, quam per annos omnino sex, quorum spatio Bononiæ degere coactus fuit, fatentibus omnibus ita tenuit, ut aliis exemplo esset, ab omnibus ejusmodi calumniis eum satis superque purgat, quandoquidem in eo nihil unquam detectum est, ex quo id, quod ei injuste exprobratur, vel levissima suboleret.

Et sane Sententia a recto ordine prorsus aliena ast, & inauditam continet injustitiam. Ex levi enim suspicione, ex ejusmodi informationibus, ac depositionibus, quæ nihil concludunt, atque adeo se ipsæ mutuo destruunt, ad perpetuum carcerem, qui in judiciis Ecclesiasticis locum tenet damnationis ad mortem, Sacerdotem damnari; id vero ejusmodi est, ut careat exemplo. Si Religiosus hic evasit e carcere, ad quem adeo injuste, nulla ejus ad Sanctam Sedem appellationis ratione habita, ad mortem usque damnatus fuerat; eum nemo vituperaverit, qui id egerit, quod naturali jure firmatur. Haud sane Christus Dominus in animo habuit Apostolos suos Apostatas reddere, dum eos, si qua in Civitate persecutionem paterentur, ut in aliam fugerent, hortatus est; nec ullius unquam culpæ reus est habitus D. Petrus, qui ex Herodis, eum jamjam ad mortem producturi carceribus effugerit. Habet hinc Religiosus hic, quod speret, fore, ut Senatus suæ ipsius calamitatis misereatur, nec se eorum potestati traditum velint, qui nihil aliud quærunt, quam ut se perdant; & in quorum manus si ipse semel inciderit, ipsum illi ad extremum usque spiritum hac, quæ omnium communis est, luce privabunt. Ei nimirum hac de causa Bononiensis Officialis permisit, ut Receptorem benevolum quæreret, pro facultate, quam Sua Sanctitas per Breve an. 1694. concessit, quia Religiosus ipse, ut eo privilegio frui posset, eo quidem tempore Bononiensi quondam Episcopo se stiterat; nihilque intentatum reliquit, ut editam Sententiam executioni mandaret; atque adeo in Religiosas aliquas Domos admissus receptusque fuit, sed Ordinis Religiosi semper ejus consiliis obstiterunt.

Addenda sunt pauca quædam, ut ad id respondeatur, quod illi in sua supplicatione proposuerunt, de Sententia, quam Bononiensis Officialis tulit, eam scilicet non nisi per defectum latam fuisse. Sane Officialis Bononiensis, cum eos nulla diligentia, nullaque in jus vocatione ad causam pertrahere potuisset, Sententiam per defectum edere coactus fuit; seu peculiaris Conventus Religiosi per calumniam viris pietatem profitentibus prorsus indignam, id quod agendi rationem ab omni æquitate alienam satis ostendit, statim apud Bononiensem Officialem adversus hunc Religiosum accusationes, atque inquisitiones deponendas curarunt, quin vel ipsi comparere, vel defectum tollere, vel Procuratorem constituere vellent; quod cum huic Religioso in notitiam venisset, Bononiensi Officiali Commissario Apostolico Supplicationem obtulit, ut nempe Pater Provincialis sub pœna excommunicationis & interdicti *a divinis & ab officiis* vel ipse per se vel per Procuratorem declarare juberetur, an eæ accusationes depositæ fuissent in Curia de Mandato ipsius, tanquam Custodis Actorum Provinciæ, in quibus processus a Generali editi servabantur, ac Sententiam producere; quod cum factum esset, quin ii Religiosi comparuissent, edita est non solum per defectum, sed etiam cum cognitione, ac visis actis Sententia, qua rescissa est ea, quam Generalis tulerat, Religiosus a condemnationibus in ipsum pronuntiatis liberatus, damnatusque Ordo in expensis juxta Decretum Alexandri III. *Cap. Ex parte, extra de accus.* declarantis Monasterium teneri Religioso, cum proprio Superiore judicio contendenti necessaria ad litis usque finem suppeditare, ac jubentis, ut Ordo singulis mensibus eidem Religioso viginti libras tribuat, donec benevolum Receptorem invenerit.

In hac facti specie Religiosus hic ex Sorbonæ Doctoribus quærit;

I. An ejus egressus apostasia censeri possit, atque an non ipse post Officialis Bononiensis Sententiam Missæ celebrandæ jure gaudeat?

II. An non ipse in conscientia tutus sit, dum non redit ad Ordinem, ne iis se dedat, qui satis significarunt, se ejus perniciem unice quærere, apud quos proinde in aperto vitæ discrimine futurus est?

III. An cum negotium totum ad exitum perductum fuerit, tum demum uti possit Decreto Congregationis an. 1694. quod alterius Ordinis intra quatuor menses adeundi facultatem concedit, quoniam Bononiensi Episcopo intra tempus illud in eum finem se stitit, prout eo Decreto præcipitur? Dubitandi ea ratio est, quod ille quidem ad alium Ordinem transire non potuit, nisi cum se plena planeque purgasset, id quod annorum multorum spatium postulavit. Id igitur quæritur, an cum plene purgatus fuerit, pacemque obtinuerit, possit ejus Decreti vi ad alium Ordinem gradum facere, an vero in id omnino novum Decretum obtinandum sit?

Non defuere, qui dubitarent, an Bononiensis Officialis intra suæ potestatis terminos se continuerit, dum definitivam sententiam protulit, contendentes penes eum inquirendi tantum potestatem fuisse, ut deinde negotium in Romana Curia judicaretur. Sed præterquamquod id repugnat Concordio, cujus vi Regis subditi Romam traduci nequeunt, sed tantum intra Regnum a Commissariis, quos Romanus Pontifex nominaverit, judicari possunt: disertum in id est Breve ab hoc Religioso impetratum; en ejus verba: *Exponente in carceribus anius ex vobis, qui onus causæ hujusmodi in se assumpserit, constituto auctoritate nostra, prout de jure audiatis, cognoscatis, decidatis, fineque debito terminetis summarie.*

Nota, in Sententia, quam Ordo in Religiosum initio statim edidit, nec accusatorem, nec Partem fuisse, nec testes collectos, nec exhibitos dicto Religioso, ut eos accusare posset.

Nota præterea, quamvis Sententiis omnibus interlocutoriis, provisoriis, & definitivis Ordo jussus fuerit ei ministrare, quæ necessaria essent, ut litis dispendia sustineret, suam ipsius innocentiam probaret, & haberet, unde aleretur, ejus tamen pauperes consanguineos ei omnia suppeditasse, sibimetipsis necessaria subtrahentes, cum nullus iis aliunde reditus quam ex proprio labore suppeteret; ac nunquam Ordinem ei vel unum obulum præbuisse, licet id agere teneretur ex Canone *Ex parte tua...* *lib. 5. Decretal. cap. 11. ex Alexand. III. Prudentiæ tuæ respondemus, quod Monachi, nisi alia rationabilis causa impediat, eo quod de obedientia & subjectione Abbatis esse noscuntur, ab ejus accusatione sunt nullatenus repellendi, licet alios accusare non possint. Quibus siquidem cum proprium non habeant, de rebus Monasterii expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari.*

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, expenditque, & quorum tanquam certa

poni-

ponitur veritas, censet hunc Religiosum contra jus fasque habitum fuisse; eumque propterea e perpetuo carcere, ad quem, ut apparet, contra rectum ordinem damnatus erat, evadere legitime potuisse. Auctores porro negantes Religiosum ex carcere, in quem est conjectus, fugere posse, eum quidem tum quoad rem ipsam, tum quoad formam, seu juris ordinem merito ea pœna affectum supponunt. Barbosa in sess. 25. in hunc rem disertus est: *Religiosum juste & legitime ordine juris servato in carcerem conjectum non posse fugere, etiam prætextu ad Superiorem suum accedendi, sed teneri ibi permanere*. Navarrus in suo Commentario 4. *n.* 64. *§.* 2. *de Regular.* idem sentit: *Religiosus servare carcerem perpetuum vel temporalem sibi impositum, vel permanere in triremibus, si fuerit juste ad eas damnatus*. Ex quibus concludi potest, Religiosum, qui quidem injuste ad carcerem vel ad mortem usque, vel ad tempus damnatus est, posse, siquidem occasionem nactus fuerit, egredi, sibique consulere.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur;

Ad primam, Religiosi, de quo agitur, evasionem apostasiam censeri non posse, quoniam alia ratione sibi cavere non potuit ab injuria, quam patiebatur, & a pœna gravissima, cujusmodi perpetuus carcer est, ad quem damnatus erat. Non omnis Religiosus e Monasterio profugus apostata est, quamvis omnis apostata profugus sit. Religiosus, qui e Monasterio fugit, siquidem habitum non abjecerit, in excommunicationem non incidit, cum ei legitima subest fugiendi causa: *Per solum exitum temerarium*, inquit Navarrus, *& sine justa causa non incurritur jure communi excommunicatio, modo non relinquatur habitus; nullo enim jure id cavetur*. Jam Religiosus, de quo agitur, habitum non deposuit; in eo igitur ex hoc capite nullum legitimum impedimentum occurrit, quominus Missam celebret, si cæteroquin Ordinarius ejus celebrandæ facultatem eidem concesserit, præsertim cum appareat Officialis Bononiensis Sententiam juxta regulas latam esse, Ambianensem autem Officialem haud legitime judicasse, propter rationes, quas Expositionis numerus 5. & Factum indigitant.

Ad secundam, optandum foret Religiosum hunc apud suos in societate non versari, sed in aliquod Monasterium, vel saltem in Ecclesiasticam aliquam Communitatem se recepisse, ibique expectasse, dum negotium conficeretur. Sed ejus consanguinei, qui eum apud se manentem alere possunt, ei fortasse satis, ut alibi vivat, suppeditare non possunt. Præterea fit verosimillimum fore, ut ille *Receptorem benevolum non inveniat*, quoad se plene cumulateque purgaverit. Neque vero teneri creditur ad aliquod Ordinis sui Monasterium, cum tam graves injurias tulerit, redire. Quod si ille nonnullorum gravium Virorum auctoritate & gratia apud suos Superiores usus non amplius habeat, quod ex eorum auctoritate sibi timeat; parere debet, si ad Religionem regredi jubeatur, quia nempe quoad ille ad alium Ordinem gradum fecerit, ejus Ordinis membrum est, in quo Professionem emisit, semperque proinde ejusdem Ordinis Superioribus, nisi peculiaris aliqua ratio eumdem exemerit, obedire tenetur.

Ad tertiam, quamvis quatuor mensium spatium Congregationis an. 1694. Religiosis concessum, ut ad alium Ordinem transeant, de tempore, quo liberi fuerint, vel nullo impediente obstaculo transferri potuerint, intelligi vel accipi posse videatur; quia tamen ad inferiorem non spectat, præsertim cum nulla necessitas adest, Superioris sui legem, siquidem aliqua difficultas occurrerit, interpretari; est proinde rationi consonum, Religiosum hunc, negotio absolute confecto, ad summum Pontificem confugere, vel ut novum Breve, quo ad alium Ordinem migrare sibi liceat, obtineat, vel ut declarandum curet, se gratia Decreto an. 1694. concessa frui posse.

Denique cum Generalis adeo indigne atque acerbe hunc Religiosum acceperit, ut ad propriam vitam tuendam a Conventu recedere cogeretur; Religiosus ipse ea, quibus opus habeat, a Conventu petere potest, eademque Conventus præbere debet, quæ quidem ut præbeat, tenentur Judices jubere, si forte renuerit. Ita Rebuffus in *Constitut. de Sent. provis. n.* 104. 106. *&* 107. *Decimus casus*, inquit, *est in servo litigante de statu suo contra Dominum, ut eidem provideri debeat; & cum in hoc regno non habeamus servos, ideo hæc decisio ad Monachos & alios Religiosos, atque ad filiosfamilias extendetur; cum æquiparentur, ut supra dixi*. Deinde vero idem Auctor apertius loquitur; distinguit enim inter Religiosum, qui ob proprii Monasterii utilitatem Superiori suo litem intentat, eumque, qui ob proprium bonum, & in causa sibi peculiari litigat.

In primo casu pronuntiat, ex Jure *Cap. Ex parte tua, de accusat.* oportere, ut Monasterium impensis omnibus satisfaciat: *Undecimus casus est in Canonico Regulari litigante contra suum Superiorem, quia isti, cum nihil habeant, interim lite pendente, fame perirent; ideo per modum provisionis provideri eis debet de alimentis. Idem videtur juris esse in omni Religioso; intellige, si Religiosus pro utilitate Monasterii accusaret, vel reformationem Monasterii peteret.*

In secundo casu contendit Rebuffus Religiosum petere posse, ut subsistentiæ suæ prospiciatur, & tunc quidem Judicem ei, quod petit, concedere debere, facta hypothesi de proprio Prælato Religiosum merito queri: *Secus si propriam causam sequeretur; nam si tunc non habeat, unde vivat, & dicat se valde injuriatum, nunc major cautela est, quod supplicat sibi de expensis provideri, & Judex non negabit, ut firmant Domini de Rota, & Bellamera, nam solent interdum Abbates, & Superiores Religiosorum ultra modum in Religiosos sævire; ideo compellunt eos ad appellandum; unde interim, pendente appellatione, debet Judex iis Religiosis providere, sicut Pater filiis.*

Navarrus in suo secundo Commentatio quoad Regulares *n.* 65. ab hac sententia non est alienus, dum de Religioso injuria ejecto ita statuit: *Addo septimo, quod potest etiam, si injuste ejiciatur e Monasterio, petere futura alimenta ei debita a suo Monasterio, secundum Iunocentium, & omnes*. Id autem ad Religiosum, de quo agitur, accommodari potest; quamvis enim e Conventu directe ejectus non fuerit, asseri tamen potest, eum a Superioribus, a quibus adeo indigne habitus est, e Monasterio excedere coactum fuisse; atque illi quidem eum expulisse censentur; atque ita Conventus in ea, qua ille premitur, indigentia eidem necessaria denegare non debet.

Igitur ad tria, quæ decisa sunt, capita redigitur omnis quæstio; ut I. Religiosus, quippe qui in carcerem injuria conjectus fuerit, jure optimo sibi consulere, ac fugere potuerit; II. cum jam abierit, tanquam Apostata spectandus non sit; III. Monasterium, e quo egressus est, eidem, quoad lis perduraverit, alimenta suppediture teneatur.

Decisum in Sorbona die 4. Augusti an. 1700.
G. *Fromageau*.
Du Mas, *De Blanger*, *Boarret*.

Adolescens, qui multo ære alieno gravatus Religioni nomen dat.

CASUS XXIV.

1 *Is, cui perniciosa est humana societas, Monasterium ingredi, ac Religionem profiteri potest, quamvis ære alieno valde laboret, cum nempe solvendo non est.*

2 *Distinguendum est inter debitoris personam, & bona, quæ possidet, vel possidere potest; hæc creditoribus obligantur, nec ab eo in illorum damnum disponi possunt; at sua ipsi persona libera est.*

QUÆSITUM.

ADolescens, cujus uterque parens in vivis est, ad librarum tria millia, quæ non ab uno eodemque mutuatus est, æs alienum in humana societate contraxit. Funesta experientia edoctus se in societate propriæ saluti vacare non posse, Patrem ac Matrem rogavit, ut suis creditoribus satisfacerent; renuerunt illi & quidem durissime; Quia porro futurum prævidet, ut solvere omnino nequeat

nisi post suorum parentum mortem, aut nisi matrimonium contrahat, a quo tamen se alienum sentit, nnvitque præterea mundum sibi salebrosum, ac perniciosum esse, in ejus deserendi proposito jampridem firmatus ab idoneo Directore, cui statum suum aleæ plenissimum, in quo Creditorum suorum causa versatur, ingenue significavit; ad Doctores accedit, eosque rogat, ut sibi declarent, an possit, nulla suorum Creditorum ratione habita, nec de solutione iis præstanda sollicitus Regularem statum amplecti, ad quem se valde propensum intelligit, quemque saluti suæ necessarium judicat?

Rasponsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, Adolescentem hunc, solvendæ summæ, quam debet, in præsentia imparem, & ut est vero simillimum, re ad longum quidem tempus parem futurum in Religionem ingredi, ejusque Professionem edere posse; quippe qui in hoc rerum statu, & in præsentibus circumstantiis perinde spectandus est, ac si nihil deberet. Ita Navarrus *Comment. s. n. 8. de Regularib.* Pelizatius *tom.* 1 *tract.* 2. *c.* 4. *n.* 46. *&* 47. & Sanchez *lib.* 4. *moral. c.* 19. qui complures in eamdem sententiam Auctores laudant. Prohibent sane Bullæ Sixti V. *n.* 71. & Clementis VIII. *n.* 83. ne multo ære alieno obstricti in Religionem admittantur; sed eæ Bullæ non spectant ad eam facti speciem, quæ in manibus est; prima Professionem nullam declarat; altera priorem hanc Bullam temperat, atque ejusmodi Professiones tantummodo prohibet.

Præterea apparet, adolescentem, si diutius in mundo consistat, in salutis prope certo discrimine versari. Hæc altera ratio priori addita deber eum magis magisque ad mundum quantocyus relinquendum determinare, ut salutem suam in solitudine tutam reddat. Debitoris persona ipsa, inquit D. Thomas 2. 2. *q.* 189. *ad* 3. non ea ratione Creditoribus obligatur, qua bona, quæ possidet; persona quippe libera est; cum debitor solvendo non est, de propria persona, prout voluerit, disponere potest, nec ipse captivi more porest retineri; pecunia, quanta quanta est, libertatis, qua privaretur debitor, qui, cum non posset, solvere cogeretur, pretium non exæquat: *Propter pecuniam autem persona liberi hominis secundum jura civilia non obligatur; sed solum res, quia persona liberi hominis superat omnem æstimationem pecuniæ unde: licite potest exhibitis rebus suis Religionem intrare, nec tenetur in sæculo remanere, ut procuret, unde debitum solvat*; quod tum *accipiendum*, cum debitor prævidet fore, ut solvere nequeat nisi longo post tempore, vel quin gravi periculo se se exponat.

Denique animadversione dignum est, adolescentem non uni tantum ære alieno obstrictum esse, sed pluribus, qui proinde minus damni patientur, id amittentes, quod sibi debetur, quam pateretur unus ex universæ summæ jactura. Quamobrem omnibus ponderatis, non apparet, adolescentem, postquam nullum, sed frustra, non movit lapidem, ut ad se ære alieno liberandum parentes adduceret, posse suum in Religionem ingressum retardare, si ad familiam, quam eliget, a Deo vocari censeatur. Id unum ei restat, ut ante Professionem ad parentes mittat vehementes gravesque litteras, quibus eos obtestetur, ut solvant, quod debet.

Decisum Parisiis hac die 27. Novembris an. 1697.

G. *Fromageau.*

Religiosus Parochus, qui nec Novitiatum, nec Professionem edidit.

CASUS XXV.

1 *Qui Canonici Regularis habitum sumpsit, suique Ordinis Parochiam possedit, absque Novitiatu, aut Professione, Religiosus non est.*

2 *Potest in Parochia habituatus esse, ejusque omnia obire munia, siquidem Episcopus eum idoneum existimaverit.*

QUÆSITUM.

JOannes Judæus, Parisiis natus, cum ea in Urbe studiorum suorum curriculum confecisset, in Diœcesi R . . . . . Prioratum animarum curam habentem ex resignatione suscepit, ejusque possessionem inivit; tum ut turbas, quæ oriri poterant, evitaret, & in suis provisionibus insertam clausulam exequeretur, se contulit ad Abbatiam L . . . a qua pendet Beneficium, ut a Religiosis fratribus, Communitatem componentibus Ordinis habitum postularet. Ei habitum concessit Prior, absque Noviciatu, & Professionis loco subjectionis Actum petiit, quo scilicet declaratur, Beneficium, quod ipsi confertur, a sancti L . . . . . Prioratu pendere. Id habet Actus Prioris Augusti die 28. datus, quo ille pronuntiat, testaturque Dominum Judæum nulla Probatione functum esse, nec in ullo Ordinis Domicilio commoratum, nec omnino professum. Ejus Actus vi multorum annorum spatio Beneficio deserviit, quod deinde ejusdem Familiæ Religioso Professo resignavit.

Post hanc resignationem dictus Joannes Judæus Parisios, patriam suam rediit, ubi semper habituatus fuit Parochiæ Sancti E . . . non sine facultate Missam celebrandi, conciones habendi, & Fidelium Confessiones audiendi, annuente Archiepiscopo. Deinde cum aliis Parochiæ Confessariis ad novum examen accessit, Doctoribus interrogantibus satisfecit, paruitque mandato, quo monebatur, ne amplius confessiones exciperet; sed cum interdicti causam scire cuperet, respondit Parochus nullam aliam causam sibi innotescere, quam declarationem Archiepiscopo factam, eum Religiosum esse. Falsa est autem ea declaratio, quoniam nec vota is edidit, nec ulli Monasterio addictus fuit; cum in loco, in quo habitum sumpserat, instituta est reformatio, non est appellatus; nullus ejus occurrit Actus in publicis codicibus, vel in Prioratus, ubi habitum suscepit, archivio; id quod testatur Reformatorum superior declaratione diei 26. Augusti proxime elapsi, a Decano Rurali districtus ejusdem Familiæ firmata. Prior Claustralis, qui præcessit, asserit dictum Judæum non aliam Professionem edidisse, quam subjectionis Actum, quem sibi præstitit; sibi quidem pergratum fore, si eum Actum exhibere posset; sed cum nullus in ea Familia Codex existeret, se nihil aliud producere posse præter declarationem, quam a Decano Rurali, in cujus ille districtu versatur, firmatam accepit. Id porro, nihilque præterea dictus Judæus proferre porest ad probandum, se, ut Regulare Beneficium possederit, non proinde Religiosum esse, cum nec Novitiatum, nec Professionem ediderit; Dictus est tamen edidisse, quia Regularium Canonicorum habitum sumpsit, & Regulare ejus Beneficium erat; sed Prior, qui eam Familiam per annos triginta & amplius administravit, in sua declaratione funditus hoc mendacium evertit. His positis,

Quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, an credi dicique possit, eum, qui consulit, esse veri nominis Religiosum, & ejusmodi censendus sit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, Joannem Judæum vere ac proprie Religiosum non esse, nec ejusmodi esse censendum. Etenim I. non apparet eum in Probatione stetisse; quæ conditio ad Religionis essentiam pertinet, ut statuit Tridentina Synodus *sess.* 25. *c.* 15. *de Regular.* in hæc verba: *In quacumque Religione Professio non fiat ante decimum sextum annum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur.* Aliter factam Professionem Synodus nullam declarat: *Professio autem ante facta sit nulla, nullamque obligationem inducat.* II. Esto dictus Joannes Judæus Novitiatum ediderit, eum tamen Professionem emisisse non constat, videlicet in manu Superioris legitimi in ejus Ordinis Monasterio, cujus ipsum Religiosum esse contenditur, vota pronuntiante.

Opponi potest, non temere credi, eum, cum Canoni-

nonici Regularis habitum a Priore Sancti L . . . . acceperit, ad suam Parochiam missum esse, ut ibi Novitiatum perageret, ac deinde Professionem edidisse. Sed respondetur, Actum, quem ejus temporis Prior sua subscriptione firmavit, satis ostendere, eum nec in Probatione stetisse, nec vero professum fuisse, nullumque alium Actum existere præter eum, quo fassus est, Beneficium, quo per annos plures potitus est, a dicto Prioratu Sancti L . . . . pendere; quod argumento non est, eum veri nominis Religiosum esse.

Detulit ille quidem Religiosum habitum; verum non habitus Religiosum facit, sed votum in legitimi superioris manu emissum, inquit Clemens III. *in cap. Porrectam, de Regularib. Monachum non facit habitus, sed Professio Regularis, ex quo a convertendo votum emittitur, & recipitur ab Abbate.* Possedit etiam multorum annorum spatio Regulare Beneficium; sed ne id quidem ad Religiosi rationem sufficit. At enim tacita saltem Professio in eo locum habuit, ac proinde Religiosus quodammodo censendus est; verum ii ipsi, qui vel post Tridentinum Concilium tacitas Professiones admittunt, Novitiatum extitisse volunt, qui quidem in præsenti facti specie non occurrit. Præterea in Galliis eæ Professiones tacitæ non recipiuntur, ut proinde quoscumque Religiosi hominis actus, quascumque functiones in Monasterio quis ediderit, & quamvis ille Religiosum habitum ad vicennium, atque adeo tricennium gestaverit, nisi suam ipse Professionem propria manu scriptam subscriptamque produxerit, Religiosus minime censeatur. Molinensis Constitutio *art.* 55. mandat, ut Religiosa Professio expressa sit, & e scripto, ac per litteras recipiatur, non autem per testes; id quod Juri concinit idem statuenti: *Conscriptam, roboratamque faciant Professionem, post quam scripturam non sinantur relabi ad prævaricationis audaciam.* Consuli super hac re possunt Auctores nostri Galli, ac præsertim *Bredeau* in Louet *lit. C. §. 8. n.* 40.

Ex his omnibus concludimus, Joannem Judæum cum Religione, cujus habitum detulit, nihil obligationis contraxisse, quamvis per annos bene multos Regulare Beneficium possederit; eumdemque propterea liberum esse, & ejusmodi, ut Ordinum suorum functiones obire possit, ut obivit, ex quo est in Parochia Sancti E. . . . . siquidem Archiepiscopus eum idoneum judicaverit.

Decisum in Sorbona hac die 1. Septembris an. 1696.

G. *Fromageau.*

Religiosus non reformatus, qui a reformatis pensionem percipit.

CASUS XXVI.

1 *Religiosus non reformatus duas Monachales sedes in duplici Monasterio tenere non potest.*

2 *In eo residere debet, ubi Professionem emisit, ibique Officio interesse.*

3 *Ex eo egredi nequit, ut in aliud se conferat, nisi justis de causis, & ex legitima auctoritate.*

QUÆSITUM.

VEteranus Religiosus non reformatus pensionem percipit ex Familia, in qua Professionem edidit, quia ibidem ex aliquot annis instituta est reformatio. Aliam præterea a suis obtinet pensionem, quæ ad ipsius sustentationem una sufficeret. Cum porro cupiat in alia ejusdem Ordinis Familia domicilium statuere, quærit, an hanc duplicem pensionem, videlicet quam a suis, quamque a Professionis Familia recipit, retinere possit?

Ut utramque retineat, nititur auctoritate Casuistarum duorum magni nominis in Urbe celebri, qui id ei licere, neque eum cum Reformatis divino Officio interesse debere testati sunt; eodem accedit ei præsto esse Superioris Majoris ex Reformatione declarationem, ad ipsius absentias quod attinet. Quamobrem interrogat,

I. An duplicem suam pensionem retinere possit, Casuistarum, de quibus dictum est, decisione suffultus?

II. An non in aliam Familiam se commorandi causa conferre possit, non sine Superiorum licentia, ejusque Familiæ consensu, quam deserere in animo habet, quippe qui ibi, ubi manebit, possit, siquidem teneatur, obligationibus suis satisfacere, & Officio interesse?

III. An si absque ejusmodi consensu se in aliam Familiam contulerit, cogi possit ad suam redire, ac si forte renuerit, pensione spoliari?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod quæstiones tres in expositione contentas vidit, & expendit, existimat,

Quoad primam; Religiosum, qui consulit, haud pejoris conditionis esse post reformationem in Monasterio, cujus veteranus Professus est, institutam, quam antea fuerit. Porro præter sedem, quam in Monasterio tenebat, quæque ei Monachalis pensionis loco erat, pensione gaudebat a suis, & quidem, ut pro certo ponitur, Superiorum permissu, sine quo eam percipere non potuisset. Hanc igitur adhuc retinere potest cum pensione, quam ei Reformati suppeditant, quia parentum pensio spectanda est ut aliquid transiens, quod deficere potest, & ad quam nulla ei est actio, quippe quæ fortasse sit familiæ pura putaque liberalitas. Sed ut de hoc quidem articulo nihil dicatur, Religiosus hic duas Monachales sedes tenere non posse creditur, quia in duobus distinctis Monasteriis esse non potest: *Ne quis in diversis Monasteriis locum Monachi præsumat*, ut declaratur in capite *Ne nimia, de Relig. dom.* & quod inde consequitur, non potest in uno quidem Monasterio pensionem, in altero autem locum tenere, quia hæc duo simul esse non possunt, ut monent Rebuffus *in praxi de disp. cum Reg.* n. 8. & Layman *lib.* 4. *tract.* 2. *c.* 8. *n.* 8. Jam vero nulla juris pugna est inter pensionem parentum ex una parte, & Reformatorum ex alia, quam ille utramque percipit.

Quoniam porro Religiosus in suo Monasterio, cum nondum in eo Reformati constitissent, divino Servitio interesse debebat, non minus eadem obligatione nunc adstringitur, quia ejusdem Familiæ Professus est, eoque proinde titulo adsistentiam præstare debet. Quod si ex ea Familia egrediatur, ut in aliam ejusdem Congregationis se conferat, non amplius ea pensione, quam inde percipiebat, gaudere potest, quia ejus pensio, cum Beneficii, ac Monachalis portionis locum teneat, ad residentiam obligat, nisi forte idem Religiosus graves ob causas, & ex legitima auctoritate translatus fuerit; in eo enim casu ea pensione frui posset, quam Monasterium prius eidem persolvit, quia cum non ipse suapte sponte egrediatur, est propterea justitiæ consonum, eum Familiæ, ad quam mittitur, onerosum non esse. Quod si in hoc posteriore Monasterio ei sedes, & Monachalis portio tribuitur, pensio ex priore percepta allatis de causis cessare debet.

Si pensio Religiosum hunc ad residentiam obligat, non apparet, quo tandem principio nixi Casuistæ, de quibus in Expositione sermo est, definire potuerint eum non amplius teneri Officio interesse. Fortasse dum egit cum Reformatis, se non teneri contendit; at non proinde ab ejusmodi obligatione immunis est. Quamvis enim Reformati in ejus Monasterium ingressi sint, ea tamen mutatio in causa esse non potuit, cur ille non amplius aut vitam Religioso homine dignam duceret, aut divino Servitio interesset, aut denique tanquam ejus Familiæ, a qua subsistentiam obtinet, Professus resideret. Declaratio porro, quam Reformationis Superior Major eidem tribuit, satis ea quidem ponderis habet, ut ipsum in tuto ponat, si forte propter absentias Reformati ei pensionem solvere nollent; at non propterea coram Deo, & in foro interno tuta est ejus conscientia, si Officio omnino non interfuerit; ratio est, quia pensionis, quæ Religioso persolvitur, eadem prorsus quoad ipsum, ac distributionum quoad Canonicos ratio est; Jam

rero id, quod caput *de cæterò* nuncupat *Victualia*, ac distributiones Canonicis absentibus non conferuntur. Quamobrem nisi legitima causa adsit, Religiosus hic tuta conscientia esse non potest, cum non residet, vel ab Officio divino recedit, quamcumque demum Reformatorum Superioris, cujus auctoritas non est Canonibus anteponenda, declarationem obtineat.

Atque ita quidem quæstioni secundo loco positæ satis est factum; Superioris nempe Generalis, vel Capituli Conventualis est expendere, quorsum ea potestas evadat, quam Reformatis, aliquam Familiam reformationis gratia subeuntibus Sancta Sedes concessit.

Quoad quæstionem tertiam, dictum jam est Professionis Domum huic Religioso, si forte obierit sponte sua, pensionem denegare merito posse. Sed ut turius ac certius intelligatur, quid in foro externo, quod attinet ad caput hoc, definiri posset, periti doctique viri sunt consulendi.

Decisum Parisiis hac die 24. Octobris an. 1693.

G. *Fromageau*.

Religiosi laxati.

CASUS XXVII.

1 *Religiosi Monasterii non reformati tenentur obsequi Regis Constitutioni, qua jubentur in commune vivere, eodemque simul triclinio uti.*

2 *Nihil eorum, quæ rationi consona sunt, omittere debet Prior, ut Religiosos suos ad mandatum hoc servandum compellat.*

3 *Eos, qui Beneficia a Monasterio suo pendentia a Romana Curia obtinuerunt, probare, ac si Religiosæ vitæ minus idoneos compererit, repudiare debet.*

4 *Religiosi Professi, qui Claustralia Beneficia in titulum possideant, eorum administrationis rationem Priori reddere non tenentur; tenentur autem eorumdem oneribus satisfacere, & Canonicas quoad Beneficiatos regulas custodire.*

5 *Abusus est, haberi Capitulum, qua hora solemnis Missa, cui omnes interesse debent, celebratur.*

6 *Est abusus alter, Religiosi defuncti spolia consanguineis tribui.*

7 *Tertius abusus est, pecuniam, quæ ab iis exigitur, qui inter Novitios cooptantur, inter Religiosos distribui.*

8 *Religiosi non reformati a propria Regula ne latum quidem unguem recedere possunt, nisi prout authenticis, omnique juris ordine gaudentibus Bullis cum ipsis in ea dispensatum fuerit.*

QUÆSITUM.

Religiosi veteris Abbatiæ Ordinis Sancti Benedicti jampridem Canonicorum more vivebant, ut nempe suus esset singulis reditus, quo quidem, si divino Officio non interfuissent, ex parte privabantur. Eorum nonnullis reformationem, suæque Abbatiæ unionem Congregationi S. Mauri postulantibus noluit Rex annuere; sed ex duorum Episcoporum, quibus hujus negotii cognitionem commiserat, consilio Constitutionem edidit, qua inter alia mandatum est, ut ejus Abbatiæ Religiosi in commune deinceps vivesent, unaque mensa uterentur.

Constitutio hæc nondum executioni mandata est, nec temere timetur, ut ullo unquam tempore sortiatur effectum suum, seniorum Religiosorum causa, qui assueti vitæ privatim ducendæ ægre admodum adduci possunt, ut bona, quæ possident, in commune conferant. Ea tamen Religiosis ad hanc Abbatiam in posterum accedentibus injungi posset. Quamobrem in quæstionem vocantur hæc;

I. An veterani Religiosi non teneantur in foro conscientiæ eam constitutionem servare, atque an possint in ea vitæ ratione persistere, quæ in Abbatia, quo recepti fuerunt tempore, tenebatur?

II. Quid Prior agere debeat? Satisne facit officio suo, si servandæ Constitutionis obligationem Religiosis significet? Refragantes porro potestne in inveterata praxi relinquere?

III. Quomodo se debet cum iis gerere, qui, cum Regulare Beneficium a Pontifice obtinuerint, ei se sistunt habitum suscepturi, & post annum Professionem edituri, prout quidem impetratis Provisionibus obligantur, cum certo constet, eos non alia de causa Religionem amplecti, quam ut Beneficiorum suorum proventu fruantur?

IV. Qui hujus Abbatiæ Claustralia Officia in titulum possident, an non tenentur, ut cæteri, Officiorum suorum reditus in commune conferre, vel saltem Priori eorum administrationis rationem reddere?

V. Prior teneturne eos ad rationem quotannis reddendam compellere?

VI. In hac Abbatia solemnis Missæ tempore Capitulum haberi solet; tolerandane est ejusmodi consuetudo?

VII. Ibidem mos obtinet, ut, si quis Religiosus diem suum obierit, defuncti spolia per Actum Capitularem ipsius consanguineis tribuantur; quæritur, idne saltem quoad consanguineos inopia laborantes tuta conscientia fieri possit, ita ut ea donatio eleemosynæ loco sit?

VIII. Quæritur & illud, an ejusdem Abbatiæ Prior possit id unum exigere, ut Constitutio, de qua supra servetur, nec Religiosos monere debeat, ipsos ad universam S. Benedicti Regulam obligari in iis ipsis capitibus, ad quæ allata Constitutione non obligantur, & in quibus se dispensatione Bullis innixa gaudere contendunt?

IX. An Prior, cum ab ejusmodi Religiosis nihil obtinere possit, haud se munere abdicare debeat?

X. In hac eadem Abbatia in more est, ut Religiosi in ipso ingressu quadringentas libras solvant, & Capitulari cuique scutum tribuant, quod Pileoli jus nuncupatur. Quæritur, an hæc consuetudo tolerari possit, eo prætextu, quod quadringentæ libræ Religioso Novitiatus tempore alendo deserviant?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod expositam facti speciem vidit, existimat, quoad quæstionem primam, necesse esse, ut veterani Religiosi se subdant ei Regis Constitutioni, qua mandat, ut in commune vivant, eidemque mensæ universi ac singuli assideant; nec eos inde sibi excusationem petere posse, quod eo, quo recepti sunt tempore, in Abbatia ea consuetudo non obtinuerit, quia semper obsequi tenentur Regulæ, quam Ordo, in quo Professionem ediderunt, ratam habuerit; nonnullorum autem laxatione Religionem Ecclesiæ auctoritate institutam mitigari non posse; porro S. Benedicti Regulam super communis vitæ, atque unius mensæ obligatione claram apertamque esse, ut liquido constat ex ejusdem Regulæ *cap.* 43. quod eos ipsos, qui minus tempestive ad mensam accesserint, puniendos mandat: *Ad mensam autem qui ante versum non occurrerit, ut simul omnes dicant versum, & orent, & sub uno omnes accedant ad mensam; qui per negligentiam suam, aut vitium non occurrerit usque ad secundam vicem, pro hoc corripiatur; si denuo non emendaverit, non permittatur ad mensæ communis participationem, sed sequestratus a consortio omnium reficiat solus, sublata ei portione sua de vino, usque ad satisfactionem, & emendationem . . . . . & ne quis præsumat ante statutam horam, vel postea quicquam cibi, vel potus sumere.* Disciplina hæc Religionum omnium communis est, tametsi non sint ex earum numero, quæ, ut Carthusiani & Camaldulenses faciunt, secessum numeris omnibus absolutum profitentur; & hanc quidem ob causam Clemens VIII. cum ea statuere vellet, quæ Religiosorum omnium generali reformationi inservirent, in Constitutione, quæ incipit: *Nullus omnino* die 20 Martii an. 1601. §. 4. Religiosis universis mandat, ut omnes & singuli ad communem mensam accedant, secus eo die pane tantum & aqua victuri: *Omnes etiam Superiores*, inquit Pontifex, *eodem pane, eodem obsonio, sive eadem, ut ajunt, pitantia in* com-

communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utitur, ullo modo afferri possit; si quis in ea re peccaverit, nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem & aquam. Quod deinde Urbanus quoque VIII. firmavit; et proinde cum hi summi Pontifices hanc disciplinam tanquam Religiosis omnibus Ordinibus generalem spectaverint, mirum videri non debeat Regem jussisse eam in Monasterio servari, in quo Religiosorum laxatione eamdem in usu non esse videbat, eosque ad id obligasse, quod cum eorum statu conjunctum erat, & in quo illi citra gravissimum abusum secum dispensare non poterant.

Quoad quæstionem secundam, Prior, utpote ad regularis in Abbatia disciplinæ custodiam, ac Religiosos servata regula perficiendos potissimum institutus suo, muneri non satisfaceret, si ut dictæ Constitutioni se conformarent, eos tantum moneret, nec ulterius progrederetur; sed debet ipse sua omni auctoritate uti, atque adeo auxilia, quæ necessaria crediderit, aliunde quærere, ut eos omnino parere cogat ejusmodi Constitutioni, quæ S. Benedicti Regulæ prorsus conformis est, & in qua sancti hujus Institutoris mens viget, idque ex consueta consuetudine, qua nempe dum Monasterii seu Congregationis institutioni rectæ studetur, Regula tantum, & Constitutiones ab Ecclesia receptæ ac probatæ ob oculos habentur, nulla abusuum, qui irrepserunt, ratione habita, nisi ut abrogentur, & Regulares ad primigeniam disciplinam redigantur, quemadmodum non semel in Regno factum vidimus, in quo in idem consilium Ecclesiastica & Sæcularis auctoritas conspirarunt, egeruntque conjunctis viribus, juxta principia paulo ante proposita.

Quoad quæstionem tertiam, Prior non minus diligenter debet in id incumbere, ut Novitiatum edant ii, quibus Regularia Beneficia collata sunt, quam cæteri; Pontifex quippe eos ad hujusmodi probationem obligans nihil aliud quam Ecclesiæ mentem ob oculos habet, certoque judicat eos ad Religionem ex Professionis rationibus propendere, adeoque oportere, ut in Novitiatu periculum fiat, sine ad Religionem idonei sint; ut enim scite loquitur D. Gregorius M. 19. *q.* 3. *Monasterus: vita, moresque eorum sollicite comprobentur; nam cum grave sit inexpertos hominum sociari obsequiis, quis possit dicere, quam sit gravius ad Dei servitium improbatos applicare?* Videndum est igitur, S. Gregorii sententia, probandumque, an qui Novitiatum edit, Religioni sit aptus, an ejus austeritates ferre valeat, an iis denique se subdere velit; quandoquidem ex Innocentii III. Regula *c. Ad Apostolicam extra. de Regularibus & transeuntibus ad Religionem* probationis tempus æque in ingredientis atque in Monasterii gratiam est institutum; ut ille quidem quoad Religionis asperitates suarum virium periculum faciat, hoc vero ejus mores, qui ad Religionem aspirat, cognoscere possit; quod idem omnino est, atque id, quod D. Gregorius præcepit, quodque fusius explicuit Glossa in *c. Non solum de Regular. & transeunt. ad Relig. in* 6. 1. *cap.* Posita doctrina hac tanquam prorsus indubitata, necessaria rerum consecutione fit, ut, si rationibus iis, quibus Novitius ad Professionem admitti solet, quis Provisorum Religioni censeatur ineptus, a Priore admittendus non sit, sed ex conscientiæ regulis rejiciendus.

Quoad quæstionem quartam, posito tanquam prorsus indubitato, Religiosum ex Tridentina Synodo *Sess.* 25. *de Regularibus cap.* 2. nihil possidere posse, atque adeo quæcumque seu mobilia, seu immobilia bona tenet, sive ea Monasterii bona sint, sive eadem ipse acquisierit, Superiori tradere debere; id quod etiam distinctius explicat Clemens VIII. in Constitutione Religiosæ, quæ est 28. §. 3. in qua Religiosis eorum bonorum dispositionem interdicit, quæ ipsis donata fuerint, eorumque præterea, quæ perceperint ex peculiari administratione, ut Sacristiæ, Fabricæ, & generatim earum rerum omnium, quarum ratio reddi solet; nihilominus existimatur non idem judicii ferendum esse de Beneficiis, vel Officiis, quæ Religiosus in titulum possidet, cujus vi ei Beneficii administratio commissa est, adeoque potest ille ejusdem Beneficii bona disponere, quippe quæ Ecclesiæ auctoritate ejus fidei concredita sint, tametsi nunquam non iis uti debeat juxta Canones, proinde prorsus ac sæcularis, prout monet Tridentina Synodus *sess.* 25. *de reform. c.* 1. Hæc Navarri sententia est *de redditibus Ecclesiæ q.* 1. *monit.* 33. *n.* 1. *Monto*, loquit hic Auctor, *quod est elegans illa Cardinalis Florentini Regula, videlicet quod eamdem potestatem, quam habent Beneficiarii sæculares disponendi de suorum Titularium & Commendatorum proventibus, habent etiam Regulares de suorum Beneficiorum Titularium & Commendatorum redditibus; primum quod ratio propria, qua sæculares uti possunt proventibus ad moderatam sui sustentationem, superfluis in pauperes distributis, non est, quod illi sint eorum integri & absoluti Domini; sed quod Ecclesia, ejusque Ministri constituerunt eorum proventuum dispensatores per titulos Canonicos, quos in id conferunt, quo munere etiam Religiosus fungi potest, etiamsi non possit esse verus alicujus rei temporalis dominus, ob solemne suum paupertatis votum.* Ex quo facile concludi potest, Priori non id juris esse, ut ex Abbatiæ Religiosis Claustralia Officia in Titulos obtinentibus eorum proventuum, qui iisdem conjuncti sunt, rationem expostulet, dummodo eorumdem Officiorum oneribus satisfaciant. Atque ita quidem satis etiam est factum quæstioni quintæ.

Quoad sextam; gravis abusus est haberi Capitulum, majoris Missæ tempore, I. quia ei adsistentia exhibenda est; II. quia Pragmatica Sanctio tit. 16. quod est *de tenentibus Capitula tempore Missæ*, id prohibet disertis hisce verbis: *Prohibet hæc Sancta Synodus, ut tempore Missæ majoris, præsertim diebus solemnibus, Capitula, seu Actus Capitulares, aut alii tractatus per Canonicos non celebrentur, nisi forte urgens & evidens necessitas ingrueret. Qui vero ad talem horam Capitulum indixerit, a distributionibus quotidianis per hebdomadam sit suspensus, atque ipsi Canonici pro illa hora distributiones lucrentur.* Jurisprudentiam hanc Rescripta secuta sunt.

Quoad septimam; abusus est etiam, Religiosorum spolia consanguineis donari, eamque praxim Capitulari Actu firmari; ab hac proinde consuetudine recedendum; quod si id aliquando tantum atque in eleemosynæ modum fieret, & consanguineorum necessitas ac paupertas evidens esset, ut propterea donatio maximam eleemosynæ speciem haberet, posset id aliqua ratione excusari, quamvis re ipsa aliquid esset non omnino probandum, satiusque foret in hisce paupertatis casibus a Monasterio quicpiam aliud, quam ejusmodi spolia tribui, quo scandalum, quod ea successioni species ingererat, de medio penitus tolleretur.

Quoad octavam, & nonam; hi Religiosi non modo Constitutionem, de qua sermo est, sed universam quoque S. Benedicti Regulam, quam sunt amplexi, servare debent. Quod si quid temperamenti se per Bullas obtinuisse contendunt, eæ Bullæ sunt ad trutinam revocandæ; quæ si genuinæ comperiantur, minime dubium est, quin ab iis ipsi soluti sint, in quibus cum causæ cognitione fuit Regulæ derogatum; at Prior in id suas curas, suamque diligentiam conferre debet, ut Religiosos pertrahat ad eam vitæ rationem tenendam, qua propriæ Regulæ consentanea a sæcularibus Canonicis secernantur; ac si forte se oleum & operam perdere intelligat, petere debet, ut ab officio abdicetur, & ipse quidem Regulæ pro viribus satisfacere.

Quoad decimam; denique Tridentina Synodus *sess.* 25. *de Regularibus cap.* 16. diserte prohibet, ne quid ante Professionem Monasterio tribuatur, præter id, quod probationis tempore Novitiorum sustentationi deserviat: *Sed neque ante Professionem, excepto victu & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut Curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.* Ex quibus apparet, pro Religiosi in Novitiatu existentis pensione aliquid accipi posse, sed id tantum esse accipiendum, quod necessarium est, quodque sufficit ad reparan-

parandum Conventus & Monasterii dispendium, quod ex eo patitur, qui nondum ad Familiæ bona jus habet; facta enim hypothesi ei jus esse, aliquid *a Monasterii bonis*, propriam scilicet subsistentiam percipiendi; simoniacum esset, quadringentas libras accipi, summam nempe, quam immodicam esse constat. Neque vel solvi vel accipi scutum potest, quod Capitularium cuique tribuitur; praxis hæc tolerari nequit ob simoniæ speciem, quam hujus arrogati juris exactio præsefert. Præterquam quod eadem consuetudo proprietatem subolet, quæ apud Religiosos ferenda non est, quodque omnino Concilia, & Pontifices damnant. His porro Consilium ad Prioris consulenti institutionem nihil addendum putat præter Tridentinæ Synodi capite primo *de Regularibus sess.* 25. verba hæc, quæ Religiosorum omnium, ac proinde Prioris, qui de Familiæ sibi commissæ disciplina summopere debet esse sollicitus, obligationem breviter simul ac diserte declarant: *Quoniam non ignorat sancta Synodus, quantum ex Monasteriis pie institutis, & recte administratis in Ecclesia Dei splendoris atque utilitatis oriatur, necessarium esse censuit, quo facilius ac maturius, ubi collapsa est, vetus & regularis disciplina instauretur, & constantius, ubi conservata est, perseveret, præcipere, prout hoc Decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri quam mulieres ad Regulæ, quam Professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant, atque in primis quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respective essentiam, necnon ad communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinentia fideliter observent.* Quod argumento est, Concilium ad Regulam, cujus Professio facta est, omnia redigere; adeoque in hac facti specie Priorem ac Religiosos Abbatiæ, de qua sermo est, se Sancti Benedicti Regulæ omnino conformare debere, nec ab ea vel tantillum recedere posse, nisi quatenus ipsis per Ecclesiam licuerit, quod eos authenticis probationibus firmare necesse est, cum præscriptio nullum in ejusmodi rebus locum habeat; ut ii quidem non nisi juxta Regulam ab Ecclesia approbatam solemnia vota edere nequeant.

Decisum in Sorbona die 2. Octobris an. 1681.
Aug. *de Lamet*.

Religiosi Conversi. Eorum obligationes.

CASUS XXVIII.

1 *Religiosus quamvis non reformatus, & Conversus non potest tuta conscientia extra proprium Claustrum sine justa causa, & a Pontifice, vel aliis suis Superioribus approbata versari.*

2 *Debet Confessiones, quas in eo statu peregit, utpote nullas repetere.*

3 *Conversus hic absque dispensatione Tonsuram suscipere, ac Beneficium obtinere non potuit.*

4 *Sacristæ locum, utpote Sacerdotium, quo ille insignitus non est, requirentem non potest in Titulum possidere.*

5 *Non licet Religioso Converso æque ac Professo pecuniam in ludi discrimine ponere, sed debet iis relaxationibus contentus esse, quas Regula, & Constitutiones eidem permittunt.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut definiant,

I. An Religiosus Benedictinus Conversus ex non reformatorum numero possit extra Claustrum, seu Domicilium suum commorari?

II. An citra mortale peccatum decem seu duodecim annorum spatio extra Monasterium degere potuerit, atque an non Confessiones in eo statu editas repetere teneatur, an vero bona fides, in qua vixit, eum coram Deo excusare possit?

III. An sine Pontificis permissione Tonsuram suscipere, ac Beneficium obtinere potuerit?

IV. An possidere possit Sacristæ Titulum, qui duas per hebdomadam Missas requirit, & quidem per proprium Beneficiatum, ut creditur, celebrandas vi Transactionis inter ejus Ecclesiæ Parochum & Sacristam initæ, qua declaratur, eum multis anni diebus festis sacrum facturum esse, omnesque ipsius Decessores Presbyteros fuisse?

V. An Religioso liceat aleis ludere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod quæstiones in expositione contentas vidit, & expendit, existimat,

Quoad primam, veteranum hunc Religiosum non reformatum, quamvis Conversum non posse consuetum suum domicilium extra proprium Claustrum tenere; Tridentinum enim Concilium *sess.* 25. *c.* 4. *de Regul.* Religiosum egredi sine permissione vetat, ne dum extra Monasterium degere sinat. Idem statuit Clemens VIII. Constitutione 60. *cap. nullus*. & Urbanus VIII. an. 1624. *c. Sacra Congregatio* 28. probavit Congregationis Decretum, quo Clementis VIII. Bulla renovatur, atque ita statuitur: *ineatur ratio, qua sublatis licentiis ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quamprimum revocentur; nec de cætero, nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda hujusmodi facultates concedi possint*. Consuli possunt Pelizarius, & Auctores, quos laudat *tom.* 1. *tr.* 5. *c.* 6. *sect.* 1. *& tom.* 2. *tr.* 9. *c.* 3. *sect.* 4. *q.* 47.

Quoad secundam, hunc Religiosum Conversum graviter peccavisse, quod extra proprium Claustrum permanserit, nisi ei præsto fuerit authentica facultas, ut Pontificis, vel proprii Superioris, siquidem dictus Superior eamdem concedere potuerit, quod non apparet; ut proinde non immerito sentiendum sit, ejus Confessiones eo quidem tempore editas nullas esse, ac proinde repetendas. Ignorantia porro eum in hac facti specie excusare non potest, quia fere non præsumitur bona fides in Religioso quoad obligationem adeo constantem, atque adeo exploratam, cujusmodi est, ut in proprio Claustro permaneat, nec citra permissionem inde egrediatur. Et sane quid tandem est Religiosus? Homo est a societate secretus, ut in solitudine Deo deserviat; quod profecto in Benedictinum Monachum maxime cadit, cujus ea est instituti ratio, ut solitarius, sibique vivat. Pelizarius loco citato *tom.* 1. *q.* 7. Religiosum quemlibet extra Claustrum degentem mortalis peccati damnat, quod maxime verum apparet. Qui enim potest ille proprii status rationem servare, ac vota, quæ edidit, obedientiæ potissimum exequi, si in humana societate degat, ac prostet, nec proprii Superioris oculis obversetur?

Quoad tertiam, Converso huic non licuisse ad Tonsuram accedere, ac Beneficium sibi conquirere D. Hieronymus Epistola quarta ad Monachum Rusticum ita pronuntiat: *sic vive in Monasterio, ut Clericus fieri merearis*. Quæ verba Benedictino, de quo agitur, accommodari possunt, quippe qui extra proprium Monasterium ex longo jam tempore vitam trahat, & in Ecclesiam ipse suapte prurigine non legitime vocatus irrepserit. D. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *ad* 5. pro certo ponit, Monachum Laicum, seu Conversum ad Clericalem statum transire posse; quia vero ab eo per Professionem, quam emisit, excluditur, ut Clericus fiat, Pontificis, aut sui Generalis permissu opus habet. *De Peyrinis de R. P. tom.* 2. *q.* 3. *c.* 1. *§.* 5. *n.* 149. id ait in Minimorum Regula statutum esse. Sed Clemens VIII. in Bulla *In suprema de recept. Novit.* an. 1603. id ipsum vult generalis Legis vim habere, prohibens *§.* 34. ne inter Religiosos Clericos recipiatur, quisquis non nisi ut Conversus esset, admissus fuit: *Qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint*. Decretum hoc firmatum est alio, quod an. 1624. Urbanus VIII. edidit, quodque incipit: *Sacra Congregatio*.

Quod si fides habetur Pelizario *tom.* 1. *tr.* 2. *c.* 3. *q.* 53. & *cap.* 5. *n.* 135. & Rodriguez *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 42. *art.* 19. Conversus, qui sine Sanctæ Sedis, aut proprii Generalis expressa licentia Ordines

dines susciperet, suspensus esset, juxta Leonis X. Decretum in Fratrum Minorum gratiam editum; hoc enim Decretum ceulendum est aliarum Religionum commune, quippe quod iis est savorabile: *Quando aliquis Frater* Laicus (hæc sunt verba Leonis X.) *ad Clericatum ascenderit extra obedientiam Prælatorum Ordinis, etiamsi ad Sacerdotium usque promotus sit, postquam reversus fuerit, omni honore Clericali privetur, nec permittatur Canonicam persolvere officium; sed Laicorum officium persolvens, ad meram statum Laicalem reducatur*. Addit Rodriquez Decretum hoc indictum fuisse in generali Capitulo Lugduni habito an. 1518. *Præsidente auctornate Apostolica Cardinale de Ara cœli*. Ut ergo Conversus, concludit hic Auctor, ad Clericorum Ordinem gradum faciat, Pontificis, vel Capituli generalis, vel Generalis Ordinis consensus requiritur.

Ad quartam, videri eum, qui Sacristiam possidet, de qua quæritur, Presbyterum esse debere, ut Missis duabus eidem Sacristiæ addictis satisfacere possit; probatur id I. ex Transactione, quæ contigit in Parochiæ erectione; II. ex consuetudine, quæ hactenus servata est, ut nempe quicumque Beneficium illud hactenus obtinuerunt, Sacerdotes essent; quamobrem cum Benedictinus hic Sacerdos non sit, quamvis cæteroquin habeat, quæcumque ad Sacerdotium sunt necessaria, non potest proinde hoc Beneficium retinere, quamdiu Sacerdotii quamprimum suscipiendi voluntas in eo non sit, nec ad illud ipse se comparet.

Ad quintam & postremam quæstionem respondetur, Religiosum, qui paupertatis votum emisit, nihilque sine licentia disponere potest, nec tenuem, nec magnam pecuniæ summam in ludum conferre posse. S. Benedictus in Regula, quam suis Religiosis præscribit, ne ullam quidem oblectationem iisdem permittit; etenim articulo 48. ubi declarat, quid post prandium, quod alicui capiendæ relaxationi videtur aptissimum tempus esse, facere debeat, eum, jubet in propriam cellulam se recipere, vel ut quiescat, vel ut alicui spiritali lectioni vacet; quamquam Patres Ordinis aliquam deinde oblectationem permissam voluerunt, non quidem quæ ex ludo, sed quæ vel ex deambulatione, vel ex serio colloquio perciperetur. Consuli potest Holstenius in Regulam S. Benedicti *tom.* 1. *l.* 50. *tr.* 5. *q.* 4.

Tridentina Synodus *Sess.* 22. *c.* 1. *&* *sess.* 24. *c.* 12. *de Reform.* Clericis ludos prohibet, utpote Ecclesiastici status honestati ac dignitati officientes; quod sigillatim de aleis est accipiendum, præsertim cum sæpe luditur, ludusque non levis est, idque aut ex avaritia, aut lucri cupiditate. Porro Synodus veteres hac in re Canones renovat. Jam Auctores, qui de Regularibus agunt, ejusmodi prohibitiones fere Religiosis accommodant, aliquotque eos peculiari ac potiore jure, quam cæteros, iis obligari.

Quamvis autem antiqui Canones ludum vetantes, talorum tantummodo ludos nominent, usus tamen eos ad chartarum ludum extendit. Hæc S. Antonini sententia est 2. *p. tit.* 1. *c.* 23. *§.* 2. *Etidem videtur de chartis, quamvis ibi sit aliquid industriæ, principaliter est fortunæ*, Sylvestri *V. Ludus q.* 5. Navarri *in man. c.* 20. *n.* 7. Sanchez *l.* 1. *c.* 8. *dub.* 28. *consil.* Dominici Soto *de just. & jur. l.* 4. *q.* 5. *art.* 2. *conclus.* 4 Pelizarii *tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 11. *q.* 2. & de Peyrinis *tom.* 2. *c.* 2. *q.* 2. *§.* 5. *n.* 93. *de R. P.* qui singillatim eas ludorum species enumerat, quibus certo quodam tempore, & in quibusdam circumstantiis Religiosi vacare possunt. Ac Soto quidem ita pronuntiare non dubitat: *Sacerdotibus autem vix extra mortale uti licet ludis vetitis, ac præsertim Religiosis, & Antistitibus, quoniam ludus illis, non qua ratione Sæcularibus, sed quia contra eorum honestatem est prohibitus*.

Et sane si negotium hoc dijudicetur ex gravitate pœnarum, quæ Clericis, qui vetitis ludis indulgent, a Canonibus imponuntur, concludendum est, eos iidem ludis præsertim sæpe vacantes lethalis culpæ reos esse. Consuli potest *de Peyrinis* loco citato *n.* 93. Pelizarius loco pariter citato *q.* 5. *n.* 9. sibi Religiosi Conversi objectionem proponit, aitque, cum Canones, & Tridentina Synodus Clericis tantummodo ludum prohibeant, videri proinde eumdem Conversis permissum esse. Sed cum Auctoribus multis, qui hac in re communem opinionem sequuntur, respondet in ejusmodi prohibitionibus Clericorum nomine Religiosos omnes comprehendi, quia de re agitur, quæ ad universi Religiosi status dignitatem spectat: *sustinendum videtur*, inquit, *ex communi doctrina, quod nomine Clericorum veniunt Religiosi, quoties prohibitio respicit decentiam status, quod evenit in isto casu*.

Decisum hac die 20. Novembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

Religiosus fama laborans, quem alii Priorem eligere in animo habent.

CASUS XXIX.

1 *Non est ad Officia promovendus Religiosus; cujus mala sit opinio, quique depravatis moribus esse censeatur.*

2 *Quamvis in pleno Capitulo flagitia sua fassus fuerit, eorumque pœnitentiam egerit, est tamen a Prælatione, quoad vixerit, excludendus.*

QUÆSITUM.

Religiosus, cæteroquin aliqua laude dignus, in notoria facinora lapsus est, & universæ, in qua versatur, Communitati scandalum attulit; id quod malam ei famam peperit. Hoc in statu per tempus aliquod perstitit, de exprobrationibus, quibus erat obnoxius, deque pœnis, quibus afficiebatur, nequaquam sollicitus. Sed divino tandem instinctu afflatus ad mentem rediit, & officii sui memor errata sua in pleno Capitulo ingenue atque humiliter fassus est, nec sine vehementi dolore veniam petiit, quod adeo scandalo fuisset. Cum ergo in præsentia se maxime in officio contineat, ac probitati summopere studeat, atque in negotiis procurandis plurimam valeat; quæritur, an Prior eligi possit, universa fere Communitate ita postulante? Rogantur Sorbonæ Doctores, ut aperiant, hac in re quid optimum factu sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, hominem fama laborantem nunquam eligendum esse, ut Religiosæ Communitati præsit, quia eligendus non modo debet habere *bonum testimonium ab iis, qui foris sunt*, sed ab iis etiam, quibus præsidet, quibusque in perfectionis via non doctrina tantum, verum etiam exemplo facem præferre debet; atque ita qui prava vitæ ratione famæ jacturam subiit, haud tanquam aptus occupandæ Prælati sedi spectandus est. Hac de causa ex *Cap. Infamibus, de regulis juris in sext.* qui nomen suum criminibus denigrarunt, a quibusvis dignitatibus repelluntur: *Infamibus portæ non pateant dignitatum*. Quod ex Canonici Juris mente non de ea tantum infamia, quæ ex judicio, atque extorta confessione provenit, sed de facti quoque infamia, quæque ex publica, qua quis laborat, opinione oritur, est accipiendum.

Præterea non est rationi consonum, atque ordini conforme dignitate Religiosum ornari, qui eadem spoliari posset, si in ipsum criminis suspicio caderet. Porro non ignoramus Innocentii III jussu olim Abbatem, cui Pomporiano nomen, suspensum fuisse, ea tantum de causa, quod de prava temporalium Abbatiæ bonorum administratione suspectus esset, prout traditur in Jure *cap. Licet, extra de simonia: Nos eum de dilapidatione suspectum, ab administratione Abbatiæ duximus suspendendum*. Quod propugnatur in capite *Accusatum, de accusatoribus*.

Si ergo Religiosus, de quo agitur, in propria Communitate insignium criminum reus audit, ob quæ ab officiis, quæcumque obtinuisset, juxta consuetæ Jurisprudentiæ regulas depositus fuisset, quamcumque demum in Capitulo confessionem ediderit, non

non proinde tamen ille famam suam redintegrasse censetur, qua quidem integra est opus, ut publica munia occupentur; porro ipse se infamavit actione ac declaratione suorum criminum coram universa Communitate, & quamcumque pœnitentiam egerit, se Prioris dignitati idoneum non reddidit, ut docet Prosper Fagnanus *cap. Omnipotens, de accusat. n. 31. Quod locum etiam habet*, ejus verba sunt, *etiamsi pœnitentiam egerit, quia nihilominus aliqua infamia respersus, etiamsi nullus eum accusaverit, promoveri non debet*.

Neque vero Religiosus hic se tueri potest capite *ex litteris, extra de furtis*, quod citat Fagnanus, & in quo quis humanius habitus fuisse dicitur, quod proprium crimen, cogente nemine, sed *sponte confessus fuerit*; quoniam ex eodem loco compertum fit, Pontificem, dum ejusmodi hominem, qui Calicem rapuerat, post pœnitentiam, ac restitutionem Ordinibus insigniri, disertis verbis declarare ejus crimen haud publice innotuisse, nec ipsius famam propterea læsam fuisse; adeoque non obscure significare, si ejus crimen evulgatum esset, se quidem ei patrocinaturum omnino non fuisse. Id autem non occurrit in Religioso, de quo in præsenti facti specie sermo est, quoniam toti Communitati nota sunt & perspecta ejus crimina; ac proinde ejusmodi rumore jam sparso, non maxime scandalosa esse non posset ipsius promotio.

Decisum Parisiis hac die 27. Junii an. 1686.
Aug. *de Lamet*.

Religiosæ in alium Ordinem translatæ.

CASUS XXX.

Possunt Religiosæ justis de causis ab uno Ordine ad alium migrare; causa exempli cum sperant fore, ut magis in uno quam in alio disciplinam servent, meliusve suis ægritudinibus prospicietur.

QUÆSITUM.

Quæritur, an Religiosæ, quæ in Familia Ordinis S. Benedicti Professionem emiserunt, in aliam Ordinis S. Bernardi tuta conscientia transire possint?

In priori quidem res in hebdomada carnibus vesci licet, & aliquot mensium spatio linteum deserunt, id autem non sine Antistitæ permissione.

In posteriori vero non nisi ægrotationis tempore carnis est usus, sed Chori Officia non ita gravia sunt, nec noctu assurgitur.

Cur autem illæ hanc mutationem petant, rationem non unam afferunt; ajunt I. se parum firma esse valetudine, atque ex longo jam tempore laborare prope nunquam intermissis ægritudinibus, quibus identidem fiat, ut Familiæ Officiis, aliisque Regulæ capitibus ineptæ sint. II. Sibi ægre admodum in Familia præsto esse morborum suorum remedia, quæ sperant in alia Familia sibi facile præsto fore. III. se nonnullis affici mœroribus, qui explicari non possunt, & a quibus ibi, ubi sunt, se liberas fore sperare nequeunt.

Quæritur & illud, facta hypothesi eas egredi posse, an sufficiat unius Episcopi auctoritas, an vero translationis Breve obtinendum sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod Expositionem hanc vidit, existimat ejusmodi Sanctimoniales, quæ in Familia Ordinis S. Benedicti Professionem ediderunt, in aliam Ordinis S. Bernardi tuta conscientia transire posse, dummodo eis causa legitima suppetat; aliter enim omnino non possent, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. *in corp. Respondeo, dicendum*, inquit hic Sanctus Doctor, *quod transire de Religione ad Religionem, nisi propter magnam utilitatem & necessitatem, non est laudabile; tum quia ex hoc plerumque scandalizantur illi, qui relinquuntur; tum etiam quia facilius proficit aliquis in Religione, quam consuevit, quam in illa, quam non consuevit*. Quod etiam probatur ex *C. Licet extr. de Regular.* Quia tamen eas, pro quibus consulitur, ad petendam Ordinis mutationem nil aliud movet, quam spes & cogitatio fore, ut regularem disciplinam diligentius custodiant in Sancti Bernardi, quam in Sancti Benedicti Familia, in qua semper obnoxiæ sunt ægritudinibus, quarum causa Familiæ Officiis interesse non possunt; earum proinde infirmitas satis justa causa esse censetur, ut se transferri petant ad Monasterium, in quo non remere sperant solatia sibi ægrotantibus præsto fore, seque proinde Familiæ observantiis accurate satisfacturas; idque eo magis, quod infirmitas Episcopo, exempli causa, canonica causa est, quamobrem Episcopatum suum deserat, si ea servitio, quod suo gregi exhibere debet, opponatur, ut docet Innocentius III. *Cap. Nisi cum pridem de renunciat. Debilitas corporis*, inquit Pontifex, *est causa cedendi, quæ procedit vel ex infirmitate, vel ex senectute, per quam impotens redditur ad exequendum munus pastorale*. Cum ergo Moniales hæ ad petendam translationem uno perfectionis studio ducantur, hæc admodum legitima causa est, adeoque ejusmodi ratio, Doctoribus unanimi sententia statuentibus, jus affert ad molliorem Ordinem transeundi, ut Barbosa in Tridentinum Concilium *Sess.* 25. *de Regularibus, & Monialibus c.* 19. *n.* 31. licet intelligi.

Ad alterum quod spectat; Cum Monialibus de quibus agitur, legitima causa suppetat, non tenentur illæ ad Apostolicam Sedem confugere, ut a S. Benedicti ad S. Bernardi Familiam, in qua non dissimilis est Regulæ & Constitutionum austeritas, transeundi facultatem obtineant. Glossa *Cap. Non est vobis* satis ostendit, Religioso sibi subdito permittere Abbatem posse, ut ad æque austeram Familiam transeat; extat id in verbo *Permutatis*: *intellige, quod de licentia Abbatis posset transire ad æqualem justa causa*. Et Glossa in *cap. Cum singula de Præbend. & Dignit. in* 6. Verbo *Canonice* hæc habet: *Si transiret ad laxiorem sine causa, solus Papa dispensat, cum sit contra jura: idem de consuet. præbend. propositi; si autem ad parem ex causa, poterit de licentia Abbatis, & Conventus* 19. *q.* 3. *Statuimus*. Porro ex hisce posterioribus Glossæ verbis apparet, ad parem Ordinem transeundi dispensationem, atque adeo ad minus severum minutique strictum Ordinem, dummodo causa adsit, ab alio quam a Pontifice tribui posse. Confirmat id Navarrus *comment.* 4. *de Regular.* n. 11. *art.* 5. & Panormitani, Sylvestri, & Hostiensis auctoritatem in medium affert: *Quinto*, inquit, *quod superior etiam inferior Papa potest ex causa justa dispensare, ut transeat ad Religionem laxiorem, secundum Panormitanum, cui satis concordat Sylvest. & ante illos tradiderant Innocentius ibi, & Hostiensis in summa. Nam quod paulo ante dicitur, quod solus Papa potest hoc facere, intelligendum est de potentia faciendi sine causa quoad forum exterius*, Azor. *prima parte l.* 12. *c.* 14. Fagnanus *in c. Dilecti, de renuntiat. tom.* 1. 2. *part. q.* 166. adhærent sententiæ huic, quæ Canon statum communis censeri potest, quæque eo certior apparet, quod illi ipsi, qui vidente Pontifice scribunt, eam amplectuntur. Quamobrem satis esse censetur, si ad Episcopum, cui S. Benedicti Abbatia subest, confugiatur, qui quidem ejus translationis permissionem tribuere potest, ita tamen, ut prius jubeat prioris illius Monasterii Monialium Communitatem congregari, ut ejus consensus obtineatur, & Capiti *Statuimus* 19. *q.* 3. satisfiat, tum vero curet, ut Monasterii, ad quod Moniales transferendæ sunt, Episcopo ea translatio probetur, facta hypothesi utramque Familiam Ordinarii jurisdictioni subesse.

Decisum Parisiis die 9. Octobris an. 1679.
Aug. *de Lumet*.

Mo-

Moniales exemptæ, quæ reformatione opus habent.

CASUS XXXI.

1 *Penes Superiorem Regularem jus est prohibendi, ne Moniales sibi subjectæ absque ipsius permissione ad extraneos scribant.*
2 *Id porro sub excommunicationis pœna prohibere non debet; idemque sentiendum de Confessione Presbyteris Sæcularibus facienda.*
3 *Ex Gregorii XV. Bulla, atque ex Romanæ Curiæ decisionibus Episcopo jus est de Familiarum Monialium exemptarum spirituali ac temporali administratione quibusdam in casibus cognoscendi.*

QUÆSITUM.

Religiosæ Familiæ exemptæ Superior Constitutiones edidit, quæ infra subdentur; Familia hæc reformationis indiget; eam optant Monialium nonnullæ, cæteris refragantibus. Propendet ad reformationem Episcopus; de Superioris regularis animo dubitatur. Familia quidem exempta est, at si Episcopus de rebus, prout se habent, non ignoraret, operam dare posset, ut illa in ordinem redigeretur. Difficile autem in præsentia poterit certior fieri, quia Moniales absque permissione scribere prohibentur, ac litteræ possunt intercipi; eas deterret prohibitioni addita excommunicatio, quæ quidem ab earum Superiore legitimo inflicta est. Neque vero possunt aliis animum suum aperire, quam proprii Ordinis Religiosis, ad quos ita accedunt, ut ad homines, quos verentur; itaque admodum anxia ac perturbata conscientia sunt; ac si regularis Superior Reformationi, qua Familia opus habet, refragaretur, nulla ejus instituendæ ratio præsto foret. Rebus ita se habentibus, quærunt illæ ex Conscientiæ Consilio;

I. Quid judicii ferat de ejusmodi Constitutionibus, Censurisque iisdem annexis?

II. Quo usque tandem Moniales iis obligentur tum quoad Episcopum Diœcesanum, tum quoad alios, quibus illæ ad propriæ conscientiæ moderationem sibi opus esse judicarent?

III. Quid consilii capere posse ac debere Episcopus censeatur, ut earum Constitutionum, quarum non immerito consecutiones timentur, abrogatio obtineatur?

Prima Constitutio.

Nos probibemus omnibus nostris dilectis Filiabus, in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ obedientiæ, & sub formali præcepto, ne cui scribant, exceptis iis, qui nostris sanctis Constitutionibus excipiendi sunt, absque nostra expressa, atque Antistitæ permissione; ac ne de Sororum suarum defectibus, deque iis, quæ in Familia contingunt, colloquantur, vel extra Monasterium ea patefaciant, sub pœna excommunicationis, quam nos hoc ipso tempore in eas infligimus, quæ præcepto nostro obsequi renuerint.

Secunda Constitutio.

Nos prohibemus sub eodem præcepto Monialibus omnibus tam Choro addictis, quam Conversis, ne quem Regularem, aut Sæcularem Confessarium aut Directorem sibi sumant, sed tantum ex nostri Ordinis Religiosis, quique nostra in id expressa permissione gaudebunt; Volumus, & mandamus, ut dicti Confessarii pro sua ipsorum prudentia Sanctimonialium extraordinarias Communiones definiant.

Animadversione dignum est, Provincialem, qui duas allatas Constitutiones edidit, quandoque ab hoc Monasterio centum leucis abesse.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quoad quæstionem primam, Monialium, de quibus agitur, Superiori satis gravem causam præsto esse potuisse, quamobrem Constitutionem priorem sanciret. Possent nempe tam crebra esse externa colloquia, ut spirituali Monialium bono vehementer officerent; atque ita Superior non ignorans periculum fore, ne frequens litterarum commercium gravia incommoda consequantur, illud prohibere potest; id porro sub pœna excommunicationis *ipso facto* prohibens, sane pœnam infligit justo graviorem pro delicti ratione. A justitia alienum apparet, Monialem excommunicatione percelli, quod ad eum scripserit, qui non est ex eorum numero, ad quos scribere permissum est; quamvis id cæteroquin ad bonum finem sit factum, & is, ad quem datæ litteræ, probis sit moribus. Id genus Constitutiones duriores sunt, atque æquo longius absunt ab ea humanitare ac mansuetudine, quæ in Ecclesiæ Prælatis vigere debet. Satis Moniales ligaret præceptum editum in virtute sanctæ Obedientiæ, quod sub gravis culpæ pœna semper obligat, quin adderetur etiam excommunicatio *ipso facto*, quæ omnium, quibus transgressiones maximas Ecclesia punire possit, gravissima pœna est. Ita quippe jugum durius imponitur præsertim Monialibus, quæ alioquin pœnis proprio statui conjunctis satis premuntur. Superior, ut malum, quod timet, efficacius impediat, non debet initio statim ea omni auctoritate uti, quam Christus Dominus eidem concredidit; id enim esset imperare ad Regum instar, repugnante Christo Domino, ac volente jugum divini Filii, cujus Superiores locum tenent, atque auctoritatem exercent, levius ac suavius esse.

Altera Constitutio priori fere gemina est, quoad pœnas nimirum asperior, & prout ex Presbyteris Sæcularibus Confessarios eligi vetat. Qua in re animadvertitur, I. eam repugnare Cardinalium decisioni, quam affert Pelizarius *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 10. *sect.* 3. *n.* 253. quæque statuit, ut Monialibus, vel exemptis sæculares sibi Confessarios extraordinarios petentibus annuant Superiores. II. eamdem ex diametro pugnare cum Gregorii XV. Bulla, quæ id ponit tanquam certum ex Presbyteris Sæcularibus Confessarios ordinarios vel extraordinarios Monialibus exemptis concedi posse. Et sane non desunt Presbyteri Sæculares, qui omnes Religionis praxes optime callent, nec minore, quam Religiosi, regularis disciplinæ custodiendæ sollicitudine, studioque ducuntur. Quamquam esto nihil esset hoc in capite definitum, regiminis suavitas a Regularibus Superioribus postulat, ut hanc indulgentiam adhibeant; atque ita Moniales, de quibus agitur, jure possunt a primi subsellii Superioribus petere, ut Constitutiones hæ duæ reformentur; atque illis quidem renuentibus, Episcopum adire possunt.

Quoad quæstionem secundam; tenentur Moniales Constitutioni parere, quamvis illa injusta ac durior appareat; quia *cum injusta timenda sit*, ei se subdere necesse habent, saltem in provisionis modum, & donec, ipsis conquerentibus, aliter statuatur. Quod si illæ tam anxio, ac sollicito animo essent, ut iis, qui sibi Superiorum loco dati sunt, confiteri non possent; Constitutionibus, de quibus agitur, nihil obstantibus, ad Episcopum accedere possent, qui in hac facti specie potest alios Confessarios, aliosque Moderatores, Superioribus rite ac recte monitis renuentibus exhibere. Ita sentit Barbosa in Tridentinam Synodum *Sess.* 25. *c.* 10. *de Regular.* ait enim *n.* 4. a Cardinalibus *decisum, quod potest Episcopus dare Confessarium Monialibus subjectis Regularibus, quæ nulla ratione induci possunt, ut suis Regularibus peccata confiteantur.*

Sane liquet penes Episcopum eam potestatem esse, quoniam ex Jure communi Privilegiatorum defectum & negligentiam supplere debet, ne absque subsidio, atque in salutis discrimine Fideles relinquat. Hæc quoque Pelizarii sententia est *loco cit. n.* 572. qui nititur Gregorii XV. auctoritate in Bulla, *Inscrutabili an.* 1621. edita *n.* 18. En ejus verba: *Confessores vero, sive regulares, sive sæculares, quomodocumque*

que

que exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant, liceatque Episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi Confessores amoveant; iisque Superioribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores amovendi, quoties, & quando opus esse judicaverit.

Extitit Cardinalium Congregatio, Urbano VIII. Pontifice, in laudatæ Bullæ executionem habita, cujus Barbosa *loco cit. n. 12. & de potest. Episc. p. 2. allegat. 25. n. 77.* decisionem afiert in hæc verba: *Episcopum, cui licet ex rationabili causa, juxta dictam Constitutionem* (Gregorii scilicet XV.) *Superiores regulares admonere, ut amoveant Confessores Monialium, atque Administratores bonorum ad earumdem Monialium Monasteria pertinentium: iisque Superioribus id facere detrectantibus, habeat facultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi, quoties, & quando opus esse judicaverit; non teneri ejusmodi causam significare Superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam sacra Congregatio oneravit.*

Ex his auctoritatibus ducuntur consecutiones plures, quæ propositæ quæstioni solvendæ inserviant; I. Religiosum non posse Monialium vel exemptarum confessiones audire, quin ab Ordinario approbatus sit. II. Eum ab Episcopo interdici posse, nisi officio suo satisfaciat; aliumque ab eodem Episcopo committi posse, quoad Superior admoneatur, ne Moniales sine duce ac magistro remaneant; ac si forte Superior monitus, ut eum Confessarium regularem removeat, id facere negligat, alium ab Episcopo sufici posse. III. Ejus potestatem etiam ad temporalium Administratores extendi, eumdemque Episcopum de iis cognoscere, eorumque rationem petere posse. IV. Episcopum non absolute teneri causas, quibus ad Confessarios, vel Administratores exemptarum Monialium mutandos adducitur, aperire.

Quoad tertiam & postremam quæstionem, respondetur, Episcopum de Provincialis Constitutionibus immediate & recta cognoscere non posse, easque nullas declarare, quia latæ sunt a Superiore legitimo exemptæ Familiæ, per authentica, ut pro certo ponitur, privilegia.

Sed ille tamen alia ratione potest easdem Constituriones expendere. Potest nempe vi Bullæ Gregorii XV. temporalium rationem exigere, præsertim si ea perperam administrata judicaverit, & inde occasionem sumere Moniales audiendi, quæ quidem de propriæ conscientiæ, ac Monasterii, ad spiritualia negotia quod attinet, queri voluerint; ac deinde juxta Decreta paulo ante indigitata, quod utile crediderit, remedium afferre. (*a*) Præterea si Episcopus approbationem Confessarii Monialium vel exemptarum revocare, aliumque sufficere potest, Superioribus Regularibus id facere detrectantibus; consequens profecto fit, penes eum jus esse videndi, quomodo Monasterii se res habeant, præsertim si quæ Monialium de prava spiritualium administratione apud eum conquerantur; ut proinde interroganti ipsi Moniales, Superiorum Regularium Constitutionibus non obstantibus, respondere teneantur; secus potestas, qua gaudet, id, quod spiritale est, Superioribus Regularibus deficientibus redintegrandi foret inutilis. Quamobrem injusta est Superioris Regularis Constitutio, siquidem spiritalium Monasterii rerum, de quibus agitur, cognitionem Episcopo absolute adimere voluerit.

G. *Fromageau*.

Concilium delectorum Cardinalium, & aliorum Prælatorum de emendanda Ecclesia S. D. N. D. Paulo III. ipso jubente conscriptum & exhibitum an. 1538. abusu 12.

Abusus alius turbat Christianum populum in Monialibus, quæ sunt sub cura Fratrum Conventualium, ubi in plerisque Monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo Civium scandalo. Auferat ergo Sanctitas Vestra omnem eam curam a Conventualibus, eamque det aut Ordinariis, aut aliis, prout melius videbitur.

Nomina.

Gaspard. Cardinalis Contarenus.
Joan. Petr. Card. Theatinus, postea Paulus IV. factus S. P.
Joan. Card. Sadoletus.
Reginald. Polus, Card. Anglicus.
Fredericus, Archiep. Salernitanus.
Hieron. Archiep. Brundusinus.
Joan. Math. Gilbertus, Ep. Veronensis.
Greg. Tortesius, Abbas S. Georgii Venet.
Frater Thomas, Magister sacri Palatii.

Moniales, seu Virgines Congregationis Infantiæ Domini Nostri J. C.

CASUS XXXII.

1 *Edi potest votum non petendi dispensationem in votis in anteacessam remissis.*
2 *Minime licet sortem in electionibus adhiberi.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super Constitutionibus Congregationis Virginum Infantiæ Domini Nostri Jesu Christi suam de scripto sententiam exhibeant.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, jussum dicere, quod sentit de Congregationis Infantiæ Domini Nostri Jesu Christi Constitutionibus, postquam legit eas Constitutiones, & Bullam, qua confirmantur, ab Alexandro VII. die 6. Novembris an. 1662. editam, in iis animadvertit articulos duos, difficultati cæterorum maxime obnoxios; quorum primus ad vota spectat, quæ ibidem eduntur, & quibus, obstricta juramenti fide, renuntiatur omni dispensationis juri, eademque perinde prorsus ac Monialium vota indispensabilia declarantur. Spectat alter ad Antistitæ eligendæ rationem, si forte duæ tertiæ suffragiorum partes in unam eamdemque personam minime conveniant.

Porro si ea votorum emissio, atque ea renuntiatio ex voti, atque obligationis, quæ cum Deo contrahitur, natura pensetur, stat sententia, posse fidem obstringi, ne voti dispensatio petatur, cum certo constat promissionem in eo contentam voventis perfectioni utiliorem esse, quam foret dispensatio. Hæc doctrina est Ricardi de Media-Villa, Sancti Antonini, Angeli a Clavasio, Angli, Sylvestri, Navarri, & Bonacinæ. En Ricardi verba *in 4. Sententiarum Distinct.* 38. *art.* 9. *quæst.* 3. in Conclusione: *Quando dispensationem non petere animæ voventis utilius est, quam petere, votum de nunquam petendo obligatorium erit*. Et in articuli corpore: *In casu, in quo utilius esset animæ voventis talem dispensationem non petere, obligatus esset ad non petendum.* Principia hæc omnium omnino votorum communia sunt, quippe quæ suscepti perfectionis consilii natura ducuntur. Quod in causa fuit, ut Cœlestinus III. *Cap. rursus, Qui Clerici, vel voventes* (*b*) pronuntiaret non minorem voti simplicis quam solemnis coram Deo obligationem esse. Idem tradit Cardinalis Bellarminus in Epistola, qua Sancto Francisco Salesio respondet, a quo per epistolam rogatus, ut sibi apud Pontificem præsto esset, ab eoque obtineret, ut Visitationis Congregatio, quæ eo quidem tempore sæcularis erat, in Religionem institueretur, eidemque permitteretur, ut solemnia vota

(a) Vide Editum spectans ad Jurisdictionem Ecclesiast. cum mensis Aprilis an. 1695. art. 8.

(b) Lib. prim. Epistolarum hujus Sancti ep. 14.

vota emitteret, ei auctor est, ne ejus Congregationis statum mutandum curet, declaratque, se, si ejus loco esset, ita facturum; & ex rationibus, quas eidem affert, una est, quod vota simplicia non minus obligant, quam solemnia.

Firmissimo principio nititur doctrina hæc, nempe fidei, quæ propriæ perfectionis gratia Deo obstricta est, citra peccatum renuntiari non posse. Itaque Innocentius III. a Petro de Sestino consultus, qui, cum Ecclesiæ Gratianopolitanæ a Regularibus Canonicis eo quidem tempore administratæ se nomen daturum vovisset, quod tamen promiserat, non executus, Genevensis Episcopus electus fuerat, *C. Per tuas extra de voto, & voti redempt.* ita graviter pronuntiat: *Nos igitur tuæ discretioni consulimus, ut, si desideras sanare conscientiam, regimen resignes Ecclesiæ memoratæ, ac reddas Altissimo vota tua*, quia, ut subdit Glossa, *Dominus exigit oblatum, quod non exigeret offerendum*. Neque omittenda est Cardinalis Ostiensis super verbo: *Consulimus*, animadversio, videlicet si Petrus de Sestino consultantis in modum ad Pontificem non accessisset, sed ejus Episcopatus retinendi facultatem ab eo petiisset, futurum fuisse, ut, ne dum Pontifex eam facultatem ipsi concederet, eum potius cogeret voto edito satisfacere: *Nam si peteretur, te cogeremus, ut Domino redderes vota tua*. Innocentius IV. & Zazabella eamdem sententiam tuentur in hoc idem Caput, *Per tuas*; en prioris verba: *Etiamsi petitum fuisset, cogeremus, cum cogendus sit Domino reddere vota sua*. Ex quo liquet, Auctores laudatos sensisse, Innocentium III. cum Petro de Sestino in voto, quod emiserat, dispensare minime potuisse.

Hinc illud conficitur, cogiturque, circumspectionem, quam adhibent Virgines Congregationis Infantiæ Domini Nostri Jesu Christi, ut se contra semetipsas tutas reddant ea renuntiatione, obstrictaque fide, quam jurejurando confirmant, nihil habere, quod improbetur; nisi ita essent animo comparatæ, ut Superiori dicto audientes non essent, si boni publici, quod privato anteferendum est, vel ipsarum perfectionis interesse judicaret, ut ipse cum iis in obstricta fide dispensaret. Quia tamen id raro admodum contingere posset, atque adeo ne prævideretur quidem, proinde non impediret, quominus, pensata voti natura, earum vota tanquam indispensabilia spectarentur.

Verum spectatis iisdem votis non solum quoad naturalem obligationem, ut hactenus, verum etiam quoad Leges, quas sanxit Ecclesia, & quoad discrimen, quod intercedere voluit inter vota solemnia, vel etiam vota simplicia, quæ quidem in Religione approbata ederentur, ex una parte, ac cætera vota simplicia ex alia, Consilium subscriptum censet, dici non posse vota, de quibus agitur, æque indispensabilia esse ac solemnia, atque adeo simplicia, quæ in Religione approbata edita fuerint, quoniam solemnia ex Tridentina Synodo *sess. 24. cap. 9. de matrimonio*, & ex *C. Insinuanti, qui Clerici, vel voventes*, & ex *C. unico de voto, & voti redempt. in 6.* conjunctum habent impedimentum dirimens matrimonii, id quod Gregorii XIII. Bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino*, ad vota quoque simplicia in Religione approbata edita extendit; cum contra cætera vota simplicia non sint ejusmodi juxta doctrinam Cœlestini III. *C. Rursus, qui Clerici, vel voventes*: *Cum votum simplex*, inquit hic Pontifex, *matrimonium impediat contrahendum, non dirimat contractum*; idemque tradit Bonifacius VIII. *C. Unico de voto, & voti redempt. in 6.*

In ea quoque sententia est Consilium subscriptum, vota simplicia, quæ in hac Congregatione emittuntur, impedimento non fore, quominus ex eadem Congregatione ad Regulares Ordines gradus fieret, quia nempe rem agit laude dignam, quisquis a sæculari statu ad Religionem se confert, & quia semper Religiosus status habetur sæculari longe perfectior, quæcumque tandem vota simplicia edita fuerint. Ex quo fit, Constitutiones, de quibus agitur, in eo probari non posse, quod capite primo statuitur, hujus nempe Congregationis Virgines nullum unquam Monachale votum, quod eas ad clausuram, ullamve singularem habitus rationem obliget, amplecti posse, siquidem id perinde accipiatur, ac si ejusmodi status quovis alio Religioso Ordine perfectior esse censeatur; in iisdem tamen nihil reprehensione dignum esse, si vota monastica tanquam fini in hujus Congregationis institutione proposito repugnantia spectentur.

Porro nullum apparet fundamentum, quamobrem ejusdem Congregationis Virgines se Religiosas esse sibi persuadeant, quandoquidem non eo quidem titulo earum Congregationem Pontifex approbavit, quod tamen ex præsenti, & apud universam Ecclesiam recepta consuetudine absolute requiritur, ut aliqua Communitas Religio esse censeatur *C. Unic. de voto & voti redempt. in 6.* nihilque occurrit in Bulla Alexandri VII. data die 6. Novembris an. 1662. ex quo vel leviter conjici liceat Pontificem voluisse eam aliter approbare, atque a loci Ordinario instituta esset; immo vero apparet nihil aliud a Sua Sanctitate petitum esse, quam ut Constitutiones a Tolosani Archiepiscopi Magno Vicario die 15. Januarii an. 1662. jam probatas, decem scilicet & amplius mensibus ante Alexandri VII. editam Bullam, Apostolica auctoritate firmaret.

Sed idipsum subscripto Consilio ex eo etiam magis persuasum fit, quod nunquam rogatus est Pontifex, ut eam Congregationem in Religionis titulum institueret, ut liquet ex postulationibus in laudata Bulla relatis, & ad hanc unam redactis, ut nempe Pontifex Constitutiones Archiepiscopi auctoritate editas probare vellet. Jam vero ex vaga & generali confirmatione, in qua de voto, aut Religione ne verbum quidem, minime concludendum, eam Pontificis mentem fuisse, ut Congregationem, quæ sæcularem statum profitetur, in Religionem erigeret.

Ita Archiepiscopi Tolosani sensisse videntur, quoniam Constitutiones eas etiam post Romanæ Sedis approbationem se rursus examinare, corrigere, ac reformare posse crediderunt, ut constat ex Actu diei 26. Aprilis an. 1667. quem Burlemontius tunc Tolosanus Episcopus edidit, quoque sanxit, ut eas Constitutiones juxta dictam correctionem Infantiæ Virgines custodirent.

Quoad articulum alterum, qui spectat ad Antistitæ eligendæ rationem, si nempe contingat, votorum duas tertias partes, bis habito Capitulo intra dies octo, in unam, eamdemque personam non convenire; Consilium censet, in ejusmodi negotiis sortis usum in Jure *C. Ecclesia vestra de sortilegiis* absolute damnari; hæc ibidem Honorii III. verba sunt: *Electionem celebratam de ipso ad gratiam confirmationis admittimus, sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes*. D. etiam Thomas, cui Theologi ad unum omnes subscribunt, in Summa *2. 2. q. 95. art. 8. in corp.* in electionibus ad Ecclesiastica Officia sortem condemnat. Atque hic quidem mos eo minus in Constitutionibus, de quibus agitur, probandus est, quod, quemadmodum ibidem proponitur, fieri potest, ut majori votorum numero sors antestet, quoniam in eligendæ Antistitæ capite statuitur, ut sorti committantur ex omnibus duæ, quibus plura suffragia præsto fuerint.

Decisum in Sorbona die 24. Aprilis an. 1685.
Aug. *de Lamet*.

Religiosa, cujus Professio conditionata est.

CASUS XXXIII.

1 *Religiosa, quæ, dum Professionem ederet, secum in animo eam votis conditionem apposuit, ut se obligare nollet, nisi deinde se ad eum statum vocatam cognosceret, quæque semper a Religionis praxi se summopere alienam sensit, coram Deo nec Religiosa, nec Professa est.*

2 *Ipsa tamen in foro externo ejusmodi est, & Regulam, quam est amplexa, servare debet, ne perturbationi, aut scandalo sit.*

3 *Quid cum ea consilii ineundum?*

QUÆSITUM.

ADolesceatula jam majorem injuriam passa Religionem ingreditur, & satis alacriter habitum suscipit; sed Novitiatu ad finem vergente, obligatione jamjam contrahenda perculsa jacet; titubat, næsitat, egredi vult; sed Novitiatus Magistra, Antistita, sub-Priorissa, graves Ecclesiastiei viri, anditis ejusmodi hæsitationibus, ancipirem puellam monent eas tentationes esse. Itaque non nihil firmata, sed de propria semper salute timeas, ad extremum Professionem edere statuit, editque de more, sed hae mentali restrictione alta mente reposta: *si ad Religionem vocata sim, ibique meam salutem operari valeam, equidem cupio his votis me obligare*. Ita quidem illa submissa voce, atque animo tenus, nihilque addit prærerea; jamque annus est, ex quo id accidit. Porro recte instituta, non tamen austera Communitas est; ei nihilominus post editam Professionem fere omnia Religionis onera importabilia visa funt; quod ia causa est, ut dubitet, an ipsa eo in statu salutem consequi possit. Quærit ergo, an votis ob eonditionem appositam obligetur. Ex Presbytero, quem eonsuluit, intellexit; I. vota, quæ edidit, abrogari non posse, & nunquam fore, ut reclamare permittatur; II. Quamvis ejus vota coram Deo non valerent, ipsam tamen in Religiosæ modum vivere debere, ne seandalum afferat; III. Oportere, ut, cum ad Regulæ praxim teneatur, det operam, ut suas sollieitudines temperet, addita animi præparatione, qua externa opera perfecta ac sancta efficiuntur; IV. Id ei quoque proposuit Presbyter, ut vota, nulla coaditione apposita, renovaret; sed cum illa hæc omnia perfecerit, a votis suis pure ae simpliciter renovandis se maxime alienam sentit, adeoque in dies magis persuasum habet, se, eum sua ipsius Professio nulla sit, ad ea non teneri, a quibns tantopere abhorret, quæque semetipsam adeo sollicitam habent: parata tamen Sorbonicorum Doctorum decisioni acquiescere. Quamobrem

Quæritur, I. An hujus Adolescentulæ vota valida sint, eamqne obligent coram Deo?

II. Extimulandane sit ad eadem vota sine eonditione renovanda?

III. Denique quid eonsilii cum ea ineundum sit?

RESPONSTO.

Consilium Coascientiæ subseriptnm censet, eam, eujus gratia ennsulitur, Religiosam habendam esse ac talem in externo, non autem in interno foro censendam; certum quippe est, eam, dum Professionem ederet, votis conditionem apposuisse; jam vero ea conditionis vis ac ratio est, ut actus, qni fit, obligationem suapte natura suspendat: *si ita stipulatus fuere* 10. *ff. de verb. obligat.* Præterea in votorum negotio ea recepta regnla est, vota ultra voventis intentionem non obligare; adeoque asseri nequit Adolesceatulam hanc, quamvis majorem vere ae proprie Religiosam esse, quoad ei persuasum non fuerit, se vere ad Religionem vocari, in eaque propriæ saluri vacare posse, idque juxta eonditionem, quam Professionis tempore apposuit. Quare donee de ejus vocatione certo non constet, eademque animi sollicitudo in ea perseveret, vel edita vota ipsam non obligant, vel eorum effectus suspensus manet.

Sit & ea, qnantum in se est, det operam, quod debet, ut vota, enm eonditionata sint, absoluta reddat, curare debet; ut ab imbibito Religionis odio animum liberet; servidis precibus vacare debet, ut Dei voluntatem cognoseat, propriæque oblnctationis viacendæ gratiam obtineat; uno verbo doctum aliquem Directorem adire debet, ejusque consiliis stare.

Quod si, cum per aliquod tempus ita se gesserit, ejus a Religione aversio perduret, quod fortasse noa necidet; I. pro certo habetur, ipsius vota coram Deo rata non esse; debet ipsa tamen Regulam exterius servare, ne in Familia scandali occasionem præbeat, & perturbationem afferat.

II. Cogenda non est vota renovare, sed expectandum, dum ejus repugnantia imminuatur, ne eo adigatur, ut magis magisque animo cadat, ae fortasse spem omnem abjiciat; videndum scilicet, ut votorum renovatio tum demum ei proponatur, eum certa spes aderit fore, ut inde ejus animus componatur, omnique disjecta sollicitudine, a Religiosæ vitæ ratione non amplius abhorreat.

III. Cæterum perhumaniter habenda est, tum quoad eonseientiæ Moderatorem, quem sibi potissimum postulabit, tum quoad exteriores actus; adeoque minus ab ea, quam a cæteris exigendum, id unnm seilicet, quod necessarium est, ne in Conventu perturbatio & scandalum existat.

Deeisum in Sorbona bae die 17. Augusti an. 1694.

G. *Fromageau*.

Religiosa infirma.

CASUS XXXIV.

1 *Puella, quæ ægritudinum suarum causa servandæ Monasterii Regulæ inepta est, recipienda non est.*
2 *Cum tacitæ conventionis inter ejus patrem & Abbatissam initæ suspicio non levis adest, rejicienda est.*
3 *Episcopus pati non debet, ut ea recipiatur, idque prohibere potest Constitutione, quæ Professionem, siquidem peragеretur, nullam redderet.*

QUÆSITUM.

QUadam in Urbe, in qua est Senatus, existit Abbatia Ordinis S Beaedicti, constans prærer Abbatissam Monialibus centum choro addictis, & viginti Couversis. Senator primas renens, idemque ditissimus proponit Abbatissæ unam ex suis filiabus inter Moniales cooptandam; sed cum illa admodum infirma sit valetudine, nec servare possie bene multa Regulæ capita, cujusmodi ea sunt, noctu consurgere, in Choro canere, æra eampana pulsare; proinde sama est, Patrem convenisse, se octodeeim fraaeorum millia numeratæ pecuniæ Familiæ daturum, & quadringentas libras annnas pensionis loco soluturum; ajunt alii nullam quidem conventionem intersuisse, sed enm Senator ille divitiis affluat, minime dubitari, qnin post filiæ Professionem maximis Abbatiam muneribus donet. In hae facti specie

Quæritur, I. An puellæ, præcipuis Regulæ, quæ in Monasterio viget, articulis servandis ineptæ Professionem Abbatissa & Commuaitas recipere possint?

II. Idne saltein liceat, facta hypothesi nullam conventionem inter patrem & Abbatissam intercessisse, ac dotem post filiæ Professionem patria beneplaeito relictam esse?

III. An Episcopus ejus Monasterii Superior, quem Abbatissa de boc negotio celavit, & ex nonnullis tantum eordatis viris de re cognovit, ejusdem puellæ receptioni reluctari debeat, an vero assentiri possit, ejus vocatione ad trutinam revocata, ut in Abbatia Professionem emittat?

RESPONSTO.

Consilium Conscientiæ subscriptum respondet;

Quoad quæstionem primam; si per Regulam, aut Constitutioaes liceret infirmas puellas admitti, possent Abbatissa & Communitas easdem recipere, dummodo aliis dotibus ad Religiosum statum requisitis præditæ forent. Et sane non desunt Monasteria, in quibus iafirmarum receptio permissa est.

Neque vero ad Professionis validitatem necesse est, monenre Pelizario *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 3. *n.* 30. ut Novitia bene valeat, cum vel prospera valetudine destituta possit vota ad Religiosæ vitæ essentiam spectantia servare, quia magis opus est cordis præparatione, quam corporis robore: *Quæ ratio proportionaliter probat valide admitti ad Professionem Novitiam, quæ ex morbo, aut senectute sit omnino impotens ad servaada Regulæ præcepta: siquidem obligatio ad substantialia statuta Religiosi, quæ sunt tria vota essentialia, nullis eget viribus corporis, sed solo voluntatie*

asse-

affecta: alia vero praecepta Regulæ non sunt substantialia Religionis; sed obligant, justa causa non excusante; qualis esset morbus, aut gravis senectus.

Sententia hæc potest esse veritati consona, si absolute loquamur, nec quid Regulæ, seu Constitutiones præscribant, animo repuiemus; at vero S. Benedicti Regula non permittit eum admitti, qui ejusdem Ordinis asperitates ac præcipua officia exequi nequeat; ita enim *cap.* 58. præcipit: *Prædicentur ei omnia dura, & aspera, per quæ itur ad Deum; si promiserit de perseverantia, post duorum mensium circulum legatur ei Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede.*

Haftenius, qui in S. Benedicti Regulam scripsit, *tom.* 1. *l.* 4. *tr.* 2. *disp.* 3. duo in hoc negotio animadvertit.

Primum est, Abbatem nomine Trithemium, cum Monachos suos alloqueretur, ita pronuntiasse: *Indiscreta susceptio personarum, sicut in Ordine est prima calamitos, ita quoque ad destructionem omnis disciplinæ est fortissima.*

Alterum est, Prælatos ad ineptum genus hominum suscipiendum sæpe moveri, vel quia potentum virorum gratiam sibi comparare student, vel quia cupiunt pinguiori dote, quam inde sperant, Communitatis bonum augere; id quod, inquit Haftenius, est Religioni maxime perniciosum.

Hoc posito, satis constat non licere Abatissæ & Communitati, de quibus agitur, puellam sibi propositam ad Professionem admittere, quippe quæ infirmior est, quam ut S. Benedicti Regulam servare possit. Id autem eo magis in causa esse debet, ut eadem puella rejiciatur, quod non tam ipsa in Monasterium ingredi, quam eam parentes conjicere volunt; quodque, si puellæ receptio per dispensationem obtineatur, Monasterii laxationi, atque adeo excidio janua aperitur.

Quoad quæstionem secundam; ei quidem satis est factum per ea, quæ hactenus dicta sunt; additur tamen, expositione spectata, non immerito timendum esse, ne qua existat simonia, ac tacita inter puellæ patrem, atque Abbatissam conventio; fierique vero simile fore, ut illa minime recipiatur, nisi pater per interpositos viros, vel alia ratione significaverit se pinguem dotem, si filia cooptetur, esse traditurum; quod autem contenditur, id patris liberalitati integrum relinqui, eumque, quod sibi videbitur, Professionis tempore donaturum, fortasse nihil est aliud, quam prætextus, quo melius conventio tegatur; nimirum expectatur post Professionem, quid hic opulentissimus Magistratus præbere voluerit, cum octodecim librarum millia vel ipse per se, vel per alios initio statim obtulerit; ut proinde in præsentia certum prope sit ejus non mediocrem donationem fore; aliter fit admodum vero simile futurum, ut puella non recipiatur.

Quoad tertiam. Ex hactenus dictis sequitur, Episcopum hujus Abbatiæ Superiorem posse, atque adeo debere puellæ receptioni reluctari; cum porro ejus vocationis examen instituet, ne dum ipsius susceptioni assentiatur, fortasse in eo peculiari examine novas aliquas deteget circumstantias, quæ eum in proposito confirmabunt, eidemque jus afferent prohibendi *cum Decreto irritante*, ne Communitas illam recipiat; ut proinde, ni ab incepto desistatur, Professio nulla futura sit, prout *loco cit. n.* 34. Pelizarius animadvertit.

Decisum hac die 20. Maji an. 1694.

G. *Fromageau.*

Religiosa illicitis conditionibus recepta.

CASUS XXXV.

1 *Non est in Monasterium recipienda Puella, 30000. libras offerens, ea conditione, ut a noctis Officio, sagulo, & Regulæ jejuniis eximatur. Simoniaca foret conventio hæc.*

2 *At si ea probis sit moribus, ut Sæcularis & Benefactrix recipi potest.*

Lamet Tom. II.

QUÆSITUM.

AD Abbatiam, in qua S. Benedicti Regula non sine peculiaribus Constitutionibus custoditur, accedit Puella, quæ utpote mollior petit, ut a Matutinis horis, quæ media nocte recitantur, a sagulo, & jejuniis ex Constitutionum præscripto servandis eximatur; quoad cætera se aliarum Monialium more victuram contendit. Cum porro non ignoret ejusmodi exemptiones concedi minime consuevisse, proinde Abbatiæ ære alieno laboranti 30000. libras Puella exhibet. Possuntne propositiones hæ tuta conscientia acceptari? Ac siquidem possint, quibusnam illa loquendi formulis utetur in Professione? In ea quippe servanda promittitur S. Benedicti Regula juxta Constitutiones reformationis in hac Abbatia per Parisiensem Episcopum institutæ. Cæterum testatur Puella se ad hanc unam Familiam propendere.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent, Puellæ propositiones, de quibus in Expositione, tuta conscientia acceptari non posse, nec ei dispensationes, quas postulat, posse concedi.

I. Quia illa ad hanc Abbatiam minime vocari videtur; tritum enim est illud, ad peculiare aliquod vitæ genus eum non vocari, qui ejus regulas exequendi nec voluntatem, nec vires habet, Deumque semper homini necessaria auxilia tribuere, ut se in eo statu sustentet, ad quem ab ipso vocatur. Hac de causa jubet S. Benedictus maxima diligentia ac sollicitudine eorum voluntatem ac vires explorari, qui accesserint ipsius Ordini nomen daturi, atque ita Regulæ suæ cap. 58. pronuntiat: *Prædicentur dura & aspera, per quæ itur ad Deum. Si promiserit de perseverantia, post duorum mensium circuitum legatur ei Regula per ordinem, & dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede . . . . . Et post sex mensium circuitum, legatur ei Regula, ut sciat, ad quod ingreditur; & si adhuc stat post quatuor menses, iterum ei relegatur Regula, & si habita secum deliberatione promiserit omnia custodire, & cuncta sibi imperata servare; tunc suscipiatur in Congregatione.* Ex quo facile concludi licet huic sancto Institutori non videri eos ad ipsius Ordinem vocari, quibus Regulæ asperitates servandi nec voluntas, nec vires suppetunt.

II. Quia Familiæ, in quibus major quam in cæteris viget austeritas, non debent quicpiam remittere in privatæ personæ gratiam, eo prætextu, quod illa Religioni nomen non daret, nisi in iis, quæ in Regula sunt asperrima, cum ipsa dispensaretur, ob corporis imbecillitatem atque mollitiem; quoniam Divina Providentia in Ecclesia esse voluit non unius generis Instituta, inter quæ non desunt, quæ vel delicatissimo cuique accommodata sint, & in quibus proinde quisque valeat Regulam custodire, & una cum cæteris in ea uniformi vitæ ratione versari, quæ adeo in Religiosis Familiis est necessaria.

III. Quia 30000. librarum, quas Abbatia ære alieno laborans perciperet, recepta Puella iis conditionibus, quas proponit, ratio non satis gravis est, ut damno sit anteponenda, quod inferretur Regulæ, & Constitutionibus, quæ Religiosis magis cordi esse debent, quam quæstis terrena bona, siquidem Deus iter iis commonstravit, quod tenere debent, ut ei placeant, & quem ab ipsis expectat, honorem exhibeant: *Dura & aspera, per quæ itur ad Deum*, inquit S. Benedictus. Quid? Quod ejusmodi dispensationem gravissima incommoda consequi possent; neque enim deessent aliæ, quæ idem exposcerent, ac tandem aliquando Familia scinderetur, aliis quidem Regulam custodientibus, aliis vero ab ea deficientibus; ut priores quidem ejus discriminis causa scandalum pati, conqueri, atque obmurmurare possent.

Denique Consilium censet, conventionem, quæ quidem cum ea Puella iniretur, simoniacam fore; atque adeo concludit eam non esse iis conditionibus

admittendam ut Religiosam, bene vero ut sæcularem titulo Benefactricis, siquidem ejusmodi sit, ut probæ vitæ ratione Communitati exemplo esse possit.

Decisum Parisiis die 19. Martii an. 1674.
A. *De Lamet* Ph. *Le Feron*.

Religiosa Antistita, quæ se abdicans suffragium suum Nepti dat.

CASUS XXXVI.

Avia Prælationem dimittens in Familia, in qua id Officii ab electione pendet, suffragium suum Nepti tribuendi jus habet, modo eam in conscientia fore digniorem putet, quæ sibi succedat, nihilque in Familiæ Statutis occurrat, quæ illam excludat.

QUÆSITUM.

PRiorissa Hospitalis Th .... quia gravis annis, Officio se abdicat, suæque neptis electioni studet, quippe quam cæterarum maxime idoneam putet, præsertim cum temporalia multorum annorum spatio administraverit. Superior electionem hanc impedire vult, contenditque aviæ jus non esse suffragii sui Nepti tribuendi; quamobrem quæritur, utrum prohiberi possit; ne Avia suffragio suo Nepti faveat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Priorissam Th ..... impediri non posse, quominus suffragio suo Neptem sibi sufficiendam curet, quam digniorem putat non solum ob experientiam, quam sibi in temporali administratione comparavit, sed ob alias etiam dotes, quæ in Antistita requiruntur; si enim avia neptem eligere prohiberetur, vel id eo esset, quod neptia aviæ in Prælatione succedere nequeat, vel quod penes aviam jus non adsit suffragium suum nepti tribuendi, quamvis illa a Monialibus cæteris eligi possit.

Quoad primum, nihil apparet, quod impediat, quominus in Prælatione Neptis Aviæ sufficiatur. Barbosa *l.* 1. *de jur. Eccles. c.* 45. *n.* 25. in medium affert Congregationis sententiam in Monialis gratiam, quæ sororis loco in Abbatissam electa fuerat: *Abbatissa & Monialibus de Ulvellas Ulyssip. petentibus declarari, utrum soror Abbatissæ possit succedere in officio sorori, si Canonice eligatur, dummodo non adsit impedimentum legitimum circa ejus personam, vel prohibeatur per Constitutiones Ordinis; sacra Congregatio respondit, quod non est prohibitum in jure, die* 19. *Aprilis* 1609.

Quoad secundum, nullus est expressus in Jure textus, qui vetet, ne avia nepti suffragium det, ut Antistita renuntietur; ut enim eadem comparatio rursus adhibeatur, cum duæ Sorores in eodem existunt Monasterio gaudent ambæ activa & passiva voce. Barbosa eodem loco *c.* 44. *n.* 24. ita declaratum fuisse ait a Cardinalium Congregatione pro Regularibus die 26. Augusti an. 1616. ex quo sequitur, eas se mutuo eligere posse.

Porro casus, de quo agitur, magis apparet favorabilis; ut proinde si avia non audiens carnem & sanguinem persuasum habeat, suam neptem digniorem esse, quæ in Antistitam eligatur, debeat eamdem eligere, neque in foro conscientiæ impediri possit, quominus votum suum ei tribuat, nisi quid adsit in Hospitalia Th ...., Statutia, & consuetudine, quod repugnet.

Ad electionem, de qua sermo est, necessaria sunt duo; I. ut avia convocetur perinde ac Religiosæ cæteræ, quæ ejusdem electionis peragendæ jus obtinent, ex *Cap.* 36. *Bona de elect.* II. ut aviæ cæterisque Monialibus integrum relinquatur, ut eam eligant, quam Prælationi cæterarum aptissimam judicaverint; id porro naturalis est Juris; ac si in alterutro deficiatur, erit, cur electionis abrogatio peti possit, quippe quæ in earum contemptum ac damnum, quæ neglectæ, coactæve sunt, peracta fuerit.

Decisum in Sorbona die 4. Novembris an. 1692.
G. *Fromageau*.

Monialis junior, quæ suffragii jure gaudet.

CASUS XXXVI.

In Abbatissis atque Antistitis Monasteriorum eligendis standum est Constitutionibus, veteribusque consuetudinibus, quas Superiores auctoritate donarunt.

QUÆSITUM.

QUæritur, an Monialis postridie quam Professionem edidit, gaudeat jure suffragii in Monasterii Abbatissa eligenda; an non certum tempus Ecclesiastico aut Civili Jure præscriptum sit, ante quod in Abbatissæ electione suffragium legitime exhiberi non possit; an vero res hæc a cujusque Monasterii peculiaribus Constitutionibus omnino pendeat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, expenderuntque, respondent, ex Jure nullum definitum tempus existere, quo Monialis Chori Professa ad eligendam Monasterii Abbatissam suffragium suum conferre non possit, ut constat ex Cap. *Indemnitatibus in 6. Decret. l.* 1. *de elect.* ubi eæ tantum, quæ decimum secundum ætatis annum nondum attigerint, exploduntur; cumque nunc quidem temporis Professiones non ante decimum sextum ætatis annum edantur, asseri proinde nequit ullam Chori Monialem Professam excludi; eo verba laudati Capitis: *Statuimus, ut cum in eis fuerit electio facienda, nulla Monialis, nisi duodecimum annum peregerit, & Professa tacite, vel expresse, ad eligendum cum aliis admittatur.* Quod etiam confirmat caput *Ex eo* eodem titulo his verbis: *In Ecclesiis quoque Regularibus vel Monasteriis hi qui non sunt tacite vel expresse Professi, non debent cum Professis, vel Conversi Laici cum Clericis electionibus interesse.* Glossa in hoc Caput nobis hanc disciplinam aperte proponit ad verbum *Conversi Laici: Monachi ergo, vel Fratres Professi indistincte admittuntur ad hoc.* Doctrina hæc ex eo ducitur, quod legimus apud Gratianum ex D. Gregorio 18. *q.* 2. *c. Quam sit necessarium: Defuncto vero Abbate cujuscumque Congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem Congregatione, quem sibi propria voluntate concors Fratrum societas elegerit.* Ac sanctus hic Pontifex antea in sancti Benedicti Regula eamdem Constitutionem invenerat, quæ occurrit in titulo *de ordinario Abbate*. Id tamen non impedit, quominus in Monasteriis, in quibus Constitutiones quoad hunc articulum aliquid peculiare præcipiunt, id teneatur, quoniam eæ sunt regulæ, quas Ecclesia auctoritate sua roboravit, quibusque ob graves causas iis derogavit, quæ occurrunt in Jure, idque ad bonum Communitatis, cujus gratia Constitutiones editæ sunt. Censent ergo Subscripti, hoc quidem fundamento nixi, in Abbatissarum, atque Antistitarum electionibus standum esse Monasteriorum Constitutionibus, veteribusque consuetudinibus, quas Superiores probarunt, easque non minus quam alias Regulas quoad ejusmodi Communitates vim Legum habere, prout est in Glossa *cap. Videtur, l.* 4. *Decretal. de divortiis: Nota, quod antiqua consuetudo pro lege servanda est*; & in Decreto *Dist.* 12. *c. Diuturni: Diuturni mores consensu utentium approbati legem imitantur.* Quod etiam in eadem Distinctione confirmatur capitibus insequentibus, *Consuetudo, Nos consuetudinem, & Quemadmodum.*

Decisum in Sorbona die 2. Decembris an. 1673.
Aug. *de Lamet*.

Ani-

Animorum divisio inter Moniales electionis causa.

CASUS XXXVIII.

Monialis ex Familia, de cujus Antistita eligenda agitur, vel ex alia ejusdem Ordinis Familia præferenda est Moniali, quæ ex alio est Ordine, quamque Communitatis pars sibi Antistitam postulat, nisi hæc quidem votorum duas tertias partes obtineat; præferatur autem illa, quamvis non omnino votorum dimidio gaudeat.

Responsio ad quæstionem mihi propositam nomine Monasterii Virginum, quarum aliæ quidem ex alio, aliæ vero ex proprio Ordine volebant Antistitam sibi sumere.

SI in Communitate, de qua agitur, sint Vocales viginti quinque, & ex iis novem postulationis, qua alterius Ordinis Religiosa proponitur, non assentiantur; quodcumque tandem ejus meritum fuerit, ea postulatio nec effectum ullum sortiri, nec a Superiore admitti potest, facta hypothesi eas novem in propriæ Familiæ, atque adeo proprii Ordinis personam conspirare; quia nempe ex Canonici Juris regulis postulatio electioni derogare non potest, nisi duplici tertia parte votorum Communitatis constet.

Caput primum *Bonæ memoriæ, extr. de postulat. Prælatorum*, & Cap. *Scriptum, de electione, & electi potestate* in hanc rem diserta sunt; quod in causa fuit, ut Glossa Cap. *Bonæ memoriæ* explicans ea verba, *in tanta divisione*, ita pronuntiaret: *Ad hoc ut postulatio præjudicet electioni, requiritur, ut numerus postulantium sit duplo major numero eligentium*, & Panormitanus in Cap. *Scriptum n. 5.* ita statueret: *Si postulatio cum electione concurrit, & numerus postulantium est duplo major, & postulatus est idoneus, postulatio admittitur, rejecta electione.* Itaque pluralitas, quæ alterius Ordinis Moniali faveret, ei tamen foret inutilis, nisi votorum duæ tertiæ partes eidem suppeterent.

At vero Monialis ex eodem, vel ex alio ejusdem Ordinis Monasterio confirmari posset electio, siquidem illa fuerit idonea, quamvis in postulationis concursu electio haud pluralitate constaret, dummodo suffragiorum numerus tertiam Communitatis partem excederet, ut declarat Innocentius a Panormitano laudatus in C. Scriptum, quod supra laudavimus; en ejus verba: *Et ad contraria, quibus cavetur non valere electionem, nisi fieret a majori parte Capituli, respondet Innocentius, quod illa Regula non procedit, quando electio concurrit cum postulatione; tunc enim servari debet, quod hic dicitur. Quod si postulatio non sit celebrata a duabus partibus, debet confirmari electio facta a majori parte, quam tertia parte.* Doctrinam hanc enucleate idem Panormitanus edisserit *n. 15. Secundus casus*, inquit, *est, quod si postulantes non faciant duplo majorem numerum, præfertur electio, si est facta de idoneo; ea quo est facta a majori tertia parte, venit confirmanda: & iste casus difficilis propter Regulas juris resistentes. Sed dic, quod ratio decidendi potuit esse, quod non datis duabus partibus postulantium, non est ibi reperire potestatem Capitularem; sed aliquid reperitur de virtute Capitulari, nunc in parte eligentium. Cum habeat aliquos de duabus partibus, & habito respectu quod providetur illi Ecclesiæ per viam ordinariam, & meliori modo, quo fieri potest, consentiendo in electum tanquam in sponsum, aliis persistentibus in via extraordinaria. Præferenda est merito ipsa electio, ut citius providatur Ecclesiæ viduatæ; quasi imputandum sit majori parti Capituli, quod eligit viam extraordinariam, & persistit in ea.*

Cum ergo Doctor hic, qui Veterum auctoritate nititur, tanquam indubitatam regulam statuat, electionem concurrente postulatione factam, & majori tertia parte Vocalium Communitatis firmatam postulationi, quæ duplici tertia parte non constiterit, anteponendam esse; ea proinde prælatio ex eo firmatur, quod id, quod regulæ est, ei prævalere debet, quod est gratiæ, cujusmodi est postulatio, quæ pro Superiorum arbitratu improbari potest, vel probari. Hinc Alexander Cassaneus *parat. lib. 1. Decretal. Gregorii IX. Quæ postulatio*, inquit, *sola nititur gratia ejus, qui eam admittit, non jure communi; ideo quoties ea concurrit cum electione, præfertur is, qui eligitur, nisi duplo major sit pars eorum, qui postulationi assentiuntur.*

Quare si Communitas, de qua quæritur, Monialibus Vocalibus viginti quinque non pluribus non paucioribus constat, novem in unam eamdemque ejusdem Familiæ, vel alterius, ex eodem tamen Ordine consentientes, postulatione concurrente, proprie dictam electionem efficerent, ejusque confirmationem petere possent a proprio Superiore, qui eam denegare non posset, ex Juris regulis, prout quidem *Sess. 25. de Regularibus c. 7.* statuit Tridentina Synodus, quæ ex eodem Ordine, quamvis ex alia Familia personam eligi patitur, cum in Monasterio ineundæ Prælationi idonei non adsunt: *Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit.*

Decisum in Sorbona die Maji an. 1684.
Aug. de Lamet.

Monialis, quæ ante præscriptum tempus Professionem emittit.

CASUS XXXIX.

1 *In Religiosis Ordinibus, quorum Constitutiones rotundis verbis prohibent, ne ante annos novemdecim habitus suscipiatur, ac ne Professio ante annum vigesimum emittatur, ante ætatem hanc peracta Professio nulla est, modo tamen sancta Sedes Constitutiones eas approbaverit.*

2 *Ea quidem rata esset, si eædem Constitutiones non nisi Superiorum, qui Tridentino Concilio, Professionem ætatis anno sexto decimo permittenti derogare non possunt, approbatione gauderent.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an in Religionibus quibuscumque vota solemnia ætatis anno decimo sexto pronuntiari possint; atque an licet quorumdam Ordinum Constitutionibus cautum sit, ne ante annos undeviginti habitus suscipiatur, & non ante viginti Professio emittatur, decimo octavo ætatis anno peracta Professio rata futura sit, ex Tridentinæ Synodi regula *Sess. 25. cap. 5. de Regularibus*?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Tridentinæ Synodi regulam his verbis expressam: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum*, & Blesensem Constitutionem articulo 28. *Professio tam Religiosorum, quam Religiosarum ne fiat ante ætatem annorum sexdecim completorum*, impedimento non esse, quominus Ecclesia statuerit; ut vota solemnia ætate paulo provectiore in quibusdam Ordinibus ederentur. Itaque ejus vota, qui in eorum Ordinum aliquem ingressus esset, quique ibidem votum edidisset ante ætatem Constitutionibus definitam, siquidem eas approbaverit sancta Sedes non sine declaratione nullitatis votorum, quæ ante ætatem in iisdem præscriptam edita fuerint; ejusmodi, inquam, vota nulla essent. Doctrina hæc conformis est responsioni Congregationis institutæ ad enodandas difficultates, quæ super Tridentinæ Synodi Decretis occurrerent, ut intelligimus ex Prosperi Fagnani *2. part. 3. Decretal. de Regularibus cap. Nullus n. 15.* verbis hisce: *Porro cum fuerit quæsitum, an Decretum Concilii Tridentini cap. 15. sess. 25. de Regularibus, quo statuitur Professionem ante decimum-sextum annum emitti non debere, comprehendat etiam illas Religiones, quæ ex suis institutionibus & statutis a tempore immemorabili observatis vigesimam aut vigesimam secundum annum ætatis requirunt, S. Congregatio respondit, Professionem ante decimum-sextum annum emitti non*

debere, ut disponitur dicto cap. 15. Quod si Religionis instituta plus temporis requirunt, Concilium non repugnat, quippe quod non disponit, ut Professio fiat anno decimo sexto, sed ut non possit fieri ante, sed post.

Hinc Clemens VIII. in Reformationibus, quas instituit an. 1602. & 1603. ad Novitiorum receptionem §. 22. *Quisque*, inquit, *recipiendus in aliquo Ordine regulari, etiam Mendicantium, in ea sit ætate constitutus, quam ejus Ordinis, in quo recipietur, regularia instituta & ordinationes requirunt*; & paucis interjectis ita de Conversis præcipit: *Ipsi autem Conversi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum.* Ex quo Fagnanus laudatus ita concludit *n. 16. Et consequenter ad Professionem admitti nequeant ante vigesimum primum, cum stare debeant per annum integrum in probatione ad præscriptum Concilii Tridentini in dicto cap. 15. de Regularibus*. Hoc autem ætatis discrimen, ad Novitiatum quod attinet, antiquorum temporum praxi nititur; quamvis enim in utroque sexu Professio prioribus pubertatis annis fieri soleret; constat tamen in Jure statutum fuisse, ut iis in locis, in quibus difficilier esset Regularum custodia, Professio non ante annos octodecim ederetur, Ecclesia nimirum plus virium postulante, quam fere anno duodecimo, vel quarto decimo præsto est; occurrit hæc regula *extr. de Regularibus cap. Quia in Insulis*: *Quia in Insulis dura est Congregatio Monachorum, parvos in eorum Monasteriis ante decimum octavum suscipi prohibemus*. Ex hac regula fieri potuit, ut in quibusdam Ordinibus, in quibus vitæ ratio, utpote durior majus robur efflagitat; Ecclesia majorem ætatem ad Probationem requireret, quam in aliis, quorum disciplina non easdem vires expostulat. Verum ut præsens quæstio dijudicetur, eo demum res deducitur, ut Ordinis cujusque Constitutiones & regulæ ponderentur; cognoscaturque, an eæ ejusmodi sint, ut Professio non ante annum vicesimum emitti possit, & quod inde consequitur, habitus ante annos undeviginti suscipi nequeat, & ante annos viginti editæ Professiones nullæ censeantur. In hac facti specie, siquidem Sancta Sedes Constitutiones eas approbaverit, constans firmumque esse debet, eum, qui ante annum vicesimum professus esset, conditioni, quam ad votorum validitatem regula postulat, minime satisfacturum fuisse. Itaque nulla habenda esset ejusmodi Professio; at si quæ forent Constitutiones, quæ conditionem eam adjunctam haberent, etiamsi eas Ordinis generale Capitulum approbasset, si tamen Pontificis auctoritas non adfuisset, subscriptum Consilium censet, earum non eam vim fore, ut Professionem ætate a Tridentino Concilio præscripta editam nullam redderent; atque ita controversiæ hujus decisio pendet ex eo, quod Sancta Sedes super unoquoque singillatim Ordine definierit.

Decisum Parisiis die 31. Augusti an. 1687.
Aug. *de Lamet*.

Monialis infirma.

CASUS XL.

Novitia, quæ ob insanabilem ægritudinem nunquam S. Benedicti Regulam servare potest, ad eam Ordinem non est admittenda. Quod si ea se ad Religionem vocari sentit, molliorem Ordinem, quique ipsius infirmitati magis respondeat, amplecti debet.

QUÆSITUM.

ADolescentula viginti tres annos nata S. Benedicti Ordinem profitendi vehementi flagrat desiderio; sed adeo infirma est valetudine, ut, si in eo Professionem ediderit, nulla spes adsit fore, ut præter vota tria, & Clausuram, quicquam aliud præstare possit, quippe quæ ob ægritudinem, cui ex annis multis obnoxia est, nec choro interesse, nec abstinentiam servare valeat. Tantu illa tamen Religionis amore tangitur, ut, ni sibi ea gratia concedatur, se in gravi salutis discrimine versari putet; magno id oneri Familiæ futurum est; sed eam tamen Monasterium amplecti cupit, si ad Professionem juxta S. Benedicti Regulam emittendam admitti posse censeatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam Expositionem vidit, existimat Adolescentulam, pro qua consulitur, in Benedictini Ordinis Monasterium recipiendam non esse; quandoquidem ex Probatione, quam præstitit, innotescit eam non ita valere viribus, ut ejusdem Ordinis asperitatibus perferendis par sit; vocationis autem dijudicandæ non aliam potiorem rationem Ecclesiæ præsto esse, quam probationem, quam in eum finem instituit, ut Postulans Regulæ obligationes cognosceret, videretque, an satis haberet virium, ut eas exequi posset; atque etiam ut Monasterio compertum fieret, an in eodem Postulante ea essent omnia, quibus opus est ad Fundatoris Regulam, quam Ecclesia probavit, implendam. Ita quidem in Innocentii III. Decretali ad Pisanum Archiepiscopum *C. Ad Apostolicam, extr. de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem* juxta veterum consuetudinem.

Hæc porro disciplina Monialibus Ordinis S. Benedicti diligentius servanda videtur, ut id executioni mandetur, quod Regulæ cap. 58. disertis verbis S. Benedictus præcipit, ut nempe quisquis ad Congregationem accesserit, seniori Religioso, ex quo omnes Ordinis austeritates intelligat, committatur; ut probetur non mediocri temporis spatio; ut, ter ei lecta Regula, an eidem satisfacere valeat, interrogetur; ac si forte non valeat; discedere jubeatur; atque omnino non admittatur, nisi omnes Regulas se servaturum promiserit. En ejus Legis ipsissima verba: *Prædicentur omnia dura & aspera, per quæ itur ad Deum; si promiserit de perseverantia, post duorum mensium circulum legatur ei Regula per ordinem, & dicatur ei: ecce lex, sub qua militare vis; si potes observare, ingredere, si vero non potes, liber discede ..... si adhuc steterit, tunc ducatur in supra dictam cellam Novitiorum, & iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circuitum, legatur ei Regula, ut sciat, ad quod ingreditur, si adhuc stat post quatuor menses, item relegatur ei Regula, & si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione*. Cum ergo Adolescentula, de qua agitur, S. Benedicti Regulæ custodiendæ, ad chori officium, & abstinentiam in Monasterio servari solitam quod spectat, se imparem fateatur; liquido constat eam ad Professionem admitti non posse, quin Regula violetur, quippe quæ illa exequi nequit, utpote infirmitate laborans, quæ tanquam aliquid transiens, aut tamquam morbus facile sanabilis spectari non potest, quemadmodum quidem ex expositione licet intelligi. Quamobrem Consilium subscriptum, facta hypothesi ejus ægritudinem sanari non posse, ipsamque proinde obeundis communibus exercitiis nullo unquam tempore idoneam fore, ipsam monet, eohortaturque, ut, siquidem ad Regularem statum se vocatam intelligit, Ordinem amplectatur, cujus Regula, & praxes ipsius viribus magis respondeant, quam Benedictinus Ordo, ad quem non nisi dispensatione, quæ nec ei, nec Familiæ utilis esset, admitti posset; quia nempe ejusmodi dispensationes Disciplinæ regularis remissioni, diminutioni, ac tandem excidio campum aperiunt, ut monet Abbas Trithemius, (a) qui in hanc rem graviter ita pronuntiat: *Hæc calamitas sicut in Ordine est prima, ita quoque ad destructionem omnis disciplinæ est fortissima. Cum enim inutilis quisque ad Ordinem recipitur, vigor conversationis Monasticæ dissipatur: quoniam is, qui cum aliis in stadio quotidiani certaminis currere debuerat, longe retro persistens, elanguet & debilis vacillat.*

Decisum Parisiis in Sorbona die 26. Januarii an. 1687.
Aug. *de Lamet*.

(a) Orat. 5. habita in Conventu Abbatum. Apud Hafstenum l. 4. tr. 2. disquis. 3. in principio.

Mo-

Monialis, quæ ad strictiorem Ordinem migrat.

CASUS XLI.

1 *Monialis Professa potest ad strictiorem Ordinem gradum facere.*
2 *Ut id perficiat, Pontificis permissione non indiget; sed satis est, Familiæ, in qua ea degit, Superiorem annuere.*

QUÆSITUM.

PUella ab infantia in Familia Ordinis S. Francisci alta atque educata, octavo ætatis anno suscipiendæ Religionis votum emisit. Quinquennio post egressa ad Monasterium Ordinis S. Benedicti se contulit, ubi post aliquot annos habitum sumpsit, & post Novitiatus annum Professionem juxta hujus Sancti Regulam edidit, quin ob votum prius octavo ætatis anno emissum vel minimo scrupulo tangeretur, omnino non dubitans, quin nullum foret, atque ob ætatem, qua editum fuerat, nihil obligationis induceret. Cum ad decennium in S. Benedicti Ordine perstitisset, ac per id omne tempus suam sibi Professionem valde probari, nec omnino molestam, aut gravem videri significasset; cœpit ejus tædio affici, deque suo priore voto verba facere, dicere cœpit, cum S. Francisci Ordo eo ipso, quem professa esset, asperior, duriorque sit, se quidem majoris perfectionis studio ad eum regredi velle; addens magna se affici cupiditate vitæ ducendæ, conficiendæque in eo Domicilio, in quo Religionem animo imbiberat, & in quo ipsius mater, cujus ei dulcissima est recordatio, vitam cum morte feliciter commutaverat. In hac facti specie quæritur ex Doctoribus;

I. An Familiæ, in qua perpetua stabilitas promissa est deferendæ libertas in Galliis auctoritate donata sit, usuque firmata?

II. An rationes, quas hæc Monialis allegat, satis evincant id ei libertatis concedi posse?

III. Facta hypothesi rationes eas satis graves esse, an non sit opus Pontificis permissione, ut eadem libertate uti liceat?

RESPONSIO.

Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, eos, qui in aliquo Monasterio clausuræ & stabilitatis votum ediderunt, posse majoris perfectionis studio ductos, ad alium Ordinem, ubi strictior, duriorque est Regula, gradum facere. Ejusmodi est Galliarum mos, communisque Doctorum sententia; quæ quidem nititur *c. Virgines 20. q. 4. & C. Licet, extr. de Regularibus*, ubi dicitur: *Permittit Concilium Virginibus Christo Domino consecratis, ut ad Monasterium exactius transeant, si statuerint ibi manere ad animarum suarum salutem, ut majorem ibidem perfectionem acquirant.* Doctrinam hanc Innocentius III. confirmat *C. Licet, visum est*. Ita enim de Superioribus loquitur, ad eos quod attinet, qui majorem perfectionem amplecti volunt: *Noverint..... se ad concedendam licentiam transeundi taliter postulantibus de jure teneri*; quemadmodum enim inferior eam facultatem cum humilitate ac simplicitate petere debet, ita Superior debet eamdem libenter ac non gravate concedere, ne consilio, quod ex Deo esse potest, reluctari videatur. At si qua subsit timendi causa, ne id ex levitate, atque inconstantia proveniat, se Superioris sui judicio conformare debet inferior, ne forte Satan, ut ei suum facist; speciem induat Angeli luminis.

Quoad quæstionem alteram, stat sententia, Monialem octavo ætatis anno se voto, quod edidit, obstringere potuisse; siquidem is tunc in eo fuerit rationis usus, ut deliberate, ejusque obligationis vim ac pondus satis animo complecti posset. Sed quia non nisi votum simplex edere potuit, votorum solemnium posterior Professio, quam in S. Benedicti Ordine emisit, a voto simplici eam prorsus eximit. Hinc D. Thomas 2. 2. q. 189. *art.* 8. *ad* 3. ita pronuntiat: *Non tenetur implere votum simplex, quod emisit de intrando Religionem majorem.* Quod si majoris perfectionis desiderium, non autem levitas aut temeritas in causa est, ut illa strictioris Ordinis suscipiendi facultatem expostulet, non debent Superiores præposteris difficultatibus eam a proposito revocare, ejusve consilium retardare, ne divino, quo vocatur eo, quo contendit, instinctui repugnant. Neque vero ex eo potest levitatis aut temeritatis insimular, quod non ante annos decem a Professione de re tanti ponderis cogitaverit; nempe Sanctorum complurium Virorum exemplum satis ostendit, hæc illustria facinora quandoque non perfici, nisi cum haud mediocre temporis spatium in leni, seu remisso Instituto transactum fuerit.

Quoad quæstionem tertiam, respondetur, ad Pontificem confugiendum non esse, ac Superioris permissionem sufficere, ut ad strictiorem Ordinem gradus fiat. Hujus est, rationes, quibus Religiosa consilens ducitur, examinare, ac videre, an ea certo sciat Monasterium, quod ingredi vult, sibi patere, an habeat, quo iter conficiat, atque an decens comitatus ei præsto sit, ut negotium hoc totum cum dignitate, & prout rectus ordo postulat, perficiatur.

Decisum in Sorbona hac die 13. Octobris an. 1689.

Aug. de Lamet.

Monialis in Abbatissam electa.

CASUS XLII.

Monialis Abbatissæ titulo insignita non potest ex Monasterio, in quo Professionem emisit, pensionem exigere, quæ ei hac tantum conditione promissa fuit, si nempe ad Monasterium aliud Monialis simplicis titulo transferretur.

QUÆSITUM.

TItia Professionem edidit in Monasterio, in quo ejus Avia Abbatissa erat. Consanguinei promisere libratum quinque millia dotis titulo, vel summæ censum, quoad summam ipsam persolverent. Contractus an. 1666. transactus est; Cum Titia e Monasterio egrederetur, ut se in opulentam Abbatiam, qua fuit insignita, conferret; Monasterium tum Aviæ, tum dotis, quæ Nepti statuta fuerat, rationem habita, per eumdem contractum ultro recepit se libras annuas 200. Titiæ, quoad viveret, soluturum, si forte illa per Obedientiam in Monasterium aliud transferretur.

Illa quidem pensionis hujus solutionem sibi vindicat; sed Professionis Monasterium eam se minime debere contendit.

Distinguendum nimirum est inter pensiones, quæ Monialibus a consanguineis constituuntur, easque sequuntur, ubicumque demum locorum fuerint, easque, quæ iisdem a Monasterio constituuntur, quæque eas in eo tantum casu sequi debent, qui Contracta stipulatus fuit. Porro Titiæ ideo pensio statuta est, ut si per Obedientiam transferretur, nec Monasterio, nec consanguineis onerosa esset; ejus enim egressus non est per Obedientiam facta translatio, sed tantum Pontificis auctoritate, qui eam Abbatissam creavit, quo in casu Monasterium prius ei non amplius alimenta dabet; quæ quidem ei præsto sunt in Abbatia, quæ omnia, quibus opus habuerit, eidem suppeditare debet. Nec magis consanguineis suis oneri est. Capitularia Caroli Magni *cap.* 77. *addit.* 7. Religiosos Ecclesiis peculiaribus, a quibus habent, unde subsistant, deservientes privant ea parte redituum, qua in Professionis suæ Monasteriis gaudebant, ac Religiosis ibidem Deo famulantibus eamdem reservant; & Rescripta a suis portionibus, suisque Præbendis Monachalibus excluserunt Religiosos, quicumque Beneficia in vim gradus, vel aliter obtinuerunt.

Abbatissa nolens id Advocatis judicandum committere, contestationis hujus decisionem subdidit judicio Viri nobilis, qui in hujusmodi negotiis prorsus hospes, & peregrinus, sententiæ, & consilio, quod

quod sibi a Doctoribus exhiberi humiliter postulat, se conformabit.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, expenditque, respondet, Abbatissam, de qua sermo est, non in eo casu versari, in quo pensionem suam petere possit; cumque ejus translatio a Pontifice facta fuerit, & ut vero simile sit, ad ipsius, ejusque consanguineorum instantiam, sentiendum proinde non esse eam ex Obedientia factam fuisse, neque eum casum priori Monasterio in mentem venisse. Existere nonnullos casus, in quibus interest Religionis, ut, causa exempli ad fundandas Familias, vel reformandas Moniales aliquæ transferantur; nec deesse etiam casus, in quibus privatum Monialis bonum translationem requirit, ut cum ejus salus cum cœli inclementia, cui Professionis Monasterium subest, constare non potest; in hac nempe facti specie Monasterium ei suppeditare debet, qua subsistat ibi, quo mittitur, spectata Familiæ utilitate, vel ut minus infirma valetudine possit ipsa alibi proprii status obligationibus satisfacere. Tradit Fevretus *part.* 1. *l.* 2. *cap.* 3. *n.* 10. Divionensem Senatum edidisse Rescripta duo in gratiam Monialium duarum, quæ a Monasteriis, e quibus ad alias Familias instituendas egressæ fuerant, subsidia, quibus subsisterent, postulabant. Sed quoniam in præsenti facti specie tale nihil occurrit, vel quidpiam aliud, cujus causa Monialis ad propriæ vitæ conservationem sibi aliud Domicilium petere potest, proinde minime judicatur, Contractus clausulam huic Abbatissæ favere, quoniam ejus egressus omnino liber fuit, omnino voluntarius, nulloque urgente vel ipsius, vel Monasterii necessitate, neque ea non aliam ob causam translata esse dici potest, quam ut Superiori suo Obedientiam præstaret. Ea nempe clausula non alta ratione quam ex Juris mente pensanda est; Jus autem non nisi in casibus, de quibus supra, dotem aut pensiones concedit. Quod quidem in causa fuit, ut Navarrus eadem ratione, qua modo Subscripti, olim in negotio propemodum huic gemino responderet *Comment. 4 de Regularibus, n.* 24. En ejus verba: *Opinio Cardinal. & Panorm. potest salvari in eo, qui exalle ob necessitatem, vel utilitatem publicam, aut valde magnam privatam auctoritate legitima transiret, quoad hoc tantum, ut haberet usum fructuum eorum, dum viveret, & ibi maneret, dominio priori Monasterio reservato. Quo fit, ut juste pridem responderim, Monialem auctoritate Papæ translatam voluntarie ad suam instantiam de uno Monasterio ad aliud, non delaturam secum priori datum, nec bona per Professionem ejus illi quæsita.*

Accedit his omnibus, cum 200. librarum stipulatio non alio spectare potuerit, quam ut eæ alimenti loco Moniali essent, eidemque inde suppeteret, unde subsisteret, cumque ei ex Abbatia, quam obtinuit, quæcumque necessaria sunt, satis superque præsto sint, eas proinde non amplius ab ipsa peti posse juxta principia sanioris Theologiæ, quæ Religiosis earum rerum, quas viatici titulo percipiunt, non etiam dispositionem concedit.

Decisum in Sorbona die 6. Octobris an. 1681.
Aug. *de Lamet.*

Moniales in Familiam receptæ, quæ ad incitas redacta est.

CASUS XLIII.

1 Religiosæ Familiæ non debent ad Professionem plures admittere, quam Monasteria commode alere possint.
2 Cum Monasterium in præceps actum est, ejusque redintegrandi nulla spes adest, quicumque accedunt professuri, de rebus, prout se habent, monendi sunt.

QUÆSITUM.

POssunt ne Puellæ recipi in eam Familiam, quæ nonnullis opulenta videtur, re tamen vera ad incitas redacta est, summaque rerum inopia premitur, quin de Monasterii negotiis, ut se quidem habent, commonefiant, Religioni nomen ibi fortasse non daturæ, si de rerum statu cognoscerent? Patiturne charitas eas in ejusmodi ignoratione relinqui? At vero hæc eadem Communitas non alia ratione, quam puellarum receptione subsistit; constat illa Monialibus quinquaginta, quibus 4000. annuæ libræ sunt, quæque quotannis 8000. absumunt, 42000. librarum, quas debent, fœnore computato. Puellæ, quas recipiunt, fere scuta mille tantum erogant, quæ quidem, antequam Professionem ediderint, expenduntur. Nulla huic Familiæ affulget emergendi spes.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, eam in Ecclesia institutam regulam esse, ut ne plures, quam alli possint, Religiosi, vel Religiosæ in Monasteria recipiantur. Ita quidem passim Conciliis, & Pontifices statuerunt; atque adeo Jure veteri Monialis Professio nulla erat, si secus peracta esset, *cap. Periculoso, de stat. Regul. in 6. districtius, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in Sorores, nisi quot poterunt Monasteriorum bonis, sive proventibus absque penuria sustentari; si secus actum fuerit, irritum decernentes.*

Tridentina quidem Synodus Professionem in hac facti specie nullam non declarat; sed ita tamen; ad hanc rem quod attinet, *sess.* 25. *de Regul. c.* 3. diserte præcipit: *Is tantum numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* Non pauci Pontifices post Concilium, quemadmodum etiam Congregatio, quæ illud interpretatur, ejusmodi disciplinam in omnibus Monasteriis servandam esse Decretorum suorum auctoritate sanxerunt. Id luculenter evincunt Barbosa in hunc Concilii locum, & Demurga *tom.* 2. *disq.* 5. *dub.* 11., qui quidem eo rem deducit, ut, si secus fiat, mortaliter peccari contendat.

Hoc posito, respondetur, I. Communitatem hanc, cum plus debeat, quam possideat, tot puellis, quot recipit, commode sustentandis imparem esse, ex Tridentinæ Synodi mente, quoniam, ut pro certo ponitur, sperare nequit fore, ut aliquando emergat; ex quo fit, ut non amplius puellas ad Professionem admittere possit.

II. Malam fidem existere, ni puellarum accedentium parentes de Familiæ statu certiores fiant; est enim vero simillimum haud futurum, ut ab iis Communitas eligeretur, quam excidio proximam, eoque paupertatis adductam scirent, ut, quo Creditoribus solvat, Domicilium, atque adeo, quæcumque possidet, bona vendat. Sane convenit, puellis non amplius receptis, elapsos annuos census Creditoribus debitos solui omnino non posse; atque ita opus fore, ut bona vendantur, & puellæ abire cogantur. Sed ad Superiores spectat hoc incommodum antevertere, vel curare, ut puellæ in alia Monasteria se conferant.

Denique si Familia nequit emergere, & quod inde consequitur, diu subsistere, præstat in præsentia Creditoribus bona cedere, quam eos, re longius protracta, majori damno subesse. Familia hæc 4000. libras ultra proventum quotannis expendens auget alienum æs, nec, ut supponitur, se prævidet unquam solvendo fore; injustum proinde esset, ni Creditoribus omnium bonorum cessio quamprimum fieret.

Decisum hac die 14. Octobris an. 1700.
G. *Fromageau.*

Moniales, quæ peculiares amicitias, seu sodalitates fovent.

CASUS XLIV.

Singulares necessitudines inter Moniales omnibus retro actis sæculis prohibitæ fuerunt, & quidem merito.

QUÆ-

QUÆSITUM.

IN Religioſis Communitatibus fere generatim receptum principinm eſt, nullum in iis privatæ amicitiæ genus tolerandum eſſe. Rogantur ergo Sorbonæ Doctores, ut ſuper ejuſmodi conſuetudine dicant, quid ſentiant.

Responsso.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, tametſi in Regulari Societate amor, & charitas æque ad omnes referri debeat, hanc tamen æqualitatem, quæ non niſi ad charitatis ſubſtantiam ſpectat, non impedire, quominus eæ perſonæ, quæ peculiaribus de cauſis ex longo tempore ſe mutuo devinxerunt, ſe dulciori ac vehementiori amore, quam cæteras complectantur; ita Moniales, quæ Penſionariæ ſimul fuerunt, quæ una & in Probatione ſteterunt, & Profeſſionem ediderunt, ſe ſtudioſius, & ut ita dicam, ſenſibilius, quam cæteras diligunt. Nimirum ex communi Theologorum ſententia in charitate quidam eſt ordo, ſuoſque illa gradus obtinet, quin id, quod proximo debetur, propterea tollatur; unus pluris fiet, alter dulcius amabitur.

Verum niſi Spiritus S. hanc dilectionem ſanctificet, purgetque, quicquid in ea poteſt humanius eſſe, ea eſt maxime periculoſa, quia ſæpe evadit carnalis affectio, eumque, qui cæteris ſororibus debetur, amorem imminuit. Si tres quatuorve Moniales ſingulari hac amicitia jungantur, a cæteris abſtractæ, & adverſus eas, quoties occaſio tulerit, conſpirantes, concordia hæc, inquit S. Chryſoſtomus *in cap. 1. ſecundæ ad Theſſal.* in Communitate diſcordiæ, & ſchiſmatis cauſa eſſe poteſt: *Invenimus apud multas eſſe charitatem & dilectionem, ſed hanc charitatem & dilectionem eſſe cauſam diſſenſionis: nam quando bini aut terni fuerimus conjuncti, & duo aut tres valde inter ſe fuerint colligati, a cæteris autem ſe ipſos abſtrahentes, eo quod ad illos poſſint confugere, & in illis omnibus confidere, hoc eſt diſſentio, non dilectio.*

Quamvis autem peculiares has amicitias non gravia ſemper incommoda conſequantur. SS. tamen Patres, & Regularum, ac Monaſticarum Conſtitutionum Auctores ſemper eas vituperarunt, atque impugnarunt. Neque enim ignorabant ex iis temporis jacturam, regularis diſciplinæ perturbationem, detractiones, prava exempla, mutuæ charitatis, quæ inter Moniales vigere debet, imminutionem exiſtere. Quod in cauſa fuit, ut S. Baſilius *cap. 29. Conſtitutionum Monaſticarum* hoc peculiaris amicitiæ genus improbaret, quippe quo Monaſteriorum diſciplina vetus everteretur, ac pronuntiaret *cavendum, ut quamvis in officio omnes permanent, æqualis unicuique erga omnes communitas ſit, atque conjunctio.* Denique concludit, eos, qui ejuſmodi amicitias ſingulares conſectantur, ſi moniti ab iis non deſiſtant, tanquam ethnicos & Publicanos ſpectandos eſſe.

Idem fere dixerat Sanctus hic Pater Sermone primo de Monachorum inſtitutione: *Porro*, inquit, *in hujuſmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex, aliquas coiri ſeorſum amicitias aut ſodalitates; ſiquidem nullo modo fieri poteſt, quin affectiones iſtæ, quæ in hanc magis, quam in illam procedant partem, plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quamobrem æqualiter ſe diligere inter ſe omnes debent, idemque adverſus univerſum fratrum cœtum charitatis tenendus eſt modus. Quod ſi quis inventus fuerit, qui majore quadam animi propenſione Monachum fratrem, vel propinquum, vel alium quemvis quavis de cauſa videatur diligere, hunc caſtigare oportebit ut injurium publicæ charitati, ſiquidem in eo quod quis aliquem unum plus diligit, facile indicat reliquos ſe in amore inferiores habere.*

S. Aurelianus vetat in ſua Regula, ne Religioſus privatim unus alium alloquatur; qua in re Auctor Concordiæ Regularum pag. 762. ita pronuntiat: *Optima ſanctio, quæ peculiares* Monachorum *familiaritates præſcindit, per quas erga cæteros fratres charitas alget, ſecretæ murmurationes aluntur, ac denique univerſa regularis obſervatio periclitatur: ex iiſque oriuntur diviſiones, & ſchiſmata in Congregatione, ſuntque improbitatis eorum qui coeunt, argumentum*, inquit *Baſilius*.

Hac eadem mente, & ut peculiares familiaritates a Monialibus evitentur, ita ſtatuit Sanctus Leander Hiſpalenſis Epiſcopus in ſua Regula *cap. 20. de Virginum Inſtitutione: Noli aſſumere unam, & declinare alias; ſed quod ſcire uni utile eſt, ſciatur ab omnibus.*

Auctor Libri, cujus titulus *Codex Regularum* refert S. Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum in Sermone ad Moniales iis ſingillatim proponere vitia & incommoda, quæ ex hac frequenti Monialium inter ſe familiaritate derivantur; atque ita concludit: *Hæc communia mala fortiter Deo adjuvante repellentur, & illa, quæ diximus, bona feliciter acquirentur, ſi ab animabus ſanctis familiaritas inordinata reſpuatur; ut ergo caſtitatis præmia, & virginitatis coronam, Deo remunerante, poſſitis accipere, periculoſam familiaritatem a vobis ſemper excludite.*

Haftenus in Regulam S. Benedicti 1. *p. diſquiſit.* 9. *ſ.* 5. in medium affert capita 48. & 49. in quibus mandatur, ut *Unuſquiſque ſe a proximo cuſtodiat*; Religioſus alter alterum, quibus minime decet, horis non alloquatur, non alter alterius partes tueatur vel conſanguinitatis prætextu; ex quo Auctor hic occaſionem ſumit ſingulares amicitias damnandi, & in hanc rem S. Baſilium laudat.

Conſuli deniam poteſt Pelizarius *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 10. *n.* 303. *ſ.* 26.

Conſilium ſubſcriptum concludit ex hisomnibus has peculiares amicitias omnibus retro ſæculis vetitas fuiſſe, nec omnino in Religioſis Communitatibus eſſe tolerandas.

Deciſum hac die 19. Novembris an. 1704.
G. *Fromageau*.

Monialium obligatio dandi ſuffragii.

CASUS XLV.

1 *In Monaſteriis, in quibus Novitiarum receptio inſtituitur, & eæ omnes votorum pluralitate concluduntur, minime licet Monialibus ſimul uti ſuffragio duplici albo, nigroque, quod prætendant ſe timere, ne ſe in malam partem determinent.*

2 *Cum Conſtitutiones præcipiunt ſententiæ declarationem, & ſuperiores prohibent, ne juri ſuffragii renuntietur, iis non obſequi grave peccatum eſt, quod etiam mortale eſſe poteſt.*

QUÆSITUM.

CUm ſit electio, vel receptio in Monaſterio N..... id moris obtinet, ut ſuffragium detur ſava alba vel nigra, quam Monialis quæque ponit in capſula, prout ei viſum fuerit. Moniales non paucæ, veritæ, ne propriam conſcientiam polluant, ſi Novitiam vel receperint, vel rejecerint, duas ſimul fabas, albam unam, nigram aliam immittunt; ex quo ſæpe fit, electionem, ſeu receptionem nullam eſſe, nihilque in Capitulo definiri. Cum de hoc abuſu cognoviſſet Antiſtita, vetuit de poteſtatis ſuæ plenitudine, ne Moniales ita ſe gererent, mandavitque, ut una tantum faba uterentur. Hoc poſito,

Quæritur, I. An Moniales, quæ pauperes Spiritu non audent in certam ſe partem dare, Antiſtitæ præcepto parere teneantur? II. An non utcumque, ſed ſub mortalis peccati pœna?

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Moniales N .... (a) quæ, Antiſtitæ ſanctione non obſtante, pergunt duas fabas ponere (quod ſæpe electiones & receptiones nullas efficit) in re gravi Deum lædere, non mediocri contra obedientiam culpa ſe obſtringere, magnamque injuriam Communitati, iiſque, quibus ſuffragia denegant, affeſendi periculo ſeſe exponere.

Deciſio hæc illud pro certo ponit, in Conventu, qui conſulit, ut in aliis pleriſque Moniales teneri ſuf-

(a) Baſſæus de elect. 8. Diana 3. p. tr. reſol. 6. De Peyrinis t. 3. c. 9. n. 28.

suffragia sua pro, vel contra, cum de Novitia ad Professionem admittenda agitur, cohibere, neque ipsis licere a Capitulo abesse, vel neutrales adesse. Si ergo Monialis ultro voce sua cadit, peccat contra Constitutiones, contraque obedientiam, quam debet Antistitæ, quæ quidem id, quam late patet ejus auctoritas, prohibens, de re magni ponderis agi satis ostendit.

Præterea Moniales singulæ debent secum in animo reputare, suffragii jus ad propriæ Communitatis bonum sibi concessum esse, adeoque se id ipsum eidem denegare non posse. Quod si Moniales vocem amittere permittantur, earumque nonnullæ leviore metu perculsæ in neutram se partem determinent, non deerunt facti species, in quibus Communitas, vel privatæ Moniales grave incommodum patiantur, vel quod recipiantur indignæ, vel quod dignæ respuantur.

Nec refert, Moniales eas ideo non uti jure suo, quod bona fide timeant, ne Deum offendant, quodque, quid consilii capiant, prorsus ignorent; quia nempe regulas, quas in ejusmodi negotiis præscribit divina Lex, percipere facile possunt. Si causa exempli de puella ad Professionem admittenda agitur, debent eam ipsæ Probationis tempore examinare, ex Novitiarum Magistra & Sororibus de ejus vita moribusque cognoscere; possunt Antistitam, vel prudentem, & a partium studio alienam personam consulere, iisque auctoribus consilium capere; his usæ circumspectionibus tuta quoad susceptum consilium conscientia coram Deo sunt. Quamobrem concluditur, Moniales, quæ, ne vocem amittant, non ita se gerunt, bona fide non agere, dum, Superioribus expresse prohibentibus, in ea praxi persistunt, quæ Capitulares Conventus inutiles reddit, & gravibus incommodis Communitatem exponit. Porro hac in re mortalis culpa locum habere potest; satiusque proinde, ac tutius fuerit, Monialem cum simplicitate, rectaque Monasterii bonum procurandi intentione suum quamque suffragium proferre.

Decisum hac die 18. Octobris an. 1698.
G. *Fromageau*.

Moniales tres Germanæ Sorores.

CASUS XLVI.

Standum est uniuscujusque regularis Familiæ usui, ut cognoscatur, an tres sorores in Conventibus Capitularibus triplicis suffragii jure gaudeant. Sicubi votorum trium jus adest, iis Sororibus possessio servanda est; edi tamen potest Constitutio, qua ea suffragia ad duo redigantur.

QUÆSITUM.

SOrores tres Professæ sunt in eodem Monasterio, ubi suum singulæ suffragium in Capitulis, & in omnibus negotiis semper habuerunt. In præsentia de eligenda Antistita agitur; in votis est, earum suffragia ad duo redigi, iisque jus adimi, quod hactenus obtinuerunt. Quæritur, idne liceat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, controversiam hanc ex cujusque Familiæ consuetudine & Constitutionibus esse dirimendam. Non desunt Monasteria, in quibus, ne tres Sorores recipiantur, Constitutionibus prohibetur; suntque Auctores nonnulli, qui contendant, Cardinalium Tridentinæ Synodi interpretum Congregationem declarasse id absque summi Pontificis auctoritate fieri non posse, ut videre est apud Tamburinum *de jure Abbatissarum & Monial. disput.* 5 *q.* 1. *n.* 2. Quia porro decisiones hæ nobis regulæ loco non sunt, nec commune jus efficiunt; ad peculiaria cujusque jura est deveniendum. Quamobrem si Monasterium de quo sermo est, trium Sororum nullam privat activa voce, nec earum suffragia per Constitutiones ad duo rediguntur; usui & consuetudini standum esse censetur; cum rectus ordo postulet, ut Puella suffragii jus per Professionem acquirat, nihilque sit causæ, quamobrem voce spolietur ea, quæ Familiam ingressa est, animo reputans, sibi jus idem, quod Monialibus cæteris fore, quæque providere non potuit futurum, ut voce ac suffragio privaretur. Itaque non creditur tribus sororibus id juris adimi posse, in cujus possessione hactenus perstiterunt; at vero contraria in posterum vim habitura edi potest Constitutio, quæ quidem puellis accedentibus significabitur; quæ tamen Constitutio Superioris Majoris auctoritate firmanda est.

Decisum Parisiis die 6. Septembris an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Monialis, quæ intra quinquennium non reclamavit.

CASUS XLVII.

1 *Quicumque post Professionem, quæ nulla fuit, non reclamat intra quinquennium, tanquam Religioni devinctus spectandus est.*
2 *Debet ex Professionis die suam sedem tenere.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Novitia, quæ pridie ante completum Probationis annum Professa non reclamavit intra quinquennium, debeat Professa censeri, suumque gradum ex Professionis die sibi sumere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, I. ex Tridentina Synodo *Sess.* 25. *de Regularibus, & Monialibus c.* 15. Professionem ab hac Puella ante elapsum Probationis annum emissam nullam esse; disciplinæ huic adhæsit Constitutio Blesensis art. 28. Eadem tamen Puella a Professionis die tanquam Professa haberi debuit; quia nempe Actus publicus suum semper effectum retinet, donec nullus a Judice declaretur; nec quispiam eo, quod ipsi collatum est, absque Judicis auctoritate spoliandus est. Cum ergo ejusmodi Professio publica fuerit, puella eo loco gaudere debet, in quo fuit eo die posita, quo vota sua pronuntiavit.

II. Censet, eamdem Puellam votis editis refragari non posse, quia per annos quinque perstitit in Monasterio, quin protestaretur, quamvis non ignoraret se professam esse ante tempus a Concilio præscriptum *cap.* 19. *ejusdem sess.* 25. *de Regularibus & Monialibus*. Diserta sunt Concilii verba: *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam Professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Itaque Puella, cum contra Professionem reclamare non amplius possit, sedem a die Professionis in Monasterio tenere debet, vi Actus publici, qui huic rei fidem facit, & cui refragari nec Puellæ ipsi, nec Monasterio licet.

Decisum die Octobris an. 1676.
A. *de Lamet*.

Moniales Clausuræ legibus obstrictæ.

CASUS XLVIII.

1 *Qui Fœminarum Monasteriis præsunt, nunquam pati debent sine causa legitima Monialem egredi.*
2 *In legitimarum causarum numero sunt morbi periculosi, qui in Monasterio sanari nequeunt.*
3 *Sæcularibus non ea tribuenda facultas est, ut Monialium Domicilia subeant, nisi adsit proprie dicta necessitas.*

4 *Per-*

4 *Permittit Ecclesia ibidem recipi mulieres ac puellas, quæ Deo se devovere volunt, quibusve, ut eo se recipiant, aliæ graves causæ præsto sunt.*

QUÆSITUM.

QUoniam quotidiana experientia compertum est, Moniales e propriis Monasteriis fidenter egredi, vel Sæculares in eadem recipi, Superioribus scilicet id facile permittentibus; visum est Prælato, qui cæteroquio ad rectam disciplinam in propria Diœcesi instituendam naviter incumbit, malum hoc haud levis momenti esse, credid itque, se Monasterium duorum, quorum administrationem Divina Providentia sibi commisit, eo majorem rationem redditurum, si cum ibidem rectum ordinem, Regulæ, & Constitutionum rationem facile servare posset, contra se gereret, easdem scilicet permissiones Monialibus egrediendi, & Sæcularibus ingrediendi concederet; quippe cum Moniales e Monasteriis egredienres, ea, quæ sæculi sunt, non animo rursus imbibere, & Sæculares in Monasteria ingredienres, ea, quæ Dei sunt, non perturbare non possint. Quia porro complurium Antistitum, zelum ac pietatem præseferentium exemplum videtur repugnare consilio, quod is Præsul inire vult, mandandi Monialibus Diœcesis suæ, ut intra propria Domicilia, & *inter septa Monasterii* consistant; ut, quæ dubia sunt, in meliore lumine collocaret, & difficultatibua, quæ sibi identidem opponuntur, occurreret, atque adeo primioribus viris, eas facultates ad importunitatem usque postulantibus satisfaceret, ad Consilium prudentia ac doctrina præstans sibi confugiendum esse judicavit, a quo super sequentibus articulis sententiam, quæ nec laxior esset, nec strictior, audiret.

Quærit ergo, I. An absque legitima causa, ac tantum Episcopo oblata supplicatione, Moniali egressus permitti possit?

II. An suos videndi desiderium legitima causa sit?

III. An si qua Monialis votum, quo egredi cogeretur, edidarit, Episcopus pati debeat, eam ad illud implendum se se conferre?

IV. An puellis nobilibus, adeoque imbecillioribus, ac mollioribus egressus facilius quam cæteris sit concedendus?

V. Audiendane sit Monialis egressum petens, ut Monasterii recessum ac solitudinem aliquantulum temperet?

VI. An febris, fluxio, dolor capitis, & quidem diutuTnior, sit egrediendi ratio legitima; atque an Medico fidem faciente, permissio tribuenda sit?

VII. An Episcopus tuta conscientia pati possit, e proprio Conventu Monialem exire, ut quærat cœlum mitius, sibique jucundius; & quibus in casibus id permittendum?

VIII. An, si id permittatur, Monialis in alium Conventum se recipere debeat, an vero quemvis promiscue locum, quem quidem reparandæ valetudini aptiorem crediderit, eligere possit?

IX. An possit Episcopus Moniali egressum concedere, ut suis ægrotantibus opem ferat?

X. An Moniales, cum e Monasterio egredi nequeant, suis saltem accedentibus interiorem Monasterii januam aperire possint, ut eos amplectantur, eiisdemque lætitiæ signa exhibeant?

XI. An Moniales possint ipsæ Ecclesiæ suæ Altare parare, ac cætera ad Divinum servitium necessaria ministrare, clausa interim magna Ecclesiæ janua, ut nemo eo quidem tempore ingredi possit? Quemadmudum etiam an Monasterii januam, per quam Sæcularibus ad crates aditus patet, ipsæ claudere possint? An vero non satius sit id officii Sororibus Conversis & Ostiariis demandare?

XII. An non durius quiddam sit, fenestris ad viarum publica patentibus clathros apponi?

XIII. An ea omnia possit Episcopus tuta conscientia permittere, nulla alia causa, quam sua ipsius voluntate permotus?

Rogantur Doctores, ut aperiant sententiam suam super singulis articulis hisce, ad Monialium egressum spectantibus. Jam vero ad sæcularium in Monialium Monasteria ingressum quod attinet;

Quæritur, I. An Episcopus Monasterium ingrediens pati possit secum ingredi viros gradu præstantes, qui sibi sunt a comitatu, sed quibus tamen ad id quod ipse acturus ingreditur, non est opus?

II. An Matronis in id unum accedentibus, ut proprias filias in Monasteriis Pensionarias, vel Religiosas invisant, Episcopus ingressum permittere possit; ac si ea facultas concedi nequit, qui eam concedit, quique obtinent, eademne culpa teneantur?

III. An Matronis Monasterium videre volentibus, antequam suas filias in eodem collocent, satisne justa causa supperat, cur ingressum obtineant?

IV. An Matronæ, quarum pietas perspecta est, quæque aliis exemplo præeunt, Regularia Domicilia subeundi facultatem petere & consequi possint, ut aliquam diei partem ibidem transiganr, vel orationi, vel colloquio vacantes, quin tamen a spiritualibus officiis Moniales avocent?

V. An mater, aut proxima cognatione conjuncta, cui nihil est dulcius, quam cum filia, vel cognata Moniali versari, obtinere possit, ut quotidie in Conventum ingredi, atque adeo egredi sibi liceat?

VI. An ægritudinis, atque infirmitatis ratio possit esse legitima, cur, ad animum cum consanguineis exhilarandum frequens in Conventum ingressus petatur; & an id permittere tuta conscientia possit Episcopus?

VII. An Episcopi cognatio sit ratio, quæ ingressus permissionem firmare possit?

VIII. An Episcopus legitime pati possit Sæculares mulieres in Conventum se recipere, quæ quidem non alia causa, quam proprio commodo moveantur?

IX. Potestne id permittere gravibus urgentibusque de causis, ut ob divortium, quod virum inter & conjugem interest, invicem litigantes; quippe cum mulier nullibi tutius, ac minore cum suspicione, quam in Religioso Domicilio degere possit?

X. An Episcopus, ut mulieris, vel puellæ, quæ pravæ vitæ suspicione laborat, famæ consulat, pati possit eas in Monasterium aliquod sibi subjectum se se recipere, vel easdem pœnitentiæ gratia in illud conjicere possit?

XI. An denique permissiones, quæ, ad hanc rem quod attinet, *tum gratia commoditatis vel pœnitentiæ, tum ob causas urgentes, ut puta litium matrimonialium, adulterrorum, ac dissentionum inter viros & uxores, ac his similibus*, conceduntur, legitimæ sint; cum necessitas, commodum, & utilitas ad eos tantum spectent, qui ejusmodi ingressus postulant, ad Religiosam ipsam Familiam omnino non spectent? Super his omnibus articulis rogantur Doctores, ut suam e scripto sententiam proferant.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositos articulos vidit, & expendit, existimat, a generali responso, quod singularum quæstionum, quæ Libello supplici continentur, expediendæ solutioni deserviet, disputationis hujus initia ducenda esse. Monialium clausuram stricti juris esse liquido constat ex Tridentina Synodo, quæ *sess. 25. c. 15. de Regular.* novum robur addere voluit Capiti *Periculoso, de statu Regul. in sexto*, quo Bonifacius VIII. cum graves rationes explicuisset, propter quas in commodis ex facili Monialium e propriis Domiciliis egressu prodeuntibus occurrendum, mandat, ut in posterum illæ ita clausuræ legibus obstrictæ permaneant; ut iis non amplius quocumque prætextu egredi liceat, hac una tamen addita exceptione: *Nisi forte tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari.* Non modo Caput hoc Tridentina Synodus confirmavit, sed quanti Decretum hoc idem faciendum esset, ostendere voluit, ita pronuntians loco laudato: *nemini autem Sanctimonialium liceat post Professionem exire e Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda: indultis quibascumque ac privilegiis non obstantibus*; ut

proin-

proinde hujus Regulæ vi quivis egressus Monialibus interdicatur, nisi legitima causa suppetat; hæc autem causa legitima nobis in 6. Decretal. indigitatur, contineturque morbo adeo gravi, ut eodem infectæ nequeant *absque gravi periculo seu scandalo* in Monasterio consistere. In eamdem sententiam loquitur Blesensis Constitutio art. 31. „ Nulli Moniali post emissam Professionem e proprio Monasterio egredi licet quocumque temporis spatio, & quocumque prætextu, nisi ob causam legitimam, quæ Episcopo vel Superiori probetur; & id quidem non obstante quavis in contrarium dispensatione, ac privilegio “. Quia porro ea Tridentinæ synodi verba, *ex aliqua causa legitima*, difficultatem aliquam ingerere possent; hæc proinde causa æque saltem gravis esse censetur, atque ea, quæ in Bonifacii VIII. Constitutione singillatim declaratur, ac non minore necessitate opus esse; quia nempe cum ideo stricti juris clausura instituta fuerit, ut egressium abusibus, & incommodis remedium afferretur: propterea non nisi ob causam, quæ ei par fuerit, quam Lex a Tridentino Concilio firmata proposuit, concedenda est dispensatio. Jam vero ejusmodi causarum Episcopus Judex esse debet; cum enim eos omnes casus, qui possunt existere, humana prudentia prævidere non possit; proinde placuit, Episcopos de variis ejusmodi speciebus judicare, ita tamen, ut præsentem, proprieque dictam necessitatem, Legisque Regulas, & exempla ob oculos semper haberent.

His universim positis, ad priores quæstiones quinque facilis est & expedita responsio; cum enim regulæ generalis exceptio, prout in cap. *Periculoso*, aliudve simile in iis non occurrat, nihil est causæ, cur Episcopus Monialem egredi patiatur, graviter, si secus ageret, peccaturus, quippe qui Ecclesiæ Canones, regulasque, quibus custodiendis invigilare debet, transgrederetur.

Quoad quæstionem sextam, non debet Episcopus ob febrim, fluxionem, capitisve dolorem egrediendi facultatem Moniali concedere, nisi constet ejusmodi ægrotationem evidenter periculosam esse, ac puella non nisi per egressum convalescere possit, quippe quod ea remedia in Monasterio præsto esse non possent, quibus omnino opus esset, ut illa pristinæ valetudini restitueretur. In hac enim facti specie Episcopus annuere posset, Medico de morbi periculo, deque necessariis, nec in Conventu parabilibus remediis fidem faciente. Quoniam vero non desunt faciliores Medici, de ejus probitate, qui fidem facit, prius est Episcopo cognoscendum.

Quoad septimam, si Monasterii, mutandi cœli gratia, deserendi facultas Moniali tribuenda est; ob id sane tantum tribuenda, quod illa ibi, ubi est, versatur in vitæ discrimine; quamquam fere frivola ea ratio est, flocique facienda, quippe quæ innumeris contra rectum ordinem, ac Legis mentem evasionibus januam aperiat. Esset ergo, quamobrem id permitteretur, si Domus epidemico morbo infecta jaceret, ut monet Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Decori & honestati*, dum ita in hanc rem loquitur: *ex causa infirmitatis, lepræ, & epidemiæ*. Sed harum postulationum levitas vel ex eo satis apparet, quod id fere non petunt eæ, quæ cæteratum maxime disciplinam custodiunt, quales sunt, quæ Carmeli Ordinem profitentur. Verum enim vero si qua Domus alicujus Monialis saluti perniciosa esset, concedi posset, ut in aliud ejusdem Ordinis ejusdemque disciplinæ Monasterium transferretur, ut ita reparata valetudine, Ordinis asperitates exacte custodire posset.

Quoad octavam quæstionem, Monialis, quæ ratione supra declarata egredi permitteretur, siquidem electionis facultate polleret, Monasterium potius deberet, quam quemvis alium locum eligere, quo magis pro ea, quam profitetur, vitæ ratione abesset ab humano convictu, solitudinemque servaret; quod si Monasterium subire non posset, apud suos commorans, quantum locus, atque æquitas paterentur, seu ruri, seu in Urbe, solitudini studere deberet.

Quoad quæstionem nonam, tuta conscientia concedi nequit, ut Monialis suorum curam susceptura egrediatur, nisi forte ejus aut pater, aut mater omni prorsus ope destituti jaceant; si enim aliunde possent subsidium percipere, regulam violaret Episcopus, si eam Moniali facultatem tribueret, quæ absolutæ tantum necessitatis gratia tribuenda est.

Quoad quæstionem decimam, Monialis ad clausuræ januam prostans, non tamen egrediens, ibique suos alloquens, iisque amoris argumenta præbens, clausuræ obligationem minime violaret; sed hæc ipsa libertas ob alia non levia incommoda, quæ afferre posset, non est tam facile concedenda.

Quoad decimam primam, Moniales, quibus Sacristiæ cura est demandata, vel ad Altaria non clausa paranda, vel ad exteriores januas claudendas propriæ clausuræ terminos prætergredi omnino non debent.

Quoad duodecimam, nihil æquo gravius, duriusque fit, dum clauduntur Monielltæ, quæ publicas vias respiciunt, præsertim vero si inter ejusmodi fenestras, viasque nihil intersit, cujusmodi foret hortus, qui, ne quid ultro citroque ferretur, impediret; sed omnia hæc omnino foramina occludi tutius est, ad mala, quæ inde existere possent, antevertenda. Universim si fenestras claudi gravius foret, iis clathros apponi oporteret, ut proinde Moniales ab externis spectari non possent. Uno verbo nihil eorum, de quibus hactenus, permittere potest Episcopus, nisi adsit causa legitima, nempe necessitas seu Monasterii, seu Monialis, & quidem pro Legum ratione, quæ super hac peculiari disciplina sancitæ fuerunt. Ac de Monialium egressu satis.

Ad Monasteriorum ingressum quod attinet, haud censetur ad ea methodo recedendum, quæ quoad quæstiones super egressu propositas servata est, atque ita ponenda principia, quibus responsa nitantur.

Tridentina Synodus jam appellato capite vetuit, ne quis absque Episcopi vel Superioris licentia, eaque in necessitatis tantum casu concedenda in Religiosas Domos ingrederetur. Idem sanxerat Bonifacius VIII. cap. Periculoso: *nulli aliquatenus*, ejus verba sunt, *inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem*; *at sic a publicis & mundanis conspectibus separatæ Deo servire valeant liberius, & lasciviendi opportunitate sublata, eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentius custodire*. Id etiam cavit Blesensis Constitutio, a Tridentini Concilii definitione ne latum quidem unguem recedens. En ejus in hanc rem aperta verba: „ quemadmodum etiam nemini, cujuscumque gradus, sexus, ætatisve fuerit, pro arbitratu liceat in dictorum Monasteriorum clausuram ingredi absque licentia de scripto Episcopi, vel Superioris, & in casibus necessariis tantummodo sub Juris pœnis. Hoc posito, vere pronuntiari potest, Episcopo, aliive Superiori non licere id cuiquam absque necessitate permittere. Itaque Prælatus in foro conscientiæ tenetur expendere, an causæ, propter quas subeundi Mulierum Monasterii facultas expetitur, legitimæ sint ac necessariæ; quia ni ita res habeat, ex Lege nequit id permittere, ac si permiserit, peccat. In eo igitur omnis vertitur difficultas, ut, quod necessarium est, ab eo, quod ejusmodi non est, secernatur; atque in universum statuendum est, id quod rationi, quæ affertur in cap. *Periculoso*, repugnat, quodque Moniales a secessu potest abducere, non modo tanquam minime necessarium, verum etiam ut perniciosum spectandum esse; ex quo apparet, quicquid curiositatem sapit, repudiandum esse, nec pro causa legitima haberi posse; quamobrem initio ducto a quæstione prima,

Censet Consilium, Episcopum in Monasterium ingrediendum, quod non nisi in necessitatis casu facere debet, Viris cæteroquin gradu insignitis ipsum comitantibus ingressum concedere non debere, nisi paucos quosdam, eosque, ut decet, Ecclesiasticos sibi sumpserit; cum enim Episcopus non nisi urgente necessitate ingredi debeat, par sane non foret Laicos homines eorum, quæ admonitionis vel correctionis indigerent, testes adesse, quod fortasse impediret, ne Moniales perinde animi sui sensa aperirent,

ac-

ac si id genus hominum non adesset. Responsionem hanc confirmat Bulla Gregorii XIII. a. 28. quæ incipit: *Dubii quæ* - in hæc verba: *Declaramus, Prælatos omnes, tam seculares, quam regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum Monialium quovis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria prædicta, ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessariis, & a paucis, iisque senioribus ac Religiosis personis comitati.* At si de visitatione instituenda ageretur, & Secretario opus esset, is quidem propter necessitatem esset cæteris anteferendus.

Quoad quæstionem secundam, ex jactis principiis cum minime necesse sit matrem, filiæ Religiosæ, vel Pensionariæ invisendæ gratia, in Monasterium ingredi, nihil occurrit, quamobrem Episcopus ingrediendi facultatem eidem permittere debeat; immo vero si illud addatur, Cardinalium Congregationem decidisse eam libertatem non esse tribuendam seu matri, ut filiam ægrotantem, seu sorori, ut sororem conveniant, etiamsi illa in extremis ageret, vel hæc habitum sumere, aut Professionem edere vellet; facile judicari poterit, nil causæ esse, cur in hujus quæstionis specie Matri aditus permittatur: Id rotundis verbis tradunt Auctores quique celebratissimi, qui super hac re scripserunt; Emmanuel Rodericus *quæst. Regul. tom. 1. quæst. 46 art. 11.* qui in medium affert Congregationis Cardinalium verba hæc: *Non licet Episcopo licentiam dare matri, sororibus, & consanguineis Monasterium ingrediendi causa visitandi filiam vel sorores, quæ gravi aliqua infirmitate detinentur, etiamsi sint in mortis periculo, & minus quando filia, aut aliæ Professionem emittant, vel habitum suscipiunt Religionis.* Idem sentiunt Zerola *prax. Episcop.* allegat. 102. *n. 66.* Tamburinus *de jure Abbatiss. & Monialium disp. 24. quæsit. 17.* &c.

Quoad tertiam, cum Monasterii intersit puellarum receptione se sustentare, si forte mater adduci nequeat, ut filiam, quam maxime diligit, Monasterio tradat, quin antea loca lustraverit, videtur Episcopus, vel Superior eidem ingressum permittere posse; at si mater hæc ejusmodi prætextu curiositatem suam tegeret, graviter delinqueret, quia nimirum Præsuli imponeret, id supponens, quod non ita se haberet; atque ita adversaretur Ecclesiæ sanctioni, ac voluntati Superioris, cujus non ea mens est, ut ejus curiositati, quæ in hac facti specie præpostera foret, indulgeat. Quocirca re ad regulæ vim exacta, satius fuerit nil matri concedi, quod disciplinam tam Sancte institutam lædat, & Episcopum ejus postulata respuere.

Quoad quartam, est quidem rationi consonum, ut omnium, & quod inde consequitur, præstantium virorum, quorum exemplum, quam vulgarium hominum longe majoris momenti est, pietati ac devotioni satisfiat; sed id tamen cum regularum, quæ non sine magna animadversione editæ sunt, dispendio esse non debet; ut proinde, cum nulla adsit necessitas, peculiaris devotionis causa satis esse non censeatur; præsertim cum, si ea locum haberet, Monasteriorum janua ingenti hominum multitudini patefieret, quorum iteratis ingressibus Monialium animi turbarentur, & singularibus amicitiis cum sæcularibus irretirentur, unde non pauca in Regulares Societates incommoda derivantur, ut ii non ignorant, qui in iis administrandis experientia aliqua edocti sunt. Hac nempe Bonifacius VIII. ejusque Successores, Tridentina Synodus, & Ecclesia Gallicana tantum circumspectionis in Constitutionibus super hoc negotio editis adhibuerunt. Excipiuntur tamen ab hac disciplina Fundatores, quibus fere magis quam cæteris indulgetur, & quorum gratia custodiri ac servari par est ea commoda, quorum possessione ab immemorabili tempore gaudent; & non ulterius progrediendum, nisi quid peculiare existat in fundatione.

Quoad quæstiones quintam & sextam, si ejusmodi causarum ratio haberetur, turbaretur Monasteriorum ordo, omnisque Regularis disciplina pessum iret; nulla ibidem hora est, quæ officio vacet; ac tam frequentes, & quotidianæ visitationes a consuetis muneribus Monialem averterent, atque obsequendi matri specie, a regulæ ratione Monialis animus avocaretur, atque ita interius exteriusque scandalum oriretur, sibique deesset Episcopus, si ejusmodi facultates concederet. Non aberraret ille tamen a recto tramite, si dierum aliquot recessum Moniali concederet, ut miseræ, ac mœrore confectæ personæ solatio esset, eique præsto foret, quo æquiore animo calamitatem perferret, & alacrius divinæ voluntati se subderet; sed ita tamen, ut semper etiam atque etiam videret, ne afflictæ personæ exhibita charitas regulari disciplinæ detrimentum afferret.

Quoad septimam & octavam quæstiones, cum nulla adesset necessitas, non posset Monasterii subeundi facultas peti; nec pati Episcopus debet se carnis & Sanguinis rationibus permoveri, unde nihil aliud, quam universæ Diœcesis scandalum oriretur. Sane si qua vidua de recessu cogitans, ac pietatis studio Regulare Domicilium ingredi vellet, arcenda non esset, sed prout declarat Barbosa *de offic. & potest. Episc. part. 3. allegat.* 102. *§.* 67. cui concinit Tamburinus *de jure Abbatiss. & Monial. disp.* 24. *quæsit.* 14. in hæc verba: *Viduæ, quæ honestatis causa se in Monasteria monialium contulerunt, modo sint bonæ existimationis, tolerari debent, quatenus legibus Monialium pareant. De cætero tamen non sunt recipiendæ, nisi Moniales effici velint. Ita referunt decisum Miranda, Barbosa de offic. & potest. Episc.* Censetur tamen, haud mordicus tenendam decisionem hanc, prout nempe communi Juri conformis non esset; & in hac facti specie standum omnino Tridentinæ synodi, ac Bonifacii VIII. definitioni. Quia porro ea regula non videtur ab eo recedere, quod in Jure statuitur, proinde fit, ut vim obtinere debeat; atque ita inde concludendum, id quod viduis ea tantum conditione conceditur, si nempe Moniales effici velint, aliis fæminis, quippe quæ utilitatis & commoditatis studio ducantur, non esse pure ac simpliciter concedendum; idque eo magis, quod Monasteria tanquam recessus pœnitentiæ, ac perfectionis loca spectanda sunt, atque ita iis abuteretur, quisquis in alios usus eadem converteret.

Quoad nonam, decimam, & undecimam quæstiones, potest Episcopus gravibus de causis permittere, ut apud Moniales sese recipiant eæ, quæ vel hominis impetu effugiunt, vel peccandi periculo se subtrahunt, modo tamen justitia non violetur, & Monasterium seu quoad Spiritualia, seu quoad temporalia bona nil damni sentiat; ac posteriorum quidem bonorum aliquid impendi posset vel ad magnum aliquod malum impediendum, vel ad magnum aliquod bonum faciendum. Extat Congregationis Cardinalium decisio, quæ favet sententiæ huic, quamque affert Zerola *v. Moniales prax. Episc.* in hæc verba: *Mulieres, quæ sunt in discordia cum marito, & ejus sævitiam timent, si extra culpam sunt, quamdiu justam causam timendi habuerint, debent, si sunt in Monasteriis, tolerari.* Id porro minime ciendum esset, si quid in Familiæ Statutis, quæ quidem violanda non sunt, contrarium occurreret. Ita quidem Navarrus *l.* 4. consiliorum *de divortiis cons.* 5. His addi potest, eam praxim esse Magistratuum Jurisprudentia firmatam, ac fere Monasteria asyli loco esse non paucis, quos vis obrueret, nisi iis præsto essent ea tuta ac sacra perfugia, quibus nunquam non auctoritas publica, & Principum potestas patrocinator.

Decisum in Sorbona die 4. Octobris an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Ingressus in Monasterium Monialium.

CASUS XLIX.

1 *Episcopus, qui suas consanguineas, aliasque Matronas in virginum Monasterium absque ulla necessitate introducit, in excommunicationem non incidit.*

2 *Peccavit ita se gerens, & Monasterii Superior, qui eum comitabatur, eum monere, & ab ejusmodi concedendo ingressu avocare debebat.*

QUÆSITUM.

Quidam Episcopus nonnullas suas consanguineas, aliasque Matronas inducit in Monasterium, quod in ejus Episcopali Urbe situm est; Monasterium hoc in Congregationem reformatum est, atque Ordinario subjectum. Prælatus Matronas, quæ sibi a comitatu sunt, per omnia regularia loca ducit; non repugnat Monialium Superior, eumque, frequenti Communitate, aliisque Præsulis asseclis spectantibus, comitatur. In hac facti specie quæritur ex Sorbonæ Doctoribus;

I. An non Prælatus, & qui ei a comitatu erant, excommunicationem subierint?

II. An non Superior repugnare, & Episcopum monere debuerit, id vetitum esse Ordinis Constitutionibus, quæ ita habent: *Mulieres intra septa regularia Monasterii introducere, vel recipere, aut immorari permittere est interdictum, nisi in casibus a jure expressis. Qui contra fecerit, pœnam excommunicationis ipso facto incurrat juxta summorum Pontificum decreta.* Tum vero an non ille se subducere debuerit, ut scandalum evitaret, ac ne ejusmodi ingressum præsentia sua probare videretur?

III. An cum nil horum fecerit, non censeatur præsentia sua, & ut Prælato gratum faceret, id ipsum permisisse; atque ita an non in excommunicationem inciderit?

IV. Facta hypothesi eum in excommunicationem lapsum esse, cum res publica fuerit, Urbique universæ, ac Monasteriis proximis innotuerit, an non debeat absolutionem petere, atque efficere, ut Communitati suæ de eadem absolutione constet?

V. An vel de absolutione obtinenda, vel de ea declaranda nequaquam sollicitus possit Superioris, qui regularis supponitur, functiones obire, atque an non tamquam notorie excommunicatus spectandus sit?

VI. Quomodo Moniales hoc temporis intervallo debeant cum eo se gerere, cum ex ejus conniventia non nihil inter eas schismatis extiterit, aliis eum excommunicatum censentibus, excusantibus aliis?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, antequam propositis quæstionibus satisfiat, animadversione dignum esse, (a) Tridentinam Synodum sub pœna excommunicationis *ipso facto* prohibere, ne quis in Mulierum Monasteria, Episcopo, vel Superiore non expresse annuentibus, ingrediatur. Quo loco non abs re fuerit reputare, Concilium hac prohibitione nec Episcopum, nec Superiorem complecti; ut proinde, cum res longius deducendæ non sint, & in hac facti specie agatur de stricti nominis jure, si Episcopus, vel Superior absque necessitate in Monialium Conventum ingrederentur, sint quidem ambo graviter peccaturi, at excommunicationem minime subituri.

Gregorius sane XIII. in Bulla, quæ numero 28. est, §. 2. excommunicat *ipso facto* vel Episcopum, qui citra necessitatem Religiosarum Monasterium subiret, at excommunicatio hæc eum tantum afficit, qui semel, iterum, ac tertio id facere non dubitaverit. Nempe semel ingressum Ecclesiæ aditu Pontifex interdicit; bis ingressum suspendit; si denique tertio recidat, tum demum excommunicatum pronuntiat: *serio monemus*, inquit, *ut facultate hujusmodi qui eam habent, præter quam in casibus, ut præfertur, necessariis neutiquam utantur. Quod si contra fecerint, statuimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, pro prima vice, qua contra fecerint, ingressu Ecclesiæ interdictos; pro secunda, munere Pontificali, & a divinis suspensos; ac deinceps ipso facto, absque alia declaratione, excommunicatos existere; Regulares omni officio ac ministerio privatos, similiter excommunicationi subjacere.* Consuli possunt Barbosa, (b) Riccius, Sanchez, aliique complures ita sentientes.

Objici tamen potest, Bullam hanc non ubique receptam esse; sunt enim Provinciæ, in quibus indicta non fuit, & in quibus in usu non est; atque ita ut cognoscatur, an excommunicatio, vel aliqua alia pœna Ecclesiastica adversus Superiores existat, cujusque Diœcesis disciplina peculiaris ob oculos habenda est. Atque hoc quidem posito, respondetur,

Ad quæstionem primam, Episcopum, ita & ejus comitatum, cui quidem in hoc negotio ipsius permissionem præsto fuisse censetur, in excommunicationem non incidisse. Ut ita statuatur, efficiunt Tridentinæ Synodi verba loco laudato; nec repugnat Constitutionis articulus in expositione in medium adductus, quippe qui nec Episcopi, nec Superioris ullam singillatim mentionem faciat; nempe tantum loquitur universim: *Qui contra fecerit, pœnam excommunicationis ipso facto incurrat*. Id de hoc articulo asseri potest, quod supra de Tridentinæ Synodi, quoad Monialium clausuram subeuntes, definitione dictum est. Cum enim de excommunicatione, ac proinde de rebus odiosis agatur, Monasterii, de quo quæritur, Constitutio restringenda potius est, quam extendenda.

Bullæ, seu Decreta Pontificum, de quibus in hac eadem Constitutione sermo est, *juxta summorum Pontificum Decreta*, vel peculiares Bullæ sunt eam confirmantes; & hoc in casu videndum est, an eædem Bullæ de Superiore vel Episcopo nominatim loquantur, quod non fit vero simile, quia si ita se res habuisset, id in allato clausuræ articulo prætermissum non fuisset. Vel Constitutionis articulus ad Gregorii XIII. Bullam refertur. Porro Pontifex hic, ad Episcopum quod spectat, tum solum excommunicationem infligit, cum ille Monialium clausuras tertia vice citra necessitatem ingreditur. Consequens ergo fit, nec Episcopum, nec Superiorem in excommunicationem lapsos esse; Superiorem, inquam, quia ipse neminem introduxit, sed tantummodo Episcopum ingredientem, multosque personas, viros, ac mulieres secum ducentem aspexit.

Ad quæstionem alteram; quoniam pro certo ponitur, minime necesse fuisse, ut Episcopus, qui harum Monialium Ordinarius est Monasterium subiret, & secum fæminas, aliosque duceret, ideo eum peccasse statuitur, idemque sentiendum de superiore, qui, qua par erat, observantia non eum commonuit, ut ab ejusmodi ingressu revocaret, nisi gravis aliqua ratio, qua excusaretur, e præsto fuerit.

Ex hactenus dictis facile intellectu est, nullum locum cæteris propositis quæstionibus superesse, quippe quæ Episcopum ac Superiorem, quod tamen secus habet, excommunicatione innodatos ponunt. Id unum supererogationis gratia hoc loco addi potest, esto Superior regularis excommunicatus esset, eum nec denuntiatus, nec juridica aliqua Sententia sit ejusmodi declaratus, ei semper parendum esse, neque enim quempiam notorie excommunicatum esse satis est, ut quoad forum externum proprio officio ac ministerio privetur. Præter hanc notorietatem, quæ publica sit, Juris quoque notorietas requiritur, nempe Judicium, quo quempiam in excommunicationem incidisse declaretur. Peccat sane excommunicatus non denuntiatus, cum suas spiritales functiones obit, & ut antea, Jurisdictionis Actus exercet, qua quidem quoad forum internum spoliatus est, sed iidem tamen Actus non minus quoad forum externum validi sunt.

Decisum in Sorbona hac die 20. Novembris an. 1702.

G, *Fromageau*.

Variæ difficultates, ad Moniales quod attinet.

CASUS L.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut solvant difficultates non paucas, quæ in Virginum Abbatia quadam occurrunt, quarumque enodatio ad ejusdem Abbatiæ administrationem, rectumque ordinem non parum conferet.

QUÆ-

(a) Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. de Regularibus.

(b) Riccius decis. 544. n. 3. Sanchez. lib. 6. Moral. c. 56. n. 98.

QUÆSITUM.

I. An Reformatæ Familiæ Abbatissa potuerit tuta conscientia, excepto susceptæ possessionis die, promiscue ac vulgo per quindecim continuos dies ac deinceps Servos a pedibus, & Aurigas, ut Moniales & Pensionariæ veherentur, atque oblectarentur, in clausuræ Hortos recipere?

II. An perficere potuerit, ut in Hortis, & in loco, qui Communitas dicitur, secum, vel una cum suis neptibus utriusque sexus personæ sæculares, alique prandcrent?

III. An permissionem, quam una e suis consanguineis ab Episcopo obtinuit, extendere ipsa potuerit ad utriusque sexus personas, quæ eam, quoties accessit, comitabantur?

IV. An ædificationis, vel reparationis prætextu eos omnes potuerit excipere, qui se aliqua Architecturæ, atque ædium struendarum peritia imbutos ajebant?

V. An exiguarum, levisque momenti reparationum prætextu potuerit ad plures menses Laico elaves relinquere, quibus pro libito januam exteriorem clauderet, aperiretque, cujus post reformationem nullus alius usus extitit, quam ut ligna inferrentur, alia interea temporis clausa janua, quæ exterius omne commercium impediebat, atque adeo per id provisionis tempus clausuræ loco erat?

VI. An Frater Laicus, qui se Clericum dictitabat, per ejusmodi januam de more migrare potuerit, non ignorans, quam id Incolis scandalo esset; atque an fictitii negotij, ut disponendi, portandi, detergendi, ut Conversorum mos est, Frater hic diebus singulis, atque adeo, quibus minime deceret, horis in clausuram, ac regularia loca penetrare potuerit?

VII. An Scripturas in Archivio videndi vel quærendi prætextu potuerit Abbatissa ante suum ingressum homines mittere, ac deinde pati hos ipsos homines integro non unius diei spatio huc illuc per Monasterium excurrere, secum prandere, atque adeo ad nonam usque pomeridianam horam ibidem consistere, ut aliquando contigit? An Moniales Reformatæ de ejusmodi abusibus, deque fractis clausura ac Regula non teneantur in foro conscientiæ apud Diœcesanum Episcopum conqueri, non putantes id genus ingressus eum permisisse?

VIII. An eædem Moniales possint, haud violata secreti fide, de laxatione, ac regulæ transgressione, quam Abbatissa commisit, aut toleravit, apud eumdem Episcopum queri, & Visitatorem a dicto Episcopo nominatum, & superiorem legitimum petere?

IX. Animadvertendum est, Bullam, quæ dictam Antistitam atque Abbatissam constituit, jubere, ut ipsa reformationi det operam, seque Familiæ Instituris conformet, & intra trimestre spatium ab inita possessione, fidelitatis & subjectionis sedi Apostolicæ juramentum, suo, & Diœcesani Episcopi sigillo munitum mittat; quod tamen eadem Abbatissa non præstitit.

X. Neque illud omittendum, a summo Pontifice spiritale Abbatiæ regimen bis tantum conditionibus eidem concedi.

XI. An Abbatissa potuerit ex Abbatiæ suæ consuetudine nominare & conferre de juris plenitudine Beneficium Subdiaconatus Familiæ, quin Sanctæ Sedi paruerit, quin consilium suum aperuerit vel Priorissæ, vel Discretis, vel Communitati, ad momentum usque illud, quo inita est possessio ipsius Beneficii, quod in hominem ei possidendo per Canones inhabilem contulit; quoniam Frater est Congregationis Oratorii, est Laicus, est prorsus illitteratus, ac ne latine quidem scit. Quæritur, an Frater hic, qui se Tonsuratum venditat, & cui in Sacristia Calices, & Vasa sacra tangere per Episcopum licet, possit tuta conscientia omnia Subdiaconi munia vel sua ipsius privata auctoritate, vel de Abbatissæ mandato in solemnibus Missis obire?

XII. An non Moniales in hac facti specie teneantur in foro conscientiæ ejusmodi nominationibus & collationibus refragari, deque iis Episcopum certiorem facere, qui pro rerum gravitate prospiciat, ipsarum privilegiis seu commentitiis seu genuinis nihil obstantibus?

XIII. An Abbatissa potuerit tuta conscientia, quin Bullæ clausulis obsequeretur, & absque expressa Sanctæ Sedis, propriique Diœcesani Episcopi permissione in Monasterium reformatum Moniales sex non reformatas, atque Ancillas sæculares introducere.

XIV. An ejusmodi Moniales intrusæ non reformatæ ornatus sæculares ac mundanos servare ac deferre potuerint, cujusmodi sunt vestis oblongior, specula, calantica, cincinni, cæteraque, quibus fœminæ comuntur, ac poliuntur; atque an eædem Moniales ita se gerentes ad Sacramenta accedere potuerint in reformata Familia, in qua non ignorant ex ejusmodi consuetudinibus scandalum, laxationem, pessimumque exemplum existere?

XV. An Moniales reformatæ possint eas, de quibus modo, in societatem recipere, quin eas Novitiatui subdant, vel reformationis habitum sumere cogant, ut cæteris se omnino conforment, etiamsi dispensationem aliquo prætextu obtinuerint?

XVI. An Moniales Abbatiæ Sancti Benedicti sæculares puellas tanquam Benefactrices ad Probationem, atque adeo Professionem recipere possint, quin eas jubeant habitum sumere, & reformationis Observantias, atque Instituta servare?

XVII. An reformatæ Familiæ Abbatissa mitigationis habitum ac velum ferre ipsa, & Monialibus non reformatis tribuere possit, etiam postquam Bullæ conditionibus est satisfactum, atque ab ipsa deferens, aut tribuens non reformatarum habitum, haud ex jure caderet, quo gaudet in spiritualia?

XVIII. An Moniales reformatæ S. Benedicti possint scrutinio, vel aliter ad Professionem admittere Monialem Familiæ reformatæ S. Dominici, quam probe norunt Familiæ suæ reformationem amplecti nec posse, nec velle, quæque Probationis tempore nullam Novitiæ functionem edidit, nullamque ex earum reformationis regularibus, & gravibus observantiis custodivit, cujusmodi sunt abstinentia, vigiliæ, jejunia, & disciplinæ?

XIX. An Abbatissa obedientiæ prætextu, coactione, minis, vel precibus quorumdam Actorum, seu Litterarum, quæ ex diametro cum veritate seu charitate pugnabant, subscriptionem exigere potuerit, vel ut eam, quam ipsa tenebat, laxiorem vitæ rationem tueretur, vel ut eam reprobaret, quam Moniales ipsi oppositæ, & laxationi repugnantes servabant? An eædem Moniales non teneantur in foro conscientiæ id, quod subscriptione firmarunt, de scripto retractare vel publice, vel saltem privatim, ne veritas mendaciis obruta jaceat?

XX. An in hac facti specie Moniales reformatæ non teneantur in foro conscientiæ ejusmodi Professionibus adversari, præsertim non ignorantes ex his receptionibus abusus, laxationem, discordiam, quam timebant, existere? Id quod illæ per epistolam totius Communitatis nomine significarunt; certiores cæteroqui factæ, subreptitium Breve translationis Monialis, quod sibi exhibebatur, sibimetipsis falso declaratum fuisse a Sæculari tunc in clausura, animo extorquendi quod fecit, earum consensum de scripto, falsæ expositionis specie, cum diceret captiosis verbis & minarum plenis, illud Breve Jussionem esse, qua iis mandabatur, ut Pontifici, cui se subdere debebant, obedirent; scientes præterea dictum Sæcularem sibi explicuisse Translationis vocabulum, ita ut illud Pensionariis accommodaret, quin ipsæ Actum subscripserint, non ignorantes, Abbatissam, dictumque Sæcularem coram testibus die ipso subscriptionis ac postridie sibi denegasse participationem, atque exemplum Brevis, ne illud ostenderent Confessariis ordinariis, aliisve Presbyteris, id quod optabant, ut nempe veritatem detegerent, de qua dictus Sæcularis ipsas celabat caute admodum ac subdole, ut, quod obtinuit, extorqueret, subscriptiones Monialium, quarum animos etiam privatim sollicitavit, per Familiam ultro citroque discurrens, ubi cum Abbatissa pransus, ad usque nonam horam vespertinam, & amplius constitit, ut quod in animo habebat, perficeret, idque absque ulla Diœcesani Episcopi permissione, ea ne

significatum quidem fuit dictum Breve nisi post informem, & irregularem Diœcesani Monialis translatæ pronuntiationem.

XXI. Præter essentiales defectus, qui in Brevi, & in ratione, qua impetratum fuit, animadverti facile possunt, animadvertendi sunt defectus publicationis, quæ facta est absque accurata inquisitione de vita & moribus, & quin Episcnpus, in cujus Diœcesim Monialis transferenda erat, de negotio cognovisset, ejusque responsnm expectatum esset; id quod & Breve nullum, & pronnntiationem nnllam efficit, esto dicti Brevis execntio, & ex consequenti habitus susceptio non essent, ut sunt, omni consueto Juris ordine destitutæ.

XXII. Sciendum est, suscepti habitus diem nec Communitatis, nec Priorissæ reformatæ, nec Discretis significatum ac declaratum fuisse, pulsatum non esse tintinnabulum ad Capitulum congregandum, sumptam fuisse horam post Vesperas, & mentalis Orationis tempore, ut ea cæremonia perageretur, in qua tantummodo dictum fuit submissa voce: *Veni creator Spiritus*, quin ulla servaretur cæremonia reformationis, cujus ne habitus quidem datus est, sed mitigationis, qui traditus fuit coram multis sæcnlaribus utrinsque sexus personis, quæ in Monialium Choro aderant, absque Diœcesani Episcopi permissione, ita ut earum, quæ aderant, fæminarum una eam habitus susceptionem confecerit; id quod omnes tanta admiratione perculit, ut nemo verbum diceret, excepta Sub-Priorissa, quæ præsidebat, quia Priorissa ægrotabat, quæque dictæ Priorissæ nomine contra banc habitus sumptionem reclamavit is fere verbis: „ Is in Familia nostra mos obtinet, ut „ Communitas & Priorissa moneantur, de ejusmodi cæremoniis, ante quas pulsatut campana congregationis Capituli, tum vero servantur quædam formulæ & consuetudines nostræ Familiæ reformatæ, cujus habitus sumitur; præterquam „ quod Communitas non ea intentione fuit, ut puellam tanquam Religiosam, sed solum tanquam Pensionariam reciperet „. Reclamatio hæc interrupta fuit a sæculari fœmina, quæ Sub-Priorissæ silentium imposuit, eamque ad legendam Regulam misit; eoque temporis puncto Priorissa ægrotans supervenit, quæ videns eam sæcularem fæminam, quæ suppositæ Novitiæ, dum indueretur, extremam manum imponeret, oppositionem snam, suamque appellationem tanquam ab abusu allatis de causis pronuntiavit coram omni Conventu; & Sæcularis Priorissæ silentium imponere voluit.

XXIII. Animadvertetur obitet, dictam Priorissam oppositionis, & appellationis suæ Actum obtinere non potuisse, quamvis ipsam ex Abbatissa pluries petierit coram testibus, quorum alter Abbatiæ Medicus erat, alter Canonicus; & Capituli Secretaria dictum Actum expedire non est ausa, deterrita coactionibus & asperitatibus, quas subire videbat Priorissam, aliamque veteranam, quæ 63. ab hinc an. in hoc Monasterio magna cum pietatis laude vetiatur.

His omnibus ponderatis, quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, I. An hæc Priorissæ oppositio eam vim habeat, ut Professionem faciendam, aliasque, quæ deinceps vel cum Sanctæ Sedis dispensatione mitti possent, impediat? II. An Moniales reformatæ non teneantur in foro conscientiæ Antistitæ se se addere, suamque pariter oppositionem producere, ut declarationem nullitatis Professionis obtineant? III. An si placeat Professionem propter Brevia nullitatem redintegrari, eædem Moniales refragari non debeant? IV. An si Abbatissa in præsentia promitteret se reformationis habitum, institutumque sumpturam, satis proinde spiritualis administrationis possessionem sibi servaret, præsertim cum constet, Constitutiones, quas edere vult, non nisi ad laxationem referri? V. An Abbatissa, cum Bullæ clausulis non satisfecerit, Priorissam, Officiarias, & Discretas deponere ac mutare possit, & nulla in ipsam oppositoi instituenda sit? VI. An dicta Abbatissa Confessarios extraordinarios iis, quæ refragatæ sunt, denegare potuerit? VII. An in ejusmodi vexatione Priorissa a Sacramentis abstinere debeat, retinena in animo cbaritatem ac reverentiam, qua Antistitam suam prosequi debet, atque an non cuivis Sacerdoti ab Episcopo approbato confiteri possit? VIII. An Abbatissa possit venditionis & emptionis Contractus edere sola, & inscia Communitate? IX. An ipsa potuerit suppositam Novitiam post habitus susceptionem tanquam Pensionariam perpetuam Communitati proponere, quam reformationis disciplinæ custodiendæ imparem sciret; atque an Moniales eam hoc quidem titulo recipere possint? X. Quid consilii ineundum Monialibus, facta hypothesi Abbatissam velle dictam Novitiam cum sex mensium dispensatione, vel post annum ad Professionem admittere?

R a s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Reformatæ Familiæ Abbatissam non potuisse, ut fecit, per quindecim continuos dies, & amplius Servos a pedibus, Aurigas, & Currus introducere, nt Moniales & Pensionariæ in clausuræ Hortis veherentur, atque oblectarentur. (a) Tridentinæ Synodi in hanc rem verba sunt luce clariora: *Ingredi intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, & conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia in Scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda*. Tridentinæ sanctioni concinit Constitutio Blesensis *art. 31. Nemini liceat, cujuscumque gradus, sexus, vel ætatis fuerit, dictorum Monasteriorum clausuram ingredi absque licentia de scripto Episcopi, vel Superioris, in casibus necessariis tantum, sub pœnis Juris*. Idem statuit celebris Congregatio Cleri Meloduni babita an. 1579. *cap. de reformatione Regularum*. Quod deinde universa Gallicana Ecclesia amplexa est; ut proinde Abbatissa hæc nullam excusationem prætexere possit, dum sua potestate est abusa, sine necessitate, ac sine Ordinarii, vel Superioris permissu Sæcularibus aditum præbens; & hujus ipsa disciplinæ violatæ rea evaserit, sæculares utriusque sexus personas in clausura secum, aut cum suis neptibus prandere jubens. Atque ad duas priores quæstiones responsio ejusmodi est.

Ad tertiam; Non potuit illa personalem permissionem, quam una ex ipsius consanguineis ab Episcopo obtinuerat, ad utriusque sexus personas, quæ eamdem consanguineam, quoties accederet, comitabantur, extendere.

Ad quartam; Non potuit ædificatinnnm vel reparationum prætextu eas omnes personas introducere, quæ ajebant se harum rerum peritia pollere.

Ad quintam; Imprudenter se gessit Abbatissa, dum exteriores claves absque ulla necessitate, ac reparationum prætextu penes Laicum esse passa est; præsertim cum ea janua nonnunqnam exterioris clausuræ loco esset; eumque ingressus concedendi facilitas tantas possit suspiciones ingerere, quæ ei minus utiles futuræ sint.

Ad sextam; Frater Laicus, se Clericum venditans non potuit tuta conscientia per eam portam de more transire, non ignorans Incolas inde scandalum pati; ac negotia imaginaria prætendens, qualia sunt disponere, ferre, detegere, quæ Conversæ facere solent, non potuit hic idem Frater tuta conscientia diebus singulis, atque adeo horis minimæ congruis clausuram, & regularia loca subire.

Ad septimam; Abbatissa scripturas videndi & quærendi prætextu non potuit auctoritate sua in Monasterii clausuram bomines introducere, atqne una cum iis prandere. Quod si necesse foret ad scripturas inquirendas forenses homines in Monasterium induci, facultas ab Episcopo petenda esset, qui quidem, ponderata necessitate, quod sibi opportnnum videretur, pro Monasterii ipsius ntilitate statueret. Moniales porro reformatæ, si clausura fracta fuerit, tenentur in foro conscientiæ huic malo refragari, & propterea debent ad Superiorem confugere, eique suas querimonias exhibere, ut impediant, quominus tanti mali contagio latius serpat. Ac licet exemptæ forent, ad Episcopum tamen accedere tenerentur, si Superior nullum malo remedium afferret; quia nempe de clausuris cognoscendi jure gaudet Episcopus, & omnium Regularium Domiciliorum, ad hanc ipsam rem quod attinet, Superior est. Quod si no-

(a) Concil. Trid. Sess. 25. de Regul, cap. 5.

finovint Moniales quempiam ejus permissionibus abusum esse, cum de re tota monere debent; possunt eæ ipsæ da hoc abusu judicium ferre, si viderint, id, quod agitur, cum recta ordinis & regiminis ratiune pugnare; cum Superior minime censendus sit, Familiæ sibi concreditæ perturbationem afferre voluisse.

Ad octavam; Possunt Moniales tuta conscientia, non violata secreti fide apud Diœcesanum Episcopum conqueri de laxatione, de regulæ transgressionibus ab Abbatissa commissis aut toleratis, de coactionibus, atque acerbitatibus, quas abea perferunt, si videant ipsam minime resipiscere; atque adeo in foro conscientiæ ad id obligantur, cum disciplinæ in Munasterio servandæ nulla iis alia ratio præsto sit, quam ut ejus auctoritatem implorent, cui a Deo commissæ sunt, quique ipsis est præpositus, ut eas a vexationibus, quascumque pati possent, custodiret, servaret, & in Regulæ, cui sa adeo solemniter devoverunt, observatione contineret.

Ad nouam & decimam; Quod occurrit in Bullis quoad fidei professionem, ac jusjurandum, Tridentinæ Synodi Decreto, & Blesensis Constitutiunis articulo 10. maxime conforme est; repetit enim Blesensis Constitutio, confirmatque (*a*) Tridentinæ Synodi verba hæc, quæ in Abbatissam, da qua sermu est, optime cadunt: *Teneantur a die possessionis, ad minus intra duos menses in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus Vicario, seu Officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuras spondeant, ac jurent..... alioquin prædicti omnes provisi fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.*

Ad undecimam; Respondetur, I. Abbatissam, seu quemvis alium minime debuisse Presbyterale Subdiaconatus Beneficium nisi ei conferre, qui qualitates, quas Fundatio requirit, obtineret, vel intra annum comparare posset; ut proinde is, cui Beneficium collatum fuit, Ordinem in Fundatione declaratum debuerit intra aunum suscipere. Si ergo mandatur, ut qui Beneficium hoc obtinuerit, Subdiaconatus Ordine sit insignitus, debuit ille Subdiaconatum intra annum suscipere, (*b*) juxta Tridentinam Synodum, quæ id renovat, quod jam statutum fuerat in Clementina, *Ut ii, qui*, & præsertim in Capitibus, *Licet*, *Canon* & *Commissa*, quorum vi, qui Beneficia obtinuerunt, tenentur ad Ordines intra annum accedere, cum Beneficia postulant, ut provisi Ordinibus sint insigniti. Itaque ab Abbatissa provisus debuit ad Ordinem intra annum accedere; secus dictum Beneficium est impetrabile. II. Abbatissam solam providere potuisse, si ei titulus favet, aut consuetudo; atque usitatius quidem esse, Abbates & Abbatissas solos, quam dependenter a suis Religiosis aut Monialibus ad Beneficia providere. Quia tamen non desuut Beneficia, quæ non modo ab Abbatibus vel Abbatissis, verum etiam a Religiosis conferunrur, proinde consuetudini standum est; & in hac facti specie si Beneficium in commune cum Capitulo conferendum Abbatissa sola conferre voluisset, Provisio nulla foret. III. Ab Abbatissa provisum non potuisse solemniter Subdiaconi officium obire, nempe cum Manipulo, quippe qui careret Subdiaconatus Ordine, quin irregularitatem contraheret. IV. Abbatissam non debuisse Subdiaconatas Beneficium homini latine nescienti conferre, eumque defectum irregularitatis fundamentum esse posse.

Ad duodecimam; Moniales de malis, quæcumque in Monasterio grassantur, apud Episcopum queri possunt, siquidem Episcopus earum Superior sit, eidemque ipsæ subdantur; si enim exemptæ sint, debent initio statim ad proprium Superiorem accedere, ac si forte ille nullam querelarum rationem habuerit, ad Ordinarium confugere possunt.

Ad decimam tertiam; Abbatissa non debuit, seu ante, seu postquam perfecit id, quod ei de fidei professione præcipitur, Moniales sex non reformatas in suum Monasterium, commorandi gratia, absque causis gravissimis introducere; neque id facere potuit nisi & suo, & earumdem Monialium Superiore ob rationes canonicas annuente; aliter enim ad Monialium ipsarum, quæ propriis Familiis addictæ sunt, malum contulisset. Fieri sane potest, ut Moniales in aliud Monasterium recipi liceat, causa exempli si Monasterium, in quo degebant, corruerit, vel solum ad tempus, ut nempe disciplinam, quæ ab earum Monasteriis abest, ibidem animo imbibant; quibus in casibus, aliisve similibus Moniales tanquam Pensionariæ recipi possent; quod tamen non sine Superiorum auctoritate fieri liceret.

Ad decimam quartam; Moniales hæ, quippe quæ, ubicumque locorum fuerint, vitæ rationem propriæ Regulæ conformem tenere debent, mundo muliebri, de quo in Expositione dictam est, tuta conscientia uti nequeunt; nihilque eas in hac laxatione potest in tuto ponere; neque utiliter ad Sacramenta accedere possunt, nisi religiosam modestiam amplexæ fuerint, quæ sane cum calanticis, speculis, aliisque fæmineis concinnationibus constare non potest, quibus non modo Monialium iis utentium vanitas ostenditur, verum etiam paupertatis vorum, quod ediderunt, evertitur.

Ad decimam quintam; Moniales reformatæ nequeunt Moniales has in suam societatem recipere, nisi eas ad mentem rediisse cognoverint, ac persuasum habeant ex ea, qua eædem Moniales se gerunt, ratione ipsas omnino a mundi illecebris animum avocasse. Quia porro id nonnisi diuturna probatione cognoscere possunt; ideo tum solum nullus de iis dubitandi locus supererit, cum Novitiatum, prorsus at rectus ordo requirit, ediderint, & omnia Regulæ officia sedulo, accurateque perfecerint. Ad dispensationem quod attinet, siquidem illæ permoveri non debent, quia fieri potuit, ut ea ex falsa expositione a Pontifice concederetur, quippe qui puellas in Monasterium recipi nolit, quas iis qualitatibus, quæ Moniales decent, carere constiterit; præterquamquod earum receptio, vel rejectio a Familiæ electione pendet.

Ad decimam sextam; non aliud, quam quod ad præcedentem quæstionem allatum est, responsum afferri potest.

Ad decimam septimam; Reformatæ Familiæ Abbatissa, non mitigationis, sed ejus tantum Regulæ habitum præbere potest, quæ in ipsius Monasterio servatur, quia non ipsa mitigationis Antistita ast; ac si qua Abbatissa adeo oblivisceretur officii sui, ut id facere non vereretur, graviter punienda esset, sed pro Judicis arbitratu.

Ad decimam octavam; Moniales non possunt tuta conscientia puellam recipere, quam sciunt juxta ipsarum reformationem vivere nolle, quæque earum Regulæ rationem, abstinentias, jejunia, disciplinas &c. non servavit.

Ad decimam nonam; Abbatissa non potuit quocumque prætextu Monialas adigere, ut ad laxiorem ejusdem Abbatissæ administrationem firmandam, vituperandasque Moniales contra sentientes, adversus veritatem & charitatem agerent; atque ipsæ quidem Moniales, si forte in grave discrimen Munasterii disciplina adducatur, tenentur Superiorem de re tota certiorem facere, ne quid damni ex earum silentio Familia ac disciplina patiantur.

Ad vicesimam; Moniales ejusmodi Professionibus refragari debent; cæterum in hoc articulo exposita agendi ratio est maxime irregularis, nulloque prætextu excusari potest. Porro in Abbatissam, & in eum, quem illa in Monasterium induxit, Episcopus agere potest, tum ad violatam clausuram quod attinet, tum quod spectat ad fraudem, qua Moniales, Apostolici Brevis abusu, circumventæ sunt.

Ad vicesimam primam; peculiare distinctumque responsum exhiberi non potest, quia expositioni ea non sunt addita, quæ Breve ipsum consecuta sint.

Ad vicesimam secundam; Abbatissa nec mitigationi habitum tradere, nec contra Monasterii sui praxim & consuetudinem agere potuit. Cum Monialis S. Dominici non nisi Pensionariæ titulo a Monialibus recepta fuerit, nulla proinde est habi-

(a) Concil. Trid. sess. 24. de Reformat. c. 12.

(b) Concil. Trid. sess. 25. de reform. c. 5. Clement. ut ii qui. De ætate & qualitate. Cap. Licet Canon, & Commissa, de electione in 6.

tus susceptio, quam peregit, ac nulla pariter foret Professio, quam peregeret, tum quia mitigationis tantum habitum sumpsit, tum quia Moniales non eam, ut ex ipsarum Familia esset, receperunt, ac falsa Pontificij Brevis interpretatione deceptæ sunt. Negotium hoc totum irregulare ac præposterum est. Qui Monialium Chorum subierunt, in excommunicationem lapsi sunt, nisi Superioris permissu fecerint; ac Superior quidem, id si permisit, gravissimo se crimine obstrinxit, quod ultra necessitatem utriusque sexus personis clausuræ aditum patefecerit. Episcopus, cujus est vel exemptarum clausuræ invigilare, cognoscere debet de tota hac insigni sane, scandalique plenissima perturbatione, quæ adeo notoria ac publica est, ut nulla specie obtegi, si res ita se habent, ut sunt expositæ, nec nisi Juris vi reparari possit. Sub-Priorissa adversus agendi rationem tam parum religiosam reclamans egit pro munere. Jure obstitit Priorissa, semperque poterit appellationem suam tanquam ab abusu producere, quia abusus nunquam præscribitur, præsertim vero quem circumstantiæ adeo graves, ut a nemine prorsus sustineri possit, comitantur. In hac omni re vis tanta se prodit, ut negotium, ad quemcumque demum Judicem deferatur, nullam difficultatem subire possit. Abbatissa, quod egit, nec purgare potest, nec excusare; ut proinde Moniales reformatæ debeant pro viribus tam pravo scelestoque facinori reluctari, & contra Superiorem, a quo, siquidem exemptæ sint, in tam gravi negotio deseruntur, uti Diœcesani Episcopi auctoritate; qui quidem iis opem suam non conferre non potest, quippe cum juxta omnes Ecclesiæ regulas ex Superioris negligentia vigeat ejus auctoritas; eoque magis, quod præpositus est, ut non modo sibi subditas Moniales, sed etiam exemptas in ordine, atque officio contineat; cum hoc tamen discrimine, quod Superiores monere debent, ut Familiis eorum curæ concreditis prospiciant, cum in iis ab instituto, ac disciplina receditur; at si malo, quod constiterit, & scandalo fuerit, occurrere negligant, tunc quidem Episcopi longe maxima gaudent auctoritate, ut redigant prævaricatores ad cor, & ne malum propagetur, impediant.

Ad postremas demum quæstiones respondetur, in interno quidem foro, cum Moniales deceptæ fuerint, nec puellam, de qua sermo est, tanquam Familiæ suæ Religiosam receperint, omnino certum esse Professionem, quæ emitteretur, nullam fore; cum dispensatio conditione suspensa fuerit, & conditio non adsit, Pontificem in animo non habuisse eamdem concedere, & frustra Novitiatum ad sex menses redactum esse, cum hæc ipsa reductio eadem conditione nitatur. In foro autem externo, in quo judiciarius ordo locum habet, probandum esse, quod proponitur. Porro censeri ejusmodi probationes facile præsto fore, cum res adeo in aperto posita sit; præterquamquod si qui sunt in inquisitione atque enuntiatione defectus, haud facile tegi poterunt.

Decisum Parisiis hac die . . . . an. 1680.
A. *de Lamet*, G. *Fromageau*.

Sorores Moniales activa & passiva voce privatæ.

CASUS LI.

1 *Episcopus in Monasterio sibi subjecto potest Statutum edere, quo una aut altera ex Chori Monialibus activa & passiva voce priventur, quæ duas in eadem Familia Sorores habeant jam eo jure gaudentes.*
2 *Harum puellarum consanguinei non possunt citra Simoniam viginti mille libras offerre, & hanc quoque oblationem Monasterium citra simoniam acceptare non potest, ut nempe puellas eas duas voce spoliatas eo jure donet, ut in Antistitas eligi possint.*
3 *Non possunt consanguinei tuta conscientia a sæcularibus Judicibus petere, ut Statum adeo rationi consonum abrogent, vel eas duas puellas a Monasterio removeant.*

QUÆSITUM.

CUm in Monasterio N . . . . duæ sorores existerent Chori Religiosæ, tertia quoque & quarta sorores accessere, in eadem Familia Religioni nomen daturæ, & Chori pariter Moniales futuræ, prorsus ut priores duæ. Communitas iis declaravit, ipsas recipi non posse nisi ea lege, ut, quoad earum duæ priores sorores viverent, ipsæ activa & passiva voce carerent, ex omnium fere Monasteriorum consuetudine; quoniam vero de hac facti specie in Constitutionibus ne verbum quidem, Superior rogatus est, ut Episcopum, a quo pendet Conventus hic, ea de re certiorem faceret; qui declarationem eam justam, atque adeo necessariam judicans Statutum edidit in eamdem sententiam, quod quidem Communitatis nomine Superior subscripsit, & Constitutionibus inseruit. Soror tertia, quæ tunc in Probatione erat, de re monita est, ante quam Professionem emitteret; moniti sunt & consanguinei; atque Antistita Novitiæ significavit, si ad votorum emissionem admitteretur, id ea conditione fore, ut nulla prorsus vel activa vel passiva voce gauderet, sive ut Antistita renuntiaretur, sive ut aliquod ab electione pendens munus obtineret; jussitque, ut id animo reputaret, quippe quod fieri fortasse posset, ut eam progressu temporis pœniteret. Sed puella obedientiam testata, tam justo ac tam recte edito Statuto volens lubensque se subdidit; ergo iis ipsis conditionibus vota emisit; & paulo post quarta soror in eamdem rationem professa est.

Sed illæ decursu temporis a proposito recesserunt. Refragantur, ac minitantur futurum, ut adversus Episcopi Statutum sibi prospiciant; iis se addunt consanguinei, & negotium urgere volunt; offerunt præterea Communitati libras viginti mille, siquidem posterioribus duabus sororibus id juris tribuerit, ut Prælationem consequi possint, consentientes, eas in cæteris rebus omnibus activa & passiva voce privari. Quod si Communitas renuerit, iidem consanguinei se easdem puellas duas educturos, & in aliud Monasterium transferendas curaturos, atque id quidem repetita earum dote, minitantur; addunt & illud, se idem negotium ad Sæcularium Judicum Tribunalia deducturos, ut Episcopalis Statuti, quod ipsarum quidem judicio injustum est, rescissionem obtineant.

In hac facti specie rogantur Sorbonæ Doctores, ut definiant;

I. An Episcopi Statutum abusivum sit?

II. An harum duarum puellarum sit justa contentio, atque an Communitas ut iis passivam, quam postulant, vocem concedant, possit oblatas viginti mille libras recipere?

III. An consanguinei ad sæculares Judices confugiendi jus habeant, ut puellas extrahant, & Monasterium compellant ad restitutionem dotis, quæ ad solvenda Regi jura, quæ Religiosis Domiciliis recens sunt imposita, collata est?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatum Libellum supplicem legit, existimat, ut difficultatibus ibidem contentis non sine ordine satisfiat, eas ad tres has præcipuas quæstiones redigi posse.

I. An Constitutio, quam Episcopus, cui Monasterium subjectum est, edita cum justitia consentiat? Quippe quæ sorores eas duas privat jure, quod ipsis per Professionem acquisitum videtur.

II. An consanguinei tuta conscientia viginti mille libras offerre, easque Monasterium percipere possit, in eum finem, ut eædem sorores duæ gaudeant passiva voce, atque adeo Antistitæ creari possint?

III. An consanguineis ipsis jus adsit ad sæculares Judices confugiendi, petendique, ut sibi liceat puellas educere, & quidem dote, quam illæ in Conventum detulerunt, restituta, nisi oblatio, quæ proponitur, acceptetur?

Respondetur ad quæstionem primam; quod in Monasterio, de quo agitur, Episcopus statuit, re-

cte

ƈe ac prudenter ſtatutum eſſe, ut diſcordiæ, ac rixæ anteverterentur in Monaſterio, in quo, ſororum numero non definito, omnes & ſingulæ activa & paſſiva voce gaudere poſſent. Id animo reputans D. Carolus in idem Monaſterium ſorores plures recipi vetat, exceptis quibuſdam caſibus quos recenſet: (a) *In Monaſteriis, in quibus Moniales pauciores ſunt quadraginta, duæ tantum germanæ ſorores aut tres, quæ ſint unius generis ac familiæ, recipi poſſint: Ubi vero plures ſunt quinquaginta, ibi tres tantummodo ſorores aut quatuor ejuſdem familiæ recipi liceat.*

Quæ porro poſt D. Caroli ætatem incommoda hanc ſororum in eodem Conventu multiplicitatem ſunt conſecuta, Cardinalium Congregationem impulerunt, ut rem hanc brevioribus terminis definiret. Gavantus (b) affert an. 1616. Declarationem, quæ de ſorore tertia recipienda ita ſtatuit: *Pro tertia ſorore duplicata portio debet ſolvi, & ſuffragio carebit in Capitulo, quouſque altera ex duabus primis ſororibus deceſſerit e vita. Congreg. Cardin. 26. Aug. 1616.*

Barboſæ ſententia, (c) puella in Monaſterium, in quo duas ſorores habet, admiſſa privatur activa & paſſiva voce, ac duplicatam dotem afferre debet. Addit Auctor hic in Religioſis Florentiæ Familiis id in more poſitum eſſe, & Cardinalium Congregationem in reſponſo ad Pragenſem Archiepiſcopum ita decidiſſe die 26. Auguſti an. 1616.

Eamdem rem in medium affert Cardinalis Corradus, (d) ejuſdemque ſententiæ eſt. Quamvis autem ea teſtimonia non omnino ac ſtricte obligent, evincunt tamen Statutum, de quo agitur, Eccleſiæ menti non adverſari, nihilque durius aut præter ordinem continere, quoniam Epiſcopus id omnino ſecutus eſt, quod laudati Auctores declarant, & nihil præterea, quod ſane facere potuiſſet, inſtituit.

Monialis quidem vi Profeſſionis Familiæ, cui adſcribitur, membrum evadit, ad omnia ejuſdem Monaſterii commoda jus obtinet, eamque facultatem acquirit, ut tum eligere tum eligi poſſit, id quod activæ & paſſivæ vocis nomine venit, ut ex ſexto Decretalium libro (e) licet intelligi; ſed ejuſmodi Decretales non adimunt Superioribus poteſtatem, qua gaudent ad majus bonum quoad nonnullas activæ & paſſivæ vocis jus ſuſpendendi, cum earum vox paci nocere, atque adeo perniciosum ambitum fovere poteſt; non iis quidem jus adimitur, ſed ejus tantum exercitium ſuſpenditur; qui ſane mos obtinet in pluribus Monaſteriis, in quibus Moniales juniores ad Capitulum non niſi poſt tres aut quatuor a Profeſſione annos accedunt. Quamobrem aſſeri poteſt eas Decretales non loqui de extraordinariis, qualis hic ipſe eſt, caſibus, in quibus ad Monaſterii libertatem ac pacem tuendam cenſet Epiſcopus fore apprime utile, ut una vel plures Moniales ad tempus aliquo jure priventur, quod Profeſſione adeptæ ſunt.

Ad quæſtionem ſecundo loco propoſitam reſpondetur, conſanguineos, multoque magis eorum puellas Religioſas graviſſimo ſe crimine obſtringere, dum viginti mille libras offerunt, ut ad Prælationem perveniant. Sane non aliunde provenit oblatio hæc, quam ex ambitione eo quidem pejore, quo magis Evangelio, quod vitium hoc execratur, & Eccleſiæ, nos ad dignitates & munia tanquam maxime periculoſa fugienda cohortantis menti contraria eſt. Abſcondit ſe Chriſtus Dominus, eum quærente populo, ut Regem faceret; ſemperque ſanctitate præſtantes viri ſe maxime alienos exhibuerunt ab ejuſmodi honoris gradibus, qui jubendi jus afferunt, non modo quoad eas animi dotes, quas iidem gradus requirunt, quaſque hi magni viri in ſe ipſis non agnoſcebant, ſed etiam, & quidem magis quoad animarum curam, quod onus eſt ipſis Angelis formidandum.

In hac viginti mille librarum oblatione aliud quoque peccatum occurreret, nempe veri nominis ſimonia; ita enim temporalis res pro ſpiritali daretur. Et ſane conſanguineorum & puellarum ea directe ac potiſſimam aſſet intentio, ut ad Prælationem, quæ ſpiritalis res eſt, perveniretur. Eo igitur animo ſumma hæc nec a conſanguineis offerri, nec vero a Communitate acceptari poteſt.

Quod attinet ad quæſtionem tertiam, non cenſentur parentes apud Sæculares Judices de Epiſcopi Statuto queri poſſe; neque enim vel parentibus, vel earum filiabus ulla legitima querendi cauſa præſto eſt. Statutum, quocumque modo ſpectetur, rectum eſt, nec Monaſterii Regulæ, nec Conſtitutionibus adverſatur; editum eſt legitima poteſtate, cui Monaſterium ſubjectum eſt; ac licet Superioris nomine ſubſcriptum non fuerit, ſatis tamen eſt, eum, dum illud Familiæ Conſtitutionibus adderet, declaraſſe id ipſum Epiſcopi auctoritate, & Communitatis conſenſu editum fuiſſe. Quid? Quod Statutum ipſum per ſe juſtum eſt; quoniam tendit ad Regularis Familiæ pacem ac libertatem tuendam a rixis, & a nimia poteſtate, quam privatæ Moniales ſibi deinde arrogare poſſent.

Hac de cauſa Cardinalis de Luca, (f) Tamburinus, Pelizarius, aliique Auctores crediderunt ex Cardinalium Declarationibus plures ſorores abſque peculiari permiſſu in unum idemque Monaſterium recipi non debere. Sed nihil eſſe, cur conſanguinei conquerantur, ex eo liquido conſtat, quod in propriam vocis privationem ſorores duæ conſenſerunt, ante ſuſceptum habitum, & ante editam Profeſſionem de tota re monitæ fuerunt; id ipſum æque atque illæ, conſanguinei noverunt: neutris ignotum Statutum fuit; ei ſe Moniales duæ ſubdiderunt; nihil eſt ergo, cur hoc quidem tempore conquerantur, & conſanguinei quidem ex Monaſterio, in quo Profeſſionem ediderunt, educant, multoque minus traditæ dotis reſtitutionem requirant. Addi & illud poteſt, fraudem eſſe eo rem deduci, ut hæ duæ ſorores paſſiva tantum voce polleant; quippe cum fieri poſſit, ut earum altera in Antiſtitam, altera in Sub-Prioriſſam electis, quatuor omnino ſorores activa & paſſiva voce gauderent; id quod Statutum, & quæ prius obtinebat, conſuetudinem de medio funditus tolleret, noviſque conteſtationibus anſam præberet.

Deciſum in Sorbona die . . . . : Julii an. 1692.

G. Fromageau.

Vide paulo infra Caſum LVI.

Moniales, quæ vulgo de Ave Maria, poſſintne Fundationes ſuſcipere?

CASUS LII.

Moniales, quæ ſanctæ Claræ primam Regulam profitentur, & de Ave Maria *nuncupantur, poſſunt ex præſenti jure, quod Tridentina Synodus ſtatuit, bona immobilia poſſidere, & ſuſcipere fundationes cum onere, & ſine onere.*

QUÆSITUM.

CEntum ab hinc annis & amplius Moniales primæ Regulæ Sanctæ Claræ, quæ Virgines de *Ave Maria* vulgo appellantur, nonnullos Contractus in legatorum piorum formam inter ipſarum veteres matres, ac Teſtatores aliquos olim contractos, alios quidem cum oneribus ſtipulatis, alios autem ſine oneribus amplexæ ſunt. Quia porro per Regulam & Conſtitutiones ſtrictæ paupertatis lege tenentur, & Regulæ capite ſexto ſtatuitur: „ Ut „ ne Moniales per ſe vel per interpoſitam perſo„ nam poſſeſſionem ullam proprietario jure ſuſci„ piant . . . . . Tum Altiſſimus &c. Teneantur „ quo-

(a) S. Carolus lib. 6. tit. de puell. ad Religionem admitt. n. 4.

(b) Gavantus in Enchirid. v. Monial. Noviciarum alimenta n. 8.

(c) Barboſa l. 1. de jure Eccleſiar. c. 44. n. 24.

(d) Corradus de diſpenſat. Apoſt. l. 5. cap. 5.

(e) Lib. 6. Decretal. cap. Nullas. cap. Indemnitatibus, cap. Ex eo, §. in Eccleſiis de elect.

(f) De Luca Relat. Curiæ Rom. diſcurſu 26. n. 25. Idem in Concil. Trid. diſt. 36. n. 6. Tamburin. de jure Abbatiſſ. diſp. 5. quæſt. 2. n. 5. Pelizar. tom. 2. tr. 10. c. 2. ſect. 2. q. 15. n. 22.

„ quoque Abbatissæ, quæ mihi succedent, omnesque Moniales id custodire ac servare mordicus ad finem usque, atque omnino nil possessionis, reditus, aut proprietatis per se vel per interpositam personam acceptent, seu recipiant, neque etiam justam rem, proprietatem dictam “. Et Statutorum ipsarum capite decimo mandatur præterea: „ ne Moniales ullam possessionem suscipiant, „ seu proprii quicpiam obtineant.

Ergo Moniales hæ ad suam pristinam paupertatem, & accuratam Regulæ ac Statutorum custodiam redire cupientes humiliter quærunt, quid sibi facto opus sit quoad Contractus, quos acceptarunt; ac ne Sorbonæ Doctores de sincera, atque ingenua, qua flagrant, propriæ Regulæ sanctitatem ac puritatem fideliter custodiendi voluntate Doctores Sorbonici dubitarent, Supplicationem suam, quo firmior certiorque foret, universæ ac singulæ subscripserunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum super Libello supplici sibi exhibito ita statuunt, ut, Tridentinæ Synodi Sess. 25. verbis attenta mente ponderatis, omnia Mulierum Monasteria, vel Sancti Francisci Ordinem profitentia possint immobilia bona possidere, cumque ejusmodi Regulam Synodus generali loquendi formula proposuerit, ea tantum Monasteria sint excipienda, quæ Synodus expresse nominat. Jam vero ab hac generali permissione tantummodo Capucinorum, atque Observantiam Fratrum Familias Synodus excipit; nec Moniales Ordinis S. Francisci, vel S. Claræ censendæ sunt hac exceptione comprehendi; eo Synodi verba: *Concedit Sancta Synodus omnibus Monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum, & Mendicantium, exceptis domibus Fratrum Sancti Francisci, Capucinorum, & eorum, qui de Observantia vocantur, etiam quibus aut ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

Hæc quoque Congregationis Cardinalium sententia est, ut ex iis licet intelligi, quæ ad Concilii explicationem additæ sunt, ubi refertur Declaratio diei 26. Martii an. 1591. Id etiam animadvertit Barbosa in laudatum Concilii caput, aliamque Declarationem Congregationis Episcoporum in medium affert, & num. 6. ita pronuntiat: *In hac exceptione Fratrum Minorum de Observantia non comprehendi Moniales Sanctæ Claræ refert decisum in addit. ad recept. Legum Navarræ fol. 258. n. 3. Nam Moniales omnes cujuscumque Ordinis bona stabilia in communi* habere posse, *non obstante earum* Regula, *resolvit fol. in select. Canonic. cap. 16. n. 3. ubi refert ita decisum a sacra Congregatione Episcoporum in Parmen. 26. Januarii an. 1596.*

In hunc eumdem modum Prosper Fagnanus hanc quæstionem decidit; animadvertit nempe, cum Synodus de virorum, ac mulierum Monasteriis mentionem faciat, dici non posse Fratrum nomine Moniales ibi comprehendi. Quibus principiis positis, facile intellectu est, nil causæ subesse, quamobrem Moniales Sanctæ Claræ primam Regulam profitentes, de *Ave Maria* nuncupatæ, Fundationes in sui gratiam editas, sive cum peculiaribus ac certis oneribus conjunctæ sint, sive non sint, abdicare debeant; ac posse tuta conscientia, & ex Ecclesiastici exterioris fori Jurisprudentia eas retinere.

Decisum Parisiis in Sorbona die 3. Februarii an. 1682.

Aug. *de Lamet.*

Novæ Constitutiones quoad Moniales.

1 *In Monasterio, in quo Constitutiones non satis distincte declarant, quomodo unaquæque Monialis in suo se Officio gerere debeat, per novas sanctiones scripto exarandas, & Superiorum auctoritate firmandas suppleri potest.*

2 *Hæ novæ sanctiones seu reformationes nihil erunt aliud, quam consilia, & Directorium veluti quoddam, nec in foro conscientiæ sub peccati pœna, nisi forte formalis contemptus adsit, obligationem inducent.*

QUÆSITUM.

Monasterii N .... Moniales orant, obtestanturque Sorbonæ Doctores, ut ad duas has quæstiones respondeant;

I. An rationi consonum sit, ut in Monasterio peculiares reformationes quoad omnia ac singula Officia statuantur, cum Constitutiones, quid singillatim servandum sit, non satis indigitant; atque an illud a Superioribus obtinendum sit, ut easdem novas sanctiones approbent?

II. An eæ sanctiones ita a Superioribus approbatæ, novæ necne Leges sint, novam obligationem Monialibus imponentes, atque an non ipsis, siquidem eas violaverint, nova occasio peccandi sint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut quæstionibus duabus occurrat, existimat quoad primam, Monasterio, de quo agitur, apprime utile fore, quoad omnia Domus Officia Sanctiones edi, quæ hactenus editis, ibidemque servatis distinctiores, certioresque sint, easdemque scripto exarari; ita nempe Moniales Officiorum suorum obligationes clarius meliusque cognoscent, ac diligentius, atque accuratius iisdem fungentur. Præterea si quæ dubitationes ac difficultates occurrerint, Officiaria, in quam se partem det, ex scripta Sanctione, quam consulet, facile intelliget. Excluduntur etiam hac ratione mutationes non paucæ, quæ in Officiis contingunt, ac novitates, quas privata auctoritate Moniales eæ vellent inducere, quæ melioris substitutionis specie a veteri consuetudine recedere in animo habent.

Has autem Reformationes, cum editæ fuerint, antequam Superioribus exhibeantur, personis harum rerum scientia præstantibus, ac potissimum, si fieri possit, ejusdem Ordinis Monialibus significari necesse est, ut collata plurium sententia, regulæ, quæ quidem singulis Officiis congruant, & usui sint, edi possint. Juverit etiam eas Monasterii Sanctimonialibus, si minus singulis, at senioribus ac sanioribus exhiberi, ut illæ de iisdem judicium ferant, videantque, an Familiæ conveniant, dignæque sint, quas Communitas, quæ easdem servare, atque executioni mandare debet, acceptet.

Quoad quæstionem secundam, respondetur Constitutiones has, cum approbatæ fuerint, ne dum Monialibus novam peccandi occasionem præbeant, potius in causa fore, ut illæ majorem in dies perfectionem, novumque coram Deo meritum consequantur, quippe quæ, novis Constitutionibus sibi facem præferentibus, suis quæque muneribus melius fungentur, quin ulla tamen immineat peccati pœna, quia nempe eædem reformationes non nisi in consilii ac directionis modum instituentur, ut nimirum Monialibus ad partes suas perfectius explendas, propriique status rationem magis magisque tenendam inservient. Hinc illud infertur, harum reformationum transgressionem, atque in iis servandis negligentiam peccatum non fore, nisi ob formalem contemptum, vel aliqua alia de causa. Et sane de iis idem judicium ferendum est, ac de complurium Monasteriorum Constitutionibus, quæ nullam peccati pœnam adjunctam habent, seu sub peccato non obligant, sed Directorii tantummodo rationem habent, suntque potius consilia, quæ Religiosis personis ad propriam Regulam perfectius custodiendam proponuntur, quam Statuta, ac præcepta.

Ex hactenus dictis facile intellectu est, haud in ejusmodi facti specie Leges onerosas esse, ac nedum perfectionem instituant, eam potius de medio funditus tollere. Monasterii, de quo agitur, Superiores doctrina magis ac prudentia pollent, quam ut ab iis, secus atque expositum est, regulæ proponantur; quas proinde Moniales hæ suis Superioribus, ut eas approbent, exhibere, easque scripto exa-

exaratas tenere debent, ut perfectius & uniformius easdem custodiant.

Decisum Parisiis die 20. Novembris an. 1703.
G. Fromageau.

Monialis Priorissa resignans, pensione sibi reservata.

CASUS LIV.

1 *Priorissa in titulum Religiosæ Communitatis resignare coacta, quod apud Communitatem ipsam pessime audiat, jure mediocrem pensionem ex proprio Beneficio percipere potest, ut in aliud Monasterium se se recipiat.*

2 *Curare debet, ut Romanæ Curiæ proviso patentibus Litteris confirmetur; secus pensione spoliari posset.*

QUÆSITUM.

MOnialis ex Abbatia, ut in Monasterio Ordinis S. Benedicti Priorissa Titularis esset, educta renuntiavit, Priotatum acceptans, juri ad Abbatiam, in qua Professionem ediderat, regrediendi. Possedit Beneficium triennii spatio; sed semper Monialibus reluctantibus, atque ut animo sunt ab ea maxime alieno, tum per se tum per interpositas personas eidem significare nunquam cessantibus, omnino par esse, ut se subducat, quippe quæ, earum quidem judicio, Monasterio regendo inepta sit. Superiores ipsi in Monialium sententiam descendunt, ac Priorissæ declarant, e Conventus bono esse, eam abdicare.

Persuasum ea quidem habet, id injuria ax se requiri, & cum ea sentiunt non panci pietate ac virtute præditi viri; sed intelligens se Monasterio utilem esse non posse, nec imperitandi studio affecta, Moniali probatissimæ, quam Superiorum æstimatione ac probatione gaudere novit, Beneficium suum resignavit.

In hac resignatione sibi 400. librarum, quas ad 300. deinde redegit, pensionem retinuit, quam quidem justam & canonicam credidit.

I. Quia ipsa ad pristinum suum Monasterium redire non potest, cum segressus juri renuntiaverit,

II. Quia non ideo recedit, quod nolit Monialibus deservire, sed tantum ut iis obsequatur, & gratificetur.

III. Quia cum necesse sit sibi, unde subsistat, suppeditari, non potest id sibi aliunde quærere quam, ex Familia, quam deserit.

Huic tamen pensioni refragantur Moniales, ajentes,

I. Eam non ultra triennium Monasterio deservisse; quod ad pensionem exigendam non sufficit.

II. Monasterium inopia laborare; se tamen paratas esse Priorissam simplicis Monialis titulo retinere. Reponit ea se ad eas non venisse simplicis Monialis nomine, sed ut Priorissa foret, & Familiam reformaret; cum porro id e voto non cesserit, Monialium culpa, quæ ipsam abire cogunt; sibi proinde a Familia solvendam esse pensionem, ut tanquam simplex Monialis alibi degat; pensionem autem 300. librarum adeo modicam esse, ut non minus in earum Monasterio impendere possit; si ibidem remanere, illudque sibi domicilium eligere velit.

Rogantur Doctores, ut difficultatem hanc expediant, definiantque; videlicet an Priorissa tercentarum librarum pensionem ex Prioratu, quem resignat, percipere jure possit?

RESPONSIO.

Doctores Theologi subscripti putant,

I. Priorissam minime debere sibi pensionem ex Prioratu, quem abdicat, reservare, siquidem ad Monasterium, e quo egressa est, regredi permittatur, eique jura, quibus antea gaudebat, restituantur.

II. Facta hypothesi eam ad illud Monasterium redire non posse, ex veteri consuetudine, ei satis justam causam esse, cur ex Beneficio, quod resignat, sibi modicam pensionem sumat, *subventionis causa, & ne resignans nimium patiatur dispendium ex sua resignatione*, ut in ejusmodi resignationibus declaratur; quoniam illa Beneficio se abdicans non potest alia ratione propriæ subsistentiæ consulere; estque justitiæ consentaneum id ei a Monasterio suppeditari, cujus Titularis Antistita est, quodque non deserit nisi Monialium id expetentium causa, & ut pacem in eadem Communitate tueatur.

III. Priorissam paupertatis, qua Familia laborat, ratione habita, debere pensionem, quam minimam potest, retinere, & id unum percipere, quod absolute necessarium fuerit, ut in aliud Monasterium recipiatur.

IV. Subscripti censent, pensionis, in Romana Curia institutæ solutioni Moniales non nihil refragari posse, nisi Priorissa initio statim ad Regem confugerit, & Litteras ad firmandam pensionem necessarias obtinuerit; secus enim a Romanæ Curiæ provisione tanquam ab abusu appellari posset, prout de pensionibus statutum est in Rescripto diei 24. Julii an. 1669.

Decisum Parisiis hac die 15. Julii an. 1674.
Aug. *De Lamet*, *De Burse*,
Le Feron, *Pirot*, *De Vuevin*.

Alia Monialis Antistita, quæ abdicat cum pensione.

CASUS LV.

1 *Ad Prælationem in Monasterio obtinendam pensio citra simoniam offerri non potest.*

2 *Episcopus sua tantum auctoritate usus non potest Antistitam ex triennali perpetuam facere.*

QUÆSITUM.

ANtistita Communitatis quadraginta seu quinquaginta ab hinc annis absque Constitutionibus institutæ cupit se cum pensione subducere; ejus postulatis favet Episcopus. Electiva ac triaonalis est ab origine Prælatio hæc. Quæ tamen proxime decesserunt Antistitæ duæ in perpetuum electæ fuerunt. Quia tamen ea Prælatio re quidem ipsa in Beneficii titulum erecta non fuit, Antistita, de qua agitur, puram tantum ac simplicem ejus dimissionem edere potest, ac si Ordinarius in animo habet ei pensionem statuere, id eo fit, quod illa pluribus in Monasteriis, quibus successive præfuit, diuturnam atque utilem operam Ecclesiæ navavit; quod ætate provecta, ac valetudinaria est; quod extra Monasterium hoc, in quo quidem post dimissionem consistere nequit, non habet, unde subsistat. Id igitur Episcopo consilii est; ut Antistita, quæ succedet, huic ipsi, quæ abdicat, pensionem, se ita jubente, persolvat.

Quamobrem quæritur, I. an in proposita facti specie pensio hæc promitti possit?

II. An Ordinarius auctoritatis suæ vi, nec expectato Communitatis consensu possit triennalem Prælationem mutare, eamque perpetuam reddere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita & quæsita vidit, existimat quoad quæstionem primam, I. facta hypothesi Monasterii consulentis Antistitam se abdicare, ut alterius electioni locum det, ea conditione, ut subsistendi gratia sibi pensio statuatur, simoniam fore, quæ abdicantem, electam, omnes denique, qui Conventionis hujus participes forent, Juris pœnis obnoxios redderet. Diserta est in hanc rem Pauli II. Bulla, relata *Extravag. comm. c. Cum detestabile*: *Per electiones*, inquit Pontifex, *postulationes, confirmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas simoniaca contigerit labe fieri; viribus omnino careant, in Ecclesiis, Dignitatibus, Personatibus, Officiis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam jus nullatenus acquiratur, nec inde faciat aliquis fructus suos, sed ad illorum omnium, quæ percepit, restitutionem sub animæ suæ periculo sit astrictus, statuentes, quomodolibet dando, vel recipiendo, si-*

mo-

mormun commiserint, nat quod illa fia., meditatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi a Romano Pontifice pro tempore existeate non possiat absolvi, præterquam in mortis articulo constitati. II. Quamvis nulla in hoc negotio vel expressa, vel interpretativa promissio, nulla pactio, aut conventio, nullaque proinde simonia locum haberet, rem tamen a scandalo immunem non fore, quia videntes non pauci eam, quæ succedit, vel eos, ad quos ea pertinet, pensionem solvere, eam quidem non nisi præcedentis conventionis vi solvi haud prorsus temere crederent. Itaque nec offerri pensio, nec concedi posse censetur. Sedes ipsa Apostolica refragaretur, & ejusmodi Conventionem tanquam abusum spectaret, ex quo quidem non levia incommoda possent existere, quia cum hæc pensio minime Beneficio nitatur, non nisi ex Monasterii bonis percipi posset, id quod magnis difficultatibus obnoxium foret. Quod si ex Monialis, quæ Antistita crearetur, bonis eam sumi placeret, Summus Pontifex propositionem tanquam divino Jure simoniacam rejiceret.

Qaoad quæstionem alteram; Ordinarius sua tantum auctoritate, ac citra Monialium consensum Triannalitatem, ut vocant, in ea, in qua instituta est, Familia mutare non potest. Cum enim in hac consuetudine nihil sit, quod Juri repugnet, eademque in Religiosis Ordinibus bene multis obtineat, penes Episcopum ejus mutandæ jus nullum est, nisi Moniales consenserint. Atque earum quidem consensu posito, ipse tamen tuta conscientia id facere non posset, nisi cum sedulo ponderasset, quid ad earumdem Monialium perfectionem utilius foret; ea quippe una & unica ratio est, qua Episcopus in hac facti specie moveri debet. II. In Monasterio, in quo regiminis ratio certa, ac stata non esset, in quo Prælatio modo triennalis, modo perpetua hactenus extitisset, in quo denique peculiaribus de causis nulla fuisset dispensatio, quæ quidem triennalis administrationis formam tantummodo suspendisset: posset Episcopus electionem definite, ut nempe vel triennalis esset, vel perpetua, ita tamen, ut in quamcumque se partem determinaret, Monialium consensum approbationemque expectaret, atque ita malum anteverteret, quod posset existere, si secus ageret, nec attento, ut par est, animo rationes eas ponderaret, quibus regiminis nititur ratio duplex, ut eligeret utiliorem, eam scilicet, in qua hactenus Familia se melius habuerit.

Decisum in Sorbona die 8. Februarii an. 1681.
Aug. *de Lamet.*

Moniales tres sorores, quarum una spuria est.

CASUS LVI.

1 *Consuetudo, quæ in Religiosis Communitatibus obtinet, postrema privetur jure suffragii, quoad ex duabus prioribus alterutra e vivis excesserit, optima est, fideliterque servanda.*

2 *Cum ex tribus sororibus senior Professa spuria est, natalium defectus suffragii jus eidem non adimit; nihil sane, quod id adimat, occurrit in Jure.*

3 *Quæ igitur cæterarum postrema recepta est, quamvis legitima, suffragii jure gaudere non debet.*

QUÆSITUM.

In mitigatarum Benedictinarum Monasterio vetus obtinet consuetudo, ut cum ibidem tres sorores Professæ sunt, duæ tantum priores in Capitulo voce gaudeant.

Hac in re peculiaris difficultas occurrit.

Ibi tres sorores Professæ sunt, senior est spuria, utpote ante Patris matrimonium nata, aliæ duæ sunt legitimæ. Priorissa Titularis testatur, se, cum Professionem edidit junior, eidem significasse, non nisi sororum alterutra fato functa, activam ei vocem fore, eam porro ultro atque alacriter assensisse, ac vota, rebus ita se habentibus, edidisse. Sane Antistitæ declaratio in Capitulo non est edita, nullusque ejus Actus scripto exaratus fuit.

Contendit nunc temporis Monialis hæc sibi super hoc articulo nil dictum fuisse, seque proinde suffragii jure gaudere; Priorissa vero contra stat; atque in facti specie quæritur.

I. An harum trium sororum una, communi Jure, voce privanda sit?

II. An priori vox adimenda, quia non est legitima, quamvis multo ante duas alias Professa sit, & vocis activæ diuturna possessione fruatur?

III. An cum soror hæc natu sit illegitima, non sit proinde servanda vox duabus aliis sororibus, quæ eo natalium defectu nequaquam laborant, quæque propterea a priori quodammodo sejunctæ sunt, *nulla habita ratione illius quasi separatæ & extraneæ?* Quo in casu singulis tribus suffragia relinqui posse videntur; atque ita quidem Communitatis simul, atque harum sororum trium jus servaretur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositis quæstionibus satisfaciat, animadvertit initio statim, edentem vota in Religione approbata Professionis vi ad Religionis commoda & prærogativas jus obtinere; de Jure communi activa & passiva voce gaudere; eligere & eligi posse *cap. ex eo. §. in Ecclesiis de elect. in 6.* Ex quo concludunt Auctores, ei jus esse, potiori de causa, de cæteris Familiæ negotiis, quæ minoris momenti sunt, deliberandi. Consuli in hanc rem possunt Pelizarius *tom. 2. tr. 9. c. 8. sect. 4. n. 123.* & Barbosa in laudatum caput. Statim a Professione ei jura adveniunt, nisi Regula, vel Constitutiones eadem jura possidendi tempus definiant; ut videre est in familiis non paucis, in quibus Professis nulla vox, nisi a Professione stato tempore; ut proinde in Jure Canonico nihil occurrat, quod impediat, quominus ejusdem Monasterii Moniales sorores tres habendæ vocis in Capitulo jus per editam Professionem obtineant.

Nec dici potest trium, de quibus quæritur, sororum prima ejusmodi voce privari, quod sit illegitima; nullo enim ex Canone propterea privatur; immo vero inhabilitas, vel irregularitas, *ex defectu natalium* proveniens per Religiosam Professionem tollitur; atque adeo qui absque dispensatione ad Sacros Ordines accedere antea non poterat, post Religiosam Professionem omnino potest *c. 1. de fil. Presbyt.*, quod sane longe gravius quiddam est, quam in Capitulo voce gaudere.

Edidit quidem Sixtus V. Constitutionem, *n. 71. v. Cum de omnibus* an. 1587. qua personas illegitimas ad Religionem suscipiendam inhabiles declaravit; sed Gregorius XIV. & post ipsum Clemens VIII. in Bulla *In suprema n. 83.* an. 1603. rem communi ordini restituerunt; atque ita persona illegitima potest vota edere, ac Religionis commodis & prærogativis gaudere, prorsus ut ante Sixti V. Bullam poterat.

Hoc posito, respondetur, trium primam, quamvis illegitimam sua voce privari non posse, quia jamdiu est, quod ejus possessione fruitur, & quia nullus, qui eam voce privet, vel in Jure, vel alibi textus occurrit; præterquamquod ejusmodi privatio eam quidem majore, quam tertiam dedecore, atque infamia afficeret, juxta tritum illud: *turpius ejicitur, quam non admittitur.* Quare sororum postrema suffragii jure privanda est, quia Monasterii, in quo ea versatur, id postulat consuetudo, ut ex tribus quatuorve sororibus ibidem receptis, duæ tantum seniores Professæ suffragii jus habeant.

Porro mos hic, ut ex tribus sororibus aut quatuor vox sit penes duas tantum, nec novus est, nec Monasterio, de quo agitur, peculiaris. Sanctus enim Carolus *Act. Mediolan. l. 6. tit. de puell. ad Relig. admitt.* n. 4. prohibet, ne plures sorores in uno, eodemque Monasterio, nisi certis in casibus, & hac ipsa conditione, recipiantur. Gavantus *in Enchir. v. Moniales, Novit. alim. n. 8.* in medium affert Congregationis Cardinalium diei 26. Augusti an. 1616. Declarationem, in qua statuitur, ut ex tribus sororibus Professis in eodem Monasterio existentibus duæ tan-

tantum priores voce gaudeant; eamdemque Declarationem Barbosa *tom. 1. de jur. Eccl. c. 44. n. 24.* & Cardinalis Corradus *l. 5. c. 5. de disp. Apost.* in medium proferunt, eamdemque sententiam tuentur.

Quamobrem cum mos hic in Communitarum favorem sit institutus, religiose servandus est, ut custodiatur libertas, impediantur que perturbationes & schismata, quæ sæpe contingunt, cum in eadem regulari domo existunt personæ plures, quæ natura, ac Sanguine sociatæ, suffragii jure universæ ac singulæ gaudeant. Ac ne dum extendatur ac multiplicetur in dubio votorum numerus, ad hujusmodi personas quod attinet, restringendus potius est, atque id omnino servandum, quod non aliam ob causam, quam in Regularium Familiarum favorem est instituta. Cæterum Moniales tres, de quibus agitur, veri nominis sorores sunt, & senior in hoc negotio tanquam legitima spectanda est; ex quo sequitur postremam Professam voce privandam esse.

Ex rationibus ac testimoniis supra allatis rationi consonum sit, ut Superior & Communitas consuetudinem suam pro viribus servare conentur; atque in hac facti specie trium sororum prima in activæ vocis possessione retineatur, in qua hactenus extitit.

Decisum hac die 15. Septembris an. 1694.
G. *Fromageau.*

Vide supra Casum LI. super hoc eodem negotio.

Monialis, quæ propriæ pensionis administrationem sibi ipsi vindicat.

CASUS LVII.

1 *Monialis, cujus Monasterium corruit, quæque a Rege pensionem obtinuit, quæque in alterius Ordinis Familiam non sine proprii Episcopi permissione se se recepit, hac pensione juxta Ecclesiæ regulas uti debet.*

2 *Eam Cellerariæ, vel alteri Moniali ab Abbatissa electæ committere debet. Expressa in hanc rem est Tridentina Synodus, eique parendum est.*

QUÆSITUM.

Monialis Ursulina, cujus Domus omnino collapsa est, a Rege bis mille librarum pensionem obtinuit, & cum eadem pensione in Cisterciensis Ordinis Abbatiam se recepit. Diœcesis, in qua erat, Episcopus ei permissiones omnes necessarias concedit utendi pensione ad propriam subsistentiam, & prout opus habuerit, sed ea conditione, ut eam dependentiam & subordinationem servet, quam Ecclesiæ regulæ, ac sacri Canones præscripserunt. In hac facti specie hujus Abbatiæ Confessarius Moniali mandat, ut Cellerariæ pecuniam committat, inquiens, eam, ni faxit, in æternæ damnationis discrimine versari, seque ei nec absolutionem impertiri, nec Sacramenta concedere posse.

Illa vero persuasum non habet eum jure facere; putat e converso, se, cum non amplius in Professionis Familia sit, proinde pensionem suam, cujus libras centum supra mille Conventui solvit, in quo degit, quod superest, in propriam sustentationem cum modo ac sine cupiditate, atque in nonnullas, quibus se obstrinxit, eleemosynas conferens, ipsam per se administrare posse. Addit illa pergrave ac molestum sibi fore, ut Cellerariam conquireret, quoties pecunia sibi opus esset, ac non temere se timere, ne sua ipsius pecunia in Abbatiæ commodum convertatur.

Quærit ergo Monialis hæc; I. an ita, ut est expositum, suam pecuniam impendens quicquam faciat, quod paupertatis voto, quod edidit, adversetur?

II. An teneatur in foro conscientiæ eam Abbatiæ committere?

III. An Confessarius ei ob hanc causam absolutionem, & Sacramenta negare possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, & expendit, existimat, Monialem, quæ consulit, uti non posse pensione, quam obtinuit a Rege, nisi juxta Ecclesiæ Regulas, quæ continentur in cap. 5. Sess. 25. Tridentini Concilii, ubi Regulares & Moniales jubentur nihil secum retinere, sed omnia sua bona Superiori tradere, qui ipsis eorum usum concedens impedire debet, ne quid existat paupertatis voto contrarium, ac ne quid supervacaneum, ita tamen, ut nihil necessarium ipse unquam deneget. In altero capite Synodus id ipsum persequitur, quod capite primo inchoaverat, mandatque, ut Religiosæ omnes personæ eam Regulam accurate custodiant, quam sunt professæ. His principiis positis, ad Monialis, quæ consulit, quæstiones respondetur, eam nempe propriæ pensionis pecuniam retinere non posse, sed omnino oportere, ut eam vel Abbatissæ tradat, vel Moniali ad id nominatæ, ad quam spectabit, ei, quicquid necessarium fuerit, suppeditare, ut Tridentina Synodus definivit; cum hoc tamen discrimine, quod cum Monialis Pensionaria Monasterio addicta non sit, ei proinde pensio incorporari non potest, quippe quæ Monialem ipsam, quo se cumque contulerit, sequi debet. Ratio porro, quam allegat, se nempe in Professionis Monasterio non amplius existere, non efficit, ut ne ea, qua cæteræ, sollicitudine paupertatis votum, quod edidit, servare teneatur, atque ita prorsus, ac si ibidem degeret. Cum enim rationem, qua votum servandum est, Ecclesia præscripserit, haud privatorum est ob plus minusve involutas causas secum hac in re dispensare; omnino subeunda sunt ea, quæ statum, qui susceptus est, consequuntur. Neque vero Monialis hæc majore cum molestia ibi, ubi est, consistere debet, quoniam Abbatissam tanquam propriam Antistitam spectare debet, quæ proinde teneatur in id incumbere, ut ipsa Religiosam paupertatem custodiat, quemadmodum Diœcesanus Episcopus non obscure significavit, dum traditæ permissioni conditionem paulo ante allatam apposuit. Nonnulli quidem Auctores, iique magni nominis putant, post Tridentinam Synodum Regularibus permitti posse, ut peculium & habeant, & administrent; at Consilium sententiam hanc firmare non audet, non ignorans judiciis omnibus super hoc articulo in Romana Curia prolatis eamdem sententiam rejectam esse, contrariumque decisum, ut ex Prospero Fagnano *in 2. part. 3. Decretal. de statu Monachorum- c. Monachi* licet intelligi. Quamobrem idem Consilium non potest, quin hujus Abbatiæ Confessarium laudet, probetque, qui ab hac Moniali exigit, ut Tridentinæ Synodi regulam servet, quæ in omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus Legis loco est. Merito Confessarius hic Cellerariam nominat, indigitatque, quæ pensionia Depositaria futura sit, quoad Abbatissa, quod potest, aliam nominaverit. Objicietur fortasse Concilium de iis tantum Monialibus loqui, quæ in propria Communitate versantur, non autem de cæteris; sed respondetur I. Synodum id ponere tanquam certum Moniales omnes in propriis Monasteriis degere; hæc nimirum generalis regula est; II. in Concilii Decreto omnes generatim Moniales nullis exceptis comprehendi, earumque officia pro singularum statu censeri: *Nemini Regularium tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis accepta, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim Superiori tradantur*. Decidit igitur Synodus, ne quid privatim, & tanquam proprium a Regularibus seu viris seu mulieribus possideatur; idque in eum finem, ut paupertatis votum accuratius servetur. Quapropter quæcumque Moniales voluerint promissa facere, Synodi definitioni fideliter obsequentur.

Decisum Parisiis in Sorbona hac die 29. Octobris an. 1589.
Aug. *de Lamet.*

Reli-

Religiosa, quæ ex Conversa fit Chori Monialis.

CASUS LVIII.

1 *Puella, cui, ut ex Choro esset, nihil defuit præter dotem, potest ejusmodi evadere, si Communitas assensum præbeat, quamvis non nisi Conversa sit.*
2 *Rationi consonum fuerit, Breve, quod ejus mutationem confirmet, eamque annua Probatione eximat, obtineri.*

QUÆSITUM.

CUm Filia-familias in Conventu non admodum divite Religionem amplecti vellet, cumque consanguinei tunc quidem ei non satis dotis statuere possent, ut illa Chori Monialibus adscriberetur, eam dotem, qua foret e Conversarum numero, suppeditarunt, obstricta fide dandi, cum possent, quod præterea ad Chori Monialem creandam requireretur. Hac ergo cogitatione Puella professa est. Vicesimus octavus est annus, ex quo ea Familiæ deservit, viribus magna ex parte in servitio consumptis; ut proinde consanguinei miseratione permoti, ac paulo melius habentes, quod dotis deest, Monialibus exhibuerint; itaque Capitulum coactum est, & ex octodecim Vocalibus tredecim quidem consentiunt, aliæ vero quinque ob causas non satis charitati consentaneas repugnant.

Quæritur, an hæc Monialis tuta conscientia in suscepto consilio persistere, atque amicorum gratia uti possit, ut votorum suorum damnetur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, cum de rationibus iis non constet, propter quas Moniales quinque pugnant, quominus Filia-familias ad Chorum admittatur, cumque ei duplo major votorum numerus præsto sit, posse proinde ipsam a Conversis ad Choristas migrare, omnibusque legitimis, congruisque rationibus uti, ut beneficium, quod Communitas se concedere velle non obscure significat, consequatur.

Sane ex Clementis VIII. Decreto die 19. Maji an. 1603. relato in Bullario n. 83. cujus Pelizarius mentionem facit *Tom. 2. tr. 10. c. 1. n. 8.* ita statuitur: *sed qui ad habitum Conversorum recepti fuerint, ad Clericatus statum transire, etiam durante tempore probationis, non possint.*

Vidi egomet in Patris Matthæi Augustiniani manibus Bullam Clementis X. in Augustinianorum gratiam, Lugduni apud Anissonium typis impressam, in qua mandatur, ut Conversus, ad Regularis Clerici statum transire volens Pontificis dispensationem obtineat.

Id quoque convenit, contendi posse, ut Conversus in Regularium Clericorum album referri cupiens, novam fortasse Probationem conficiat ex Congregationis Cardinalium arrogata Declaratione an. 1628. cujus *de Peyrinis tom. 2. de Prælato, quæst. 3. c. 1. §. 5. n.* 148. mentionem facit.

Sed respondetur, I. longe majus discrimen esse inter Fratrem Conversum, & Religiosum Clericum, quam inter Chori Monialem, & sororem Conversam; adeoque non eodem modo utrobique sentiendum esse; & sane utrorumque obligationes magnopere differunt.

Præterea non agitur hoc loco de Conversa, quæ, ut non nisi Conversa esset, recepta fuerit; ea quippe ad Chorum semper contendit, nihilque aliud obstitit, ne eo perveniret, quam quod consanguinei satis dotis eo tempore suppeditare non possent. Nunc vero ei favet votorum pluralitas; assentitur Superior; dotis satis est, ipsaque est eo dignior, quod per annos viginti octo Familiæ deservit.

Respondetur secundo loco, Peyrinium, qui ejus suppositæ Declarationis mentionem facit, eum ipsum asserere, ut ea certa foret, (quod tamen in dubium revocat) praxim quidem ei repugnare.

Sed tandem ne quis reclamandi locus supersit Monialibus quinque contra stantibus; utque omnia omnino scrupulus evellatur, par erit, ut Romana Curia adeatur, ac Breve obtineatur, cujus vi Monialis hæc ad Chorum gradum faciat, & a novæ Probationis obligatione eximatur.

Decisum die Julii an. 1700.
G. *Fromageau.*

Monialis, quæ in humana societate minus honeste vixit.

CASUS LIX.

1 *Monialis Professionem infamia nullam non efficit.*
2 *Quæ in eo statu professa est, potest jure suo Capitulis interesse, quoad ejus infamiam Superior declaraverit.*
3 *Cum infamia declarata est, Monialis activa & passiva voce privanda est.*

QUÆSITUM.

EST in Regulari Familia Statutum, quod a Professione Puellas infamia notatas arcet. Priorissa in cujusque Monialis Professione, interrogat, quicquam ne habeat, quod alicui Familiæ Statuto adversetur; ac puella respondente, nequaquam, declarat Priorissa Communitatis nomine eam a se quidem recipi ea conditione, & non aliter, ac puella acquiescit.

Recepta est Puella nescio quæ cum clausula jam declarata. Aliquanto post Professionem innotuit, eam, cum in humana societate versaretur, ex Presbyteri turpi commercio suscepto filio, Matrem extitisse. Id in præsentia Communitas probe novit. Quamobrem quæritur,

I. An hujus Monialis Professio rata, ac firma sit?

II. An, quamdiu ejus infamia occulta fuit, Capitulis interesse, & una cum cæteris deliberare potuerit?

III. An, infamia jam detecta, activa & passiva voce gaudere debeat?

IV. Quomodo Superior in hac facti specie se gerere debeat?

V. An Electiones & Professiones, quibus ea interfuit, validæ sint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum haud censet Monialis hujus Professionem nullam esse, quod infamiæ notam ante Professionem minime declaraverit.

Ratio est, quia communi Jure Professionem invalidam infamia non efficit. Sixtus V. in Bulla 71. an. 1588. edita inter eos casus, qui Religiosam Professionem nullam reddunt, infamiam referre voluit; sed hanc Bullam temperavit, & ad Jus commune redegit alia Bulla, quam Clemens VIII. an. 1602. vulgavit.

II. Cum nihil in Jure sit, quod evincat infamem emittendæ Professioni inhabilem esse, id non nisi peculiaribus, expressisque Statutis, a Sancta Sede approbatis declarari potest. Jam vero in expositione non dicitur, Familiæ Statutum ejusmodi esse, ut casus irritans infamia sit; sane in Professionis formula testatur Professa se infamiæ nota non laborare, ac Mater Priorissa eam a se hac tantum conditione admitti pronuntiat; sed Professio nulla fore non dicitur, si puella mentita sit; ac si id in Statutis occurreret, necesse foret ea quoad hunc articulum a Sancta Sede approbata fuisse, ut communi Juri derogare possent.

III. Ut ita omnino se res haberent, ac Jus infamiam casum irritantem esse decideret, non proinde tamen Monialis Professio nulla esset; ratio est, quia Professionis tempore nondum infamia nota erat, ejusque peccatum publicum, ea quidem publicitate, quæ reum infamem efficit, & ut ejusmodi habeatur, in causa est. Atque id quidem, ad quæstionem primam quod attinet.

Re-

Respondetur ad secundam, licuisse Moniali vocem in Electionibus exhibere, & in Capitulis, quæ habita sunt, una cum cæteris deliberare; id quidem dicta consequitur.

Respondetur ad tertiam, Monialem hanc, donec ejus infamiam Superior declaraverit, activa & passiva voce gaudere posse; tum vero voce privanda erit, tum ob criminis, quod publicum evasit, gravitatem, tum quia illa Communitatem fefellit. I. Digna est, quæ activa voce privetur, quia electio ex Jure *cap. solet de sent. excom. in 6.* legitimus Actus est; porro infamis persona legitimum Actum edere nequit ex Decretali *c. Sciscitatus de rescript.* II. Eam passiva quoque voce spoliari par est, ut nempe ad nullum officiam, quod cum aliqua Prælatione, seu cum aliquo honoris gradu conjunctum sit; ea tantum Officia, quæ nullo peculiari titulo insignita sunt, quæque simplices Obedientiæ dicuntur, ei demandari possunt; & sane tritum est illud ex 87. Juris Regula, Dignitatum januam infamibus parere non debere. Id declaratur expressis verbis in Decretali *c. Inter dilectos, de excess. Prælat.*

Ad quartam respondetur, Superiorem pati non debere, Monialem hanc, ut cum aliis de Monasterii negotiis deliberet, ad Capitula accedere, quoad eam ipse redintegraverit; eam tamen ab hac pœna solvere potest.

Ad quintam, Monialem, cum, servato Juris ordine, voce privata non fuerit, vocem suam ad Electiones, & Professiones conferra potuisse; nullumque proinde locum scrupulis superesse.

Decisum Parisiis die 15. Julii an. 1691.
G. Fremagtea.

Monialis, quæ morti proxima Professionem emittit.

CASUS LX.

1 *Puella, quæ post Probationis annum, & postquam rite ac recte recepta fuit, jam jam moriens, Communitate consentiente, Professionem emittit, vere ac proprie Monialis est, nec vota publice repetere necesse habet.*

2 *Antistita, quæ pinguioris dotis cupiditate, per vim Regulari habitu eam spoliandam, & Monasterio extrudendam mandavit, in excommunicationem incidit; idemque sentiendum de personis singulis, quæ in illatæ coactionis partem venerunt.*

3 *Confugiendum est ad Episcopum, ut puella Monasterio suo restituatur, & in eas, quæ ipsam inde expulerunt, animadvertatur.*

QUÆSITUM.

CUm Dominus M...... Secretarius Regis Cl..... filiæ in Monasterio S. Bernardi ejusdem Urbis Religionem amplecti volentis votis annuisset, accessit illa, atque admissa fuit. Promittit Pater Antistitæ, ejusque Adsistenti, se daturum 500. libras ob vestitionis impensas, & Novitiatus pensionem, 1000. libras Professionis die ipsa, & libras 100. pensionis annuæ.

Puella hæc, expleto Probationis anno, ad Professionem admissa est Capitulari conclusione, quam Antistita, Novitia, Pater, Superior de more subscripserunt.

Cum porro ea inibi esset, ut eamdem Professionem emitteret, in morbum, atque adeo in vitæ discrimen incidit. In hac rerum perturbatione vehemens edendæ Professionis desiderium, testante Puella, Superioris, Antistitæ, omniumque Monialium unanimis consensus interfuit; ergo Superior coram universa Communitate recepit ejus vota, eidemque velum exhibuit. Non excessit ea quidem e vivis, jamque convalescens a Communitate probata est, ac perinde habita, atque aliæ Moniales Professæ haberi solent; sed cum Director ei auctor fuisset, ut vota sua solemniter renovaret, idque illa Antistitæ significasset: accitum Puellæ patrem monuit Antistita, præter 500. libras, quas jam tradiderat, & quarum fidem receperat, nisi 3000. libras Communitati persolveret, nunquam fore, ut ad novam, quam exoptabat, Professionem Puella admitteretur. Renuit pater, inquiens id pugnare cum jam inita conventione, cujus vi nihil amplius, quam 1000. libras eleemosynæ titulo, ac pensionis annuæ libras 100. id quod exequi paratus erat, solvere tenebatur. Et sane nulla interjecta mora Cathedralis Ecclesiæ Parocho libras 1000. concredidit.

In hac Patris obluctatione, Antistita, cum in cubiculum, in quo aderant aliæ Moniales octo, Puellam ad se vocasset, eam peculiari auctoritate, ac nulla servata forma, jussit viva voce tum velo tum regulari habitu spoliari, ac sæcularibus vestibus rursus indui; quibus violenter actis, eam ad crates tractam, injectisque manibus elatam homines duo extra Conventum ita posuerunt, ut ad patris domum regredi cogeretur.

Tertio post mense visum est Antistitæ Capitularem conclusionem effingere, eamdemque in Acta referre, qua pronuntiatum, fore, ut puella rejiceretur.

In hac facti specie rogantur Sorbonæ Doctores, ut solvant quæstiones has.

Nempe quæritur ex Consilio, I. An non Monialis, quæ prout expositum est, vota edidit, vere ac proprie Professa sit?

II. An si quid desit, haud satis jure petere possit, ut suppleatur, votis solemniter renovatis?

III. An verbalem Sententiam Antistita proferre potuerit, cujus vi puella spoliaretur, & extra Conventum poneretur, absque ulla judicii forma, solum quod ægre ferret, Patrem 3000. libras solvere noluisse?

IV. An non ab hac verbali sententia, atque ab ejus violenta, quam, se præsente, Antistita factam voluit, executione tanquam ab abusu appellatio interjici possit?

V. An, Puella per Actum Capitularem semel admissa, licuerit Communitati palinodiam canere, Actumque a Superiore subscriptum rescindere, quamvis nulla alia deinde accesserit ratio, quam 3000. librarum denegatio? Atque an hæc mutatio post Superioris, qui priorem deliberationem subscripsit, mortem fieri potuerit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, filiam Domini M.... repelli non potuisse, & Moniales, quæ eam tam indigne expulerunt, incidisse in excommunicationem latam in *cap. Si quis suadente Diabolo* 17. *q.* 4. & *cap. Religiosæ §. quamvis, de sententia excommunicationis in* 6. Ita Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 2. *q.* 1. *&* *tom.* 2. *c.* 3. *q.* 16. *tr.* 10. *& tr.* 2. *q.* 15.

I. Post puellæ Novitiatum, post quam illa Capitulariter a Communitate recepta est, Actusque Capitularis a Superiore subscriptus, Communitati ipsi non amplius integrum fuit eam repudiare, quoniam per eumdem Actum in ejus futuram Professionem consensit; nec sine gravi causa Monasterium sententiam mutare potuit. Hæc mens est Juris, nullam mutationem publicato scrutinio permittentis *cap. Publicato, de elect. & cap. Nulli de elect. in* 6. *Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensum, illam super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus, impugnare, vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, seu alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur*. Id vulgo nimirum receptum est, & ductum ex Lege *Nemo ff. de re judic. Nemo potest mutare consilium in præjudicium alterius*. Potuit ergo puella edendæ Professionis juri suo renuntiare, novisque rationibus extimulata alio propriæ salutis curandæ gratia se conferre; erat enim jus receptio gratia seu favor, quod tum respuere poterat, tum acceptare. At id ipsum erat quoad Monasterium obligatio, a qua se ipsum liberare non potuit absque puellæ consensu ex ea Juris Regula: *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*.

II. Multo etiam minus potuit Monasterium Fi-

liam

liam Domini M . . . . . repudiare, postquam in Superioris manu, & coram Antistita, multisqua Monialibus vota edidisset; neque enim eam Professam esse, nec ea omnia, quæ Professionis ratio postular, præstitisse in dubium revocari potest. Raligiosa Professio est propriæ personæ in Superioris manibus Communitati facta traditio, simulque ejus ab ipsa Communitate facta acceptatio. Id antem omne occurrit in puellæ, da qua agitur, Professione. Neque vero inde nulla probantur ejus vota, quod ab ea, cum prope animam ageret, emissa fuerint; si enim matrimonium, quamvis in mortis articulo coatractum valet; quidni Professio, quæ spiritale conjugium est, quamvis morbi tempore amissa valeat?

Etiamsi puellæ, de qua quæritur, pater universam, quam promiserat, dotem nondum solvisser; non ea tamen legitima causa foret, quamobrem ea, qua expositum est, satinue sepelleretur. Poterat Conventus solutionem repetere, *mplorato Judicis officio*, quin ad eam vim deveniret, inquit Peliaarius *tom. 2. tract.* 10. *cap.* 3. *q.* 15. Quamquam constat plus ex patra postulatum asse, quam ipse promiserat.

III. Nihil est, quod ab excommunicatione possit eximere Moniales, eosque, qui in partem venere coactionis in filiam Domini M . . . . . cum Moniales octo cum Autistita velum ei detraxerunt, eam Regulari veste spoliarunt, & vi facta ad crates duxerunt, unde homines duo, qui eo convenerant, indigne sublatam extra Monasterium posuerunt. Caput *Si quis suadente Diabolo*, de quo supra, non ad eos tantum spectat, qui Religiosum, vel Religiosam percusserint, sed ad eos etiam, qui iisdem vim inferunt, eos indigne excipiunt, vel Religiosæ personæ gravem injuriam irrogant; satis enim est, inquit Sayrus *l.* 3. *c.* 20. *n.* 14. ut ejusmodi persona graviter læsa censeatur, eam quoad res ipsi adhærentes læsam fuisse; *quia fit injuria personæ, etiam mediantibus rebus adhærentibus personæ*. Nil aliud in hoc negotio Moniales eas excusare posset, quam quod non fatis, quid agerent, reputassent, vel quod in bona fide faissent; At in expositione tale nihil occurrit, immo potius apparet eas suppositam deliberationem remere, & absque ullius Superioris auctoritare captam violenter executas esse.

Hoc posito respondetur ad consulentium quæstiones;

Ad primam; Filiam Domini M . . . . vere ac proprie Religiosam esse, quamvis ægrotans, atque adeo in extremis posita se votis obstrinxerit, declaratis de causis; præterea prout quidem statuunt Anctores multi relati a Diana 2. *p. tract* 2. *resol.* 17. *&* 5. *p. tract.* 3. *resol.* 139. Barbosa ad *caput*, *Ad Apostolicam, de Regular.* Peliaar. *tom.* 2. *tr.* 10. *c.* 9. *q.* 11. Novitia morti proxima Professionem edere potest, quamvis Novitiatus sui tempus nondum expleverit, modo præscripta ætate sit, quin convalescens iterum profiteri necesse habeat. Nituntur illi Pii V. Bulla, quam sibi favere contendunt; quod si sententia hæc cum vero consentit, multo sane magis ejusmodi est in præsenti specie, in qua Novitia ægrota, cum jam Novitiatum confecerit, & a Communitate, quæ receptionis Actum a Superiore subscriptum edidit, recepta fuerit, sua vota pronuntiat.

Ad secundam; Ut dictæ Monialis vota magis solemnia reddantur, eadem vota renovari non est opus; nihil iis deest, quod ad assentiam pertineat; si quid autem præterea Regula, vel Constitutiones præcipiunt, suppleri potest.

Tertiæ satis est factum.

Ad quartam quod attiner, æquius sana est; & Ecclesiæ menti consormius, cum de votis agitur, ac de Professionis validitate, ut ad Episcopum, siquidem Monasterii Superior est, consugiatur, qui, si rem expositioni consentaneam invenerit, cum omnibus juribus ac prærogativis Conventui Monialem restituat, ac supplendam curet, quicquid pro Monasterii Constitutionibus Professioni defuerit. Quoad rationem, qua Antistita ac Moniales cum hac puella se se gesserunt, mandabit Episcopus, ut in posterum abstineant a facti rationibus, quæ non modo expulsæ puellæ injuriam afferunt, verum etiam Superiorum auctoritati, quæ contemptui ducta videtur in hac facti specie, in qua erat imploranda. Quod porru spectat ad contumeliam, ac vim, quam Monialis passa ast, pœnitentiam delicto respondentem Episcopus reis imponet, quæ nempe deinceps exemplo asse possit, atque impedire, quominus Moniales quicpiam tale in posterum aggrediantur.

Ad quæstionem quintam per ea, quæ supra sunt dicta, responsum est.

Decisum hac die 26. Junii an. 1693.
G. *Fromageau*.

Monialis, quæ proprii Ordinis Statuta mutare vult.

CASUS LXI.

1 *Monialis e Monasterio, in quo Professionem emisit, egressa, novo Monasterio, cujus instituendi rationem nacta est, habitum, Officium, Statuta, seu Mandata tribuere non potest, quæ ab iis, quæ in priore Monasterio obtinebant, alia forent.*

2 *Puellæ in Monasteriis, quæ Monialis hæc, aliæve instituerunt professæ ad Episcopum accedere debent, ut Ordinis, quem earum Fundatrix deseruit, habitum, Officium, Regulamque recipiant.*

QUÆSITUM.

MOnialis S. Augustini Canonicissarum Ordinem Professa, quæ cum Antistita, tum sua, rum illius culpa, concorditer versari non posser. e Monasterio egreditur, habitu prorsus, alio quam Ordinis, qui albus est cum amictu, vulgo *Rocchetty*, sibi sumpro, scilicet nigro absque amictu; quem quidem cum biennij val triennii spatio detulisser, quin omnino palam fieret, idae cum Antistitæ, vel proprii Episcopi Obedientia sacaret, cumque ei ad alium Episcopum aditus aliquis patuisset, in Episcopali Urbe Monialium, quibus Hospitalariis nomen, Communitatem instituit, quin alium babitum præter nigrum. quem sibi sumpserat, yel ipsa reciperer, vel receptis puellis imporeret; atque adeo fama est, eam da recipiendo Ordinis habitu cogitantem ab Episcopo monitam esse, sibi quidem non alium, quam quem gerebat, habitum custodiendum.

Id secundo loco venit animadvertendum, banc eamdem Monialem, cum se in novo suo Monasterio Antistitam esse reputaret, divinum Officium, quod apud Hospitalarias S. Augustini Moniales recitatur, ex parte mutasse, Officio Cannnico multis anni diebus detracto, parvoque Beatæ Virginis Officio in ejus locum suffecto.

Animadvertendum est rertio loco, Monialem banc ipsam Ecclesiastico homine, qui in Episcopatu plurimum poterat, duce ac magistro, Constitutiones ac Statuta ab iis, quæ in Ordine vigebant, longe alia sanxisse; eaque inconsulto ac temere, quippe ab iis edita, qui, ad Regularis Familiæ rectum ordinem quid necessarium foret, penitus ignorarent; ut proinde nihil aliud, quam quod Monialium unicuique placuerit, ibidem fervetur, nec aliæ Mnnialibus Constitutiones vel Sanctiones sint, quam prout Monialibus singulis, vel cuique Antistitæ in mentem venerit; & quod inde consequitur, nullum adsit solidam, firmumque principium, quo Superiores & Confessarii niti possint, ut eas ad perfectionem, quam ipsarum status postulat, instituant, ac veluti manuducant.

Quarto loco animadversione dignum est, ex hac tam male instituta Communitate egressam esse Monialem, quæ aliud Monasterium in eodem Episcopatu cum habitu nigro & Constitutionibus iisdem fundavit.

In præsentia hujus secundæ Communitatis Moniales id habet sollicitas, quod in ejus, unde egressæ sunt, institutione contigit, nec habitu, nec Officio divino, nec Sanctionibus & Constitutionibus Ordinis S. Augustini in ea locum habentibus. Lateranense Concilium *cap.* 13. omnem novæ Religionis

gionis institutionem prohibet: *Ne nimia Religiosorum diversitas gravem in Ecclesia offensionem inducat, prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat; sed quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat; similiter qui voluerit domum Religionis fundare de novo, Regulam & Institutionem accipiat de Religionibus approbatis.* Animadvertendum est in his verbis; I. Religionum diversitatem a Concilio prohiberi; II. Idem Concilium statuere, ut, dum Regula suscipitur, suscipiatur ex Ordine jam instituto cum Institutionis habitu, quique eidem ab origine præscriptus fuit, tanqnam nota necessaria, quasique character, quo a cæteris Ordinibus secerneretur. Neque omnino ab Officio, Statutis, & Constitutionibus, quibus universa cujusque Ordinis perfectio ac ratio continetur, est recedendum, ut ex omnibus Religionibus reformatis, exempli causa Capucinorum, Recollectorum, Pœnitentium, Minimorum, Carmelitarum, Benedictinorum, &c. licet Intelligi, tum quoad habitum, tum quoad alia, nisi adsit expressa permissio Pontificis. Id vero adeo necessarium est, ut, cum S. Augustini Hospitalariæ D . . . . Prælationem ex perpetua in triennalem mutaverint, inibi fuerint, ut in Romana Curia damnarentur, ejusqne mutationis approbationem non nisi admodum ægre, ac post vehementes sollicitationes obtinere potuerint.

Quamobrem posterioris hujus Communitatis Moniales e priore egressæ, cujus institutio facta est, ut diximus, absque Officii ac novarum Constitutionum apptubatione, tutæ institutionis, rectæque Reformationis desiderio permotæ quærunt, I. an non possint, atque adeo debeant habitum Ordinis S. Augustini, Officium, Statuta, & Constitutiones, quæ ibidem obtinent, a proprio Episcopo postulare, seque cum aliqua Ordinis Communitate a Romano Pontifice approbata, & Episcopi auctoritati subjecta conjungere?

Id autem quæritur in nonnullarum Monialium gratiam, quæ quidem ægre ad mutationem adduci possunt, sed eam tamen æquo animo, si ita sibi opus esse intellexerint, amplectentur; juverit etiam cognosci Doctorum sententiam, Episcopo significandam, ut ad mutationem, quæ proponitur, ejus animus comparetur; qui quidem alioquin haud facile assentiri posset, ratione habita Decessoris, cui depravationes in Communitatum duarum, de quibus agitur, institutione occurrentes probatæ sunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Moniales, quæ consulunt, cum sub Antistita Ordinis Canonicissarum regularium S. Augustini Professionem emiserint, necessario hujus ipsius Ordinis esse, quoniam in Antistitæ potestate non est positum, ut alii Ordini, proprio repudiato, se se conformet. Præterquamquod ex Lateranensi Concilio sub Innocentio III. quod refertur in titulo *de Religiosis domibus* in Decretalibus Gregorii IX. & ex Lugdunensi Concilio sub Gregorio X. eodem titulo in *6.* novæ Religiones instituti nequeunt; & ex Jure Canonico vota solemnia non nisi in Religione, quam sancta Sedes approbaverit, emitti possunt, ut videre est *cap. unico, de voto & voti redempt. in 6. Illud Religionis votum*, Capitis verba sunt, *est solemne, quantum ad dirimendum matrimonium solemnizatum post Professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Id ipsum in laudatis Conciliis Lateranensi & Lugdunensi statuitur; in priore quidem: *Quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat; similiter qui voluerit Religiosam domum de novo fundare, Regulam, & Institutionem accipiat de approbatis*, in posteriore autem, quod in sexto Decretalium titulo *de Religiosis domibus* refertur, habentur hæc: *Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale Concilium consulta prohibitione votavit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit; verum etiam præsumptuosa temeritas diversorum Ordinum, præcipue Mendicantium effrænatam quasi multitudinem adinvenit; repetita Constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat: cunctas affatim Religiones, & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerint, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenus processerunt, revocamus.*

Hinc apparet, nec novas Religiones instituendas, nec alium habitum sumendum esse, sed eum retinendum, qui receptus est per ejus Ordinis Regulam, cui se quispiam addixit, vel cui se addicere in animo habet; ac verba hæc, *novum habitum*, nihil aliud esse, quam explicationem verborum illorum, quæ leguntur in Lateranensi quarto Concilio; *Regulam, & Institutionem accipiat de approbatis*; quæ quidem verba complectuntur ea, quæ servantur in unoquoque approbato Ordine, qui sæpe non nisi habitu, & Constitutionibus ab alio distinguitur. Hæ nimirum Constitutiones a Sancta Sede approbatæ discrimen sunt inter Ordines, atque adeo non alia, quam sanctæ Sedis auctoritate mutari possunt. Quamobrem Tridentina Synodus *Sess. 25. de Regularibus c. 1.* mandat, ut Regulares omnes ad propriæ Regulæ observantias se redigant, prout eorum peculiaris Ordo a cæteris Ordinibus omnibus etiam habitus & vitæ ratione secernitur; atque ita quidem mandat, ut significet, se non tam generalem, multisque communem Regulam spectare, quam vota addicta peculiari observantiæ, quæ Ordinum differentiam ac diversitatem producit; omnes enim conveniunt in votis tribus, quoniam quisque Ordo eadem emittit. Ex quo fit, agendi rationem, qua prioris Monasterii Hospitalariæ usæ sunt, maxime irregularem fuisse; in ea enim facta est Constitutionum, Officii divini, habitusque mutatio. In utroque igitur Monasterio omnes hi defectus reparandi sunt; Moniales hæ ad Ordinis, e quo sunt egressæ, quique unus earum Professionem firmare potest, vim ac rationem redire debent; si enim S. Augustini Canonicissæ non essent, earum Professio, Antistitæ peculiari auctoritate peracta, Conciliis adversaretur. Ergo ad Ecclesiæ ordinem in Tridentina Synodo definitum revertantur, & negotium totum Episcopo ingenue patefaciant, ut ille ordinem ac disciplinam pro sua prudentia restituat, & prout cognoscet de rerum statu, qui ei accurate est explicandus, ut judicet, quid utrique Monasterio utilius futurum sit.

Decisum Parisiis die 2. Novembris an. 1679.
Aug. *de Lamet.*

Religiosa Communitas laxata,

CASUS LXII.

1 *Moniales, lenitate, quæ haud ita multo ante irrepsit, in præcipuis Regulæ articulis deficientes aberrant a recto tramite.*
2 *Vix fieri potest, ut lenitas cum Regulæ contemptu, & quod inde consequitur, cum mortali peccato conjuncta non sit.*
3 *Conditiones, quæ ad legitimam Regulæ præscriptionem sunt necessariæ.*
4 *Confessarii, qui per ignorantiam, vel per mollitiem in eo statu Moniales detinent, cæci ac laxi sunt.*
5 *Moniales hæ, ni se corrigant, absolvi nequeunt, ac Superiores de malo monendi sunt, ut ei præsens remedium afferant.*

QUÆSITUM.

IN Communitate, in qua observantia semper servata erat solertia, cura, vigilantia Priorissarum, quæ nam antea administraverant, aliquot ab hinc annis faciliores Antistitæ minusque vigiles extiterunt, quæ magnam inter juniores Moniales laxitatem irrepere passæ sunt. Quia porro non statim malo remedium allatum est, eo nunc damnum ventum est, ut in hac Familia non desint, quæ fere nunquam Officiis intersint, ab omnibus pene Ordinis observantiis abstineant, atque adeo ne Missam quidem nisi Festis, ac Dominicis diebus audiant,

neque ad Sacramenta per integros menſes accedant, quamvis earum Regulæ caput ſit, ut eadem bis in hebdomada ſuſcipiantur. Malum hoc vulgo nondum ionotuit, Conſeſſariis taotum & Monialibus id cognoſcentibus. Seniores ingemiſcunt, ſed quid afferant remedii, prorſus ignorant, quia nec reſipiſcere, nec admonitionibus auſcultare juniores volunt.

Itaque I. quæritur, ntrum janiores hæ Moniales in propoſito perſiſtentes æternæ ſaluti vacare poſſint?

II. An eo prætextu, ſe ad mortale peccatum a Regnla non obligari, poſſint in hac tanta laxitate deinceps vivere, quin mortalis peccati periculo ſint obnoxiæ?

III. An Conſeſſarii id tolerantea, ex eorum numero non ſuerint, qui cæci cæcos ducunt, ſe ipſos perdentes?

IV. An Conſeſſarius, qui ſibi deeſſe non vult, eas abſolvere poſſit, dum in ea depravatione verſantur, ſuaque monita inntilia, omniſque frugia expertia fore præſumens connivere poſſit?

V. An quod increpatæ non ſuerint Probationis tempore, legitima proinde excuſatio iis præſto ſit, tametſi ſeniorum diſciplinæ ac pietati mordicus adhærentium exemplum ob oculos habuerint?

Rogaotur humillime Sorbonæ Doctores, nt deciſionem ac ſententiam ſuam huic ſupplici Libello ſubjiciant, ad harum Monialium bonum, atque ntilitatem certæ regulæ loco ſuturam?

R E S P O N S S O.

Conſilium Conſeientiæ ſubſcriptum, ut ad propoſitas quæſtiones qiunque reſpondeat, eaiſtimat;

Quoad primam; Moniales, quæ Officio fere nunquam interſunt, & omnia propemodum propriæ diſciplinæ capita negligunt, adeoque non aliis quam Feſtis ac Dominicis diebus Miſſam audiunt, & ad menſes integros a Sacramentis abſtinent, a ſalutis ſtatu remotas eſſe.

I. Quia regularis vitæ, hoc eſt perfectionis proprio ſtatui reſpondentis ſtrenue quæreodæ fidem in Profeſſione obſtrictam ſallunt; apte (*a*) D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 5. ita de Religioſi hominis obligatione pronnntiat: *Non tenetur ad omnia encreitia, quibas ad perfectionem pervenitur, ſed ad illa, quæ determinate ei ſunt taxata ſecuadam Regalam, quam Profeſſus eſt.*

II. Complurium Anctorum ſententia, tenetur Monialis ſuh lethalis peccati pœna ad perſectionem contendere: *Religioſus*, inquit (*b*) Navarrus *debet ſemper niti, at cogaitio & fruitio de Deo in dies fiat major, & magis continua, adeo qaidem qaod S. Thomas implicite, & Cajetaaus explicite dicaat, qaod Religioſas non habeas aaimam teadeadi ad perfectionem ſecandam Regalam ſaam, eſt in ſtatu peccati mortalis . . . . . Quæ eſt concluſio terribilis multis Religioſis, qui nec actaaliter babent aaimum ſe in dies magis in charitate perficeadi, nec caraat plus quam boni Clerici ſaculares, vel Laics ad eam teadere*. Jam vero aſſeri oeqnit, Mooiales a propriæ regulæ inſtitutis fere aberraotes de propria perfectione ſollicitas eſſe.

III. Quamvis Monialis Regulam violans non ſemper ex contemptu facere cenſeatur, ſi tamen eam ſæpe violaret, ejus deinde contemnendæ periculo ſeſe exponeter: *Frequeatia tamen peccati*, inquit (*c*) D. Thomas, *diſpoſitive inducit in contemptum, ſecundum illud Prov. 18. Impius, cum in profundum venerit peccatorum, coatemnit*. Docent Anctores (*d*) non panci habitn tranſgrediendi præcipua Regulæ capita, qnamvis ad peccatum non obligent, interpretativnm, nt vocaot, contemptum contineri; porro Regulæ contemptus, Theologis poſt D. Thomam unanimi ſententia ſtatuentibus, mortale peccatum eſt; quia nempe voti obedientiæ fundamentum omna prorſus evertit; ut proinde aſſeri poſſit, Moniales, quæ fere nihil aguot eorum, quæ in propria Regula præſcrihuntur, in pravo ſtatu verſari, quia Regulam ſuam contemnunt, vel ut ei non amplius qnamprimum ſe ſubdere velint, in proximum periculum ſa conjicinnt.

Denique Moniales, quæ in ea, quæ eſt expoſita, laxitate jacent, Religioni oneroſæ ac pernicioſæ ſunt propter ſcandalum, quod afferunt, arque etiam propter perturbationem ac diviſionem, quam excitant in Monaſterio, dum Regulam non cuſtodiunt, ac prorſus in contraria abripiuntur; jam vero Monialis citra grave peccatum Sororibus ſuis ita nocere non poteſt.

Quoad alteram, reſpondetur, tametſi Regula nullam peccati pœnam adjunctam habeat, & ex hoc capite Monialis eam violans poſſit non mortaliter peccare; ſi tamen ſpectetur periculum, quod ſubit ejus eaercitia contemnendi, cum de iiſdem ſervandis nequaquam ſollicita eſt, ſcandalum ſeu malum exemplum qnod cæteris Monialibus affert, confuſio ac diſciſſio, quam in Religiooe parit, eam a mortali culpa ægre admodum eximi poſſe.

Quoad tertiam; harum Monialium Coofeſſarios, qui vel ex ignorautia vel ex mollitie tolerantes hanc earum laxitatem foverunt, maxime reos eſſe, ac tanquam cæcos laxoſque, quæ eas in præceps traxerint, eſſe ſpectandos.

Quoad quartam; Conſeſſarium, earum laxitatem perſpectam habentem, & de voluntate in malo obfirmata non ignorantem ipſis abſolutionem impertiri non poſſe; quod ſi earum reſipiſcentiæ nulla ei ſpes affulgeat, non teneri ulterius progredi, quoniam oleum & operam perderet; tantummodo curare debere, nt Capitulum, aliæque ſaniores Monialea, ex quibus de malo audiet, Superiores commonefaciant, ut huic incommodo remedium afferant, impediantque, ne, quod cum extremo Fsmiliæ excidio ex pravo laxiorum Monialium exemplo contingere poſſet, regularis omnis diſciplina ſunditus evertatur.

Quoad quintam; nt hæ Moniales a propria Regula legitime eaemptæ forent, præſcriptione opus fore, quæ nulla tamen exiſtit; I. quia cooſuetudo, qua Probationis tempore in iis tolerata eſt Regulæ tranſgreſſio, nec legitima eſt, nec bona fide inſtituta, & quod inde conſequitur, præſcriptionis fundamentum eſſe non poteſt; neque enim probabile eſt iis vel in ipſa Probatione, vel poſt Profeſſionem nunquam Regulam lectam fuiſſe. II. Quia præſcribi non potuit, cum ſemper viguerit, ſemperque accurate, arque ita, ut aliis exemplo eſſent, ſeniores Moniales eamdem ſervaverint.

Deciſnm in Sorbona hac die 10. Auguſti an. 1694.

G. *Fromageau*.

Monialis ad Capituli ſecretum adſtricta.

C A S U S LXIII.

1 Moniales, quæ in Capituli ſecretam jarant, tenentur in foro conſcientiæ obſtrictam jurejuraado fidem ſervare.

2 Jaſjurandam hoc violantiam peccatum perjarium eſt, & quidem, complurium Auctorum ſententia, mortale.

3 Epiſcopus juſjurandum idem tollere poteſt, ſi a pleriſque violari videat.

QUÆSITUM.

QUæritur, an jusjurandum, quo Moniales ſe, qnod in Capitulo dicitur, atqne agitur, nec directe nec indirecte prodituras ſuper Evangelio promittunt, de gravibus tantum negotiis ad Communitatem ſpectaorihus ſit accipiendum, ut proinde cætera, qnæ ad eamdem minime referuntur, prodere poſſint? Exempli cauſa puella ſub Probationis finem in Capitulo ad Profeſſionem proponitur, & reſpuitur; eam Sæculares interrogant, quomodo ſe res

(a) D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. ad. 2.
(b) Antan. a Spirit. Sanct. t. 2. tr. 3. diſp. 1. ſect. 2. n. 37. Navar. to. 1. de Regul. concil. 6. n. 9. Cajetan. in S. Thomam loco cit.

(c) S. Tham. 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3.
(d) S. Aaton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 9. Sylveſt. v. Relig. 5. q. 12. dicto 4. Sanchez. l. 6. c. 4. n. 18. S. Thom. 2. 2. q. 186. a. 9.

res habuerit; illa vero ingenue fidenterque rem aperit. Violavitne jusjurandum? Perjuriumne perpetravit? Quæ tandem eorum mens fuit, qui ejusmodi juramenta instituerunt? An non ea potius spectanda, quam Littera, quæ occidit? An non puellæ, quæ ad colloquendum suapte natura feruntur, passim ita in perjuria conjicerentur? An non ejusmodi Lex stricte sumpta pondus esset, atque an non rogandus esset Episcopus, ut jugo, quod non omnium Monialium commune est, eas liberaret?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Moniales, de quibus in expositione dictum est, teneri secreti fide, qua se quoad Capituli negotia obstrinxerunt. Lex hæc est, quæ in Communitatibus plerisque servatur, quamque Superiores in iis, in quibus non obtinet, instituendi jus habent. Et sane non desunt Monasteria, in quibus sub excommunicationis pœna prohibetur, ne Capituli arcana patefiant, sive ad Communitatem, sive ad singulas Moniales pertineant; in aliis obtinent pœnæ aliæ, ut animadvertit *de Peyrinis q. 1. c. 17. de Relig. subd.* Quod sicubi huic obligationi jusjurandum additum est, id eo factum, ne omnino violari possit. Itaque probatæ vitæ Monialis de iis nunquam loquitur, quæ in Capitulo dicta vel gesta sunt, etiamsi parvi momenti sint, ne rebus gravioribus detegendis pedetentim assuescant. Quamobrem quæ Regulam accurate servare vult, minime cogitat, utrum res alicujus momenti sint nec ne; præter quam quod enim errare pronum est, id sibi religiose proponere debet, ut, quamlibet leve fuerit, peccatum evitet.

Hoc posito, respondetur, I. Monialis hujus peccatum, in se ipso spectatum mortale non apparere, si non nisi votorum, quibus vel recepta, vel rejecta fuit, numerum patefecit, nec alias circumstantias explicuit, e quibus jure timendum esset, ne puella, vel Communitas grave damnum subirent.

II. At si ejusdem Monialis culpa spectetur, prout illa jusjurandum tactis Evangeliis firmatum violavit, perjurium, atque adeo mortale peccatum censeri potest, quia gravis est in divinum nomen irreverentia, ut proinde materiæ parvitate veniale effici nequeat. Videri possunt rationes, quas in id afferunt Bassæus *v. Juramentum 4. n. 3.* & Layman *l. 4. tr. 3. c. 14. n. 6.* Sunt sane Casuistæ, qui contra sentiant, contendantque perjurium hoc veniale peccatum esse, cum res haud magni momenti est, dummodo quo tempore juratum est, obstrictæ fidei præstandæ veri nominis intentio fuerit; aut potius asserunt, in hac facti specie perjurium proprie non esse, sed promissionis, qua Monialis se arcanum servaturam receperat, infidelitatem; probabilitate sua gaudet sententia utraque; sed esto posterior communior esset, non tamen tenenda foret, quia bene moratus animus nunquam in id consentire debet, quod magni nominis Auctores lethale peccatum esse pronuntiant.

III. Si in Conventu, de quo agitur, id obtineret, ut, quod in Capitulo transigitur, vulgo Moniales edicerent, eæque non semel monitæ, ut juramentum servarent, illud violare pergerent, ad Superioris ejusdem Monasterii prudentiam & charitatem spectaret illud de medio tollere, gravissimis in eas Moniales inflictis pœnis, quæ id hactenus violasse convincerentur.

Decisum hac die 18. Octobris an. 1698.
G. *Fromageau*.

Monialis in alio Ordine Pensionaria.

CASUS LXIV.

a *Monialis in alio Ordine Pensionaria nullum jus obtinet distinctæ sedis in ea, in qua degit, Familia sibi vindicandæ, multoque minus Officia, quæ ad ejusdem Familiæ Professas pertinent, obeundi.*

a *Peculiaribus de causis & ex gratia Communitas ei duo hæc concedere potest, non tamen tenetur.*

Lamet Tom. II.

QUÆSITUM.

Monialis Ordinis S. Dominici Pensionaria est ab annis octo in Canonicissarum Regularium Familia; ejus sororum una ibidem Abbatissa est, soror alia est Priorissa, & Superior Consobrinus. Jacobina hæc ibi secundam sedem occupavit, tacite consentiente Communitate, quæ non obstitit, rata, quod pura putaque tolerantia esset, nunquam jus legitime acquisitum evadere posse, quoniam ea Familiæ Monialis non est. Illa tamen occupata sede uti voluit, officio, quod ad seniorem spectabat, in Choro functa, ejus absentiæ prætextu. Biduo post Abbatissa, coacto Capitulo, Communitatem rogavit, ut assentiretur Jacobinam hanc in Choro prima sede, & in omnibus observantiis præsidendi jure potiri. Capitulum constans votis quindecim sectum fuit multifariam; Monialibus septem assensum negantibus, duabus neutram partem amplectentibus, reliquis consentientibus. Dissentientes consuluere Doctores non paucos, qui responderunt eas non posse loco cedere, quin ordinem Constitutionibus, quæ Capitularibus tantum sedem tribuunt, institutum inverterent, & quin extraneam, propriæque Regulæ contrariam formam in propriam Familiam inducerent. Monitæ præterea sunt privatæ Monialis commodum generali bono præferendum non esse.

Quo gerant se tutius, Sorbonæ Doctores rogant, ut definiant, an a Superioribus cogi possint id agere, quod, ad hanc rem quod attinet, Abbatissa requirit, ac pati secundam Jacobinam Depositariam suam esse, quamvis in familia non desint, quæ Officiis omnibus obeundis idoneæ sint?

R e s p o n s i o.

a Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ex Jure communi, & Regularium Communitatum Constitutionibus personas tantum Communitati vi Professionis addictas, & ut ajunt, incorporatas ejus Officia possidere posse, ac vindicare sibi gradum, cujus gratia quædam honoris munia præ cæteris Monialibus obeundi jus obtineant.

b Passim Regularis a proprio ad alium Ordinem gradum faciens nullo gaudet suffragii jure, nec ab omni solum Prælatione, sed a quovis etiam Officio arcetur. Videndi Demurga *tom. 2. n. 181. pag. 89.* Bassæus *v. Religio 5. n. 5.* & Auctores, quos laudat: *Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes*, inquit Bassæus, *privantur voce activa & passiva in Capitulo: inhabiles item efficiuntur ad Prælaturas & administrationes & quælibet Officia: ut Æconomi, Cellarii, Ostiarii*, &c.

Fortasse si Monasterii Canonicissarum Regularium Constitutiones consulantur, occurret aliquid huic Definitioni conforme. Quod si Moniali, quæ vere Professa est & incorporata Conventui, non conceduntur honoris jura, quibus aliæ Professæ gaudent, idque ob id unum, quod eo translata fuerit; potiore jure Monialis, quæ Pensionaria tantum est, nil juris obtinet, ut dignitates ac Præfecturas, quæ ad Familiæ Moniales tantummodo spectant, vindicet.

Potest quidem huic Jacobinæ gradus æquitatis gratia concedi, quia Abbatissæ ac Priorissæ soror, & Superioris est consobrina, præsertim vero si Monasterium se ejus Familiæ peculiaribus beneficiis devinctum sentiat; sed illa tamen eumdem gradum tanquam sibi debitum arrogare nunquam potest; id enim evidenter injustum esset.

Communitas id juris potest eidem concedere, dummodo non ejus Constitutionibus prohibeatur; sed illa id quidem libere, nullaque vi prorsus adacta facere debet. Hoc adde in hac facti specie omnium & singularum Monialium, ne una quidem excepta, consensum requiri. Cum enim quippiam conceditur, quod singulis unum Corpus constituentibus nocet, non sufficit, inquiunt Canonistæ, id a plerisque concedi, sed universam Communitatem ita velle & consentire necesse est, quia id agitur, quod omnium interest: *In re communi pluribus, aut singulis*, inquit Abbas Panormitanus *cap. Cum omnes de Constitut. n.*

5. vel super jure singulari non valet, quicquid facit major pars; sed oportet, quod omnes consentiant, quibus fit præjudicium. Consuli possunt Barbosa in hoc Juris caput, Diana *1. p. tract. 3. resol.* 29. Pyrrhingus *l. 3. Decret. tit. 6. de iis, quæ fiunt a maj. part. Capit. n.8.*

Ex his omnibus sequitur, I. Monialem, de qua quæritur, cum ei votorum pluralitas præsto non sit, ut ea gratia fruatur, quam ejus soror Abbatissa a Communitate petit, ab eadem excludi; II. Aliam Jacobinam sumi non posse, quæ hujus Conventus Depositaria statuatur, quoniam Moniales, quæ eo munere fungi valeant, ibidem existunt.

Decisum hac die 23. Septembris an. 1700.
G. *Fromageau.*

Moniales, quæ Beneficia in titulum possident.

CASUS LXV.

1 *Moniales proprii Ordinis Beneficia in titulum possidentes, eorum reditus administrare possunt, quin ab Abbatissa pendeant, dummodo iis bene utantur, prout editis Canonibus Ecclesia præcipit.*

2 *Nihil inde consanguineis, nisi pauperes fuerint, donare potest.*

3 *Nec minus tenentur cum Abbatissa aliisque Monialibus in commune vivere, nihilque sibi retinere possunt.*

4 *Moniales, quæ Conventus jura percipiunt, & aliquam possident pecuniæ vim, debent omnia Abbatissæ tradere, & iis esse contentæ, quæ sibi, prout opus habuerint, a Communitate suppeditantur.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Priorissæ Abbatiæ S. Benedicti possint tuta conscientia Communitatem apud ipsas an. circiter 1660. restitutam deserere, ut propriis Prioratibus privatim fruantur, & independenter ab Abbatissa reditibus uti? Contendunt illæ communem vitam ab una ex Abbatissis institutam fuisse, non quidem Pontificis auctoritate, sed solum privata, Priorissis his consentientibus, & ultro, vix proponente Abbatissa, personas suas, suaque Beneficia conferentibus. Nonnullæ mortis tempore se in conscientiæ foro teneri crediderunt propria Beneficia Abbatissæ tradere. Animadvertendum, Prioratus hos veri nominis Beneficia habitos fuisse, & Pontificis, vel Abbatissæ provisionibus opus habuisse.

Sed ut res in meliore lumine collocetur, & plenius ac planius dijudicari possit, scitu dignum est, Abbatissam, cum ad Abbatiam accessisset, quæ tum quoad temporalia, tum quoad spiritualia corruerat, quippe cum nulla fere superessent regularia loca, nulla Communitas, Priorissas suppositas nactam esse, quæ in propriis domibus sæcularium more viverent, & independenter ab Abbatissa proprios reditus administrarent. Moniales aliæ earum exemplo sibi vindicaverant Conventus jura, & pecuniæ vim, qua sibi ea comparabant, quæ Monasterium ipsis ad victum ac subsistentiam minime suppeditabat. Abbatissa hæc officii sui conscia ejusmodi abusum reformandum suscepit, exordio ducto a restitutione communis vitæ, quam nonnullæ Moniales libenter amplexæ sunt. Primo statim anno recepit puellas sex, quas jussit actum subscribere, quo se communem vitam servaturas reciperent; idemque præstitit quoad alias sex, quas deinde recepit. Biennio quidem vel triennio post Professionem ex iis duodecim Monialibus aliquæ a Communitate recedere voluerunt, atque adeo hoc ex capite propriæ Abbatissæ litem intenderunt; sed post sex mensium litigium causa ceciderunt, & earum contentiones rejectæ sunt. Recepit deinde Abbatissa puellas viginti quinque, & easdem instituit in Reformatione ac disciplina, quæ in S. Benedicti Monasteriis accuratissimis observatur; creavit Officia Depositariæ, Infirmariæ, Cellerariæ, Horreariæ, sedulo comparans, quicquid Monialibus opus esset, Officiariis ex earum tantum numero sumptis, quæ communem vitæ rationem tenerent. Ea quidem ad Romanam Sedem non accessit omnino, at hanc instituerat reformationem, quæ facta est Monialium consensu utrinque firmato; tum ingentes ædes suscepit extruendas, quæ nondum perfectæ sunt, &c. Communis vita quamprimum generalis extitit, Monialibus eamdem amplexis, excepta Priorissarum una, quæ noluit se subdere, vel reditum suum in commune conferre. Nonnullæ aliæ Priorissæ, cum nondum in Communitatem venissent, diem suam obierunt; sed earum multis fato functis, quin Beneficia resignassent, Abbatissa Beneficia eadem Abbatiali Mensæ incorporavit; ut proinde Abbatissa hæc ipsa, antequam e vivis excederet, Communitatem suam adamussim institutam viderit, Monialibus paupertatis votum accurate servantibus, nihilque administrantibus, nisi permittente Abbatissa, quæ iis omnia generatim parabat, quibus opus habuissent. Perduravit rectus hic ordo ad mortem usque Abbatissæ, ad quam omnes reditus delati erant, & cum Familiæ proventu confusi, ut apparet ex ratione, quam ea Regi reddidit an. 1668. ex qua ratione constat onera Familiæ reditu majora esse, quamvis nondum Ædibus extrema manus imposita fuerit.

Abbatissa fatu functa, Priorissæ nonnullæ pronuntiarunt se non amplius Communitati assentiri, & propria Beneficia independenter a nova Abbatissa administrare velle. Hoc illæ animo conspirarunt, ac senior Priorissa, quæ semper suum Beneficium administravit, illud modo resignat Moniali, quæ ipsa quoque a communi vita recedere vult, suoque, ut aliæ, Beneficio frui. Aliæ etiam Moniales petunt antiqua Conventus jura, pro suo ipsarum libito administranda.

Utrisque obluctatur nova Abbatissa, ut, quod a Superiore Abbatissa tam sancte institutum est, Communitatem scilicet, prout Tridentina Synodus præcipit, mordicus teneatur; in eumque finem ea prorsus omnia, quibus tam singillatim, tum generatim Monialibus opus fuerint, iis se paratam proponit; quamobrem quæritur ex Conscientiæ Consilio;

I. An Priorissæ hæ possint tuta conscientia a Communitate recedere, & independenter ab Abbatissa propriis Beneficiis frui, prætexentes eam a Pontifice institutam non fuisse, & in suis provisionibus nihil occurrere, quod sibi jus adimat, quo Beneficiati omnes gaudent, ut propriis reditibus fruantur, eorumque domini sint? Eæ ipsæ, quæ a defuncta Abbatissa provisionibus instructæ fuerunt, jus idem petunt, ajentes illud sibi per provisiones ademptum non esse, sibique licere omnia contraria acta rescindere, & obligatione in Beneficiorum, quæ possident, collatione sibi imposita se se eximere.

Quæritur secundo loco, an hæ Priorissæ possint tuta conscientia Prioratus duos possidere, quorum unum Pontifex, alterum defuncta Abbatissa contulit, vel Prioratum, & Cubicalariæ Officium, in Beneficii titulum erectum?

III. Facta hypothesi eas propriis Beneficiis tuta conscientia frui posse, quæritur, quem tandem eorum usum facere possint? Possintne consanguineis, qui ære quidem alieno laborant, sed pauperes tamen non sunt, eorum reditus elargiri? An possint in eleemosynas, aut Missarum celebrationem independenter ab Abbatissa eosdem reditus erogare?

IV. Moniales simplices possuntne ea Conventus jura recipere, eodemque modo ea distribuere, Abbatissa iis necessaria suppeditante?

Quoniam consultatio hæc eo spectat, ut harum Monialium animus tranquilletur, & in tuto ponatur, rogatur proinde Consilium, ut eam diligenter expendat, addatque, quicquid ex animo exciderit.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam Expositionem vidit, existimat, Moniales, tum quæ Priorissæ sunt, tum quæ Beneficia, vel Officia nulla obtinent, non posse a communi mensa recedere, quin S. Benedicti regulam, cujus cap. 43. sub regularibus pœnis statuitur, ut Religiosi omnes ad eam conveniant, prætergrediantur. Id ipsum præcipitur Blesensis Constitutionis articulo 30. in hæc verba e gallico in latinum sermonem conversa: *In*

omni-

omnibus Monasteriis tam virorum, quam mulierum Religiosi in commune vivant, & juxta Regulam, in qua Professionem ediderunt. Videntur etiam Abbates ipsi hac lege teneri, ut ex Congregationis Abbatum, relatæ post Concilium Aquisgranense sub Ludovico I. Imperatore Titulo 23. conjici licet; ita enim de iis ibidem statuitur; *Ut Abbas, vel quispiam fratrum ad portam Monasterii cum hospitibus non reficiatur, in Refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi & bibendi exhibeat. Ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt.*

Priorissas Titulares Beneficiorum suorum administratione gaudere, nec posse ullam obligationem inire vel cum Abbatissa, vel cum quovis alio eas liberante; itaque si Beneficiorum temporalia in Abbatiæ commodum remisissent, semper videre deberent, an moribus satis esset factum, aut eleemosynis, aliisque in fundatione declaratis; ac si Abbatissam haud recte iisdem proventibus uti intelligerent, tenerentur in foro conscientiæ ipsæ eorum curam suscipere; quia nempe Monasterium non debet horum Prioratuum bona tanquam propria spectare, nec Titulares possunt ex iis plus Abbatiæ tribuere, quam sibimetipsis sumere possint, nisi ut conferant in pia opera, quæ omittere paratæ essent; si in usus alios Ecclesiæ utiliores eadem bona conferre possent. Ratio est, quia cum iis bonum Ecclesiasticum commissum sit, invigilare debent, ut recte administretur, & juxta Ecclesiæ mentem ac regulas impendatur.

Penes Religiosas Titulares semper jus fore proprii Beneficii administrationem curandi, quamdiu Titulis substiterint, nec posse ipsas per se juri suo renuntiare, eoque spoliari posse solius Pontificis auctoritate, qui unus eosdem reditus Abbatiali Mensæ unire potest; Abbatissam autem in Beneficiorum collatione eam conditionem ipsis imponere non posse, conditione omni in Jure proscripta, Tribuendum non est Beneficium nisi juxta Ecclesiæ regulas, quæ quidem Titulares in eum tantum finem instituit, ut tum temporalium, tum spiritualium curam gerant; ac Titulares Justitiæ titulo tenentur eadem Beneficia tueri, & bonorum iisdem addictorum distractionem impedire.

Has tamen Priorissas ex propriis reditibus Abbatiæ prospicere potuisse, cum oneribus satisfecissent, ac potuisse ad regulæ restitutionem, atque ad ædium, Religiosæ Familiæ, & Monasticæ disciplinæ recto ordini non parum inservientium reparationes conferre, Ipsas potuisse id privatim cedere, quod e suis Beneficiis percipere poterant; cumque id se facturas receperint, debere promissa facere, quia naturale jus postulat, ut, quod promissum est, siquidem citra peccatum possit, perficiatur. Eas peccaturas, si, quod Monasterio cessissent propriæ subsistentiæ gratia, repeterent, ac præsertim si id Regulæ damno esset; quippe cum Regulæ sit multo conformius, ut Religiosæ, quæ proprii status ratione in Monasterio degere debent, bonum ab origine ex Monasterio proveniens in commune conferant, atque ita communi vitæ viam sternant, quam ut idem bonum sibi retineant. Nempe Monialium Beneficia possidentium non eadem ac Religiosorum ratio est. Hi nimirum e proprio Monasterio tenentur egredi, ut suis Beneficiis deserviant, atque ita a communi vita eximuntur.

II. Tridentini Concilii regulam super Beneficiorum pluralitate tam ad Moniales, quam ad cæteros pertinere; ac si ejus regulæ rationem haberi non lubeat, eo prætextu, quod Concilium hoc quoad disciplinam in Gallia non est receptum; eæ saltem rationes permovere debent, quæ ipsum ad ita statuendum impulerant, ne scilicet Ecclesiasticorum cupiditati faveretur, qui ditescere conantur ex Beneficiis, quæ pauperum solatio devota censentur; injustum est autem Ecclesiæ Ministros sub Christo Domino paupere ditiores, evadere, quam in humana societate fuissent: *Ne sub paupere Christo ditiores fiant.* Hoc posito, non censentur Moniales, de quibus agitur, plura Beneficia possidere posse, nisi præsto sit peculiaris ratio, ducta ex Ecclesiæ commodo atque utilitate, non autem ex eorum privato bono, quo se melius habere cuperent.

III. Priorissas, aliasque Beneficiarias non posse consanguineis suis id elargiri, quod ex Beneficiis propriis percipiunt, prout statuerunt Apostolorum Canones, quos laudat Tridentina Synodus *Sess. 25. de Reformat.* & prout ad quæstionem primam responsum fuit.

IV. Moniales simplices tuta conscientia impedire non posse, quominus Abbatissa aboleat ea arrogata Conventus jura, quæ instituta fuerant. Debent omnes & singulæ Monasterii, cujus partes, sunt, Mensæ redintegrari, præsertim cum Abbatissa promittat, sancteque recipiat se iis pro status proprii ratione in omnibus præsto fore. Violarent illæ paupertatis votum, quo se obstrinxerant, ni Abbatissæ promissis acquiescerent.

Decisum Parisiis die 8. Octobris an. 1683.
Aug. *de Lamet*.

Cum Abbatissa Abbatiæ *de Roncerai* me super proposita difficultate consuluisset una cum suis Monialibus, misi ego solutionem, quæ modo allata est; sed negotio ad Regis Consilium deducto, editum est Rescriptum, quod sequitur, decisioni meæ satis conforme.

Excerptum ex Actis Consilii Status.

Viso a Rege in suo Consilio Rescripto in eodem edito ad Supplicationem Suæ Majestati exhibitam a Domina Abbatissa *de Roncerai* Ordinis S. Benedicti, fundationis Regiæ, &c. Rex existens in suo Consilio servavit, & servat dictas Emmanuellam *d' Arsat*, Simoniam *Dupuis*, Franciscam *de la Grandiere*, Franciscam de S. Hilario, Mariam *de la Barre-de-Saaaai*, Margaritam *Dupuis*, & Carolinam *Dandigné* in possessione Prioratuum S. Lamberti, *d' Aveaire*, *du Plessis*, *de Mareil*, *du Bourg-des Moutiers*, *au Leucbe*, & *de Courtamont*, & in fruitione fructuum & proventuum ipsorum; dictam Margaritam *Dupuis* pariter in possessione & fruitione Officii Cubiculariæ dictæ Abbatiæ *de Roncerai*, & jurium ac proventuum ad dictum Officium spectantium. Id agens Sua Majestas mandavit & mandat, ut Communitas perpetuetur, & servetur in dicta Abbatia etiam quoad dictas Priorissas, quæ quotannis in Depositariæ manu solvent ter mille librarum summam, deductis ex summa pensionibus, quæ ab earum consanguineis tribuuntur; idque ob domicilium, victumque tam bene valentium, quam ægrotantium, vestitum, calefactionem, dealbationem, & subsistentiam, prorsus ut apud alias Moniales in more est; ita ut summa post dictam reductionem solvenda sit per quatuor vices, exordio ducto a die mortis postremæ Abbatissæ; in qua computabitur, quod hactenus Priorissæ solverunt, quarum ter mille librarum, & dictarum deductionum solutio fuit inter Priorissas ex eo, quod pro dictorum Beneficiorum proventibus unaquæque solvere debet; quemadmodum etiam teneantur, ut Cubicularia, dictorum Prioratuum, & Officii Cubiculariæ oneribus exacte satisfacere, & in bonum ac laude dignum usum convertere, quicquid superfuerit ex dictis proventibus, de quibus illæ quotannis dictam Abbatissam in posterum certiorem facient; & nihilominus Sua Majestas providere volens uniformitati Monialium in Regulari vita, præcepit, ac præcipit, ut contingente vacatione per mortem, & non aliter, dictorum Prioratuum, liceat dictæ Abbatissæ ad Ecclesiasticos Superiores accedere, ut procedatur ad redintegrationem dictorum Prioratuum morte vacantium ad Mensam communem, quin ulli Moniali de iis provideri, quacumque demum ratione, possit, si ea facti species contigerit; compensatis expensis. Factum in Consilio Status Regis, coram Majestate sua, habito Versaliæ *die 27. Sept. an. 1686.*

Subscriptus *Phelypeaux*.

Mo-

Monialis in Antistitam electa ab Episcopi Commissario.

CASUS LXVI.

1 *In Præfectæ electione, Monialibus post plura scrutinia non convenientibus, qui ad Episcopo præpositus est, ut præsideat, jus obtinet eam potissimum nominandi, quam ipse Monasterio administrando aptissimam judicaverit.*

2 *Moniales singulæ votorum suorum dispositionem ei relinquere potuerunt.*

3 *Dummodo in eo, quod egit, nulli essentiales defectus occurrant, Episcopus supplere, quod deest, & nominationem canonicam reddere potest.*

QUÆSITUM.

Titius ab Episcopo Delegatus, ut in Monasterio, in quo saltem dimidia votorum parte opus est, eligendam curet Antistitam, recipit bis vota per schedulas absque Scrutatricibus, & quaque vice declarat electionem factam non esse. Instant Moniales, ut sumat Scrutatrices duas, quæ cum ipso explorent vota; ille vero assentitur. Habentur in hunc modum scrutinia duo, in quibus plura, quam aliæ duæ propitia vota refert Joanna; non tamen ei suppedit dimidia votorum pars; quod Titium cogit declarare, nullam adhuc electionem existere, & Sororem Mariam Antistitam nominare, nimirum eam, quæ secundum Joannam retulit majorem votorum numerum.

In hac electione improbantur duo; primum est, Monialem nescio quam in uno e scrutiniis suam schedulam dedisse Titio, qui cum ex ea quæsivisset, sibine vocem suam exhiberet, respondit illa, ita sane, ea tu quidem utere pro libito; tum vero Titius rescissam schedulam minime legit, nec ejus suffragium in album retulit. Sane vox hæc ad electionem satis non fuisset, quoniam Joannæ ad dimidium deerant vota duo.

Alterum, quod improbatur, illud est, duas alias Moniales Titio concessisse suffragia sua tribuenda, cui vellet, ea Titium scribenda mandasse, & una cum cæteris posuisse. Ille quidem Communitatem monuit ipso electionis tempore. His omnibus positis, quæritur,

I. An Titius quinque scrutiniis ea, qua dictum est, ratione peractis, sororem Mariam Antistitam eligere ac nominare potuerit, atque an hæc nominatio rata sit?

II. Facta hypothesi, in ea defectum aliquem extitisse, an non auctoritate sua supplere possit Episcopus, jubens, ut ita electæ pareatur?

III. An Titius, cuicumque voluisset, potuerit ea vota tradere, quorum dispositionem a Monialibus duabus ei relicta esse pro certo ponitur, an non id cum Regula pugnet, nec sufficiat, ut electio nulla sit?

IV. Denique, an nova electio instituenda sit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ad definiendam propositam facti speciem, scitu dignum fore, quid Monasterii Regula, vel Constitutiones præscribant quoad formam in Antistitæ electione servandam, & quam Superiori facultatem tribuant, si qua difficultas occurrat. Cum porro ex proposita facti specie non constat in Monasterii Constitutionibus aut consuetudine quicquam esse, quod occurrentibus difficultatibus enodandis inserviat, consulendæ proinde sunt generales Regulæ; itaque respondetur,

Ad quæstionem primam, Titium Monasterii Superiorem, & ut Antistitæ electioni præsideret, ab Episcopo delegatum jus habuisse post scrutinia quinque Mariam nominandi, cum in eorum nullo Moniales in votorum pluralitatem convenire potuerint; & quod inde consequitur, electionem hanc tanquam nullam spectandam non esse. Et sane decidit hanc facti speciem Cardinalium Congregatio, referente Piacerio in Praxi Episcopali *p. 2. c. 3. n. 12. pag.* 358. *In electione*, inquit hic Auctor, *etiamsi fuerint discordes, posse Episcopum nominare unam, quam magis idoneam judicaverit, respondit sacra Congregatio an.* 1592. Tamburinus *De Jure Abbat. disp. 28. q. 6. n. 5.* asserit Episcopum, & quemlibet alium Superiorem hoc jure gaudere, cum Moniales nequaquam consentiunt. Eidem sententiæ subscribit Barbosa in Tridentinam Synodum *Sess. 25. c. 7. de Regul. n. 6.* Pelizarius *tom. 2. tr. 10. n. 106.* idem sentit, aitque eam communem sententiam esse, & ita fere fieri solere; & n. 107. animadvertit, ex Gregorii XIII. Bulla decimaquinta Superiores, Monialibus nec in uno nec in altero scrutinio concordantibus, posse duas tresve Moniales ex iis nominare, quas Monasterii regimini aptiores crediderint, ut earum unam sibi Antistitam sumant.

Ad secundam, si qua sunt vitia in hac electione, vel in ea, qua Commissarius usus est, agendi ratione, ea quidem essentialia non esse, ut proinde Episcopus rem approbans, auctoritate sua supplere censeatur, quicquid ejus Delegatus contra Regulas egerit. Itaque Moniales Mariam tanquam suam Antistitam spectare debent, quoniam earum adversus ipsius electionem acta non satis momenti habent, ut eam nullam reddant.

Ad tertiam; quemadmodum Moniales omnes in Superioris manu compromittere potuissent, ut ipse eam potissimum eligeret, quam dignissimam judicasset, ita Moniales duæ videntur Titio deferre potuisse, ut earum vota, cui vellet, ipse tribueret. In Jure nihil apparet, ac præterea in Monasterii Constitutionibus nihil extat, quod Titii consilium improbet, aut evincat in eo essentiales defectus existere; immo vero Sylvester *v. electio* 1. *q. 3.* & Pelizarius *tom. 2. tr. 9. c. 2. n. 82.* quempiam tanquam Procuratorem rogari posse contendunt, ut alterius loco nominet, iis quidem, penes quos est eligendi jus, assentientibus. Denique si quid vitii fuisset, tectum satis esset tacito Communitatis consensu; ea quippe a Titio de re tota opportune monita non reclamavit.

Ad quartam; ex hactenus dictis conficitur, novæ electioni locum non esse; ut proinde Moniales, de quibus in expositione dictum est, Mariam tanquam propriam Antistitam acceptare, & quod inde fit consequens, eidem obedire teneantur.

Decisum hac die 8. Novembris an. 1700.
G. *Fromageau*.

Monialis, quæ vota pronuntians mentali restrictione usa est.

CASUS LXVII.

1 *Edita cum interiori restrictione Professio majoris obligationis non contrahendæ, quam in Familia, cui nomen datur, obtineat, non impedit, quominus Monialis Reformationem amplecti debeat, nisi bona fide ignoraverit Monasterium in laxitate versari.*

2 *Quæ porro bona fide, & ex simplicitate in ejusmodi ignorantia extitisset, cum dispensatione ad mitiorem Ordinem migrare posset.*

QUÆSITUM.

IN Monasterio laxato, in quo haud ita pridem pristina disciplina remissa est, & in quo Superiores student Regulam restituere, quæ stramineo lecto, & quater in hebdomada, atque Adventus tempore quadragesimalibus cibis utendum præcipit; cum Novitia postremis sex Probationis mensibus caput hoc utrumque servasset, ipsa Professionis die ei venit in mentem schedulam scribere, qua significaret sibi non eam intentionem esse, ut vel quadragesimalibus cibis, vel stramentitio lecto, vel Reformationi, siquidem in Monasterio institueretur, se subderet. Jecit ante Antistitam schedulam, priusquam vota ederet, quæ deinde elata voce de more pronuntiavit. Antistita, cum ad Cantici *Te Deum* versiculum *Te ergo quæsumus* genu flecteret, conspectam schedulam legit, projecitque; in Monaste-

rio

rio sparsus est rumor, ac de re tota certior est factus Superior, a quo, cum duobus post mensibus visitationis gratia venisset, junior Monialis juridice interrogata respondit, eam se schedulam suapte sponte scripsisse, & prout in ea legeretur, se acturam contendere.

In hac facti specie quæritur,

I. An hujus Monialis Professio valida sit, atque an restrictiones, quas in animo habuit, vota perinde afficiant, atque observantias, quibus se subdere noluit? Regularis sane disciplina in hac Familia restitui omnino non posset, si ejusmodi restrictiones locum haberent.

II. Facta hypothesi, Professionem valere, ad vota quod attinet, quid consilii ineundum, ut puella hæc erratum, quod patravit, reparare cogatur, & incommoda, quæ inde possent existere, antevertantur?

RESPONSIO.

Doctores subscripti, ut propositis quæstionibus satisfaciant, existimant,

Quoad primam, Monialem, de qua sermo est, cum vota ediderit in Monasterio, in quo nonnullæ Moniales haud ita pridem a prima Regulæ ratione deflexerunt, cujusque remissio per consuetudinem legitime præscriptam firmata non fuit, teneri, non obstantibus restrictionibus, quas votis apposuit, Regulam adamussim ac stricte servare, ut sex posterioribus Probationis mensibus egit, & Reformationem amplecti, de qua instituenda Superiores cogitant, ut in Familiam disciplinam, ac primigeniam Ordinis rationem revocent.

Ut id etiam poneretur, Monialem hanc, cum Professionem emitteret, se se obligare noluisse, si forte stramineo lectulo, & quater in hebdomada quadragesimalibus cibis uti juberetur, in hac ipsa facti specie valeret ejus Professio, nec illa se a votis servandis eximere posset. Si enim eadem Professio in foro externo spectetur, rata ac firma est, quoniam nihil antea puella præsetulit, unde consilium, quod mente gerebat, se prodere posset; id non nisi post Professionem innotuit; atque inde fit, ut tanquam veri nominis Professio, atque ultro citra restrictionem edita habenda sit.

Et sane restrictio, quam Puella mente gessit, vototum substantiam non afficit, vel id, quod iis essentiale est, sed id solum, quod in vita Monastica minus præcipuum est, unum nempe lecti straminei, & Quadragesimalium ciborum certis diebus dumtaxat. Verum est igitur, re quidem ipsa puellam hanc Monialem esse voluisse, & quod noluit, accidentarium tantum esse; Religiosi quippe status essentia votis continetur. Præterea puellæ voluntas obligationis non contrahendæ, si forte ad quadragesimales cibos, & ad lectum stramineum adigeretur, restrictio est, & conditio, quam illa Professioni suæ legitime apponere nec debuit, nec potuit, quoniam super his duobus articulis laxitas nec multo ante, nec nisi a Monialium nonnullis inducta fuit; ut ejus proinde restrictio in foro externo tanquam nulla, & quasi non contigerit, spectanda sit, ac Puella jubenda Monialem agere; ejus denique censenda rata ac firma Professio. In foro autem interno major difficultas potest occurrere; tritum enim ac vulgo receptum est illud: *Actus non operantur ultra intentionem agentium*, idemque de promissionis obligatione sentiendum. Puella porro, de qua agitur, se obligandi intentionem non habuit, si forte quadragesimales cibos sumere, straminco lecto cubare, & reformationem amplecti cogeretur. Apparet ergo in ea suspensam esse votorum obligationem, vel vota ipsa nulla esse, si forte deinceps ei servanda stricte sumpta Regula proponeretur.

Sane si id spectetur, quod Puella promittere voluit, convenit in ea quidem satis gravem ac perfectam obligationem non apparere; at si ejus obligationis habeatur ratio, quam Religio contraxit, absolute ac sine restrictione Puellæ Professionem acceptaas: tenetur illa coram Deo & coram hominibus sua vota firmare, ne fallat Religionem, quæ bona fide cum ea contraxit, & quin de occulta ejus intentione moneretur, cum certum sit futurum non fuisse, ut eam Religio ad Professionem admitteret, si de ejus animo cognovisset. Si quis nempe eum alio contraheret, nec obstrictam fidem præstare vellet, non minus obligaretur, nec minus, quod promisit, implere deberet, quia justitia ac rectus ordo postulat, ut ne pars una alteram irrideat, decipiatque.

Auctores, qui de regularibus negotiis agunt, fere distinguunt inter puellam, quæ bona fide, ac non sine magna simplicitate Religionem amplectitur, quin noverit, alias, quæ serventur, austeritates in Familia esse præter eas, quas, dum ingreditur, ibidem servari videt, & inter eam, quæ non ignorat, ad alias asperitates, quæ remissione quadam non amplius custodiuntur, Regulam, quam amplectitur, obligare. In priore facti specie, inquiunt, Monialis ad leniorem Ordinem transire potest, in posteriore non potest; *Verum quidem est*, inquit Pelizarius tom. 1. tr. 5. c. 2. n. 56. *quod si profitens in Religione relaxata esset ita simplex, ut non debuerit scire Regulam illam strictius obligare, quam tunc temporis observaretur, posset transire ad Ordinem laxiorem; quia cum ipse putabat esse illam, quum Professus est: & si noluerit transire, tenebitur observare Regulam in pristino rigore. Sicut etiam tenebitur, qui seclusa tali ignorantia, tempore Professionis expresse intendit non se obligare ad Regulam, nisi prout de facto tunc observabatur: idque non ratione voti, quod non excedit intentionem voventis, sed ratione injuriæ, quam taliter profitendo intulit Ordini: cum eligens profiteri in eo, tenebatur vere profiteri.* Sanchez *lib. 6. Moral. c. 2. nu. 27. & 28.* idem antea docuerat, quemadmodum etiam Angelus *v. Religiosus*.

Ad quæstionem alteram respondetur, necesse esse, ut puella revocet intentionem, quam habuit, quadragesimalium statis diebus ciborum, ac lecti straminei obligationem, quam Regula præscribit, minime contrahendi, atque adeo vota confirmet, siquidem nec vovere, nec Reformationem, quam deinde Superiores instituerent, amplecti voluerit. Verum ut hisce abusibus occurratur, impediaturque, ne Novitiæ utantur ejusmodi restrictionibus, e quibus ansam arriperent contendendi sa non teneri Reformationes servare, si quæ fierent, ut rectus ordo ac regularis disciplina restituerentur, suaque ipsarum vota nulla esse, utpote ea conditione suspensa, ut nunquam ad Reformationem suscipiendam obligarentur: juverit, Moniales a Superioribus congregari, ac duo, quibus hujus decisionis universa vis ac ratio continetur, iis explicari; quorum primum ast, earum Professionem valere, interioribus restrictionibus, quascumque ipsæ secum effinxerint, nihil obstantibus; alterum est, eas coram Deo, & in foro conscientiæ ad omnem Regulæ austeritatem, quam Superiores pro Ordinis & Monasterii bono restituere voluerint, servandam obligari.

Decisum hac die 31. Januarii an. 1700.
G. *Fromageau*.

Moniales Paupertatis voto obstrictæ.

CASUS LXVIII.

1 *Moniales Urbanistæ, Paupertatis voto salvo & incolumi remanente, ex propriis redditibus ac pensionibus nequeunt amicis convivia parare, ac dona largiri.*

2 *Nec magis iisdem licet argenteam supellectilem, vel alia privatim mobilia bona possidere.*

3 *Propria Antistitæ permissio earum conscientiam quoad hunc articulum in tuto non ponit.*

4 *Monialibus Paupertatis votum tam aperte violantibus Confessarii absolutionem negare debent.*

QUÆSITUM.

Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctores rogantur humillime, ut super quæstionibus, quæ sequuntur, sententiam dicant, eamque subscribant.

I. Moniales Ordinis S. Francisci, Urbanistæ vulgo

go dictæ, quibus consanguinei vel amici pensionem statuunt, eane uti possunt ad dona largienda, ad convivia, vel ientacula iis ad crates paranda, a quibus invisuntur, denique ad emenda bona mobilia, quæ quidem haud ipsarum cubiculis ornandis inserviant?

II. Possuntne, quin Paupertatis votum violent, in privatis cubiculis habere argentea cochlearia, argenteas furculas, cultros argenteo manubrio instructos, aliasque argenteas supellectiles non sine Familiæ insignibus, exquisita Indica vasa, vulgo Porcellane, mappas, aliasque res omnes mensæ inservientes, ac mobilia bona inutilia?

III. Antistitæ permissio, & consuetudo, quæ in Monasterio, cum illæ ingressæ sunt, obtinebat, ut hæc omnia ibidem in usu essent, possuntne earum conscientiam in tuto ponere?

IV. Quomodo cum iis se gerere debet Confessarius, & quod de propriis ipsæ Confessionibus sentire debent, cum fortasse nunquam hæc in Confessione aperuerint, vel faciles Confessarios invenerint, qui hanc in iis consuetudinem omnino non improbarent?

RESPONSIO.

Doctores subscripti censent quoad quæstionem primam, Moniales Urbanistas, & quasvis alias, quæ se votis solemnibus obstrinxerunt, non posse, salvo paupertatis voto, uti reditibus vel pensionibus, quas a consanguineis vel ab amicis recipiunt, in gratiam nonnullorum, quibus dona præbere, vel convivia instruere volunt.

Verba ipsa Regulæ Urbanistarum, ab Alexandro IV. cum Ostiensis Episcopus esset, digestæ, ac deinde revisæ, approbatæ, mitigatæ ab Urbano IV. a quo illæ nomen sumpserunt, ad hanc decisionem firmandam sufficerent.

Edita est hæc Regula die 27. Julii an. 1263. Profertur in medium, cujusmodi etiamnum apud eas existit, & cujusmodi in earum Conventibus passim legitur. Posset etiam produci hujus ipsius Urbani IV. Constitutio, quæ incipit: *Beata Clara*, quæque data est die 18. Octobris an. 1263. Sed quia in ea repetuntur ipsissima Regulæ verba, ideo Regulam (a) ipsam afferri satis erit. Ejus ergo capite primo leguntur hæc, quæ gallice scripta, ita latine reddi possunt: *Quæcumque benedicto Sancto Spiritu afflata fuerit, ut hunc sanctum Ordinem & Religionem ingrederetur, sequens Dominum Nostrum Jesum Christum, ejusque dulcissimam Matrem, juxta consilium perfectionis, debet semper in obedientia & castitate vivere, sine proprio, & tanquam thesaurus nobilissimi Regis cœlestis remanere debet abscondita toto vitæ tempore.*

Non minoris momenti sunt Professionis verba: *Ego Soror N. promitto Deo, & beatdictæ Virgini Mariæ, & S. Francisco, & S. Claræ, & omnibus Sanctis, me victuram juxta Regulam Alexandri Papæ IV. concessam permissamque Ordini nostro ab Urbano Papa IV. in obedientia, castitate, sine proprio, adeoque servaturam clausuræ leges, prout in Regula ipsa præcipitur.*

Promissio hæc fit in facie Ecclesiæ, coram testibus, in Ordine ab Ecclesia recepto & approbato, in legitimæ Antistitæ manu, & quod inde consequitur, omnes solemnis voti, & ineluctabilis obligationis characteres habet; obligat ergo non minus quoad paupertatem, quam, quoad obedientiam, & castitatem; & quemadmodum obedientia & castitas citra sacrilegium violari nequierunt, ita ne paupertas quidem citra crimen gravissimum violari potest, ut in Jure dicitur. (*b*) Vota, quæ in cæteris Ordinibus ab Ecclesia receptis eduntur, eadem solemnitate peraguntur, ac pariter absolutam rerum omnium abdicationem secum trahunt, ut ex omnibus aliis Professionis formulis, quas hoc loco referre nihil attinet, licet intelligi.

Institutus est Religiosus status, ut redintegraretur vita primitivorum Christifidelium, de quibus dicitur Act. 4. Omnis multitudo credentium erat cor unum & anima una; nemo, quod possidebat, spectabat tanquam proprium, & omnia inter ipsos communia erant; & sequenti capite legitur formidanda pœna, quam Deus in Ananiam ac Sapphiram inflixit, qui bonorum, quæ ante Apostolorum pedes ponenda vendiderant, partem, contra ac promiserant, retinebant; idemque judicium ferri potest de Paupertatis voto, quod (*c*) D. Augustinus tulit, ad Castitatem quod attinet.

Hanc vitæ rationem Religiosi Ordines sibi proposuerunt; & cum hoc quidem discrimine, ut quod tunc consilium tantum erat, nec obligationem nisi ex promissione inducebat, strictiorem obligationem per vota secum afferat; solemnia nimirum vota holocaustum veluti quoddam sunt, quo totus animus perfecta obedientia, totum corpus integra castitate, denique res omnes abdicatione proprietatis cujusque, ac juris hæreditatis obtinendæ, vel quicpiam privatim possidendi Deo devoventur.

Hæc est doctrina D. Thomæ Prima Parte 2. 2. quæst. 108. art. 4. Hujus mundi bona, inquit, quæ non nisi ad humanæ vitæ usum data sunt, continentur hisce tribus, nempe divitiis, bonisque exterioribus, quæ concupiscentiæ oculorum objectum constituuntur; sensibilibus voluptatibus, quæ objectum efficiunt concupiscentiæ carnis; & honoribus, qui superbæ vitæ objectum efformant, ut loquitur S. Joannes Epistolæ primæ cap. 2. Jam vero Consilia Evangelica eo demum spectant, ut huic triplici bonorum generi renuntietur; atque hac nimirum ipsa, eademque absoluta abdicatione continetur universa Religiosi status perfectio; repudiantur enim omnino divitiæ per paupertatem, deliciæ carnis per castitatem, & vitæ superbia per obedientiam.

Ergo paupertatis votum cumulatissimam temporalium bonorum abdicationem secum trahit, impeditque, ne quid nisi in commune possideatur. (*d*) Ita definivit Tridentina Synodus *Sess. 25. de Regularibus cap. 1.* in hæc verba: *Sacrosancta Synodus .... præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; atque imprimis quæ ad suæ perfectionis professionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis; .... peculiaria vota, nec non ad communem vitam, & victum, & vestitum conservandum pertinentia fideliter observent*, & eadem Sess. cap. 2. subdit (*e*): *nemini igitur Regularium tam Virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tanquam propria etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

Nec dici potest Tridentinum Concilium in hoc negotio receptum non fuisse, quandoquidem hanc eamdem doctrinam jam tradiderat (*f*) Lateranensis Synodus sub Alexandro III. an. 1180. de Regularibus ac Monialibus ita pronuntians: *Non peculium permittantur habere: si vero peculium habuerit quis, nisi ei ab Abbate fuerit pro injuncta administratione permissum, a communione removeatur Altaris, & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, nec inter fratres recipiat sepulturam.*

Londinense quoddam Concilium an. 1268. celebratum Can. 42. Regularibus ea, quibus indigent, suppeditari mandat, pecuniam vero, qua ea ipsa sibi comparent, tradi prohibet: *is*, inquit, *qui super his ministrandis gerit officium, pecuniam, seu denarios non tradat pro re hujuscemodi taliter indigenti, ne proprietatis vitio super dorsum peccatoris fabricandi occasio Satanæ offeratur, sed res ipsas, prout necessitas exegerit, subministret.*

Non aliunde melius innotescere potest Tridentinæ Synodi mens, quam ex particularibus, quæ eam sunt subsecuta, Conciliis, ex Bullis Pontificum, qui post eamdem Synodum Petri Cathedram tenuerunt, ac denique ex Sancto Carolo, qui strenue ad

ipsius

(a) Regula Urbanistarum cap. 1.

(b) cap. ad Monast. de statu Monachali: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis ideo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.

(c) S. August. serm. 10. de divers. Hoc tantum attendat Charitas vestra, quia si Deo displicuit detrahere de pecunia, quam voverant .... Quomodo irascitur Deus, quando vovetur castitas, & non exhibetur?

(d) Concil. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 1.

(e) Idem Conc. cap. 2.

(f) Concilium Lateran. 3.

ipsius Synodi progressum atque absolutionem incubuit. Itaque ad ejus Decretum magis, magisque firmandum, & Conciliorum particularium, & Pontificiorum Diplomatum, & D. Caroli testimonia in medium afferre Iubet, ne quis amplius de Ecclesiæ sententia dubitandi locus supersit, ad solemne Paupertatis votum, ejusque universam obligationem quod attinet.

Cametacense Concilium habitum biennio post Tridentinum, & in quo aderant Viri dignitate ac pietate commendandi, qui Tridentino ipsi interfuerant, mandat, ut quicquid pecuniæ, vel boni Religiosus aut Religiosa vel labore, vel industria, vel consanguineatum liberalitate, vel alia quacumque ratione acquisierit, Superiori tradatur, isque eodem utatur, prout expedire judicaverit, tanquam re nullius propria, sed omnium communi.

Meclinense Concilium an. 1570. celebratum idem statuit, vetatque, ne quis Regularis accipiat pensiones annuas, reditusve perpetuos, utaturve Muneribus; vel Officiis, ut pecuniam congerat, etiamsi in animo haberet in pios usus eamdem convertere; jubetque, ut omnia omnino communi usui cedant, & pecunia, sive ex privatis pensionibus, sive ex Monasterii muniis proveniat, communi massæ incorporetur, seu in cumulum conferatur.

Ex Aquilejensi quoque Synodo an. 1596. celebrata Tridentini Concilii sententia cognosci potest (*a*): *In Monasteriis*, inquit, *in quibus omnis proprietas exulat, & omnis affectatio corrupta, servetur illa rerum omnium communio, quæ nihil habet, & cui nihil deest, quæ in egestate rerum copiam habet.*

Clemens VIII. & Urbanus pariter VIII. Bullis suis Tridentinum Concilium confirmant: (*b*) *Quo Tridentini Concilii Decreta*, inquit Urbanus VIII. *de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex featribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, aut mobilia, aut pecuniarum proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, Missis tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit; sed etiam omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis, & proventibus confundantur: unde communis inde victus ac vestitus omnibus suppeditari possit.*

D. Caroli auctoritas in hoc negotio magni ponderis esse debet, quia suam potissimum operam contulit ad Monialium moderationem, quas ut illustrem Dominicæ hæreditatis portionem spectabat. Ita ergo de unaquaque Moniali gravissime statuit in Mediolanensi Concilio 4. *tit. de Monial.* *Nummos ne modicos quidem apud se quovis nomine habeat, neque de Præfectæ etiam consensu, nisi quod gerit, officii ratio aliter postulet; alioqui ut proprietatis rea puniatur, quam pœnam & Præfecta, quæ id ullo modo, aliove prætextu permiserit, & Monialis etiam subeat, quæ resciverit, nec Præfectæ bidui spatio, aut si hæc in culpa sit, Superiori, quamprimum potuerit, non denuntiaverit.*

Ita quidem Concilia duo generalia, Lateranense scilicet, ac Tridentinum, Provincialia Concilia quatuor, Pontifices duo, Vir denique tanta doctrinæ ac sanctitatis laude conspicuus de paupertatis voto, quo se Regulares ac Moniales obstringunt, pronuntiarunt, ut proinde quæ ejus vis, ac ratio sit, quidque facere debeant, qui de propria salute ex animo cogitant, satis superque innotescat.

Ex hac responsione ad quæstionem primam facile concludi potest, quomodo quæstioni secundæ sit occurrendum, si enim tam aperte vetitum est, ne pecunia possideatur, eodem jure omnis ea supellex argentea, eaque bona mobilia privata & supervacanea, de quibus in secunda quæstione, privatim tuta conscientia servari nequeunt; id nempe absolute religiosæ paupertati repugnat. Si enim Urbani IV. cap. 3. longe maximam in vestitu modestiam requirit: indumenta, inquit, & pretio & colore vilia sint; neque enim decet, aut congruit æterni Regis Sponsam alii quam ei se tradere, ac dedere, aut ex alio voluptatem seu delectationem quærat. Et cap. octavo. *Quia*, inquit eadem Regula, perpetua nostra conversatio alia est, quam hæc temporanea, volumus, ut hujus Religionis Moniales curiositatem evitent, quæ rebus omnibus virtuti oppositis continetur, ac Deo displicet, omnemque pariter excessum, ac redundantiam in ædificiis; Regula, quæ utitur hisce loquendi formulis, nonne in Monialis privato cubiculo omnia argentea vasa, atque omnia bona mobilia redundantia proscribit?

Nil sane magis proprietatem significat, ac sæculi pompam redolet, quam propriæ Familiæ stemmata, quæ argenteæ supellectili impressa prostant; hæc omnia discrimina religiosæ paupertati repugnant, quæ postulat, ut in Monasterio omnia inter personas, quæ ei nomen dederunt, communia sint, ac nulla Monialis id spectet tanquam proprium, quod Monasterio comparavit, quoniam re ipsa nihil habet; ut enim apte S. Joan. Chrysostomus lib. 3. contra vituperat. vitæ Monasticæ c. 10. *Inde, quod omnia pervertit, ac perturbat, meum & tuum penitus eliminatum est; cuncta quippe illis communia sunt, mensa, domus, indumentum, & quod sane mirabilius est, unus etiam idemque omnibus animus est, omnes eadem sunt nobilitate nobiles, omnes eadem servitute servi, eadem libertate liberi, eædem illis omnibus divitiæ, quæ vere divitiæ sunt*, &c.

Hæc principia satis evincunt, Moniales has non posse ipsas per se ex propriis pensionibus munera largiri, vel jentacula parare, præterquam quod convivia hæc & jentacula sæpe Monialibus dissipationis occasiones sunt, præsertim si cum extraneis ad se accedentibus comedunt; (*c*) quia omnino timendum est, ne illæ extra se nimis abreptæ propriis officijs satis vacare possint. Usus hic unus satis ejusmodi pensiones & pretiosa bona mobilia damnaret, siquidem Ecclesiæ regulæ non repugnarent; cæterum ea conciliari non possunt cum Urbani IV. regula cap. a. Quæcumque sacram hanc Religionem amplecti voluerint, mundi, atque hujus fugacis vitæ fastum, ac vanitatem abjiciant.

Quod spectat ad quæstionem tertiam, præterquamquod soluta jam est sancti Caroli auctoritate, arrogata hæc Antistitæ permissio non nisi in rebus necessariis Monialem coram Deo in tuto ponere potest; nimirum potest ea quidem Regulam in nonnullis circumstantiis quoad ea, quæ Religioso statui essentialia non sunt, remittere, causa exempli ut nonnunquam Monialis ab Officio absit, abstineat ab aliquibus jejuniis, prout peculiaris ratio tulerit, modica aliqua bona mobilia necessaria retineat; & hoc in sensu explicandi sunt Auctores nonulli, dum de Præfectarum permissis loquuntur; at vero nihil illa mutare in iis potest, quæ ad votorum essentiam pertinen, nec magis potest quicquam permittere, quod paupertatem, quam quod obedientiam & castitatem lædat, ut paulo ante declaratum est ex *Cap. ad Monast. de stat. Monach.* Superiorum enim potestas ad ædificationem, non ad destructionem instituta est; atque ii quidem in hac facti specie dissipatores potius quam dispensatores essent, ut monet D. Bernardus. Tridentina quoque Synodus ejusmodi permissa proscribit, prohibetque, ne quid supervacanei, & quod paupertatem non sapiat, in Regolarium & Monialium mobilibus bonis existat. Ita enim loquitur cap. 2. Sess. 25. de Regularibus: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendum.*

Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conventuum ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat; mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat, nihilque superflui in eo sit,

(a) Concil. Aquil. tit. de Monial.

(b) Clemens VIII. cap. Nullus. Urbanus VIII. cap. Sacra Congregatio SS. Nullus.

(c) Prohibetur id Catalaunensi Concilio can. 61. Non debere Sanctimoniales in propriis mansionibus cum aliquibus masculis Clericis, sive Laicis consanguineis, sive extraneis bibere, sive comedere. Et Concilium Aquisgranense ita statuit: In Refectorio pariter quotidie reficiantur, nisi quam infirmitas, aut ætatis imbecillitas id facere prohibuerit.

eu ſit. nihil etium, quod ſit aceeſſurium, iis denegetur; quod ſi quis aliter quicquam tenere deprebenſus, aut convictus fuerit, is biennio uctiva & paſſiva voce privatus ſit, utque etiam juxta ſuæ regulæ & ordinis conſtitutiones puniutur.

Dum ita Generale Concilium loquitur, eosque ita punit, qui Paupertatis votum violant, ea retinentes, quæ neceſſaria non ſunt, ſed redundant, non ut conſilium, ſed ut ſtrictiſſime ſumptam obligarionem ſpectat id, quod in hoc negotio pronuntiat.

Ajunt fere ad purgandas penſiones eas, quarum allatus uſus ſit, eas non recipi, ſed in Monialis ab Antiſtita nominatæ manu deponi; ſed facile intellectu eſt non niſi ſucataquadam abdicationis ſpecie fieri, ut Monialis pecuniam, quam a ſuis, vel ab amicis accipit, alteri Moniali tradat, quoniam hæc quidem ejus rationem fere tenetur ei reddere, cui pecunia tribuitur, ea quoque permiſſio, quam ab Autiſtita poſtulat, ut ſibi eadem pecunia uti liceat, cæremonia quædam eſt ad proprietatem palliandam, quoniam Monialis pecuniam ſibi traditam vere ſervat, iſque mns obtiuet, ut Antiſtita non ea utatur niſi in ejus Monialis gratiam, pro qua data eſt, quæque ægre ſerret omnia bona mobilia inutilia, & ſupellectilem, de quibus dictum eſt, vendi ad Communitatis utilitatem, vel ad alterius Monialis privatum bonum; atque ex eo quoque proprietas oſtenditur, quod æs alienum contrahitur, ac deinde ſolvitur ex penſione, cum recepta eſt, quod argumento eſt eam ſpectari tanquam propriam, atque Antiſtitæ permiſſione Monialem coram Deo purgari non poſſe.

Hujus autem Familiæ conſuetudn ac praxis, de quibus in quæſtione tertia dictum eſt, Moniales has ita ſe gerentes excuſare non poſſunt, cum veri nominis abuſus ſint, utpote Regulæ, quam Moniales hæc profitentur, & paupertatis voto repugnantes. Conſuetudines, quæ tolerantur, ſunr exactæ diſciplinæ relaxationes, pedetentim inductæ, ſed ad ea ſpectant, quæ promiſcue ſe habent, & nunquam ullius obligationibus, ac naturali, divinæque Legi opponuntur; aliquas tantum cæremonias, vel aliquos ſervandarum harum Legum modos afficiunt; at mutari poſſunt, prout peculiaris aliqua ratio tulerit; verum nec conſuctudo, nec uſus contra id, quod naturalis & divini juris eſt, unquam præſcribere poteſt. Appoſite Tertullianus *lib. de velandis Virginibus* commendat *veritatem, cui nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegia regionum; eu bis enim fere conſuetudo initium ab aliqua ignorantia, vel ſimplicitate ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur, & ita adverſus veritatem vindicatur; ſed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit.*

Non igitur hujus omnis argenteæ ſupellectilis, ejuſdemque ſupervacaneæ, de qua in quæſtionibus dictum eſt, ſingularis ac privata poſſeſſio purgari, firmatique ex eo poteſt, quod abuſus hic in Familia Profeſſionis tempore inventus ſucrit contra profeſſionem ipſam in facie Eccleſiæ peractam, nil ſcilicet proprii poſſeſſum iri. Verum quidem eſt, Monialem, quæ in Familiam ingreſſa, in qua Profeſſionem emiſiſſet, reperiſſet ibidem jucundum morem, & ex longo tempore inſtitutum veſcendi carnibus, linteam ſubuculam deferendi, & non niſi per aliquot horas ſilentium ſervandi, adigi non poſſe ad quotidianum quadrageſimalium ciborum uſum, ad villoſum ſagum geſtandum, ad ſilentium non interruptum cuſtodiendum, quia nihil horum ad Regularis ſtatus eſſentiam pertinet, nec ad ejuſmodi res ipſa ullo ſe voto obſtrinxit. At nunquam præſcribi poteſt adverſus votorum trium ſolemnium eſſentiam, quæ nempe temporalium bonorum, honorum, voluptatum abſoluta abdicatione continetur, ut ſupra dictum eſt, perpetua ſcilicet obedientia, caſtitate, & paupertate, prout expreſſa Profeſſionis verba ſignificant, quorum non involutus eſt ſenſus, ſed ita in medio poſitus, ut nullus ſuperſit ignorantiæ prætextus, quoniam Regula capite ſecundo mandat, ut Moniales, antequam Religioni nomen dent, ipſam audiant: omnibus, inquit, hanc Religionem amplecti volentibus, antequam habitum ſumant, declaretur Regula, atque explicentur pœnæ, atque auſteritates, quas exantlare, ac perferre debebunt. Ea quidem non ſemel Probationis tempore lecta eſt, atque ita Moniales ignorare non poſſunt, quid demum ſit vivere ſine proprio.

Moniales ergo, de quibus agitur, nec conſuetudinem, nec ignorantiam prætexere poſſunt; & conſuetudini quidem in hac facti ſpecie nullum locum eſſe magis etiam conſtat ex Regulæ octavo capite, ex quo liquet, quæ demum Urbani IV. mens fuerit, quoad hanc Regulam quam emendavit, cuſtodiendam.

Nos decernimus, inquit, nemini ſeu Eccleſiaſtico ſeu Sæculari licere præſenrem hanc Regulam, quæ Nobis probata eſt, mutare & corrigere, infringere aut ſolvere, vel ullo modo, quæ in ea continentur, invertere, vel temere contra ire; ac ſi id rentare præſumpſerit, ſciat ſe ſubiturum indignationem omnipotentis Dei, ejuſque beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Itaque ſi quid accidit mutationis in Regula per ſummos ſubſecutos Pontifices, id non niſi ad jejunia, ad ciborum rationem, ad ſilentium, ad aliquas alias quaſi Regulæ appendices ſpectavit, ut ex Julii II. & Eugenii IV. Bullis apparet; ad vota porro non ſpectavit omnino.

Jam vero quis dubitet, Regulam, quæ his utitur loquendi formulis, ſtricti juris non eſſe, nec in rebus Religioſo ſtatui eſſentialibus, quæque votis ſolemnibus promiſſæ ſunt, in foro conſcientiæ obligare? Quis autem putet uſum & conſuetudinem excuſationi eſſe poſſe? Eccleſiaſtici quidem Juris eſt Regula; at ſervandæ paupertatis votum, quod ibidem emittitur, naturalis & divini Juris eſt, ac proinde nullam contrariam conſuetudinem patitur: *vovete*, inquit Propheta, (*a*) *& reddite Domino Deo veſtro*, quod nempe voviſtis. Et Sapiens Eccleſiaſtes cap. 5. *ſi quid*, inquit, *voviſti Deo*, (*b*) *ne moreris reddere; diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio, ſed quodcunque voveris, redde; multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.* Si Spiritus Sanctus ita loquitur in Lege veteri, quid de votis in Lege nova vinlatis ſentiendum eſt? An non eorum violatio criminoſa cenſenda eſt? Ita conſtat hæc veritas, ut Rodriguez Societatis Jeſu Scriptor in Libro de Chriſtiana & Religioſa Perfectinne, tertia parte, Tractatu tertio, capite 10. pag. 190. ſuper hoc negotio loquatur in hunc modum: Ajo, fidenterque pronuntio, ſi nobis paupertas per Regulas tantummodo præſcriberetur, peccatum mortale non fore eam non ſervari; at quoties id, quod Regula nobis præſcribit, cæteroquin voti quoque materia eſt, dubitari non poſſe, quin nos ad hanc eamdem Regulam cuſtodiendam ſub mortalis peccati pœna teneamur, non quod ſub peccati pœna obligandi vim Regula habeat ipſa per ſe, ſed quod votum, de quo ea loquitur, ad id nos obliget.

Id nimirum in cauſa eſt, cur Superiores in Regula diſpenſare non poſſint, eorumque permiſſiones irritæ ſint. Hinc Audamaro politanum Concilium an. 1583. celebratum, poſtquam religioſum ſtatum cum primitivis Chriſtifidelibus comparavit, perfectam abdicationem requirit. Id inquit, nos præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, tanquam, ad hanc quidem rem quod attinet, ejus locum tenentes; in quo quidem nihil mandamus, quod Superiores non omnino facere debeant, quin ulla diſpenſandi facultate gaudeant, & quin Religioſi ſe excuſare poſſint vi promiſſionis, quam Deo obſtrinxerunt; proprietatis enim abdicatio, æque ac caſtitatis ſervandæ obligatio adeo Regulari ſeu virorum, ſeu mulierum ſtatui eſſentialia ſunt, ut ne ipſe quidem Pontifex indulgere quicquam poſſit, quod alterutri adverſetur, ut declaratur in Jure Canonico, *Cap. ad Monaſterium de ſtatu Monachali* ſupra laudato, quia votorum obligatio aliquid divini habet, quod nullam patitur diſpenſationem.

Quod ſi *qui ſpernit modica*, ut eſt in Sacris Litteris, *paulatim* decidet, ſe nempe gravioribus pedetentim obnoxium reddit; (*c*) in quem ſe abyſſum præcipites dant,

(a) Pſal. 75.
(b) Eccleſ. c. 5.

(c) Eccleſ. 10.

dunt, qui voluntariis transgressionibus in rebus maximi ponderis Regulam ab Ecclesia receptam violant; Et quo non illi se crimine adstringunt, vel cum arrogatis ejusmodi permissionibus, quas omnes Ecclesiasticæ Leges damnant, ut hactenus probatum est? Quoniam solemne votum non modo proprietatis abdicationem complectitur, ut nempe rerum, quæ præ manibus habentur, dominium nullum sit, nulla proprietas, verum etiam complurium commodorum privationem continet, ut ex rebus quoque necessariis aliquid decerpatur; atque id nimirum est, quod dicitur ratio paupertatis, ad quam Religiosi omnes contendere debent, inquit D. Hieronymus, siquidem proprii status obligationibus deesse nolint. Qua mobrem Monialis, quocumque demum sit genere, se tamen semper ut pauperem spectare debet, nec magis, quicquid ei datum fuerit, administraro potest ipsa per se, quam filiusfamilias domestica bona, quamdiu vivit ejus pater aut mater, vel sub tutoribus ipse est, ex Juris Canonici trita regula: quicquid Regularis aut Monialis acquirit, Monasterio acquirit.

Dici fortasse posset ad jentacula vel convivia, de quibus in quæstionibus dictum est, excusanda hospitalitatem in sacris litteris magnopere commendari, atque inhumanum durumque fore consanguineos aut amicos absque ullo urbanitatis officio dimitti.

Commendatur quidem hospitalitas in S. Benedicti Regula, at in Urbanistarum Regula tale nihil occurrit; non desunt ramen, quæ necessitas atque æquitas ipsis permittere possint, præsertim dum ruri versantur; semper tamen modestia servanda est, & quicquid tribuitur, ex Communitate sumendum, quæ quidem pensiones recipiens id suppeditare poterit, atque adeo, necessitate ita postulante, debebit; aliter quippe ejusmodi jentacula & convivia Monasterii dissipationi atque innumeris perturbationibus occasionem præbere possunt.

Jam ut quæstioni quarto loco propositæ satisfiat, ex jactis principiis facile intellectu est, quid sentiendum de Confessionibus editis cum habitu non intermisso paupertatis votum violandi, recipiendis dandisve muneribus, retentaque in privato cubiculo argentea, eaque non mediocri supellectili, non sine aliis supervacaneis bonis mobilibus, quandoquidem transgressio hæc generalibus Conciliis duobus, particularibus compluribus, duabus Pontificum Bullis, Regulæ, in qua votum emissum est, S. Caroli, ac multorum, quorum testimonia proferri possent, Theologorum sententiæ adversatur, e quibus omnibus, ut ex iis, quæ allata sunt, licet intelligi, liquido constat, omnium temporalium bonorum absolutissimam abdicationem ac renuntiationem paupertatis voto requiri. Confessarius ergo, qui Monialem in opposita praxi versari non ignorat, eidem absolutionem negare debet, si satis monita, & rationes, quibus consilium mutare debeat, probe cognoscens renuat in viam redire; Monialis vero, ut tura conscientia sit, debet omnem eam argenteam supellectilem, ac bona omnia mobilia supervacanea, quæ in proprio cubiculo retinet, Antistitæ tradere, omnem a suscepta Religione aneam vitam, accurata Confessione generali, repetere, suamque omnem fiduciam ponere in bonitate ac misericordia Christi Domini, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat.

Decisum Parisiis hac die 14. Novembris an. 1696.

Subscripti,

Pirot Cancellarius Ecclesiæ & Universitatis Parisiensis.
De Lamet Parochus S. Eustachii.
Fr. *Robine* Augustinianus.
G. *Fromageau* ex Familia & Societate Sorbonica; & quadraginta alii Doctores cum iis, qui hunc Casum subscripserunt.

REPARATIONES.

Quoniam in sequenti casu de iis modo reparationibus, ad quas Beneficiatus tenetur, est sermo; ut in hoc tantum capite disputatio versetur, constans omnino firmumque est, ex præcipuis Beneficiarii obligationibus unam reparationibus contineri; ille quippe quoad forum externum Usufructuarius censetur; ac propterea hypothecæ subduntur omnia ejus bona a suscepta possessionis die. Tenetur ergo locis prospicere, ac si malo Administratori succedat, ei solum in hæredes actio est.

Quod attinet ad reparationes, in quibus de collapsis ædificiis a fundamentis restituendis agitur, ad eas non tenetur nisi quoad Beneficii partem tertiam, duabus aliis partibus ad ejus subsistentiam, servitiumque præstandum spectantibus. Eadem ratio est annuarum reparationum tempore Decessoris, cujus hæreditas solvendo non est; ad eas nempe quoad tertiam tantum partem successor tenetur. Ad has distinctiones statuendas Beneficiatus possessionem iniens curare debet, ut Periti invisant loca de Mandato Judicis Regii, cujus ea Jurisdictioni subduntur, ejusque verbali Sententiæ stare debet.

Reparationes non ad Ecclesias tantum pertinent, sed ad Domos, ad Locationes, ad Villicationes, & generatim ad omnia ædificia a Beneficiis pendentia. Quod spectat ad Parochiales Ecclesias, distinguuntur earum partes; ut qui decimis majoribus gaudet, ad Chori & Cancelli reparationes teneatur; quod reliquum est, Incolæ curare, & Parocho domicilium parare debeant. Sunt loca, in quibus absque ulla Chori & Navis distinctione a Decimatoribus pars tertia confertur; alibi vero alius cæmenta suppeditat, Artificum operam alius; cujusque loci consuetudo tenenda est.

Episcopi est visitationis tempore necessarias reparationes præcipere; atque in eum finem Censuris Ecclesiasticis uti potest; quod tamen non impedit, quominus in Gallia Regii Judices reparationibus invigilare, & Beneficiatos, eorum temporalibus reditibus sequestro positis, ad eas compellere debeant, quia nempe Rex exterioris disciplinæ Protector est.

Reparatio ab eo præstanda, qui resignavit.

CASUS.

Beneficiatus, qui Beneficium suum resignavit, retenta omnibus fructibus, quos producit, deductis oneribus, Prioratus sui Chorum, statim a resignatione collabentem restituere tenetur. Lapsus hic argumento est, necessarias reparationes opportune a Resignante factas non fuisse.

Lamet Tom. II.

QUÆSITUM.

Clericus Titularis Prioratus S. Benedicti eum resignat Monacho Benedictino Congregationis S. Mauri, sibi reservans reditus omnes, solutis oneribus, juxta Privilegium a summis Pontificibus in Reformationis gratiam concessum, ut regularia Beneficia in pristinum ac naturalem statum restituantur.

Post aliquot a resignatione dies Chorus Ecclesiæ dicti Prioratus ruit ipse per se. Contendit Resignatarius Resignantem ad ejus reparationem teneri.

 I. Quia

I. Quia cum naturali Jure aperte pugnat, ex Beneficio plus percipit, quam producit; id autem caderet in Resignantem, si, cum reditum omnem ipse perciperet, teneretur præterea Resignatarius vel suis ipsius, vel Ordinis impensis eam reparationem conficere.

II. Quia hoc Chori excidium, ex vetustate proveniens, multo anta resignationem cœpit; cumque Resignans per annos quindecim Beneficium possederit, excidium proinde illud eum potius spectat, quam novum possessorem, qui modo ad Beneficium accessit. Ecclesiæ Chorus non corruit de repente, quasique momento temporis; ruina dubio procul multo ante imminebat; ac jare quidem præsumi potest, repentinum casum non contigisse nisi ejus culpa, qui, prout tenebatur, cum non prævenerit, atque impedierit.

Respondet Resignans, se, cum egerit bona fide, ad id, quod forte fortuna post resignationem tantam contigit, non teneri. Non amplius ego sum Prior, inquit; calamitas hæc ad Resignatarium spectat; id ego non diffiteor; sed ad me quidem malum hoc non magis pertinet, quam ad eum, qui bona fide domum vendidisset, pertineret, si statim post contractum incenderetur, vel immediate post emptionem collaberetur.

Instat Resignatarius, casum hunc non ex eo ipso temporis puncto, quo contigir, pensandum esse; cecidit sane subito Chorus, & non pedetentim; sed casus hic ipse satis evincit, Chorum multo ante resignationem inibi fuisse, ut laberetur, ac non nisi Resignantis negligentia lapsum esse.

Cum porro dicitur, is, qui domum vendidit, eam restituere non teneri, si ea malo fato statim post conventionem ceciderit, vel flammis absumpta fuerit; ita tum solum habet, cum excidium impediri nec potuit, nec debuit. At in hac facti specie Resignans Prior extitit per annos quindecim; Choro prospicere tenebatur; & cum non ita se gesserit, excidii rationem reddere debet.

Contendit præterea Resignans, Resignatarium suum in se ipsum jacturam hanc rejicere non posse, quia satis compensabitur proventu, quo Monasterium post ipsius mortem gaudebit, qui quidem proventus tunc ad Congregationem, & ad Familiam, cujus ille Religiosus est, pertinebit.

Resignatarius reponit, si resignati Beneficii fructus omnes retineri non possunt, ac si eos Resignanti tribuendi Privilegium non alia de causa S. Mauri Congregationi concessum fuit, quam in Reformationis gratiam, atque ut Beneficia Regularia in primigenium ac naturalem suum statum restituerentur: multo minus licere contendere, ad vetustatis reparationes, quæ Resignantem uniee afficiunt, Resignatarium teneri.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Resignantem ad Chori, de quo agitur, reparationem ex Regulis obligari, quia paulo post resignationem vetustate, ac sua quasi sponte collapsus est. Et sane fit vero simillimum, eum, si qui Prioratum hunc possedit annorum quindecim spatio, consuluisset, & necessarias reparationes exhibuisset, non ita statim ac de repente lapsurum fuisse. Resignantis ergo culpa factum est, ut ille tam depravatus ac labilis evaderet, atque immediate post resignationem subito laberetur.

Non idem autem de Ecclesia judicium ferendum est, ac de domo vendita, quia Proprietarius post venditionem non amplius ejus rationem reddere debet; at Beneficiatus ædificiorum Beneficii sui nec Dominus ast, nec Proprietarius, sed Administrator tantum est, & hoc quidem titulo ejus curam gerere debet. Quamobrem si hac in re defuit, in eum, vel post ipsius mortem in ejus hæreditatem actio competit.

Nec refert, Resignanrem satis damni subire, dum Prioratum suum Regulæ subdit, seque privat resignandi jure, quo gaudebat. Erenim respondetur, satis eum compensari, dum ipsi, quoad vixerit, omnes Beneficii fructus absque ullo prorsus onere conferuntur. Præterea si Resignans, dum Prioratum cederet, in animo habuisset, reparationes in Resignatarium rejicere, & id exegisset tanquam conditionem, sine qua minime resignasset, simoniaca fuisset ejus intentio; dedisset quippe rem spiritalem in eum tantum finem, ut temporale commodum consequeretur, seque onere, quod in se cadere debebat, liberaret; quod sane proprie dicta simonia foret.

Denique esto Resignatarius, perspecto locorum statu, conticuisset, non inde tamen concludi posset, eum renuntiasse juri, quo gaudebat, reparationes, quæ ad Resignantis tempus pertinuissent, ex ipso exigendi. Id magis est e converso rationi consonum, ideo Resignantem de reparationibus siluisse, quod eas de jure deberi sciret, ac vereretur, ne, si de iis verba faceret, id quidem resignationem impediret, ac propositionibus, quas ipse nec acceptare nec exequi potuisset, ansam præberet.

Ex his omnibus sequitur, Resignantem teneri, Chorum Prioratus, de quo agitur, restituendum curare.

Decisum Parisiis die 10. Julii an. 1698.
G. *Fromageau*.

RES INVENTÆ.

Rerum inventarum quis usus esse debeat.

CASUS.

Res inventæ restituendæ sunt, invento Domino; aut non invento, in bonis operibus insumendæ.

QUÆSITUM.

ROgantur Domini Sorbonæ Doctores, ut ipsis placeat super insequenti Casu decisionem suam tradere, eamque rationibus, atque auctoritatibus confirmare.

Novemdecim ab hinc annis Titius ad celebres nundinas proficiscens, in orbita ad Urbis, in qua eæ celebrantur, ingressus saccum aureis & argenteis nummis plenum invenit ad trium mille librarum summam. Postridie ex amici consilio, suoque ipsius instinctu id egit, quod Divus Augustinus Serm. 19. de verbis Apostuli Mediolani, ubi tum degebat, in simile facti specie se egisse narrat, videlicet affigendam curavit in viis schedulam, qua omnibus notum fecit pecuniæ summam non mediocrem a quodam repertam esse, & in Urbis certa domo reddendam ei, qui idoneis argumentis eam a se amissam esse probavisset. Libellus hic pro concione lectus ab omnibus Urbis Parochis, & ad omnia circum loca missus est. Adbuc tamen sciri non potuit, quis hanc summam amiserit, licet sequenti anno earumdem nundinarum tempore rursus eadem diligentia adhibita fuerit, ac negotium adeo notorium ob rectum ejus animum, qui hanc pecuniam invenit, perinde atque ob curas, quas ejus proprietarii detegendi causa suscepit, magnum in Provincia atque adeo longius tumorem excitaverit.

Qui hanc summam invenit, aliquot post annos ea usus est, tanquam bono, quod insperata successione ad eum devenisset; non ei angusta domi res, aut numerosa familia ast; atque ita tanquam pauper & in egestate constittuus spectari non potest; est præterea, cur ab avaritia alienus ejus animus commendetur, quoniam ipse suapte sponte inventæ summæ plusquam sextam partem in piis operibus atque eleemosynis collocavit, sed quod reliquum est, retinet tanquam pecuniam ad se pertinentem; & nondam, graves licet rationes eidem attulerit ejus Parochus, adduci potuit, ut sententiam inter Casuistas ad eo communem amplecteretur, id nempe, quod inventum est, in piis operibus impendendum esse, juxta intentionem, quæ in eo præsumitur,

qui

qui id amisit. Nihilominus palam facit, spondetque fore, ut in eam sententiam descendat, si Sorbonæ Doctores decideriut ipsum ad id in conscientiæ foro obligari, dummodo rationes diluerint, quas, ut præsidium quærat, sibi præsto esse contendit, quæque ei a magni nominis Viro, cujus colonus est, suppeditatæ fuerunt.

I. Asserit, quicquid e Sacris litteris, Sanctis Patribus, ipsoque Divo Thoma in medium affertur, ad Casuistarum opinionem firmandam, id unum evincere diligenter curandum esse, ut qui jacturam fecerit, detegatur; eique detecto id, quod ad eum pertinet, restituatur, & inventa res ei reddenda servetur, quoad ejus detegendi spes aliqua supersit; atque opponit animadversiones, quibus ejus Parochus se prorsus ad rem respondere non posse fatetur.

II. Se summam hanc retinentem de avaritia argui non posse, quoniam in piis operibus non mediocrem ejus partem impendit, quod autem remanet, non ad se supra suam conditionem extollendum, aut filios suos aptius collocandos, sed ad eos tantum in honesta mediocritate sustentandos inservit. Minus etiam, ait, accusari potest, quod alienum bonum retineat, quandoquidem ipse per se huic possidendæ pecuniæ ineptus non est; cum civiles leges, quæ thesaurorum usum definierunt, de amissis bonis nihil statuerint, cum eorum proprietarius ignotus est: asseri & illud potest, eum, qui hujus pecuniæ jacturam fecit, ad eam nullum amplius sibi jus arrogare, quia ejus recuperandæ spe decidit. In his circumstantiis hoc bonum pro relicto habendum est, eorumque naturam induit, quæ prorsus domino carent, & cedunt *primo occupanti*; quæ quidem pertinere non possunt nisi ad Principem, aut ad veterem possessorem, aut ad Ecclesias, aut ad Pauperes; porro non spectant ad Principem, qui iis sibi vindicandis nullam omnino legem edidit, quemadmodum sibi thesaurorum, qui reperiuntur, partem vindicat. Antiquus possessor boni, quod perdidit, suum omne ad illud jus propter obolum cederet, ejus inveniendi jam omni spe destitutus; atque ita is, in cujus manus res incidit, eam sibi retinens, nullam eidem injuriam infert; neque vero dici potest hoc bonum ad Ecclesias, Pauperesve spectare, quoniam nulla occurrit lex, quæ jus iis tribuat hujusmodi boni sibi arrogandi.

III. Ei quidem, qui scuta mille reperit, opposita est Fidelium consuetudo; nonnullæ Synodi, & Constitutiones Episcoporum, Theologorumque consensus, a quibus D. *de Sainte Beuve* non recedit, quo in dubio tutiorem partem eligere cogeretur; verum ille respondet consuetudinem non talem esse, qualis jactatur, & quæcumque demum sit, vim legis omnino non habere; Synodos & Episcopos de rebus inventis non loqui, sed solum de ablatis, aut male acquisitis, quarum ignorantur domini, & quas retinendi titulus nullus adest, cum e converso ipse suæ bonæ fortis titulum habeat, & nemini injuriam faciat; contenditque saltem has Synodos satis habere res inventas pauperibus elargiendi consilium proponere, non autem id faciendi obligationem ingerere voluisse, quoniam earum est ejusmodi tantummodo leges condere. Negotium hoc est pure temporale, in quo Principes tantum quicquam statuere possunt. Casuistas vero non magni facit, quorum alter, inquit, alterum describit, quique fere non satis confirmant, quod proponunt, præsertim cum plures eorum, qui arrogatæ hujus obligationis pauperibus inventa tribuendi originem investigarunt, ausi non sint pronunciare eam aliqua naturali aut civili lege niti, sola consuetudine, & supposito Ecclesiastico jure eidem faventibus.

Denique cordati Viri Parocho, qui consulit, ajunt ipsum jure absolutionem ei negare non posse, qui hanc pecuniam invenit, quod ille renuat eam Ecclesiis & pauperibus universam tribuere, cum eum de hac obligatione argumentis irrefragabilibus convincere nequeat, in ea præsertim, in qua est, animi præparatione se pecuniam antiquo possessori redditurum, si, quod ab omni spe longissime distat, is detegatur. Ajunt & illud, Parochum ipsum deinceps teneri summam, quæ ut in eleemosynas erogaretur, ipse auctor fuisset, pœnitenti de suo restituere, quia nullum jus habet hominem suæ curæ concreditum eo bono spoliandi, quod ei divina providentia comparavit, donec ipse consilium suum opinione tantum problematica firmare possit.

Sorbonæ Doctores pergratum fecerint, si æquo animo tulerint se rursus orari, ut suam decisionem ita confirment, ut possit pœnitentem convincere, qui magnopere ratiocinatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, antequam iis satisfiat, quæ Expositione continentur, animadvertendum esse non hic agi de Thesauro ex rebus a tempore propemodum immemorabili occultis composito, quæ proinde res domino carent. Quæstio nempe est de rebus inventis; earum porro genera sunt tria, I. aliæ sunt, quæ nunquam dominum habuerunt, cujusmodi sunt, quæ in maris littore reperiuntur, margaritæ, auri grana, lapilli pretiosi, atque id genus alia; hæc nempe juxta Divum Thomam 2. 2. *q.* 66. *art.* 5. & Justinianum in suis Institutis titulo *de rerum divis.* §. *item* sunt inventoris. II. existunt res inventæ, quæ dominum quidem habuerunt, sed pro derelictis habentur, quia dominus de iis recuperandis non est sollicitus, in suarum rerum numero non amplius easdem habens; hæ res, Divi Thomæ Sententia, pertinent ad inventorem; quod etiam declarat Imperator Justinianus loco laudato §. *hoc amplius*, dum inquit: *Pro derelicto autem habetur, quod Dominus ea mente abjicit, ut id in numero rerum suarum esse nolit: ideoque statim dominus esse desinit*. III. denique sunt res haud ita pridem amissæ, quæ Dominum habuerunt, & etiamnum habent; ac de his quidem in expositione sermo est, quoniam de trium mille librarum summa agitur, quam quis invenit in via publica Urbis ingressu novemdecim ab hinc annis.

Hoc posito, respondetur, Titium, qui hanc summam reperit, quin Dominum inveniret, adhibuerit licet curas omnes ad eum detegendum necessarias, teneri eam pauperibus tradere, nec tanquam propriam sibi retinere posse. Nititur id auctoritate Divi Thomæ 2. 2. *q.* 62. *art.* 5. *ad* 3. ubi de bonis incertis verba faciens, quorum Dominus ignoratur, hæc habet: *Quod si ille, cui debet fieri restitutio, sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest; Scilicet dando in eleemosynas pro salute ipsius, sive sit mortuus, sive sit vivus; præmissa tamen diligenti inquisitione de persona, cui restitutio est facienda*.

Theologorum agmen in hanc decisionem ivit manibus pedibusque. Nulla est sane civilis aut canonica lex, quæ res inventas Ecclesiis aut pauperibus tribuat, verum id quoque conveniat necesse est nullam prorsus legem esse, quæ earum dominum illum constituat, qui eas invenit. Auctor Legum civilium secundum earum ordinem naturalem *tom.* 2. *l.* 3. *tit.* 7. *de possessione sect.* 2. *ad* 8. *pag.* 428. contendit rei amissæ inventorem, cum pro viribus dominum inquisierit, si eum non detexerit, ejus dominum existere, donec proprietarius appareat, suumque jus probet; Auctoris in hunc locum adnotatio est, si dominus detegi nequeat, perinde esse, ac si res nullius esset.

Verum hic Auctor in suæ sententiæ confirmationem nullum Juris textum expressum citat, ita ut hæc sit singularis opinio communi Theologorum & Jurisconsultorum sententiæ repugnans. Fatetur id Soto *l.* 5. *de Just. q.* 3. *ad* 2. *circa finem*, Soto, qui primus & antesignanus est exigui numeri recentiorum Theologorum in hoc articulo veteribus oppositorum. En ejus verba: *Est quippe fere unus consensus tam Theologorum, quam Jurisconsultorum, ut Summistæ ajunt, quod sunt pauperibus restituenda*. Posset etiam contra hunc Auctorem citari lex *Omnes peregrini l.* 6. *cod. tit.* 58. in qua dicitur, in piis operibus impendenda esse peregrini bona, cujus consanguinei ignorantur: *Si peregrini intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur*.

Si ergo nec in Evangelio, nec in Jure positivo ulla est expressa regula, qua clare definiatur, ad

quem demum res inventæ pertineant: quidni dici possit earum dominus id in animo habere, ut eæ pauperibus tribuantur? Ita saltem præsumi potest; est enim maxime probabile, eum, qui pecuniam, aut aliud quicpiam amisit, cujus semper est dominus, pergratum habiturum, si ad suam ipsius salutem id impendatur, sibique, ut loquitur Divus Thomas, *secundum id quod potest*, restituatur, *scilicet dando in eleemosynas*, ut cum amissa res suo domino, qui non cognoscitur, amplius inservire non possit, ejus Spiritali bono saltem inserviat. Quod sane fit, cum res inventa tribuitur pauperibus, qui pro eo orabunt, ad quem ea pertinebat, aut cum in piis operibus, quæ ipsi ad salutem proderunt, collocatur.

Id in causa fuit, cur plerique Theologi, quorum auctoritas in iis, quæ nec lege nec consuetudine decisa sunt, regulæ loco esse potest, hanc sententiam amplecterentur. Jam vero in quæstione, quam nos expendimus, Theologorum Divum Thomam sequentium numerus atque excellentia sententiam hanc cæteris magnopere præferunt. Vide Sylvium, Auctoresque, quos laudat in locum Divi Thomæ, 2. 2. *q.* 66. Sylvestrum *v. inventum q.* 2. pluresque alios Theologos & Jurisconsultos ab iis appellatos, qui hanc materiam pertractant, quibus addi potest Dominus *de Sainte Beave tom.* 2. *Casu* 159. qui censet inventa pauperibus tribuenda esse, cum factis inquisitionibus eorum dominus cognosci non potest; Molina *t.* 2. *de just. disp.* 746. Diana *tom.* 9. *tr.* 5. *resolut.* 16. Layman denique *lib.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 25. in medium affert Auctores plures in communem Sententiam, quam piam & tutiorem putat, licet contrarium ei *valde probabile* videatur.

Soto, qui pro opposita sententia se clarius explicuit, profiteri non audet suam cum veritate cohærere; satis habet asserere, ut amissas res ad eum, qui invenit, pertinere contendat, graves rationes sibi præsto esse: *Licet ergo non audeam contra communem opinionem asseveranter quicpiam affirmare; sunt tamen mihi gravissima momenta, quibus inventor possit sibi in conscientia retinere*. Verumtamen communis sententia præferenda est, tanquam tutior, ac proinde res inventæ Ecclesiis ac pauperibus tribuendæ sunt. Quamobrem Azorius 3. *p. l.* 4. *c.* 27. Sotum refellens in veterum modum concludit, re funditus examinata: *Hæc opinio*, inquit, *mihi videtur in praxi sequenda tanquam communis apud antiquos maxime; ejus enim generis bona non carent domino, licet ignoretur. Ergo furtum committit, qui ea bona propria auctoritate usurpat ac, retinet*.

Neque vero ad eludendam Theologorum auctoritatem, ut est in Expositione, Casuistis accommodandum est illud, *qui unum norit, omnes norit*; hæc enim disputatio, si locum haberet, longius abiret, quam par est, quoniam eo tendit, ut Theologis eripiatur argumentum, quo ad eorum, quæ proponunt, veritatem firmandam utuntur. Idem quippe in alia quaque materia de communi sententia dici posset, id quod esset in Theologicis controversiis, ut est in morali, summopere perniciosum. Expendendæ quidem sunt assertionis rationes; at cum ea inter probatos Auctores communior est, id argumento est eam gravibus momentis niti; atque hoc in causa est, ut probabilior ac tutior sit.

Dicere porro res inventas pro relictis, aut tanquam bonam sortem a Providentia oblatam habendas esse, falsum principium est, quod absque fundamento pro certo ponit amissarum rerum nullum omnino dominum esse. Id de relictis tantum rebus asseri potest, quia qui earum dominium habet, ei renunciasse censetur; cum res inventæ dominum habeant, cui statim atque innotuerit, reddendæ sunt; atque ita tanquam bonum, quod inventori non cedit, spectandæ sunt. Quamobsem ipsarum, ut boni vacantis dominium a providentia in eumdem translatum esse dici non potest.

Existit in Jure lex, quæ ei alienum bonum adjudicat, & proprium reddit, qui certum post tempus id possidet; lex scilicet præscriptionis. Si ergo qui rem invenit, eam ad se spectare contendit, postquam necessarias curas adhibuit, ejus est jus hoc per aliquam legem ostendere; dicere enim rem in via publica inventam esse, absque ullo titulo, non videtur ad proprietatem vindicandam id satis esse, quoniam fidelium consuetudo contrarium præscripsit, qui quidem ejusmodi bona in piis operibus impendere consueverunt, ut ait Palao *part.* 7. *pag.* 47. *ex consuetudine inter fideles videtur præscriptum, ut hæc bona in pios usus expendantur*.

Utut res habeat, tantum absuit, ut Divus Carolus crederet satis esse rem amissam a quopiam inventam esse, ut is ejus dominus evadat, ut potius 2. *p.* suorum Actorum *§. de rest. incert. p.* 411. in Metropolitana & in quaque Parochiali Ecclesia capsulam seu loculum ponendum mandaverit, in quo inscriptio majusculis litteris exarata prostaret, *rerum inventarum loculus*, in quo eæ tantum reponerentur, quarum dominus ignoratur, non autem quæ ablatæ, aut male acquisitæ, ac proinde restituendæ sunt: *In restitutionem earum, quæ casu inventæ, nec furto subtractæ, aliove dolo sublatæ, aut alio modo male partæ restituendæ sunt; ad cujus decreti faciliorem executionem hoc præstetur, in ista Basilica nostra Metropolitana, & in unaquaque Ecclesia Diœcesis plebana, loco conspicuo & distincto Capsa perpetuo constituatur, quæ litteris grandiusculis describatur, Capsa inventorum*. Addit porro: *ob paupertatem vel ob aliam causam quæ Confessario videbitur, damus, ut nostra auctoritate remittere possit debitam restitutionem rei inventæ, quæ pluris non valeat viginti solidis*. Ibidem dicitur, facta hypothesi rem domino restitui non posse, in Acta fideliter referendum, quicquid in pia opera collatum fuerit.

Ex adducto S. Thomæ, & S. Caroli testimonio, & communi Theologorum sententia liquido constat Titio non licere libras tres mille, quas reperit, retinere, aut satis habere sextam partem pauperibus elargiri, reservato sibi, quod superest, quoniam ad id retinendum titulo nullo gaudet.

Nisi ergo adsit in Diœcesi peculiaris lex, aut consuetudo, quæ legis vim obtinet, concluditur Titium teneri summam, quam in via publica ad Urbis aditum reperit, pauperibus restituere; & quamvis sententia hæc non ita, ut videtur, certa esset, tantumque foret probabilior ac tutior, non creditur tamen Titius absque Dei lædendi periculo eam summam tanquam propriam retinere posse; ita ut si librarum tria millia, de quibus agitur, reddere nolit, absolutione privandus sit.

Quod si Titius hujus summæ partem bona fide consumpsit, postquam inquisitiones necessarias adhibuit, id modo pauperibus tribuere tenetur, quod ei reliquum est, & ex quo ditior evasit. Si partem erogavit, ii, quibus eleemosynas largitus est, id restituere tenentur, quod non consumpserunt, si forte hujus pecuniæ dominus detegatur. Uno verbo in hac facti specie ob oculos habendæ sunt consuetæ regulæ, quas Theologi tradunt, cum agitur de alieno bono, quod bona fide possessum est, restituendo.

Decisum in Sorbona die 15. Julii an. 1704.
G. *Fromageau*. *Habert*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

RESI-

R E S I D E N T I A.

EPiscopi & Psrochi tenentur Jure divino residere in propriis Episcopatibus & Parochiis, ut monet Tridentina Synodus, dum pronuntiat, præter grave peccatum, quo se adstringunt ii, qui non resident, eos ipsos suorum quoque Beneficiorum fructibus pro absentiæ ratione spoliari. Canonici quoque residere, & Choro interesse debent, prout definiit eadem Synodus loco citato *cap.* 12. De quibus tamen cum fusius dictum fuerit Titulo *de Canonicis*, ideo locus hic consuli potest.

Vide (CANONICI.

Canonicorum residentia ad grossos fructus percipiendos.

C A S U S.

1 *Canonici, ut Præbendarum suarum grossos fructus lucrentur, novem mensium spatio Officio interesse debent.*
2 *Discrimen inter grossos fructus, & distributiones manuales.*
3 *Discrimen inter Beneficia, quæ residentiam postulant, & quæ ab eadem eximunt.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut decidant, an Canonici tuta conscientia grossos fructus lucrari possint, quin integro anni spatio resideant, aut intra sex hebdomadas uno tantum die residentes, neglecto Officio, omnique Ecclesiæ servitio? Qui affirmantem partem tuentur, nituntur immemorabili Ecclesiæ suæ consuetudine, qua, ad grossos fructus quod attinet, a residentia eximuntur, multarum Ecclesiarum Galliæ ac Romæ ipsius more simili, Pontificis, & Episcoporum tolerantia, distinctione inter grossos fructus & distributiones in Jure recepta, simplicium denique Prioratuum a residentia exemptorum exemplo. Sed alia ex parte videtur naturæ consonum oportere, ut Canonici Ecclesiæ deserviant, præsertim cum Tridentina Synodus hanc ipsis obligationem imponat, ad grossos quoque fructus quod spectat.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent, Canonicos Præbendatos, ni novem saltem mensibus per annum resideant, Ecclesiæ suæ, quæ a residentia ipsos eximit, immemorabili consuetudine se tueri non posse; abusiva est enim consuetudo hæc, quemadmodum *sess. 24. de Reform. c. 14.* Tridentina Synodus declaravit; id quod conforme est Juri-Canonico *c. Extirpanda, §. Qui vero de Præbendis*, & *c. Pervenit 2. de appellat.* Idem judicium ferendum est de aliarum Galliæ Ecclesiarum consuetudinibus, quæ Legi adversantur. Ad Romanam Urbem quod spectat, abusus hic in eam irrepsisse vix credi potest. I. quia ibidem a Tridentino Concilio ne latum quidem unguem receditur; II. Quia occurrunt Cardinalium Concilii Interpretum decisiones bene multæ, quæ eumdem abusum proscribunt, ut ex Barbosa in laudatum Concilii caput *nn. 57. 58. & 66.* licet intelligi. At si ita se res haberet, abusus esset. Pontificis & Episcoporum conniventia haud majoris momenti est, quam hæc supposita consuetudo. Neque vero Canonicorum non residentiam firmat inter grossos fructus & manuales distributiones Juris distinctio; discrimen enim inter hæc duo fructuum genera in eo tantum est positum, quod ad grossos fructus lucrandos non est necesse singulis Officii Horis adsistentiam præstari, sed sufficit residentia, atque adsistentia moralis; cum contra nulla manualis distributio percipiatur, nisi adsistentia singulis Horis exhibeatur, ut proinde qui uni tantum Officio interfuerit, ejus tantum Officii, non autem aliorum distributionem lucretur, iis tantum exceptis, *quos infirmitas, seu justa & rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusat*, ut dicitur *in Cap. Consuetudinem de Cler. non resident. in 6.* quod Caput Tridentina Synodus renovat, ac servari mandat. Eosdem Canonicos non residentes minime tuetur exemplum Clericorum Prioratus simplices possidentium, nec residentium, quamvis eos absque ullis oneribus fundatos esse non sit vero simile. Etenim ne id discutiatur, certum est, Ecclesiam tribuere Beneficia in classes duas; ut alia personalem residentiam requirant, quales Parochiæ sunt, Canonicatus, & id genus alia Beneficia, quæ tum diurni, tum nocturni Officii adsistentiam, & quod inde consequitur, residentiam conjunctam habent; alia, ut Prioratus simplices & Capellæ personalem residentiam nequaquam requirant; atque ita concludi non potest, eos, qui Præbendas possident, a residentiæ obligatione exemptos esse, quia qui Prioratus simplices obtinent, ab eadem exempti sunt.

Decisum Parisiis hac die 21. Decembris an. 1674.

Aug. *de Lamet.*

R E S I G N A T I O.

BEneficium resignare nihil est aliud, S. Antonini (a) sententia, quam de jure, quod ad illud habetur, ultro cedere, & illud ei tradere, penes quem collationis jus est. Quo loco animadvertendum, Ecclesiasticorum plerosque opinari Beneficium resignare idem esse atque alteri tradere; id quod cum resignationis natura ex diametro pugnat, quia cum Beneficium ad Ecclesiam pertineat, non autem ad Possessorem, qui ejus tantum Administrator est, nil juris adest, illud per resignationem alteri tribuendi, sed illud in ejus manu, quem Ecclesia ipsius collatorem constituit, pure ac simpliciter est dimittendum.

Resignatio dividitur I. in expressam & tacitam. Tacita est, quæ ex Jure provenit, non autem ex Resignantis expressis verbis, causa exempli cum in aliqua Religione Professio emittitur, matrimonium contrahitur, seu cum alterius Beneficii, quod simul stare non potest, possessio suscipitur. Expressa est resignatio, quæ fit per expressam Beneficiarii voluntatem, volentis jus deserere, quod in Beneficium aliquod obtinet. Et hæc quidem tribuitur in resignationem puram & simplicem, & in resignationem in favorem: ea tum fit, cum absque ullo pacto, ullave conditione Beneficium ei traditur, qui illud conferendi jus habet, ut illud pro suo ipse arbitratu distribuat; quæ autem in favorem dicitur, conditionata est, ac tum fit, cum Beneficium resignatur ea conditione, ut Collator illud ei conferat, in cujus favorem dimittitur.

Potest etiam resignatio in favorem dividi in resignationem, quæ fit, cum adest mortis periculum, & vol-

(a) S. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 5. §. 12.

& vulgo dicitur resignatio causa mortis; & resignationem, quæ fit sine mortis formidine; ac denique in resignationem, quæ fit causa permutationis, de qua quidem postrema alibi dictum est. Quoad primam, resignandi facilitas in causa fuit, ut vacatio per mortem, quam studiosissime fieri posset, anteverteretur. Itaque quicumque se ægrotare intelligeret, antequam moreretur, ac sæpe morti proximus resignabat; cui fraudi ut occurreretur, edita est Romanæ Cancellariæ regula *de infirmis*; ut nempe si infirmus resignaverit, & intra viginti a resignatione dies e vita decesserit, provisio ob hanc resignationem concessa nulla sit, & Beneficium censeatur morte vacans. Juvat animadvertere has in favorem resignationes nunquam in Jure permissas fuisse, nullumque vel in Gratiani Decreto, vel in Decretalium & Clementinarum Voluminibus earum exemplum occurrere; ita ut ipsarum origo non altius repeti possit quam a fine sæculi quinti decimi, quo pedetentim earum usus in Ecclesiam irrepsit. Eæ nimirum adeo semper habitæ sunt sanctis Canonibus, & Ecclesiæ Legibus adversæ, ut Rex Carolus IX. an. 1563. suis in Tridentino Concilio Oratoribus id mandaverit, ut earum abolitionem peterent, quod per eas Beneficia veluti hæreditaria redderentur.

Non est omittendum, resignationes in favorem nunquam in Ordinarii manu fieri posse, sed esse semper earum gratia ad summum Pontificem confugiendum; ratio est, quia ejusmodi resignatio prohibetur humano Jure, & qui suum Beneficium ea conditione resignat, ut Collator alteri, qui nominatur, illud conferat, Juris Ecclesiastici simonia se obstringit, ac solus denique Pontifex ea omnia purgare potest, quæ unius quidem Ecclesiastici Juris sint. Quamobrem inter resignationem, quæ fit in manu Pontificis, eamque, quæ in Collatoris ordinarii manu fit, id discriminis intercedit, quod in priore quidem declaratur, illam fieri ea conditione, ut Pontifex Beneficium nominatæ personæ conferat, & non alias, quia cum Pontifex possit ad Ecclesiæ quidem bonum in Jure Ecclesiastico dispensare, minime timendum est, ne impetrabile Beneficium reddatur, quamvis ea conditione apposita resignetur; in posteriore vero ejusmodi conditio non exprimitur, quippe quæ, cum Ordinarius hujus simoniæ purgandæ facultate careat, Beneficium impetrabile redderet.

Vacationis per mortem, Beneficio non abdicato, impediendæ alia quoque ratio erat, ut illud nempe resignaretur, & provisionum expeditio obtineretur, ea tamen conditione, ut Resignatarius ad usque Resignantis mortem negotium totum celaret. Huic malo remedium attulit regula *de publicandis*, qua statuitur, ut effectu careat resignatio, nisi Resignatarius eam declaraverit, & intra sex menses, si a Romana Curia, intra mensem autem, si ab Ordinario provisiones obtinuerit, possessionem inierit; secus Beneficium censeatur morte vacans, cum Resignans de possessione decesserit. Quod si Resignans, elapsis sex mensibus, adhuc in vivis sit, Resignatarius potest semper eum a possessione deturbare, dummodo non ultra annos tres expectaverit; post illud enim temporis spatium Resignans novum titulum acquisisse censetur vi Decreti *De pacificis*. Notandum tamen, post hoc triennium Resignantem non amplius eidem resignare posse.

Postremis temporibus Resignantis persona tanquam favorabilis spectata est, nec placuit eumdem facile spoliari posse. Itaque ea tanquam firmissima statuta sunt; procurationem resignationis gratia Notarii manu exaratam; & peculiarem esse oportere; impuberes ejus incapaces esse; ni resignatio intra annum fiat, procurationem nullam esse, quia revocata præsumitur; eam, quandiu res in integro fuerint, revocari posse. Firmatus est etiam *regressus*, videlicet ad resignatum Beneficium redeundi postulatio, idque in tribus omnino casibus. Primus est convalescentia, perinde ac si qui periculoso morbo laborans resignavit, non nisi mortis metu, ac non sine tacita regrediendi conditione resignaverit. Casus alter est minoritas; si nempe qui nondum ætatis annum 25. attigit, eo adducatur, ut, patre, seu tutore invitis, resignet. Tertius demum casus est, si qua resignationis conditio impleta non fuerit, ut proinde ea inter consueta Contractuum genera referri videatur. Tridentina Synodus omnes omnino regressus, quocumque demum prætextu niterentur, prohibuit, & generatim vetuit, quicquid in Beneficiis aliquam hæreditariæ successionis imaginem refert. Id quidem omnibus antiquis Canonibus concinit, ac nos docet eos esse quibusvis recentioribus abusibus anteponendos.

Vide (BENEFICIA.
(CANONICI.
(PAROCHI.
(PERMUTATIONES.

Beneficii resignatio causa mortis.

CASUS I.

1 *Infirmus, qui resignat stipulans se, nisi moriatur, ad Beneficium suum rediturum, reus est confidentiæ, perinde ac Resignatarius.*

2 *Resignans, qui cum per annos tres Resignatario Titulum reliquerit, regressus est, regredi non potuit suarum priorum provisionum vi, nec Beneficii reditus administrare; sed eos pauperibus, vel proprii Tituli Ecclesiæ restituere tenetur.*

QUÆSITUM.

Viginti quinque ab hinc annis Jacobus ægrotans tenue Beneficium simplex resignavit Joanni fratri suo, qui sumpsit *Visa*, ac deinde possessionem iniit clam, & nullis dictis, omnibus tamen in ea facti specie requisitis cæremoniis servatis. Is quidem ea mente fuisse creditur, ut fratri Beneficium redderet, si convaluisset. Et sane cum illud triennii spatio retinuisset, quin ex eo quicquam perciperet, quia Feudis continebatur, fratri permisit, ut illud iterum sumeret, ejus fructus perciperet, seque ipsius verum Titularem diceret, quamvis ejus novum titulum non suscepisset. Ita Jacobus eo semper potitus est, & potitur etiamnum.

Quæritur, an Jacobus & Joannes in hac facti specie quicquam peccaverint, quaque obligatione teneantur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, facta hypothesi Jacobum ante resignationem ita cum Joanne fratre suo stipulatum esse, ut ille sibi, si convaluisset, Beneficium redderet, vel se ad illud regredi pateretur, in ejusmodi resignatione confidentiam extitisse, & in ejus pœnas utrumque incidisse; Præterea si nulla inter duos fratres adfuit stipulatio, cum Joannes triennii spatio Beneficium possederit, Jacobum vi priorum suarum provisionum ad illud

regre-

gegredi non potuisse, ac longius suisse fruitionis tempus, quam ut Jacobus uti posset Rescripto, quod fere dicitur Parochorum sanctorum Innocentium. Quamobrem ille Beneficio contra Regulam potitus est, ejusque fructus administrare non potuit; atque ita ex generali quidem regula vero Titulari, in hac autem facti specie Pauperibus, vel Beneficii Ecclesiæ eos restituere tenetur.

Decisum Parisiis hac die 10. Februarii an. 1680.

Aug. *de Lamet*.

Resignatio clandestina & fraudulenta.

CASUS II.

1 *Resignatio clandestina in eum finem instituta, ut Beneficiorum duorum, quæ simul stare non possunt, reditus Resignans percipiat, criminosa est, & confidentiæ suspicione non injuria laborat.*

2 *Eorum Beneficiorum alterutrum devoluti titulo peti potest, cum tempus optioni concessum elapsum est.*

QUÆSITUM.

Titius obtinuit Parochiam I . . . . . Diœcesis N . . . an. 1692. obtinuit præterea Parochiam C . . . . Diœcesis A . . . . mense Julio an. 1693. Denique obtinuit, ac pacifice possedit Canonicatum in Ecclesia Cathedrali A . . . . . die 19. Januarii an. 1694.

Cum ille Parochiis duabus per octodecim circiter menses, æque ac Canonicatus potitus esset, Sempronio Parochiam C . . . resignavit, Parochiam I . . . & Canonicatum sibi retinens. Deinde clandestinam procurationem edidit *ad resignandum*, quoad Canonicatum in ejusdem Sempronii favorem. Admissa fuit in Romana Curia resignatio die 7. Februarii an. 1695. post elapsum annum diebus novendecim.

Hac resignatione nihil obstante, Titius Canonici Procuratoris sui ministerio dicti Canonicatus grossos fructus ad quinquennium locavit. Contractus initus est die 12. Junii an. 1695. mense quinto a resignatione. Canonicus hic ejus Contractus vi unius anni grossos fructus percepit Titii nomine; codemque nomine Exactor Capituli annuorum eorumdem fructuum dimidium percepit.

Interea temporis spectatur ille tanquam Canonicus in Capitulis generalibus; ipse sibi eum titulum sumit in Actu permutationis inito die 19. Maji an. 1697. Parochiæ I . . . . pro Beneficio simplici, in quo se dicit possessorem Canonicatus in Ecclesia S. Petri A . . . . .

Mævius Sacerdos ejusdem Diœcesis A . . . animadvertens Titium ultra triennium frui Parochia simul & Canonicatu, quæ Beneficia simul esse non possunt, petit a Romana Curia Canonicatum tanquam incompatibilitatis titulo vacantem; provisiones obtinet die 11. Novembris an. 1696. & possessionem init die 24. Aprilis an. 1697. Titius se possessione privatum sentiens Sempronium monuit de clandestina resignatione, quam in ejus favorem edidit biennio ante quam Mævius possessionem iniret; & ita quidem dictum Mævium temere fecisse contendit.

I. Quia, cum ante elapsum annum procuratio ad resignandum edita fuerit, quamvis admissa non sit nisi novendecim post diebus, illa vacationem omnem impediit.

II. Quia esto procuratio ad resignandum non nisi post annum a Titio transacta fuisset, dummodo admissa fuerit, antequam Devolutarius Judici se sisteret in jus vocatus, devolutum evadit inutile, nullumque effectum producit.

III. Contendit Sempronius Titium eorum duorum Beneficiorum reditu frui potuisse, quia ambo possidebat, quamvis revera prioris titulum non amplius haberet, quippe quod dicto Sempronio resignasset.

IV. Quia cum hic titulo gaudeat, in hunc proinde, non in Titium, qui non amplius Titularis erat, Mævius Devolutarii titulo agere debebat.

Sed respondetur, admissis principiis hisce, nulla amplius Beneficia incompatibilia fore; clanculum enim, ut Titius egit, resignarent Beneficiati, ut ita fidenter ac sine scrupulo proventibus omnibus frui possent; ac post triennium, quo temporis spatio contenditur resignationem celari posse, resignationem alteram instituerent, tum tertiam, & sic porro; atque ita proventuum ex Beneficiis incompatibilibus provenientium fruitionem sibi perpetuarent.

Præterea concipine potest, Beneficii incompatibilis Titulum in Resignatario esse posse, dum Resignans fructus percipit, locationes statuit, eumdemque Titulum in Romana Curia, & in Ecclesiæ suæ generalibus Capitulis sibi sumit, denique obit omnia alia Titularis officia? Expetitur Doctorum sententia super hisce difficultatibus.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, admodum irregulare esse (*a*) Titii consilium, eumque in hoc omni negotio tum contra Ecclesiæ, tum contra civilis Jurisprudentiæ regulas turpiter deliquisse. Etenim I. ex Tridentina Synodo statim ac Beneficia duo, quæ simul esse non possunt, vel ut ajunt, incompatibilia quis obtinuit, altero privatur ex Jure (*Jure ipso privatus existat*, inquit Synodus); ex quo sequitur, Titio non licuisse, Parochias duas & Canonicatum per menses octodecim possidere. II. Ex Regni consuetudine Titio annus erat ad optionem; secus Parochiæ vacantes censebantur. Quid? Quod ad Parochias & Canonicatus quod attinet, Senatus Parisiensis Rescriptum an. 1661. cujus Castellus in suis Juris Canonici definitionibus mentionem facit, ad optionem tres tantum menses concedit, quibus elapsis Beneficium prius vacare censetur.

Peccavit etiam Titius contra Ecclesiæ Leges; quibus Beneficiorum pluralitas interdicitur. (*b*) Vide Tridentinam Synodum, quæ pariter vetat, ne eorum Beneficiorum, quibus servitium non exhibetur, fructus percipiantur. Violavit ille Regis Declarationem an. 1681. qua prohibetur, ne in Beneficiorum incompatibilium casu provisus alio fruatur, quam cui deservit; ut proinde alterius Beneficii fructus ad alterius Beneficii commodum vergant.

Sed præter errata hæc aliud quoque gravius existit, videlicet confidentia, quæ inter Titium & Sempronium se prodit; est enim verosimillimum, Titium eo tantum animo Canonicatum A . . . . Sempronio resignasse, ut eum sibi servaret, codemque tempore Parochia I . . . frueretur. Et sane ex proposita facti specie compertum fit, Titium, quamvis ineunte anno 1695. Canonicatum suum resignaverit, ejus tamen grossos fructus ad quinquennium locasse, adeoque eum sibi servare voluisse. Annis porro sequentibus semper ille Canonici titulum sumit, ac talis habetur, per id omne tempus Præbendæ reditu gaudens. Addit & illud potest resignationem Titii in Sempronii favorem huic ipsi ignotam fuisse; quod magis magisque confidentiam evincit, ac voluntatem, qua Titius flagrabat, Canonicatum suum retinendi, ut si in sum devolutum statueret, posset ipse provisiones Sempronio tradere, quod sane præstitit, ut Devolutarium jure suo frustraretur.

Denique si reputetur, quam minus recte Titius se gesserit, tum ut Beneficia sua retineret, tum ut iis frueretur contra Ecclesiæ Regulas, & Rescriptorum dispositionem; haud temere credi potest, eum non dubitasse confidentiæ crimine se polluere, dum Sempronio clam resignavit, ut ille sibi esset, quod vulgo dicitur, *Custodi nos*; id quod diserte damnatur in Bulla *Intolerabilis* sancti Pii V. in qua æque confidentiarius declaratur ille qui dat, atque ille qui recipit Beneficium animo restituendi.

Nunc quoque temporis vix credi potest Sempronius velle Titium Canonicatu privare vi resignationis

(a) Vide Declarationem Regis anno 1687. & Notum. Concil. Tridentinum Sessione 7. capite. 4. de Reformation.

(b) Idem sess. 24. cap. 17. de reformat.

tionis ab eo sibi factæ. Quamobrem concludit Consilium, devolutum esse rationi consonum, Titii Canonicatum vacare, tum quoad ipsum, tum quoad Sempronium, utrumque ob patratam confidentiam eodem privandum esse, Mævio jua eum sibi petendi fuisse, & in ejus possessione servandum esse.

Quas porro Titius, ut se tueatur, rationes affert, eæ ne responsione quidem dignæ sunt, quia nihil roboris babent, & nibil evincunt.

Decisum Parisiis bac die 23. Aprilis an. 1701.
G. *Fromageau*.

Coactæ resignationis, & simoniacæ transactionis nullitas.

C A S U S III.

1 Ecclesiasticus expulsus secretis litteris falso criminum insimulatus, qui non potest obtinere Judicium criminalis processus, quem ei eum adversarii auctoritate pollentes inveduat, ut Beneficiis duobus, quibus legitime fruitur, eumdem spolieat, potest, ut se a vexatione redimat, eorum dimissionem edere.

2 Simoniacam transactionem quietis gratia sibi propositam firmare non potest.

3 Judices, ejus innocentiam sibimetipsis prospectam declarare nolentes se maximo apud Deum scelere obstringunt, omnisque damni, quod bic innocens passus est, ne patietur, rationem reddere debent.

QUÆSITUM.

SAcerdos gravibus criminibus, quæ non perpetravit, accusatus, cujus Accusatores, atque adeo Judices innocentiam cognoscunt, vehementer exagitatur, ut Beneficiom, cujus ab annis decem pacificus possessor est, abdicet, & juri, quo in majus Beneficium gaudet, renuntiet. Ut ad hoc duplex injustitiæ genus compellatur, & se purgare impediatur, detentus tribus ab hinc annis secretis Litteris in loco maxime dissito, impeditur executio Rescripti, quo statuunt ejus Judices, ut intra mensem interrogetur, & interim fruatur proventibus, quos Accusatores, quibus nihil debet, fraudulenter per annos tres sequestro posuerunt.

In præsentia offertur eidem libertas, ac famæ redintegratio per Rescriptum, quo innocens declarabitur, sed ea conditione, ut Beneficium, cujus decennali possessione gandet, remittat, & juri cedat, quod habet in aliud, vi pensionis, ac tenuis Beneficii. Intelliget nempe Consilium ex Transactionis exemplo, quod infra subdetur, id ab accusatoribus ei proponi, promittique definitivum Rescriptum Transactioni conforme; quod si hoc ipse consilium repudiet, terretur minis fore ut in exilio relinquatur, & ejus processus judicium impediatur.

Hoc posito, Accusatus ex Doctoribus quærit,

I. An tuta conscientia famam suam in apertum discrimen adducere, & ipse sibi scandalum afferre possit per Conventionem, qua Beneficia deserere cogitur; quod si fecerit, Accusatores ei se gratiam contulisse dictitabunt, contendentque accusationem tam justam esse, ut ipse se reum sit fassus, in Beneficiorum, quibus se indignum agnoscit, abdicationem consentiens. Potestne ille Transactionem firmare, quæ tam duras conditiones complectitur?

II. An Judices, quibus accusati hominis innocentia ex Processu ipso innotescit, ad gravis & in dignitate constitutæ personæ sollicitationem definitivum hujus causæ judicium differre, atque ita Accusatum ad Transactionem adeo suis Adversariis faventem subscribendam adigere? An non tenentur in foro conscientiæ eum, nulla interjecta mora, a vexatione, quam patitur, liberare?

III. Cum Judices ediderint interlocutorium Judicium, quod refert ad instructionem causæ, cujus finem Accusatores timent: an non debent illud vulgare, & ejus Syngrapham ex ejus inter ipsos manibus educere, qui se ejus Depositarium constituit? Possuntne tuta conscientia per banc justitiæ denegationem retardare finem negotii, quod Accusato grave est, eumque ita cogere cum Adversariis suis tanto cum suo damno transigere?

Exemplum propositæ Transactionis.

Erit Transactio inter Dominos de Capitulo N... Dominum D.... & Dominum B.... qua ad finiendam litem, quæ inter ipsos intercest, tum quoad querelam Præbendæ Domini A.... tum quoad criminalem causam: dicti Domini de Capitulo N...... quippe qui Promotoris sui factum & causam susceperint, consentient Dominum B... ab accusatione in ipsum intentata remitti, eique restituent Beneficii fructus tempore detentionis ipsius N. & absentiæ P.... qui fructus ad incommoda quoad matutinarum horarum distributiones vitanda censebuntur ad justam summam..... quoad illud omne tempus; qui fructus complectentur id, quod ad eum missum est N.... a Dominis de Capitulo, & quod ei solutum est N.... Dominus B.... assentietur Dominum M.... in Præbendæ N.... possessione servari; ei cedet jura sua, prout opus fuerit, vi summæ..... pensionis, quæ statuetur ex dictæ Præbendæ fructibus, Rege probante, non obstante Declaratione an. 1691. Dicti Domini de Capitulo, & dictus M.... promittunt se daturos operam, ut dicta pensio intra sex menses in Romana Curia creetur; quod ni contigerit, dictus Dominus B.... ad omnia sua jura redibit: quoad dictum Canonicatum N.... Dominus B.... abdicabit in manu Capituli suæ Parochiæ Canonicatum suum..... & Domini de Capitulo conferent eodem tempore dicto Domino B... (a) Præbendam N..... ea tamen conditione, ut probante M.... & Capitulo, Dominus B..... temporis spatio..... Curiales functiones obeat.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem, quæstiones in ea contentas, & Transactionis exemplum vidit, & expendit, existimat, Transactionem, ut partium Domini B.... præcipuum objectum est, & quo nunc omnia eorum consilia referuntur, ita præcipuam quæstionem esse, quæ hoc loco expendenda venit, cujusque decisio cæteris expositis difficultatibus solvendis inserviet.

Occurrunt in Transactione, quæ proponitur, defectus tres, quibus ea nulla redditur; primo quidem non est libera; deinde vero est injusta; denique simoniaca est; ac proinde nullum effectum sortiri potest, ac tam parum probanda est; quam quod adversus Dominum B.... hactenus actum est.

I. In exilium pulsus est per secretam Epistolam in locum maxime dissitum, ubi etiamnum existit; ut in libertatem restituatur, ac finis vexationibus omnibus imponatur, ab eo poscitur Beneficiorum resignatio. Porro resignatio hæc valida esse non potest; conditionum enim, quæ resignationem, vel dimissionem comitari debent, ea prima est, ut libera sit, & sponte peracta; expressa est in hanc rem Juris mens *cap. Super hoc de renunt. cap. Ad audientiam de iis, quæ vi, metusque*, &c. cujus verba in hisce negotiis regulæ vim habent: *Quæ vi, metusque causa fiunt, carere debent firmitatis robore*. Consuli potest Garcias *de benef. n. p. c. 3. n. 145. summ. Paris. l. 13. q. 1.* Si timor, qui in Dominum B.... cadere potest, in exilio diu manendi, & aliquid fortasse pejus ex Adversariorum suorum gratia subeundi, eo ipsum adducit, ut Transactionem sibi propositam subscribens Beneficia sua se dimissurum consentiat, pronuntiari potest eum libere non facturum. Guimerius in Pragmaticam *§. item non credit*, adeo hac in re libertatem necessariam judicat, ut ita statuat: *Resignatio propter liberationem fratris de carcere non valet propter justum metum intervenientem in resignante*. Quod etiam tum fit

cer-

(a) Est hoc tenue illud Beneficium, quod tribui lubet Domino B...., vel ut aptius dicatur, quod ut acceptet, eum adduci est animus.

certius, cum timor nos ipsos afficit, ac de propria libertate reparanda agitur. Dominus B . . . . extra omnem timendi occasionem ponendus esset, ut ejus Beneficiorum resignatio valida foret; alioquin ea semper vere dici poterit nulla *ipso jure*, cum non satis voluntaria sit, vel ex impugnari poterit, ac peti, ut nulla declaretur.

II. Si res spectetur quoad eos, qui sunt e Capitulo N . . . . injusta Transactio est; quippe quae eo spectet, ut Dominus B . . . . . absque ullo legitimo, ut pro certo ponitur, fundamento cogatur Beneficium, quod multis ab hinc annis possidet, abdicare, legitimoque atque irrefragabili juri renuntiet, quo in aliud majus gaudet, vi pensionis, ac tenuis Beneficii; nempe compensatione; quae ad proventum, qui eidem adimitur, nequaquam accedit. Ita inutile redditur diuturnum servitium, quod ille Ecclesiae praestitit, quodque ei Beneficium utrumque promeruit, id quod dubio procul a justitia alienum est. Adeo porro ejus innocentia perspecta est, ut promittatur ipsi Rescriptum, quo omnes in eum intentatae accusationes diluantur, interea tamen exspoliatur, perinde ac si reus esset, cogiturque contumeliosam Transactionem, quae nova injustitia est, subsignare. Denique rationes, quae ad ejus subscriptionem extorquendam adhibentur, ex vero magis etiam injustae sunt; partes enim Domini B . . . . impediunt auctoritate sua, ne Judices litem, in eum intentatam definiant; eaedemque hactenus impedierunt, ne Rescriptum interlocutorium, quod ei favet, pronuntiaretur, quae quidem in Accusati partibus evidens violentia est, in Judicibus vero contra jus omne naturale & positivum aperta praevaricatio.

III. Postremo loco simoniaca est ejusmodi Conventio; qui postremus defectus est, quo nulla redditur. Nempe Dominus B . . . . dat & Beneficium, quod possidet, & jus, quo gaudet in aliud, pro pensione, ac tenui Beneficio, quod ei traditur a Dominis de Capitulo N . . . . id etiam per eamdem Transactionem convenit, ut ei certa pecuniae vis tribuatur in fructuum restitutionem; id autem temporale est; datur ergo temporale pro spirituali, nec quicquam amplius requiritur, ut simonia contra Jus divinum existat; si nempe nihil esset praeter conventiones, quae in hoc Tractatu occurrunt, eae quidem satis eum vitiosum ac Simoniacum efficerent, *cap. fin. de pact. & cap. Quaesitum de rerum permut. Generaliter teneas, quod commutationes Praebendarum de jure fieri non possunt, praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continet simoniae*. Addi etiam potest ex parte Dominorum de Capitulo N . . . . . in eo Simoniam adesse, quod Beneficium accipiunt ea conditione, ut Domino B . . . . . libertatem restituant, quod tanquam temporale bonum spectandum est. Inquient fortasse, se perfecturos, ut Transactio haec in Romana Curia firmetur; utrum id ex voto cedat, dubitatur; verum ut cederet, non ea Pontificis intentio esset, ut a Simonia Conventionem purgaret, in qua Pars coacte ac prorsus involuntario resignaret. Quamobrem quocumque pacto Transactio spectetur, ea locum habere non potest; ut proinde Domini de Capitulo N . . . . & Dominus M . . . . non possint citra peccatum Domino B . . . ejus subscriptionem proponere; ac si ea forte subscriberetur, atque executioni mandaretur, illi in omnes censuras inciderent, omnesque poenas subirent, quas Jus in simoniacos pronuntiat.

His in hunc modum constitutis, Accusati quaestionibus facile satisfit; ad primam igitur respondetur, Dominum B . . . . si aliter nequeat libertatem suam reparare, seque a periculis eximere, quibus ejus valetudo, ac vita ipsa obnoxia est, dum exstat, abesque a proximorum suorum subsidio, se a vexatione liberare posse; eoque magis, quod eo statu, in quo versatur, spectato, nihil dat, semperque jus habet petendi, ut cessio, quamcumque instituerit, utpote libertate carens nulla declaretur. Ad ejus famam quod attinet, ea quodammodo repararetur, quoniam Transactione, ac Rescripto innocens declararetur.

Consuli possunt cap. 2. & 4. *Quae vi* &c. ubi Pontifex edicit, jubetque ut iis Beneficia restituantur, qui per metum ea resignarunt; quod argumento est, id simoniacum non esse, ac praeterea non opus esse novis provisionibus, ut restitutus Beneficio fruatur.

Ad secundam, ac tertiam, non apparere, qua de causa Judices, qui e Syngraphis, quas prae manibus habent, Domini B . . . . innocentiam compertam habent, negotium hoc definitive non dijudicent, & renuant ei tradere interlocutorium Rescriptum, quod ediderunt, quodque ejus innocentiae probandae inservire posset. Si ut ejus Adversasiis patrocinentur, eumve ad Transactionem sibi propositam firmandam impellant, in rem, ut probatum est, iniquam ministerium suum conferunt, apud Deum gravissimo se crimine obstringunt, omnium incommodorum, quae Dominus B. . . . . post hoc Rescriptum sibi denegatum pertulit, vel in posterum perferet, rationem reddituri.

Decisum hac die 13. Octobris an. 1697.
G. *Fromageau*.

Resignatio cum pensione.

CASUS IV.

Communis opinio patitur, Clericos ex proprio patrimonio habentes, unde subsistant, Beneficium obtinere, ejusque reditus percipere, nec non pensionem sumere ex Beneficio, quod ejus ferendae sit capax, cum ei per annos plusquam quindecim deservierint.

QUAESITUM.

PArochus per annos viginti tres Parochia potitus, quae sexcentas atque adeo octingentas libras supra mille quotannis reddit, suoque officio strenue perfunctus, quietis studio, Beneficium suum cum Capella librarum 110. solutis oneribus, permutavit, sibique librarum 290. pensionem reservavit; id quod summam efficit 400. librarum, quibus hactenus potitus est. Caeterum hic idem Parochus praeter hanc pensionem possidet ultra 1200. patrimonii libras, quod sane satis est, ut cum dignitate subsistat.

Quaeritur ergo,

I. Utrum hic Parochus tuta conscientia pensionem eam exigere possit? Dubitandi ea ratio est, quod Cardinalis Toletus *cap. Ad quaestiones de rerum perm. l. 5. c. 83.* a Domino *de Sainte Beuve casu 338. tom. 1.* in responsionem ad quaestionem secundam laudatus ait, jus non esse privatis hominibus pensiones ex Beneficiis, quibus deservierant, sibi reservandi, nisi iis opus habeant, ut se sustinent, nec aliunde habeant, unde subsistant; secus enim agi abusum esse minime tolerandum; jam vero Parochus hic in hac ipsa facti specie versatur. Huc accedit, eam communiorem ac saniorem esse Doctorum sententiam, Clericum Beneficia plura, quorum unum ad ejus congruam sustentationem sufficit, possidentem caetera abdicare debere; adeoque a pari, atque etiam a fortiori Parocho huic, pingui patrimonio, acquisitis fundis, ex simplicibus Beneficiis gaudenti minime licere ex suo Compermutante propriae Parochiae Pauperibus ac censibus, onerato pensionem percipere. Hunc ipsum Episcopus Ruralem Decanum creavit, quo munere ut utiliter sanctèque fungatur, ineluctabiles ac necessarias impensas facere debet. Censet praeterea Dominus *de Sainte Beuve*, de patrimonio vivendum esse, Beneficii autem reditus Pauperibus relinquendos.

II. Pensionem sane Pontifex & Senatus probarunt, & Compermutans, quippe qui quam sibi onerosa futura esset, non intelligeret, in eamdem consensit. Parochus quoque abdicans non sine sumptu Presbyterium commodius digniusque reddidit, & ad Ecclesiae ornatum non nihil contulit. Quaeritur, an hae rationes ei jus afferant pensionis, qua quidem non indiget, exigendae?

III. Quaeritur, an facta hypothesi Parochum hunc debere pensionem remittere, quicquid percepit, restituere teneatur? Fatetur ille eam sibi usui fuisse in

in acquirendo bis mille librarum fundo, quem impendit ad extruendam ac fundandam Capellam, cujus usumfructum sibi reservavit, atque uni e suis consanguineis præsentationem reliquit.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in proposita facti specie Parochum legitime potuisse ex Beneficio, quod per annos 23. administravit, 290. librarum pensionem sibi retinere; hæc enim pensio omnes obtines conditiones, quæ, ut justa ac legitima sit, requiruntur. Qui eam percipit, & diu & sedulo Beneficio deservivit; ea vero non est æquo major, Parochialium proventuum ratione habita, quoniam non exæquat partem tertiam, cum Parochia libras 1500. atque adeo 1800. libras reddat; qui eamdem Parochiam abdicat, utiles in ex sumptus edidit tum ad Ecclesiæ decorationem, tum ad Presbyterii instaurationem: uno verbo potestates duæ, Ecclesiastica & Civilis eamdem pensionem firmarant; non igitur ea jure damnari potest.

Objiciuntur duo; primum est, Parochum hanc absque ejusmodi pensione satis habere, ut congrue vivat; ejus autem successorem, utpote 290. libris ex Parochia gravatum non habere, quo Beneficii oneribus satisfaciat; Alterum est, ut haberet, quo satisfaceret; Beneficium tamen, multoque minus pensionem ex Parochia retineri non posse, si adsint, ut in Parocho, de quo agitur, patrimonium pingue, acquisiti fundi, & Beneficia simplicia.

Ad hæc respondetur, Parochiæ proventum librarum circiter 1800. esse, ac proinde dubitari non posse, quin, pensione soluta, satis supersit, quo oneribus satisfiat, in quorum sane numero ponendæ non sunt expensæ, quas Parochus tenetur conficere, ut Decani Ruralis dignitatem sustineat; præterquamquod enim Commissio hæc est e transeuntium genere, Beneficio extranea est; Episcopus ea suppeditare debet, quæ ad munus illud obeundum sunt necessaria, quique eodem instructu est, non tenetur illud propriæ Parochiæ impensis obire, præsertim si ita se gerens necessariis Ecclesiæ suæ oneribus impar evadat.

Quod si statuatur, satis pingui reditu Parochum opus habere, ut omnibus Parochiæ suæ pauperibus opem ferat; consequens fiet, non solum fere nunquam ex Parochia pensionem percipi posse, verum etiam eo prætextu Beneficia plura Parochiæ quamlibet pingui uniri posse, quia pauperum subsidio indigentium ingens numerus fere ubique locorum est. Porro pluralitas Canonibus omnibus, & nominatim Tridentinæ Synodi Decretis proscripta est.

Opponitur secundo loco, Beneficiatum, cui patrimonium est, ex patrimonio vivere debere, & Pauperibus Beneficii sui proventum relinquere. At si id omnino atque absolute necessarium foret, Clericus ex patrimonio dives nunquam Beneficium ullum suscipere deberet, quia si eo frui nequis, nihil est, cur illud administrandum suscipiat. Porro contraria opinio magni nominis Theologos patronos ac defensores habet. Docet D. Thomas 2. 2. *q.* 185. a. 7. *ad* 3. Clericum *in articulum necessitatis* Beneficii sui sumptibus vivere non debere, cum satis habet ex patrimonio, quo vivat: *in tali necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset*. Quo loco videtur pro certo ponere Clericum extra eam facti speciem æque ex patrimonio, atque ex Beneficio vivere posse. Et sane Cajetanus in hunc locum disertis verbis ait, Ecclesiasticum, quantumvis ex patrimonio habeat, Ecclesiæ bona absolute frui posse: *Vide, quod Clericus, vel Episcopus quantumcumque habeat patrimonialia, potest de Ecclesiastica Præbenda vivere, nisi in articulo necessitatis*.

Præterea Toletus *l.* 5. *c.* 83. *num.* 3. pronuntiat, ex Jure *C. Ad quæstiones, de rer. permut.* cum de Beneficiorum permutatione quæstio est, quorum unum alio majus est, compensationis loco cum dispensatione pensionem alteri tribui, ut ita, qui plus accipit, ejus, qui minus accipit, damnum saltem ex parte reparet, idque per pensionem fit, quam Papa confirmat, ut contigit in duobus Compermutantibus, de quibus agitur. Alter enim Parochiam dedit, cujus librarum 1800. reditus est, pro librarum 510. Capella; potuit ergo, ut proprium damnum sarciret, librarum 290. pensionem petere.

Quocirca non est Clericus hic in ejusmodi pensione turbandus. Si tamen eam dimittere cogeretur, quia ob casus, qui minime prævideri potuissent, Compermutans eam solvere, & Parochialibus oneribus satisfacere omnino non posset, vel quod aliunde haberet ipse, quo subsisteret, quoniam hactenus in bona fide fuit, id tantum, quo ditior evasisset, restituere teneretur; atque ita si ex pensionis pecunia struxit, fundavitque Capellam, de qua in Expositione dictum est, ejus usumfructum Compermutantis sui bono relinquere, vel quod responderet, ex pensione reddere teneretur.

Decisum hac die 15. Maji an. 1702.
G. *Fromageau*.

Resignatio fictitia.

CASUS V.

1 *Cum novit Episcopus Clericum ex ficta resignatione Beneficium obtinuisse, debet ei denegare Visa.*
2 *Ecclesiæ Decanus, qui non ignorat defunctum resignandi capacem non fuisse, refragari debet possessioni civili, quam pseudo-Resignatarius inire vult.*
3 *Intrusus hic tenetur in foro conscientiæ Canonico, cui ab Episcopo provisum est, pacificam possessionem relinquere, eique neganda est absolutio, quamdiu judicio contenderet.*
4 *Nullus Advocatus, de re, prout se habuit, deque Pontificis deceptione cognoscens non potest tuta conscientia Intrusi defensionem suscipere; ac si causam vinceret, omnia Canonici, qui litem perderet, dispendia, damna, incommoda reparare deberet.*
5 *Idem statuendum de iis omnibus, qui non sine cognitione ad Intrusi sustentationem conferunt.*

QUÆSITUM.

Brutus Cathedralis Ecclesiæ Canonicus, apoplexia correptus, ita rationis ac linguæ usu privatus jacuit, ut spatio mensium quinque ejus confessio excipi non potuerit, quamvis nihil omitteretur, ut, quo primum momento temporis commode posset, ei Viaticum tribueretur; sed Capituli Decanus, ejus Parochus absolutionem ei solum largitus est, quod eum, cum bene valeret, probum Ecclesiasticum agnovisset, quodque ab ingenuis viris ac fide dignis certior factus esset, eum biduo vel triduo ante quam eo morbo corriperetur, generalem Confessionem edidisse, ei pariter ipse Extremam Unctionem administravit, quin ille quicquam mente perciperet.

Biduo post hoc Sacramentum susceptum Julianus ejus nepos opportunum tempus adesse credidit, ut sibi a Patruo Beneficia resignarentur; sed cum in Urbe, in qua degebat ægrotus, Notarium reperire non posset, qui hominis in eo statu versantis procurationem *ad resignandum* transigere vellet: Sicophantus ejus amicus, Sanctæ Sedis Protonotarius, cujus Litteræ Officialis Curiæ non sunt exhibitæ, Bruti domum petiit una cum duobus testibus Collydirio, & Ingemio, & quidem non sine sacris insignibus, utpote qui Ecclesiæ ejusdem Canonici essent; cumque ex eo quæsivissent, velletne Juliano nepoti Præbendam suam resignare, sumpto ægrotantis silentio pro sententia, & consensione, Sicophantus alibi quam in Bruti domo procurationem *ad resignandum edidit*, eamque ex Bruti domo supposuit, duobus testibus, quos diximus, subscribentibus. Missa est ad Romanam Curiam procuratio, ejusque vi Julianus provisiones *in forma dignam* obtinuit, easque secum retinuit, quousque in extremis Brutus ageret; & pridie ante ejus mortem se sistit Episcopo, ut *Visa* obtineret. Renuit Episcopus, ac de statu, in quo ægrotans jacuerat, non ignorans ex consanguineorum & Parochi testimonio, atque ex fama publica, petit, ut sibi procuratio exhibe-

bere-

beretur, quod Julianus nunquam facere voluit, qui probe noscet, si eum, qui hunc Actum recepisset, ac testes nominaret, periculum fore, ne illi, perinde atque ipse acriter arguerentur. Excepit ille se non teneri eam procurationem ostendere, aut Notarios, qui eam recepissent, nominare vel patefacere; & Episcopo quidem refragante, sæcularis Magistratus auctoritate possessionem iniit a die mortis, cum alius, cui Episcopus Beneficium contulerat, juxta consuetas regulas a Capituli Decano possessione donatus esset.

Quæritur, I. an Episcopus, qui hæc omnia probe nosset, non debuerit in foro conscientiæ Juliano *Visa* denegare?

II. An Decanus Ecclesiæ, in qua Julianus, Magistratu mandante, possessionem inivit, certo sciens Brutum resignando imparem fuisse, quoniam ipse, qui ejus Parochus erat, ei nec Viaticum, nec Confessionem administrare potuit, non debuerit huic possessioni se opponere, & nihil intentatum relinquere, ut eam impediret?

III. An Julianus non teneatur a lite recedere, quam in eam intentat, cui ab Episcopo provisum fuit; atque an ejus Confessarius absolutionem ipsi denegare non debeat, si forte ille provisione uti velit, quam ejus procurationis vi a Romana Curia impetravit?

IV. An Protonotarius Sicophantus, ac duo testes Collydirius & Ingemius non excommunicati sint, quod Beatissimo Patri ita imposuerint; an non errati pœnitentiam, & quidem quatenus agere debeant?

V. An quicumque de hoc negotio non ignorant, non teneantur, quicquid perpectum habent, Judici declarare, & pro viribus in id incumbere, ut hanc Juliani intrusionem impediant?

VI. An Procuratores & Advocati, qui hoc omne consilium norunt, non teneantur in foro conscientiæ Juliani causam deserere, vel eam non suscipere sub mortalis peccati pœna, atque adeo restitutionis, ratione Partis?

VII. Ii, qui clare & distincte rem cognoscentes Juliano deservierunt, agere debeant quoad eum, cui legitime ab Episcopo provisum est, si forte Julianus Judicis auctoritate Beneficium obtineat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, Episcopum in foro conscientiæ Juliano *Visa* negare debuisse, siquidem compertum habuit, Brutum in Beneficium non resignasse; atque adeo Romanæ Curiæ provisiones subreptitias fuisse.

II. Ecclesiæ Decanum, cum certo sciret, Brutum edendæ resignationi imparem fuisse, debuisse niti pro viribus, ut impediret, ne Julianus possessionem iniret.

III. Julianum debere a lite desistere, quam in eum intentat, cui ab Ordinario provisum est, facta hypothesi Patruum ei revera non resignasse, & res ita, ut sunt expositæ, sese habuisse; quia procuratio nulla est, tum quoad Brutum, qui nullum consensus argumentum exhibuit, tum quoad Sicophantum Protonotarium, qui nulla pollebat auctoritate, ex Regni regulis, quæ continentur Edicto Henrici II. in Fano S. Germani mense Junio an. 1550. art. 1. & Rescripto Senatus die 10. Februarii an. 1529. edito inter Officiales & Expeditionarios in Romana Curia, & Notarios Apostolicos, relato a Netone p. 561. editionis an. 1656. Confessarium autem Juliano absolutionem negare debere, si in Confessione injustitiam, quam patravit, aperiat, suaque provisione uti velit.

IV. Protonotarium Sicophantum, duosque testes Collydirium & Ingemium in excommunicationem quidem non incidisse, quod ad sancti Patris nostri Papæ deceptionem contulerint, ut sentiunt gravissimi Canonistæ ac Theologi, qui super hoc negotio scripserunt. Vide Prosperum Fagnanum *de crimine falsi, c. Ad falsariorum, n. 55.* Richardum *in 4. sent. distinct. 18. art. 13. q. 3.* Cajetanum *in sum. v. Excommunicatio c. 26.* Sayrum *de censuris l. 3. c. 10. n. 5.* &c. sed eos tamen ipsos gravissime deliquisse, atque ex prudentis ac docti Confessarii sententia patrati delicti pœnitentiam agere debere.

V. Eos, qui de negotio cognoscunt, teneri, quicquid sciant, Judici declarare, cum in Jus legitime vocati fuerint.

VI. Procuratores & Advocatos debere ab hac causa recedere, neque eam omnino suscipere, si de negotii supra propositi injustitia cognoverint; eosque ad omnia damna reparanda obligatos fore, quæ ab Episcopo provisus pateretur, si ob præsidium ac patrocinium, quod Juliano ipsi exhibuissent, ille litem perderet.

VII Eos omnes, qui clare & distincte negotium hoc cognoscentes operam conferent, ut ab Ordinario provisus suo jure privetur, & in causa erunt, ut illud Beneficium Judicis auctoritate Julianus obtineat, obligatos fore ad sarcienda damna, quæ dicto per Episcopum proviso contingerent, videlicet ad restituendos omnes fructus ac reditus Beneficii, quod obtinuisset, & qui ei vi proprii Tituli deberentur, & ad omnes sumptus, quos in lite agitanda edidisset, reparandos.

Decisum Parisiis hac die 26. Aprilis an. 1674. Aug. *de Lamet.*

RESTITUTIO.

Restitutio Justitiæ actus est, quo id, quod ablatum est, vel, cum alienum sit, retinetur, domino redditur, seu damnum, quod alteri contra jus fasque illatum est, reparatur; definitio hæc conformis est explicationi, quam affert D. Thomas, (a) cum inquit, restitui nihil aliud esse, quam aliquem iterum poni in possessione vel dominio rei, ad ipsum spectantis. I. est actus Justitiæ, quia Justitia virtus est, quæ efficit, ut jus suum cuique reddatur; quamobrem tum solum adest restitutionis obligatio, cum contra Justitiam peccatum est. II. Per restitutionem redditur bonum, quod oblatum est, seu quod, cum alienum sit, retinetur, quia non solum restituendum est, quod utcumque raptum est, sed etiam quod absque ulla culpa præ manibus habetur, cum ad alios pertineat, ut si inventa esset crumena, cujus dominus innotesceret. III. dicitur, quo reparatur damnum, quod injuste illatum est, quia quamvis nihil habeatur, quod ad alterum spectet, aliquando tamen adest obligatio restituendi, ut damnum, quod injuria proximo illatum est, reparetur, quamquam nihil inde commodi perceptum fuerit; exempli causa si flamma domui admota fuerit, si alteri injustum litigium intentatum fit, si proximus magnas impensas facere coactus fuerit, &c.

D. Thomas (b) ex eo restitutionem necessariam ostendit, quod alienum bonum retineri non potest, quin Justitia lædatur. D. Augustinus (c) relatus in Jure Canonico de iis verba faciens, quibus inutile redditur pœnitentiæ remedium, pronuntiat, si, cum reddi possit alienum bonum, quod injusta ratione occupatum est, si res minime redditur, non nisi fictam pœnitentiam agi, quandoquidem juxta veræ pœnitentiæ regulas peccatum non remittitur, nisi prius earum rerum, quæ injuste ablatæ sunt, fiat, fieri cum possit, restitutio. (d) Ex quo concludendum, restitutionem ad salutem necessariam esse necessitate præcepti, non tamen medii necessitate esse necessariam, quia potest salus obtineri, quin fiat,

(a) S. Thom. 2. 2. q. 62. art. 1. in corp.
(b) Idem 2. 2. art. 2. in corp.
(c) S. August. refertur in Canon. 14. q. 6.
(d) Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

fiat, si nempe fieri non possit, dummodo vera adsit intentio restituendi, si quando deinceps adfuerit, quo fiat. Quamobrem Confessarius absolutionem tribuere non debet pœnitenti, qui cum restituere teneatur, & restituere valeat, differre vult ad tempus aliquod hujus obligationis satisfactionem, satis habens in hæredes suos eam ipsam rejicere. Non desunt tamen causæ, propter quas absenti boni restitutio differri potest, cujusmodi est grave damnum, quod subiret is, qui abstulit, aliæque, de quibus fusius Theologi.

Nec solum ad ablatas, sed ad inventas quoque res spectat restitutio; sed ad posteriores hasce quod attinet, nonnulla cum S. Antonino (a) veniunt animadvertenda. Aut enim quæ inventa sunt, inquit S. Doctor, ad aliquem pertinebant haud ita pridem, ut proinde merito asseri nequeat ea dominum dereliquisse; aut ad unum neminem ullo unquam tempore pertinuerunt; aut denique si cujus fuerunt, non nisi longissimo ab hinc tempore fuerunt, cujusmodi vulgo thesauri sunt. In priore facti specie restituenda est ei res, ad quem pertinet; ac si dominus non innotescit, curandum est, ut in Ecclesia enuntietur, quamdam nominatim rem amissam inventam esse; quod si ejus dominus omnino detegi nequeat, vel omnibus adhibitis necessariis perquisitionibus, inventæ rei pretium pauperibus tribuendum est; si enim qui reperit, sibi propriam faceret, furti reus esset, ut docet D. Thomas, nisi ipse vere pauper esset.

Si patres & matres bona habeant male acquisita, & in eo statu moriantur, quin restituerint, restituere tenentur hæredes, ac reddere, quæcumque male acquisita bona in hæreditate sunt, atque adeo omnia a Testatoribus illata incommoda reparare. Quod attinet ad eorum hæredes, qui aliena bona rapuerunt, inquit S. Raymundus, (b) quamvis in civili Jure non ita ad Juris apicem cum iis agatur; ego tamen ajo eos juxta Juris Canonici definitionem solvere debere universum alienum æs, quo defuncti, quorum ipsi hæreditatem exceperunt, obstricti erant. Itaque cujuscumque demum generis hæres fuerit, defuncti filius, vel extraneus, tenetur ex Jure Canonico omne defuncti æs alienum solvere, sive illud contraxerit venditione, locatione, mutuo, vel aliis ejusmodi modis; sive tutela, quod alterius negotia, non mandante ipso administraverit, quod solutionem aliquam sibi non debitam per errorem receperit; sive id crimen seu delictum aliquod consequatur, ut furtum, homicidium, adulterium; sive quod male judicaverit ex ignorantia, vel imprudentia, & sic porro; ad ejusmodi restitutionem tenetur hæres; & in hanc quidem rem S. Raymundus complures Canones laudat.

Verum restitutio hæc non temporalia solum bona complectitur; sed eas quoque res omnes afficit, in quibus proximo damnum inferri potest, seu quoad animi bona, quæ spiritualia nuncupantur, seu quoad bona corporis, seu quoad nominis ac famæ bona. Hac nimirum de causa qui alium ad usurarium contractum ineundum impulit, eique persuasit eum ejusmodi non esse, eum ab errore revocare debet, ut damnum proximo illatum reparet; qui inimicitias falsis narrationibus excitavit, quos exacerbavit animos, conciliare tenetur; qui præposteram doctrinam, ad Fidem, bonosque mores quod attinet, disseminasset, palinodiam canere debet, ut damnum reparet, quodcumque tandem inferre potuerit. Tenetur Beneficiatus ad restitutionem, quod munia Beneficio, quod possidet, annexa non obierit, vel quod male bonis Ecclesiasticis usus fuerit. Enucleatius hæc persequi non est hujus loci.

Gallicani Cleri Congregatio an. 1700. propositiones, quæ sequuntur, super restitutione damnavit; Propositionem 48. Non est sub mortalis peccati pœna restituendum, quod exignis furtis ablatum est, quantacumque totalis summa sit. 49. Non adest obligatio reparandi damna, quantumvis gravia, quæ quis alteri, nobis sollicitantibus, intulit. Propositionem 50. Donatarius in foro conscientiæ non tenetur ea reddere, quæ Debitor, ut Creditores suos frustraretur, donavit, dummodo Donatarius ipse eam donationem non sollicitaverit, aut consuluerit. 51. Propositionem: Præstigiatores, aliique ejusmodi Impostores, cujusmodi sunt Magi, iique, qui Astrologiam judiciariam profitentur, bonæ sortis enarratores, ac Divini, qui pravis hisce rationibus pecuniam lucrantur, possunt licite retinere bona, quæ ita sibi acquisierunt. Denique 53. Propositionem: Judices possunt dona sibi a Partibus data recipere, nec restituere tenentur, quicquid acceperunt, ut injustam Sententiam ferrent.

Harum Propositionum prima declaratur falsa, perniciosa, favens furtis etiam gravibus; secunda, & tertia pronuntiantur falsæ, temerariæ, fraudi, ac deceptionibus patrocinantes, & Justitiæ regulis vehementer oppositæ. Quarta, de iis artibus intellecta, de quibus loquitur, de iis nempe, quarum nulla soliditas, quasique substantia est, quæque non nisi deceptione nituntur, proscribitur ut falsa, temeraria, fovendisque illusionibus etiam Diabolicis accommodata. Denique postrema rejicitur tanquam falsa, perniciosa, contraria Dei verbo, apud Judices depravationem inducens.

Restitutio Creditoribus facienda.

CASUS I.

In Jurisdictione, in qua qui in ordinem referri vult, primigenias Contractuum vel obligationum syngraphas producere debet, Creditor, qui alios tempore præcedit, quique librarum octo millia percepit ex descriptis syngraphis, quia primigeniæ perierant, eam summam cum posteriorum Creditorum damno recipere non potuit, adeoque restituere tenetur.

QUÆSITUM.

Joannes librarum duodecim millia Guillelmo mutua dedit, ex qua summa librarum octo millia collata sunt, ut Alexandro veteri Creditori dicti Guillelmi, qui dictum Joannem mutuantem hypothecæ suæ subrogaverat, solveretur. Ei remisit Alexander obligationis chirographum, ut hypothecæ loco esset. Longo post tempore Syngraphæ, quam ab Alexandro acceperat, Joanni e manibus lapsum exemplar est, ac deinde contigit, ut Guillelmi negotiis in præceps actis, ejus bona ipsa occuparentur, atque ex Decreto venderentur in Jurisdictione, in qua ad ordinem obtinendum Contractuum seu Obligationum autographis tabulis opus est, quamvis id moris alibi non obtineat. Joannea ergo dictæ Obligationis descriptam syngrapham, ut solutionem exigeret, expedire opus habuit.

Joannes deinde satis longum iter instituit; eoque absente, latrones ejus domum subeuntes, mobilia bona & codices magna ex parte surripiunt. Reversus ille furti verbalem sententiam obtinet, ac supponit, Obligationis autographam schedulam inter surreptos codices extitisse. Per hanc suppositionem ei licuit aliam syngrapham substituere, cujus vi relatus

(a) S. Antonin. part. 1. tit. 2. c. 5. §. 2.

(b) S. Raymun. in summa l. 2. tit. de raptorib. §. 64.

latus est in locum & hypothecam prioris, quæ jam perierat, creditum secus amissurus. Id sane Guillelmo Debitori non nocet omnino, quia vere debet, atque ex die, quo posterior syngrapha expedita est, solvere teneretur; at posterioribus Creditoribus officere potest, qui libras octo mille recepissent, Joanne primigeniam, quæ perierat, Syngrapham non afferente. Joannes quidem credidit se tuta conscientia dictam summam vi posterioris Syngraphæ recipere posse, quia ea vere ipsi debetur, & quia suam ipse hypothecam habet ex die, quo in ordine positus est; præsertim cum non nisi Justitiæ quædam formula sit, ne hypotheca ex posterioribus syngraphis obtineatur, quod in multis aliis Jurisdictionibus non est in more positum, & olim in ea ipsa, de qua quæritur, non servabatur, nt pote non nisi ante annos aliquot institutum.

Rogantur Doctores, ut definiant, an Joannes hæc octo librarum millia teneatur reddere Creditoribus posterioribus, qui summam eam percepissent, nisi Joannes supposuisset autographam schedulam inter codices sibi sublatos extitisse, cujus suppositionis vi posteriorem syngrapham proferre potuit, qua libras octo mille sibi legitime debitas recepit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, standum esse Legibus iis, quæ ibi vigent & obtinent, ubi ordinis & distributionis inter Creditores sententiæ latæ sunt. Quamobrem Joannes legitime non potuit sibi ordinem arrogare, quemadmodum in Expositione dictum est, ex posteriore syngrapha, ut ante Creditores alios, qui dictæ syngraphæ tempus anteverterant, octo mille libras reciperet; quia nempe ex praxi Jurisdictionis, in qua ordo institutus est, non eadem quoad ordinis institutionem posteriorum Syngrapharum ratio habetur, quæ priorum haberetur. Ex dictis ergo consequens fit, dictum Joannem librarum octo millia, quæ percepit, reddere debere Creditoribus, cum quorum damno eam summam obtinuit.

Decisum in Sorbona hac die 5. Maji an. 1696.
G. Fromageau. Habert.
L'Huillier. Ph. de la Coste.

Usurarii census restitutio.

CASUS II.

1 *Usurarius census ei restituendus est, qui eumdem solvit.*
2 *Si detur ultro, tanquam donum ex liberalitate exhibitum spectari potest.*

QUÆSITUM.

Titius hæres matris una cum multis fratribus & sororibus personam habens, quicquid illa moriens bonorum relinquit, non æquare census usurarios, quos, dum viveret, percepit ex pecunia mutua in foro nundinario Lugdunensi per commutatæ pecuniæ proxenetas, eo tantum animo hæreditariam portionem suam acceptavit, ut quicquid sibi advenisset, restitueret, ratus cohæredes suos ab eodem proposito alienos non fore.

Quæritur, cuinam restituere teneatur? Alii sentiunt iis restituendum, a quibus mater usurarios census percepit, quorum quidem nomina ei occurrent in rationum Libris, quos illa reliquit; putant alii restitutionem pauperibus faciendam esse. Illi ut tueantur sententiam suam, aiunt, mutuantem non teneri ad trutinam revocare, quomodo mutuatarii pecunia mutua usuri sint, adeoque census, quos solverunt, iis ipsis esse restituendos, nsumque eorum conscientiæ relinquendum; contendunt alii restitutionem iis faciendam non esse, qui pecuniam mutuati sunt, ut illicitam Lugdunensis pecuniariæ permutationis negotiationem transfigerent, videlicet ut pecuniam, quam minimo possent, denario in Foro nundinario acciperent, & quam maximo possent, deinde triberent, idque citra necessitatem; quando nempe *utrobique versatur turpitudo*, ut in simoniæ negotio, restitutionem pauperibus faciendam esse.

Quæritur ergo,

I. Quid super hoc articulo sentiendum sit, nempe cuinam restituendi sint usurarii census?

II. Si ii, quibus restitui placuerit, restitutionem acceptare nolint, declarentque se iis illam donare, qui ipsa facere volunt; hi quidem possuntne acquiescere, eamque pecuniam retinere, an vero eam pauperibus tribuere debent?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, posito tanquam certo ex probabiliore sententia hæredem teneri eam tantum ex usurariis censibus partem, quæ ad se spectat, non item eam, quæ spectat ad cohæredes, restituere, respondet, census, de quibus agitur, restituendos esse Proxenetis, a quibus accepti sunt, non autem pauperibus; ex quo enim datur mutuum, mutuæ pecuniæ dominium transfertur in eum, qui mutuatur, mutuata pecunia pro suo ipsius libito usurus; tantumque tenetur ipse mutuatam pecuniam reddere stato tempore. Nulla porro Lex adest, cujus vi pecuniæ fœnus solvendum sit, nisi inde mutuantis damnum existat; nulla item occurrit Lex, quæ ipsum pecuniæ, quam mutuatur, & lucri, quod inde percipit, dominum non esse declaret. Ei ergo restituendus est census pecuniæ, quæ ad eum pertinebat, quo tempore ea est usus, ut inde lucraretur. Usus autem, & rationes rectæ, vel pravæ mutuatæ pecuniæ ad mutuatarii conscientiam unice spectant.

Itaque usura simoniæ comparanda non est; in Beneficiorum enim negotio, pecunia, quæ promittitur, vel tribuitur vi conventionis, neque ad illum pertinet, qui eamdem accipit, quia Jus ejusmodi conventiones abrogat, nullasque declarat; neque ad illum spectat, qui eam tribuit, quia Ecclesia ea ipsum privat, eamque pauperibus vel fabricæ tribui jubet, in pœnam injuriæ, quæ infertur ejus Legibus, dum spirituales res venduntur, emunturque. Ita deciditur in Capite *De hoc, de simonia*; atque ita docent Pyrrhingus, aliique. Magis ergo cum Religione simonia pugnat, quam cum Justitia; cum contra usura injustitia sit naturali & divino Juri contraria; quædamque sit furti species, quo nempe id, quod non debetur, exigitur. Jam vero furtum omne restitutionis obligationem adjunctam habet: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Restituendi sunt ergo usurarii census ei, qui eosdem solvit. Potest ille quidem eosdem remittere; & tunc retineri merito possunt tanquam donum, quod ex ejus pura putaque liberalitate provenit; sed eorum tamen censuum restitutio eidem offerenda est.

Decisum Parisiis hac die 24. Februarii an. 1705.
G. Fromageau.

Alia restitutio usuræ causa.

CASUS III.

1 *Qui se usurarii mutui commercio locupletavit, restituere tenetur.*
2 *Cum id ipse vivens non fecit, tenentur facere ejus heredes.*
3 *Non est differenda ejusmodi restitutio.*
4 *Si, quibus est restituendum, non reperiantur, pecunia in pauperes eroganda est.*

QUÆSITUM.

Petrus cum diu mercatorem egisset, negotiationem deseruit, satisque habuit ex pecunia sua per litteras in Lugdunensi Emporio lucrum percipere. Mutuam dedit ad menses tres summam, cujus gratia libræ 37. 10. f. fœnoris ei solvebantur; solutio hæc fiebat per litteras in Lugdunensi foro. Petrus deinde commercium cum iis iniit, a quibus Lugduni solvendum erat; & quia carior iis fuisset pecu-

pecuniæ comportatio, quam valoris emptio per litteras; Pettus iis suas litteras vendidit, suumque ita lucrum auxit, nt ex ejusmodi negotiatione annorum sexdecim spatio ditesceret. Nunc vero, eo fato functo, quærit Livia vidua;

I. Idne boni legitime sit acquisitum, eo prætextu, quod Petrus ita mutuans pecuniæ suæ vel omnino, vel magna ex parte, decoctionibus contingentibus, perdendæ se obnoxium reddiderit; an non hæc ratio satis virium habet, ut purgetnr usura, quæ in eo sita est, ut lucrum ex mutuo simplici percipiatnr?

II. Quærit Livia, an ipsa pro rata ex Viri bonis restituere debeat? Fatetur illa se de ejus commercio non ignorasse, nec se ei, ut ad consulendum moveret, scrupulum injicere non destitisse; sed eum id unum respondisse, se quidem probe nosse, quid sibi facto opus esset. Post ejus mortem illa communitatem acceptavit, ac ptoinde dimidium bonorum Petri possidet.

III. Facta hypothesi ipsam restitnere debere, quomodo in hoc negotio se getere debet, cum maximus sit eorum numerus, e quibus ejus vir ejusmodi lucra percepit?

IV. Teneturne illa statim restituere? Id moram postulat, quod ei non supperit numerata pecunia, & grave damnum subiret ex fundorum, bonorumque mobilium venditione. Nonne posset pedetentim ex reditibus restituere?

Sorbonæ Doctores rogantur hnmillime, ut suam de scripto sententiam exhibeant, ad hujus viduæ animum componendum, efficiendumque, ut filios suos convincere possit de restituendi obligatione, qua tenentur, ex ea paternæ hæreditatis parte, quæ ad ipsos devenit.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ut ad quæstiones ptopositas respondeatur,

I. Perrum tum quoad eum, cui mutuam dedit pecuniam suam, tum quoad alios, quibuscum Lugdunensium litterarum commercium inivit, in usuræ crimen incidisse, qnoniam ex eo mutuo lucrum percepit nullo legitimo titulo sibi debitum, adeoque restituere debuisse. Nec juvat dicete Petrum se male facere non credidisse, & cum pecuniam daret, decoctionum periculum subiisse. Si enim bona fides eum a peccato eximit, a restitutione non liberat, quia per hoc usurarium commercium ditior evasit. II. Non fit vero simile Perrum pecuniam suam daturum fuisse, si verum ejus amittendæ periculum existere credidisset; cæterum id peticuli satis jnsta causa non est, ut quis ex mutua pecunia lucretur, quia illud a mutuo sejungi nequit, quippe quod omnium, qui mutuum dant, commune arque usitarum est.

II. Cum Petrus, dum viveret, non restituerit, restitnere tenentur ejus hæredes, nempe Livia ejus vidua ex una parte propter hæreditaris communitatem, qua bonotum dimidium obtinuit, & filii ex alia.

III. Livia pro viribus eniti debet, ut eos singillatim detegat, ex quibus ejus vir fœnora sumpsit, seu Actis, & rationum Codicibus sedulo replicatis, seu mandans, ut ea de re petquiratur; tum vero debet id in pauperes erogare, quod iis debebitur, quos detegere non potuerit. Ita docet D. Thomas *a. 2. q. 62. art. 5. ad 3. Quod si ille, cui fieri debet restitutio, sit omaino ignotas, debet restituere homo, secundum quod potest; scilicet dando in eleemosynas pro salate ipsius, sive sit mortaus, sive sit vivas, præmissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus, cui restitatio facienda est; si vero sit mortuus ille, cui restitutio facienda est, debet restitui hæredi ejus, qui computatur quasi una persona cum ipso.*

Id jam statuetat Alexander III. in generali Concilio Latetanensi III. *cap. Cum ta, de usuris*, sub excommunicationis pœna: *Cogendi sunt per pænam, quam statuimas in Concilio eas his, a quibas extorserint, vel eorum hæredibas restituere; vel his non superstitibas, paupevibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, unde ipsi possint eas restituere.*

IV. Restituendi obligatio non solum affirmans præceptum est, cujus vi Justitiæ actus edendus sit; sed etiam continet præceptum negans, ne scilicet alienum bonum retineatur. *Præceptum de restitutione facienda* (inquit D. Thomas *s. 2. q. 62. art. 8. ad 1.*) *quamvis secundam formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum, quo probibemur rem alterius detinere.* Layman *l. 3. tr. 2. c. 2. n. 2.* putat id, quod in restitutionis præcepto affirmans est, accessorium tantum esse, quod autem est negans, esse ptæcipuum. Utut res habeat, communis sententia est, restiturionis præceptum ex negantium præceptorum, quæ semper ac singulis momentis obligant, condirione ac natura esse; ur proinde Livia, nulla interjecta mora, restituere teneatur, sive hæreditariis, sive aliis bonis venditis, id, quod ipsa quidem debet, siquidem possit citra incommodum, quod eo sit majus, quod ii subitent, quibus ipsa debet restituere. Qua in re duo debet in animum revocare;

Primum est, longum latumque discrimen esse inter eum, qui sua bona legirime possidens æs alienum conttaxit, & eum, qui bona possidet, quæ injusta ratione acquisivit, quæque ad ejns conditionem ac sortem meliorem reddendam conferunt. In posteriore facti specie quamprimum facienda est restitutio, nec ita habenda est ratio damni, quod restitutionem consequi posset; nempe non est reputandum, quid damni restitutio secum afferat, quia jus non adest ejus servandi status, qui justo titulo non est acqnisitus. Si tamen vidua diligentiore ac citiore hæreditatis venditione, se Creditorum nonnnllis solvendo imparem redderet, vel si damnum æquo gravius in bonis, quæ legitime possidet, pateretur, posset illa restitutionem parumper differre.

Alterum est, quamdiu restitutionem differt Livia, fortasse ex Creditoribus non deesse, qui damnum sentiant, & necessitate premantur; id qnod ejusmodi restitutionem vehementer urgere debet.

Hinc sequitur, ex ptopriis reditibus Liviam restituere non debere; id enim foret justo longius; ea porro quantocyus restituere tenetur. Multo minus differre porest, ur pecnniam mutuam det, vel ea ad suam ipsius vel aliorum utilitatem utatur.

Decisum hac die 10. Maji an. 1693.
G. *Fromageau*.

Restitutio in maritimæ cautionis negotio facienda.

CASUS IV.

1 *Mercatores, qaibus, ante quam publicus nuncius afferretar, innotuit Aligerienses Galliæ bellum indixisse, tata conscientia ea notitia ati non potuerunt, atqae ita obtinere, ut navibus suis eodem pretio caveretur, quo cavetar pacis tempore.*

2 *Eorum, qui sibi caveraat, damnum reparare debent, qaod iis fraudulenta hac dissimulatione attuleraat.*

QUÆSITUM.

CUm nonnulli de bello ab Aligeriensibus Galliæ indicto diebus aliquot ante quam nuntius publicus in Urbem afferretar, audivissent, ea notitia usi sunt, ac tridui spatio magnam mercinmvim emerunt consueto pretio, & ab iis, quæ de hac belli declaratione ignorabant, ingentes summas in navibna in mari versantibus ordinario censu sibi cavendas curarunt. Vnlgata belli fama, cum illi reddere vellent, quod cautionis jure perceperant, ajentes se deceptos fuisse, eosque Mercatores tuta conscientia belli nuntium, quem ante conventionem accepetant, celare minime potuisse, quia si id ipsi scivissent, haud tam vili prerio cavissent: quæstio hæc in varias partes civium & Confessariorum animos traxit, singulis pro Casuistarum, quos quisque legit, senrentia, & pro rerum suarum ratione disputanribus; quod in causa est, ut ex Doctoribus quæratur, quid in hoc negotio sentiendum sit, an scilicet qui primam belli notitiam habuerunt,

runt, tuta conscientia dissimulare, sibiqne minore pretio cautiones quærere potuerint, iisque liceat uti clausula, qua caventes recipiunt se soluturos, quod promittunt, quicquid evenerit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam expositionein vidit, existimat, cautionis contractus absque belli ab Aligeriensibns indicti notitia initos in foro conscientiæ & coram Deo nnllius roboris esse posse, eosque, quibus cautum est, non posse iisdcm contractibus uti, salva justitia, & quin apud Deum obligationem contrahant reparandæ jacturæ, quæ ex eorumdein contractuum executioue caventibus adveniret; ratio est, quia si ejusmodi contractus valerent, sequeretur nullam habendam esse rationem justitiæ commutativæ, quæ tameu harum omnium conventionum fundamentum ac regula esse debet. Cum porro certum sit huic justitiæ nullum unquam locum esse posse, cum inter Partes non adest lucri & damni æqualitas, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. ad 3. *Dicendum, quod in justitia commatativa consideratar principaliter æqualitas rei*; in contractibus, de qnibus consilium exposcitur, commntstiva justitia non esset, quoniam Mercatores snfficiens pretium non dedissent, habita ratione periculi, qund ex indicto bello extitit; atque ita magnum damnum in iis, qui caverunt, & lucrum in iis, quibus est cautum, reperiretur contra D. Thomæ principium in laudati articuli corpore: *Quod aatem pro communi utilitate iadactum est, noa debet esse magis in gravamea aaius, quam alterius, & ideo debet secuadum æqualitatem rei iater eos contractus insistai*. Jam vero conttactus, de quibus agitur, dnbio procul Cavenribus graves sunt, quippe qui non id in animo, habuerint, ut Mercatorum Naves in belli sibi ignoti casu tuerentur, cum in foro conscientiæ nullus contractus existat nisi ex Partium consensu, nullus autem absque voluntare & cognitioue consensus adsit. Nec refert ejusmodi contractuum totam vim ac rationem esse, ut omnes eventus provisos improvisosqne complectantnr, Aligeriensium porro bellum in horum eventuum numero esse; quoniam id moris obtinet, nt nou eodem pretio pacis ac belli tempore caveatnr, quamvis provisorum & improvisorum casuum semper in ejusmodi contractibus mentio fiat. Bellum ergo circumstantia est, qua cautionum prætium augetur, idque ita postulante Justitia, quia nempe eo tempore periculum majns adest, quod sane majori pretio pensandum est. Cum ergo Mercatores de bello cognoverint, Cantores vero ignoraverint, ii quidem cum bis agere debuerunt ea prorsus ratione, qua agitur belli tempore; eorum quippe reticentia spectari nequit nisi tanquam fraus & deceptio, quæ in divinæ Jnstitiæ Tribuuali ejusmodi contractus nnllos reddit. Principiis his nixum Consilium concludet D. Thomæ verbis ibidem ad primum, ad contractus hos referens id, quod Sanctus Doctor de emptione ac venditione pronuntiat: *Lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium: ande secuadum divinam legem illicitum reputatar, si in emptione & venditione noa sit æqualitas justitiæ observata; & tenetur ille, qui plus habet, recompeasare ei, qui damnificatas est, si sit notabile damaum.*

Decisum Parisiis die 30. Novembris an. 1681.
Aug. *de Lamet*.

Restitutio fœnoris bona fide percepti.

CASUS V.

Contiagere potest in facti specie maxime siagulari, quempiam ob bonam fidem noa teneri fœnus ex data pecunia mutua perceptam restituere; sed non est deinceps percipiendus census, quem usurarium esse semel innotuerit.

QUÆSITUM.

Petrus & Joanna mutuo matrimonii vinculo consociati, multa jam prole suscepta, hæredes evasere, defuncta Joannæ matre, patrimonii non mediocris, cujus pars continetur obligationibus, quæ judicia ad censum percipiendum ultro concessa secutæ sunt. Mater; cnm inibi esset, ut animam ageret, jamque omni propemodum cognitione destituta Petrum generum suum, cum ex ea quæreret, quicquamne haberet, quod sibi præciperet, hortata est, ut ejusmodi judicia secum in animo reputaret, nec verbum addere potuit. Statim ille a socrus suæ morte morientis verba mente versavit; cumque cum suo cohærede rem contulisset: utrique persuasum fuit non alia ratione melius propriæ conscientiæ consuli, ac defunctæ voluntati satisfieri, quam si ii, qui ex obligationibus, judiciisque deberent, sortem reddere non cogerentur, & in mutuatæ pecuniæ fruitione, ac libera dispositione, quoad iis videretur, relinquerentur, perinde ac si constitutionis contractus initus esset, haud petita compeusatione, nisi illi quidem propria bona alienarent, seu statn caderent; quo sane casn visum est Judicis auctoritate sibi legitime caveri posse, prorsus ut licet constituti reditus proprietario.

Petrus deinceps, ad conscientiam qnod attinet, tranquillo animo fuit, censusque, quo tempore Socrus decessit, elapsos, ac deinde labentes percepit, alienus a sorte reperenda, quod id facere citra grave debitorum suorum damnum non posset.

Reddidit etiam ultro census, qni denario quoque decimo octavo solvebantur, statim ac census ad denarium vigesimum a Rege redactos novit; juvat enim scire eos, qui non nisi ex Senrentia debent, gaudere commodo reductionis censuum, quæ statis temporibus instituitur; ut proinde qui mutuam accepit pecuniam, quo tempore census denario sexto decimo solvebatur, non solvat in præsentia nisi denario vigesimo, quod commodum in eos non cadit, qni reditus constituerunt.

Nunc temporis super ejusmodi censibus injicitnr Petro scrupulus, declaraturque teneri ipsum, quoscumque a judicata pecunia percepit, restitnere, ita ut sors omnino, vel maxima ex parte absorberetur, si omnes ii census restituendi essent. Porro Petrus se magis ex charitate agere credidit ea, qua se gerit, ratione, quam si debitores ad compensationem adigeret, quæ ipsis extremam perniciem, certe grave damnum afferret. Hoc ille animo census bona fide percepit, iisque ad propriæ familiæ subsistentiam usus est; nolens tamen tum socrus tum suam ipsius conscientiam angi, quærit, quid agere debeat, tum hactenus, tum in posterum, statuens, siquidem judicetur ita facto opus esse, earam obligationum nec sortem nec census petere, ita tamen ut eas in constitutionis contractus convertat. Hæc aurem animi præparatio an non satis est, ut hactenus percepti census reddantur legitimi, cum bonam fidem, in qua ille vixit, conjunctam habeat? Eosne ipse debet restituere?

RESPONSIO.

Consilium Conscieutiæ subscriptum censet, census, qui solverentur vi mutui, quo debitor eos persolvere, vel Senteutiam, qua ad id damnaretur, subire cogeretur, usurarios esse; quia nempe in eo posita est usuræ vis ac ratio, ut lucrum ex mutuo percipiatur. At si postqnam pecunia mutua data est, ea Creditor opus habuit, ac Debitor, cum solvendo non esset, Sententiam subiit, qua censnm solvere jussus est, ejus census perceptio non est usuraria, quia, in hac facti specie nihil est alind, quam damni compensatio, quod patitur Creditor, cujns bonum, quo ipse legitimis rationibus uteretur ad proprium commodum, detinetur. Jam vero non est justitiæ consonum, Creditorem jacturam subire, ut Debitori gratificetur; immo e converso justitia postulat, ut, si quid adsit incommodi, id omne Debitorem afficiat, qni illud, solutione præstita, vitare posset. Tum nempe census permittitur non ut lucrum, sed ut compensatio.

II. Si Sententiæ, quæ pecuniæ censns Socrui suæ adjudicarunt, Petro non aliunde innotuerunt quam ex ejus morientis extremis, iisdemque brevissimis verbis, & quantum quidem ex inquisitione, quam instituit, ex aliisque circumstantiis cognoscere potuit, mutuum ea tantum conditione datum fuisse, ut ejus census solveretur, non apparet satis firmum fundamentum extitisse, cur ipse animo turbaretur, quippe cum ex perbrevi, interruptoque Socrus sermone nil certi deduci possit; in restitutionis autem negotio sciendum firmiter certoque sit, id, quod perceptum est, debitum non fuisse, & in dubio judicandum sit in favorem proximi, præsertim cum ii, de quibus judicium fertur, bonæ famæ possessionem gaudeant.

III. Stat sententia, susceptum consilium agendi cum Debitoribus, perinde ac si per constitutionis contractum iis pecunia tradita esset, quin tamen commonefierent, non satis ponderis habuisse, ut usura vitaretur, quoniam reipsa Creditor in foro externo, quod sibi libuisset, agendi jus semper retinebat, & Debitor ab illius arbitratu, atque adeo miseratione pendebat. Quamobrem cum nulla veri nominis obligatio nec scripto nec verbo tenus inter Partes existar, pronuntiari non potest censum non vi mutui fuisse perceptum, & quod inde consequitur usurarium non fuisse; tritum enim est illud: *usura est lucrum ex mutuo.*

IV. Facta hypothesi Petrum bona fide, hoc est viris, quos idoneos ac peritos credere posset, in consilium adhibitis, persuasum habuisse se sibi satis ea ratione ab usura cavere, nec fuisse, quamobrem dubitaret, eumque ita animo comparatum fuisse, ut nunquam pecuniam suam fœnori daret, si eam percipiendi lucri rationem malam esse credidisset; census bonæ fidei tempore perceptos consumptosque, quibusque ditior non est factus propriorum bonorum augmento, non tenetur. Sed Petrus idem de divina Lege in præsentia certior factus debet a percipiendis censibus abstinere, eosque, quos in dubio percepit, restituere; potest, atque adeo debet Debitoribus suis proponere, ut constitutionis contractus ineant, aut sibi ipsi pecuniam restituant; quod si neutrum facere valeant, jure potest efficere, ut ad censum sibi solvendum damnentur.

Decisum in Sorbona die 13. Septembris an. 1682.

A. de Lamet.

Restitutio ob judicium ex falso testimonio impetratum.

CASUS VI.

Aggressor ab iis contusus, quos impetebat, ex favorabilibus, quæ obtinuit, judiciis commodum percipere nequit, si falsi testimonii vi lata sunt.

QUÆSITUM.

Lucius Presbyter indigne ferens a Lentulo patrem suum pugno affectum fuisse, eumdemque Lentulum ex se octodecim libras exegisse, ut Lentuli actiorem reprimeret, paulo post acerbius ex ipso quæsivit, cur male patrem suum excepisset, & pecuniam ex se ipso exegisset. Post aliquot utrinque verba Lentulo Lucius alapam incussit; ille vero, opitulante patre, irruit in Lucium, eumque adeo male habuit, ut humero contusus jaceret, & mensis spatio sacrum facere non valeret. Postridie Lentulus conqueritur apud Judicem se male acceptum a Lucio, qui se causa laborare non inficiatus, Lentulo, ejusque patri per amicum declarat, se ex iis veniam petere paratum esse. Sed Lentulo auscultare nolente, apud eumdem Judicem queritur Lucius, inquiens Lentulum priorem aggressorem fuisse, ac producit testes quatuor, qui actioni ab exordio ad finem usque interfuerant; quorum tres, ut se res habuit, deposuerunt; sed quartus, rogante Lucii fratre, cui multum devinctus erat, falso deposuit Lentulum, ejusque patrem aggressos esse Lucium, qui sententiam obtinuit, qua statutum est, ut Lentulus ac pater in carcerem conjicerentur, decreta interim octuaginta librarum provisione, quæ Curiæ tradita est. Rebus ita se habentibus, vir gravis suapte sponte sese interposuit, ut Lucium componeret ac Lentulum, qui restitutionem dimidii summæ octuaginta librarum sibi a Lucio oblatam acceptare noluit; immo vero novis in Lucium inquisitionibus institutis, ejus in carcerem conjiciendi decretum obtinuit, atque adeo Sententiam, qua idem Judex declaravit, se, rursus auditis testibus, intellexisse, Lucium aggressorem fuisse; quamobrem suam priorem sententiam infirmat, & Lucium ad librarum 80. restitutionem, & ad æqualem summam Lentulo solvendam condemnat. Appellat Lucius ad Senatum. Denique cum ultra biennium, ducentis & amplius libris utrinque expensis, actum esset, Senatus Sententiam in Lucii quamvis aggressoris favorem latam confirmat. Quæritur, quænam in foro conscientiæ sit Lucii obligatio?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent super exposita facti specie, allatam expositionem non videri satis in aperto positam, ut inde Subcripti de facto cognoscant, atque omnino declarandum fuisse, an Rescriptum priorem Sententiam Lucio favorabilem confirmans habuerit fundamenti loco depositionem quarti testis, ajentis falso aggressorem Lentulum fuisse. Quod non fit vero simile, quia cum alii testes deposuerint, Lucium, injecta alapa, primum Lentulo insultavisse, difficile creditu est, ex unius testimonio sententiam Lucio favorabilem a Senatu editam fuisse. Verum est, cur credatur judicium hoc latum esse ob vehementiorem impetum, quo Lentulus ejusque pater injuriam a Lucio alapa sibi primum illatam repulerunt. In qua facti specie cum Senatus pro rei veritate judicaverit, nihil Lentulo deberet Lucius, Judicibus, ut vero simile fit, Lentuli damnationem ad solvenda Lucii alimenta ac remedia redigentibus, nec ei, quod aggressor appareret, ulla alia damna atque impensas adjudicantibus. Si tamen ea unica depositio Lentulo damnum aliquod attulisset, Lucius id reparare teneretur.

Decisum Parisiis die 5. Novembris an. 1678.

Aug. *de Lamet.*

Restitutio in gratiam Emptoris sua frustrati.

CASUS VII.

Mercator, qui sibi vendendas tradendasque curavit messes, alteri jam venditas, non tamen traditas, tuta conscientia lucrum ex ea emptione perceptum retinere non potest, sed priori emptori restituere tenetur.

QUÆSITUM.

Lucius audiens emptas certas quasdam messes a Claudio, & intelligens dimidium sortis in lucro fore, Venditorem adit, eique offert libras 100. ultra pretium, de quo convenerat cum Claudio, cujus damno messes Venditor Lucio tradit. Animadvertendum, hunc novum contractum postridie initum fuisse, & Claudium nil damni passum esse, præter jacturam lucri, quod percepisset.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subcriptum putat, ex Lege 2. ff. *de contrahenda emptione. Non pretii numeratio, sed conventio perficit sine scriptis emptionem*, tritici venditorem, cui cum Claudio convenerat, mercem suam alteri vendere non debuisse; quod etiam firmatur trito illo principio, quod occurrit in Regulis Juris in 6. *Reg. 54. Qui prior est tempore, potior est Jure.* Id ipsum nititur naturali Lege, quæ vim tribuit conventionibus & contractibus, quibus omnis bona commercii fides continetur. Qua tamen

men domioii traoslatio non fit contractu & conventione, sed solum traditione, ac suscepta possessione rei venditæ, dunatæ, vel permutatæ, juxta Legem *Quoties*, *c. De servitatibus* r. t. omniumque Doctorum sententiam; si forte contiogat bis unam eamdemque rem vendi, tradique non emptori primo, sed alteri, posterior hic in sua possessione servarur cum damno prioris, cui venditor tenetur ea damna atque incommoda solvere, quæ petitur, quod noo rem noo habet, quam emerat, quaque privatus fuit ob possessionis a posteriore emptore initæ privilegium. Hic tamen frui nequit, nisi emerit bona fide, nempe ignorans rem antea jam emptam fuisse. Si enim priorem emptionem perspectam habuisset, ejus emptio non frandulenta esse non potest, neque ei prodesse potest, quamvis possessione gaudeat ipse, ac venditor in ejus favorem ea se spoliaverit, ex trita Regula: *fraus & dolus non patrocinoatur facientibus*. Doctrinam hanc propugnant optimi quique Doctores, ut videre est apud Covarruviam *Tom. 2. lib. 2. variar. resolut. cap. 19. n. 5.* adeoque liquet, Lucium, qui probe ooverat, messium, de quibus agitur, contractum 600. librarum prætio a Claudio initum fuisse, non potuisse nisi mala fide cum Venditore contrahere. Itaqne Lucio ad triticum nil juris fuit, & ex ea negotiatione lucratus Claudio restituere tenetur, receptis 700. libris, quas Venditori tradidit, compensatisque tum impensis, quas facere debuit, tum curis, quas ideo pertulit, quæ pretio sunt æstimabiles; neque enim par esset eas ipsi tanquam Villico non persolvi.

Decisum Parisiis Kal. Decembris an. 1678.
Aug. *De Lamet*.

Prædii Decreto impetrati restitutio.

CASUS VIII.

1 *Judex Prædio potitus vi Decreti, quo, ficto nomine, sibimetipsi illud adjudicat, id ipsum tuta conscientia retinere non potest.*
2 *Majoris quoque culpæ reus est, quod impedierit; ne consanguineo Prædium rederet per recuperationem consanguinitati respondentem.*
3 *Teneatur ille jus ferre Prædii Domino, qui ejus culpa oppressus jacuit, ei Prædium restituens, oblata summa, quam ipse Decreti vi solvit.*
4 *Obligatio hæc in solidum est tum quoad Judicem, tum quoad alios, quicumque dictam consanguineum recuperationi, & quam cogitabat, perficiendæ imparem reddiderunt.*

QUÆSITUM.

Vir gradu præstans an. 1680. insignem Villam emit libris quinquaginta octo mille quingentis. Villa hæc jure gaudet præsentandi ad Beneficium, cujus annuus redirus mille quadringentarum librarum est. Pollet illa feudis triginta sex ab ipsa pendentibus, & insignibus juribus bene multis. Ibidem erat lignis celsissimis refertum nemns ultra centum jugera, arboribus ab annis centum quinquaginta succrescentibus. Ejus, qui eam cum aliis Villis ac Ditionibus possidebat, familla amisit ejus morte Officium, quod plus quam 40000. scutorum erat; quamvis enim 36. & amplius annorum spatio solvisset annuum jus, quod Januarii die 8. inchoabatur, quia diei nonæ nocte e vivis excessit, Fortuitarum partium Exactores ex ejus calamitate lucrum reportarunt, ipsiusque bona Decreto submissa fuerunt.

Decretum esset editum apud Judicem, qui de Prædii dignitate cognoscens ita sno ipse bono studuit, nt ejus dominus fieret, curans, nt cuidam e suis pretio 21000. librarum adjudicaretur.

Defuncti filius, cui decem nati erant, sua se oegotia redintegraturum credidit, si Prædium ne quarta quidem valoris parte venditum sibi vindicare posset; cumque libras 30000. teneret ex parte conjugis, ad virum tum inclyta nobilitate clarum, tum opibus ingentibus affluentem se contulit, sibi ex eo longe maximum patrocinium promittens ob servitia, quæ ipsius quoadam pater eidem præstiterat vel propriis sumpribus, quippe qui libras ultra 30000. in ejus familiæ gratiam insumpserat.

Alloquitur Virum, exponit rem, ejus sibi opem implorat in hoc negotio, a quo ipsius fortuna pendebat, ei se pecuniæ vadem promittit, ac nunquam fore, ut accepti beneficii recordatio sibi ex animo excidat.

Pecuniam spondet ei Vir, & constitutionis contractu mutuas dat 22000. libras cum cautione Prædii & Conjugis Constituentis.

Stipulato contractu, tradita est pecunia, quam Constitueos defert ad locum, in quo Decretum editum fuerat, ac Prædium repetit a Judice, palam pecuniam offerens, ac declarans eam ex indigitati viri nummis esse; ei datus est oblatæ pecuniæ actus; cumque ibi nemo esset, qui traditam pecuniam ex officio reciperet, Constituens rogavit egregium Civem, ut pecuniam suam custodiret.

Animadversione dignum est, cum ex libris viginti duabus mille constitutis, uno tantum & viginti mille opus esset ad Prædium vindicandum, qui pecuniam suppeditavit, voluisse, ut ex 1000. quæ supererant, triginta nummi aurei Notario suo, & plus quam 200. libræ suis Domesticis traderentur. Quod excutioni mandatum fuit.

Judex, qui Prædium sibi bono fore sperabat, cum se per eam pecuniam eodem spoliari intelligeret, eum, qui pecuniam dederat, sollicitandum curavit, eumque ipse adiit, atque adeo obtinuit, ut ille repeteret pecuniam suam, quæ apud egreginm Civem depnsita erat, & contra constitutionis contractum ejus anctoritate perfecit, ut sibi restitueretur. Longius quoque progressus est; cum enim in gratiam Viri nobilis, qui Prædium suum repetere volebat; ad Judices scripsisset, contrarias ad ipsos litteras dedit, nt pauper hic Vir oobilis causa caderet.

Neque illud ommittendum, eumdem Virum ex Viri nobilis conjuge sumpsisse libras 1250. ut sibi solverentur 22000. libræ, quas præbuerat, & census, haud deductis 500. libris, quas ipse Notario suo, suisque familiaribus tradi voluerat, eum scribam earum 1250. librarum depositarium damnandum curasset, ut eas sibi ipsi traderet.

Denique Vir nobilis litem perdidit, & Prædium, quod apud Judicem remansit, pecunia deficiente, & ob ejus patrocinium, de quo dictum est. Vir hic nobilis præter hæc omnia incommoda scuta etiam plus quam mille expendit in lite, adeoque ad incitias redactus est, ejusque familia funditus eversa, omnesque initi sunt, ut animos omnino despondeant.

Circumstantia notatu digna; si hic Vir nobilis haud sibi certum patrocinium ex eo Viro promisisset, ab aliis bene multis pecuniam nactus esset; sed eo ipso Viro pecuniam suam solemniter revocante, hæsit aqua, & nemo nnus, qui pecuoiam traderet, inventus est.

Quæritur, an qui pecuniam mutuam dederat, ad Prædium recuperandum, tuta conscientia sit, quod eam repetierit, constitutionis contractu nihil obstante, auctoritate sua, quodque ad Judices scripserit, ne litterarum suarum commendatitiarum, neve Viri nobilis supplicationum rationem ullam haberent, ac denique quod ab eo solvi voluerit pecuniam, quæ jubente ipso, Notario suo, suisque domesticis data fuerat, ejusdemque censum perceperit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam facti speciem vidit, & expendit, existimat, ante quam ad quæstiones respondeat, se pronuntiare debere ægre se adduci posse, ut sibi persuadeat adeo turpe, atque a justitia alienum facinus apud Magistratus patrocinium invenire potuisse, cum Pars adesset, quæ se tueretur, ac posset vexationem, quam patiebatur, probare, producto constitutionis contractu, quo sua ipsius bona librarum 2200. pretio vendiderat; quod in causa est, ut dicta expositio non omnes circumstantias, ad intimam facti, de quo agitur, cognitionem obtinendam necessarias continere videatur.

Re tamen supposita, ut est exposita, Consilium censet, eum, qui librarum centum ac mille reditum emerat ex illius bonis, qui ejus filius erat, cujus boua Decreto subjecta suerant, eoque titulo eidem solverat 22000. libras, in Prædio, de quo quæritur, recuperando collocandas; ob privilegium, quo ex Lege gaudebat, consanguinitatis gratia, non potuisse tura conscieutia, ac Judicis auctoritate repetere 22000. libras, quæ re ipsa ad eum spectabant, cui easdem ipse tribuerat conditionibus in contractu firmatis; ut proinde eas sibi vindicans, alienum sibi bonum sumpserit, adeoque non modo eam summam, eo, qui aceeperat, repetente, sestituere, sed omuia quoque damna reparare teneatur, quorum ipse causa fuit, videlicet id omne lucrum, quod ex Prædio, ad quod ex Lege jus obinebat, Vir nobilis percepisset. Ita docet D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *in corp. Respondeo dicendum*, inquit S. Doctor, *quod quicumque damnificat aliquem, videtar ei auferre id ipsum, in quo damnificat: damnam enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam quod debet habere secundum Philosophum in 5. Ethicor. & ideo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit*. S. Autoniuus eamdem senteutiam tuetur 2. *part. t.* 2. *cap.* 5. *§.* 16. Cardinalis quoque Toletus *lib.* 5. *instit. Sacerd. cap.* 19. *a.* 5. *Actio mala*, inquit, *obligans ad restitutionem debet esse contra justitiam; hæc autem præcipue quadruplex est, impedire, ne aliquis bonum consequatur, quod alias erat consecuturus .... imprimis de eo, qui impedit alium a consecatione, quam alias erat habiturus, sit regula generalis notanda: qui impedit injuste; ne consequatur id, quod alias erat consecaturus, tenetur ad restitutionem*. Azorius *part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 31. Layman *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 7. *n.* 5. idem tradunt; nititurque S. Gregorii auctoritate 9. *extr. De injuriis c. si culpa. Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu alias irrogantibus opem forte tulisti; aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam*. Cum ergo qui pecuniam dederat, injutiam iutulerit, ea revocata. I. quia non amplius ea ad ipsum spectabat, utpote emptæ rei pretium, quia contractus perfectus erat, & proinde pretium illud pertinebat ad Venditorem, ut juxta conventiones in dicti Prædii emptione collocaretur; II. quia pecuniam non repetiit, nisi ut dicti contractus, quo erga ejus, cujus bona decreta fuesant, filium obligabatur, effectum impediret: fieri omnino non potest, ut ignoraverit injustitia ac damnum, quod ei inferebat, cui ipse pecuniam dederat, ac proinde iis omnibus incommodis obnoxius est, quæ ille pertulit, quod ejus culpa Prædium, ad quod justum titulum obtinebat, sibi vindicare non posset. Tenetur ergo Viro nobili restituere, quæcumque expendit, ut litigia occasione revocatæ pecuniæ concitata persequererur.

Judex quoque ob easdem causas ejusdem restituendi obligationis particeps est, nec potest in foro conscieutiæ possidere prædium, quod emit, & cujus receptionem injustis modis impediit; & quod inde consequitur, illud juste non possidet; præterquam quod ad restitutionem etiam teuetur, st impediit, ne Prædii pretium ita augeretur tum ejus ratione, cujus nomine venit, tum ratione Creditorum, quibus, deficiente fundo, solvi non potuit. Præterea Judicis qualitas eum ab ejusmodi acquisitinne excludebat; acque adeo ut ad eam perveniret, fraude ac suppositione opus ei fuit ad vitandum Legis affectum; fraudes autem & suppositiones hujus ipsius Prædii acquisitionem impediunt. Itaque quocumque modo spectetur hic Judex, nullum coram Deo titulum obtinet, ut idem Prædium retineat; sed tenetur in foro conscientiæ huic pauperi ipsius culpa oppresso jus reddere, Prædio ei restituto, soluta summa, Decreto suo respondenre; ita ut hæc obligatio tum ad eum, qui pecuniam mutuam dedit, in solidum spectet; mutuans enim debet pecuniam reddere vi contractus inter ipsum & Virum nobilem initi; qui contractus suam pristinam vim semper retinet; neque enim violentia atque injustitia obligationem in eodem contractam ulla ex parte imminuerunt.

Decisum Parisiis die 18. Junii an. 1681.

Aug. *de Lamet*.

Restitutio, ad quam hæredes tenentur.

CASUS IX.

Quamvis hæredes bona male acquisita, quæ in successionis, quam obtinent, partem veniunt, restituere teneantur, ad id tamen non nisi *pro quota sua parte teneuter*.

QUÆSITUM.

CUm Adolescens parentum suorum jussu apud Mercatores duos in Hispaniis degeret, ab iis *an.* 1653. libras 2000. mutuatus, ac Parisios reversus, cum morti proximus esset, Patrem rogavit, ut id ejus nomine restitueret ex eo, quod ex defunctæ matris bonis ad ipsum spectabat. Obstrinxit fidem pater, sed cum, excitato bello inter Regna duo, ne ipse quidem summam reddere potuisset, ad dictos Negotiatores eam pecuniæ vim pertiuere, relicta schedula, declaravit. Eam summam tanquam depositum ad se minime pertinens filii tradiderunt majori natu, quippe qui non nihil mercaturæ extra Regnum exercens eam facilius reddere posset; sed ille, facta aliqua perquisitione, diem suum obiit, satisque habuit in suo Codice significare se credere eam summam in pia opera conferri posse, nisi quamprimum ii, ad quos spectaret, innotuissent. Ejus ergo filii, cum se non plus notitiæ habituros sperarent, quam Pater habuisset, summam inter se diviserunt, promittentibus singulis se suam quemque portionem in pia opera collaturos. Alii quidem præstitere fidem, alii vero fatentur se post biennium nondum promissa fecisse. Ejus, cui primum concreditum fuerat depositum, sororis filia, occasione commercii, quod exercebat, cum litteras in Hispanias semel & iterum mittendas curasset, accepit scedulam, in qua eorum Mercatorum complures filiæ ac neptes, & adhuc viventes, & inopia laborantes describebantur; quam cum cohæredibus exbibuisset, responderunt alii se jam suas eleemosynas præstitisse, alii vero se non nisi portionem suam solvere velle. Quamobrem interrogat illa.

I. An Patrui sui filios in jus vocare debeat, facta hypothesi non eis licuisse portionem suam in eleemosynas erogare, eosque simul & in solidum obligari?

II. An, si id consilii inire non possit, tum quod probationes desint, tum ut incommodum, quod inde in universam familiam redundaret, evitet, restitutionis obligatio in eam recidat tum quoad propriam portionem, tum quoad integram summam, quippe quæ Avi sui hæres sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, super proposita facti specie, ex communi Auctorum sententia, tria posse animadverti. Primum est, cum hæredes pecuniæ summam furto, vel usurariis censibus acquisitam restituere tenentur, diligenti perquisitione opus esse, ut rei dominus detegatur. Alterum est, si facta ejusmodi perquisitione, is, ad quem res pertinet, detegi nequeat, rem ipsam pauperibus tribuendam esse. Ita D. Thomas in 4. *dist.* 15. *q.* 1. *art.* 5. *q.* 4. *ad* 1. *Quando incertus est Dominus rerum ablatarum, pauperes sunt hæredes, & ideo non deobligatur a debito restitutionis, nisi det pauperibus pro anima illius, cui restitutio debebatur, adhibita tamen prius diligentia debita*. Nec desunt Auctores, qui asserant hanc restitutionem pauperibus faciendam non esse, nisi Judex annuerit, secus enim iterum restituendum, si deinceps verus dominus innotesceret; qua de re consulendus Sayrus *in Clavi*. Tertium est, quod in *Cap. Tua nos de usuris a.* 6. occurrit in hæc verba: *Hæredes usurarii* (rerum scilicet injuste acquisitarum hæredes) *tenentur ad restituendas usuras non in solidum, sed pro hæreditariis portionibus; idem est regulariter in quibuscumque hæredibus, quia actiones competentes divisæ sunt per Legem inter hæredes, & in hæreditariis portionibus*. Conclusionem hanc probat Panormitanus, tum etiam cum hæredes cæteri portio-

nem

nem ſuam reddere vel nolunt, vel nequeunt. Cabaſſutius *l. 6. c. 19. n. 2.* idem pronuntiat: *Plures autem hæredes non teneri ſigillatim reſtituere in ſolidum ratio ſuadet, quia eatenus onerantur reſtituere, quatenus commodum percipiant; ut vero commodum non niſi in partem accipiunt; igitur partem quoque reſtituere ſinguli aſtringantur.* Vide Pyrrhingum *tom. 5. de uſuris pag. 289. De Sainte Beuve tom. 3. p. 42.* Binsfeldium *pag. 391. & 392. de uſur.* Sylveſtrum *v. Uſura q. 10.* ubi ait veteres Canoniſtas opinatos eſſe in ſolidum reſtituendi obligationem in ejuſmodi negotiis exiſtere, ex falſo damnatoque principio, quod nempe uſurarii hominis bona hypothecæ ſubjecta eſſent, quod non ita ſe habere monet Panormitanus *in cap. Tua nos de uſur.* ſive de hypotheca expreſſa, ſive de tacita ſermo ſit. Videndi Molina *tom. 1. diſp. 329. & 332.* Azorius *Tom. 3. l. 5. c. 18. q. 10. De uſuris.* Baſſæus *v. Uſura n. 8.* Bonacina *Tom. 1. diſp. 3. puncto 15. a. 14.* Sotus *l. 6. q. 1. art. 4. de Juſt. & Jur. pag. 191.* Toletus *l. 5. c. 35. n. 7.* videndi quoque Banner *2. a. q. 78. art. 3. dub.* Rebellus *l. 8. q. 16. ſect. 2.* Bucho *tom. 4. pag. 473.* Roſellius *v. Uſura n. 6. pag. 651.* Leſſius *l. 2. c. 20. dub. 20. pag. 24.*

His poſitis, reſpondetur,

Ad quæſtionem primam, filiam ſororis ejus natu majoris, qui 2000. libras, de quibus quæritur, primus acceperat, teneri curare pro viribus ſive per ſe ſive per alios, ut Patrui ſui filiis perſuadeat ſe ob erogatam eleemoſynam a reſtitutione exemptos non eſſe, quia non exactam perquiſitionem adhibuerunt, ut in Hiſpaniis eos detegerent, ad quos ea pecunia pertinebat; ſed eos tamen, quamvis reſtituere teneantur, non in ſolidum, ſed pro ſua quemque portione teneri.

Ad ſecundam, ſi eadem filia apud Judicem probare non poteſt ex Actis Proavi, vel ex aliis titulis eum recepiſſe libras 2000. reſtituendas, eum primum ii, ad quos ſpectarent, detegerentur; ſi etiam judicat non eſſe rationi conſonum, ut negotium ad Judices deferatur, ne inde in familiam infamia redundet, ipſam, quippe quæ matrem exhibeat, id unum reſtituere debere, quod ex pecuniæ partitione percepit, juxta paulo ante declarata principia.

Ad eam a reſtitutione eximendam dici poſſet, patris hæredes rejeciſſe reſtitutionem in filium natu majorem, apud quem ſummam debitam depoſuerunt, verum id patris ſucceſſionem non eximit, quia depoſitum, de quo convenit, Creditori nec notum, nec probatum fuit, injuſtumque foret eum privari hypotheca, qua gaudet in bona ſucceſſionis, quæ illud æs alienum quod in filii natu majoris bona rejiciebat, ſolvere tenebatur. Ejus enim eadem eſt ratio ac Debitoris, qui ut Creditori ſuo ſatisfaceret, alteri, ut eidem ſolverat, pecuniam tradidiſſet; ſi ille a Creditore nec electus nec confirmatus pecuniam vel conſumeret, vel amitteret, ſemper Creditor jus & actionem in ſuum Debitorem, ut ſibi ſolutionem exigeret, retineret.

Deciſum hac die 2. Maji an. 1693.
G. *Fromageau*.

Reſtitutio quoad eum, qui furti conſilium dedit.

C A S U S X.

Qui ſuaſit filio-familias, ut patri furaretur, ablatam ſummam teneatur eidem reddere, vel defuncto filio-familias.

QUÆSITUM.

PEtrus Jacobo filio-familias auctor fuit, ut patri ſexaginta circiter libras eriperet. Erant Jacobo ſorores multæ; defuncto patre, is cum matre ac ſororibus hæres extitit; tum Jacobo ipſo fato functo, mater ejuſque ſorores duæ ab inteſtato hæredes remanſerunt.

Petrus & Jacobus ejus pecuniæ partem ſimul conſumpſerunt; ac Petrus quidem, qui ſervabat, quod ſupererat, id male, Jacobo inſcio, expendit.

Quærit Petrus, qua obligatione teneatur, atque an non ſit facta reſtitutio per bona, quæ matri & ſororibus Jacobus moriens reliquit?

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ſuam ſuper hoc negotio ſententiam dicant.

Responsio.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet, Petrum, qui ad libras 60. patri ſurripiendas Jacobum impulit, teneri, ut videtur, Jacobo mortuo, ad integram ſummæ reſtitutionem; ſi enim ea ablata non fuiſſet, ſucceſſionis maſſa ditior extitiſſet libris 60. quarum dimidium ad conjugem poſt viri mortem pertinxiſſet, facta hypotheſi inter hæredes communitatem locum habuiſſe, & dimidium aliud filiis tribus ceſſiſſet. Ajetur fortaſſe Jacobum integram ſummam reſtituere non debuiſſe, quoniam trientem ſuum ex dimidio ad ſe ac ſorores ſpectante deducere potuiſſet, adeoque ne Petrum quidem ad integram reſtitutionem teneri; verum cum Petrus Jacobum exhibere non poſſit, ne ejus quidem jura, utpote nullo ad id titulo gaudens, exercere poteſt.

Quod ſi objiciatur, Jacobis ſorores, univerſa ejus defuncti bona conſecutas librarum 60. ſucceſſionis debitarum ſolutionem recepiſſe cenſeri, atque ita Petrum nihil amplius debere, nec ad ullam reſtitutionem teneri, quoniam ad eam quidem non niſi Jacobo, qui primarius debitor eſt, deficiente tenetur; reſpondetur, non donationis aut reſtitutionis titulo Jacobi ſorores ejus bona obtinuiſſe, ſed titulo ſucceſſionis ab inteſtato, qui naturalis titulus eſt, cujus vi ejuſmodi bona ad eas pertinebant. Non ergo ab obligatione liber exiſtit Petrus, quamvis liber Jacobus ſit, quippe qui quicquid habebat in bonis, hæredibus ſuis reliquerit; convenit ſane Debitorem, qui Creditori ſuo relinquit, quicquid habet, ei ſolviſſe cenſeri; ac non ita ſe res habet in præſenti facti ſpecie. Uno verbo ut Petrus librarum 60. integram ſummam reſtituere non teneretur, eam ſaltem pecuniam, cujus ipſe cuſtos fuit, quamque inſcio Jacobo expendit, reddere teneretur; Petrus nempe nullo ad eam pecuniam jure gaudebat, quam quidem, ne dum, ut egit, expenderet, vel patri, cui ablata fuerat, vel Jacobi hæredibus ab ipſo reddi oportebat.

Deciſum in Sorbona die 20. Auguſti an. 1703.
G. *Fromageau*.

R E T R A C T I O.

REtractio eſt actio, qua retrahitur hæreditas alienata ex ejus manibus, qui eam acquiſivit; hæc retractio ita dividitur, ut alia feudalis ſit, alia ex cognatione, alia ex conventione proveniat. (a) Loyſel quartum addit retractionis genus, quod appellat æquitatis, jus, quod Darbellica Praxis explicat in hæc verba: „ Ubi ſunt Domini plures utiles ejuſdem rei, ſi ex Conſortibus unus portionem ſuam vendat, præſentare debet Conſorti, vel Conſortibus, quibus novem dies a præſentatione ſunt ad retinendum; tum ſubditur, eum Cognato, Dominoque præferri ". Jus hoc in Regionibus conſuetudinariis originem traxit, tum vero in aliquibus Provinciis obtinuit, in quibus

Jus

(a) Loyſel l. 3. tit. 5. art. 1. inſtitutionum ſuarum. Conſuetudo Darbellica tit. 10. art. 57. & 58.

Jus scriptum servatur, saltem ad retractionem feudalem quod attinet; ad cognitionis enim retractionem quod spectat, ea quidem alicubi favorabilius recepta est.

Feudalis retractio, quæ Dominicalis quoque, seu censualis nuncupatur, jus est, quo vi feudi Dominus gaudet, hæreditatem a Subdito venditam retrahendi; si Dominicale jus est; ad Feudi Dominum, si censuale, ad Census Dominum pertinet; ut nempe feudalis retractio a supremo Domino in retrofeudum eidem subjectum, alia vero in hæreditatis ignobilis, annuoque censui submissæ Proprietarium exerceatur.

Consuetudo Bituricensis retractionis utriusque mentionem facit; & in Consuetudine Catalaunensi occurrit retractio dominicalis castellana. Articulo 75. dicitur, Castellanum Dominum posse retrahere & ad suum bonum redigere hæreditatem ascendentem in Castellania vendita & ex ipso ducta feudi titulo; videlicet ut quis retractione uti possit, opus esse, ut Castellanus Dominus sit. Idem obtinet in Aurelianensi, Blesensi, & Montargiensi Consuetudinibus.

Retractio consanguinitatis gratia nihil est aliud, quam jus ex emptore tertio vetus bonum familiæ proprium a consanguineo venditum repetendi. His porro retractionibus concurrentibus, quæritur, cui bonum tribuendum sit. Sed hujus quæstionis decisio ex usu & consuetudine pendet. Generalis regula est, cognationis retractionem præferendam esse in Consuetudine Bituricensi: „ Retentio locum non „ habet, inquit, cum res feudalis aut censualis habet aliquem consanguineum venditoris ex eo stipi„ te ac genere, ex quo feudalis aut censualis res provenit. In Alverniæ consuetudine dicitur, Con„ sanguineum præferri directo Domino, quoad rei venditæ retentionem; Dominus tamen rem ex cen„ su suo provenientem emit, sine fraude: quod jurejurando affirmare debebit. Consanguineus eam re„ trahere non potest. " Exceptio porro, quam Consuetudo generali regulæ apponit, videtur rationi consona, propterea quod æquius apparet, magisque naturæ legibus consentaneum fundo suo redintegrari sejunctam partem, quam agnatis tradi, solius sanguinis ratione habita.

Hac de causa Consuetudo Parisiensis art. 159. aliæque complures definierunt, Feudum ex proprio derivatum a Subdito venditum, & a feudali Domino Feudi potestate retentum retrahi posse ab aliquo ex consanguineis & gentilibus venditoris ex stipite ac genere, ex quo processit, anno & die &c. Hac eadem mente Loysel hanc regulam statuit: Si Consanguineus retrahat ex Domino, ei jura solvet juxta articulum 16. tituli 14. Consuetudinis Bituricensis. Verum inter dominicalem & gentilitiam retractionem id discriminis intercedit, quod hæc quidam intentari debet intra quadraginta dies ab Acquisitoris possessione, dominicalis autem exerceri potest a Domino triginta annorum spatio, si Acquisitor hoc temporis intervallo acquisitionis Contractum non eidem significaverit.

Est & aliud essentiale discrimen inter hæc duo retractionis genera, quod dominicalis cuicumque cedi potest, at gentilitia non nisi gentili ex articulo 151. Consuetudinis Pictaviensis. Adest ea quoque regula, retractionem dominicalem tum in propriis, tum in acquisitis locum habere. Gentilitiam vero in propriis tantummodo; hinc est illud in Consuetudinibus omnibus receptum proloquium: *in acquisitionem non cubare retractionem*; quod de gentilitia retractione accipiendum est. Auctor, qui Consuetudini diligenter adlaboravit, producit principium aliud, eum nempe, qui ad stipitem propius accedit, ex eo retrahere non posse, qui ab eodem stipite longius abest; ita ut consanguineorum diligentissimus negligentem excludat, nisi juxta Carnutensem, Dunesiensem, & Blesensem Consuetudines Consanguineus proximior intra tempus a Consuetudine præscriptum non intervenerit. Denique ut monent Copinus & Baquet, Rex feudali retractione uti nequit. Est Ecclesiastica quoque retractio, quæ nihil est aliud, quam jus, quo Ecclesiastici gaudent, in Ecclesiasticorum bonorum, quæ alienata fuere, possessionem redeundi.

Gentilitia retractio fraudulenta.

CASUS I.

1 *Non potest Consanguineus nomen suum alteri tradere, quo ille hæreditatem, cujus ipse retrahenda jus obtinet, consequatur.*

2 *Consuetudinis retractiones has permittentis, vis ac motio.*

QUÆSITUM.

IN Andegavensi Tractu id fere moris obtinet, ut Gentilis hæreditatem a consanguineo venditam retrahat, cum est e stipite; idque ex collusione cum alio. Petrus causa exempli suum Bartholomæo nomen dat, & ejus gratia bonum Christophoro venditum retrahit. Jurat Petrum apud Judicem, se sibi retractionem eam instituere, & tradit emptionis pretium, quod ei mutuum dat Bartholomæus Francisci nomine, ac proinde declarat ille pecuniam sibi a Francisco mutuam datam esse, ei peculiarem hypothecam statuit in bono, quod sibi retraxit, ejusque possessionem eidem relinquit, quoad eam, quam mutuam dedit, summam receperit. Fraudem quidem & collusionem in hoc omni negotio existere Judices non ignorant; sed cum non satis graves probationes adsint, non potest, quin hæreditas reddatur Consanguineo, qui non nisi nomen suum Bartolomeo dat ob aliquod emolumentum, quoad inde percipit.

Quæritur, idne liceat, an Petrus Emptorem, cui injuriam irrogat, quia ad ipsum hæreditas pertinet, compensare debeat, atque eo id non faciente, an Bartholomæus & Franciscus ad id obligentur?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, non id hoc loco agi, ut cognoscatur, an Consanguineus, qui fundum a consanguineo suo venditum retrahit, & apud Judicem affirmat se sibi retrahere, Deum lædat perjurio, quod perpetrat, quia constans firmumque est, ut pro certo ponitur, eum in alterius gratiam retrahere, cum quo convenit, & cui nomen suum tradit; Sed illud in quæstionem vocari, an ille in proposita facti specie non teneatur erga Emptorem, ex quo retrahit, reparare ante sententiam Judicis damnum, quod eidem affert; atque an Bartholomæus, in cujus gratiam retractio fit, non teneatur fundum Emptori remittere;

Certum est, si in foro externo probari posset, Consanguineum nihil aliud agere, quam nomen suum commodare, futurum, ut retractio nulla declararetur, ac proinde Emptor suum veterem fundum recuperaret. Videri possunt in hanc rem Animadversiones in *Loiset Sum.* 53. *litt.* R. & Animadversiones pariter *Du Plessis* in Consuetudinem Parisiensem *p.* 14. *de retractione Gentilitia*. Idem judicii ferendum videtur in foro externo, in quo res spectantur, ut re ipsa se habent, & non quoad externam speciem; ac proinde retractio nulla est, nullumque effectum sortitur, cum retrahens haud sibi re vera retrahit. Nihil ergo est, cur expectetur, dum Judex retractio-

ctionem fraudulentam, ac proinde nullam declaret. Ea quippe ejusmodi est ex notione atque intentione Consuetudinis, quæ venditi fundi retrahendi libertate Consanguineo relicta, id posuit tanquam certum, eum sine fraude ex animo actum. Id evidenter apparet ex causa consuetudinis, quæ ideo tantum recepta est, ut familiarum bona servarentur; constat id etiam ex Rescriptis, quæ consanguineos a retractione repellunt, quoties fraus & collusio probatur.

Sane convenit necesse non esse Consanguineam, ut fundum retrahat, in animo habere eum sibi, quoad vixerit, retinere; quamvis enim retrahendi libertas concessa fuerit ex Consuetudine, ut stipitis bona in familiis servarentur; Consuetudo tamen non dicit non licere Consanguineo bonum vendere, quod retraxerit. Verum nulla sit, oportet, fraus, nulla deceptio quoad regrediendi tempus, quod ille sibi postulat; neque ei licet nomine alteri commodare, ut eidem fundum obtineat cum ejus damno, qui eum emit bona fide.

Ex his omnibus sequitur, Petrum, quippe qui fundum a consanguineo suo venditum per fraudem & collusionem in Bartholomæi gratiam retraxerit, debere adniti pro viribus, ut idem fundus Emptori restituatur; quod si id consequi nequeat, & Bartholomæus pertinaciter nolit eumdem reddere, Petrum ipsum Christophori damna ex judicio viri prudentis sarcire debere. Si nimirum ejus incommoda non repararet, fraus, quam adhibuit, eidem prodesset ob gratificationem, quam a Bartholomæo percepit; id quod læderet principium vulgo receptum: *Nemini fraus patrocinari debet*. Consanguineo & Bartholomæo restituere negligentibus, tenetur Franciscus, quoniam ipse pecuniam mutuam dans contulit ad injustitiam, quæ Emptori illata est.

Decisum Parisiis hac die 27. Februarii an. 1703.
G. *Fromageau*.

Retractio cum ejus, quod retrahitur, alteri vendendi promissione.

CASUS II.

1 *Non potest mutua dari pecunia, at Prædium retrahatur, cum promissione ejus statim vendendi ei, qui mutuam pecuniam dedit, si hæc ratio eam ad mutuum dandum determinavit.*

2 *Promitti non potest intra certum tempus Prædii redemptio, seu quindecim aut viginti mille librarum lucrum ei, qui ad regressum obtinendum mutuam pecuniam dedit.*

3 *Qui hoc pacto emit, fraudatum Dominum de suo contractu celare non potest, aut Dominicali, quod ei debetur, jure frustrari, simulans emptionem peractam esse. Ab hujusmodi Transactionibus fraus & deceptio arcendæ sunt.*

QUÆSITUM.

Vir nobilis per gentilitiam retractionem Prædium a consanguineo suo venditum sibi vindicare volens, ut pecuniam, qua caret, nanciscatur, proponit amico, se ei, siquidem pecuniam sibi dederit, Prædium statim a retractione venditurum. Ad consilium hoc ineundum movetur ob id imprimis, quod speret, fore, ut intra annum, vel intra biennium sibi rursus Prædium amicus vendat, non sine quindecim seu viginti mille librarum lucro, quod ei se traditurum in animo habet. Ita quidem amico significavit, addens tamen se non proinde ejus emptionis obligationem subire velle, sed perfectam sibi libertatem hoc in capite reservare. Conventionem hanc non alia de causa amicus amplectitur, quam ut Viro nobili gratificetur; sed sibi quidem in hoc negotio lucrum proponit, fateturque quindecim, seu viginti mille librarum lucrum, quod sibi ob oculos ponitur, ad se determinandam, & propositam conventionem statuendam conferre. Assentitur ergo emendo Viri nobilis Prædio, statim atque ei adjudicatum fuerit; sed ad celandum Contractum, nullam syngrapham exarari vult, ne scilicet dominicale jus, quoad quindecim, seu viginti mille librarum est, solvat, id se soluturum statuens, si forte Prædium sibi remaneat; illud enim in præsentia in animo habet relinquere Viro nobili, qui ejus veluti Conductor erit, sibique idem quotannis pretium solvet, quod Conductores solvere solent. Sibi etiam expediendum curat a Viro nobili procurationem vendendi Prædii, cuicumque voluerit, ut si forte de emptione feudalis Dominus suspicetur, venditionem flammis devovens affirmare possit se Prædium non emisse, ac vendere, vel rursus emere, circumspectione usus cum Domino, & remissionem non mediocrem ab eo consecutus; vel Prædium commutationis titulo sibi sumete; quo in casu rei non erit cum regio Domino, sed cum privato hero, quicum utilem compositionem se transacturum pro certo habet. Re in hunc modum declarata, petitur ex Doctoribus sententia super hisce quæstionibus;

I. An liceat fundum retrahi, quem servari non est animus, sed vendi statim a retractione quemadmodum obstricta fuit ei fides, qui pecuniam mutuam dedit? Hic quidem interrogat, an quid habeat in hac conventione opponendum? Sperat sane Vir nobilis fore, ut amicus sibi prædium restituat, atque ita retractio sibi in posterum bono sit.

II. An non amicus a Viro nobili Prædium emens usuram admittat? Ratio est, quia non emit nisi postquam pecuniam, qua retractio fieret, mutuam dedit; atque ita mutuum suum Prædii sibi rursus vendendi obligatione onerare videtur.

III. An amicus ad aliquod tempus Contractum suum tegere possit, ne jura Domino solvat, eumque omnino supprimere, si forte Viro nobili Prædium reddiderit?

IV. Si per annos aliquot Contractum suppresserit, poteritne tuta conscientia censum, quem Villicus solveret, a Viro nobili recipere, & quonam titulo? Non sane mutui titulo; id quippe usurarium foret; nec titulo locationis, quoniam ejus Prædii verus Proprietarius non est. Tutane erit ejus conscientia per venditionem, quæ simulata proditur, & cujus ipse Contractum celat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent quoad quæstionem primam; controversia generatim spectata, nimirum an tuta conscientia id retrahi possit, quod retineri non est animus, sed statim lubet iterum vendi, ad id etiam ante retractionem obstricta fide; difficultatis solutionem pendere a Principis Lege, vel a Consuetudinibus, quæ aliis in locis aliæ esse possunt; ita ut aliquid in una Provincia fieri liceat, quod in alia non licebit. Quia porro in ejusmodi negotio Civilis Lex conscientiam moderari debet, consulendi sunt Advocati, ut cognoscatur Jurisprudentia, quæ ubique locorum in retractionibus gentilitiis consanguineorum Jura & emolumenta temperat, quia eidem Jurisprudentiæ in foro conscientiæ omnino standum est.

Quoad quæstionem secundam; amicus usuram committeret pecuniam suam mutuam dans Viro nobili cum retrovenditionis obligatione, ut proinde spectata hac venditione tanquam lucro & commodo, quod amicus ex mutua pecunia percipere vellet, Conventio hæc ab usura excusari non posset. Addendum, si inter Virum nobilem & amicum inita esset Conventio, ut Prædium posterior iterum priori venderet, & hic quidem quindecim seu viginti mille librarum lucrum ex venditione perciperet, Conventionem hanc ex ea parte usurariam fore; verum dicendum præterea, si amicus nunc temporis ad summam, quæ ad retractionem necessaria est, mutuam dandam ea cogitatione ducitur, ut is, cui mutuum dat, sibi iterum Prædium vendat, & ipse ingens lucrum ex retrovenditione percipiat, ejusmodi cogitationem a quavis etiam pactione sejunctam malam & usurariam fore.

Quoad quæstionem tertiam; amicus Prædium emens absque obligatione Prædii Viro nobili rursus vendendi incommutabilis possessor erit a primo emptionis ac fruitionis momento; ac propterea ex hoc ipso

ipso momento Domino, a quo Prædium pendet, Dominicalia jura debebit. Non potest igitur tuta conscientia eum de acquisitionis, quam edit, Contractu celare, quamvis Prædium iterum Viro nobili vendere statuisset, quia hæc nova venditio libera foret, nec ad eam ipse ulla conditione teneretur. Ex quo facile intellectu est, circumspectionem, qua uteretur, ut obtenta Procuratione, Prædium, cuicumque voluisset, vendere posset, atque ita Dominum de emptione celaret, impedimento non fore, quominus, si a Judice interrogaretur, eamdem fateri ac declarare deberet. Nec magis emptionem tegere posset, ut sibi per tempus liceret Prædium commutatione vendere; nec minus Dominicalia jura deberet, quia vere ac proprie emisset, in conscientiæ autem Tribunali de rebus agitur ut se se habent, non ut apparent. Debet ille igitur re vera Dominicalia jura, quæ non solvit; ac si ita se gerit, ut, quod ad juris apices debet, sibi ex parte remittatur, est ea nova deceptio ac nova fraus, qua feudalem Dominum circumvenit, ut non secum agat summo jure, persuasum habens eum sibi debitorem non esse, eumdemque deeo jure perinde agere ac de re, quæ nondum Domino acquisita fit. Quamobrem quicquid commodi Vir nobilis ex ejusmodi fictione obtineret, nullum foret coram Deo, qui veritatem perspectam habet, & cui nunquam mendacium probari potest.

Quoad quæstionem quartam; I. Vir nobilis Prædium conducere non potest, cum id ei Constitutione prohibeatur; II. amicus cum a Viro nobili Prædium emisset, ejus verus possessor evaderet; quo in casu posset ejus fructus ac reditus ab iis, qui illud conduxissent, percipere, donec idem Viro nobili iterum venderet; sed Contractum suum, ut supra dictum est, supprimere omnino non posset, quin injuriam inferret feudali Domino, cui, quicquid debetur ex Consuetudine, reddere teneretur.

Decisum Parisiis hac die . . . . . an. 1700.
G. *Fromageau*.

SANCTIFICATIO

Dominicorum & Festorum Dierum.

EXodi capite 20. ita præcipitur: *Memento, ut diem Sabbati Sanctifices*. Præceptum hoc partim morale est, partim cæremoniale; Morale est, prout hominem jubet aliquo vitæ suæ tempore divinis rebus serius vacare; cæremoniale est, prout peculiarem potissimum diem divino cultui unice devovendum indigitat.

Huic dici, qui postremum in hebdomada locum tenebat, primum Apostoli substituerunt, quem proinde Dominicum, seu Domini diem nominarunt. Ejus mentionem facit D. Joannes in Apocalipsi *cap.* 1. & S. Paulus Epist. 1. ad Corinthios cap. 16. satis ostendit hunc ipsum diem divino cultui dicatum fuisse, cum ait collectas seu erogationes fieri consuevisse hebdomadæ prima die, *per unam Sabbati*, qui Dominicus ipse dies est; atque in Actis Apostolorum *cap.* 20. memoriæ proditur eodem die Christianos a S. Paulo congregatos fuisse, ut iis sanctum Eucharistiæ panem frangeret, prout explicat D. Augustinus, qui tradit, diem, quem nos Dominicum nuncupamus, iis temporibus primum hebdomadæ diem fuisse: (a) *Una Sabbati appellabatur dies, qui nunc Dominicus appellatur*; quod ex Evangelio luculenter apparet.

Sancti Patres, & Concilia fusius rationes explicant, propter quas Apostoli eorumque Successores mandarent, ut pia quadam solemnitate Dies Dominicus celebraretur. Id eo factum docet D. Augustinus, (b) quod eo ipso die Christus Dominus resurrexit; quod eodem die elementa creata fuerunt, quodque eo die Deus Angelos condidit. Hoc ipso die post Divini Filii Resurrectionem super Apostolos Spiritus S. descendit; & Manna in deserto pluere cœpit. Concilium VI. cap. 8. pronuntiat hoc die Christum Dominum (c) natum esse, & quod inde consequitur, circumcisum; Stellam Magis apparuisse; Dei Filium ex quinque panibus, ac duobus piscibus hominum quinque millia pavisse; ipsum a S. Joanne in Jordane baptizatum fuisse; denique die hoc ipso a mortuis Christus Dominus resurrexit, inquiunt appellati Concilii Patres, cum humani generis Redemptionem morte sua consummasset.

Præter Diem Dominicum, qui sanctificandus est, sunt & alii intra annum festi dies, quibus eædem obligationes annexæ sunt. Eorum alii omnium omnino Christifidelium communes sunt, & a primis usque temporibus obtinuerunt; alii minus antiqui, ac minus generales sunt, utpote Populorum devotione, & Episcoporum auctoritate instituti. Itaque in quaque Regione coluntur Sancti Viri, qui ibidem catholicam Fidem disseminarunt, qui ibidem illustres se suis virtutibus reddiderunt, quorumve reliquiæ ibidem servatæ sunt. Quamobrem peculiares eædemque multiplices rationes alicubi festos dies induxerunt, qui alibi ignoti sunt. Ea est generalis regula, unumquemque Ecclesiæ suæ, & peculiaris loci, ubi degit, consuetudini se conformare debere.

Dominicorum & Festorum dierum sanctificatio continetur duobus omnino rebus, ut nempe a servilibus operibus abstineatur, & charitatis erga Deum & proximum officiis vacetur; atque, ut monet Gregorius Magnus, (d) non est per hosce dies ad terrestres res incumbendum, sed orationi prorsus opera navanda est; ut si qua nos reliquis hebdomadæ diebus sex oscitantia detinuit, eam hoc quidem tempore precibus Deo ferventius exhibitis expiemus. Ad opera servilia quod spectat, eorum genera duo distinguit D. Thomas, atque servitutis unam formam esse, qua homo peccato servit, aliamque esse, qua homo servit homini. Hoc servilium operum utrumque genus Dominicorum Festorumque dierum sanctificationi adversatur, prout impediunt, quominus se humanus animus ad divina convertat; cumque a divinarum rerum contemplatione peccatum nos sane longius, quam corporale quovis alio die permissum opus abducat; consequens proinde fit, eum, qui peccat, contra præceptum hoc multo magis agere, quam qui die festo corporale quovis alio tempore licitum opus edit. Excipit S. Doctor peccata venialia, quæ ejusmodi præceptum non violant, cujus sanctitatem nequaquam excludunt.

Mel-

(a) August. Epist. 86. ad Casulanum de jejunio sabbati.
(b) Idem serm. 151. de tempore inter ejus Opera Tom. 10.
(c) Sacra Synod. Constantinopol. c. 8. apud Baron. in fine apparat. ad Annal. Ecclesiast.
(d) S. Gregor. M. lib. 11. epist. 3.

Meldense Concilium an. 845. (a) celebratum omnia opera servilia corporalia, quæ Sanctis hisce diebus exerceri non possunt, paucis complecti videtur, dum ait abstinendum ab omnibus agrestibus ac rusticis operibus, ab omni arte ferraria, vel lignaria, a consuendi, & fabricandi arte, a pictura, a venatione, a nundinis, & mercatibus, seu mercium venditione, a forensibus negotiis; ac ne ullum quidem juramentum his ipsis diebus exigendum, ut ita Christifideles omnes liberius & commodius ad divinas laudes incumbant, sanctam Christi Domini Resurrectionem celebrent, atque adeo assidue divinum verbum percipiant; quod si quis per summam temeritatem officiis his omnibus non satisfecerit, eum communione privandum esse. Sanctiones has, ad servilia opera a diebus festis ablegenda quod attinet, repetunt Concilia bene multa; ac postremis quidem temporibus Sanctus Pontifex Pius V. (b) in sua Constitutione *Cum primum* omnia super hoc negotio antiquorum Canonum Decreta renovat, instauratque. Jam D. Carolus (c) eodem spiritu ductus statuit, ut Episcopi, quam diligentissime ac studiosissime possunt, in id incumbant, ut Dominici Festique dies ab omnibus Christifidelibus eorum curæ concreditis necessaria cum pietate ac sanctitate serventur. Necesse est igitur, inquit, ut Episcopi prohibeant, ne artes mechanicæ exerceantur, ullusve prohibitus labor suscipiatur hoc sancto tempore; ne quid ematur, vendaturve, exceptis iis, quæ ad victum, vel ad ægrotantium subsidium necessaria sunt; ne officinæ pateant; ne quis publice personatus incedat; ne quod equorum curriculum, vel alia vana spectacula instituantur; ut a choreis & saltationibus in Urbibus, Suburbiis, Ruribus, aliisque locis quibuslibet abstineatur; sed e converso doceatur populus, hoc potissimum sancto tempore unumquemque debere divina Officia frequentare, Dei verbum audire, atque orationi, ac magnorum, quæ a Deo accepit, beneficiorum recordationi vacare. Blesensis denique Constitutio Judicibus omnibus mandat, ut, quæcumque Aureliani statuta sunt, exacte servanda & custodienda curent tum quoad nundinas, mercaturas, & choreas publicas diebus Festis, tum quoad Comicos, Histriones, Caupones, pilæ, & gladiatoriæ artis Magistros; atque has omnes sanctiones firmavit Edictum Consilii apud Fontem Bellaqueum die 23. Julii an. 1666.

In duobus, qui sequuntur, Casibus de quibusdam peculiaribus laboribus agitur, de quibus, referendi necne essent in operum servilium, diebus Festis ac Dominicis prohibitorum numerum, dubitatum est.

Advocatorum labor diebus Dominicis ac Festis.

CASUS I.

1 *Labor, ad quem Dominicis Festisque diebus Advocati & Procuratores in suarum Partium gratiam incumbunt, nec servile, nec divinis Ecclesiasticisque Legibus vetitum opus est, quia generali ac publica nititur consuetudine, cui Ecclesia non refragatur.*

2 *Eos tamen dies sanctificare debent, non solum Missa, ut tenentur, audita, sed etiam lucri, quod iisdem diebus percipiunt, parte in pauperes erogata.*

QUÆSITUM.

ADvocati & Procuratores possuntne tuta conscientia diebus Dominicis ac Festis scripturas pro suis Clientibus exarare, consultationibus, atque arbitrariis Sententiis interesse, quia praxim hanc in omnibus Senatibus, aliisque Justitiæ Tribunalibus Consuetudo confirmat? Possuntne, cum necessitas urget, cumque non satis iis otii suppetit, ut id alio tempore præstare possint? Cum Partes instant? Cum alii Advocati id exigunt? In his omnibus casibus an non potest Advocatus, quin Deum lædat, omnibus ejusmodi negotiis vacare, præsertim si ei timendum sit, ne, si id facere renuat, suas omnes clientelas amittat, propriæque familiæ extremam perniciem afferat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat posse Advocatum tuta conscientia diebus Dominicis, aliisque Festis pro suis Clientibus Syngraphas edere, adesse consultationibus, arbitrariisque Judiciis, idque ex Senatuum, aliarumque Justitiæ Tribunalium consuetudine, ac praxi; I. quia si divina Lex jubet, ut iis diebus a servilibus operibus abstineatur, ea quidem, ad quæ Advocatus incumbit, non sunt ejusmodi, ac proinde non est asserendum ea quoque prohibitione hac contineri. II. neque vero eadem comprehenduntur in Ecclesiæ regulis *Cap. Omnes*, & *Conquestus, de feriis*, quia in hisce Canonibus non de consultationibus ac labore, quem Advocati in suarum Partium gratiam ediderint, sermo est, sed de Judiciis, Causarumque instructionibus, in quibus existit id, quod *Judicialis strepitus* appellatur, ut dicitur in Cap. *Conquestus* in hæc verba: *Quamvis non prorogari, sed expediri deceat quæstiones, debet tamen judicialis strepitus conquiescere diebus feriatis, qui ob reverentiam Domini nostri noscuntur esse statuti.* Hæc Cajetani opinio est in *Summ. V. in festo licito*, & in Commentario in 2. 2. S. Thomæ q. 122. *art.* 4. ubi monet Procuratores & Advocatos ad Rotam instruendam diebus festis in Romana Curia laborare, & ea quidem de causa, *quia*, inquit, *hoc non nisi ad illuminationem Judicis ordinatur, & per hoc ad spirituale, & nullibi invenitur prohibitum: quin potius continuo hoc fit in Dominicis & Festis diebus in Romana curia, quando die sequenti proponenda est causa in Rota: & licet ista opera distrahant a divinis, quia tamen ex suo genere servilia non sunt, nec positiva lege non sunt prohibita; restat, ut sint licita.* Eadem sententia est Navarri *Manual. cap.* 13. *n.* 14. Paulique Comituli *Respons. Moral. lib.* 4. *q.* 58. Potest tamen aliquid difficultatis occurrere quoad arbitraria judicia, quia Lex *Omnes dies Cod. Lib.* 3. *tit.* 13. *l.* 7. ita statuit: *Ut nec apud ipsos Arbitros, vel a Judicibus vel sponte electos ulla sit cognitio jurgiorum.* Quia tamen Lex hæc in usu non est in Regno, ubi Magistratus ac Judices ad Processus legendos expendendosque Dominicis Festisque diebus incumbant, & Ecclesia, quod illi perinde & quod Advocati faciunt, probe scit, nec prorsus improbat; sentiendum proinde est, ejusdem Ecclesiæ sententia Constitutionem in titulo *De Feriis lib.* 2. *Decretal.* contentam redigi ad judicia, Advocatorumque labores, in quibus forensis strepitus locum habet, ut paulo ante declaratum est, ac Judicibus, Advocatisque ea tantum prohiberi, de quibus in Cap. *Conquestus* commemoratur.

Observantia tamen ac reverentia, quæ diebus Dominicis Festisque debetur, id ab utrisque postulare censetur, ut ad orationem temporis aliquid conferant, eosque sanctos dies distinguant a cæteris non modo sacrosanctam Missam audientes, verum etiam vocantes pauperes in partem lucri, quod iis diebus percipiunt, prout definiit Alexander III. *Cap. Licet, de feriis*, cujus verba in hanc ipsam rem commode transferri possunt: *indulgemus*, inquit, *ut liceat Parochianis vestris diebus Dominicis & aliis Fe-*

riis

(a) Concil. Meldens. an. 845. sub Sergio Papa II. c. 77.

(b) S. Pius V. in Constitut. 5. quæ incipit: Cum primum, §. 7.

(c) S. Carol. Concil. Mediolan. 1. part. 1. tit. ultimo de festorum dierum cultu.

riie (præterquam majoribus anni solemnitatibus) si Alecia terræ se inclinaverint, eorum captionem, ingruente necessitate, intendere, ita quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis & Christi pauperibus congruam faciant portionem.

Decisum Parisiis hac die 8. Martii an. 1677.
Aug. *De Lamet*.

Piscatio Dominicis & Festis diebus.

CASUS II.

Permissa est Piscatio diebus Dominicis ac Festis, dummodo non multum temporis, aut laboris in ea collocetur.

QUÆSITUM.

IN Abbatia, in qua ciborum quadragesimalium quotidianus usus obtinet, Religiosus quotidie sub solis occasum, ne Dominicis quidem Festisque diebus exceptis, in fluentum immittit retia, educitque mane, ut pisces, qui ibidem existunt, Communitati suppeditet.

Quæritur, idne pugnet cum præcepto, quod diebus Dominicis ac Festis servilia opera prohibet, bonoque exemplo adversetur, quod Religiosi universis ac singulis exhibere debent?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, controversia ea in medio relicta, an scilicet piscatio sit servilibus operibus adnumeranda, qua de re Castropalao *tom. 2. disp. 2. punct. 5. n. 8. de observat. Fest.* & Canonistæ bene multi in Cap. *Licet, de Feriis* consuli possunt, id sane convenire debere, ex usu & consuetudine piscationem inter servilia opera non referri. Quod in causa est, ut Castropalao loco laudato, & Pyrrhingus *tom. 3. tit. 9. de Fer. n. 16.* pronuntient piscationem, dummodo cum modo fiat, diebus Festis permissam esse: *Piscatio, sive venatio & aucupium, prohibita est die Festo, quamvis ex consuetudine, scientibus & tolerantibus Pastoribus Ecclesiæ, inducta, in fluminibus facta piscatio sit licita, maxime moderata.*

Piscatio sane, quæ diebus Festis exercetur, in Jure prohibita est, ut ex Canone *Licet* liquido constat; sed id accipiendum de piscatione, quæ est laboriosior: *Piscatio prohibita est die Festo, si cum multis operis & magno labore fiat*; ita loquuntur Pyrrhing l. c. & Layman *l. 4. tr. 7. c. 2. n. 6.* Porro piscatio, de qua in expositione dictum est, nec laboriosa est, nec diuturna, quoniam in eo est posita, ut Dominici seu Festi diei vigilia retia mittantur, nec fit nisi quadam urgente necessitate, ut nempe Religiosæ Communitatis alimoniæ prospiciatur. Satius sane foret eam non nisi diebus cæteris exerceri, non tamen satis graves apparent causæ, quamobrem damnetur, prout quidem exercetur; & legitima scandali occasio esse censeatur. Itaque Abbatiæ Superior potest, ut hactenus, ita & in posterum eamdem permittere.

Decisum hac die 13. Julii an. 1702.
G. *Fromageau*.

SCANDALUM.

IN Ecclesiæ sermone *Scandalum* dicitur spiritale damnum, quod infertur, vel cui se quis exponit inferendo proximo per actionem aliquam, per aliquod verbum, vel per aliquam omissionem, cujus ea vis ac ratio sit, ut eum comparet ad labendum, ejus virtutes enervet, cognitionem inobscuret, mentique tenebras offundat, vel in errore detineat. Hoc porro damnum ex diametro opponitur charitatis fini, qui in eo situs est, ut in salutis tramite auxilium proximo, quæcumque demum se occasio obtulerit, afferatur. Duplex tamen distinguendum est scandali genus, ut aliud acceptum sit, seu passivum; datum alterum, seu activum. Prioris generis scandalum est, cum quis suapte prava dispositione alicujus errati admittendi ansam arripit ex aliorum actionibus aut verbis, quamvis eadem facta dictaque non solum ab omni culpa vacent ipsa per se, sed nihil prorsus habeant, quod ad malum inducat. Posterioris autem generis scandalum est, cum impellitur, vel ea ponuntur, quibus positis movetur aliquis ad malum, vel eidem peccandi occasio præbetur actione aliqua, vel aliquo verbo, cui quidem pravitas, vel pravitatis species conjuncta sit. De hac nimirum posteriore scandali specie sermo est in Casibus, qui sequuntur.

Scandalum allatum a Clerici cum consanguinea cohabitatione.

CASUS I.

1 *Clericus, qui degit apud viduam sibi consanguinitate conjunctam, cujus domus ab Ecclesia, in qua Capellanus est, longius abest, quique proinde depravatæ vitæ suspicione laborat, debet ab ea recedere, sibique alibi domicilium statuere.*

2 *Vidua quoque auscultare debet patri ac matri jubentibus, ut Clericum dimittat, atque ita scandalum de medio tollat.*

QUÆSITUM.

FEstus Presbyter & Capellanus in Archiepiscopalis Urbis Collegiata Ecclesia potestne, salvis Canonibus, & Synodalibus Diœcesis Statutis, suum actuale domicilium ponere in extremo angulo unius ex Urbis Suburbiis, ibique procul a studiis mollem vitam ducere? Potestne apud viduam ætate florentem, ipsiusque ex viro consobrinam degere? Potestne ea familiarius uti, quam Clericalem statum deceat? Potestne ei adversus patris ac matris voluntatem dissensionis & contemptus sensa inspirare? Porro eo rerum ventum est, ut parentes ipsi se a filia sejungere, eamque cum hoc Presbytero relinquere coacti fuerint.

Quæritur secundo loco, an Augustinus viduæ pater videns molliora remedia nil virium habere, ut Festus a Vidua, vel ab ejus saltem majore, quam par est, familiaritate abducatur, non teneatur in foro conscientiæ ad acerbiora confugere, & Capellanum Archiepiscopo denuntiare, atque adeo Officiali supplicationem offerre, qui eum in Claustri septa compellat? An vero satis est eum suas querelas ad Capituli Dignitates deferre, tametsi Festum eorum perinde atque Archiepiscopi reprehensiones contemnere experientia edoctus cognoscat?

III. Vidua hæc an non tenetur in foro conscientiæ domo suo Festum ejicere, non ignorans se, quoad eum secum retinuerit, suis parentibus tristitiam afferre, eorumque indignationem subire; an vero ipsum, iisdem invitis, retinere possit?

IV. Vidua hæc annos nata circiter viginti octo solutane est ab obedientia, quæ patri ac matri debetur, quippe quæ vicesimum quintum ætatis annum jam sit prætergressa, & matrimonio juncta fuerit? Atque ita ipsane ab eorum monitis in ejusmodi præsertim tam gravi negotio excipiendis libera est?

V. Vidua hæc eadem, jam suis parentibus patefacto novi matrimonii contrahendi consilio, potestne utiles occasiones sibi propositas repudiare, prætendens, se, si nupserit, Festo familiariter, ut solet, & ut vehementissime cupit, uti non posse?

Denique parentes patine debent eam in proposito persistere? Atque an non amplius, utcumque illa

illa se gesserit, ipsi rationem Deo reddituri sunt?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam expositionem vidit, Ecclesiæ, cujus Festus Beneficiarius est, Leges ignorans judicare non potest, violetne ille Synodalia Diœcesis Statuta, de quibus hoc loco generalibus tantum verbis commemoratur. Id quoque scitu dignum foret, an Capella, quam Festus obtinet, ejus præsentiam atque adsistentiam requirat, ad Ecclesiæ Officium quod attinet; cum fere Capellæ in Collegiatis & Cathedralibus Ecclesiis non alias quam Missarum aliquot obligationes adjunctas habeant; quamobrem respondet, I. facta hypothesi Festi Capellam ejusmodi esse, ut ille Officio interesse debeat, eum sibi domicilium adeo ab Ecclesia dissitum sibi statuere non debuisse, quia est propemodum impossibile, ipsum tam longe positum officio suo satisfacere. Tenetur ergo in foro conscientiæ propius accedere, ibique versari, unde suum munus obire possit; facta pariter hypothesi peculiarem aliquam in Statutis Synodalibus Legem esse, cujus vi Capitulorum Beneficiati certo quodam in loco degere debeant, ei tenetur ipse se subdere; eoque magis, quod ibi magis a sæculi negotiis curisque secretus facilius vitæ rationem statui suo magis consentaneam inire poterit, & quo ad obeunda susceptæ vitæ munia se aptiorem reddat, studio se dedere. Cæterum Viduæ domum deserere omnino debet, tum quia ibi scandalo est, neque vero in iis gradibus illa versatur, in quibus consanguineam retineri per Canones licet, tum etiam quia viduæ parentibus id ægre ferentibus, quamvis externa species, unde querelæ, non ejusmodi esset, cujusmodi ex expositione credi potest, ejus in ipsa non deserenda pertinacia confirmaret opinionem, quæ de ipsius animo eidem præter omnem modum addicto percrebuit.

II. Non videri, quamobrem Augustinus Viduæ pater se contra Festum actorem constituat; verum si recedere Petrus omnino detrectet, poterit Pater Archiepiscopum commonefacere, qui Promotori mandabit, ut in eum agat, ipsumque ad Canones quoad ejus cohabitationem cum vidua, & ab ipsius domo recessum servandos adigat, facta hypothesi patris querelas, ad hunc articulum quod spectat, rationi consonas apparere.

III. Viduam in conscientiæ foro teneri secum non retinere Clericum, qui scandalum affert, & inter ipsam ac parentes dissensionis origo est; ejus in retinendo ipso pervicaciam grave coram Deo peccatum fore; ipsamque acturam contra observantiam atque obsequium, quod patri ac matri, eam sejunctionem ab ipsa petentibus, præstare debet.

IV. Eamdem viduam parentibus obedire non teneri, ad peculiaria familiæ suæ negotia quod attinet, quoad suorum nempe bonorum administrationem, quæ ad ipsam spectat, cum non amplius unam cum patre & matre familiam constituat; sed quoad vitæ suæ institutionem ac moderationem iis obsequi debere. Non distinguit ætates divina Lex, atque universim loquitur D. Paulus *ad Ephes. cap. 6. Filii, obedite parentibus in Domino*. Illa ergo iis de ineunda vitæ ratione monentibus, qua par est, reverentia auscultare debet; quod ni faxit, patris ac matris titulus est circumstantia, quæ ejus peccatum gravius efficit; atque adeo necesse omnino est, ut se a Presbytero ipsa sejungat.

V. Neque vero a proposito matrimonii consilio suscipiendo se ideo alienam exhibere debere, quod non amplius eadem videndi Festi libertate gauderet; cum tamen non eum teneatur sibi virum sumere, quem pater ac mater obtulerint; eam quippe liberam esse, & pro suo ipsius arbitratu nubere, vel a novis nuptiis abstinere posse; debere eam quidem parentum consilium, ad matrimonium quod attinet, æqui bonique facere; sed illud tamen, si minus arrideat, respuere posse.

Decisum Parisiis die 10. Maji an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Scandalum ex cohabitatione Famulæ cum viduo, ex quo filium suscepit.

C A S U S II.

1 Non est ad Officialem, vel ad sæcularem Judicem deducendus viduus, qui filium suscepit ex Famula, quam renuit dimittere prætendens se ab annis decem non amplius eam ea peccare.

2 Episcopo & Parocho id unum superest, ut eam monere, atque ut scandalum tollat, cohortari non desinant.

QUÆSITUM.

QUidam magna in Urbe degens, defuncta conjuge, filium suscepit ex Famula, quam ætate florentem secum detinet. Ventrem illa gessit, spectante Parochia tota; id nec ipsa negavit, nec Dominus; ut proinde peccatum evaserit publicum in Urbe, in qua versatur herus, in cujus domo proles in lucem prodiit. Post puerperium Parochus eos conveniens, ut diverterent, hortatus est. Illi quidem fidem obstrinxerunt, herusque tres sibi menses concedi voluit, quibus elapsis se ancillam dimissurum promisit. Promissis tamen non stetit; & cum pluries idem promiserit, decimus jam annus est, ex quo Pastoris monita flocci faciens Famulam retinet. Nunc vero eam dimittere palam renuit, inquiens ab annis decem se quidem cum ea nullo amplius crimine polluisse. Parochus ex Episcopi consilio urgere pergit, atque adeo canonicas Monitiones, & excommunicationis denuntiationem minatur; edicit etiam ei se Paschalem, siquidem accesserit, Communionem publice negaturum; sed frustra; eo pertinaciter obluctante, Casuistarum & Confessariorum laxiorum, puellæ expulsionem necessariam non esse contendentium auctoritate. Quoniam divitiis affluit, pronuntiat se adversus Episcopum & Parochum, si vel minimum negotium sibi facessant, acturum, & tanquam ab abusu ad Senatum appellaturum.

In hac facti specie rogantur Doctores, ut edisserant, quid ineundum consilii sentiant, ut homo pervicax in ordinem redigatur, quin ea suscipiatur agendi ratio, quæ ad Senatum deduci posset. Quæritur ergo,

I. Quomodo in id hominis inquirendum, antequam censura ulla pronuntietur, instituendane est inquisitio ad Promotoria postulationem?

II. Apud Ecclesiasticumne, an apud Sæcularem Judicem agendum est ad definitivam usque Sententiam?

III. Quæ ratio ineunda in hac omni actione, & in Sententiæ, quæcumque intervenerit, executione?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, si Sententia, qua concubinatus crimen declaratur, edi possit, edendam ad Promotoria postulationem, ut excommunicatio pronuntiari possit, quoad herus & ancilla ad mentem redeuntes mutuo divertant.

Quod attinet ad quæstionem alteram; ex Jure veteri, atque adeo ex novo docentibus non paucis, iisque magni nominis Auctoribus, ac nominatim Gef, & Hostiensi, id criminis ad Ecclesiæ Judices spectat; verum juxta principia in Regno recepta tanquam crimen mixtum spectatur, de quo tum solum cognoscit Ecclesia, cum de eo Clericus accusatur. Guimerius in Pragmaticam Sanctionem *de Concubinariis §. & cum omne* in banc sententiam descendit, quæ, ut ait, Hostiensis opinio est in *C. Lator qui fil. sint legitimi*; atque ita cum iis, de quibus agitur, Laici sint, asseri proinde nequit eorum concubinatus probationem ad Officialem ex Regni regulis pertinere.

Quod pertinet ad quæstionem tertiam; non censetur rationi consonum, ut Promotor accedat ad Judicem, ac judicio se exponat, quod dubium pro-

pterea esse posset, quia ex quo ancilla peperit, decem scilicet ab hinc annis nihil apparuit, quod herum, eamque ullius culpæ reos evinceret; longum quippe hoc temporis spatium præsumptionis loco esse posset; præterquam quod id iis in præsentia negantibus, quod antea confessi sunt, post adeo longum intervallum satis graves probationes ægre produci possent. Quamobrem satius fore creditur, ut Episcopus & Parochus admonitionibus, cohortationibus, minisque contenti sint, quam ut rem ulterius deducant.

Decisum Parisiis Kal. Octobris an. 1677.
Aug. *De Lamet*.

Scandalum ex suspectæ fœminæ apud consanguineum Canonicum cohabitatione.

CASUS III.

1 *Canonicus ægrotans nec absolutionem, nec Communionem suscipere potest, ni domo expulerit consanguineam, quæ ibidem commorans universam Urbem scandalo afficit licentius agens cum viris multis, quos in ipsius Canonici domum recipit.*

2 *Si Capitulum, cujus is Canonicus membrum est, externi fori jurisdictione gaudet in eos, ex quibus constat, nemo vel Parochus, vel Vicarius ægrotanti Canonico absolutionem, aut Communionem tribuere potest, nisi ab iis facultatem obtinuerit, qui Capituli jurisdictionem exercent.*

3 *Ægrotanti Canonico Capitulum mandare potest, ut consanguineam ob scandalum, quod ipsa affert, ejiciat. Capitulum jure gaudet inquisitionis in ipsum, ac Sententiæ, qua ille, quoad paruerit, ab Ordinibus suspendatur, prohibeaturque, ne quis Confessarius ei Sacramenta administret.*

QUÆSITUM.

Cathedralis Ecclesiæ Canonicus consanguineam non modo suspectam, sed scandalosam, & infamia publica laborantem in suo Canonicali domicilio detinens, cum in morbum gravissimum incidisset, confessionis edendæ gratia, Parochum Doctorem, hominem satis idoneum arcessit.

Adit Parochus Cathedralis Ecclesiæ Decanum, & ab eo ægrotantis confessionem audiendi facultatem obtinet; audit igitur, & absolvit; sed Viaticum afferre differt, quoad Mulierem expulerit; quod argumento est absolutionem ea conditione suspensam fuisse, ut mulier ejiceretur, ad quod eum ipse quotidie sollicitare non destitit.

Decanus, & Capitulum, quibus de fœminæ scandalosa vita constabat, Parochi consilium probant; sed fœmina, quæ id nosset, adeo ægrotantis animum occupat, ut ille ipsam expellere renuat, quia scilicet ita fateri videretur se cum ea peccavisse, quod utrique turpe foret, atque adeo Scandalum majore scandalo tolleretur.

Has ægrati hominis rationes impugnant Parochus & Decanus, ostendentes publicum scandalum ductum ex licentia fœminæ notorie suspectæ pravi commercii cum omnis ætatis & conditionis hominibus, quos in ejus domum recipit momentis singulis, adeoque tam absente ipso, tum ægrotante, gravissimam rationem esse, quamobrem eam trudere debeat, quamvis cum ea nunquam peccaverit.

Ei datur optio, ut consulat, quos maxime acciri velit, dummodo eorum consilio acquiescat.

Respondet Canonicus se nemini fidem adhibere velle, quippe qui sciat, quid sibi facto sit opus, ac se nolle fœminam dimittere, nisi cum convaluerit, se ad id ullius consilio adigi nolens, cum cæteroquin ægrotanti sibi opus sit ejus opera.

Itaque recedunt Decanus & Parochus, Canonici porro & consanguineæ fautores magnum in ipsos Urbe tota rumorem excitant.

Post dies aliquot Canonicus se pejus habens arcessit Parœciæ Vicarium, in cujus districtu degit. Vicarius Ecclesiæ Decanum convenit, a quo facultatem obtinet ægrotum invisendi, & cohortandi, ut ad bonam mentem redeat, atque ita ad Ecclesiæ Sacramenta suscipienda se comparet.

Perstat ille in eadem animi præparatione potius absque Sacramentis moriendi, quam fœminam domo, quoad ægrotaverit, ejiciendi.

Parochi, qui accitus fuerat, exemplum, multorumque pietate ac doctrina præstantium virorum sententia triduo seu quatriduo Vicarium suspensum habet.

Sed ægrotantis & fœminæ sollicitationibus victus eum pro tribunali audit & absolvit, *inscio Decano, quem sciebat reluctantem*, contentus fide, quam Canonicus sibi obstringit, se, cum convaluerit, fœminam expulsurum.

De re certior factus Decanus Vicariam alloquitur, quo ingenue fatente se Canonici confessionem audivisse, eique absolutionem tribuisse allatæ promissionis gratia, obstupuit ille, eumque vehementer arguit, quod contra exemplum & sententiam eorum omnium, quos consuluerat, egisset; & cum cæteroquin audiret ægrotantem melius habere, & in aperto vitæ discrimine non amplius versari, Vicario prohibuit, ne, quoad fœmina apud eum versaretur, sanctam Eucharistiam ad ipsum deferret.

Vicarius, Canonici amicis vehementer urgentibus, Episcopum consultum it, eique declarat, quemadmodum se res habuerint. Prælatus a Canonico non alienus Vicarium monet, eum, cum ægroti confessionem audierit, ipsi Communionem non amplius negare posse, se quidem non id ei præcipere, sed credere eam posse Communionem eidem administrare. His auditis, Vicarius, qui nihil aliud quærebat, quam ut id, quod in animo habebat, auctoritate firmaret, inconsulto Decano, ad ægrotum Communionem detulit. Vicarii consilium universo Capitulo, atque omnibus per Urbem cordatis viris, quibus publica & assidua fœminæ in Canonicali domo flagitia perspecta erant, longe maximum scandalum attulit. In hac facti specie quæritur;

I. Quid Doctores sentiant de prioris Parochi consilio, ac de dispositione ac rationibus ægrotantis, qui consanguineam dimittere noluit, quod vereretur, ne ipse cum ea peccasso censeretur, si eam de Confessarii mandato repelleret?

II. An Vicarius, de quo dictum est, eum valide absolvere potuerit, Cathedralis Ecclesiæ Decano prohibente?

III. An, audita confessione, Sanctam quoque Communionem ei administrare debuerit, ita ut eam quoque petendi jure gauderet ægrotus? Quod quidem firmari contenditur decisione Domini *de Sainte Beuve*, qui, uti dicitur, ita statuit, si constet peccatorem quamvis publicum concubinarium confessum & absolutum esse, non amplius Confessario, vel alteri Presbytero liberum esse ei Communionem denegare, quia in Galliis publicæ notorietatis facta recepta non sunt, & ad Communionem huic homini denegandam juridica Sententia opus esset; id quod in præsentem facti speciem lubet accommodari.

Animadvertendum, hujus Ecclesiæ Canonicos minime pendere ab Episcopi jurisdictione, qui quidam, inquiunt, huic se negotio non immiscuit, nisi ut impediret, quominus Canonicus ita dispositus absque Sacramentis e vita excederet.

Obiter hoc loco quæruntur hæc; I. Quis tandem Ecclesiæ ab Episcopali Jurisdictione exemptæ Canonicorum proprius Parochus sit? Atque an immediata jurisdictio in Decano, qui prima Capituli Dignitas est, an in Corpore toto resideat?

II. An ægrotantes Canonici possint ipsi sibi pro arbitratu Confessarium eligere, an vero a Decano, vel a Capitulo eam facultatem petere debeant?

III. An Canonici eam præjudicio Decani Pœnitentiarium ex suorum numero seligere possint, & quænam in hoc negotio Parisiis, & alibi in Galliia sit Ecclesiarum praxis?

IV. An non Capitulo jus adsit ægrotum ad suspectæ fœminæ expulsionem monitionibus adigendi in pœnam privationis Sacramentorum & Ecclesiasticæ sepulturæ?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti super proposita facti specie docent quoad quæstionem primam, Parochum, qui ab ægrotante Canonico primus accitus fuit, juxta Ecclesiæ regulas sese gessisse, non ante concessa Canonico absolutione, quam se domo sua expulsurum promisisset eam fæminam, quæ publico scandalo esset & mala fama, ut in expositione dicitur, laboraret; rationes porro, quas ægrotus allegat, ne fæminam pravi commercii cum cujusvis ætatis & conditionis hominibus notorie suspectam ejiciat, nullius roboris esse, quippe cum satis sit malam de ea opinionem percrebuisse, ut eam Cannonicus apud se retinere non possit, ne scandalo sit universæ Urbi, quæ ejusdem fæminæ cum accedentibus liberiora in Canonicali ipsa domo commercia sine horrore videre non potest. Se ille quidem ei plus æquo addictum esse, ejusque depravatam vitæ rationem probare significat; in quo notorie reum & complicem criminum, quorum illa accusatur, se ipse constituit. Ejus autem operæ ægrotanti sibi necessariæ prætextus, aut timor, ne, quod ait, cum ea peccasse censeatur, haud eum satis in tuto ponunt, quoniam e converso palam faceret, se fæminæ devinctum non esse, quam ablegaret. In quo quidem obsequeretur Ecclesiæ regulæ, quæ Presbyteros cum fæminis suspectis proxima licet cognatione conjunctis versari non sinunt. *Inhibendum est*, inquit Moguntina Synodus, *ut nullus Sacerdos fæminas, de quibus potest esse suspicio, retineat, sed neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem*. Quoniam porro non desunt Canones, qui Clericorum matres, sorores, amitas, & neptes cum iis degere patiuntur, Glossa citati Capitis, *inhibendum* monet illud cum iis non pugnare, quippe quod de consanguineis, quæ se suspectas reddiderint, sit accipiendum. Textum hunc explicans Panormitanus idem pronuntiat: *Nota*, inquit, *regulam generalem, quod nullam fæminam potest Clericus in domo sua, ex qua possit oriri suspicio incontinentiæ*; cumque sibi objecisset futurum, ut inter consanguineas, easque, quæ ejusmodi non sunt, nihil interesse discriminis videretur; respondet, non ita esse, quia nempe Clerici fæminas sibi haud consanguinitate conjunctas, tametsi nulla suspicione laborent, retinere non possunt: *Dixerim*, inquit hic Auctor, *quod consanguineas juvenes alius non suspectus potest Clericus bonæ famæ, sed extraneas juvenes nullo modo potest tenere, quantumcumque sint bonæ famæ, quia talis commixtio est periculosa: non sic eam consanguinea*.

Quoad quæstionem secundam; Ex generali regula Parochus, ejusque Vicarius eos valide absolvere possunt, qui intra eorum Parochiam degunt; atque ita Vicarius, de quo consulitur, potuit Canonicum absolvere ibi ægrotantem, ubi ipse jurisdictionis exercendæ jus obtinet; nisi Capituli privilegium ejus potestatem ligaverit, & in quocumque demum Urbis angulo Canonicus ægrotet, semper, etiam quoad Pœnitentiæ Sacramentum, subdatur ei, qui Parochum agit quoad eos omnes, qui Capituli membra sunt, & Cathedralem componunt, quemadmodum in compluribus Galliarum Ecclesiis, ut Parisiensi, Meldensi, Senonensi, jurisdictionem vel quoad internum forum in suos Canonicos seu Beneficiatos, ubicumque in Urbe degentes retinentibus videre est. Itaque Decanus Beatæ Virginis Parisiensis Beneficiariis Ecclesiæ Metropolitanæ, quamvis extra Beatæ Virginis Claustrum ægrotent, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis Sacramenta administrat. Si Capitulum, de quo quæritur, hujus possessione gaudet, & Decanus Vicario prohibuit, ne Canonici, nisi mandata facere voluisset, Confessionem audiret, male se gessit Vicarius, qui auctoritate destitutus ægrotantem Canonicum audiit; & quod egit, tamquam nullum spectandum est, nisi infirmus in extremo periculo versatus sit, quo in casu nihil difficultatis occurreret, quia quivis Sacerdos tunc omni jurisdictione pollet. Verum ad hanc solvendam quæstionem de Capituli jure ac praxi videndum est.

Quoad quæstionem tertiam; Parochus, seu Vicarius Eucharistiam ei, cujus confessionem audiit, petenti publice denegare non potest, quamvis indignum cognoscat; id ii tantum facere possunt, ad quos spectat exterior Ecclesiæ administratio. Quoniam ergo Capitulum gaudet omni jurisdictione in Capitulum, prout est expositum, potest ad fæminam domo suo ejiciendam ægrotum adigere, I. si ea non versetur in iis gradibus, in quibus consanguineas apud Clericos degere Canones sinunt. Vide Distinctionem 81. & Canonem *Cum omnibus*, ex Concilio tertio Carthaginensi depromptum, ubi ad proavam, ad matrem, ad sorores, ad amitas, ad neptes ejusmodi consanguineæ rediguntur. II. esto ea consanguinea in his gradibus esset, quia depravata vitæ ratio eam in incontinentiæ suspicionem adduxit, idque ex Capite, *Inhibendum*, quo appellavimus. Quamobrem Promotor posset hunc Canonicum, tanquam scandali occasionem præbentem impetere, & facti inquisitionem sibi vindicare, quia cum suspicio hæc, quæ scandalum parit, nitatur eo, quod fama dicitur, & a rumore distinguitur in Canonico quoque Jure, inquisitione agendum est ex Innocentii III. doctrina *Extra, de cohabitatione Clericorum & Mulierum, Cap. Jus nos*, & processus in hunc Canonicum instruendus, qui quidem facilis erit, si pravorum ejus Fæminæ morum tot suppetant probationes, quot proponuntur, adeoque poterit & quidem exiguo temporis spatio per sententiam contradictoriam eidem mandari, ut eam ejiciat domo sua sub pœna suspensionis, quoad ipse paruerit, juxta Caput *Archidiaconum, dist. 81.* nec sine prohibitione, ne quis Presbyter ei Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum administret, donec Sententiam sit executus, quippe qui se tanto beneficio indignum præseferat, dum in peccato suo perseverat, & Ecclesiæ sanctionibus ac disciplinæ obluctatur. Quod si in pertinacia perstiterit, moneri poterit, ut deinde Communione privetur.

Ad eam porro quæstionem quod attinet, an in Ecclesiis exemptis proprius Canonicorum Parochus Decanus sit; responsio in promptu est, morem scilicet uniformem non esse. Sunt Ecclesiæ bene multæ, quarum Decanus Parochi titulo gaudet; sed aliæ quoque non desunt, in quibus Capitulum Canonicos aliquos deputat, ut interrogent, & Approbationes instituant; ut proinde a Capitulo, non a Decano sit jurisdictio. Ecclesiarum ergo spectandus mos est, cum nihil, ad hanc rem quod attinet, Communi Jure sit definitum.

Decisum Parisiis die 20. Februarii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

SCRUPULI.

TRibuitur in morali negotio scrupuli nomen dubio, quod fundamento caret, vel levissimo fundamento nititur, quamvis nonnunquam ad persuasionem usque perveniat, & conscientiam perturbationibus, ac perplexitatibus repleat. Itaque dum sæpe quis ejusmodi dubiis agitatur vel in aliquo peculiari capite, vel in pluribus, ei scrupulosi nomen inditur.

Hominis scrupuli super Status, cui se dedidit, vocatione.

CASUS.

1 *Qui, ut patri gratum faceret, alieno ac repugnante animo in Communitatem ingressus est, in qua simplicia tantum vota emittuntur, sed in qua tamen ille suo officio non deest, nullo scrupulo angi debet super sua vocatione, quam tenetur rectam censere.*
2 *Admirabile consilium Dei, qui ut nos ad sibi serviendum pertrahat, utitur humanis rationibus, quas deinde charitas purgat.*

QUÆSITUM.

Lucius octodecim natus annos non nihil eo propendebat, ut reformatam atque asperam Religionem amplecteretur; pater, qui id nollet, ad amicum Communitatis, quæ non nisi simplicia vota adjuncta habet, socium se consulit, ex eoque quæsivit, posset ne ejus filius ibidem cooptari; respondit amicus facile quidem posse, tum pater accessit ad Superiorem, qui propositum probavit. Itaque pater filium ad Communitatem ei prorsus ignotam misit; ejus periculum factum est, eique traditæ sunt legendæ Constitutiones, quas, ut erat junior, animo non est assecutus; ut patri gratificaretur, in ea familia transegit menses aliquot, quin ipsum valde tæderet; sed deinde tristitia captus Moderatori suo declaravit se egredi velle, quippe qui ei vitæ rationi, quæ ibidem servabatur, se conformare non posset. Ea quidem tentatio est habita, Deoque utrinque preces oblatæ, non tamen cessavit adolescentis sollicitudo; cumque pater aliquanto post eo venisset, & ex filio ipso tædium, quo afficiebatur, & egrediendi consilium, quod inierat, intellexisset, in eum vehementer excandescens ne a durioribus quidem verbis abstinuit. Ejus animum composuit Novitius se remansurum promittens; ut proinde, Probatione completa, sua vota simplicia æquo animo ediderit, eademque studiorum tempore confirmaverit; sed identidem redibant ejus angustiæ, quipppe qui turbaretur, quod in eam Congregationem ingressus esset, nec quod primum in animo habuerat, in reformatum Ordinem se recipiendi consilium executioni mandasset.

Ei, cum Sacerdos initiatus esset, varia demandata sunt munia, nec ipsum unquam hactenus preces, sancti Sacrificii celebratio, atque alia pietatis officia ab ea, qua ex suscepto vitæ genere afficiebatur, sollicitudine liberare potuerunt; tametsi in eum finem vota, dum sacrum faceret, renovaverit. In præsentia consueti ab eo scrupuli non recedunt, ipsumque sæpenumero tristem & melancholicum reddunt; quod in causa est, ut, minima quaque difficultate occurrente, sibi persuadeat se non satis appellatum esse, nec se votis obstrinxisse, nisi ut patri obsequeretur. Hinc fit, ut de sua ipse vocatione dubitet, ejusque amici non possint, quin Sorbonæ Doctores consulant, ut ipsi de ejus Statu ex Dei mente judicium ferant; hic enim adolescens, utpote qui conscientia recta sit, ac Deum timeat, non vult salutem suam in discrimen adducere.

Animadversione dignum est, cum sacerdotem esse maxime strenuum, in eoque ea esse omnia animi ornamenta, quæ ad susceptam vitæ rationem requiruntur; mente ille valet, doctrina pollet, conciones habet, suo nunquam officio defuit, & quicquid ad ejus Professionem pertinet, fideliter ac sancte persolvit. Itaque inde est omnis ejus sollicitudo, quod timet, ut in Dei ordine, ac via sit. Quamobrem scire cupit, an tuta conscientia possit ab ejusmodi statu, seu Congregatione recedere, paratus doctorum virorum, qui sibi, qua sunt charitate, facem præferre voluerint, judicium sequi.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, non id inquiri, an vota, quæ Lucius edidit in Communitate, quam subiit, valida sint; ea quippe in dubium omnino revocari non possunt utpote ex animo emissa, nec semel instaurata, sed id unum agi, ut appareat, an Lucius se satis ad eam Communitatem appellatum præsumere debeat, an ejus vocatio a Deo sit, atque utrum angustiæ, quas identidem sentit, eamdem vocationem ejusmodi non esse significent?

His ita se habentibus, Lucius ad eum statum, cui se per simplicia vota devovit, vocatus esse censetur, ac proinde pro certo habere debere eam Dei voluntatem esse, ut in eo perstet; quempiam enim ad statum aliquem appellatum esse vel ex eo moraliter certum fit, quod ei sit idoneus, quod ejus officia persolvat, quodque ejusmodi status non ei damnationis occasio est; ut vocatio certius apertiusque innotescat, nec revelatione opus omnino est, nec miraculo; alioquin posset quisque de quaque re dubitare, atque adeo an baptisma susceperit, an fidem habeat, &c. Sufficit certitudo moralis ad animi tranquillitatem. Ejusmodi est certitudo, quæ super inita vitæ ratione Lucio præsto est, quoniam ad ejus officia digne obeunda aptus est, eademque ita persolvit, ut aliis exemplo sit, nec gravia errata committat.

Neque vero sollicitudines & angustiæ, quibus identidem in vocationis negotio Lucius afficitur, satis firmo argumento sunt, ut ille se minime vocatum existimet; ex eo quippe hæsitationes hæ derivantur, quod ipse sibi videatur id vitæ genus ob patris metum amplexus. Ut id ita se haberet, non propterea tamen haud bona, vel dubia ejus vocatio censeretur; is enim timor excitare Lucium potuit, ut se se obstringere, quin præcipua, cur id faceret, ratio esset; idem timor ei potuit occasio esse de status, cui eum addictum pater cupiebat, bonis attentius cogitandi, ad quæ antea quidem, utpote ab eo alienus animum non retulerat. Docet S. Joannes Climacus (a) fieri posse, ut initio ad spiritale bonum amandum humana nos ratio moveat; tum vero meliore accedente lumine, nostram nos ipsi intentionem purgemus, spiritale bonum in suam ipsius gratiam amare incipientes. Ita temporalibus bonis propositis Judæos ad cultum suum traxit Deus; ea porro bona partialis tantum minusque præcipua fuere causa, qua factum est, ut illi Dei Legem amplecterentur; eadem mente Deus malis utitur; ac fere est ex consuetis Providentiæ legibus, homines malorum, quæ mortalem hanc vitam circumstant, formidine concuti, ut ad divinum servitium pertrahantur, metuque charitatem eorumdem animis inspirari; ut proinde divinam Legem diligere incipiant, eamque tam suavem ac jucundam sentiant, quam iis antea dura atque aspera videbatur. Ita ad Lucium trahendum patris indignatione verbisque durioribus Deus usus est, quo eum Communitati, in qua vota emisit, addiceret; quod quidem eo fit certius, quod ille ita suscepti status obligationes implet, ut nihil desiderandum supersit.

Quamobrem, perpensis omnibus, Lucius in suæ vocationis negotio debet tranquillo animo esse, a Deo patientiam petere, si angustiæ persistant, ac sæpe ad sumendos animos cum Rege Propheta dicere: *in Domino sperans non infirmabor* (b). Has ipsas angustias atque ægritudines tanquam experimentum, non autem tanquam haud satis veræ ac firmæ vocationis argumentum spectare debet; atque ita cum ei legitimæ causæ non suppetant, ut statum mutet, opus esse concluditur, ut in eo perstet, cui Divina Providentia ipsum addixit.

Decisum Parisiis hac die 22. Octobris an. 1693.
G. *Fromageau*.

(a) S. Joannes Climac. scal. pat. grad. 1. n. 18.

(b) Psalm. 25. v. 1.

SECRETARIATUS EPISCOPORUM.

Agitur in insequentibus casibus de taxatione, quam propter Beneficiorum Provisiones, Ordinum Litteras, Dimissorias, Dispensationes, & id genus alia Episcoporum Secretarii percipere possunt, quemadmodum etiam de ea, quam ob sigillum nonnulli Episcopi sibi sumunt. Taxationibus his modum imposuit Tridendina Synodus *sess.* 21. *cap.* 1. a cujus afferendis verbis, quæ in casu, qui proxime sequitur recitabuntur, in præsentia supersedemus, illud monuisse contenti cum Domino *de Sainte Beuve* nos eorum, qui Concilii definitionem in hoc negotio transgrediuntur, impudentiam ac temeritatem haud satis mirari posse. Tridentini Concilii propemodum verba repetit Blesensis Constitutio, cap. 20. ut infra compertum fiet.

Jus Secretariatus Episcoporum.

CASUS I.

1 *Episcopus ea Secretariatu (idem de sigillo sentiendum) nullum peculiare lucrum percipere debet.*
2 *Secretarius potest aliquid emolumenti sumere ratione laboris, quem in scribendo atque obsignando collocat.*
3 *Episcopus Officialis sui munus locare non potest, ac Notarii periade ac Secretarii emolumenta debeat certis, iisdemque brevissimis terminis circumscribi.*

QUÆSITUM.

Theologiæ Doctores rogantur, ut suam super hisce difficultatibus sententiam proferant.

I. Quæritur, an Episcopus ex Episcopatus sui Secretariatu possit censum sibi peculiarem percipere præter ejus stipendum, qui eo munere fungitur?

II. Quæritur, idemne de Episcopi sigillo sentiendum, atque an complurium Diœceseon consuetudine ejusmodi lucrum satis firmetur?

III. Quæritur, an Episcopus Officialia munus locare possit?

Ut hæ difficultates in bono lumine collocentur, rogantur Doctores, ut animadverrant, Episcopo, qui ex Secretariatu atque Officialitare proventum aliquem sumendum sibi proposuit, eam mentem suisse, ut ad Officialitatis ipsius negotia, & ad depravatorum Clericorum mores reformandos eo proventu uteretur. Ad sigillum quod attinet, id ex eo lucrum aliquod percipi posse videtur evincere, quod Cathedralis Ecclesiæ Præbendæ tres, & Capella una suus ex sigillo reditus obtinent; sunt Præbendis singulis libræ quinque solidi decem; Capellanus percipit libras octodecim, ne quid dicatur de expensis, cujusmodi sunt cera, charta, stipendia obsignantis.

Rogantur præterea Doctores, ut definiant, quid demum ob Secretariatus Expeditiones Episcopi Secretarius percipere possit; atque an veteribus in hanc rem Sanctionibus stare debeat? Quomodo denique sigilli emolumenta definienda sint?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, se omnino recedere non posse a regula, quam Tridentina Synodus *sess.* 21. *de Reform. c.* 1. statuit. Itaque ut ad primam & alteram quæstiones respondeant, persuasum habent Concilii tantum verba esse describenda: *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis suspicio avaritiæ abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus, nec pro Sigillo, nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri quovis prætextu accipiant. Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis Litteris Dimissoriis, aut Testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo salarium nullum sit constitutum pro officio exercendo; nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum, ex eisdem Ordinum collationibus directe vel indirecte provenire possit; tunc enim gratis operam suam eos præstare omnino teneri decernit; contrarias taxas ac Statuta & Consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ potius abusus & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes nuncupari possunt, penitus cassando & interdicendo; & qui secus fecerint, tam dantes, quam accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant.* Ex quibus verbis liquido constat eam Tridentinæ Synodi mentem esse, ut Episcopi vel ex Secretariatu vel ex sigillo nihil emolumenti percipiant, & quicquid inde lucri provenit, quod Synodus ad taxationem satis modicam redigit, ad Secretarium, & ad eos, quibus Litteras obsignandi demandatum officium est, omnino pertineat. Cardinalium Declarationes hanc doctrinam confirmant; en verba: *Consuetudo percipiendi ab Ordinatis ad primam Tonsuram forcipes, pectines, & mappas . . . . . pariterque a Presbyteris intelligitur perinde ac corruptela revocata.* Itaque Cardinalis Toletus *lib.* 5. *Instruct. Sacerdot. cap.* 88. *n.* 9. *unum*, inquit, *hic notandum circa Episcopos, quantum ad Ordinum administrationem ex Concilio Trid. Sess.* 21. *c.* 1. *de Reform. ubi tria instituuntur, & ordinantur circa hoc. Primum est, ne ullus Episcopus pro illius Ordinis collatione, aut pro Litteris Dimissoriis, aut pro Sigillo, quicquam possit accipere quocumque prætextu, etiam sponte oblatum, sed omnino gratis ista exhibeantur . . . . . Tertium est circa Notarium similiter & Episcopum. Non potest Episcopus commodum aliquod habere per viam Notarii, exigendo aliquid ab ipso Notario pro his, quæ Notario eveniant. Liberalis ergo & omnino gratuita debet esse Ordinum collatio.* Verum illud animadversione maxime dignum est, Concilium declarare contrarias consuetudines spectandas esse tanquam abusus simoniæ patrocinantes; ut proinde appareat id ei propositum fuisse, non ut novam Legem conderet, sed disciplinam veterem instauraret. Regula hæc ad Beneficiorum quoque collationem extenditur, ut Cardinalium Congregatio definiit, & ad cætera omnia, quæ in Episcoporum Curiis expediuntur, ut animadvertit Barbosa in Caput hoc, & apud eum Nicolaus Garcias *De Beneficiis p.* 8. *n.* 76. & 77. & Silva *in select. Canon. c.* 10. *n.* 20. quod firmatur Capite *Ex multis* 1. *q.* 3. ubi Alexander II. æque simoniacos declarat eos, qui dant, ut Beneficium obtineant, atque eos, qui dant, ut Ordinibus initientur. Certum porro est, Episcopum ex eo, quod Secretario tribuitur, non alia de causa lucrum percipere posse, quam quod Ordinem conferat, aut Beneficium, aut aliquid spiritale; quod proinde simoniæ materiam constituit; ut propterea jure optimo Tridentina Synodus abusivas pronuntiaverit ejusmodi consuetudines, ut nempe lucrum percipiatur ex Secretariis, vel iis tribuatur infra operam ac laborem, quem ad scribendas Litteras contulerunt, quoniam id in Episcopi utilitatem vergit, prout dictum est in Lateranensi Concilio, relato l. 5. Decretalium *de Simonia C. Sicut pro certo.* Quamobrem quia re ipsa lucrum, quod ex Sigillo & Secretariatu Episcopus percipit, provenit e re spiritali, certum proinde fit in ea praxi aliquod simoniacum esse videri. En laudati capitis verba: *Tantum igitur abolere volentes abusum*, consuetudinem hujusmodi (*quæ magis dicenda est corruptela*) penitus *reprobamus; firmiter statuentes, ut pro iis sive conferendis sive collatis nemo aliquid quocumque prætextu exigere aut extorquere præsumat. Alioquin & qui receperit, & qui dedit hujusmodi pretium, omnino damnatum cum Giezi & Simone damnatur.* Cum ergo res ipsa, per se vitio non careat, non potest quocumque prætextu servari, quia nempe *non sunt facienda mala, ut eveniant bona.*

Quoad quæstionem tertiam; idem omnino de Officiali statuendum, quoniam Episcopi Justitia singillatim ac præcipue in spiritali materia versatur; quemadmodum autem hac de causa jubet Synodus modicum quid ab Episcopi Secretario percipi propter operam, quam impendit, non ab Episcopo; cum Officialis in eadem facti specie versetur, ejus munus eodem jure locare non potest Episcopus, qui potius invigilare debet, ut Officialis modica summa contentus sit, ea scilicet, quæ ad ejus congruam sustentationem sufficiat.

Quoad quæstionem quartam; certæ regulæ loco habenda est Cardinalium in caput hoc Declaratio, quæ ejusmodi est: *Pro collatione Ecclesiarum curatarum, vel pro deputatione Vicariorum in illis, Cancellarius potest in singulas accipere mercedem suo labori convenientem; quæ tamen, scriptura, sigillo, & cæteris omnibus computatis, unum aureum non excedat, dummodo ipsi Cancellario salarium nullum pro officio suo exercendo præstitum sit, & dummodo ex pecunia, quam accipit, nihil prorsus emolumenti Collatores, aut Institutores ullo modo directe vel indirecte percipiant.*

Quod spectat ad difficultatem, quæ ex Præbendarum trium, & Capella una grossis fructibus, qui 33. libras conficiunt, & ex sigilli jure ducuntur, proponi potest; respondetur, fundum eum ab Episcopo ejusmodi Beneficiis assignatum esse, cum ea Episcopo commissa sint, & hoc in casu bonis Episcopalibus id oneris addictum esse.

Decisum Parisiis . . . . . . an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

CASUS II.

1 *Tridentina Synodus & Edicta definierunt, quid Episcoporum Secretarii pro Visu, aliisque Secretariatus Actis percipere possint; nihilque præterea possunt ii sibi sumere, quia in Simoniæ suspicionem incidunt.*
2 *Episcopus ex propriis reditibus debet iis stipendium statuere, si minus ex Secretariatus juribus satis habeant.*

QUÆSITUM.

Episcopus, cui septem tantum vel octo mille librarum est reditus, quique ex Secretariatu nihil ipse sibi percipit, super Secretarii juribus taxationem instituit, ut nempe ad expediendum Visa libræ viginti pro Beneficiis pinguibus erogentur, ac pro cæteris habita proventuum ratione.

I. Quærit Ambrosius Episcopus, an pati possit Secretarium suum ei taxationi adhærere?

II. An Edictum an. 1695. vim habeat in foro conscientiæ?

III. An Rex censeatur eo Edicto Episcopos, quorum adeo modicus proventus est, complecti noluisse, an ejus ea mens fuerit, ut Ambrosius ita minutus Episcopus ad Secretarii sui sustentationem conferret, an vero contendisse censeatur, imminuta *Visa* taxatione, cæterorum Actuum pretium augeri, quod rei publicæ summopere onerosum esset?

Secus Ambrosius ægre admodum sibi Secretarium comparare poterit; debet ille Latine scire, & Ecclesiasticæ Curiæ stylum callere, aliisque decentibus dotibus exornari; eum porro virum nancisci omnino non poterit, nisi ejus jura aucta fuerint, vel ipse ei stipendia tribuat, id quod eidem pergrave fuerit.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, id quod Ecclesia in Tridentina Synodo *Sess.* 21. *c.* 1. *de Reform.* quodque Edictum Regis an. 1695. art. 2. Episcoporum Secretariis pro *Visa* concedunt, tanquam stipendium eorum labori atque industriæ debitum spectandum esse; ut proinde quicquid præterea sumeretur, non amplius ad laborem & industriam referretur, sed ad rem spiritalem, cujus gratia *Visa* vel aliæ Litteræ tribuerentur. Quamobrem ea taxatio simoniæ suspicione non careret; ac multo quidem magis, si plus daretur pro pingui Beneficio, quam pro tenui; sive enim Secretarius stipendio gaudeat, sive non, sive habeat, unde vivat, sive non, ejus quidem labor & industria, quæ ex Concilio est ratio stipendii, quod ei conceditur, pro pingui, quam pro tenui Beneficio majores non sunt; non plus vel temporis insumit, vel chartæ; non ergo majore stipendio dignus est. Ac Tridentina quidem Synodus satis super hoc articulo suam mentem aperit, dum præter id quod Secretariis concedit, nihil omnino ab iis accipi vult, *nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, aut alio quovis prætextu.*

His in hunc modum constitutis, ad tres quæstiones propositas respondetur;

Ad primam, Ambrosium tuta conscientia pati non posse, ut Secretarius id, quod in allata taxatione declaratur, sumere pergat; sequitur id ex hactenus dictis.

Ad secundam; Edictum an. 1695. Clero postulante, ut Rex sub initium innuit, sancitum fuisse, cum illud nil aliud sit quam veterum Declarationum, ac veterum Rescriptorum, quæ in Constitutionum, quæ ab Ecclesia editæ, atque antea servatæ fuerant, executionem prodierant, redintegratio, nihilque contineat Ecclesiasticis Legibus non consentaneum, proinde in conscientiæ foro, saltem quoad articulos duos, de quibus agitur, obligare.

Ad tertiam; Edicti hujus articulum 2. Tridentinæ Synodi menti conformem esse. Quare cum Synodus absolute & indiscriminatim de modico stipendio locuta sit tum quoad cujusque generis Litteras, tum quoad omnes Episcoporum Secretarios; non licet Ambrosio Edicti articulum aut Concilii Decretum latiore quadam notione accipere, ut distinguantur Episcopatuum genera duo, unum eorum, quorum modicus, eorum alterum, quorum pinguis reditus sit; quandoquidem Rex & Concilii Patres, quos non latebat admodum minutos Episcopatus existere, distinctionem eam adhibuissent, si necessariam vel utilem credidissent. Quod si Rex in Edicti sui articulo 2. de *Visa* tantum loquitur, non proinde censetur Episcopis permisisse, ut quoad acta cætera Secretariorum suorum stipendium augerent, sed potius res in eo statu reliquisse, in quo Ecclesiæ Leges & Canones easdem posuerant.

Ex his omnibus concludi potest Ambrosium in præsenti negotio stare debere regulis a Concilio, & Edicto an. 1695. præscriptis, ita ut ex propriis reditibus Secretarii sustentationi prospicere teneatur, ut eum nanciscatur, qui necessariis dotibus præditus sit, si Secretarius consueto stipendio Canonibus, Regiaque Sanctione præscripto contentus esse noluerit.

Optandum sane foret Episcopos Secretariis suis stipendia statuere, ne quid illi pro Expeditionibus acciperent. Si enim ita Episcopi sese gessissent, non tot in hoc quidem capite extitissent abusus, qui passim querelis ansam præbuerunt, & in causa fuerunt, ut generalis constitutiones ad eorumdem abusuum reformationem ederentur, ut ex Trident. Conc. *Sess.* 24. *c.* 1. Constitutione Blesensi *art.* 2. Edicto an. 1695. *art.* 2. licet intelligi. Concilium porro statuens, ne quid Secretarii sibi sumant *in locis, in quibus viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi*, satis ostendit eam sibi mentem fore, ut nihil a Secretariis acciperetur.

Id sane debent Episcopi Secretariorum suorum animis inspirare, congruum iis stipendium statuentes; non tamen vituperanda censetur earum Diœceseon consuetudo, in quibus Secretarii, quibus cæteroqui nec stipendia sunt, nec Beneficia, pro laboribus ac sumptibus mediocrem taxationem recipiunt; videntur quippe allatæ Sanctiones pati eos non nihil accipere.

In Nationali Concilio an. 1581. Rothomagi celebrato *tit. de Jurisdict. Ecclesiast. n.* 9. ita statuitur: *Non licet Episcopis sigillum suum ad certum pactum locare, sed illud probo viro, nec indocto, tamen Ecclesiastico committant.*

Decisum hac die 29. Augusti an. 1696.
G. *Fromageau*.

CASUS III.

1 *Episcopi Secretarius non potest quicquam exigere præter id, quod ei a Tridentino Concilio, vel Regis Edicto an. 1695. concessum est.*
2 *Et Confessarius absolutionem negare debet, si quid ulterius exigat.*

QUÆ-

QUÆSITUM.

EPiscopi Secretarius non alio stipendio gaudens quam Secretariatus emolumentis, pro *Visu* duodecim seu quindecim libras, & sic porro ratione habita pro cæteris Litteris exigit; ut proinde Secretariatus ei tercenta seu quadringenta scuta quotannis reddat. Tutusne est in conscientia, quippe qui hac in re nihil agat, quam Diœcesis morem sequatur? Quomodo se gerere debet ejus Confessarius, qui ab eo non recedit, quod Tridentina Synodus *Sess.* 21. *de Reform. cap.* 1. præcipit in hæc verba: *Notarii vero . . . . . . pro singulis Litteris Dimissoriis, aut testimonialibus decimam tantum unius aurei partem accipere possint*. Apertior quoque est in hanc rem vicesimus Blesensis Constitutionis Articulus.

Responsio.

Concilium Conscientiæ subscriptum censet, Secretarium, de quo quæritur, non posse duodecim seu quindecim libras accipere pro *Visa*, & ratione habita pro cæteris Litteris, quia Tridentina Synodus & Constitutio minus esse volunt Episcopalis Secretarii stipendium, ad hæc negotia quoad attinet: *decimam tantum unius aurei partem accipere possint*, inquit Synodus *Sess.* 21. *c.* 1. *de Reformat*. Constitutionis autem an. 1695. art. 2. ex gallico sermone hæc verba reddi possunt, „ dictorum Prælatorum Secretarii nequeant accipere plusquam libras pro dictis Litteris *Visa* “.

Frustra porro dicitur Secretarius hac in re Diœcesis consuetudinem sequi, nec alio stipendio gaudere; is quippe usus abusus est; cumque Secretarius sit Episcopi Domesticus, satius proinde est ejus sustentationem ex ipso Præsule peti, quam ex minutis quibusque Presbyteris extorqueri. Hanc esse apparet Concilii mentem, dum vetat, ne Episcoporum Secretarii laborum suorum gratia declaratum stipendium sumant, nisi posita duplici conditione, quarum prima est, nisi Litteras *gratis* expediendi mos in Diœcesi obtineat: *in quibus locis viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi*; altera est; *Dummodo eis salarium nullum sit constitutum pro officio exercendo*.

Hinc concluditur, Secretarium non se satis in tuto ponere, dum ait, sibi stipendii nil esse, quoniam is nimirum omnino casus est, in quo ei aliquid, id nempe, quod supra declaratum est, nihilque præterea accipere licet.

Quia porro is, de quo in expositione dictum est, multo plus accipit, quam sibi legitime debeatur, asseri potest ejus consilium esse quodammodo simoniacum, quoniam occasione rei spiritalis exigit temporalem. Quamobrem Confessarius eum de officio suo, de Concilii regula, deque Regis Constitutione, quibus se conformare necesse habet, monere debet, eique absolutionem denegare, si perstet in proposito plus accipiendi, vel exigendi, quam quod Ecclesiasticis & Civilibus Legibus eidem concessum est.

Decisum hac die 24. Maji an. 1696.
G. *Fromageau*.

SECRETUM.

NOn agitur hoc loco de Confessionis secreto, sed de eo, quod unusquisque in gravibus negotiis, quæ ex familiaribus colloquiis percepit, custodire debet. Quamlibet stricti juris sit ejusmodi secreti religiose atque invicte servandi obligatio, sive secreti fides obstricta fuerit, sive non; non desunt casus, in quibus a regula recedere non modo licet, sed etiam decet, atque adeo oportet. Causa exempli detegendum est criminosum consilium, tametsi secreti fide notum, cum, si detegatur, ejus executio impediri potest; idemque de quibusdam vitiis humanæ societati perniciosis, & quoad quædam ministeria periculosis sentiendum est; si enim contingat ea ex privato colloquio innotescere, ac deinde qui eadem in se ipso prodidit, velit ea munia suscipere, quibus ejusmodi vitia adversantur; is, cui ea innotuere, secreti fidem non violat, si, quod scit, patefaciens, quominus officia illa suscipiantur, impediat; mihi verbi causa notum est, quempiam, ipso mihi fatente, minus recte de Religione sentire, quem tamen paratum intelligo Ecclesiasticum statum amplecti; ne dum peccem eos commonefaciens, qui id impedire possunt, peccarem potius gravissime, ni ita facerem.

Secreta custodienda.

CASUS I.

Custodiendum secretum est, cujus detectio nocet alterius saluti, famæ, bonisve.

QUÆSITUM.

PEtrus censum, quem ex Joanne percipit, in Pauperum Communitatem cum cautione transfert, oblato sibi ab eadem Communitate justo pretio. Plura jam annua debentur Communitati, quæ nulla bona ad Petrum vel ad Joannem spectantia cognoscit, nullamque proinde solutionis spem sibi esse intelligit. Notarii cujusdam Clericus in Petri negotio occupatus ex ejus codicibus novit ipsum in bonis habere; ac deinde cum ex dictæ Communitatis Procuratore de periculo cognovisset, in quo versabatur, quod de suorum Debitorum bonis ignoraret, ei dixit Petro in bonis esse, atque adeo ea se indigitaturum promisit. Aliquanto post instanti Procuratori, ut promissa faceret, respondit Clericus se quidem in proposito perlistere, sed antea cupere sibi scrupulum ex animo evelli, ac declarari, an tuta conscientia posset Petri bona patefacere, quin secretum violaret, quo se æque ac Notarios obstrictum existimabat.

Quæritur ergo, hicne Clericus, qui in ejusmodi facti specie, haud obstricta Petro secreti fide, agnovit ex Actu, quem Notarius, apud quem degit, nequaquam firmaverat, Petro in bonis esse, possit, salvis conscientiæ juribus, eadem bona prodere; ut ita Pauperum Communitati solvi possit id, quod eidem debetur, quodque ipsa non alia ratione sibi solvendum sperat.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, cum de bono Pauperum Communitati servando agatur, Petro injuria non illata, Clericum posse hujus Communitatis Procuratori Petri bona detegere. Regulam hanc statuit D. Thomas, (a) eamque sequuntur Auctores quique gravissimi, qui super hoc negotio scripserunt; omnes enim afferunt exceptionem, quæ generalem obligationem consequitur, ut scilicet nihil eorum pateriat, quæ nobis secreto commissa sunt. (b) Adrianus & Navarrus (c) eamdem sententiam propugnant. En posterioris verba: *Quicquid dicitur alicui secreto, quisquis ille sit, si id tacere non est in præjudicium animæ, corporis, famæ, vel bonorum alterius, debet secretum servare, quamvis Judex contrarium præciperet*; quod fusius explanat n. 222. in idem caput *Inter verba*.

Cum ergo Clericus, de quo quæritur, in hac exceptione versetur, quoniam si minus id patefaceret, quod compertum habet, Pauperum Communitas census sibi debiti jacturam faceret; eo minus ille secre-

(a) S. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.
(b) Adrianus in 4. de restitut. §. pro hujus clariori intellectu.
(c) Navarr. in cap. Inter verba. Conclusione perfecta, n. 402.

secreto obstrictus censetur, quod re vera nullam Petro injuriam irrogat, atque ita quam Procuratori obstrinxit, fidem præstare potest.

Decisum Parisiis hac die 20. Septembris an. 1679.

Aug. de Lamet.

CASUS II.

1 *Superiori aliquando denuntiandus est, qui nos ad turpia sollicitavit.*
2 *Quædam sunt in hoc negotio servanda.*

QUÆSITUM.

Adolescens Valetudinarii munere fungens in Communitate, in qua magnus est numerus adolescentum, qui ad Ecclesiasticum statum instituuntur, ab eorum uno accitus in cubiculum, ubi levi ex causa in lecto jacebat, ad turpia sollicitatus fuit, se tamen ille tangi non est passus, eique culpæ fœditatem ob oculos posuit. Octavo post die ab eodem adolescente in cubiculum tractus, iterumque sollicitatus instigantem eadem constantia repulit, & amice simul ac vehementer monitum voluit. Pancis post diebus ei adolescens significavit, se pœnitentia ductum errati sui confessionem edidisse, eumque rogavit, ne quid Superiori palam faceret. Valetudinarius deinde Confessario suo rem aperuit, qui eum adducere voluit, ut Communitatis Superiorem commonefaceret; quod tamen ab eo obtinere non potuit.

Quærit ille, an ad id in conscientiæ foro teneatur, atque an Confessarius exigere possit, ut Communitatis Superiori rem ipse declaret? Videtur timendum esse, ne Adolescens, qui eo impudentiæ devenit, ut Familiæ Domesticum semel & iterum aggrederetur, aliquem alium ex Familia puerum majori cum successu aggrediatur, eique contagium communicet; videtur quoque pœnitentia, qua ille se affici testatus est, haud satis gravis causa esse, ut ea formido disjiciatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Adolescentem Valetudinarium Confessario jubenti, ut eum, a quo ad malum sollicitatus est, Superiori denuntiet, parere debere; si enim spectetur culpa, de qua agitur, ea sane enormis est, & ejusmodi, ut inter adolescentes, qui sæpe simul existunt, facile serpere ac propagari possit; est etiam maxime aliena ab ejus status sanctitate, quem adolescentes ii sibi proponunt, & ad quem ibi, ubi sunt, sese comparant; quæ denique ejusmodi peccatum consequuntur incommoda, fere graviora sunt, quam quodvis aliud ex iis bene multis, in quæ adolescentes prolabi possunt.

Uno verbo agitur hoc loco de bono publico, ne scilicet exponatur periculo gravis damni, cujus longe major, quam privati boni ratio habenda est. Præter has causas possunt Confessario aliæ peculiares causæ præsto esse ex persona ipsa, de qua agitur, ductæ, quamobrem pœnitentem adigat, ut reum ad Superiorem deferat.

Nec fraterna correctio tanquam sufficiens in hoc negotio spectanda censetur; præterquamquod enim ea fortasse nil aliud efficeret, quam adolescentem ad pravitatem suam in posterum cautius occultandam exacueret, si tamen Superior ea uti malit, quam ipsum explodere, eam ipse utilius quam quivis alius adhibebit; ac Superior quidem commonefactus ita se geret, ut ille utilius a se quam a quovis alio corrigatur.

Concluditur, Adolescentem Ecclesiasticum tum solum ad Superiorem deferendum non fore, si nempe pœnitentiæ tot tantaque signa dederit, ut crimen suum detestari, ac tale nihil in posterum patraturus esse merito censeri posset. Debet ad extremum expendere Confessarius, an, universo negotio ponderato, satius fuerit Adolescentem, qui ad turpia instigavit, ante quam a Valetudinario Superiori denuntietur, moneri, ut a Communitate recedat. Ita quippe non eum suppudebit, quod crimen ignoraverit Superiori, qui cæteroquin eum acriter monitum fortasse dimittet.

Decisum in Sorbona hac die 31. Augusti an. 1702.

G. Fromageau. G. Bourret.

SEDES EPISCOPALIS.

Sedes Episcopalis vacans, Episcopo in amentiam lapso.

CASUS.

1 *Cum Episcopus ex morbo, qui ejus animum afficit, & creditur insanabilis, Diœcesi regendæ impar evasit, potest Sedes declarari vacans, & penes Capitulum jus est nominandi, qui eam administrent.*
2 *Bonifacius VIII. jus hoc Sanctæ Sedi addicere voluit; sed ejus Decretales in Gallia nec receptæ, nec executioni mandatæ sunt.*

QUÆSITUM.

Cum Episcopus M.... in morbum gravissimum incidisset, Senatus Rescripto proprtiis bonis administrandis ineptus est declaratus; tum vero Æconomus, qui eorumdem bonorum curam gereret, Regis consensu institutus fuit. Cathedralis Ecclesiæ Capitulum ex Decretali nescio qua Diœcesis administrandæ jus sibi vindicat. Consultis idoneis viris, Canonici coiverunt, & Magnos Vicarios tres nominarunt cum ejus damno, qui ab annis viginti eo munere fungebatur. Inanimo habent alium Officialem, aliumque Promotorem creare. Qua in re quæritur, quid sentiendum, primo quidem, quoad nominationem Ministrorum in universum, deinde vero quoad peculiarem Officialis & Promotoris nominationem.

Videtur generatim, antequam Capitulum administrare possit, necesse fore, ut Episcopus ipse administrationis incapax declaretur; si enim in instituendo temporalium Æconomo hæc Juris forma servata est, multo magis eadem servari debet, ut spiritualis administratio transferatur.

An non asseri potest hujus negotii cognitionem ad Pontificem pertinere? Ejus esse nominare Commissarios *in partibus*, ut de Episcopi inhabilitate judicetur, ac deinde permittere, ut Magnos Vicarios Capitulum nominet, quod aliter & Judex esset & Pars, cum ad Diœcesis spiritalia jus non obtineat nisi sede vacante? Sedes poro non vacat nisi per mortem. Igitur Superiori constet, oportet, eam vacare propterea, quod Episcopus ineptus evaserit. Secus videtur Capitulum nullo jure gaudere ordinis, quem Episcopus instituit, mutandi, nempe Ministros ab eo nominatos destituendi, atque adeo vivente ipso, quicquid ille egerat, invertendi.

Quod autem ad Officialem ac Promotorem singillatim spectat, ii quidem non sunt instituti per simplicem Commissionem, ut Magni Vicarii, qui sunt revocabiles ad nutum; sed provisi sunt in Officii titulum ex Jurisprudentia, quæ hoc ineunte sæculo servabatur, cum illi, tanquam qui destitui non possent, spectarentur. Nimirum non ante an. 1617. Episcopi contrariam facultatem obtinuerunt quoad Ministros ab ipsorum Decessoribus, aut sede vacante, a Capitulis institutos, sed hæc facultas ad Officiales ac Promotores, quos ipsi instituerant, non extenditur; ita sentit Auctor Definitionum Juris Canonici, titulo de Destitutione.

Episcopus M.... Officialem & Promotorem instituit, Sede nondum vacante, quoniam Episcopus adhuc in vivis est; Officialis & Promotor Provisionem uterque obtinent, non simplicem Commissionem, ut Magnus Vicarius; non potest ergo Capitu-

pitulum Officialem alium, aliumve Promotorem instituere. Canon quidem, quo nitirur Ecclesia M . . . de gratiosa tantum jurisdictione verba facit; hoc porro negotium ad omnes Episcopos, eorumque præcipuos Ministros pertinet.

Videndum sane fore, an jus Ministros hos, Episcopo in infirmitatem & languorem lapso, destituendi ad Capitulum sit devolutum; an jus hoc ad Officialem ac Promotorem æque atque ad Vicarium generalem extendatur, quidque in ejusmodi facti specie non immerito fieri possit?

At si ad hujus causæ judicium deveniri non potest nisi per litem, quæ longior erit Episcopi vita, quæ quidem creditur ut summum anni spatio ducentura: quæritur ex Consilio, an aliquæ protestationes, & quibus ex causis edendæ sint?

An iis inferendum, Pontificis auctoritatem a Capitulo læsam esse, quod Magnos Vicarios absque suæ Sanctitatis permissu nominaverit? (a) Declarandumne etiam sit, Capitulum hac in re ipsius Episcopi dignitati atque auctoritati derogasse, dum ejus Ministros destituit? An iidem Ministri querelarum jure gaudeant, quasque ipsi rationes, ut se adversus Capitulum tueantur, proponere possint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, a Capitulo M . . . . in proposita facti specie Sedem vacantem declarari potuisse; si enim procedi potuit ad electionem Coadjutoris aut Vicarii in Episcopi locum, consequens fit, sedem si minus de facto, saltem de jure vacantem declarari potuisse, ac proinde licuisse Capitulo illius administrationem suscipere. Porro ad Vicarii, seu Coadjutoris electionem devenire potuit ex D. Gregorio Magno Epist. 7. *ad Ætherium Episcopum l. II.* relato in *Cap. Quamvis triste 7. q. 1.* Ita enim mandat: *Enimvero si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, rerum Ecclesiasticarum curam gerere, maturum & efficacem se in omnibus exhibere.* Non vult S. Gregorius Vicarium hunc ante mortem Episcopi consecrari.

Olim, Episcopo graviter ægrotante, adhibebatur Episcopus proximus *in consortium regendæ Ecclesiæ*, ut ait S. Ambrosius Epist. 79. sub finem; sed jam Episcopi, ope indigentes utuntur Episcopis *in partibus*. Feuretus *l. 3. c. 6. n. 1.* & *cap. 4. n. 23. de Abusu.*

Bonifacius VIII. in Decretali, *Si Episcopus de suppl. neglig. Prælat.* ponit tanquam certum sedem vacare, & ad Capitulum auctoritatem devolvi, cum captus Captivusque est apud Infideles Episcopus: *Si Episcopus a Paganis aut Schismaticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si sedes per mortem vacaret illius, in temporalibus & spiritualibus ministrare debebit, donec libertati restituatur, vel per Sedem Apostolicam, cujus interest Ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum Capitulum, quam cito commode poterit, consulendam aliud contigerit ordinari.*

In *Cap. Pastoralis* ejusdem Pontificis statuitur, ut, cum Episcopus in dementiam inciderit, ejus Capitulum *auctoritate Apostolica unum* duosve Coadjutores eligat, qui administrent: *Tunc*, inquit, *ejus Capitulum, vel duæ ejus partes unum aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus officium exequantur*; ea tamen lege, ut Capitulum Pontificem consulat, ejusque jussionem expectet: *Item Capitulum Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem & statum, ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, fideliter & explicite referat ad notitiam dictæ Sedis, recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari.*

Ex tribus hisce Decretalibus constat Sedem vacantem supponi, ac proinde Capitulo administrationis jus esse. Layman *q. Canonicarum* hanc quoque sententiam tuetur *cap. 9. q. 104. Si Episcopus*, inquit, *ab hostibus fidei captus sit, vel alio perpetuo aut diu durabili impedimento detentus, ut si in amentiæ morbum lapsus est, Capitulum interim in spiritualibus ac temporalibus administrationem habebit, donec Sedes Apostolica, quæ hac de re consuli debet, aliter provideat.*

Objicitur Sedem bifariam vacare posse, I. realiter & de facto, ut per mortem; II. interpretative, ut cum Episcopus de Jure ac civiliter mortuus est; at Sedes non censetur interpretatione quadam vacare, nec auctoritas ad Capitulum devoluta esse censenda est, nisi cum id apparet ex expresso aliquo Juris textu, inquit Fagnanus tom. 2. in lib. 3. Decretalium *cap. diversitatem de concess. Præb. Quia mors civilis*, inquit, *vel spiritualis non æquiparatur morti naturali, nisi ubi in Jure hoc cautum invenitur, & hoc pro regula tenendum esse dicit Glossa in cap. Placuit 2. 16. q. 1. & in cap. Si Episcopus v. Capitulum de suppl. neglig. Prælat. n. 6.*

Porro Jus, pergit hic Auctor, docet Sedem interpretatione vacare tribus in casibus; I. Cum Episcopus est Captivus; II. Cum amens est; III. Cum suis obeundis functionibus impar & inhabilis est, ut si sit excommunicatus, suspensus; atque in singulis hisce casibus tribus auctoritas non ad Capitulum, sed ad Pontificem ex laudatis Decretalibus est devoluta; quod si tunc temporis Capitulum administrat, id non nisi pro interim est, & quoad Vicarium Pontifex nominaverit: *Ex his enim verbis*, inquit Fagnanus n. 30. *apparet, quasi Ecclesia vacante per captivitatem Prælati, administrationem in spiritualibus & temporalibus jure proprio non ad Capitulum, sed ad summum Pontificem pertinere; unde ipse poterit aliter ordinare, providendo, vel forte Visitatorem dando, ut dicit ibi Glossa v. Ordinari.*

Concludendum ergo, non jure proprio Capitulum administrare, sed omnia ad summum Pontificem referenda. Rebuffus ulterius progreditur; ita enim loquitur in *Concord. tit. de Regia ad Prælat. nomin. §. 1. Quomodocumque vacet, Rex poterit nominare. Fallit, quando Episcopus esset captus a Schismaticis vel Turcis; tunc Papa poterit dare Coadjutorem, sine Regis nominatione, cap. Si Episcopus de Suppl. neglig. Prælat. in 6. quia non vere vacat Episcopatus*, ... *vacat hic Rex tantum nominat: eadem ratione* ... *valetudine perpetua vel morbo detineatur*, ... *modo, Papa sine Regis nominatione Coadjutorem dat*, ... *cap. un. §. si autem de Cler. ægrot. in 6.* Eadem Castelli sententia est in *Definitionibus Juris Canon* ... *Coadjutores*; additque, cum Pontifex, inconsulto Rege, Coadjutorem nominat, id de spirituali tantum administratione accipiendum esse, *& non cum futuræ successionis spe*, quia juri, quo Rex gaudet ad Episcopatus nominandi, id derogaret.

Excipit sane Fagnanus casum Episcopi, qui notorie Hæreticus esset; tunc, inquit, vere ac proprie Sedes vacaret, & Capitulum administraret; affert in id Congregationis Cardinalium Tridentinæ Synodi Interpretum decisionem diei 14. Januarii an. 1586. quæ ejusmodi est: *An Episcopo existente Hæretico, facultas concedendi dimissorias juxta caput 10. S. l. 7. pertineat ad Capitulum Cathedralis Ecclesiæ? Congregatio censuit ad Capitulum pertinere, si Episcopus sit notorie Hæreticus.*

Sed omnibus hisce auctoritatibus respondetur, eas Juri veteri contrarias esse, ut liquet ex Capite *Quamvis triste*, quod ex S. Gregorii Epistola ductum est; eligebatur, & ex consequenti sedes vacabat; ex quo sequitur, antequam electio perageretur, Clerum administrasse; Clerus nempe Administratorem eligebat ad Episcopi mortem usque; nec apparet Pontificem nominasse, cum Sedes vacaret. Antiquis temporibus Metropolitanus, inquit Fevretus, proximum, aliumve Episcopum delegabat, qui temporalia simul & spiritualia, vacationis tempore, & quoad Sedes occuparetur, administraret. In Epistola 44. sub finem S. Ambrosius Constantio Episcopo proximam Ecclesiam, quoad occuparetur, commendat: *Commendo tibi, fili, Ecclesiam, quæ est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ordinetur Episcopus; occupatus diebus ingruentibus Quadragesimæ tam longe non possum occurrere.*

Vetat Bonifacius VIII. ne Metropolitanus Sedes vacantes administret. Vide *cap. si Episcopus de suppl. neglig. Prælat. Non Archiepiscopus, sed Capitulum* &c. quia nempe voluit Pontifex Administratoris intec-

(a) Domini Roynet & Noiiet Advocati censuerunt Sedem vacare.

interregni tempore statuendi jus Sanctæ Sedi tribuere, quemadmodum ex appellatis Decretalibus, sed imprimis ex Cap. *Is cui procuratio* 42. *de elect.* satis apparet; sed novum hoc jus in Gallia receptum non fuit. Capitulis, inquit Fevretus, Sede vacante semper est servatum jus temporalia simul & spiritualia vacationis tempore regendi atque administrandi. Consuli possunt Capita *His qui* 11. & *Cum olim* 14. *de Major. & obed.* in quibus Capitulum Sede vacante administrare pro certo ponitur. Consuli quoque potest Petri Damiani Epistola 10. ad Clerum & Populum Moguntinum data, *lib.* 5. *Rogandus est*, inquit, *Dominus noster Papa, vobis modo se non ingerat,* (Ecclesia, de qua quæstio, tunc temporis perturbatur) *sed Ecclesiam vestram vacare interim, & vos sub suæ benedictionis umbraculo manere decernat: Quia vero per Dei misericordiam industrios inter vos Clericos, ac prudentes, & litteratos habetis, si placet, unus ex eis eligatur, cui animarum cura ac sollicitudo totius Episcopatus possit imponi, ac per eum omnia necessitatis Ecclesiasticæ negotia debeant administrari.*

Et sane Capitulum & Episcopus unum tantum Corpus constituunt, ut ait Alexander III. *cap. Novit de his, quæ fiunt*, &c. & Capitulum Sede vacante in jurisdictionem tam gratiosam quam contentiosam succedere debet; ut proinde abusus fuerit, inquit Fevretus, si quid præter appellationis casum, ad contentiosam quod attinet, Metropolitanus aggrederetur; Sedis enim vacatio non efficit, ut *potestas & jurisdictio ad Superiorem devolvantur.*

Ex quibus omnibus consequens fit, jure Capitulum M . . . . Sedem vacantem declarare, Magnosque Vicarios, qui administrationem susciperent, nominare potuisse, nisi Rex, penes quem electionum jus est, expedire judicet, ut ex Pontifice Coadjutor petatur, vel proximus Episcopus nominetur ad Diœcesim ad Episcopi mortem usque curandam. Verum quidem est Episcopo Coadjutorem non dari, invito ipso, & præterea Coadjutorum officia prohiberi, nisi adsit magna utilitas & necessitas. Vide Tridentinam Synodum *Sess.* 25. *c.* 7. *de Reform.* Sed illud quoque verum est, in præsenti facti specie necessitatem adesse; est nempe is casus Epistolæ Gregorii M. cujus mentio supra facta est, sane convenit, ut Coadjutor daretur, ad Romanam Sedem confugiendum fore, si Episcopus consecrari deberet, quia cum Coadjutorum officia Canonibus prohibeantur, solus Pontifex potest in hac re ex Jure novo dispensare.

Verum quamvis administratio Capitulo relinqui posset, satius tamen fortasse foret, Pontificem ac Regem consentire in Coadjutoris institutionem *cum spe futuræ successionis*, seu Episcopum proximum, vel *in partibus* ad suscipiendum regimen nominare.

Quod spectat ad Officialem, respondetur, post Regis Declarationem an. 1637. quæ Officiales Destitutioni obnoxios pronuntiat, id, quod Officialis M . . . contendit, propugnari non posse. Videri potest, quid actum (a) fuerit in Cleri Gallicani Congregatione an. 1641. cum Episcopus C . . . Officialem suum destituisset; ei subeundus fuit in Consilio Processus, cujus causa petiit & obtinuit unionem Congregationis; & Officialis Rescripto dejectus fuit; ex quo sequitur, Capitulum M . . . . si Sedem vacantem declarare potuit, Ministros alios nominare potuisse.

Decisum hac die 8. Octobris an. 1696.
G. *Fromageau.*

SEPULTURA ECCLESIASTICA.

Fidelium in Ecclesiæ Communione defunctorum Corpora, terræ Sanctæ tradenda sunt, quantum quidem fieri potest, in Cœmeteriis, aut prope Ecclesias, ut ad eos pertrahantur preces consanguineorum, aliorumque Fidelium, qui eo conveniunt, & Sanctorum, qui ibidem honorantur. Cui porro, quibus in circumstantiis, quibusque cum circumspectionibus ea sepultura, quæ dicitur Ecclesiastica neganda sit, ex sequentis casus solutione constabit.

Sepultura Ecclesiastica Religioso Apostatæ denegata.

C A S U S.

1. *Religiosus Apostata, qui Libellum famosum contra proprium Ordinem scripsit, nec palinodiam canere vult, ægrotans Sacramentis privandus est.*
2. *In eo statu vita functo Sepultura Ecclesiastica neganda est.*

QUÆSITUM.

Cum Religiosus Professus in Ordine reformato, eoque strictissimo semel & quidem cum magno populi scandalo a Religione defecisset, gratiam obtinuit, & ad Monasterium reversus est. Aliquanto post rursus evasit; sed cum a Superioribus detectus captusque fuisset, instituto processu, editaque sententia, coactus est subire Canonicas omnes Ordinis pœnas, quæ Apostatis imponuntur. Denique ille a Romana Sede facultatem obtinuit ad laxiorem Ordinem transeundi, siquidem Receptorem Benevolum comperisset; sed cum eum nancisci non potuisset, nemine tam indignum hominem excipere volente, adversus Ordinem suum, aliosque Religiosos Libellum furore, mendaciis, calumniis, & injuriis infarsum edidit, ne proprio quidem parcens Archiepiscopo, cui negligentiam & mollitiem in corrigendis abusibus, apud Religiosos grassantibus exprobrabat; obtinuitque, ut Libellus in Supplicationis formam Regi offerretur; sed cum Princeps negotii judicium ad ejusdem Religiosi Superiores rejecisset, comprehensus, & in carcerem conjectus fuit, in quo cum per annos tres detentus esset, eo temporis spatio nullum permissum est humanitatis officium, ut ad retractationem, atque ad bonam frugem pertraheretur.

Sed ille deterior factus & impudentius semper de suo crimine fateri renuit; ac licet Libellum opus suum esse minime diffiteretur, nunquam tamen fassus est se peccasse, quod eum concinnasset, & in lucem emisisset, quin potius non sine pertinacia pronuntiavit nil se scripsisse ac vulgasse, quod non ex aliis audivisset, vel in Libris legisset; sibique id unum fuisse propositum, ut Regularium Ordinum reformationem obtineret; atque id prætendens in sua semper contumacia perstitit, Ecclesiæ Sacramentis, ipso Paschatis tempore privari malens, quam se calumniatorem fateri; cum porro semper hoc animo in carcere jacuisset, jam insanabili furore correptus, tum aliis morbis ingruentibus, subest periculo in tam misero statu moriendi.

Hoc posito, quæritur, an Religioso huic in eo statu, & periculoso morbo laboranti Extremæ Unctionis Sacramentum administrari, ac præterea si forte moriatur, eidem Ecclesiastica Sepultura concedi possit? Dubitandi ea ratio est,

I. Quia ejus pertinacia tanquam furor ac vesania spectatur a nonnullis, ipsum non satis mentis compotem opinantibus.

II. Quia timetur, ne publicum scandalum afferatur, si innotescat Religiosum veteranum Professum, cujus crimen Laicos homines eo loci degentes latet, Ecclesiastica Sepultura privatum fuisse.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Religiosum, de quo in Expositione mentio fit, extrema Unctione, ac si quidem obierit, Ecclesiastica Sepultura privandum esse, nisi in se reversus sincerræ

(a) Vide tom. 2. collectionis Cleri.

ræ pœnitentiæ signa det. Sed ut hæc veritas in bono lumine collocetur, pro certo ponendum est,

I. Ecclesiasticam Sepulturam peccatori negandam non esse nisi ob peccatum publicum & notorium, ut declaratur in Rituali Romano Pauli V. titulo *de Exequiis* in hæc verba: *Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judæis, Hæreticis manifestis, publicis excommunicatis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt*; & e vestigio: *Iis, de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperint Sacramenta Confessionis & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierunt*. Denique si quid dubitationis occurrat in ejusmodi casibus, Ordinarius adeundus & consulendus est: *Ubi vero in prædictis casibus dubium occurrit, Ordinarius consulatur*. Idem tradunt S. Antoninus, (a) & alii Auctores bene multi, quos in medium affert Petrus de Murga, qui loco ad marginem citato inquirit, an publicus notusque peccator, qui in peccato suo moritur, quin ullum contritionis signum exhibeat, Ecclesiastica Sepultura privandus sit; & affirmative respondet.

II. Neminem Ecclesiastica sepultura privandum esse, quin antea quædam formulæ servatæ sint, vel ex juridica Ordinarii vel alterius Prælati Sententia constet defunctum notorie criminosum fuisse, & in peccati mortalis statu obiisse; sepulturæ quippe privatio pœna gravis est; jam vero pœna hæc non est in eum infligenda, in quem Canonica Sententia (b) pronuntiata non fuerit, ut declaratur in Jure; atque adeo eadem pœna non nisi a Judice, & quod inde fit consequens, per declaratoriam Ordinarii Sententiam infligi debet. Hæc Pelizarii sententia est.

Jam vero Religiosus, de quo agitur, gravissimi criminis reus est habendus, non solum quod bis Apostata & profugus magno cum sæcularium scandalo ab Ordine suo defecerit, verum etiam quia emendicato reformationis prætextu Libellum famosum calumniarum plenum adversus proprium ac cæteros Regulares Ordines Regi exhibendum curaverit, quod consilium Rex improbavit, qui ne audire quidem voluit, sed Monachum remisit a propriis Superioribus judicandum. Graviter etiam peccavit Religiosus hic, dum se Libelli Auctorem fassus, Ecclesiæ tamen Sacramentis, atque adeo Paschali Communione privari maluit, quam se calumniatorem fateri; in qua facti specie sepultura Ecclesiastica, si in eo statu moriatur, privandus est, ut Lateranense Concilium sub Innocentio III. decidit. Quare cum ejus peccatum publicum & gravissimum fuerit, jure proinde ei neganda est Ecclesiastica sepultura, si moriatur in eo statu, in quo mentis impos supponitur, aut si sui compos factus nullum pœnitentiæ & contritionis signum exhibeat.

Si ergo firmum est, ut esse videtur ex iis, quæ bactenus dicta sunt, Religiosum hunc Ecclesiastica sepultura esse privandum, consequens fit a minori ad majus, ut vulgo dicunt, ei quoque Extremæ Unctionis Sacramentum negandum esse; nec juvat dicere id publico scandalo fore; potest enim defuncti cadaver humo tradi in loco profano sine strepitu, & quin id in Sæcularium notitiam veniat, ita tamen ut ne id fiat nisi post Juridicam Superioris Sententiam.

Decisum in Sorbona hac die 24. Novembris an. 1700.

G. *Fromageau*.

(a) S. Antonin. sum. tit. 10. c. 9. de sepultura. §. 6. Petrus de Murga tom. 2. disquisitione 20.

(b) Cap. 64. Non debet q. 1. esp. sive §. in hoc 33. q. 2. Pelizar. to. 2. tr. 8. c. 5. p. 148.

SERVILIA OPERA.

Diebus Festis & Dominicis.

Vide (SANCTIFICATIO.

An liceat otii vitandi gratia diebus Festis & Dominicis operari?

CASUS I.

1 *Dominicis Festisque diebus id operis puellis propria culpa conclusis injungi potest, quod a servis exigi solet.*

2 *Ea quoque labori extra Officiorum tempus addici possunt, ut peccatum, quod ex otio plerumque oritur, evitetur.*

3 *Ut cautius se gerant, qui opus ita præcipiunt, Episcopum consulere, & ab eo ejusmodi facultatem obtinere debent.*

QUÆSITUM.

Scitu dignum videtur, an Communitas, quæ omnes promiscue puellas, ac mulieres a recto tramite aberrantes, & a recto Regimini Præfectis oblatas recipit, diebus Festis ac Dominicis uti possit earumdem opera, ad ligna eo deferenda, ubi iis opus fuerit, ad verrendum, ad deterendas sordes vasorum, ad crispandos capillos; & id quidem eo tempore, quo ad divinum Officium minime incumbitur? In ejusmodi occupationibus id unum spectatur, ut illæ distineantur, & ab otio, quod corruptis animis & cordibus manopere periculosum est, avocentur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, eas; de quibus in Expositione dictum est, unius aut duarum horarum spatio in recensitis negotiis posse diebus Festis & Dominicis occupari; id enim iis injungi potest, quod Domestici ad familiarum, quibus deserviunt, bonum facere solent.

Præterea complures Theologi, ut Sylvester, Layman, (a) aliique statuunt ad peccatum, quod fere desidiam consequitur, evitandum diebus Dominicis & Festis licere operibus, quæ cæteroquin servilia sunt, vacare, aut vacandum curare; quod in iis potissimum verum est, quorum cordis & animi prava est præparatio: *Et multo magis ad vitandam animæ damnum*, inquit Sylvester, (b) *puta otiositatem, vel aliud peccatum, unde rationabiliter occupantur hoc fine domicellæ post suas devotiones, non autem ad lucrum principaliter*.

Denique ut tutius ii caveve se gerant, quibus præcipientibus, labor in hac Communitate suscipitur, consulendus est Diœcesanus Episcopus, & ab eo obtinenda permissio.

Decisum in Sorbona hac die 13. Februarii an. 1699.

G. *Fromageau*.

Labor his quidem diebus Ecclesiarum causa, atque in Ecclesiis.

CASUS II.

1 *Opera, quæ diebus Festis & Dominicis vetita esfent, licita evadunt, cum necessitatis, aut pietatis causa fiunt.*

2 *Si pietatis opera præparatoria tantum sint, ea antevertі necesse est, nisi ex aliqua rationabili causa die ipso facienda sint.*

QUÆ-

(a) Laymann. 5. lib. 7. c. 4. n. 2.

(b) Sylvest. v. Dominica 13. §. 4.

QUÆSITUM.

ROgantur Doctores, ut super quæstionibus insequentibus dicant, quid sentiant.

I. An die Festo laborandi permissio ad Ecclesiam, quæ ad alium diem Festum paratur, ornandam, de ornamentis prudentum Virorum judicio necessariis & rationis consonis intelligatur, an etiam de parandis die Dominico linteis & mappis ad ornandas Capellas, & umbones, de tapetibus, linteolis, pictisque tabulis, rebusque aliis non paucis conferendis, id quod non sine magno rumore, magnaque perturbatione fit, Ecclesiis scalarum plenis ad tendenda peripetasmata?

II. Possuntne ad ornandas Ecclesias tapetes, aliæque profanæ supellectiles adhiberi?

III. An die Festo Patroni Ecclesiæ in feriam sextam incidente, die Dominico præcedente in ejusmodi præparationes incumbi possit; atque an postridie alio Diœcesis die Festo occurrente, laborare liceat in Ecclesia ad aulæa extendenda, atque inferenda, feria secunda sequenti non expectata?

IV. Potestne solemnis dies Festus impendi in ornanda Capella in peculiaris Congregationis gratiam, quæ postridie celebratur, id quod sæpe fit divini Servitii tempore?

RESPONSIO.

Conscientiæ Consilium, quod propositam facti speciem vidit, existimat, hac in re tanquam certum illud initio statim ponendum esse, opera servilia, si necessitas adsit, aut pietatis causa præsto sit, licita evadere, ut ex *Cap. Omnes*, & ex Cap. *Conquestus de feriis* liquido apparet; verum pietatis opera in duplici genere ponenda esse, ut nempe alia divinum Servitium afficiant, vel ad illud tempus faciant, quo Servitium idem peragitur, celebraturque, alia vero præparatoria tantum sint, ac diebus præcedentibus fieri possint.

Primi generis opera diebus Festis & Dominicis dubio procul edi possunt, quoniam ea cultus ejus partem constituunt, qui Deo diebus iis exhibetur. At generis alterius opera, quæ præparationes sunt, quibus in diei Festi vigilia vacari potest, cujusmodi Ecclesiam verrere, Altaria ornare, diebus ipsis Festis edenda non sunt, nisi qua rationabilis causa subsit, exempli causa si plures occurrant continui dies Festi, & die Festo in alterius Festi sequentis gratiam Ecclesiam parari necesse sit; præparationes hæ *regulariter* in vigiliis, non autem diebus ipsis Festis sunt peragendæ, quia cum dies hi peculiari titulo consecrati, & divino cultui omnino tribuendi sint, necesse proinde est, ut tunc in Ecclesia, quam liberrime fieri potest, sanctis Officiis, orationi, omnibusque pietatis exercitiis vacare liceat. Ita sentiunt Cajetanus, Soto, (a) Toletus, Suarez, & Bonacina.

Ait Cajetanus, eos, qui sine rationabili causa iis operibus vacant, non nisi veniali culpa se obstringere, quia ratio, quam actiones hæ ad divinum cultum habent, aliqua ratione culpam excusant; ac vulgo quidem statuunt Auctores, hac in re graviter non peccari, nisi scandalum aut contemptus existat. Suarez in hoc negotio sapientissime animadvertit, ex ejusmodi præparationibus alias esse, quæ ad divinum cultum proximiore quadam ratione referuntur, cujusmodi sunt Altare ad Sacrificium scopis mundare, atque exornare, alias autem esse, quæ non nisi remotiore ratione referuntur, ut universam Ecclesiam vertere, & parietes tapetibus expolire. Addit hic Auctor id potissimum cavendum esse, ne diebus Festis ea peragantur, quæ tantum remote divinum cultum respiciunt. Videtur ergo potiore jure cavendum, ne extraneæ complures, minimeque necessariæ supellectiles, tabulæ, tapetes, culcitræ, aliæque ad parandam Ecclesiam res importentur; cum ejusmodi importationes opera sint, ut ita dicam, plusquam mechanica, e quibus rumoris ac perturbationis multum existit.

At gravius quoque malum est, si ea opera fiant, quo tempore peragitur divinum Servitium, quod perturbatur magno strepitu, qui in Ecclesia tunc excitatur; id quod reverentiæ, quæ sanctorum Mysteriorum, divinique Officii celebrationi debetur, summopere adversatur. Tridentina Synodus (b) Episcopis mandat, ut Officii divini tempore *ab Ecclesiis deambulationes, strepitus, & clamores arceant*, ut *Domus Dei Domus orationis esse videatur, ac dici possit*. Senonense quoque Concilium an. 1524. celebratum hac in re ita mentem suam aperit: *Nullus in Ecclesia, maxime dum sacra aguntur, deambulet, vagetur, aut discurrat; cessent, quæcumque divinum Officium impedire, aut quovis modo perturbare possunt, ne, ubi peccatorum venia postulatur, ibi peccata committi deprehendantur*. Idem statuitur in Synodo Carnutensi an. 1626. in alia Senonensi an. 1628. & in Concilio Rothomagensi an. 1581.

Itaque Parochi abusus hos pro viribus impedire tenentur tum cohortationibus, tum etiam, si opus fuerit, commonefacto Episcopo loci, qui prudentia sua, suoque Zelo usus malo remedium afferre poterit, ac mandare, ut in ejusmodi decorationes diebus tantum ferialibus incumbatur, ac præsertim ne per eas divinum Officium turbetur.

Cæterum quamvis non sit vetitum extranea hæc ornamenta in Ecclesia adhiberi, eorum tamen moderatum usum esse necesse est; videndumque hac in re, quid congruat dignitati sanctorum locorum, in quibus timendum est, ne harum rerum, quæ oculos pertrahunt, & quodam quasi spectaculo detinent, immodicus apparatus attentionem ac devotionem impediat, retrahatque sacris iis rebus debitam, quas Ecclesia complectitur, quæque debent imprimis Fidelium animos occupare.

Denique quod attinet ad quæstiones hoc loco propositas, in mentem revocandum est, Deum in spiritu & veritate adorari velle, interiorem cultum exteriori longe multumque præstare, eumque merito vituperandum esse, qui humana inventa, & peculiares Consuetudines consectatus, Dei & Ecclesiæ Præcepta & jussa neglexerit, nec, qua decet, diligentia servaverit. Id optime monet Rothomagense Concilium an. 1581. celebratum his verbis scitu relatuque dignissimis: (c) *Prima ac præcipua pars cultus divini in animo consistit, ut prius diligamus ac veneremur Deum in veritate ac corde perfecto, deinde verbo atque opere, ut de nobis non dicatur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me: ita ut Christi atque ejus sponsæ Ecclesiæ Mandata observemus, nec humanæ rationis inventa, nec privatas quarumcumque locorum consuetudines, ac plerumque potius corruptelas Præceptis ejusdem Christi & Ecclesiæ anteponamus, aut ex illis ista irrita faciamus.*

Decisum in Sorbona hac die 8. Novembris an. 1692.

G. *Fromageau.*

Servilium operum susceptio diebus Festis & Dominicis.

CASUS III.

1 *Non agitur contra Præceptum de diebus Festis & Dominicis sanctificandis, suscepto iis diebus labore, cum adest proprie dicta necessitas.*

2 *Nemo sibi in hoc negotio blandiri debet, ut nempe non cupiditate animoque lucri, sed vera indigentia atque utilitate proximi ad laborandum feratur.*

3 *Locorum, ubi quisque degit, consuetudinem sequi debet.*

QUÆ-

(a) Cajetan. 2. 2. quest. 112. Soto l. 2. de just. & jure quest. 4. Tolet. Instruct. Sacerd. l. 4. c. 25. Suarez l. 2. de Religione c. 21. Bonacina in 3. præcept. Decalogi puncto 3.

(b) Conc. Trid. Sess. 22. Decreto de observandis & evitandis in celebr. Miss.

(c) Concilio Rothomagensi an. 1581. cap. de Divino cultu.

QUÆSITUM.

ILlud ponitur tanquam certum ac prorsus indubitatum ad Servilia opera citra culpam diebus Festis aut Dominicis peragenda, quæ iis diebus vetita sunt, duo requiri, gravem scilicet necessitatem, & Ecclesiæ dispensationem, cum ea commode peti potest; quia ad Ecclesiam pertinet judicare, an necessitas, cujus gratia sibi quis permitti contendit, ut laboret, vera & legitima sit; atque an non ipse se decipiat, qui se in iis casibus versari putat, in quibus hujus Præcepti obligatio cessare potest, quemadmodum persæpe fit, ut homines temere in iis se casibus esse sibi facile persuadeant.

Ergo rogantur Doctores, ut turas aliquas, quas sequi liceat, regulas tradant. Quid sentiendum de Pistoribus, qui coquunt, & vendunt diebus Festis & Dominicis, de Laniis, de Tonsoribus? Eacusanturne Artifices diebus iis laborantes, cum eos urget necessitas ea opera conficiendi, quæ ab ipsis requirunt ii, qui eos iisdem addicunt? Causa exempli Sutor, ut calceos paret, Sartor, ut vestem consuat; veriti, ne, si minus iis, a quibus incitantur, satisfecerint, illi ad Artifices alios accedant, eorumque opera non amplius utantur? Omnes hi casus frequentissimi sunt, ac prope quotidiani, ac sæpenumero Confessariis negotium ac perturbationem afferunt.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositas quæstiones vidit, existimat, ex D. Thoma contra præceptum de Festorum & Dominicorum dierum sanctificatione minime peccari, peracto aliquo opere servili & corporali, cum adest necessitas, vel ut proprium, vel ut proximi damnum vitetur: (a) *Opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observantiam Sabbati; similiter opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum.*

Hujus principii vi potest quispiam die Festo aut Dominico servili operi vacare, cum illud est necessarium ad peculiarem ipsius, totiusque familiæ subsistentiam, vel ne eos, quibus deservit, a se removeat, atque alienos reddat, id quod ei grave damnum afferret; tunc cum opus, quod agit, haud proprie servile est, sed naturale & commune tum quoad servos, tum quoad liberos: *Opera servilia corporalia*, inquit D. Thomas, *in tantum servilia dicuntur, in quantum proprie pertinent ad servientes: in quantum vero sunt communia servis & liberis, servilia non dicuntur; quilibet autem tam servus quam liber tenetur in necessariis providere non tantum sibi, sed proximo.* Quamobrem Notarius, Mercator, Tonsor, Furnarius, Aurifex, Molitor laborare possunt aut vendere non sine iis conditionibus, quæ sunt expositæ, quasque D. Thomas præscribit.

At ii, quos nominavimus, Operarii cavere debent, ne ipsi sibi blandiantur, ac fucum faciant, neve cupiditate atque animo lucri ad labores diebus Festis ac Dominicis suscipiendos potius quam vera tum sua ipsorum, tum proximi indigentia moveantur. Itaque juverit eos ad Episcopi Magnum Vicarium, vel ad alios doctrina præstantes viros, cujusmodi proprii Parochi sunt, accedere, percepturos, quid in dubio sibi faciendum sit, an vendere, ac laborare debeant, necne. (b) Ita docet Gerson in tractatu de præceptis Decalogi: *Quod si dubietas occurrat, consulat ille Superiores aut peritos, ne per amplam nimis aut strictam conscientiam in peccatum cadat.* Videndus hac in re Dominus de Sainte Beuve tom. 1. & 3.

Non est ad extremum hoc loco omittendum, locorum, ubi degitur, consuetudini standum esse; alicubi nempe opus omne servile ac laboriosum vetitum est; & in hac facti specie hæc consuetudo tenenda est, nisi obsit urgens, gravisque ratio. Alibi vero quidam Mercatores aut Artifices vendere ac laborare possunt diebus Festis saltem ex tacito Prælati consensu, qui consuetudinem videt & tolerat. Monet id Gerson loco laudato: *secundo, ut quilibet eo die abstineat ab omni labore, aut mercatione, aut alio quovis laborioso opere, secundum ritum & consuetudinem patriæ, quam habitat; quam consuetudinem Prælatus illius loci cognoscens non prohibet.*

Decisum Parisiis hac die 5. Octobris an. 1696.

G. *Fromageau*,

S I M O N I A.

SImoniæ nomen ductum est ex Simone Mago, Hæresiarcharum omnium Antesignano, qui cum Samariæ baptizatus esset, ac *vidisset*, ut in Actis Apostolorum legimus, (c) *quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: date & mihi hanc potestatem, ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. Petrus autem dixit ad eum: pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone ista. Cor enim tuum non est rectum coram Deo.* In veteri Testamento criminis hujus insigne exemplum occurrit. Giezi Elisæi Prophetæ famulus lucrum percipere voluit ex miraculo, quod ejus Dominus Naaman Syrum a lepra liberans perpetraverat; ac re quidem ipsa ab eo ingentia munera accepit: sed eum lepra, totamque ejus stirpem incessit.

Servandum est igitur Servatoris præceptum, qui Apostolos suos, quos ad Evangelium disseminandum, atque ad miracula patranda mittebat, ita allocutus est: *Gratis accepistis, gratis date*; (d) nec imitatione digni sunt ii falsi Doctores, de quibus loquitur D. Paulus, qui nempe ad congerendas divitias Religione abutuntur. Haud major injuria Dei verbo & Sacramentis inferri potest, quam si ea in temporalium rerum, pecuniæ pretio æstimabilium numerum pertrahantur, nec magis Ecclesiasticum ministerium deturpari ac despicatui duci potest, quam si ad artis cujusdam ac negotiationis rationem detorqueatur. Est igitur Simonia venditio vel emptio prædicationis, vel administrationis Sacramentorum, ita ut Christiana doctrina, baptismus, peccatorum absolutio, non nisi certo soluto pretio, tradantur. Simonia quoque est, si Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum ordinatio, & quod inde consequitur, Officiorum Ecclesiasticorum, & proventuum ad eadem spectantium, videlicet Beneficiorum collatio vendatur. Nec solum Ordinis ac Beneficii collatio debet esse gratuita, sed ejusmodi quoque sint, oportet, Actus omnes, qui eo referuntur, electio, confirmatio, nominatio, præsentatio, resignatio, examen, data possessio, installatio, Litterarum expeditio. Œconomi munus non nisi ad temporalia spectabat; illud tamen æque ac cætera vendi prohibet Synodus Chalcedonensis. Simoniam quoque esse pronuntiant Canones, si quid exigatur pro docendi permissione, pro receptione in Monasteria, quippe quæ pœnitentiam tantum & Christianam perfectionem propositam habere debeat, pro Ecclesiastica sepultura, Ecclesiarum consecratione, nuptiali benedictione.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 3.
(b) Gerson tract. de precept. Decal. c. 7. de 3. præc. initio.
(c) Act. Apost. cap. 8. v. 18.
(d) Matth. c. 10. v. 8. 1. ad Timoth. c. 6. v. 1.

Uno verbo simonia definitur a D. Thoma, (a) *studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale vel annexum spirituali*; adduntur autem hæc postrema verba, ut nimirum intelligatur Simoniam non in eo solum positam esse, ut ematur vendaturve res mere spiritualis, cjusmodi sunt dona Spiritus Sancti, gratia, virtutes infusæ, Sacramenta, & spiritualia ministeria; sed in eo quoque, ut ematur aut vendatur res addita spirituali, ut Beneficiorum proventus, & jus, quod adest, iisdem fruendi; atque hæc quidem posteriora fere sunt simoniæ objectum, nihil obstante nonnullorum prava subtilitate contendentium satis esse, ut ordinatio gratuita fuerit, ac Beneficii proventum tanquam aliquid temporale æstimari posse; is enim proventus Ecclesiastico Officio semel addictus, non potest peculiaribus conventionibus ab eo sejungi, atque hoc Officium mere spiritale est. Nec satis apte dicitur temporale non tribui pro spirituali tanquam pratium, quo spirituale ematur, quemadmodum fit in omnibus emptionis & venditionis Contractibus, sed solum præberi tanquam id, quo Collator ad Beneficium nobis conferendum moveatur.

Has nempe Propositiones merito proscripsit Innocentius XI. in Decreto dial 2. Martii an. 1679. Prima, (b) quæ ordine 45. est ex iis, quæ in hoc Decreto damnatæ sunt, effertuc his verbis: „ Non est simonia dare temporale pro spirituali, cum temporale non datur tanquam pretium, sed solum tanquam ratio conferendi, aut faciendi rem spiritualem, idemque sentiendum, cum temporale est tantum gratuita compensatio spiritualis, aut spirituale temporalis. Altera porro, nempe 46. ejusmodi est: „ Et id locum habet, etiamsi temporale sit ratio præcipua dandi spirituale, atque adeo etiamsi temporale sit finis rei spiritualis, ita ut illud pluris fiat quam res spiritualis ".

Recentiores quidam Auctores his nixi principiis concluserunt esse propemodum impossibila, ut simonia in praxi committeretur; & celebris Apologia Casuistarum asseruit expressis verbis pag. 61. „ Quicumque re ipsa versaretur in hac animi præparatione (Non ea mihi mens est, ut rem spiritualem temporali æquare unquam velim, aut putem rem temporalem spiritualis rei pretium esse posse) non committeret simoniam adversus divinum Jus, tribuens aliquid temporale in retributionem rei spiritualis, quam percepisset. Addo & illud, pergit hic Auctor, habitualem dispositionem satis impedire, quominus in Simoniæ crimen incidatur. Quod si quis sit, in quo hæc habitualis, seu actualis dispositio nunquam extiterit, quique pro re spirituali pecuniam det, ita ut utriusque valorem æquet, is quidem simoniæ peccatum contra Jus divinum committet, tametsi re vera non cogitet, sit res spiritualis loco mercis, & pecunia pretii loco sit ".

Doctrinam hanc censuria virga notavit Theologica Parisiensis Facultas in hæc verba: „ (c) Propositio hæc, qua Auctor vult, hominem in actuali aut habituali dispositione existentem, ut nunquam rem spiritualem temporali æquare velit, nec putet rem temporalem esse posse pretium rei spiritualis, non committere simoniam contra divinum Jus, *tribuentem*, ut loquitur Auctor, *aliquid temporale in retributionem rei spiritualis*, falsa est, temeraria, scandalosa, omnique adversus divinum Jus simoniæ latissimum campum aperit ".

Gallicani Cleri Congregatio in Fano S. Germani an. 1700. habita has easdem censuras renovavit, damnatis Propositionibus tribus, quarum prima, quæ numero 69. est, his verbis effertur: „ Non pugnat cum justitia, gratis Beneficia Ecclesiastica non conferri, quia Collator pecuniam propterea recipiens, eam non exigit pro collationa Beneficii, sed tanquam pro temporali reditu, quem dare non tenebatur ". Aliæ duæ, nempe 70. & 71. iisdem verbis conceptæ sunt, atque eæ, quas Innocentii XI. Decretum proscripsit. Cleri Congregatio pronuntiat Propositiones has temerarias esse, scandalosas, perniciosas, erroneas, & simplici nominis mutatione, fallaque intentionis directione inducentes hæresim simoniæ in sacris Litteris, a Canonibus & summorum Pontificum Constitutionibus condemnatæ.

D. Carolus in suo primo Mediolanensi Concilio videtur eas omnes subtilitates, versutias, ac technas antevertisse, quas excogitare posset humana cupiditas, ut sibi videretuc ad Beneficium per aliquid temporale citra simoniam pervenire posse, dum sanxit, ne quis Episcopus concederet *forma dignum* ad Beneficium cuipiam, nominato, præsentato, vel electo, nisi antea ab eo jusjurandum, quod sequitur, exegisset: „ Ego N .... præsentatus, vel electus, &c. ad Beneficium N .... juro ad Sancta Evangelia, quæ manibus meis tango, me, ut Beneficium hoc obtinerem, vel ad illud præsentarer, aut nominarer, Collatori, Patrono, vel alii nihil promisisse, aut tradidisse, ac neminem me consentiente, atque adeo sciente, pro me quicqnam dedisse, vel in eum finem promisisse, aut composuisse, aut confirmasse donum, quod jam traditum, aut apud aliquem depositum fuisset. Ego pariter hac occasione nil mutuum dedi, locavi, cessi, quod mihi deberetur quacumque demum ratione. Juro etiam me nec dedisse nec promisisse ullam partem redituum ædium, agrorum, fructuum, decimarum, vel oblationum Beneficii, præteritarum, præsentium, vel futurarum, neque vero me locavisse, aut locaturum promisisse, vel alium consensu meo. Ita me Deus adjuvet, ejusque sancta Evangelia ".

Dividitur Simonia I. in simoniam de Jure divino, & simoniam de Jure tautummodo positivo. Committitur prior, dum datur res temporalis pro alia, quæ suapte natura est spiritualis, cujusmodi sunt Sacramenta, vel quæ spirituali conjuncta est, cujusmodi sunt Beneficia, vasa sacra, & Ecclesiæ ornamenta, dum nempe ob eam causam, quod Altaris servitio sunt destinata, carius venduntur. Posterior Ecclesiasticis tantum Legibus prohibetur, & ea est, in qua, tametsi temporale pro spirituali non detur, fit tamen aliquid, quod, ad id ipsum accedit; ac propterea Religionis gratia actionem hanc tanquam simoniacam vetat Ecclesia. Quod in causa est, ut adsit simonia contra Jus Ecclesiasticum in omnibus hisce casibus; exempli causa in Beneficii permutatione, quam auctoritate propria quis instituit, quamvis spiritale non nisi pro spiritali detur, existit Simonia contra Jus Ecclesiasticum, ut ex Capitibus, *Quæsitum*, & *Cum olim*, *de rerum permutatione* licet intelligi.

Duplex hoc Simoniæ genus rursus & ipsum dividitur in Mentale, Conventionale, & Reale. Simonia

(a) S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1.
(b) Decretum Innoc. XI. dia 2. Martii an. 1679.
(c) Censura Libri Apologiæ Casuistarum per Parisiensem Theologiæ Facultatem die 26. Julii an. 1658.

nia mentalis est, quæ in sola voluntate consistit, nec exterius se prodit, ut si quis Collatori munus offerat ea spe, ut sibi Beneficium impetret, quin tamen id, quod in animo habet, eidem testetur; simonis hæc in interno tantum foro pœnæ obnoxia est. Conventionalis est ea, quæ per pactum expressum aut tacitum se se prodidit, per verba scilicet, aut per aliquod aliud signum, ita ut alter alterius intentionem perspexerit; ac de negotio inter utrumque convenerit, quamvis executio secuta non sit; in hac quidem uterque in foro externo reus est, ac pœnæ obnoxius. Simonia realis est, in qua conventio executionem utrinque sortita est, & ea quidem est cæterarum omnium deterrima. Quicumque in ejusmodi Conventionum partem veniunt, ut Mediatores, Depositarii, vel alia qusvis ratione, Simoniæ crimine obstricti sunt.

Multa sunt contra Jus Ecclesiasticum simoniæ genera, quorum præcipua sunt hæc; I. dum temporalia Officia, quæ non nisi ad Ecclesiasticarum rerum administrationem sunt instituta, venduntur, cujusmodi sunt Munia Officialis, Sacristæ, &c. id quod vetant Canones bene multi, ac singillatim prohibet summus Pontifex Lucius III. qui mandat Episcopis, ne quid accipiant pro Ecclesiastici ministerii exercitio, quemadmodum etiam pro nominandis Vicariis, & pro sancto chrismate conficiendo Alexander III. in generali Lateranensi Concilio eos, qui, ut jurisdictionis Episcopalis jus obtinerent, pecuniam dederint, Officio suo privatos declarat, pronuntiatque ad illud nominandi jure, quo gaudebat, Episcopum cadere. II. Prohibitum est, ne quis Beneficium suum cum alio absque Episcopi auctoritate permutet, ut jam dictum est. III. Non potest, qui Beneficium resignat, quem sibi successorem velit, ei, qui collationis jus obtinet, indigitare, ut proinde non alia mente resignet, quam ut in ejus manus, quem Collatori indicavit, Beneficium conjiciat; id quod vetuit Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Quanta Ecclesia Dei.*

Cum porro simonia in eo sita sit, ut bona spiritualia non gratis dentur, statui proinde potest tria esse munerum genera, quæ nos simoniæ reos efficiunt, cum aliquid spiritale eorum gratia tribuitur: Primum est id, quod Latine dicitur *munus a lingua*; alterum *munus a manu*; tertium *munus ab obsequio*. Quod videre est in Canone, ubi S. Gregorius Pontifex Isaiæ Prophetæ cap. 33. (a) verba proferens: Beatus ille est, qui manus ab omni munere impollutas servat, ait, Prophetam non id unum dicere: Beatus, qui manus servat impollutas a munere, sed ab omni munere; quia nempe est munus manus, quod est pecunia; munus oris, & sunt humana laus, assentationes, preces; & munus servitii, quod omnia servitia seu officia complectitur, quæ præstantur, vel exiguntur, ut aliquid spiritale recipiatur, vel tribuatur. Idem referunt S. Petrus Damianus scribens ad Collegas suos Cardinales Episcopos Papæ suffraganeos, ac (b) D. Thomas, qui eam affert rationem, quod temporale bonum, quod ab alio expectatur, provenit vel ab ejus animo, cujusmodi sunt causa exempli amicitia, laus, & est id, quod appellatur munus a lingua; vel ab ejus corpore, cujusmodi est labor, & opera, idque est, quod nuncupatur *munus ab obsequio*; vel denique ex bonis externis, cujusmodi pecunia est, atque est illud, quod vocatur *munus a manu*, ita ut hoc pecuniæ nomine veniant omnia externa bona, quæcumque in hominis possessionem cadere possunt, ut docet D. Augustinus relatus in Canone *Totum quicquid* 1. *q.* 3.

Graves sunt hujus criminis pœnæ, depositio quoad Clericos, excommunicatio quoad Laicos. Præterea qui eo se obstrinxerunt, nullum inde commodum percipere debent. Quamobrem simoniacas Ordinationes antiqui Canones nullas declararunt; quod id unum significat eas illicitas esse, eosque, qui ita ordinati sunt, nullam functionem obire posse, quin in irregularitatem incidant. Si Actus simoniacus est ipsa Beneficii collatio, ea absolute nulla est, Beneficium remanet vacans, & impetrabile, & possessor Simoniacus ad omnium fructuum restitutionem tenetur; adeoque si quod aliud Beneficium legitime acquisivit, illud amittit, eodemque spoliandus est. Vide super hac re Constitutiones Henrici III. ad Status Blesenses an. 1579. art. 2. & Constitutiones Ludovici XIII. Lutetiæ Parisiorum mense Januario an. 1629.

Vide (BENEFICIUM.
(CONFIDENTIA.

Simonia in Prædii locatione.

CASUS I.

Non licet pro Prædio plus fœnoris tradi, quam producere possit, eo animo, ut a Prædii Domino Beneficium filio obtineatur.

QUÆSITUM.

Sollicitat Vir nobilis Agricolam, ut conducat Prædium suum libris annuis ter mille, nempe quingentis ultra communem æstimationem. Agricolæ non nisi libras bis mille quingentas solvere volenti promittit Vir nobilis, se Beneficium, ad quod nominandi jure gaudet, quodque quam primum vacabit, ejus filio Clericalem statum profitenti collaturam. Hac una spe illectus Agricola conducit Prædium pretio librarum ter mille, Paulo post vacat Beneficium, illudque vir nobilis Agricolæ filio confert.

Lamet Tom. II.

Quæritur, an Vir nobilis, Agricola, ejusque filius omnes & singuli in pœnas adversus Simoniacos inflictas inciderint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Virum Nobilem, & Agricolam simoniæ reus esse, pœnisque omnibus in Simoniacos inflictis subesse; filium quoque iisdem pœnis obnoxium esse, siquidem de Viri nobilis ac Patris conventione cognoverit, & antequam Beneficium consequeretur, in eamdem consenserit. Quod si de negotio ignoravit, neque excommunicationem nec cæteras pœnas subiit; non tamen valet ejus provisio, & ad omnium fructuum, quos de simonia ignorans percepit, si inde ditior evasit, restitutionem tenetur. Si vero omnium, quæ inter Virum nobilem ac patrem intersuere, conventionum particeps fuit, omnes omnino fructus restituere tenetur, eosque Ecclesiæ vel pauperibus tribuere. Denique omnes & singuli ad Romanam Sedem confugiant, necesse est, censurarum, quas per simoniam contraxerint, & irregularitatis filii, qui

pro-

(a) Cap. sunt nonnulli 1. quæst. 1.

(b) S. Thom. in 4. Sent. dist. 25.

propterea se Beneficio, de qoo agitur, retinendo imparem reddit, absolutionem impetratuei.

Decisum in Sorbona hac die . . . .
G. *Fromageau*.

Simonia conventionalis.

CASUS II.

1 *Ea conventio iniri non potest, ut quis Canonicus nominetur ea conditione, ut Capellas duas, quas obtinet, resignet alteri, qui jus habet ad Canonicatum tanquam Graduatus.*
2 *Qui ad Canonicatum nominatus est, eum retinere potest, cum, quo tempore possessionem inivit, conventionem bona fide ignoraverit.*
3 *Capellas alteri tradere nequit, quia ita quidem conventionem probaret.*

QUÆSITUM.

CUm in Ecclesia N. . . . . vacasset Canonicatus, ad Capituli nominationem uno ex iis mensibus, qui in Graduatorum favorem sunt; ex duobus Canonicis, qui de more insinnaverant, haud facile Capitulum eligere potuit. Canonici duo ex Corpore pro suo quisque consanguineo suffragia sollicitarunt; Capitulo ad electionem congregato, plerisque e re visum est, ut nominatio suspenderetur, & ex pura putaque observantia, quin olla adesset obligatio, & Episcopus aliquot leucis dissitus per Delegatum de re tota certior fieret, & electionis arbiter instituereretur, quod nunquam antea factum fuerat.

Deputatus Canonicos pervenit ad Episcopum, quem cum ancipitem videret, veritos cæteroqui, ut se in favorem Petri, unius e Graduatis, sibi & consanguinitate & amicitia conjuncti, & jam Capellas duas obtinentis determinaret, ei dixit, Petrum, si Canonicus eligeretur, utramque Capellam Joanni, Graduatorum alteri resignaturum. His conditionibus, Episcopus, qol nullo jure pollebat, Petrum nominavit, & Canonicum, qui a Joanne stabat, per litteras monuit, se ea tantum conditione prælationem Petro impertitum esse, ut suas ille Capellas duas Joanni concederet. Epistolam viderunt, legerunt que complores; ac Deputatus, cum rediisset, qood in ea continebatur, confirmavit.

Hujus inter Episcopum ac Deputatum conventionis vi, coivit Capitulum, omnesque una voce Canonicatum Petro tribuerunt, uno excepto, qui credidit se ei suffragium suum negare debere, visis in hanc rem Episcopi litteris. Aberat eo tempore Petrus, & nec ipse, nec ullus ejus nomine in conventionis partem venit, ei ne perspecto quidem negotio. In hac ignoratione possessionem inivit, ac solum installationis tempore de re cognovit; statimque conventionem improbans, Capellas Joanni, cui promissæ fuerant, cedere recusavit. Super hac facti specie rogantur Doctores, ut quatuor hisce quæstionibus satisfaciant.

I. An conventio, quam Capituli Delegatus iniit cum Episcopo, Petrum nempe Capellas Joanni daturum, sit simoniaca?

II. An Petrus, qui Canonicatus, ad quem eum Capitulum nominaverat, possessionem suscepit, inscius omnino conventionis, quam exequi noluit, dictum Canonicatum tuta conscientia retinere possit?

III. Facta hypothesi conventionem simoniæ labe pollutam fuisse, teneturne Petrus Beneficium abdicare, an vero ad Romanam Sedem redintegrationis obtinendæ gratia confugere? Quibus tandem verbis supplicationem efferre debet, Beneficio sex mensium spatio potitus, cum de re omni audivisset momento ipso installationis, quæ postridie ab inita possessione peracta est?

IV. Facta hypothesi ab omni simonia conventionem vacare, teneturne ille Capellas suas Joanni concedere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet;

Quoad quæstionem primam, exstitisse simoniam in conventione Canonici Deputati cum Episcopo, & Episcopi eum iis ex Canonicis, qui conventionem perspectam habuerunt, & Petrum propterea elegerunt, quia in re Beneficiaria quælibet conventiones sunt simoniacæ.

Quoad secundam, licere Petto Canonicatum sibi retinere, quia, cum possessionem susciperet, quid inter Canonicum Deputatum & Episcopum actum esset, bona fide ignoravit, & quia renuit Capellas cedere, cum de conventione cognovit, quod sane est ejus bonæ fidei, ac rectitudinis argumentum. Ut id intelligatur, sciendum est, simoniam, de qua agitur, conventionalem tantum esse; & quamvis compluriom Theologorum & Canonistarum sententia, ut simoniaca & nulla reddatur electio, satis sit Beneficium, apposita conditione, datum fuisse, etiamsi conditio executioni mandata non fuerit; alii tamen Theologi contra sentiunt, inquit Pyrrhingus, eorumque sententia eo tutior in praxi est, quoad cum Romanæ Curiæ stylo congruit; *Contrarium tamen, quod ut collatio Beneficii per simoniam facta ipso jure sit irrita, copulative requiratur, & traditio Beneficii, & datio vel solutio pecuniæ, vel alterius rei temporalis pro spirituali; adeoque ut ex utraque parte sit completa, docet, &c. Quæ sententia, quicquid sit de jure, in praxi* secura est, *quia ita servatur secundum stylum Curiæ Romanæ, ut testantur DD.*

Quoad tertiam, tutius quidem fore, ad Romanam Curiam mitti, ut Petrus redintegretur, non videri tamen id omnino necessarium esse.

Quoad quartam, Petrum non debere in Joannis gratiam se Capellis suis abdicare, quia ita simoniacam conventionem, eo inscio, stipulatam probaret, in ejusque partem ex post facto veniret, scandalum pareret, atque adeo electioni, qua Capitulum Canonicatum sibi contulit, derogaret.

Decisum Parisiis die 16. Augusti an. 1700.
G. *Fromageau*.

Simonia Parochiæ obtinendæ gratia.

CASUS III.

Decisiones graves super simonia, quæ singulares circumstantias conjunctas habuit.

QUÆSITUM.

I. CAthedralis Ecclesiæ capitulum constans ex triginta Canonicis jamdudum gaudebat jure præsentationis ad triginta Parochias, quorum singulas singulis Canonicatibus adnexerat, ita tamen ut Capitulum, si qua Parochia vacasset, eam traderet Canonico, cujus Beneficio conjuncta erat; ut tanquam Titularis, non autem tanquam Patronus posset Canonicus ille eam resignans sibi in ipsa pensionem retinere.

II. Cum mos hic obtineret, Ecclesiasticus, unius ex ejusmodi Parochiis possessor occubuit, quin resignaret. Nulla interjecta mora, quidam eam ex Canonico, ad quem devenire debebat, petendam curavit; ille vero patris fidem obstrinxit, eam se ejus filio resignaturum, postquam sibi a Capitulo traditam ipse anni spatio possedisset.

Anno ad finem vergente, edixit Canonicus se sibi velle Beneficium simplex, cujus reditus, deductis oneribus, sexaginta librarum esset, & tercentarum triginta librarum pensionem super eadem Parochia, cujus reditum mille ducentarum librarum esse testabatur, quamvis non nisi septingentas quinquaginta libras reipsa referat.

III. Cum is, cui Parochia petebatur, nullum Beneficium simplex obtineret, id consilii datum est patri, ut de suis bonis Præstimoniam fundaret, eamque subderet præsentationi Capituli, quod eam conferret ei, cum Parochiam destinaret, ut ille capax esset permutandi eum Canonico, qui eam posside-

ſidebat. Sed cum inibi res eſſet, ut concluderetur, detectum eſt filio nondum annorum viginti quinque ætatem eſſe, ſed tres quatuorve menſes deſiderari; cum propoſitum eſſet, ut ætatis diſpenſatio peteretur, Canonicus aſſentiri noluit, quod timeret, ne diſpenſatio ante anni ſui finem obtineretur; id etiam propoſitum fuit, ut fratri majori natu reſignaretur; ſed cum ei Clericalis ſtatus ſuſcipiendi intentio non eſſet, negotium infectum manſit, patre, filio, & conſanguineis declarantibus ſe nec ſimoniam, nec confidentiam, nec ullam illicitam conventionem velle; cum porro pater Præſtimoniæ creationi aſſenſus eſt, id eo fecit, quod Doctor ejus loci clariſſimus eum certum reddidit, in ea nihil eſſe, quod conſcientiam turbaret. Denique hic ætatis defectus omnia utrinque conſilia diſſolvit.

IV. Cum quidam ea in Urbe Parochus de re cognoviſſet, qui patris aut filii nec conſanguineus quidem, nec amicus eſſet, ſed tamen doleret, quod Adoleſcens Beneficium non obtineret, proximo eorum conſanguineo, quem convenerat, ſignificavit, ſi curari libuiſſet, ut ipſe ad Præſtimoniam a Capitulo nominaretur, eam ſe cum dicta Parochia permutaturum, prorſuſque facturum, prout probum hominem deceret, ut Adoleſcens voti compos evaderet; id porro, ut quidem ſe res habebant, ab omni culpa vacare. Aſſenſere Adoleſcentis conſanguinei, acquieſcentes ejus Parochi bonæ fidei, & qui eum ſatis doctrina valere crederent, ut, an id liceret nec ne, judicaret. Id vero eo magis ipſi ſibi perſuaſerunt, quod alius Parochus, qui doctus ac prudens habebatur, fidenter aſſereret ita fieri licere, ac ſi minus id prior Parochus feceerat, ſe quidem ipſum id facere dubitaturum non fuiſſe, quovis Eccleſiaſtico jus obtinente Beneficia ea recipiendi, quorum Laici capaces non fuerint. Porro Adoleſcens, qui ad Philoſophiæ ſtudia incumbebat, negotium omne ſuis integrum relinquebat, neque ad eas collationes appellabatur, niſi cum eo opus eſſet, ut nempe Acta ſignaret. Eo quoque tempore Jus Canonicum neſciebat, ſatis habens pronuntiare, ſe nihil contra conſcientiam facere velle.

Ergo quod Parochus erga Adoleſcentem tam bene animatus offerebat, acceptatum eſt. Inſtituit e ſuis bonis pater annuarum librarum 60. Præſtimoniam, quam eidem Parocho Capitulum contulit.

V. Hac expeditione ad exitum perducta, Parochiam cum Præſtimonia Canonicus permutavit, retenta tercentorum triginta librarum penſione. Atque ita quidem ſe res habuerunt trium menſium ſpatio, quo pater ſolvit Presbytero, permutatæ Parochiæ deſervienti, per dictum Parochum, qui ipſe deſervienti Presbytero ſatisfaciebat. Meſſis tempore nihil hic Parochus pro trimeſtri eo ſpatio ſumere voluit.

VI. Nec illud omittendum, Parochiæ Incolas ante permutationem Canonicum perſecutos cauſa nemoris, quod contra regulas ille ſecuerat. Coegit Canonicus Adoleſcentis patrem promittere ſe vexationem auctoritate ſua regreſſurum, aperte pronuntians ſe conventionem ea tantum conditione ſtipulari.

VII. Quo tempore Parochus hic ejus Parochiæ Titularis erat, Adoleſcens Subdiaconatum & Diaconatum ſuſcepit. Canonicus nihil ulterius inquirendum putavit; ipſe votorum damnatus erat, eique perinde erat, ſive is, cui Parochiam reſignaverat, eam ſibi retineret, ſive Adoleſcenti tribueret.

VIII. Antequam ea, de quibus hactenus, peragerentur, Canonici Domeſticis promiſit pater ſe iis non nihil pecuniæ largiturum, ut ipſorum operam compenſaret; & ſane iis per filium largitus eſt, cum is pacificam poſſeſſionem obtinuiſſet.

IX. Cum ille Sacerdotio initiatus eſſet, ex eo, qui Canonici Parochiam ſuſceperat, quæſitum eſt, an eam adoleſcenti reſignare vellet, quod ipſe ſtatim præſtitit abſque ulla peculiari ſtipulatione, ſed iiſdem, quibus eam ſuſceperat, conditionibus; animadverſione dignum eſt, eum pro Romanæ Curiæ expeditionibus nihil ſolviſſe, ſed patrem impenſis prorſus omnibus ſatisfeciſſe. Ita quidem junior Eccleſiaſticus Parochiæ poſſeſſor evaſit.

X. Quinquennio poſt haud ſe ſatis in conſcientia tutum putans, conſilium ſuper his omnibus capitibus efflagitavit; itaque reſponſum fuit; „ Urbanum Parochum, qui confidentiam commiſit, in „ ſimonia Epiſcopo reſervata verſari.

„ Patrem ſimoniæ reum eſſe, facta hypotheſi eum „ non ignoraſſe Conventionem illam permiſſam non „ eſſe, cum ætatem ad Sacerdotium requiſitam non„ dum filius attigiſſet.

„ Neutrum ad reſtitutionem teneri.

„ Canonicum ſimoniæ labe pollutum eſſe, quod „ Beneficium ſuſceperit ex Parochia, quæ ab ipſius „ præſentatione penderet, & cui deſerviendi nun„ quam intentionem habuerit.

„ Juniorem Eccleſiaſticum cenſeri de Beneficio „ animarum curam habente recte proviſum, nulla„ que cenſura aut ſimonia irretitum eſſe, quia con„ fidentia, ſi qua in eo fuit, involuntaria potius „ quam ex ejus conſenſu eſt.

XI. Poſt octavum poſſeſſionis annum Parochus hic in mortis periculo conſtitutus fratri Eccleſiaſtico reſignavit, nullam ſibi penſionem reſervans, nec de ea verbum faciens, animo retinendi Beneficii, ſi convaluiſſet, quod & contigit; itaque, nullis dictis, Proviſiones retinuit.

XII. Cum modo allata deciſio Abdoleſcenti ſatis eſſe non videretur, ut ejus animum tranquillaret, cumque ſubortæ deinde res novam conſultationem requirerent, acceſſit ille ad Sorbonæ Doctores; quæritque in præſentia, quomodo ſe habeant eorum omnium conſcientiæ, qui eorum, quæ ſunt expoſita, participes extiterunt; Ille quidem deciſionem Doctorum trium nomine ſubſcriptam optaret, ut intelligeret, an non Præſtimoniæ creatio ſimoniaca fuerit, atque an non in hoc omni negotio, quo factum eſt, ut ad Parochiam, quam poſſidet, perveniret, ipſe Canonici Juris Leges ulla ratione violaverit, & ſe recte proviſum credere poſſit? Ei neceſſaria eſt deciſio hæc, ut hominum multis reſpondeat, qui ipſum accuſant, quod contra Eccleſiæ regulas in Beneficium, quo fruitur, irrepſerit.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod propoſitam facti ſpeciem vidit, & expendit, exiſtimat, Conventionem inter Canonicum, Adoleſcentis Patrem, & Parochum, cui Beneficium ſuum Canonicus reſignavit, initam ſimoniacam eſſe. I. Quia cum Præſtimonia eo tantum animo a Patre fundata fuerit, ut eam Canonico traderet, & conditioni, quam petebat, ſatisfaceret, fundatio hæc pugnat cum Juris ſanctione contenta in cap. *Tua nos de ſimonia*, ubi ejuſmodi Conventiones prohibentur, præter generalem regulam, quæ traditur in *tit. de Pactis C. Pactiones, ac c. Tua nos*, ubi hæc habentur: *Ejuſmodi oblatio fieri non poterit ſine vitio ſimoniæ, cum in talibus omnis pactio aut conventio ceſſare debeat juxta Canonicas Sanctiones.*

Hujus principii vi ſimoniaca eſt etiam alia poſtulata conditio, ſine qua Canonicus Parochiam non reſignaſſet, ut nempe Adoleſcentis pater vexationem, qua ille ob lignorum amputationem impetebatur, cohiberet. Tertio loco confidentia, quæ in hac Coventione reperitur, nullo demum prætextu tegi poteſt; ut proinde certum ſit Canonicum & Parochum, cui Benaficium reſignatum fuit, ut in Adoleſcentis manus perveniret, in pœnas omnes contra Confidentiarios inflictas incidiſſe, quæ ſunt Excommunicatio, irregularitas, Officii, ſeu Beneficii, ac penſionis privatio, a quibus pœnis Epiſcopus eos abſolvere, ac liberare non poteſt, ut conſtat ex Bullis *Intolerabilis* Pii V. & Paſtoralis Sixti V. Itaque omnes & ſinguli ad Romanam Sedem confugiant, neceſſe eſt; & Canonicus quidem id, quod ex Præſtimonia, atque adeo quod ex tercentarum triginta librarum penſione percepit, utpote poſſeſſor injuſtus, legitimoque titulo deſtitutus reſtituere tenetur; hæc autem reſtitutio in Pauperum vel Eccleſiæ bonum facienda eſt; debetque ille Præſtimoniam dimittere vel in manu Collatoris, vel in manu Pontificis, a quo novas proviſiones petere poterit, quas, ut veroſimile ſit, obtinebit; id quod non ita ſperare poſſet ex Collatore ordinario, qui forraſſe in poſſeſſionis conceſſione ei minus faveret.

Nec facile pater ab excommunicatione eximi poteſt,

test, qoia nou est vero simile cum de monopolio, in qood se contra Ecclesiæ regulas conjiciebat, ignoravisse, cum sibi tnt indirectis modis opus esse intelligeret, ut votorum soorum damnaretur. Et sane ignotarine potest negotium, quod tam cate ac subdole celatum est, minime permissum fuisse? Videtor profecto pater in id incnbuisse, ut te ipse obcæcaret; si tamen ille ignotavit, atque adeo ne dubitavit quidem id vetitum esse, ut proinde egerit bona fide, Ecclesiæ censuras non snbiit.

Porro juniotis Parocbi titulus nullus est, quoniam cum non obtinuit nisi resignatione, quæ fuit executio coofidentiæ, quæ quidem tam evidenter apparet tum ex Urbani Parochi verbis, tum ex ratione, qua post impetratum Beneficium se gessit, nil ex Parocbiæ bonis decerpens, & ex patris tantum pecunia iis snlvens, qui ei deserviebant. Nec tempus huoc defectum tegere potest, etiamsi constaret, adolescentem de patris Conventione penitus ignorasse, ex Juris regula, qnæ occurrit in *C. Nobis fuit, extra, de simonia, Quamvis*, inqnit Cœlestinus III. Pontifex, *ipse promissionis conscius non fuerit, ejus tamen electio, tanqaam simoniaca pravitate præsumpta, est penitus reprobanda*, & in Bulla Pii IV. *Romanum Pontificem*, §. 5. ut etiam in Bullis Pii V. & Sixti V. quæ ejusmodi Provisiones infirmant & abrogant. Junior autem Parochus se a censuris exemptum credere nec potest, nec debet, si factum non ignoravit; Juris quippe ignorantia tutum non reddit, sed solum facti, in qua qnidem, spectatis omnibus peculiatibus circumstantiis, de qnibus supra, ut ille versatus fuerit, difficile fieri potest. Si ergo de re cognovit, rationi consonum est, ut ad Romanam Sedem confugiat, & irregulatitatis, quam subiit, absolutionem ac redintegrationem expostulet; tenetur ille, quicquid ex Beneficio percepit, restituere, tom quod in proprinm usum convertit, tum quo ditior evasit; at si factum vere ignoravit, si patris cum Canonico & Urbano Parocho conveotiones eumdem latuere, st denique Beneficii proventus bona fide percepit, non debet id restituere, quod consumpserit, sed id solum, quo locupletior evaserit. Nihilominus ut omnibus incommodis occurratur, par est eum ad Romanam Curiam accedere, ingenue rem, ut se habuit, exponere, Provisionem cum fructuum fruitione petere, atqne adeo dubitationes, qnibus agitatus fuit, declarare, nt io Superioris anctoritate conquiescat.

Decisum die 10. Septembris an. 1676.
Ang. *De Lamet*.

Simonia in Fundatione.

CASUS IV.

Ecclesiasticæ regulæ Fundationes omnes conditionatas tanquam simoniacas rejiciunt.

QUÆSITUM.

Cathedralis Ecclesiæ Pœnitentiarios, qui pariter Canooicus est, cum Canonicatum resignaverit, optaret ille quidem sibi reservare jus io Capitulum ingrediendi titulo Dignitatis, dicendæ ibidem seotentiæ, per orbem ad Canonicalia domicilia deveniendi, atque adeo nominandi, ac præsentandi ad Beneficia, quæ ad Capituli collationem spectant; exhibet ille oblationem, pro cujus intelligeotia notaodum est, sciendumque; I. Tercentis circiter ab hinc annis Episcopum a Pontifice Bullam obtinuisse, ut in Ecclesia sna iostitueret Pœnitentiarium, cujus subsistentiam in Episcopalium proveatuum portioue fundavit; & Capitulo consentiente, statutum fnit, ut Pœnitentiarias deferret Canonicales habitus, & divinis Officiis interesse posset, quin distributionum particeps foret.

II. Neminem unquam Pœnitentiarium in Capitulo installatum fuisse; immo vero, ut ex Capitularibus Actis apparet, Pœnitentiariam Officium tantum esse, non Beneficium.

III. Pœnitentiarium, cum Caoonicus est, in Capitulum ingredi, io dignitatum ordine sibi sedem sumere, iisdemqne, qnibus illæ, prætogativis gaudere.

IV. Cnm ergo Pœnitentiarii Resignatarins inibi sit, ut Præbendæ possessionem ineat, Pœnitentiarius, ut ea conmoda sibi servet, proponit se fundaturum Pœnitentiariæ distributiones cæterarum Dignitatum distributionibus pates, ejus subsistentia ex Episcopalium reditnum portiooe majorum fructuum locum tenente; in eumque fioem offert Capitulo nnmeratæ pecuniæ sommam fœnori dandam, cuius annuus census tum sibi tum Snccessoribus Pœoiteotiariæ distributiooes constituat.

Super hac facti specie quætitur, an Capitolnm possit Pœnitentiario concedere juta, quæ petit, ot nempe in Capitulum ingrediatur, ibique ante Canonicos omnes sedeat, activa voce, & ad Canonicales per orbem domos jure gaodeat? Et quod majoris quoque momenti est, nominare possit ad Beneficia, quorum pleraque aoimarum curam adjunctam habent?

Parisiensis Facultatis Doctores, qui consnlentur, rogantur bumillime, ut decisionem suam ad hujus Libelli supplicis calcem apponant, ac, siquidem ipsis placuerit, eamdem subscribant.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui allatam Expositionem viderunt, existimant, Capitulnm Pœnitentiarii propositionem acceptare non debere, qoia ejusmodi Conventio vitiosa esset ac simoniaca ex *Cap. Tua noi de Simonia*, ac re quidem ipsa Pœnitentiarium id postulare, ut Canonicus declaratur, sibique tribuatur jus Præbendæ, cujus reditum id esse contendit, qnod Officii Pœnitentiarii Fundationem constituit, cui ob distributiones fundum addit, institutioni hoic eam conditionem apponens, nt ipse ejus Titolaris sit; ut proinde Officium hoc re vera Beneficium futurum sit prorsus alia omnia, quibus certa ac definita in Capitulo sedes est. Itaque in ejusmodi consilio occurret ea facti species, quæ ab Innocentio III. in Capite modo landato, ubi de eo loquitur Pontifex, qui Præbendam fundare volebat, ea lege, ut sibi ipsi conferretur. En ejus verba: *Qaod si quis Clericus cum conditione vel pacto largiatur, aut offerat bona saa, ut illa postmodam pro Præbenda retineat, & in Canonicum admittatur, hujusmodi oblatio aut receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ.* Porto in dubium revocari non potest, quin Pœnitentiarius Canonicus fiat, quoniam proventum, ac jura omnia, quæ Canonicatum comitantur, vi sui Tituli consequeretur. Si ergo Ecclesiasticæ regulæ ejnsmodi Fundationes tanquam simoniacas rejiciunt, hæc sane ex earum numero est, ut clarius etiam ex aliis, quæ subsequuntur, ejusdem Capitis verbis licet intelligi: *Se vero pure ac sine pacto vel conditione qualibet, offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua liceat retinere pro Præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesiæ pure consentiant, hujusmodi receptio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ pravitatis. Licet autem taliter duximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare, si tamen is, qui talem donationem facit, ea intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittant, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri: sine dubio tam ille quam isti apud districtum Judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.* Eæ porro spirituales res, de quibus Pontifex verba facit, quid aliud demum sunt, nisi novus Canonici titulus, atque omnia, quæ ab eo pendent, juta, qualia sunt præsentationis ad Beneficia, electionum, collationum, quæ quidem ille obtineret, cujus Fundatio reciperetur? Canonici vero, qni eadem ipsi concederent, in idem quoque vitium inciderent ex iis verbis: *sine dubio tam ille, quam isti apud districtum Judicem culpabiles judicantur.*

Decisum Parisiis die 21. Jaouarii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Simo-

Simonia in Fundatione.

CASUS V.

Prælatus Abbatia instructus, in qua Ecclesia, Claustrum, & Dormitorium, & quidem ita, ut decet, existunt, non potest ibidem Monialium Communitatem conditionibus in Expositione declaratis, quæ Conventionem simoniacam efficerent, instituere.

QUÆSITUM.

QUidam in Dignitate constitutus Abbatiam a Rege obtinuit, ut alteri Beneficio uniretur. Sunt in hac Abbatia Ecclesia pulcherrima, Claustrum, Dormitorium, ac Regularia loca ad Monialium Communitatis institutionem maxime accommodata. Ei quidem pergratum foret divinum servitium redintegrari in hac Abbatia, quæ ejusdem est Ordinis ac Monialium Communitas, in quam ille conjecit oculos, ut hæc loca divino servitio sacra & dicata ei dono det, in quibus, conjunctis animis ac vocibus, Dei laudes canantur. Abbatiam hanc Viri ab origine possidebant, ejusque proventus sex mille vel circiter librarum erat; sed quoniam ejus longinquitas, ædiumque Ecclesiæ contiguarum pravus status impediunt, ne in Æde ipsa Villicum statuat, optaret proinde ille, ut prædia conducerent Moniales, ipsæque sibi fœnus redderent, vel bonis in ejusdem generis alia permutatis, vel annuo solnto censu; & annuente Rege, contractum ederent, quo promitterent se annuis libris mille ex hoc tempore permutare, seque, cum primum possent, daturas fundos alios eorum loco, qui ab hac Religiosa Domo pendent, in qua tamen hoc tempore conventualitas nulla est.

Id porro utrinque utile foret; primo quidem quoad Abbatem, qui nec Cappellani sustentationi, nec ædificiorum reparationibus obnoxius esset, & pecuniam perciperet, quin longa itinera, quæ proventuum majorem partem absumunt, instituere cogeretur. Esset id etiam Monialibus utile, quoniam adest satis apta clausura, haud magnas illæ cæteroquin impensas facerent, & facile Abbatiæ reditus exigi posset; quod si iis præsto est collocanda pecunia, eam quidem in meliorem usum conferre nequeunt, seu permutatione, seu aliter.

Quæritur ex utraque parte, an id executioni mandari possit, in quo tantum Dei gloria, ejusque cultus ab annis multis in hac Ecclesia intermissi augmentatio spectatur?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod expositia vidit, existimat, id, quod proponitur, omnino reiciendum esse; ejus ædis traditionem allatis conditionibus stipulatam simoniacam fore; neque vero de Conventionis bonitate ac justitia ex Prælati vel Monialium temporali commodo judicandum esse, bene vero ex regulis, quæ non sinunt ejusmodi negotiationes institui, vel in Abbatiam Moniales induci, ut divini servitii onus deponatur, & in Moniales ipsas, de quibus agitur, rejiciatur; id unum licere, Prælatum nempe Dei cultum majore cum dignitate propagare cupientem bonis hisce Monialibus pure & simpliciter ea loca tradere, quin se ipsum servitio, ad quod tenetur, exoneret, ut in Conventione conditiones ponat, quæ ejus temporale commodum spectent, eamque redderent simoniacam.

Decisum Parisiis die 5. Aprilis an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Simonia in Parochiæ collatione cum tacita muneris conditione.

CASUS VI.

Parochus non ignorans Collatorit, a quo Beneficium accipiebat, eam mentem esse, ut ipse sibi munus tribueret, ei se munus daturum citra simoniam significare non potuit. Si id non nisi postea cognovit, non minus cavere debet, ne quid muneris ejusmodi Collatori præbeat, ne scilicet ejus simoniacæ intentionis particeps fiat.

QUÆSITUM.

PArochus Beneficium recepit a Viro nobili, qui ejus Laicus Patronus erat, absque ulla pactione; quæritur, in grati animi argumentum possitne munus offerre huic eidem Viro nobili, qui ei hoc tantum animo Parochiam contulit, quamvis hac de re inter ipsos conventio aut propositio nulla fuerit? Tutane conscientia potest alter munus dare, & alter accipere?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, credi non posse, prout quidem expositum est, Viri nobilis spem adeo in ejus animo delituisse, ut nec eam ullo exteriore signo patefecerit, nec Sacerdoti, quem ad Parochiam nominavit, omnino significaverit se aliquid ab ipso expectare; quo sane casu Parochus hic ejus intentioni tacite consensisse videretur, præsertim si ita cum eo se gessisset, ut satis ostenderet se erga ipsum, prout optabat, grati hominis officio non defuturum, nempe se munus aliquod ei largiturum. In hac facti specie Simonia realis existeret, & ambo Juris pœnas subiissent. At si Patroni laici intentio & spes non nisi mentales fuere; nec ullo actu, ex quo is, qui Beneficium accepit, de re cognoscere potuerit, se prodiderunt; Parochus ei nihil tribuere debet, quia secus simoniacæ Viri nobilis intentioni faveret, ejusque peccati particeps fieret.

Decisum in Sorbona . . . .
G. *Fromageau*.

Simonia in Capellæ fundatione.

CASUS VII.

Qui Capellam fundaret, vel ad ejus fundationem conferret, ea conditione, ut ipse primus in ejus Titularem nominaretur, Simoniæ se crimine obstringeret, & in Simoniacorum censuras aliasque pœnas incideret.

QUÆSITUM.

MArgarita vidua suis bonis cedens in filiorum gratiam significat iis verbo tenus eam sibi mentem esse, ut prædium, quod possidet, in id conferant, ut pro se, pro viro, pro ejus patre ac matre, ac pro ipsis Deo preces offerantur.

Pascherius filiorum unus, & Parochus, fratrum consensu, & Prædium, & matris voluntatem executioni mandandam sibi sumit. Porro ante Contractum cum fratribus initum Pascherius Capellam in patrimonii sui fundo extruendam curaverat, eo animo, ut in ea, cum benedicta esset, Sacrum fieret. Sed cum Episcopus loci eam gratiam concedere noluisset, nisi fundata & dotata Capella esset, prædium, de quo dictum est, in id Pascherius impendit, declaravitque se eam fundationem instituere, ut matris ultimam voluntatem, & Contractum inter fratres ac se initum exequeretur, ea lege, ut Capellanus, qui ejus omnium consanguineorum primus erit, certum Missarum numerum quotannis celebret, nominandus a Parocho loci, ubi extructa Capella est, a morte dicti Pascherii Fundatoris, qui primi Capellani nominationem sibi reservat, promittens statim post dictæ Capellæ benedictionem se vel per se vel per alium dictam fundationem, quoad vixerit, executurum, cum autem e vita excesserit, futurum, ut eamdem exequatur Capellanus, nominandus, ut dictum est, a loci Parocho, facta hypothesi neminem a Fundatore, dum in vivis esset, nominatum fuisse; atque in hunc quidem modum instituta fundatio est.

Con-

Contractu hoc ita inito atque insinuato, Episcopus, cum ei ob Capellæ benedictionem oblata esset supplicatio, mandat, ut super dictæ Capellæ statu, situ, decentia fundorumque ad ejus fundationem traditorum proventu a suo Magno Vicario verbalis sententia feratur, quam cum ille tulisset, & omnia rite ac recte se habere comperisset, denegat Episcopus dictæ Capellæ benedictionem, nisi ea in Beneficium erecta fuerit.

Rebus in eo statu versantibus, Pascherio difficultas objicitur, nempe fore, ut, si Capella in Beneficium erigatur, eam ipse possidere non possit, quia ejus Fundator est, eique opponitur decisio Domini *de Sainte Beuve*, quæ occurrit in Tomo secundo, Casu 40. propositione ultima, ubi declaratur, eum, qui Beneficium fundaverat, & ad illud se nominandum curaverat, & Ecclesiasticum virum, qui ejusmodi fundationem adprobaverat, suaque auctoritate firmaverat, in pœnas contra Simoniacos decretas incidisse juxta sanctionem Canonis *Tua nos de simonia*; additurque præterea necesse esse, ut Fundator censurarum absolutionem obtineat, & Beneficium dimittat.

Respondet Pascherius, se, cum Capella, de qua agitur, in Beneficium erecta foret, eam posse citra simoniam possidere, quia non versatur in casu decisionis Domini *de Sainte Beuve*, seu Canonis, *Tua nos de Simonia*. Eam porro rationem offert, quod ipse non e propriis, sed e matris bonis Capellam fundat. Verum ut animo prorsus tranquillo sit, ex Sorbonæ Doctoribus quærit, an ex Episcopi voluntate consentiens, ut in Beneficium Capella erigatur, citra simoniam se ad eamdem Capellam nominandum curare, & ejus oneribus ipse per se, vel per alium satisfacere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut occurrat expositæ quæstioni, censet,

Pascherium, siquidem assentiri nollet in Beneficium Capellam erigi, nisi ea conditione, ut ipse primus ejus Titularis esset, simoniam patraturum, & in casum Capitis, *Tua nos de Simonia* lapsurum esse, quia per illud Prædium, quod huic Beneficio fundi loco esse debet, ille rem temporalem tribueret, ut Spiritualem, Capellam videlicet, de qua quæritur, obtineret.

Præterea Pascherius inficiari non potest in ejusmodi Fundatione pactum existere; jam vero pactum quodlibet in re Beneficiaria prohibitum est & simoniacum ex decisione Capitis, *Tua nos*: *Hujusmodi oblatio vel receptio fieri non poterit sine vitio Simoniæ, cum in talibus omnis pactio aut conventio cessare debeat, juxta Canonicas sanctiones*.

Frustra porro dicitur Pascherius Capellam non ex suis, sed ex matris bonis fundare; satis enim est, eum Executoris titulo aliquid temporale ea conditione tribuere, ut id, quod Spiritale est, sibi conferatur.

Decisum hac die 8. Julii an. 1698.
G. *Fromageau*.

Simonia in Dignitatum ambitu, in quo emuntur suffragia.

CASUS VIII.

1 *Ecclesiastica dignitas prehensatione affectari tuta conscientia non potest.*
2 *Simoniacum est Electorum vota emi vel pecunia, vel Beneficiorum seu Pensionum pollicitationibus.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut quæstiones sequentes definiant.

I. Potestne tuta conscientia ambiri Dignitas Ecclesiastica, cui Imperium conjunctum est?

II. Possuntne emi Electorum vota in gratiam temporalis auctoritatis, quæ eidem Dignitati adnexa est?

III. Possuntne promitti Pensiones, Beneficia, vel aliquod aliud temporale commodum?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet malum esse officia ac dignitates vel temporales, quæ non vulgares qualitates requirant, ambitu peti, & malum hoc ipsum esse Societatibus maxime periculosum, non modo propter dissidia, quæ fere secum affert, sed etiam quia, corruptis prehensatione animis, virtuti ac meritis omnem aditum intercludit. Hoc porro malum tum est gravius, cum spiritualis dignitas temporali annexa est, quia Ecclesiæ menti magis repugnat ambitio. Nullo non tempore SS. Patres stilum in eos exacuerunt, qui prehensione atque ambitione Dignitates obtinere voluissent, & innumeri occurrunt in Jure textus, qui ejusmodi electiones proscribunt.

D. Bernardus identidem in adeo pravum ac perniciosum abusum invehitur, & Equites Hierosolymis recens institutos commendat magnopere, quod in Ministris ad officia ac dignitates eligendis, *persona*, inquit, *apud eos minime accipitur; defertur meliori, non nobiliori*. Extant verba hæc *Tom.* 1. *cap.* 4. cohortationis ad Equites Templarios.

Ad malum hoc scilicet avertendum, quod sanctissimas quasque Societates evertere potest, in bene multis Religiosis Ordinibus, aliisque Conventibus id moris obtinet, ut, qui iis nomen dant, jurare jubeantur, se nunquam directe, seu sibi seu aliis Dignitates ibidem institutas ambitu quæsituros.

Ad quæstionem secundo loco propositam respondetur, electionem ad summam Dignitatem, cui Spiritualis auctoritas adjuncta est, simoniacam esse, cum Electorum vota captantur, emunturque; quia cum spiritualis Dignitas a temporali Imperio sejungi nequeat, proprie spiritualis res emitur, & tunc quidem electio nulla est; prout definivit Chalcedonense Concilium Canone secundo, qui refertur *Caus.* 1. *q.* 3. *Cap. si quis Episcopus*, & confirmatur *ibid. Cap. Salvator*, & *Cap. Consalere*. Clemens VIII. enucleate suam hac in re mentem aperit in Constitutione 60. *Cap. Nullus* §. 22. ubi electiones omnes ambitus vitio laborantes nullas declarat, statuitque, ut quicumque ejusmodi malis artibus ad aliquod officium electi fuerint, eodem priventur, eosque aliis muneribus in posterum obtinendis ineptos pronuntiat, nisi antea a Sancta Sede absolutione ac dispensatione donati fuerint. Constitutionem hanc confirmavit alia Urbani VIII. Constitutio an. 1624. *Cap. Sacra Congregatio* a. 28. quæ quidem electionem simoniæ labe pollutam vehementius condemnat.

Respondetur ad quæstionem tertiam, simoniæ reum esse, quisquis Beneficia, Pensiones, vel aliquid tale promittit, ut ad Dignitatem Ecclesiasticam eligatur; id quippe citra pactum fieri nequit; quodvis autem pactum in hac facti specie a Canonibus improbatur; *v. de pact. Cap. Tua nos, de Simon.*

Decisum hac die 24. Novembris an. 1696.
G. *Fromageau*.

Simonia in promissione solvendi æris alieni, quo Beneficiatus obstrictus est, ut ejus Beneficium obtineatur.

CASUS IX.

Simoniæ reus est, qui Beneficiati æs alienum & bona mobilia se soluturum promittit, ut ad ejus Beneficium nominetur.

QUÆSITUM.

Petrus Religiosus in familia, cui multa annexa sunt Beneficia, quæ Religiosis Presbyteris a Priore magno Vicario Abbatis *ad hoc*, habita ratione temporis, conferuntur, cum animadverteret non paucos juniores Presbyteros ea Beneficia resignatione obtinere, timuit, ne diu suo jure temporis privaretur, sibique oblatam occasionem haud censuit respuendam. Religiosus Beneficiatus ei proposuit

posuit se in ejus favorem abdicaturum, eique currentis anni reditum, & omnia sua bona mobilia cessurum, ea conditione, ut ille sibi libras octingentas soluturum promitteret, nempe sexcentas pro anni decimis, & ducentas pro bonis mobilibus, idque omnino, ut ipsius alienum æs solveretur, nihilque amplius ab eo peteretus, etiamsi summa ulienum æs non æquaret. In hunc quidem modum confecta res est. Abdicavit Beneficiatus, & Petrus a Priore & a Communitate ad Beneficium nominatus fuit. Qua in re quæritur, an in hac Conventione extiterit simonia, & an Petri Superior ei conditioni, quam ille sibi imposuit, ut nempe Antecessoris sui æs alienum dissolveret, assentiri potuerit?

RESPONSIO.

Consilium subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Conventionem, de qua agitur, simoniacam esse, & Superioris permissionem æque ac Communitatis consensum a simonia eum, qui ita ad Beneficium irrepsit, eximere non potuisse. Ratio est, quia nec Prior nec Conventus efficere non potuerunt, ut Beneficium vacaret. Penes Titularem erat illud retinere, vel abdicare; atque ita jus, quo Petrus ad illud gaudet, a Præcessoris sui dimissione originem trahit. Jam vero indubitatum est, æris alieni solvendi promissionem dimissioni præivisse, & præcipuam causam fuisse, quamobrem Titularis in Petri favorem renuntiaret. Porro certum & constans principium est, quamlibet conditionem resignationi aut dimissioni appositam in causa esse, ut resignatio seu dimissio sit simoniaca. Vide *caput Cum pridem pactiones &c. Tua nos de simonia*, ubi Innocentius III. rem aperte decidit in hæc verba: Declaramus Pietati tuæ, si Clericus Ecclesiæ sua bona obtulerit, cum pacto & conditione, ut erigatur inde Præbenda, quæ ipsi conferatur, ejusmodi pactum Simoniacum esse, omnem in ejusmodi negotiis pactionem & conditionem SS. Canonibus prohibentibus.

Decisum in Sorbona hac die 22. Novembris an. 1680.

Aug. *De Lamet*.

Simonia in receptione habituatorum Ecclesiæ.

CASUS X.

1 *Non potest Capitulum citra simoniam ore tenus promittere, se inter Ecclesiæ suæ habituates, seu privilegiatos recepturam eos, qui ad ejusdem Ecclesiæ instaurationem dederint scuta centum.*

2 *Qui ea jam dederunt, ut iis commodis fruerentur, ii quoque simoniæ rei sunt.*

QUÆSITUM.

ECclesiæ Sancti N . . . Capitulum ab Episcopi Diœcesani jurisdictione exemptum, ut haberet, quo Ecclesiæ reparationes conficeret, declaravit ore tenus se relaturum in incorporatorum & habituatorum album eorum filios, qui Fabricæ scuta centum dedissent, eosdemque filios iisdem proventibus, distributionibus, privilegiis, & juribus fruituros, quibus ejus Ecclesiæ habituati cæteri fruerentur.

Hujus Declarationis gratia, non pauci Ecclesiæ Fabricæ scuta centum dederunt, ea tantum conventione, quæ allata est, pronuntiantes præterea id unum sibi propositum esse, ut bonorum, quæ sibi Deus tribuisset, eam Ecclesiam participem facerent. Nihilominus filios suos Capitulo præsentarunt, quod fidem præstitit, iis in habituatorum album relatis. Sed quia eorum aliqui Tonsura initiati non erant, Episcopo se præsentarunt, qui verbalem Capituli promissionem non ignorans censuit conventionem eam, quamvis verbalem, simoniacam esse, eosdemque pueros in aliud tempus remisit.

Quæritur ex Sorbonæ Doctoribus, an ejusmodi conventio sit simoniaca, cum non nisi verbalis sit, & in Ecclesiæ favorem inita; quæ indiget reparationibus, quibus alioquin difficillime satis fundi inveniri posset?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, Capitulum Ecclesiæ Sancti N. independens ab Episcopi jurisdictione non potuisse juxta regulas declarare verbo tenus, haud magis quam scripto se inter Ecclesiæ suæ incorporatos, & habituatos recepturum eorum filios, qui Fabricæ scuta centum largiti essent, ut ita fundus Ecclesiæ reparationibus idoneus institueretus. Hanc agendi rationem Simoniacam esse, tum quoad Capitulum, tum quoad eos, qui scuta centum præbuerunt, ut filiis suis id, quod Capitulum promiserat, obtinerent, quamvis in donationis Actu rationem aliam, quam quæ eos permovebat, in medium attulerint. Deum non iis, quæ apparent, se continere, sed cor intueri; cumque ex ejusmodi parentum consilio reipsa constet eos nihil aliud quæsivisse, quam ut filii sui ejus Ecclesiæ Habituatorum privilegiis, juribus, distributionibus, & reditibus fruerentur, pro certo proinde atque indubitato habendum esse, eos, & Capitulum, quod promissa fecit, oblato pretio ac summa scutorum centum, se simoniæ crimine polluisse. Episcopo satis gravem rationem præsto fuisse, quamobrem pueris sibi præsentatis, ut eorum, quæ dicta sunt, capaces evaderent, Tonsuram negaret. Pecuniam traditam restituendam esse, ut in pia opera conferatur. Eos, qui recepti jam sunt, haud valide receptos esse; atque adeo nullis ejus Ecclesiæ privilegiis, & commodis tuta conscientia gaudere posse; quicquid etiam ab ipsis perceptum esset, restituendum fore. Quod si eæ sedes essent Beneficia, ejusmodi simoniam pœnis contra Simoniacos indictis obnoxiam fore, nisi eos bona fides in tuto poneret, quod tamen ægre, prout quidem est expositum, credi potest, tum quoad Capitulum, quod consilium suum celatum voluit, tum quoad parentes, qui in donationibus suis causas ab iis longe alias, quibus ad scuta centum eroganda ducerentur, in medium protulerunt. Non tamen placere Doctoribus, rem ex ejusmodi rationibus definiri, cum suum esse quidem putent dicere, quod sentiunt, ut ii, de quibus agitur, id, quod res est, ipsi secum in animo reputent.

Decisum Parisiis die 16. Junii an. 1682.

Aug. *de Lamet*.

Simonia, cujus suspicio quidem adest; non autem probatio.

CASUS XI.

1 *Licet, mandante quidem Episcopo, permutari cum Parocho, qui empti Beneficii suspicione laborat, sed ejus tamen criminis convictus non est.*

2 *Instituenda est permutatio hac in Romana Curia, exponenda Pontifici simoniæ suspiciones, quæ præsto sunt, isque rogandus, ut provisioni Clausulam*, quovis modo vacet, *apponat.*

QUÆSITUM.

DUo ejusdem Diœcesis Parochi mutuo permutare volunt; Superiores hanc permutationem & cupiunt, & jubent. Sed Parochorum alter haud se facilem præbet, propterea quod alterum de empta Parochia publicus rumor accusat, quamvis id Judiei probari nequeat.

Quæritur ergo, an tuta conscientia possit iniri permutatio cum homine, in quem simoniæ suspiciones adeo violentæ præsto sunt, & quem absque Canonico titulo Parochum esse præsumi potest: *Quod enim ab initio non fuit, non potest tractu temporis convalescere.* Hæc autem simoniæ suspicio gravior inde majorque fit, quod publice notorium est, eum, qui Presbytero, de quo agitur, Beneficium resignavit, aliis bene multis illud vendere voluisse; eumdemque, cum illud resignasset, a Romana Sede petisse

tisse Breve, quo a Simonia, quam nempe resignans commiserat, absolveretur. Animadvertendum, Superioribus id maxime in votis esse, ut Beneficium, de quo agitur, adimant Parocho, a quo illud emptum esse suspicio est, persuasum habentibus eum nunquam in eo cum Fidelium sibi concreditorum fructu versaturum, quis inter eos ejusmodi suspicio percrebuit; porro locus ille eo est longe frequentior, quo ipsum transferri lubet, & illinc abest leucis octo. In posteriore autem Parochia nullus Dominus, nulli Viri nobiles, nullus Vicarius; estque ea proinde Presbytero, qui male audiat, & quem latere deceat, admodum accommodata, & in ea creditur ipse suo muneri satisfacturus.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, permutationem nullam esse, cum Permutantium alter Beneficium suum per Simoniæ crimen obtinuit; ita sentit Azorius *2. p. l. 7. q. 19.* Ratio est, quis qui permutat, rem, quæ ad se pertineat, aut ad quam jus habeat, tribuere censetur. Cum porro Superior, qui permutationem acceptat, non simpliciter ac libere, sed permutationis gratia conferat Beneficium, si pars altera ad suum Beneficium nil juris habeat ob simoniam, quam, ut illud consequeretur, admisit, ejus Beneficii conferendi voluntas in Superiore ipso nulla esse censetur: *Superior causa permutationis Beneficium conferens, non simpliciter & libere Beneficium confert; ergo cum permutatio est irrita & inanis, non habet voluntatem conferendi.* Pyrrhingus idem tradit *l. 3. tit. 19. §. 3. n. 14. de rer. permut.* *Nam si unus eorum nihil habeat juris in Beneficio, quod permutat, quia per simoniam, vel alias sine vero titulo illud obtinuit, irrita est permutatio. Nemo enim potest permutare cum alio nisi rem suam, vel in qua jus habet: ac proinde alter permutans redire potest ad Beneficium, cum non absolute renunciavit, sed ob emissam permutationem, quæ secuta non est.* Id ipsum tanquam certum in Jure ponitur *Cap. 6. Cum venerabilis de except. Cum permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quam cum Domino, vel cum eo, qui habebatur loco Domini, legitime valeat celebrari.*

Hoc posito, respondetur, si certum sit, Parochum suspectum simoniæ crimine Beneficium obtinuisse, nec supplicem accessisse, ut in integrum restitueretur, permutationem nullam fore. Jam vero in Expositione, simoniæ quidem suspiciones, atque adeo præsumptiones satis graves ac vehementes allatæ sunt; sed explorati tamen ac prorsus certi nihil producitur. Quocirca Parochus, quem super hoc articulo scrupulus tangit, potest tranquillo animo esse, ac permutare, proprio Episcopo, cui id, quo angitur, explicuerit, permutationem præcipiente. Sed permutatio quidem in Romana Curia instituenda est, & quo tutius negotium transigatur, monendus Pontifex de præsumptionibus simoniæ, quæ hac in re occurrunt, & de timore, qui subest, ne permutatio nulla fiat; rogandus denique idem Pontifex, ut huic defectui, aliisque, quicumque demum existere possent, remedium afferat, addens provisioni solemnem clausulam: *aut alio quovis modo vacet*; ut proinde Pontifex Beneficiorum titulum auctoritate sua Compermutantibus tribuat, si forte non ipsis auctoritas ex permutatione suppeteret. Fit nempe verosimillimum, ejusmodi clausulam, quæ fere ponitur in provisionibus ad resignationes *in favorem*, ideo poni, ut resignati Beneficii titulus Resignatario certus reddatur, facta hypothesi eum cæteroquin ex resignatione certum non esse; idemque statuendum in permutationis negotio. Flaminius Parisius de ea clausula, *quovis modo vacet*, verba faciens *l. 8. c. 7. q. 7. n. 64. de resign.* ita pronuntiat: *Hujusmodi clausula poterit Resignatarius consequi Beneficium, non solum ex vacatione expressa per resignationem, sed etiam ex vacatione per obitum, per contractum matrimonii, ingressum Religionis* &c. Consuli potest Guimenius in Pragmaticam *Tit. de Causis §. Item quod Monasteria.*

Et sane, ut monet Aloisius Riccius *2. p. Resol. 128.* Permutatio est quædam resignationis species, qua, qui permutat, in Superioris manu Beneficium dimittit, & in alterum transferendum curat ea conditione, quam Superior acceptat: *Ex quo sequitur, quod hæc dispositio loquens in resignatione includit in se resignationem ex causa permutationis, quia permutatio est vera resignatio.*

Si hæc permutatio peragitur, Episcopus invigilare potissimum debet, ut Parochus, in quem simoniæ suspicio cadit, in minuta Parochia, ad quam gradum faciet, non desit officio suo, malo ibidem exemplo non sit, atque ita se gerat, ut ex ejus administratione major ibi, quam in Parochia, quam antea possidebat, fructus existat.

Decisum hac die 19. Octobris an. 1701.
G. *Fromageau.*

Simonia in Ecclesiæ venditione vitanda.

C A S U S XII.

1 *Canonici citra simoniam possunt Ecclesiam ad se spectantem, sibique prorsus inutilem vendere Seminario, quod & ea opus habet, & prout omnino decet, uti vult.*
2 *Conditiones, quæ, ut hæc venditio legitima, & innoxia reddatur, sunt necessariæ.*

QUÆSITUM.

SEminarium Ecclesiam, qua caret, emere vult a Canonicorum ejusdem loci Capitulo, cui ea necessaria non est. Seminario in hac emptione propositus est Dei cultus, proposita item est divini Officii, sanctorumque Mysteriorum celebratio. Rogantur ergo Doctores, ut definiant, an ejusmodi emptio permissa sit, & regulas in ea servandas declarent.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Seminarii, de quo quæstio est, Ecclesiasticos posse ea, quæ exposita est, ratione cum ejusdem loci Canonicis stipulari, quia in ejusmodi Conventione nihil occurrit, quod suapte natura malum sit, vel Canonibus adversetur.

I. Ecclesia, ratione situs ac loci, in quo extructa est, spectari potest tanquam Calix & ornamentum ratione materiæ. Ecclesiæ quippe consecratio seu benedictio, quæ locum, in quo illa constructa est, aut cementa, ex quibus coalescit, in spiritalem usum accommodat, valorem, quem obtinebant, eisdem non adimit; & ut generatim loquamur, destinatio, quam instituit Ecclesia rei temporalis in usum spiritualem est destinatio consequenter, ut Theologi dicunt, instituta, quæ rei temporalis naturam omnino non mutat, & quod inde consequitur, quemadmodum ante eam destinationem æstimari ac vendi poterat, potest & post, ad id quod attinet, quod in ea materiale est; dummodo, ut docet S. Thomas *2. 2. q. 100. art. 4. ad 1.* quoad ordinem, quem ad spiritualia habet, non æstimetur. *Temporalia vendere licet, sed ordo eorum ad spiritualia sub venditione cadere non potest.* Uno verbo ex communi sententia, & ex peculiari D. Thomæ *in 4. dist. 25. art. 2. ad 1.* Ecclesiasticus potest ei Calicem vendere, qui eum emere vult, ut eodem ad sanctæ Missæ celebrationem utatur, quia Calicis materies est pretio æstimabilis, & id præcedit, quod in Calice spirituale est, videlicet usum, ad quem destinatus est. Eadem est ejus loci ratio, in quo Ecclesia constructa est, & cementorum, quæ ejus constructionem componunt; hæc nimirum præcedunt Ecclesiæ consecrationem aut benedictionem, quæ licet spiritualis hoc tamen loco non nisi accessorium quid est, & Ecclesiæ materiale supponit.

Nititur hæc disputatio Doctorum complurium auctoritate. D. Thomas *in 4. dist. 25. art. 2. ad 2.* ita pronuntiat: *Cœmeterium vendi potest ratione terræ in necessitate Ecclesiæ, sicut & Calix ratione materiæ.* Sylvester *v. Simonia q. 12.* idem docet. S. Antoninus *2. p. tit. 1. c. 5. q. 23.* ait res consecratas, ut vasa, ornamenta &c. vendi posse *ratione materiæ, referendo intentionem ad temporale, non ad spirituale, vendi*

di possunt Ecclesiis in eadem forma: sed laico vendi non potest Calix nisi confractus præmissa oratione.

II. Non solum in Conventione, de qua sermo est, nihil occurrit, quod ipsum per se malum sit, sed nihil est etiam, quod Canonibus adversetur; posset enim ea non esse in se mala, & ab Ecclesia tamen prohiberi. Jam vero nullus est Canon, qui expresse prohibeat, ne in casu, de quo agitur, Ecclesia vendatur; quicumque proferri possunt, aut vetant, ne Ecclesia, ejusque proventus contra ordinem formasque vendantur, eujusmodi est *Cap.* Querelam; vel prohibent, ne vendatur Ecclesiæ constructio, prout aliquid continet spiritule, ut si pluris venderetur, quia Ecclesia est; quod aperte foret simoniacum. Omnium gravissimum specie tenus in hoc negotio est *Cap. Si quis objecerit*, 12. 7. Sed dum hoc in Capire ponitur tanquam certum Ecclesiam vendi non posse, Ecclesiæ vocabulum hoc loco Beneficium significat; ita sentiunt Glossa, & Suarez *l. 4. de Sim. c. 14. nn. 13. 23.*

Ex his omnibus sequitur, Ecclesiasticos Seminarii, de quo quæritur, stipulationem, de qua dictum est, inire posse, si tamen ponantur tria; I. proprie dictam necessitatem esse emendæ ejus Ecclesiæ, & ejusdem vendendæ, quod attinet ad Canonicos. II. Ne dum Ecclesiæ solum & cementa æstimantur, ideo majus statuatur eorum pretium, quia Ecclesia est. Immo vero videtur ea minoris propterea æstimanda, quia non nisi ad peculiarem ac certum usum accommodari potest; III. ut Superioris auctoritas in hac Conventione interveniat.

Decisum in Sorbona hac die 22. Decembris an. 1692.

G. *Fromageau.*

Simonia in conventione ad jus patronatus obtinendum proposita.

C A S U S XIII.

1 *Consanguineus Fundatoris Capellæ citra simoniam ejus reditus augere non potest, ea conditione, ut qui ad eam nominandi jus obtinent, ejus patronatum ipsi concedant.*

2 *Id ei quidem Episcopus concede potest, sed satius est a Pontifice id obtineri, omnibus negotii circumstantiis ei distinctim expositis.*

QUÆSITUM.

Ecclesiasticus Capellam in Parochiali Ecclesia fundavit, ea conditione, ut nominandi jus ad se, & ad eos e suis hæredibus pertineret, qui ei cognomines fuissent; iis autem deficientibus, præsentatio ad Parochum & Æedituos rediret. Extinctum est nomen nunc temporis; ut proinde, cum primum Vacatio contigerit nominandi jus sit penes Parochum Æedituosque. Quidam ex familia, non eodem tamen nomine jus hoc adipisci volens offert Parocho & Curatoribus, si in sui favorem juri renuntiaverint, libras annuas centum & decem, e quibus 40. tribuantur Capellano, qui Missam per hebdomadam plusquam antea celebrare teneatur, quod autem supererit, ad Parochiam ac Fabricam spectet, ut ita jus, quo ii spoliabuntur, quodammodo compensetur.

Sunt non latet id privata auctoritate fieri non posse, quia cum jus patronatus rei spirituali annexum sit, simoniæ crimen committeretur, sed quæritur, utrum propterea Superior immediatus, an vero Pontifex adiri possit? Dubitandi præcipua ratio ea est, quod quamvis dotatio satis justa causa sit, ut patronatus ei, qui eamdem instituit, concedatur; cum tamen id evenit, Beneficii Titularis, non autem Patronus datis bonis gaudere debet. Porro in hac facti specie Capellanus augmentationis commodum non ipse solus percipiet, sed Parochus & Fabrica, jure, quod obtinent, abdicato, in ejusdem commodi partem venient. Datæ sunt ad Romanam Curiam litteræ, ut intelligeretur, an Pontifex ejusmodi Conventionem firmare vellet; responsumque est, ita sane, eoque potissimum, quod patronatus adhuc est mere laicus, nec hactenus ad Parochum atque Administratores devenit.

Quia porro nil suscipi habet, quod omnino conscientiam lædat, ac vel minima suspicione laboret; quæritur, utrum propterea ad immediatum Superiorem, an ad Pontificem confugi possit; & facta hypothesi Pontificem id concedere, quæritur, an conscientia prorsus tuta futura sit?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet; consanguineum, qui est e Fundatoris familia, Conventionem in Expositione declaratum citra simoniam stipulare non posse, cum Parocho & Parochiæ Custodibus, ad quos devolutum est jus patronatus, ea lege, ut in ipsius favorem eidem renuntient. Quin enim hoc loco necesse sit, ad simoniam quod attinet, Laicum inter & Ecclesiasticum patronatum distingui; jus ad Beneficium nominandi spirituale jus est, quod proinde erogata pecunia transferri nequit, ut monet Fevretus de abusu l. 4. c. 9. n. 4. quia nempe patronatus emeretur, id quod tanquam simoniacum Jure Canonico prohibetur, *cap. Quæsitam de rerum permutatione*, & contractus nullus est *Cap. de jure, de jure patronat. Cum inconveniens sit vendi jus patronatus, quod est spirituali annexum, contractum illam irritam* esse decernimus. Tridentina Synodus *Sess. 25. c. 9. de R. form.* eos, qui jus patronatus vendiderint, excommunicatos, & jure ipso privatos declarat: *Nec dictum jus patronatus venditionis, aut alio quocumque titulo, in alios contra Canonicas sanctiones transferre præsumant; si secus fecerint, excommunicationis & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto jure patronatus ipso jure privati existant.* Et sane cum jus patronatus, de quo hic agitur, sit personalis, qui pecuniam daret, ut ii, ad quos pertinet, ei renuntiarent, eumdemque sibi proprium faceret, non alia de causa ita se gereret, nisi quia Beneficii conferendi jus obtinere vellet; jam vero jus hoc est aliquid vere spiritale, & proinde hac ratione citra simoniam acquiri non potest. Qua in re non omittendum hanc simoniæ speciem non esse spectandam tanquam juris Ecclesiastici tantum, Canonibusque contrariam, sed eam, ut verisimillimum sit, divini juris simoniam esse, quæ nulla potestate firmari possit. Ita sentit Bonacina *de Simon. disp. 1. q. 4. §. 11. n. 3. Imo*, inquit, *probabilissimum mihi videtur committi etiam simoniam juris divini vendendo jus patronatus, habita ratione ipsius juris.* Quamobrem non videtur in ea dispensatio locum habere, quamvis laicus tantum esset patronatus; quia semper id nihil est aliud, quam emi jus dandi rem spiritualem, & jus hoc non minus est spiritale, quam ipsa res, juxta illud in scholis tritum: *Potentia specificatur ab objecto.*

Ut malum hoc evitetur, oportet, ut qui Capellum augere vult, Parochum, & Æedituos adeat, iisque testetur se de hoc patronatus jure cum ipsis agere nolle, quia id tuta conscientia facere non posset; tum vero proponat Episcopo se velle Capellam a consanguineo fundatam augere libris centum decem, quarum quadraginta Capellano, quod autem superest, Fabricæ & Parocho ceder. Re ita inita sine pacto cum Parocho & Ecclesiæ Curatoribus, Episcopus, iis quidem consentientibus, huic Fundatoris consanguineo jus ad Capellam præsentandi tribuere poterit. Neque vero in Ecclesia novum & inusitatum est ei jus patronatus concedi, qui Fundationem auget. Tridentina Synodus loco jam appellato consuetudinem hanc supponit: *similiter quoque patronatus quicumque in Ecclesiis quibuscumque aliis Beneficiis acquisitis, seu ex augmento dotis, seu nova constructione, vel alia simili de causa* &c. Sæpe numero Conventiones, quæ vitiosæ essent, si pactum adesset, non amplius ejusmodi sunt, si nulla pactio intercesserit.

Id vero, quod in Expositione objicitur, movere omnino non debet; nempe dum Fundatio instituitur, eam Titulari, non Patrono utilem esse debere; neque enim necesse est Fundationem omnem, quam late patet, ad Titularem spectare, sed ejus

par-

partem ab ipso percipi satis est. Cæterum qui Beneficium augere vult, Parochum & Curatores tanquam Patronos non spectat, cum ejusmodi nondum sint, quodque ipse iis tribuit, non patronatus pretium est, sed eleemosyna. Ad rem autem magis magisque in tuto ponendam, negotii totius confirmatio a Romana Curia peti posset, universis ac singulis circumstantiis in Libello supplici expositis; idque ob id etiam, ut nempe, quicquid in hoc negotio fortasse vitiosum, & Ecclesiæ regularum puritati contrarium foret, a summo Pontifice purgaretur.

Decisum hac die 25. Julii an. 1693.
G. *Fromageau*.

Simonia in resignatione cum pensione.

CASUS XIV.

Omnes resignationes cum pensione, quæ ex Beneficio resignato minime percipitur, sunt simoniacæ.

QUÆSITUM.

QUæstio est de Monialium Abbatia, quam Abbatissa resignare in animo habet. Abbatiæ id tantum proventus est, quod ad alendas Moniales est opus, & Abbatissa resignans non vult pensionem, quam sibi reservat, Monasterio onerosam esse; sciendum, an hic primus articulus conscientiæ legibus consonus, & a simonia prorsus alienus sit?

Abbatiæ pecuniam offert Resignataria, ea conditione, ut Moniales recipiant se Abbatissæ resignanti pensionem, quam postulat, soluturas, & summam ad propriæ familiæ bonum custodituras, vel fœnori, quoad Abbatissa resignans vixerit, sibi solvendo daturas, amissa sorte; pensio autem in Brevi ac Bullis aderit. Hic porro secundus articulus estne in foro conscientiæ permissus? estne exemptus a Simonia?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent super articulo primo proposito, resignationem, prout in Expositione effertur, institui non posse, quia ex Ecclesiæ consuetudine, ut ex omnibus Canonici Juris Auctoribus constat, in resignationis casu non potest institui pensio, quæ ex Beneficii bonis non ducatus. Vide Navarrum *in summa c.* 23. *n.* 3. *Consil.* 63. *de Simonia*, Prosperum Fagnanum *de rescript. ad c. Ad audientiam* 2. *n.* 48. *&* 49. Pyrrhum Corradum *Dispensat. Apostolicar. c.* 7. *n.* 19. Super altero autem articulo putat Conventionem hanc simoniacam fore; nempe pro pecunia Beneficium daretur, ac proinde simoniæ crimen admitteretur.

Decisum Parisiis hac die 18. Aprilis an. 1674.
A. *de Lamet*.

Simonia conventionalis non consummata.

CASUS XV.

Cum simoniatæ resignationis conditiones in Romana Curia firmatæ non sunt, is, qui ita resignavit, in excommunicationem non incidit.

QUÆSITUM.

PEtrus, cui quantum adest simplicitatis, tantum doctrinæ deest, Capellam possidet, cujus annuus reditus viginti quinque circiter aut triginta librarum est. Rogatus ab amico, ut eam resignet Adolescenti, cui Tituli loco sit, quamvis eo ipse redita ad trahendam vitam indigeat, ut sibi tamen amicum devinciat, eam non sine viginti librarum pensione resignat. Cum etiam egestate prematur, de multis annuis in antecessum solvendis convenitur, & ante resignationem libræ triginta sex eidem traduntur; promittit adolescens se perfecturum, ut in Romana Curia resignatio probetur; sed aut quod eam ipse non miserit, aut quod Pontifex eamdem respuerit, negotium hæsit; & adolescens quidem percepit Capellæ reditus, Petrus vero ex biennio non nisi triginta sex libras obtinuit. In hac facti specie quæritur, an Petrus, qui cum Viris egit, quos satis mente valere, ut, an non omnino recta Conventio esset, cognoscerent, & probitatis satis habere credidit, ut nihil contra conscientiæ regulas facerent, simoniæ reus sit? Ac deinde celebrans an in irregularitatem inciderit? An resignationem, quod in Romana Curia recepta non fuerit, revocare, sibique rursus Capellam vindicare possit? Uno verbo quid agere debeat, ut propriam conscientiam in tuto ponat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, simoniam in casu proposito contineri. Quamvis enim Petrus simplicior, ut vix ullo mentis acumine præditus esse dicatur, nihil est tamen, cur in foro externo innocens præsumatur; quia semper id quem scire, aut scire debere supponitur, quod ad ejus officium spectat. Nihilominus Petrus non est pœnis contra simoniacos institutis obnoxius, quia simonia, quam patravit, conventionalis tantum est, nec omnino, scilicet ex utroque parte completa. Ratio est, quia semper ille Capellæ Titularis verus ac proprie dictus permansit, atque ita spiritalem rem pro pensione re ipsa non tribuit. Voluit ille quidem sua ad resignandum procuratione Beneficium abdicare; re tamen ipsa non abdicavit, quoniam ejusmodi procuratio effectum suum sortita non fuit; cum enim resignatio admissa non fuerint, Capellæ suæ titulum ipsa retinuit.

Non ergo in excommunicationem, qua simoniaci plectuntur in Jure, Petrus incidit. In Extravagantibus 1. & 2. *Sane, & Cum detestabile, de sim.* excommunicantur *tam dantes quam accipientes*; sed id accipiendum, *cum effectu*. Ad pœnam enim tam gravem, cujusmodi excommunicatio est Pontifici reservata, delictum actuale, & quod effectu non careat, requiritur. Jam nulla excommunicatio in Petrum extitit, consequens profecto fit, eum irregularem non evasisse, quod sanctum Missæ Sacrificium, Conventione inita, celebraverit.

Tenetur Petrus procurationis ad resignandum revocationem edere, & Adolescenti, quod ab ipso percepit, restituere, vel cum iis compensare, quæ ille ex Capella recepit.

Decisum hac die 12. Augusti an. 1694.
G. *Fromageau*.

Simonia in conditionibus, quas exigunt Collatores.

CASUS XVI.

1 *Capitula Beneficiorum, ad quæ nominant, proventuum partem tuta conscientia retinere non possunt.*
2 *Parochos ad Horas Canonicas ipsorum loco canendas adigere nequeunt.*
3 *Qui Beneficia his conditionibus conferunt, suscipiuntve, pœnas subeant, quas Jus in Simoniacos pronuntiat.*

QUÆSITUM.

ROgatur Dominus *Fromageau* Sorbonæ Doctor, ut quæstiones sequentes decidat.

I. Capitulum potestne Parochias vel alia Beneficia conferre, & redituum partem sibi retinere?

II. Qui acceptant hæc Beneficia, possuntne Canonicis horis Canonicorum loco canendis se subdere, admodum tenui distributione recepta, eo prætextu, quod Parochiarum, quas suscipiunt, fortuitus seu Casualis proventus exæquat integram retributionem, quæ Cantoribus tribueretur?

III. Qui cum ejusmodi conditionibus dant, accipiuntque, an non pœnas subeunt in Confidentiarios & Simoniacos statutas?

Re-

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet;

Quoad quæstionem primam; Capitulo non licere Parochiam vel alia Beneficia conferre, sibi reservata proventuum parte; aut enim id fit non sine præsentati consensu; & hoc in casu adest simonia in Jure damnata *c. fin. & c. 1. q. 3. & c. cum detestabile extrav. de sim.* ubi mandatur, ut Beneficia gratis dentur; vel capitulum propria id auctoritate facit, & tunc agit contra regulam vulgo receptam, cujus etiam titulus extat in Jure: *Beneficia sine diminutione conferantur.*

Tridentina Synodus *Sess. 24. c. 14. de Reform.* statuit, ut pœnis contra Simoniacos in Jure decretis puniantur, quicumque in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ex Capituli legibus aut ex prava consuetudine proventuum partem exigunt ex Beneficio, ad quod jus obtinent electionis, præsentationis, institutionis, &c. Si quod exigunt, iis bono sit. Diserta sunt & expressa Synodi verba.

Quoad secundam; Præsentatos simoniæ reos fore, si Beneficia, de quibus quæritur, acceptantes id sibi legis imponerent, ut Canonicas horas Canonicorum loco canerent, exigua retributione percepta, ut nempe ad casuales Parochiarum suarum fructus jus obtinerent, quia cum jus hoc Parochiis annexum sit, acceptatio cum ea conditione eo demum referretur, ut res pretio æstimabilis, labor nimirum in Canonicis Horis canendis positus pro re spirituali, videlicet pro Parochia tribueretur; id autem est simoniacum.

Frustra porro ajunt Cononici excusationis loco, retributione, quam præbent, quamvis modica, cum Parochiæ, ad quam præsentant, fortuito proventu conjuncta integram retributionem, quæ Cantoribus tribueretur, æquari, atque ita ejusmodi Parochis nullam injuriam inferri; Canonici enim Parochiæ, quam tribuunt, casuales fructus applicandi facultatem non obtinent, quia ad eos spectant, qui eidem deserviunt, ut nempe in eorum retributionem, qui pro ipsis canunt, conferantur. Hac nimirum de causa dictum est supra Canonicos, dum Parochiam, aliudve Beneficium cum ea conditione conferunt, simoniæ se crimine obstringere, & contra Jus agere, quod jubet, ut Beneficia sine diminutione conferantur, videlicet quin ex annexis juribus aut reditibus aliquid decerpatur.

Quoad tertiam; Parochiarum aliorumve Beneficiorum cum declaratis conditionibus præsentationem nullam esse; Præsentato res porro singillatim excommunicatos esse, perinde ac præsentatus Extravaganti Pauli II. *Cum detestabile de Sim.* Capitulum autem de quo agitur, Patronatus jure privandum est, quod eo abusum fuerit, & contra Canonum simoniam prohibentium rationem illud impenderit. Præsentati sunt inhabiles possidendis in posterum Beneficiis, ad quæ nominati fuerint, nisi Superior Ecclesiasticus, ad quos pertinet, eos absolverit, & Beneficiis aptos reddiderit.

Decisum hac die 18. Februarii an. 1696.
G. *Fromageau.*

Simonia mentalis.

C A S U S XVII.

Ecclesiasticus, qui per annos omnino sex filiorum Viri nobilis Præceptor fuit sibique Beneficium compensationis loco obtinendum proposuit, est coram Deo simoniacus; se Beneficio abdicare, vel novas provisiones, & censurarum, quas subiit, absolutionem obtinere debet.

QUÆSITUM.

Apud Virum nobilem complurium Beneficiorum Patronum Præceptoris officium suscepit Ecclesiasticus, eo animo, ut ob præstitam filiis operam ex iisdem Beneficiis unum consequeretur. Elapso sexennio ei Vir nobilis significavit se quidam ejus

labores filiorum suorum gratia susceptos, sibique exhibita officia compensare velle; adeoque ad pinguem Parochiam tum forte vacantem eum nominavit. Animadversione dignum est, Ecclesiasticum hunc probe scivisse Virum nobilem nihil stipendii tribuere, ac non nisi collatis Beneficiis compensare consuevisse; ut proinde stipendium, si forte ille obtulisset, respuere paratus esset, ne scilicet id noceret obtinendi Beneficii consilio, quod sibi proposuerat, tametsi non mediocres impensas facere coactus fuerit, ut per id omne tempus suæ dignitati consuleret. Quæ nunc enodanda occurrit difficultas, in eo est posita, utrum ille Beneficium abdicare, an vero canonicam ejus provisionem obtinere debeat? Contendit ipse nullum vel explicitum vel implicitum pactum intercessisse, atque ita Beneficii consecutionem, quamvis illicita fuerit, invalidam tamen non esse, niti turque Capite, *Mandatur, extra de Simonia.* Æstius, Sylvius, P. Alexander Dominicanus, P. Juveninus ex Oratorii Congregatione, & Boudart sentiunt eum *teneri ad renunciandum Beneficio*, & D. Thomas eamdem sententiam tueri videtur, dum inquit 2. 2. *q.* 100. *art. 6. Et ideo qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest.*

Responsio.

Theologiæ Doctores subscripti, qui præsentem Expositionem viderunt, non attingunt eam controversiam, an qui Beneficium per simoniam mentalem obtinuit, naturali aut divino Jure illud abdicare teneatur, ut nonnulli contendunt; sed sentiunt inter Virum nobilem & Ecclesiasticum, ut ex proposita specie licet intelligi, pactum implicitum extitisse, quamvis ad expositionis calcem nullum pactum fuisse dicatur. Neque enim semper necesse est externo sermone uti, ut animi sensa patefiant, præsertim cum unum idemque negotium personis duabus utile est; tunc enim inter eas facile convenit pacto tacito, & nullis dictis.

In Viri nobilis pacto notantur tria; I. Imponit ille Ecclesiastico longum gravemque laborem in filiorum educatione, quæ sex annorum spatio perdurat. II. Nullam mercedem tribuit. III. Ita est animo comparatus, ut ejusmodi servitium non alia ratione, quam Beneficiorum collatione compenset; & hæc quidem ejus animi præparatio Ecclesiastico ipsi perspecta est.

Quod attinet ad Ecclesiasticum, exhibet ille labores & curas, ea potissimum mente, ut Beneficium obtineat; multum expendit, ut se in Viri nobilis domo sustentet; nullam mercedem petit; atque adeo eo est animo, ut nil mercedis, quamvis sibi offeratur, accipiat, ne forte id obtinendi Beneficii consilio, quod suscepit, officiat.

Hi dum homines re quidem ipsa non colloquuntur, atque ita nullum explicitum pactum ineunt; sed eorum internæ dispositiones mutuo innotescunt, aguntque ambo ita animo comparati; quod maxime sufficit ad pactum saltem implicitum constituendum, concludendumque, Ecclesiasticum hunc, dum ita Beneficium obtinuit, realis simoniæ crimine se obstrinxisse, & Ecclesiæ pœnas subiisse, a quibus debet se liberandum curare, & ad Superiorem Ecclesiasticum confugere, ut Beneficium novum obtineat.

Decisum in Sorbona die 21. Martii an. 1698.
G. *Fromageau.*

Simonia in annuo reditu Beneficii resignati semel reservato.

C A S U S XVIII.

Resignari non potest Beneficium ea conditione, ut Resignatarius non ante certum tempus ejus possessionem ineat, quo Resignans reditibus frui possit.

QUÆSITUM.

Titius Beneficii resignationem offert Mævio, ea conditione, ut ille non nisi octavo aut nono post mense ejus possessionem suscipiat, quia ipse annuum adhuc reditum percipere vult. Quæritur, an Mævius Beneficium cum ea conditione acceptare possit?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, non licere Mævio Beneficium, de quo agitur, in circumstantiis propositis acceptare.

I. In hoc negotio existeret Simonia, quoniam Mævius cum pacto unius anni reditum Titio tribuendi Beneficium hoc acceptaret, quod nihil aliud esset quam spirituali rei loco temporalem præberi. Præterea quodvis pactum in re Beneficiaria vetitum est *cap. Pactiones de pact. & c. Super eo, de transact.*

II. Statim ac Titius resignatione Beneficium dimittit, ordo postulat, & summi Pontificis ea mens est, ut Resignatarius ejus possessionem inire possit, cum Provisiones suas obtinuerit, atque ita quidem necesse est, ut abusus non pauci præveniantur. Porro Titius huic Ecclesiæ ordini, & Superioris intentioni obsistit, ac proinde peccat; ac si Mævius assensum præbet, & ipse pariter peccat. Ex quo fit, ut Mævius conditionibus sibi propositis Beneficium acceptare omnino non debeat.

Decisum in Sorbona hac die 23. Octobris an. 1693.

G. *Fromageau*. Th. *Durieux*.

Simonia in Abbatia ad Patrem Abbatis per locationem translata.

CASUS XIX.

1 *Abbas citra simoniam Abbatiæ suæ reditus Patri locare non potuit, si utrique is finis propositus fuit, ut pater inde lucrum perciperet.*

2 *Hic Abbas partis proventuum Beneficii, in patris aut alterius consanguinei favorem, donationem edere nequit, vel inde, quoad vixerit, pensionem statuere. Super hoc articulo Ecclesiæ regulæ.*

3 *Si Pater locationem solvere nolit, reverentiæ quidem gratia filius eam abrogare non debet, eamdem tamen non debet renovare.*

QUÆSITUM.

Vir gradu præstans operam contulit, ut filio, cui Petro nomen, 33. annos nato Abbatiam obtineret. Eam patri Petrus locavit ad annos sex, idque grati animi causa, ut nempe Pater ex Abbatia lucrum perciperet. Dicitur in Locatione Pater iis conditionibus, quibus ei visum fuerit, sublocare posse, ea lege, ut onera solvat, cum Famulo filium sustentet, & ad ejus subsistentiam libras sexcentas quotannis eidem daturus; & denique libras mille septingentas pro alimentis, quæ hactenus ei suppeditavit, sibi retenturus.

Itaque quæritur, I. an Petrus in hanc Locationem consentire potuerit?

II. An grati animi causa possit, quoad vixerit, ex Abbatiæ suæ proventibus patri, vel alii consanguineo donationem aut pensionem statuere?

III. An Petrus possit eam locationem abrogandam curare, salva, quam patri debet, reverentia?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quoad quæstionem primam, tametsi Petrus Abbatiam suam patri locare possit, eo tamen animo, eoque pacto, quo dictum est, id facere non potuisse.

I. In Locatione stipulari non licuit, sibi patrem libras mille septingentas ex Abbatiæ fructibus retenturum, ut quæ filio suo præstitit, alimenta compenset; tenetur pater filium alere, nec potest ab ipso nutritionis, antequam Beneficia obtineret, eidem suppeditatæ solutionem exigere. Est enim hæc indirecta in Patris bonum donatio Ecclesiastici boni, cujus pro arbitratu impendendi jus penes Abbatem non est, ut infra ostendetur. Cæteræ porro Locationis conditiones eæ sunt, ut pater magis quam filius Abbatiæ Titularis esse videatur; subestque maxima timendi causa, ut pater locationis sexennio vel nihil omnino, vel quam minime possit, onera solvat, ne reditum universum sibi ipsi ut proprium retineat, ne Abbatiæ prædia, si propriis conjuncta sint, usurpet, ne ex eo Beneficio, quam maximum poterit, lucrum exprimat, atque ita Abbatiæ gravissimum detrimentum importet, quin filius audeat cum eo pro damni reparatione judicio contendere.

II. Locationi cum Patre initæ Petrus grati animi argumentum prætexuit, ut nempe illi ejus Abbatiæ reditibus ex parte fruerentur, quam sibi ipsi comparare studuisset. Quod Abbas facere omnino non potuit, si ea Patris intentio fuit, ut ex collata opera id emolumenti perciperet; adeoque si Abbas eam intentionem, antequam Abbatiam obtineret, cognovit, ac ratam habuit, Pater & filius ob pactum saltem tacitum, quod in ejusmodi negotio intersuit, simoniæ crimine sese obstrinxerunt; Canones enim pactiones hasce in re Beneficiaria prohibent *tit. de pactis*; ac proinde ambo subiere pœnas in *Extravag.* Pauli II. *Cum detestabile, de sim.* contra Simoniacos; & Beneficium temporalis utilitatis animo conquirentes inflictas: *Statuentes præterea, quod universi & singuli, qui quomodolibet dando vel recipiendo simoniam commiserint, aut quod illa fiat, mediatores extiterint, seu procuraverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua nisi a Romano Pontifice, pro tempore existente, non possint absolvi, præter quam in mortis articulo constituti.* Si ita res habet, Abbas Abbatiam eam retinere non potest.

Ad quæstionem alteram respondetur, Petrum non posse patri aut consanguineorum ulli Beneficii sui proventuum quoad partem per Actum vel aliter cedere, quia non est ipse ejus dominus, ut pro libitu eodem utatur. Communis sententia est, Beneficiatos non nisi in Ecclesiæ aut Pauperum gratiam Beneficiorum suorum bonis uti posse. Comitolus *l. 1. resp. moral. q. 70. & 71.* probat duo; primum est, quindecim sæculorum spatio ad usque Dominicum Soto nullum bonæ notæ Auctorem propugnasse Beneficiorum suorum fructuum absolutos dominos esse; alterum est, Beneficiariam proventuum ad Ecclesiam vel ad Pauperes pertinentium portionem in alios detorquentem peccare mortaliter, & ad restitutionem teneri.

Tridentina Synodus Sess. 25. c. 1. de Reform. in quæstione, quæ præ manibus est, omnino diserta est: *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresve suos augere studeant; cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imo quam maxime potest, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitus deponant. Quæ vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque Beneficia Ecclesiastica tam sæcularia quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari debent* &c.

Super his Concilii verbis animadverti possunt tria. I. Beneficiorum bonum Pauperum bonum esse, ac proinde iis esse tribuendum, cum sibi sumpsit Beneficiarius id, quod ad ejus congruam sustentationem necessario requiritur, ut proinde consanguineis nihil inde tribui possit, nisi revera pauperes sint. II. Necesse esse, ut Beneficiarius hos humanos motus, & hanc naturalem affectionem, qua ducitur erga cognatos, reprimat, ac prorsus abjiciat, ne ad iis benefaciendum partium studio, quam vera eorum paupertate permoveatur. III. Ecclesiastico non licere partem proventuum Beneficii sui, quoad ipse vixerit, cedere, seu donare, vel ita ex ipsis reditibus pensionem certam facere; quia nimirum ea esset quædam quasi Ecclesiastici boni alienatio, quam prohibent Canones, & Concilii verba illa: *Eas autem*

tem non distrahant, nec dissipeat illorum causa; dissipatio quoque foret, quoniam ille donatet Ecclesiæ bonum contra Ecclesiæ regulas ac mentem, eum non ejus dominus sit, sed purus putusque Œconomus & Administrator.

Quoad quæstionem tertiam; Petrus omnibus æquitatis atque humanitatis officiis uti debet ut Patrem ad institutam Locationem intermittendam permoveat, ei, qua par est, observantia significans utriusque conscientiam eo perturbari, quod Locatio patrem abbatialium proventuum dominum faciat, quamvis ea ætate sit filius, ut eosdem proventus juxta Ecclesiæ mentem administrare ipse possit ac debeat. Quod si pater eo, quod superest, tempotis spatio velit in Locatione persistere, id quidem Abbas sinere debet, ne forte patris famam lædat, quod repugnaret Præcepto quarto: *Honora patrem & matrem*; ita tamen, ut pro viribus caveat, ne Abbatiæ bonum dispeteat, utque ipse post Locationem incommoda ac detrimenta, si qua patet intulerit, reparet, siquidem pater ipse reparate noluerit; ille quippe malorum est causa, quoniam in Locationem consensit; & si pater Locationem innovate velit, nec potest filius, nec vero debet allatis de causis assensum præbere.

Decisum hac die 7. Julii an. 1693.
G. *Fromagtaa*.

Simonia in Possessionis susceptione.

C A S U S XX.

1 *Schedula, cujus vi Resignatarius ineundæ possessionis facultatem, oblata pecunia, obtinet a Resignante, est simoniaca.*
2 *Solus Pontifex resignationem cum clausula*, retentis fructibus, *firmare potest.*

QUÆSITUM.

Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut scripto profetant sententiam suam super ejusmodi difficultate.

Ecclesiasticus periculoso morbo laborans adolescenti Capellam resignat. Lapsi sunt ab acceptis Provisionibus menses sex, quin possessionem inite adolescens audetet, ne Resignantis ægrotantis animum perturbaret. Sed cum timeretur, ne Resignatarius jure suo privaretut, nisi ante Resignantis mortem possessionem iniret, adolescentis pater ad ægrotum se contulit, & ad eum pertrahendum, ut ejus filium Capellæ possessionem sumere pateretur, scripto promisit se omnes reditus ei relicturum, & quoad viveret, quicquid ex Locatione pereiperet, soluturum. Super hac patris conventione quærit adolescens Resignatarius, an legitime Beneficium ipse possideat, cum non sine dictis clausulis ejus possessionem adierit, atque an illud permutare possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, non potuisse adolescentis patrem tuta conscientia promittere se omnes Beneficii proventus Resignanti relicturum, dummodo fineret Resignatarium possessionem suscipere, quia constat in hac te pactum tacitum inter patrem & Resignantem existere. Jam vero in Beneficiorum negotio pactionem quamlibet Ecclesia prohibet; prætetea Beneficii possessio est aliquid spirituale, quia tei spirituali, cujusmodi est Beneficii titulus, annexa est; possessionis autem susceptio est tituli complementum, sine quo Resignatarius Beneficii sibi tesignati ptoventibus frui non posset (a).

Ex Tridentinæ Synodi mente *Sess.* 24. *c.* 14. *de Reform.* simoniam redolet ad ineundam possessionem pecuniam tradi, nisi ea pecunia in pia opera conferatur; ut proinde statuat Synodus eos pœnis contra simoniacos in Jure decretis subesse, qui in te Beneficiaria temporale aliquid vel dedetint, vel acceperint: *tos vero, qui adversus hæc quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis sacris Canonibus, & variis SS. PP. Constitutionibus, quas omnes innovat, ttaeri decernit.* Dixerat supra Synodus ejusmodi ingressus ad Beneficia simoniæ suspicione laborate: *Atque ingressus tos, qui simoniæ labis suspicionem babent.* Et sane quamvis Beneficii possessio temporale aliquid esse videatur, eoque titulo Laici Judices se de ea cognoscendi jure gaudere contendant; possessionis tamen susceptio spiritalis potius quam temporalis habenda est, quoniam sine ea Beneficiatus Beneficii sui functiones obite, ullumque, quod ab eodem Beneficio pendeat, jus exercere non potest.

Non desunt quidem Auctotes, qui contendant Coneilii pœnas in Gallia (b) locum non habere, & Beneficiarum in casu Concilii Beneficio suo non privari, si quid initæ possessionis gratia solverit; addi & illud potest, ad propositam facti speciem quod attinet, Resignatario nullum jus novum ex Resignante accessisse, cum ei Capellæ reditum cessit, ut se possessionem sumere pateretur.

Sed ad hæc duo facilis est & expedita responsio;

Ad primum; Utut de eorum Auctorum sententia statuendum sit, certum exploratumque esse, Tridentini, aliorumque complurium particulatium Galliæ Conciliorum, quæ illud mordicus secuta sunt, eam mentem esse, quæ declatata est; propositam vero speciem ea longe graviorem esse, de qua Tridentina Synodus loco citato commemorat; non id agitut, ut testibus, qui susceptæ Beneficii possessioni interfuerint, pecunia tribuatur, sed ut scripto promittatur fore, ut Resignans ad mortem usque omni Capellæ reditu potiatur, atque ita moveatur ad assentiendum Resignatarium suum possessionem inite; & quamvis ex proposita facti specie non appareat id conditionem esse, quam expressis verbis Resignans exegetit, id ipsum tamen præparationis vim habuisse sit maxime vero simile.

Uno verbo oblatio Resignanti facta censeri nequit pura ac voluntaria liberalitas; ut ea quippe ejusmodi foret, expectandum fuisset, dum Resignatarius possessionem iniret, ante quam de ea verbum fieret; & adhuc tamen simoniæ suspicio non absuisset, quia non immerito dubitatur Pontificem resignationem cum elausula, *retentis fructibus*, fuisse admissurum; obtulit porro adolescentis pater auctoritate propria, quod simoniacum apparet. Neque vero dici potest a Resignante vexationem illatam fuisse, quam pater redimere cogeretur, quia nimirum Resignatario liberum erat possessionem inire independenter a Resignante, ac proinde nihil aderat vexationis.

Quoad secundum. Sane convenit Resignantem nihil novi Resignatario tribuere; sed satis est Concilium, prout quidem ad possessionis susceptionem spectat, tanquam cum simoniacis cum iis agere, qui aliquid expresse vel tacite dant, vel exigunt, ac generatim quicumque temporale tribuit pro spirituali; addi & illud potest, id scandali plenum fuisse, quod patet egit, ut possessionis ineundæ facultatem filio obtineret.

Ex his omnibus sequitur, si quid Resignanti solutum est, ut patris promissio executioni mandaretut, ad Romanam Sedem confugiendum esse, petendumque a Pontifice, ut purget, quicquid in hoc negotio vitiosum est; & quod inde consequitur, filius Beneficio legitime retinendo habilis declaretur; ante quam id fiat, ille permutate non potest. At si nihil Resignanti solutum est, Resignatarius absque dispensatione Beneficium tetinete potest, nil tamen Resignanti tribuens vi promissionis eidem obstrictæ.

Decisum hac die 26. Martii an. 1698.
G. *Fromagtaa*.

(a) Bonacina de sim. q. 6, p. 5. n. 8, disp. 1.

(b) Cabassut. in praxi l. 5. c. 4. n. 7. Gateias 8, p. c. 3. n. 97

Simonia in permutatione.

C A S U S XXI.

1 *Permutatio simoniaca est, cum adest pecuniæ stipulatio, Beneficii reparationum prætexta.*
2 *Est pariter simoniaca, cum Compermutantium alteri Beneficium promittitur, quod nondum vacat, & pars in aliqua publici ærarii administratione.*
3 *Simoniaca est resignatio, pro qua pecunia promittitur; quique eam recepit, Pauperibus restituere tenetur.*
4 *Abbas, qui non dedit operam, ut Antecessor suus reparationes necessarias ad ejus tempus spectantes conficeret, eas ipse propriis sumptibus edere debet.*

QUÆSITUM.

RESignatur Titio Abbatia, cujus reditus quatuor mille quingentarum librarum est cum pensione librarum bis mille. Mense ante contigerat inundatio, quæ non paucis molendinis, quæ præcipuum hujus Beneficii proventum constituunt, extremam perniciem attulerat. Incolæ, quorum omnium intererat, obtinent, ut Abbas Molendina restituere jubeatur, ita tamen, ut in eum agere possit, qui incile ponendum curabat, unde inundatio extitisse putabatur. Titius cum ab incilis fossæ auctore compensationem consequi non potuisset, ipse, insumptis circiter duodecim mille libris, remedium attulit.

Denique idem Titius cum videret Resignantem suam locasse Abbatiam, accepta strena, pretio minimo, locationes abrogandas curavit; sed ut id obtineret, ei sustinenda fuere litigia, edendæ solutiones, & octo millæ libræ circiter expendendæ; in compensationem Abbatiæ Locationi libras bis mille quingentas addidit, eamque usque ad septem mille libras extulit. Tenuit Abbatiam non ultra annos tres cum dimidio, ac nedum lucrum perceperit, librarum circiter quinque millia de suo solvere coactus fuit.

Titius veritus, ne eadem inundatio contingeret, & rursus duodecim mille libras impendi necesse foret, atque adeo non ignorans non nisi ex Rescripto Magni Consilii se Abbatia fruentem debere Bullas obtinere, quæ libris sex mille constarent; statuit Abbatiam cedere cum onere ejusdem pensionis Resignanti solvendæ; sed ad impensas, quas fecerat, farciendas quindecim mille libras exegit, & cum simplici septingentarum librarum Beneficio Abbatiam permutavit. Præterea pater ejus, cui Abbatiam tradidit, ei se perfecturum promisit, ut Canonicatus, quem ejus filius obtinebat, ipsi conferretur, & ipse ærarii publici curandi particeps foret; secus ille non permutasset. Posterior promissi pars effectu caruit; ei vero collatus est Canonicatus, quem statim pure & simpliciter resignavit absque ulla pensione aut conditione, tantum ab amico sollicitatus, qui eidem testatus est Resignatarium cordatum hominem esse, & beneficio bene usurum: & sane tertio post mense ei sexcentos nummos aureos ultro atque omnino libere largitus est; quia porro id nec petitum fuerat, nec stipulatum, putavit Abbas eam pecuniæ vim se tuta conscientia accipere posse. Id eum in præsentia sollicitum habet, quod qui ab eo Canonicatum pro alio petiit, ei dixit se credere, fore, ut quingenti nummi aurei ei donarentur; cui Resignans respondit, se, si sexcentos dari libuisset, non pugnaturum; ac sexcentos quidem accepit, ut dictum est. Super hac facti specie consuluntur Doctores, ut ex ipsis intelligatur, cujusmodi errata patraverit Titius ita se gerens, & quo tandem remedio opus sit?

R e s p o n s i o.

Theologiæ Doctores subscripti censent, I. Permutationem, quam Titius edidit Abbatiæ cum Canonicatu septingentarum librarum reditus, ea lege, ut sibi redderentur quindecim mille libræ pro reparationibus, & sumptibus, quibus obnoxius fuerat, ut Locationum abrogationem obtineret, unde Abbatiæ annuarum bis mille quingentarum librarum augmentum accessit, simoniacam esse, perinde ac conditionem, quæ executioni mandata est, tribuendi scilicet Canonicatus, nisi a Pontifice impetrata facultas fuerit; Titiumque ipsum ob hanc duplicem clausulam in excommunicationem incidisse, Beneficiis, quæ obtinet, privari, ac teneri restituere summam librarum quindecim mille in Pauperum, vel Ecclesiæ favorem, eumdemque ad Romanam Sedem confugere debere, ut in integrum restituatur, hoc omni commercio fideliter exposito.

II. Conditionem, quam exegit, ut ærarii publici administrandi particeps fieret, simoniacam esse; eam tamen, cum effectu caruerit, simoniæ pœnas adjunctas non habere.

III. Canonicatus resignationem, prout quidem peracta est, esse simoniacam, eique, ut primæ pœnas omnes conjunctas esse; eum debere sexcentos nummos aureos in favorem Pauperum vel Ecclesiæ restituere, sibique, ut supra dictum est, prospicere; nimirum in Romana Curia rem exponere, ut absolutionem obtineat.

IV. Quod attinet ad incommodum Abbatiæ Molendinis, ante quam ei resignatio fieret, importatum, quodque ipsa reparare jussus fuit, ita tamen ut in eum, qui aquam averterat, agere posset, curare debebat Titius, ut mali auctor ea pœna mulctaretur; ac si forte Judex ab ejusmodi reparationibus eum liberasset, debebat agere in Resignantem, qui ad eas edendas damnatus fuerat, quia nempe ejus tempore damnum contigerat. Cum Titius id curare neglexerit, in eum recidunt reparationes.

Decisum Parisiis hac die 14. Aprilis an. 1674.
Aug. *de Lamet.*

Animadversiones Sorbonæ Doctoribus exhibitæ super Casus modo propositi decisione.

Ex Sorbonicorum Doctorum responso tenetur Titius reddere libras quindecim mille receptas in compensationem reparationum & indemnitatum, quas tribuit Conductoribus, unde Abbatialium redituum augmentum extitit; eorum judicio reparationes spectabant ad Resignantem, vel ad eum, qui damnum intulerat. Eas ille ab eo non potuit exigere, qui cum septingentarum librarum Prioratu Abbatiam permutavit; conventio, quam Titius cum eo inivit, ab ipsis simoniaca censetur, ajentibus eum in excommunicationis pœnas incidisse, spectata stipulatione Canonicatus, cujus gratia facultatem a Pontifice nec petiit, nec obtinuit.

OBJECTIONES.

Objicitur, Prioratum quidem, cujus annuus reditus septingentarum librarum est, in Romana Curia receptum, & in resignatione enuntiatum fuisse (a).

Quod attinet ad Canonicatum (b), verum quidem est, Patrem ejus, cui Abbatia resignata fuit, dixisse Titio motu proprio: cum filius meus Abbatiam obtinuerit, præsto est Canonicatus, qui opera mea tibi resignabitur in ejus favorem, cui tu potissimum gratificari volueris; nihil opus erit Litteris Signaturæ Romanæ Curiæ, sed satis erit, peracta resignatione, expediri provisiones Regis magno sigillo firmatas. Id autem non est factum nisi sex mensibus post initam Abbatiæ possessionem, & resignatio occupata fuit ejus nomine, quem Titius nominavit, qui scilicet postea sexcentos nummos aureos (c) donavit, quamvis nulla fuerit verbalis aut scripta conventio; sperante quidem Titio futurum, ut non mediocre munus sibi tribueretur, quod re ipsa tributum fuit mensibus quatuor & amplius ab inita possessione, cum illud Titius nunquam petiisset.

Censuerunt etiam Doctores Canonicatus acceptationem & resignationem, quæ peracta fuit, simoniacam, & excommunicationi subjectam, ac proinde restitutioni locum esse. Rogantur humillime, ut deci-

decisionem suam in hoc quoque capite expendant, cum negotium clarius in hoc supplici libello, quam in eo, quo sibi oblato, judicarunt, explicatum fuerit.

Quod si sententiam suam confirmaverint, eam Titius nec repugnans pro viribus exequetur.

Quod spectat reparationes, quarum causa pronuntiant Doctores Titium in eum agere debuisse, qui incile posuerat; ac si ille liberatus esset, debuisse in Resignantem invehi; quippe qui ad eas conficiendas damnatus fuisset, quandoquidem damnum, Molendinis illarum, eo Abbatiam administrante, contigerat; & cum Titius utramque actionem neglexerit, proinde in ipsum reparationes recidere;

Respondetur, statim ab illato Molendinis detrimento ejus loci Incolas, ubi Molendina sita sunt, dedisse operam, ut in jus vocaretur Titius, qui Abbatiæ resignationem ex mense obtinuerat, (d) Regis autem approbationem post sex tantum menses & amplius obtinuit, ac juberetur dicta Molendina reparare, secus rationem redditurus omnium malorum, quæ cunctatio attulisset, propterea quod ruptis aquarum retinaculis, universus locus inundaretur. Defendit se Titius, eosque ad Resignantem suum misit; se enim, qui approbationis, atque adeo Abbatialis tituli nondum certus esset, nolle tam gravi impensæ se subdare. Eum tamen illi curarunt ad reparationes damnandum, & eodem tempore Abbatiæ reditus sequestro ponendos (e). Titius intelligens vel octo dierum mora impensam dimidio majorem fieri, in locum venire statuit. Sed antea cum audivisset Resignantem, omnesque Incolas senatui obtulisse supplicationem, ut incilis continuatio impediretur, & Aulicum Rescriptum editum esse, quo mandabatur, ut ab ejus confectione desisteretur, quoad Aulæ Commissarii de re cognituri accessissent, convenit Titius Præfectum M. C. qui incile ponendum curabat, ut, quæ dicta sunt, ei declararet, eumque rogaret, ut Rescripti executioni invigilaret, atque ita locus esset reparationibus, quarum retardatio regioni noceret, cum ad trium fere leucarum spatium non alia adessent molendina, quibus grana subigerentur. Respondit Præfectus expectandum non esse, dum Aulæ Rescriptum locum haberet, futurum, ut incile absque adeo solemnibus formalis conficeretur, sed omnino molendina quantocyus reparanda, secus M. C. perfecturum, ut Abbatiæ, cujus proventum sibi sumeret, sumptibus repararentur. Titius sentiens sibi non satis virium esse, ut in M. C. actionem intenderet, ad locum perrexit, & Molendina reficienda curavit, haud accito Resignante, (f) qui tum Melitæ versabatur, & generalem Conductorem ad pecuniam, quam tamen ex Locationis pretio reciperet, erogandam adegit. Itaque Titius dictas reparationes edidit, cum ad eas faciendas M. C. adigere non potuerit, siquidem eas peragere tenebatur, quin cum eo litigium, cui procul dubio succubuisset, aggrederetur, & cum sentiant Doctores in ea facti specie reparationes ad Resignantem spectasse, id ille quidem ultro concedit, eum tamen eas ipse perfecerit de suo, vel ex Abbatialibus reditibus ad se spectantibus, eumque in præsentia compensationem a Resignante (g) petere nequeat, in quem condemnationem non obtinuerit, (h) non inde consequitur, eum non debuisse Resignanti pensionem solvere, eumque suo id damno fecerit, non tenetur Pauperibus aut Ecclesiæ eam tribuere pecuniæ vim, quam solvit Resignanti pro pensione, quam solvere debuit, vel reparationum impensis eam compensare, quippe cum pensio in Romana Curia probata fuerit; ac præterea ad id ipse nominatim excelsi Consilii Rescripto damnatus fuerit (i). Cum enim reditus in ejus, & in Conductorum manibus sequestro positi essent a dicti Pensionarii Creditoribus, qui proinde in eum condemnationes etiam personales obtinuerunt, Rescriptis Consilii mandatum est, ut, cum Resignans tunc temporis Tuneti apud Turcas captivus esset, ei præ Creditoribus Titius solveret ad usque libras duodecim mille pro ejus redemptione ac libertate, tum vero Creditoribus solveretur; quod in Titium summo jure executioni mandatum est; qui prope quicquid debebat (k) ex dicta pensione, Tunetum mittere coactus fuit; atque ita quidem Resignans in libertatem est restitutus. Ergo Titius Doctores orat, ut super hoc articulo aperiant sententiam suam (l); ratus eorum decisionem pure & simpliciter ad 15000. librarum, & 600. nummorum aureorum restitutionem referri, Abbatialium redituum ratione habita, librarum 2000. pensione deducta; eos etiam rogat super Canonicatus articulo (m), prout quidem in hoc libello supplici exprimitur.

Animadvertant Doctores, siquidem ipsis libuerit, Titium, si dictas restitutiones facere teneatur, cum Abbas fuerit per annos tres & dimidium Abbatiæ non mediocris, tantum abesse, ut vel minimum inde lucrum perceperit, ut potius de suo duodecim mille circiter libras expenderit (n); quod quidem, rogantur, ut reputent, ac videant, an tuta conscientia (o) res emolliri possint.

Exorantur iidem Doctores, ut edicant, an dicta restitutio ita facienda (p) sit, ut posthabeantur Titii Creditores nonnulli, qui non satis in bonis habent, quique, nisi iis solveretur, grave damnum subirent; atque etiam an Titius, cui consanguinei sunt extrema inopia laborantes, possit dictam restitutionem vel omnino vel ex parte in consanguineos suos conferre, qui summa egestate premuntur (q) & puellis non carent, quæ in salutis discrimine sunt positæ, quod necessariis rebus destituantur, nullumque aliud subsidium sperent, quam quod iis concedere Deus voluerit. Atque id quidem, nunc quasi in præsentia, prout quidem ejus negotia se habent, ille hæc omnia præstare possit; sed cum fieri tamen possit, ut aliquando eorum, de quibus supra, nonnulla exequi valeat, quærit, undenam exordiri debeat, optans eorum sententiæ se omnino conformare eamdemque pro viribus exequi.

RESPONSIONES.

(a) Receptus est quidem Prioratus in Romana Curia; at non nisi per simoniacam permutationem, quoniam ea permutatio Prioratum dedit cum obligatione compensationis librarum quindecim mille; hæc autem compensationis obligatio conditio est, quæ permutationem efficit simoniacam.

(b) In Expositione prima dicitur: *præter dictas quindecim mille libras pater ejus, cui Abbas resignabat, ei filii Canonicatum promisit; idque executioni mandatum fuit*. Hæc autem ab iis non abhorrent, quæ occurrunt in hac altera Expositione, atque adeo inter Canonici Resignantis patrem & Resignatarium conventio extitit simoniaca, quæ simoniacæ permutationis partem constituit, & executioni mandata fuit.

(c) Habet Expositio prior, eum, qui consulit, *ab amico sollicitatum, ut Canonicatum resignaret, certumque redditum fuisse, eum, quem proponebat, beneficii memorem fore*; posterior autem Expositio: *sperabat quidem Titius futurum, ut non mediocre munus sibi tribueretur, quod reipsa tributum est mensibus omnino quatuor ab inita possessione*.

Facta est propositio; Resignans eidem acquiescit; hac spe ille quidem resignat; Resignatarius autem sexcentos nummos aureos exhibet, quos Resignans acceptat. Est & alia maxime aggravans circumstantia in expositione priore, videlicet eum, qui huic negotio se immiscuit, aliquando Abbati dixisse, se fore credere, ut ei centum nummi aurei darentur, Abbatem vero respondisse, futurum, ut si sexcenti dari potuerint, acciperentur. In utraque Expositione centum nummos aureos datos esse certum est; atque ita expensis omnibus, nil causæ est, cur a sententia recedatur; adest enim Resignanti facta propositio pecuniariæ seu æquivalentis retributionis, atque ita quidem tum Resignatario cum Resignante sentiante; ejusque propositionis vi resignatur Beneficium, & pecunia tribuitur. Diceturne Titius eam propositionem sibi factam non acceptasse? An non eam acceptavit, dum dixit se nummos aureos sexcentos accepturum, ac re quidem ipsa accepisse?

(d) Titius cum Titularis non esset, non poterat proprio & privato nomine tanquam Titularis damnari.

(e) Sequestro ponendi erant Abbatiæ reditus ad ejusmodi reparationes, ac Titius id æquo animo pati debebat; aut si noluisset, debebat pecuniam mutuam dare sibi ab iis reddendam, ad quos spectasset; itaque Resignans pro anni sui spatio reddere debuisset; ipse pro iis annis, quibus Titularis fuisset, ejus denique successor pro annis iis, quorum spatio potitus esset usque ad integram solutionem. Sed Titius solvere voluit, quin mutuum daret; id ergo Abbatiæ dono dedit, nec repetere proinde potuit. Præterquam quod si mutuum fuisset, ex parte tantum repetere potuisset, atque adeo id ipsum citra simoniam repetere non potuisset, tanquam permutationis scilicet conditionem. Si tamen damnum casu non accidit, sed Resignantis culpa, vel ejus, qui incile ponebat, hi quidem ad id tenerentur, & qui reparavit, in eos actionis jure gauderet; compensationem tamen stipulari non posset ab eo faciendam, quicum Abbatiam permutavit.

(f) Id nimirum ille peccavit, quippe qui eum in jus vocandum curare debebat, prout absentes vocari solent, & id concludere, quod ille quidem conferre tenebatur.

(g) Cum malum hoc præcedentis Abbatis tempore coortum casus fortuitus fuerit ex vi majori proveniens, ad illud ipse tenetur usque ad onerum partem tertiam, quæ in reparationibus locum habet, & quod superest, ad Successorem spectat quoad eamdem partem ad perfectam usque redintegrationem, facta hypothesi eum, qui incile ponebat, ejus damni causam non fuisse.

(h) Debebat obtinere sententiam, qua Resignans partem suam solvere juberetur, idque ipsi facile erat, quippe qui pensionem eidem solvere teneretur.

(i) Rescriptum hoc Abbatem adigere non potuit ad aliquid amplius, quam deberet, solvendum, deducta reparationum parte ad Resignantem spectante; quod reliquum erat, ad Abbatiam pertinebat, atque adeo a successore solvendum erat. Sed Abbas, qui consulit, omnino solvit, quia in animo habebat inde Abbatiæ proventum augere; nec credidit ejusmodi obligationem ad Abbatiam pertinere.

(k) Remansit ergo aliquid penes Abbatem, præter & ultra duodecim mille libras, quas Tunetum miserat, ut Resignantem redimeret, & id saltem, quod remansit, conferendum fuit ad eam reparationem *pro rata*.

(l) Id quidem ita se habet.

(m) Ita factum.

(n) Ille vero sibi imputet; poterat Abbatiam non abdicare, & ita quidem ea potitus esset; poterat eam canonice permutare cum Beneficio Abbatiæ respondente, cujus fructus percepisset.

(o) Nihil apparet, cur a sententia recedatur, nisi ponatur ut certum, Abbatem id unum in animo habuisse, ut solutionem anticiparet, ad quam per Rescriptum adigebatur, ita quidem, ut eam repetere posset. Hoc in casu teneretur pro rata temporis, & repetere posset a Resignante quidem pro alio tantum anno, a Resignatario vero pro quoque anno, ratione habita; sed ut id obtineret, aliter se gerere debuisset; quod enim egit, est simoniacum.

(p) Hæc restitutio facienda est, posthabitis Titii Creditoribus, si ei pecunia ipsa, quam percepit, adhuc præsto est; quod si eam expendit, Creditores hypothecarii sunt præferendi, si hypothecarios non habet, Creditorum solutio, & hæc restitutio ex solido pro quaque libra confici debet; quod si Creditores privilegiatos haberet, iis ante hypothecarios ipsos solvendum esset.

(q) Partim, vel etiam omnino applicari poterunt restitutiones, prout, ex idoneorum Virorum sententia, expedire visum fuerit.

Decisum Parisiis die 21. Junii an. 1674.
Aug. *de Lamet*.

Simonia palliata resignatione cum pensionis reservatione.

CASUS XXII.

1 *Resignationes cum pensione, quæ fiunt cum pensionis ante initam possessionem redimendæ pacto expresso, vel tacito, sunt simoniacæ.*

2 *Si Canonicatum hac ratione adeptis satis gravis auctoritas præsta fuit, id omnino a Simonia liberum esse, tenentur fructus, quos non consumpserunt, restituere, & ad Episcopum confugere, ut novas provisiones obtineant; at si eorum ignorantia voluntaria fuit, & ex ipsorum cupiditate ortum traxit, cum iis tanquam cum proprie dictis Simoniacis agendum est.*

QUÆSITUM.

Extat in Cathedrali Ecclesia Statutum, Martini V. Bulla firmatum, prohibens, ne quis Canonicus recipiatur, qui pensionem in sua Præbenda sibi retinuerit. Ad Statutum hoc eludendum, redimitur pensio reservata, antequam ad Capitulum accedatur; quod proprie nihil est aliud, quam Beneficium emi cum pacto expresso vel tacito sex, octo, decem, vel duodecim mille libras solvendi; neque enim desunt Canonicatus, ex quibus hæc summa percepta est. Cum hic perniciosus mos, qui communis est, nonnullis Ecclesiasticis scrupulum injecisset, consulti sunt ex aliquo tempore, tanquam Capituli nomine, Parisienses Doctores, qui morem simoniacum declararunt. In præsentia id inquiritur, qua demum ratione cum Canonicis suorum jam Beneficiorum ita potitis Episcopus & Confessarii se gerere debeant?

Episcopus ejus, qui nunc præest, antecessor hunc eumdem casum præstantium duarum Universitatum judicio subjectum voluit, & contenditur decisum in iis fuisse hac in re simoniacum nihil occurrere. Omnium animi hoc responso compositi deinceps in hac bonæ fidei specie perstiterunt.

Eorum fere Beneficiatorum pertinacia & cæcitas super hoc articulo tanta est; ut sibi persuadere non possint malum esse ita Beneficia obtineri; ac tam misera mentis imbecillitate premuntur, ut ægre ferant sibi de hoc malo extirpando verba fieri.

Non ergo id agitur, ut, quod tutius est, proponatur; nihil enim, ut est vero simillimum, proficeretur, magnoque conatu magnæ nugæ, quod dicitur, agerentur; sed ut, si fieri possit, in ordinem illi redigantur, eorum infirmitatis & ignorantiæ ratione habita, & aliquo temperamento, quo Beneficiis non abdicatis, purgetur ingressus, excogitato.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti censent, ingressum horum Canonicorum in proprium Canonicatum, prout quidem expositum est, omnino vitiosum esse.

I. Quod attinet ad Conventionem, quæ Resignantem inter & Resignatarium initur, quia Resignans promittit se Præbendam suam cum pensionis reservatione resignaturum, & Resignatarius se pensionis hujus creationi consensurum promittit; hæc enim conditio est contra mentem Statuti & Bullæ Martini V. quibus prohibetur, ne recipiatur aut admittatur ullus Canonicus, qui Canonicatum suum pensione oneraverit; ut proinde tum Statuti tum Bullæ ea ratio fuerit, ut sine pensionis reservatione Canonicatus resignarentur.

II. Quod spectat ad provisiones & creationes pensionis in ejus Conventionis consecutionem obtentas; sunt enim subreptitiæ & nullæ, quoniam non nisi veritate Pontifici occultata obtinentur, nempe Statutum, Martini V. Bulla roboratum vetare, ne quis Canonicus, qui Canonicatum suum pensione oneraverit, admittatur, aut recipiatur; id si Pontifex certus non fuisset, non ille provisiones dedisset, aut pensionem super ejusmodi Præbendis creasset.

III. In possessionis susceptione tum quoad Capitulum,

tulum; tum quoad Provisum; cum enim Capitulum adversus Statutum, & Bullam, qua Statutum firmatur, neminem admittere possit, admittit tameo vi provisioonm, quæ pensioois reservationem adjunctam habent, qnod Statuto & Bullæ repugnat. Provisus autem petere nequit, ut donetur possessione Præbeodæ, cujus Canooicum Titulum non habet, sed tantummodo Titulum oullum, quoniam est subreptitius.

IV. Io fruitione tum fructuum quoad Provisum, tum pensionis quoad Resignantem; neque enim Beneficii fructus, vel pensio ex Beneficio citra legitimum titulum percipi possunt.

Sed quod pejus est, simonia palliata ejusmodi Conventionibus contioatur; io bis enim Conventionibus Præbeodas suas pro certa pecunia dant Resignaotes, & Resignatarii pecuoiam erogant, quod resignatarum Præbendarum est pretium; sed hæc venditio & hæc emptio teguntur specie resignationis cum pensionis reservatione, & hæc species eo gravior est, quod vetitum est in hanc Ecclesiam recipi admittique Canonicum ullum, qui Præbendam suam pensiooe oneraverit.

Beoeficium qnidem, ragnlariter loquendo, cum Pontificis Beneplacito non sine pensionis reservatione resignari potest; at si quis, reservata sibi pensione, ita vel ore tenus vel viva voce stipulari vollet, ut Resignatarins statim a receptis provisionibus & aote ioitam possessionem ajnsmodi pensionem redimeret, oemo non ajusmodi Conventionem simoniæ palliatæ damnaret. Jam vero potiore jure qui cum pensione Beneficinm resignat, quod novit cum peosione resignari non posse, tanquam simoniacus damoandus ast, cum id agit, ut pecuniam obtineat, quam ante initam possessiontm sibi a Resignatario solutam vult; quia scilicet ille resignationem acceptans redemptionem solvera debet, vel possessione minime donatur.

Dicetur fortasse, partes non stipulari, ot Resignatarius pensionem redimere tenaatur, sed ai liberum esse Beneficium retinere, vel Resignanti remittere, cumque ejns redemptionem conficit, id ab ipsius puræ ac libera voluntate pendere, quippe qui id possit agere & oon agere.

Sed respondetur in Expositiona non obscure sigoificari partes in Transactione si minus scripto, at verbo tenus, vel per se, vel pei Mediatores convenire, ut Resignatarius redemptionem conficiat, & id quidam erogata certa pecuniæ somma, ut sex, octo, decem, seu duodecim mille librarum, de quibus convenit; jam hæc stipnlatio verbalis, & simooia conventionalis est, quæ cum executioni mandatæ sit, simonia realis evadit, sed palliata; præterea quamvis nullum explicitum pactum esset, semper tameo adesset implicitum; qui enim resignationem acceptat, & in pensionis craatiooem consantit, non ignorat se non ante recipiendum, quam illa extinguatur; recipi autem vult; vult igitur extinctionem. Novit quoque Resignaos se nolle pensionem gratis remittere, sed eam redimi velle; uterque stipulatur animo servandi corrupti moris; idque afficit implicitum pactum, quod sufficeret, cum explicitnm nullum esset.

Hinc nimirum est, cur de Expositioois veritate non temere dubiretur, nempe Episcopum, qui proxime præcessit, cum super bac praxi aoimo non parum angeretur, eam duabus magni nomiois Universitatibus pooderandam proposuisse, eique responsum fuisse eam a simonia prorsus vacare.

Episcopus, qui in præsentia postulat, quid agere debeat, ut in tuto ponat Canooicos, qui Præbendas suas ita obtinuerunt, babita ratione eorum imbecillitatis & ignorantiæ, in qux hactenus exstiteruut, atque ut, si fieri possit, aliquod temperamentum excogitetur, qno eorum, retentis Beneficiis, purgetur ingressus, videre debet, an re vera in duabus inclytis Universitatibus ita responsum fuerit.

Si enim ita se res non babet, nulla ratio præsto est ad bonum statnm hos Canonicos redigendi; eorum qnippe simonia non extitit igoorantiæ iovincibilis & oon culpabilis consecutio; debent ergo illi titulo suo renuntiare, neque aos potest Episcopus in integrum restituera, vel novis deinde provisionibus instruere; neque vero eos a culpa liberat consuetudo.

At si certnm sit in duabus Universitatibus judicatum suisse eam praxim simoniacam non esse, quamvis Subscripti contra sentiant; Provisi simoniam tantum non culpabilem admiserunt, quia supponitur ignorantia invincibili eam excusari. Titulus qnidem subscriptorum sententia nullus est; sed iis rursus potest ab Episcopo provideri ex sanctione Capitis, *si quis alicujus de electione & electi potestate* io bæc verba: *Quamvis circa eum, qui ignoranter recepit simplex Beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur*, Præbendæ Beneficia simplicia sunt, & qui agunt, prout Universitatum duarum in re Ecclesiastica præstantium Doctores seotiunt, culpandi noo suot, quia aorum ignorantia non est culpabilis.

Si ergo Episcopus & Confessarii persuasum habent, Caoonicns ita provisns suis Præbendis potitos esse per simoniam realem culpabilem, qnamvis resignatione cnm peosiooís reservatione palliatam: eos tanquam Simoniacos habere debent. Contra si juxta principium a oobis positum judicant eos simooiace quidem provisos esse, at sine crimine, quod ioviocibili igooraotia peccarint; Episcopus agere dabet juxta appellatum Caput *Si quis alicujus*, & Confessarii moocre eos debent, ipsorum titulum nullam esse, atque adeo ad Præbendarum suarum fructus, quos nondum consumpserint, restituendos obligari, eosque ad Episcopum mittere, ut novas provisiones obtineant.

Sed quoniam parum esset præterito malo remedium aliquod afferri, nisi Episcopus operam daret, ut id omoino tolleretur; ejus proinde est illos, qui in idem crimen ex ignorantia labi possent, tum a Concionatoribus & Confessariis, tum a Theologiæ Professoribus erudiendos curare. Debet etiam conferre cum proprio Capitulo super rationibus, quibus uti possit, ut malum hoc in posterum de medio funditus tollat; exempli causa, an non e re fuerit, a Capitulo Statutum suum abrogari, & io Romaoa Curia Martini V Bullæ, unde iis omoibus incommodis occasio, revocationem obtineri; acsi judicetur Statutum & Bullam servanda esse, an non necesse sit a Capitulo Statutum edi, quo ad abusus omnes, qui Statuti veteris & Bullæ confirmantis occasione irrepere possent, impediendos præciperetur, ne quis in ullius Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis possessione collocaretur, vi provisionum, quæ ex procurationibus cum resignatiooe in favorem non sine persionis reservatione, vel aliis ejusmodi rationibus impetratæ fuissent.

Decisum Parisiis bac die 14. Jnlii an. 1671.
Aug. *De Lamet*.

Simonia Transactionis ad obtinendam Parochiæ pacificam possessionem.

C A S U S XXIII.

1 *Non potait Parochas ob temporale fratris bonum Parochiæ suæ resignationem, quam in unius a nepotibas favorem ediderat, revocare, nec nepos ipse, ut sibi Beneficium firmaret, promittere potait se libras qaingentas Patrui sui fratri sslutarum; Transactio hæc est simoniaca.*

2 *Quicumque Transactionis hajus participes extiterunt; pœnas simoniæ addictas subierunt.*

3 *Qui libras quingentas exigit, quas sibi promissas voluit, injustitiæ, & criminosæ vexationis reus est.*

QUÆSITUM.

CUm Parochns per resignationem Parochiam aliam obtinuisset, Vir nobilis loci Domious Sempronium recens Provisi fratrem, quem obvium habuerat, ita allocutus est: Lætor equidem, & gaudeo fratrem tuum nobis Parochum fore.

Respondit Sempronius: Frater meus aliam Parochiam possidet, nec tuam retinebit; at saltem, ioquit Vir oobilis, probum nobis hominem det; dabit

bit enim vero, respondit Sempronios, quem tu quidem volueris; quod accepit Vir nobila non sine magna grati animi significatione.

Fretus Sempronii fide Vir nobilis cuidem Presbytero promisit, se, si libræ nongentæ sibi darentur, effecturum, ut ei Beneficium resignaretur. Proposuit Presbyterum Sempronio, qui respondit: Resignatio quidem a me non pendet omnino; enitar tamen apud fratrem pro viribus. Excandescens Vir nobilis: tu vero, inquit, id mihi promisisti; meum erit efficere, ut obstrictam fidem præstes. Contentionis bujus conscius factus Parochus, & ex pravo fratris consilio scandalum passus Parochiam Titio nepoti suo resignavit, & ille quidem nulla interjecta mora resignationem ad Romanam Curiam misit.

Vir nobilis id intelligens acriter minitatus est Sempronio, qui perterritus quingentas libras præbuit Viro nobili, ut ejus animum tranquillaret.

Sempronius repetendæ, quam dederat, pecuniæ studio Titii matrem interpellavit, ut ab ea ipsius damnum repararetur; inquiens eam se pecuniam dedisse, ut Parochiam a vexatione redimeret, ejusque filium in possessionem pacificam vindicaret.

Reposuit Titii mater, nil causæ fuisse, cur ille libras quingentas daret in gratiam Parochiæ, quæ quadringentas non valet, eum temere fecisse, dum Viro nobili Beneficium promisit ei conferendum, quem ille proposuisset; atque adeo ipsum sibi imputare debere jacturam, quam subibat, eamque perferre, præsertim cum egerit, insciis tum matre ipsa, tum filio; se propterea quingentas libras ei minime reddituram.

Sempronius ad resignationem, quam ediderat, revocandam, ita futurum sperans, ut quingentæ libræ sibi a Titii matre solvantur.

Obstitit diu Parochus, inquiens se non posse resignationem ea de causa revocare, ac Sempronium dignum esse, qui pecuniæ, quam omnino perperam dederat, jacturam faceret, quoniam nec potuerat nec debuerat resignationem promittere, quæ ab ipso minime penderet, ut Virum nobilem ejus dominum faceret.

Sempronius tamen adeo vehementer institit, ut fratrem ad revocandum adigeret, & revocationem Titio significandam curavit, antequam resignatio in Romana Curia per tempus admitti posset.

Non est omittendum, alium non defuisse, qui idem Beneficium peteret, contendens eum, qui Parocho, de quo agitur, resignaverat, resignationis tempore mentis impotem fuisse, seque id probare posse.

Egit cum hoc Contendente Sempronius, convenitque, ut si Beneficium obtineret, ille quingentas libras ipsi redderet, & octuaginta pensionis libras Titio quotannis solveret.

Hac inita conventione, Sempronius fratrem impulit, ut Titium, qui in Seminario versabatur, acciret, ea lege, ut ne ante matri se sisteret.

Cum ille venisset, mi nepos, inquit Parochus, Impetrans, qui tuum Beneficium affectat, est homo tiscosus, quique tibi grave negotium facessere possit; at si tu quidem volueris, ita convenit inter nos, ut ille fratri quingentas libras Viro nobili traditas reddat, tibique octuaginta librarum pensionem statuat, cujus gratia tu amico procurationem facies, ut cum eo agatur.

Respondit Titius: Mi Proave, Beneficium mihi ex te est, & paratus sum illud tibi reddere, prout volueris. Tum Presbytero consanguineo suo Procurationem tribuit, ut ageret cum Impetrante.

Titius spoliatus accessit ad matrem, eique rem totam aperuit, nec siluit de Procuratione, quam, Patruo mandante, ut cum Impetrante ageretur, ediderat, significans se proinde Beneficio destitutum in Seminarium concedere.

Titii mater Beneficii jacturam ægre ferens & de Parocho & de Sempronio, qui eum agere coegerant, vehementer conquesta est.

Sempronius vero ei per amicum proposuit; futurum, ut si illa libras quingentas se reddituram promittere vellet, ipse Procurationem supprimeret, & Impetrantem reprimeret.

Titii mater Beneficium filii procuratione amissum intelligens, libras quingentas tanquam pecuniam mutuam se soluturam recepit. Tum vero Titius Parochiæ pacificus possessor evasit.

Decannio post Sempronio, qui nec sortem, nec ejus summæ censum adhuc petierat, litigium fuit cum Titii matre, quæ ipsum increpuit, inquiens eum malæ fidei hominem esse, ac meminisse debere, quem admodum quingentarum librarum promissionem a se extorsisset; & se quidem restitutionis Litteras sumpturam, eumque nil percepturum.

Sempronius timens, ne pecuniæ jacturam faceret, pronuntiavit se actiones multas, quibus in Titii familiam gaudebat, persecuturum, operamque daturum, ut ad juris apices discuterentur, idque cum ejus matris incommodo duplo majore.

Titius, qui nec cum Patruo contendere, nec litem subire vellet, obtulit se quingentas libras, & quicquid a sua familia deberetur, ei soluturum.

Discussæ sunt Sempronii actiones apud Parochum fratrem, compertumque est ei non deberi nisi centum francos, qui Viri nobilis libris quingentis additi sexcentas libras constituebant. Eam summam promisit Titius non quidem coactus, sed ægro tamen animo.

Aliquanto post Sempronius obstrictam sibi fidem cessit genero, qui condemnationem obtinuit, & agit in præsentia cum Titio, ut sibi sors, census, & impensæ solvantur. Contendit Titius se coram Deo non teneri nisi centum francos solvere, quos ejus familia Sempronio debet, quingentis autem libris & impensis solvendis patruum suum Parochum obnoxium esse, quippe qui per resignationis revocationem extiterit vera causa posteriorum obligationum, quas ipse una cum matre subiit, ut se a Sempronii vexatione redimeret.

Ingrati animi crimine Parochus accusat Titium, qui eum impetit, cum Beneficium ab ipso obtinuerit. Ait eum nec a Sempronio, nec a se ad subeundam obligationem adactum fuisse; Sempronium porro quingentas libras dedisse ad redimendam vexationem, easque proinde repetendi jure gaudere.

Reponit Titius se quidem non nisi admodum repugnanti animo de suo Benefactore conqueri; at non credere se tuta conscientia quingentas libras solvere posse; sane se nulla vi aut coactione ad obstringendam fidem impulsum fuisse, id tamen invitum fecisse, tantumque ut a gravi litigio familiam eximeret; addit quingentas libras in sui vel matris gratiam a Sempronio solutas non fuisse, quandoquidem nihil ipsis unquam largitus est, sed ut iram effugeret Viri nobilis, cui temere Parochiam promiserat, quique se deceptum sentiens prohibuit, ne Incolæ fundos, quos Sempronius in ejus ditione possidebat, excolerent, majore in eum, quam in Beneficii possessorem indignatione exardescens; adeoque Parochum efficere non debuisse, ut vel Titius ipse vel mater 500. librarum solutionem promitterent. Igitur eo redigitur omnis quæstio, an cum Sempronius, Titio ac matre insciis, eam summam temere ac perperam solverit, uterque ad ejusdem summæ compensationem extimulari atque obligari potuerit?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod præsentem expositionem vidit & expendit, existimat, Parochum, qui Beneficium Nepoti resignaverat, tuta conscientia resignationem revocare non potuisse, eo animo, ut libras quingentas, quas Parochiæ Domino dederat, Sempronius recuperaret. Sempronio jus nullum esse eam summam a quopiam repetendi, quippe quem sua ipsius imprudentia ac levitas in hoc discrimen conjecerit.

Secundam Sempronii Transactionem cum eo initam, qui Beneficium obtinuit, quique se libras quingentas, & Titio pensionem soluturum recepit, simoniacam esse; regulam porro *ad redimendam vexationem* locum non habere in hac facti specie, in qua id unum agitur, ut Sempronius, cui ad Beneficium nil juris suppetit, compensetur.

Simoniacam quoque esse Transactionem tertiam inter Sempronium & Titii matrem, qua illa promittit se quingentas libras tanquam pecuniam mu-

tuam

tuam Sempronio redditutam; ratio est, quia Titius, cum jus, quo ad Beneficium gaudebat, per Patris revocationem amiserit, ad illud non rediit nisi ejus promissionis vi, eodemque uti non potuit *ad redimendam vexationem* &c. Quamobrem Beneficium hoc tanquam vacans spectandum est, & quicumque earum Conventionum participes extiterunt, pœnas in Jure contra Simoniacos inflictas subierunt. Titius ejus Beneficii fructibus frui non potuit, & quoscumque percepit Ecclesiæ restituere tenetur. Sempronius coram Deo nullum jus obtinet ad quingentarum librarum summam, aut ad fœnora, quæ sibi vindicat, & vexationem exercet, dum a nepote ejus damni compensationem exigit, cui unus ipse causam præbuit. Itaque Transactiones, quæcumque in hoc negotio extiterunt, utpote injustæ, & aperta simonia nixæ, nullam coram Deo obligationem inducunt.

Decisum in Sorbona die 8. Septembris an. 1684.
Aug. *de Lamet*.

CASUS XXIV.

1 *Parochus, qui agit cum Laico, ut Parochiam suam ejus filio resignet, ea conditione, ut centum francos accipiat pro ædificationibus, quas edidit in Præsbyterio, simoniæ reus est.*

2 *Qui pecuniam tribuit, æque reus est, nisi forte ignorantia in tato eam non posuerit.*

3 *Filius, qui postquam de ea Transatione cognovit, ab Episcopo Visa petit, ipse quoque se simoniæ crimine obstrinxit.*

4 *Hi duo Ecclesiastici, Resignans, & Resignatarius nullo unquam tempore Beneficiis possidendis idonei esse possunt, nisi se curent in Romana Curia a Pontifice in integrum restituendos.*

QUÆSITUM.

PArochus se Parochia abdicare volens quærebat, qui sibi pro ædificationibus utilibus iis quidem, non tamen absolute necessariis, quas ediderat, exiguam summam solvere vellet. Laicus, cui filius erat Clericali militiæ adscriptus, stipulatus est cum Parocho, ante quam ad Romanam Curiam resignatio mitteretur; promisit se earum structionum gratia libras centum ei soluturum, ac reapse solvit; filius, in cujus favorem stipulatio peragebatur, de re non ante cognovit, quam Romanæ Curiæ provisiones ei traderentur; tunc nempe, quomodo se res habuissent, intellexit. In hac facti specie quæritur;

I. An Contractus hic sit simoniacus; Et quidem videtur esse, quia centum libræ fuere conditio sine qua non, id nempe fuere, quod Parochum ad resignandum, & ad rem spiritualem pro temporali commodo tribuendam determinavit; in quo simonia sita est.

II. An simonia Parochum & Laicum, qui cum eo egit, afficiat? Dubitandi ea ratio est, quod Laicus ea conventione simoniam contineri ignoravit, eumque proinde ignorantia excusare videtur; quia nempe *ratione professionis Laicalis* Ecclesiæ regulas super simoniæ negotio callere non tenetur; putant alii eum in simoniam incidisse, quia ejusmodi Contractum inire non debuit, quin idoneos viros consuleret.

III. An Resignatarius, cum *Visa* resignationis vis sumere voluerit, etiam postquam illam simoniacam esse intellexit, ipse quoque in simoniam non inciderit; Et an Collator, quem negotium non latet, ei provisiones concedere possit?

IV. Si in simoniam lapsus est, quid ei faciendum, ut ab ea liberetur? Poteritne ea occulta haberi, utpote quatuor aut quinque tantum personis nota? Eumne Episcopus ab eadem absolvere potest? Ille vero post absolutionem an non adhuc tenebitur ad Romanam Curiam confugere, ut in integrum restituatur?

V. Resignatario, cum in Romana Curia liberatus, & de magnæ Pœnitentiariæ mandato absolutus fuerit, poteritne Parochia conferri tanquam vacans ob Resignantis simoniam, quin in hunc inquiratur? Clausula porro, *quovis modo vacet*, in resignatione posita an non Ordinario jus tribuit de ea disponendi tanquam de Beneficio vacante?

Rogatur Consilium, ut super omnibus hisce quæstionibus sententiam suam rationibus firmatam exhibeat, eamdemque subscribat, ut in Diœcesi legis loco sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, & expendit, existimat, Contractum initum inter Resignantem & Resignatarii Patrem simoniacum esse ob conditionem, quæ apposita est, ut nempe Resignanti centum librarum summa tribuatur, quia Resignans, dum Beneficium abdicaret, nihil juris ad eas obtinebat. Extructiones autem, quas ille perfecerat, in Dominium transierant Beneficii, cujus usum tantum ipse obtinebat, quandiu quidem ejus Titularis existeret, cum nihil egerit, quod non bonus Œconomus agere teneretur, ut sibi commissum bonum augeret.

Resignans & Resignatarii Pater subiere pœnas in Beneficiorum negotio contra Simoniacos inflictas; neque vero ab eis posterior eximi potest, nisi absolute ignoraverit, id quod agebat, Ecclesiæ regulis vetitum esse, atque adeo nec dubitaverit, quia dubitatio bonam fidem impediisset, & quod inde consequitur, ille a Simoniæ pœnis immunis non esset.

Resignatarius cum id cognoverit, quod in sui gratiam gestum esset, idque, dum *Visa* ab Episcopo petiit, approbaverit, ipse quoque Simoniacorum censuras & pœnas subiit, ut constat ex *Capite sicut tuis, Extra de simonia*, & Glossa in idem Caput *Verbo, Consenseris*: *Nam si consensisset, simoniam commisisset, quia consentire est quandoque consentire & ante & post 1. q. 5. Eos. infra & q. 3. Si quis Præbendas, & c. Si quis objecerit: quia in maleficiis ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur*. Quam doctrinam tradit & Glossa in Caput *Si alicujus, extra, de electione, Verbo, ratum habente*, ubi de homine sermo est, in cujus favorem simonia commissa fuerat, ut ei Beneficium per electionem obtineretur: *alias si postea consentiret, idem esset, ac si ab initio procurasset, t. de simonia c. sicut. Sic enim ratihabitio in maleficiis retrotrahitur, & mandato comparatur*. Satis ergo fuit Resignatarium id probare, quod actum est, ut pœnas subiret simoniæ realis inter ejus patrem & Resignantem commissæ, centum librarum solutione ipsa consummatæ, & ab ipso firmatæ, dum *Visa* petiit ab Episcopo, ut resignatæ Parochiæ possessionem iniret.

Episcopus porro per Tridentini Concilii Decretum *Sess. 24. cap. 6. de Reform.* posset reos absolvere; sed eos ad Romanam Sedem confugere necesse foret, ut in integrum restituerentur, & Beneficiis apti redderentur, id quod tum in Pœnitentiaria, tum in Dataria fieri posset: redintegrati tamen non essent ad Beneficium, in quo admissa est simonia, & quod inde consequitur, Episcopus post ejusmodi redintegrationem non posset illud ipsum Resignatario conferre. Cæterum minime licet ad Beneficium nominare, quod non vacet, cujusque non sit nota vacatio. Hic vero, ut res publica esset, oporteret Episcopum in hos duos Ecclesiasticos inquirere, & tunc quidem gratia in Pœnitentiaria Resignatario impetrata, ei prorsus inutilis quoad forum externum evaderet; publice quippe inde innotesceret eum simoniæ conscium fuisse, ac proinde ille possidendæ Parochiæ inhabilis non immerito censeretur. Itaque ut res in occulto maneat, id unum ei superest, ut Beneficium pure simpliciterque dimittat in Collatoris manu, a quo, prout ipsi videbitur, provideatur.

Decisum die 15. Martii an. 1687.
Aug. *de Lamet*.

Simo-

Simonia, & alia incommoda vitanda in Beneficii petitione, tum etiam cum is, cui petitur, idoneus est.

CASUS XXV.

1 *Non licet in allias gratiam sollicitari Beneficium, cujas Titularis jacet in mortis articulo, & jam jam animam efflat.*
2 *Multo minus promitti potest servitiam ei præstandum, qui dabit operam, at Beneficium idoneo viro, qui proponitar, conferatur.*
3 *Beneficio, quod cantum requirit, is potissimum dignus est, qui ob pleni cantas scientiam, qua instructus est, Ecclesiæ, in qua idem Beneficium situm est, utiliorem operam navare potest.*

QUÆSITUM.

PEnes unum Capitulum Diœcesis N.... est plena collatio Beneficiorum omnium ejns Ecclesiæ, exceptis duobus aut tribus, quæ Episcopus confert; atque in bac re rogantur Sorbonæ Doctores, ut dicant, quid sentiant super quæstionibus, quæ seqnuntur.

I. Potestne ante Titularis mortem pro idoneo viro & ad Ecclesiæ utilitatem ejus Beneficinm peti?

II. Potestne promitti iis opera, qui Beneficium obrinendum curaverint?

III. Quinam idonei sunt habendi? Causa exempli an adolescens annorum octodecim seu viginti in Ecclesia altus educatusque, qui Ecclesiastici cantus peritus est, & Latine scit, estque probatis moribus, idoneus censendus sit?

IV. An non dignior omnino eligendus est; & in hac facti specie Presbyrer, qui cantum non satis callet, sed singulari cæteroquin virture ac doctrina prædiius est, an non adolescenti, de quo supra, est præferendus?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositis quæstionibus satisfaciat, existimat,

I. In Jure probibitum esse Beneficinm promittere, aut curare, ut sibi, cum vacaverit, promittatnr (a). Et sane bæc promissio, aut hic ambitus est occasio Titularis mortem optandi, ut ei succedatur. Hinc locus datur, inquiunt Canones, hæreditariæ successioni in Ecclesia: *Nulla Ecclesiastica Ministeria, seu etiam Beneficia, vel Ecclesiæ tribaantur alicui, sea promittantar, antequam vacent, ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & Beneficium se crediderit successurum. Turpe est, & divini pleaam animadversione judicii, si locum ia Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio babeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt.* Promissiones Beneficii, cum vacaverit, conferendi nullæ nulliusque obligationia declarantur in Jure (b). Neque vero id ex eo honestum rectumque fit, quod is, in cujus gratiam sollicitatio instituitur, idoneus sit, & Ecclesiæ bonum ob oculos habeatur. Potest sane universim proponi vir idonens, qui in Ecclesia sedem aliquam occupet, cum Beneficia aderunt, quæ tribuantur; & non licet in ejus gratiam peti Beneficinm peculiare, quod nondum vacat; id enim improbant Canones & Jus universum, ut dictum est.

II. Quod si sollicitanti promitti non potest, multo minus potest, cum ille aliquid operæ præstitit, aut se præstiturum promittit; quoniam tribueretur ansa credendi temporalem rationem in causa esse, ut eligatur is, qui nominatur; quod summopere Canonibus adversatur. Sæpe etiam contingeret, ut ob studium ei gratificandi, a quo officium aliquod receptum est, præferretur minus dignus, quia ab eo commendatur. Nempe gratis & absque ulla temporali cogitatione Beneficia sunt conferenda. Qui secus agit, violat Ecclesiæ Leges, & simoniæ crimini se obnoxium reddit.

III. Descriptio Adolescentis in Ecclesia educati, cantum & latinum sermonem callentis, ut in Expositione dictum est, eum idoneum esse significat.

IV. Dignior is est, qui in sede, quæ vacat, potest utilius Ecclesiæ deservire; jam vero apparet adolescentem hunc ejusmodi esse; nam præter laudabiles, quæ ei tribuuntur, qualitates, altus est in eadem Ecclesia, eique servitium exhibuit; quæ quidem justa causa est, quamobrem anteferatur, ut nimirum iis addatur animus, qui eidem Ecclesiæ addicti sunt, quod & huic, & cæteris peculiaribus Ecclesiis est sane perutile. Presbyter quidem, de quo in Expositione, doctior est; verum in hoc negotio nec præcipua, nec utilior qualitas scientia est, ut occupetur sedes, in qua canendum est, ac danda opera, ut divinum Officium majore cum dignitate obeatur.

Decisum in Sorbona hac die 23. Septembris an. 1696.

G. *Fromageau.*

A Simoniaco edita Resignatio.

CASUS XXVI.

1 *Ecclesiasticus Beneficium consecutus ex ejus resignatione, qui ad illud nullo jure gaudebat, utpote quod per fraudem ac simoniam obtinuerat, ejus Titularis non est, nisi Romanæ Curiæ provisionibus instruendum curaverit solemne illud,* quovis modo vacet.
2 *Et reddendum est Beneficium, qui a Collatore nominatus fuerat, dummodo illud pravis rationibus non obtinuerit.*
3 *Si jus nemo ad illud obtinet, actualis ejus possessor potest digne viro, quique Ecclesiæ, in qua Beneficium situm est, operæ navandæ idoneus sit, resignare.*

QUÆSITUM.

COllatum est Jacobo ratione minime Canonica Beneficinm simplex, consanguineus illud ei resignandum curavit mediatione personæ, cui se non ingratum fore testatus est; cum Resignans graviter ægrotaret, ad Romanam Curiam extra ordinem missum est, & quantum recordatione assequi licet, in supplicatione positum est, *quovis modo vacet.* Moritur Resignans ante signaturæ expeditionem; celatur cadaver, ut provisiones accipiantur, antequam Patronus nominare possit. Patronus biduo seu triduo post expeditas Romanæ Curiæ provisiones nominat; & cum de occultatione suspicaretur, inquisitionem instituit; qui porro nominatus erat, graviori litigio se obnoxium sentiens jus suum alteri cedit, ea conditione, ut impensas, quas fecerat, sibi compenset. Desistit Cessionarius probationibus destitutus, ita ut Jacobus Resignatarius sexenni aut septennii spatio in Beneficii possessione remanserit. Nunc vero instant consanguinei, ut solvat impensas, quas ejus causa fecerunt; putat autem ille verisimile esse eos munus aliquod ei tribuisse, qui ad resignationem obtinendam incubuerat, & cui grati animi fides obstricta fuerat.

Jacobus, Deo afflante, Petrum consulit, significatque sibi in animo esse Beneficium suum ei resignare, quod neminem eo digniorem agnoscat. Petrus habet Jacobo gratias, inquiens se quidem non credere Beneficium ab eo resignari posse, quod ad ipsum minime spectet, eique auctor est, ut illud ei remittat, quem Patronus nominaverat.

Jacobus in consilium adhibet viros alios, eosque doctos ac pios, qui non ignorantes eum veterem Concurrentem alio non mediocri Beneficio potiri, ei consilium dent, ut idoneum virum eligat; audientes porro, quod Jacobus sibi proposuerat, id approbant, designati Ecclesiastici bona opinione ducti, seque eum ad Beneficium acceptandum adacturos recipiunt.

Et sane sollicitatur Petrus, ut Jacobi consilio assensum præbeat; ille vero suas rursus difficultates opponit, & quos accuratos judicat, Doctores consulit; iterum Jacobus consilium petit, omnesque uno

(a) Cap. 1. & 2. de concess. præbend.

(b) Cap. Detestanda. De concess. præb. in 6.

uno ore concludunt Jacobum posse atque adeo debere Petro Beneficium suum resignare.

Perficitur resignatio, & Petrus instituendam pensionem curat in Jacobi gratiam, quem prævidet necessitati obnoxium fore, quamvis Jacobus ipse nihil petierit; simulque Petrus ei auctor fuit, ut se in Pœnitentiaria in integrum restituendum curaret, ad pensionem legitime possidendam, si forte Petrus, qui eam, eleemosynæ quoque titulo, tribuebat, e vita excessisset; quia nempe tunc fieri posset, ut in Successore non eadem esset animi præparatio, si cognovisset ipsum nullo ad eam jure gaudere.

Triennio & amplius pacificus possessor remanet Petrus, non nihil tamen propterea sollicitus, quod non satis juris Jacobo suppeteret. Quia porro difficultates suas bona fide proposuerat idoneis Viris, qui eas flocci fecerant; ac præterea reditus omnes, pensione deducta, in pia opera conferebat, ac tantum quo viveret, sibi sumebat: animam tranquillavit, secum reputans se plus æquo ei Beneficio, divina adjuvante misericordia, animo addictum non esse, atque adeo paratum esse illud dimittere, ut in eum usum conferretur, qui optimus censeretur.

Jacobus ægre a Romana Curia redintegrationem obtinere potuit; Petrus porro ei de Beneficii reditibus opem ferebat, quippe qui Ecclesiæ deservire vellet, nec animi dotibus destitueretur. Jam Doctor idoneus super hoc salebroso negotio, quod apud Romanum Pontificem difficultatibus obnoxium erat, a Jacobo consultus, simoniæ, quæ in prima resignatione in Jacobi favorem facta apparebat, maxime rationem habuit, eique testatus est se quidem credere necesse esse, ut ejus Resignatarius ad Romanam Curiam iterum mitteret, ut Beneficii provisiones obtineret.

Quæritur I. An Petrus novas provisiones a Pontifice petere debeat, an vero teneatur Beneficium in Collatoris manu simpliciter abdicare? Qui initio quidem jus obtinuerant, ei possidendo non amplius pares esse videntur; nominatus enim a Patrono cessit juri suo, ut Petro testatus est, ratione non satis Canonica, addens urbanitate quadam, vel alia de causa se jus omne, quo quidem gaudere posset, æquo animo in Petrum conferre.

Quæritur II. Quid satius sit, Petrumne in Beneficii possessione persistere, eo, ut assolet, bene usurum, an illud idoneo Viro resignare, qui Diœcesi deservire possit, in qua Beneficium situm est, & in qua Operariis valde opus est, an denique in Collatoris manu se Beneficio simpliciter abdicare?

Bene animatus est Collator hic, & Petrus obtinere posset, ut ille dignæ electioni, quæ Ecclesiæ utilis esset, assentiretur.

Quæritur III. An non male se gesserit Petrus, retento Beneficio, postquam Doctor Jacobum monuit oportere, ut Resignatarius novam provisionem a Romana Curia impetraret? Porro Doctori huic haud magni ponderis visa est cadaveris occultatio. Ideo autem Petrus post Doctoris decisionem nil novi molitus est, quod crederet, se, ante quam resignationem acceptaret, difficultates omnes satis exposuisse. Præterea ignorat Petrus, an sibi Jacobus ante pacificæ possessionis annos tres de simonia verba fecerit, atque an hæc circumstantia, cum Doctores consulti sunt, exposita fuerit? At si quid Petrus peccavit, quod non perceperit, quid sibi faciendum esset, cum intellexit Doctorem sentire se rursus ad Romanam Curiam mittere debere, quæritur, quomodo erratum hoc reparare debeat, qui nihil unquam sumpserit ex Beneficio?

Rogantur demum Doctores, ut edicant, quid optimum factu judicent; Petrus quidem tum resignare Beneficium, tum abdicare paratus est; atque hactenus, ne id perficeret, eo prætextu impeditus est, quod alter non omnes Beneficii reditus, ut ipse, in pauperes erogaret. Illud Seminario unire in animo habebat; at graves admodum occurrunt difficultates. Illud Petro gravissimum videri posset, quod virorum, quos ille observantia prosequi debet, quosque intus & in cute novit, exacerbarentur animi, si se Beneficio abdicaret. Hæc tamen omnia parvi pendet, ut sibi non desit.

Quæritur denique, an non Jacobus impensas, quas Competitori suo attulit, reddere teneatur? Atque an, si quando satis habeat, unde subsistat, non teneatur pensioni renuntiare, atque adeo fructus, quos ex Beneficio percepit, pro viribus restituere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum sentiens opinionum diversitatem apud eos, qui consulti sunt, ex eo prodiisse, quod negotium non satis in bono lumine positum fuerit, existimat, ad quæstionem primam solvendam ab origine repetendam rem esse, id nempe quod dubium est, ab eo, quod certo constat, secernendum. Hoc posito Consilium censet, cum nil juris ad Beneficium Jacobo sit, ejus resignationem in Petri gratiam nullam esse, nulla itidem ea omnia esse, quæ eamdem sunt consecuta. Ejus, qui resignaverat, cadaveris occultatio crimen est; quod tum Civiles, tum Canonicæ Leges pœna dignum declarant; inde se Jacobus inhabilem reddidit ei Beneficio possidendo, teste Rebuffo in Tractatu super an. 1539. Constitutione adversus eos, qui seu Beneficiariorum cadavera seu aliorum celaverint; etiamsi nihil ei promissum esset, qui operam suam ad resignationem contulit, vel non esset impleta promissio, vel denique in Romana Curia ante Resignantis mortem admissa esset resignatio. Itaque ob hæc omnia non unius generis vitia, quorum singula nullitatem secum afferunt, Jacobus non potuit Beneficium disponere, cujus non nisi injustus possessor erat; illud quippe ad eum spectabat, qui ad Patroni præsentationem provisiones obtinuerat. Jacobus, qui Beneficio potitus est, omnes ejus fructus ei restituere tenetur ad diem usque, quo is, cui jus suum cessit, ejus possessionem suscepit.

Per ejusmodi cessionem Cessionarius in Cedentis sui locum & sedem successit; eique proinde restituendum fuit Beneficium, omnesque proventus ad eum spectarunt; neque vero cessio, quam edidit in Jacobi gratiam, cum intelligeret ear pravas rationes, quibus ille usus fuerat, a se probari omnino non posse, Jacobo novum ullum jus attulit ex trita Juris regula: *Nemini fraus propria patrocinari debet.* Porro Jacobi resignatio in Petri gratiam de medio non sustulit jus ejus tertii, cujus recessio voluntaria non fuerat. Jacobus quippe jus in Petrum transferre non potuit, quo ipse carebat, quodque in Cessionario tantum existit, nisi eo se indignum reddiderit simoniaca Transactione cum eo edita, qui sibi jus cesserat, eaque ratione ad Beneficii titulum inhabilitatem contraxerit.

Urbanitatis autem officium Juris ratio non est; ac defectus suspicio; quæ suberiet; non sufficeret, ut impediretur, quominus remitteretur Beneficium, omnisque reditus tum a Jacobo, tam a Petro perceptus restitueretur; cum a justitia alienum sit quempiam ex suspicionibus; & sine solida & constanti probatione eo bono spoliari, quod ad ipsum certo spectat ob titulum, quo instructus est. Si Petro solida & constans probatio suppeteret; si ejus dubitatio in certitudinem verteretur, si denique dubitare non posset, quominus resignatio Cessionario facta simoniaca esset; tunc is quidem nil juris ad titulum, ac proinde ad Beneficii reditum obtinere censeretur; at non propterea Titularis Petrus esset, utpote Beneficium assecutus ex Jacobi tantum resignatione, quam Pontifex non alia de causa, quam quia legitimam crederet, acceptavit; ea porro cum ejusmodi non fuerit, Petro nil juris attulit. Verum si, omissa resignatione, Petrus Beneficium petit cum clausula, *quovis modo vacet*, quæ quidem verba omnia vacationis genera complectuntur; cum Beneficium reipsa vacaret, quoniam id ponitur tanquam certam coram Deo nullum veri nominis Titularem fuisse, Petrus recte provisus esset, Beneficii fructibus tanquam verus dispensator uti potuisset, nullique restitutioni vel erga primum Competitorem a Patrono nominatum, vel erga Cessionarium, quem ob conventionem simoniacam jure suo cecidisse pro certo ponitur, obnoxius esset.

Quod attinet ad quæstionem alteram: pacifica Triennalis possessio Petro favorabilis esse posset, si Jacobum per simoniam, atque occultato Decessoris sui cadavere in Beneficium irrepsisse ignorasset. At

id non

id non est vero simile, quoniam Jacobus ei status sui rationem detexerat; ut proinde Petrus auctor ei fuerit, ut ei Beneficium remitteret, quem Patronus nominaverat, testatus cum nil juris ad Beneficium obtinere, nec illud resignare posse; quod sane Jacobo non dixisset, nisi rationes, quibus illud obtinuerat, nihil valere, eique nullum jus ad Beneficium tribuere cognovisset. Censetur Petrus, Doctore consilium dante, ut novas a Romana Curia provisiones obtineret, eos in Provincia sua consulere debuisse, qui ejusmodi rerum periti essent; sed ille tamen tranquillo animo fuerit, si cum clausula, *Quovis modo vacet*, provisionem obtinuit, dummodo Cessionarius per simoniam jus, quo gaudebat, amiserit.

Ad quæstionem tertiam quod spectat, non nisi generale responsum afferri potest. Si theorice res accipiatur, perfectius est, Beneficium simplex abdicari, tribuique Clerico requisitis dotibus exornato, qui ad hierarchicas functiones incumbens Diœcesi deserviat, in qua Beneficium positum est, quam illud retineri, ut porro ejus omnia reditus in eleemosynas conferatur, quia nempe hoc bonum non adeo magnum est, ac sollicite quæsita proximi salus.

Tenetur Jacobus impensas, quas Competitori suo attulit, restituere, si quando habuerit, unde subsistat, eamque restitutionem conficiat. Jam facta hypothesi Petri provisionem, quemadmodum supra declarata est, validam esse, pensio, quam Jacobo promisit, valida ac firma est, eaque Jacobus frui potest, cum in Pœnitentiaria fuerit in integrum restitutus; at si Petri provisio nulla sit, nulla quoque ex consequenti est pensionis creatio, quippe quæ cum veri Titularis detrimento institui nequaquam potuerit.

Decisum hac die 20. Maji an. 1689.
Aug. *De Lamet*.

Simonia in exactionibus, quas edit Parochus ob Sacramentorum administrationem, & ob alia Ecclesiastica Ministeria.

CASUS XXVII.

1 *Parochus citra simoniam nec Sacramenta nec sepulturam vendere potest, eoque contentus esse debet, quod Diœcesi Constitutionibus taxatum est.*
2 *Peccat avaritiæ crimine, cum ad efferendum Defunctorum corpora non ante postremam Missam, quæ pro iis celebratur, se confert, ne ita longo tempore luminaria incendantur, ac dum triginta solidos exigit ob declarationem, quæ non nisi quatuor aut quinque solidis constare debet.*
3 *Absolutionem ei negare debet Confessarius, nisi ejusmodi exactiones restituat, quæ maxime injustæ sunt.*

QUÆSITUM.

RUralis Parochus Diœcesis P.... cujus Parochiæ, præter fortuitos proventus, librarum prope septingentarum certus ac solidus est reditus, id quod ad ejus sustentationem satis est, cum solus sit, & ne famulum quidem habeat, a suis tamen Parochianis ob Sacramentorum, & Matrimonii potissimum administrationem, atque ob Defunctorum sepulturam & officium extraordinarias atque immodicas summas exigere non dubitat. Prohibet Cereos atque alia luminaria ante postremam Missam accendi, atque adeo non ante hanc eamdem Missam pergit ad efferendum defuncti corpus, ne luminaria, quæ cadaver circumstant, diu incendantur.

Præterea cum plures Incolæ Parochiam deserant agrestis operæ gratia & necesse habeant ad Parisiorum Electionem deferre declarationem Parochi manu signatam publicationis, quæ edita fuerit, translationis eorum habitationis in aliam Parochiam; hic Parochus occasionem hinc arripit ab his pauperibus hominibus ea declaratione opus habentibus triginta solidos exigendi, quamvis ubique locorum quatuor tantum aut quinque solidi solvi consueverint.

(a) Alexand. III. Can. Cum Ecclesiæ, de Simonia.

Quæritur ergo, possitne Parochus hic ita se gerere in Matrimoniis, & Sepulturis Parochianorum; quorum plerique summa paupertate laborant? Eine jus competat quicpiam vel minimum exigendi, cum certum proventum possideat, & qui ejus congruam sustentationem excedat.

Potestne ille tuta conscientia impedire, quominus in divino Officio luminare accendatur in defunctorum Vigiliis, & duarum priorum Missarum tempore, ut tum solum ardeat, cum postrema Missa celebratur: Ac potestne ad hanc postremam Missam cadaverum elationem differre, repugnante consuetudine, ac non sine Parochianorum scandalo, simoniam, monopolium, & avaritiam exprobrantium? Potestne triginta solidorum taxam imponere pro declaratione, cujus gratia semper quinque solidi dati sunt, ac deinde Absolutionem ac Sacramenta iis denegare, qui, quod exigit, ei solvere renuerint, cum publice notorium sit eum hac una de causa cum multis ita se se gessisse?

Parochus ejus confrater pro certo habens eum contra jus agere, quærit, an, si forte ille ad se Confessionis gratia accesserit, eum possit absolvere, quin ipsum adigat ad restituendum, & ad scandalum, quod adeo sordide & quæstui addicta agendi ratio Parochianis attulit, reparandum?

Quæritur etiam in universum, & obiter, an Sacerdos aliquid exigere possit, præterquam quod sibi ultro offertur, pro Missæ sacrificio? Potestne dicere octo aut decem solidos satis non esse, ac duodecim seu quindecim exigere? Eadem ratione ob Sacramentorum, ac sigillatim ob Matrimonii, ob sepulturæ &c. administrationem potestne, quod offertur, respuere, ac negotiari, ut aliquid amplius obtineat?

RESPONSIO.

Consilium-Conscientiæ subscriptum, quod allatam Expositionem vidit, existimat quoad quæstionem primam; Parocho non licere quicquam, ut est propositum, a Parochianis extorquere citra simoniæ crimen; præter quam quod enim satis res patere videtur ipsa per se, Civiles & Canonicæ Leges in hanc eamdem rem, expressæ sunt. In Aurelianensi Constitutione art. 15. hæc habentur: „ Inhibemus „ Prælatis omnibus, Ecclesiasticis, & Parochis, ne „ sinant quicquam exigi pro administratione san„ ctorum Sacramentorum, Sepulturæ, aliarumque „ rerum spiritualium quarumcumque, non obstan„ tibus arrogatis Consuetudinibus & communi pra„ xi; relicta tamen cuicumque libertate tribuendi, „ quicquid ipsi videbitur. Blesensis autem Constitutio art. 51. derogat præcedenti, dum ita statuit: „ Volumus, & mandamus, ut tum Urbanis Paro„ chis, tum cæteris serventur jura Oblationum, „ & alia jura Parochialia, quæ percipere consue„ verunt juxta veteres & laudabiles Consuetudi„ nes, non obstante Aurelianensi Constitutione, cui „ nos quoad hoc derogavimus, & derogamus. Idem statuitur in Edicto Melodunensi an. 1580. art. 27.

Idem ex simoniæ definitione, quæ in Jure Canonico traditur, luculenter evincitur. En Alexandri III. (a) decisionem: *Horribile nimis est*, inquit Pontifex, *quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere; ita ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, seu introducendis Presbyteris in Ecclesiam, necnon & pro sepulturis & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium seu aliis Sacramentis aliquid requiratur... Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis aut collatis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis vero contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum.*

Idem statutum est in *Cap. Suam*, & in *Cap. Ad Apostolicum* eodem titulo. Auctor (b) Sermonum ad fratres in Eremo quæstionem hanc adamussim decidit: *Si Sacramentum*, inquit, *dare distuleris, etiamsi fueris omni paupertate vallatus, non Pastor es, non Minister Christi es, sed Mercator..... Spon-*

tanea

(b) Auctor Sermonum ad fratres in eremo Serm. 38.

tunca & sincera voluntate porrige Sacramenta, nihil petendo, expectando, nihil de promissa desiderando; sed si tibi datur, juste recipis, juste possidere potes. Mediolanensia prima Synodua idem præcipit, quod occurrit in Decretalibua, in hæc verba (a): *Cum Sacramenta Ecclesiæ non solum sine simonia labe, verum etiam sine avaritiæ suspicione præbeada siat; caveant omnes, ne in eorum administratione quicquam exigant, aut etiam verbis, vel signis, directe, vel indirecte petant: Qui secus fecerit, eum & pœnis jure communi statutis, & aliis arbitrio Episcopi plecti volumus.* Et tit. *de funeribus, & exequiis* fere idem repetit: *Exequiarum sepulturæ & anniversariorum causa nemini quicquam paciscei, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habeat.*

Quoad quæstionem alteram; standum est cujusque Diœcesia consuetudini quoad cadaverum elationem; Parochus autem consuetudinem violans graviter peccat, avaritiam suam patefaciens, ac Diœcesis quidem morem tenere debet in Cereia accendendis, & ut scandalum, quod attulit, de medio tollat.

Quoad tertiam; triginta solidorum taxationem ob declarationem imponere nequit, gravissimeque delinquit, dum Parochianis postulata tribuere nolentibus Absolutionem denegat.

Quoad quartam; Confessarius, ad quem confessionis causa hic Parochus accederet, teneretur ab hac præpostera praxi eumdem abducere, eique præcipere, ut restitueret, quicquid pro Sacramentia ac declarationibua exegisset, quippe qui gravem quoad hæc omnia capita injustitiam commiserit.

Quoad quæstionem quintam, eamdemque postremam; distinguendum est inter Presbyteroa, qui Missam ex Officio celebrare tenentur, & qui ejusmodi obligatione non adstringuntur. Quod attinet ad posteriores, ei taxæ, quam Episcopus instituit, standum est; celebrata porro Missa, admodum foret absonum, eos de retributione contendere. Possent illi tamen significare, sustentationem Ecclesiæ Ministris deberi, si adeo exigua foret gratificatio, ut earum subsistentiæ impar esset. Ad cætera quod attinet, per ea responsum est, quæ supra dicta sunt.

Decisum Parisijs hac die 14. Januarii an. 1678.
Aug. *de Lamet*.

Simonia in conventione proposita Novitio ad Regularem Professionem recepto.

C A S U S XXVIII.

Ecclesiasticus, qui ut Regulare Beneficium possideat, Benedictinum Ordinem profitetur, Monasterio, in quod ingreditur promittere nequit citra simoniam, se nunquam ea petiturum, quibus ad subsistendum est opus.

QUÆSITUM.

OBtinet Titius in Romana Curia Beneficium regulare cum ea formula, *pro capiente profiteri*. Ut obligationi sibi in provisionibus impositæ satisfaciat, in veterum Benedictinorum Monasterio Novitiatum suum exorditur. Cum inibi esset, ut Professionem emitteret, postulant Religiosi, ut, priusquam vota pronuntiet, scripto, atque adeo dato vade promittat se nunquam victui ac vestitui necessaria ab eo Monasterio exacturum. Titius, ab iis Monachalem sedem non petit, quique Beneficium non tenue jam possidet, æquo ille quidem animo fidem obstringeret; sed metuit, ne mandatis obsequens se simoniæ crimine polluat.

Itaque Sorbonæ Doctores rogat, ut difficultatem decidant; ac facta hypothesi simoniacum id fore, eos orat, obtestaturque ut legitimam rationem indigitent, qua componantur eorum Religiosorum animi, qui eum, qui consulit, aliquando sibi oneri futurum timent.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, in præsenti facti specie conventionem Titio propositam simoniacam fore, Benedictinis rem spiritalem, nempe Religiosi Ordinis sui titulum ei tribuere volentibus, ea conditione, ut victus & vestitus a Monasterio petendi juri renuntiet, id quod temporale aliquid est; quamvis enim id juris ei nondum sit acquisitum, quoniam nondum Professionem emisit, satis tamen est eum inibi esse, ut illud acquirat, quandoquidem ad Professionem edendam receptus est; ex quo fit, ut ille tuta conscientia nequeat Legem sibi propositam acceptare, in qua quidem Religiosi non obscura signa dant cupiditatis, & simoniæ, a quibus se Titius alienum exhibeat necesse est.

Qui sane Officii commoda & jura ei remitteret, qui illud sibi ea conditione cederet, illud idem emere censeretur, quia ejusmodi commoda pretii ejusdem Officii locum tenerent. Titius porro juri renuntians, quod ei affert Professio, ut nempe in Monasterio sustentetur, idem omnino præstat; emit scilicet Religionem, Familiæ remittens impensam, quam faceret, ut sibi victum ac vestitum suppeditaret; & renuntians commodis cæteris, quæ Religiosi Professi sibi arrogandi jus obtinent; atque ita dubio procul acquirit rem spiritalem pro temporali, quam deserit.

Id occurrit in Jure Canonico, unde Transactio, quæ Titio proponitur, tanquam simoniaca spectetur. Etenim in (b) Cap. *Per tuas* Innocentius III. suspensum declarat Subdiaconum, qui Parocho promiserat, se, si ejus auctoritate Subdiaconi gradum in ipsius Ecclesia obtinere potuisset, nihil eorum ab eo petiturum, quæ eidem gradui annexa forent: *Illi firmiter repromisit, quod nunquam, si præsentaret eumdem in Ecclesia, aliquam peteret portionem, & sic ad petitionem ejus exstiterit ordinatus.* In Capite penultimo (c) Canon, *si quis* ad triennium suspendit Episcopum, qui sine titulo Ecclesiasticum initiaverat, ab eo promissionem extorquens, se nihil ab ipso Episcopo, ut subsisteret, exacturum; & qui ea conditione initiatus fuit, ab Ordinis, quem suscepit, functionibus suspensus pronuntiatur. Glossa in hæc duo Capita declarat in utraque facti specie simoniam locum habere; adeoque a pari, quod ajunt, statui potest, in eo quoque, quod Titio proponitur, simoniam non deesse.

Panormitanus quidem, Caranta (d), & Barbosa in ea sunt sententia, ut credant in ejusmodi casibus de simonia generali quadam notione, & non proprie sumpta sermonem esse; ita nempe postremus loquitur: *Mihi probabilius videtur, simoniæ labem considerandam, cum aliqua tamen restrictione, ut illa sit simonia, quæ sub stricta, sed large sumpto vocabulo comprehenditur.* Auctorum, quos laudavimus, ea ratio est, quia si actum esset de simonia proprie dicta, quæ omnibus juris pœnis reum afficit, non ad triennium tantummodo, sed in omne vitæ tempus Episcopus suspendi debuisset, quoniam in Excommunicationem incidisset, eodemque pacto Clericus ordinatus non ab eo tantum Ordine, quo insignitus fuerat, sed ab aliis quoque omnibus suspensus fuisset, & declaratus ineptus ad Superiores Ordines suscipiendos: *Quod vere & stricte loquendo*, inquit Quarenta, *non sit ibi simonia commissa, arguitur a levitate pœnæ ibi expressæ, cum Ordinatus ibi suspensus pronuntietur ab Ordine tantum sic suscepto, Ordinator vero a collatione Ordinum per triennium, ac præsentator ab executione Ordinum per idem tempus: sed si vera ibi in Ordine simonia patrata esset, Ordinator esset perpetuo suspensus ab Ordinum collatione, & Ordinatus esset suspensus nedum ab Ordine simoniace suscepto, sed ab omnibus aliis Ordinibus, juxta pœnas adversus simoniacos in Ordine a jure statutas.*

Utut res habeat, certum est ex Jure, & Canonistis eum peccare, qui Ordines suscipiens, se jura iisdem annexa non exacturum promittit; idque sine aliquo simoniæ vitio fieri non posse, Auctores omnes unanimi sententia statuunt.

(a) Carolus Concil. Mediol. 1. 2. parte pag. 6. col. 2. de iis, quæ ad Sacram. administrationem pertineat. Idem tit. de funeribus & exequiis pag. 36. col. 1.
(b) Cap. 37. Per tuas.

(c) Cap. penult. Can. Si quis.
(d) Caranta Summa Bullarum v. Ordo §. Erit igitur. Barbosa in cap. 37. Per tuas, de Simonia.

Illud etiam maxime constans firmumque est, Conventionem Titio propositam bonis moribus, & Canoonum menti adversari, nec citra grave peccatum executioni mandati posse. Ut peccatum hoc evitetur, id unum superest, ut Familiæ, io qua Titins Probationem suam confecit, Religiosi absque ulla conditione eumdem recipiant; siquidem iis omnibus dotibus ornatus sit, quas ejusmodi status requirit.

Decisum Parisiis die 16. Januarii an. 1700.

G. *Fromageau*.

Simonia in permutatione.

CASUS XXIX.

1 *Quævis permutatio, quæ conditionem aliquam adjunctam habet, simoniam continet vel Juris Ecclesiastici, vel Divini.*

2 *Divini Juris simonia est, cum in permutatione temporale commodum, sine quo minime permutaretur, exigitur.*

QUÆSITUM.

MOniales duæ, una quidem e Sancti Augustini, alia vero e Sancti Benedicti Ordine, ambæ proprii Ordinis Conventuali Prioratu gaudentes permutare volunt. Horum Prioratuum alter decem, alter quatuor mille libras annuas reddit; quæ porro pioguius obtinet Beneficium, tria suæ Compermutanti proponit in permutationis gratiam.

I. Ut omnes provisionum & Translationis impensas solvat; postulatum hoc nititur Beneficiorum inæqualitate, & Constitutione Clementis III. Cap. VI. Ea. *de rerum permutatione*, nbi dicitur ad æquandos duorum inæqualium Beneficiorum proventus uliquam pecuniæ summam conferri posse: *Si altera ratione possessionum alteri præponderet, pecuniam posse refundi de ipsarum possessionibus ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certa pecuniæ quantitate, poterit contractus permutationis iniri*; in quo quidem Emmanuel Sa *verbo simoniæ* nullam simoniam existere pronuntiat in hæc verba: *Non est simonia ad recompensationem fructuum paucorum, aut multorum.*

II. Ut Familiæ, e qua egreditur, pleraque mobilia bona relinquat io ejus ædibus existentia, cujusmodi sunt cubilia, peripetasmata, & armaria, empta ex pensionum reditibus, quas illa a suis recipiebat. Id autem firmatur ex eo, quod cum ea bona Monasterium subierint, & in ejus bonum empta fuerint, ad illud pertinent; & Priorissa, quæ nil proprii habere potest, censetur ea Communitati, statim atque in ejus usum eadem convertit, acquisivisse. Est etiam hoc in Ordine Constitutio, qua mandatur, ut bona mobilia, quæ parentes filiabus suis elargiuntur, edita Professione, Communitati cedant. Jam vero Compermutans non ea bona mobilia petit, ut sua faciat, sed quia iis opus habet Communitas, quæ non facile ac sine incommodo alia sibi comparare potest, atque ea cæteroquin ad se de jure spectare putat.

III. Quadringentarum librarum pensionem postulat. Sane cum per annos quindecim non deservierit, non videtur exigendæ pensionis jure gaudere; sed ait illa hanc Principis Legem non nisi ad Parochias & Canonicatus spectare; ac siquidem hæc quoque Beneficia complecteretur, semper justa & Canonica pensio foret, eam partibus ultro statuentibus, eamdemque acceptante Ecclesia, & auctoritate donante.

Hoc posito, quæritur I. An hæ tres conditiones justæ sint? II. An quæ tenue Beneficium possidet, non posset citra conventionem, ex honestate quadam, & ex mera liberalitate Bullarum & Translationum impensas solvere, ædiumque suarum mobilia bona ei relinquere, quæ sibi tribuit Beneficium, cujus reditus oltra dimidium proprii Beneficii proventum excedit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, & expendit, existimat, id, quod proponitur, executioni mandari non posse, quia simoniacum foret, & ex Jure omnes Simoniacorum pœnas secum traheret, excommunicationem videlicet, & inhabilitatem cujuscumque Beneficii possidendi, ac potissimum iis fruendi, quæ simoniæ materia fuissent; ac si res ad Romanam Curiam deduceretur, futurum putat, ut non modo tanquam Juris Ecclesiastici simonia, sed etiam tanquam Divino Juri contraria spectaretur, ut proinde sub dispensationem cadere omnino non posset. Constat enim hujus posterioris generis simoniam tum existere, cum temporale bonum pro re spirituali tribuitur. Jam vero inter ea, quæ postulat Priorissa, quæ decem mille librarum Beneficium possidet, mere temporale bonum existit, ut nempe provisionum, ac Translationis omnes impensæ solvantur; ac si id altera tanquam permutationis conditionem offerret, altera deberet in eam contorquere verba illa, quibus S. Petrus Simonem Magum increpuit: *Pecunia tua sit tecum in perditionem*. Frustra porro Beneficii proventus ab Officio, quod est spiritale, distingueretur, quia cum prius posteriori tanquam aliquid necessarium conjunctum sit, ut animadvertitur in *cap. Siquis objecerit 1. q. 3.* unum sine altero vendi non potest: *Si quis objecerit*, inquit Paschalis Pontifex, *non consecrationem emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus desipere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit, quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.* Cum ergo in hac facti specie petatur pecunia necessaria ad eas omnes impensas, quæ tum ob provisionum Bullas, tum ob Compermutantium Translationem peragentur, ita ut aliter ea Transactio aut permutatio non fieret; proinde futurum apparet, ut pecunia illa pro Beneficio traderetur, & huc ea verba referri possent, *neutrum invenditum relinquit*. Et sane si alia principia tenerentur, nulla amplius existeret simonia; quia pecunia pro Beneficii tantum reditu oblata, spiritualia munia obeundi jus gratis accipere se quisque contenderet. Quamobrem quicumque propositam facti speciem expendere voluerit, Transactionem, de qua sermo est, simoniæ notam effugere non posse non immerito judicabit. Auctoritas autem Capitis *Ad quæstiones. extr. de rerum permutatione* ad præsentem facti speciem referenda non est; neque enim de Beneficiis agitur hoc in Capite, sed de Ecclesijs, quæ Religiosis Ædibus unitæ erant, quæque, unione Beneficiorum unitorum titulus extinguente, non amplius ut peculiaris tituli bonum spectabantur, sed tanquam bona Monasteriorum propria, quæ proinde a Monasteriis ipsis permutari, atque adeo vendi poterant, servatis regulis Juris. Et sane non ignoramus Monasteria non pauca sibi de propriis bonis temporalibus consuluisse; ita sentit Hadrianus VI. *Quodlibet. 6. art. 5.* ubi ostendit Angelum de Clavasio perperam accepisse Panormitani sententiam in cap. *Ad Quæstiones*, ubi contendit in permutatione majorem Beneficii proventum posse pecunia compensari. En ejus verba, quæ cum iis concordant, quæ nos statuimus: *Valde erravit, quia neque hoc notat Panormitanus, neque textus hoc probat; loquitur enim uterque & textus & Panormitanus expresse de possessionibus permutandis, quæ possideantur jure proprietario; ut in casu textus de Monasteriis, ad quæ mere spectant & possessiones illarum Curarum proprietario jure, & non Superior habebat illas vendere. Secus, quando bona aliqua possidentur in titulum, puta gratia officii spiritualis, cui annectuntur tanquam Beneficium.* Covarruvias *l. 2. Variarum Resolut. c. 5. n. 9.* laudat Hadriani sententiam, & pravitatis arguit opinionem oppositam: *Hæc siquidem opinio iniqua videtur*; ostenditque eam Canonistarum communem doctrinam esse. Hac de causa Clemens III. in *cap. Ad quæstiones* iniri jubet Contractus duos, unum quoad Ecclesiam, quoad possessiones alterum, ut ostendat, bona, de quibus agebatur, ex Ecclesiarum titulo non fuisse; si enim titulo fuissent annexa, separari minime potuissent. Pro certo igitur habendum est ex officio & bonis annexis unum tantum Beneficium constitui, & ex regula supra posita alterum vendi aut permutari non posse, quin

alte-

alterum quoque permutationi aut venditioni obnoxium sit; & quoniam Beneficii titulum vendi simoniacum foret, necessaria rerum consecutione statuendum esset simoniacum pariter fore pecuniam tribui ob temporale bonum annexum, quod Beneficii titulo addictum est, juxta Doctrinam *Cap. Si quis objecerit.* Eadem Navarri sententia est Manual. *c.* 23. *n.* 100.

Ad bonorum mobilium postulationem quod attinet, fatendum est, ea quamvis a Priorissa empta fuerint, ad Familiam pertinere. Illa enim non potuit eadem acquirere nomine proprio, sed solum nomine Monasterii, quod unum potest proprietaris jure possidere. Itaque Priorissa sibi persuadere non debet se de iis disponendi facultate gaudere, quia ipsa eorum proprietaria non est, nec ei peculiaris est articulos Constitutionum Ordinis, sed commune Jus, paupertatis voto nixum omnes utriusque sexus Religiosos cuipiam rei sibimetipsis acquirendæ ineptos efficit; ex quo fit, ut Priorissa de dictis bonis mobilibus, salva justitia, stipulari non possit; præterquamquod si permutationi conditio hæc apponeretur, hoc quoque ex capite simonia allatis de causis existeret.

Super conditione tertia pronuntiatur, immodicam pensionem non esse, si ejusmodi Beneficium est, cujusmodi proponitur; verum hujus Monasterii bona accurate expendenda esse; quæ enim ex pensionibus ad puellarum subsistentiam institutis proveniunt, pensioni, quam sibi Priorissa sumere vult, obnoxia esse non possunt, quippe quæ ad earumdem Monialium alimenta cum referantur, privilegii titulo gaudent; quod si decem mille librarum partem constituant, sejungantur necesse est, idemque de iis sentiendum, quæ ad aliarum puellarum subsistentiam, & ad Familiæ sustentationem, quanta quanta esse potest, sunt necessaria: cum a justitia alienum sit Communitatem premi atque indigere, quia Priorissa Beneficium suum permutare vult, cum Priorissa Communitatis gratia sit, non Priorissæ gratia Communitas.

Legem fere non longius extendi, quam sonet, atque pronuntiet, adeoque ex Regiæ Declarationis lectione judicandum, an ejusmodi Priorissæ in ea comprehendantur; Legum tamen explicationem sæpe ab ea significatione pendere, qua a Judicibus accipiuntur, atque ita nil certi statui posse, nisi adsit huic gemina facti species, de qua judicatum fuerit.

Quod si pensio in Romana Curia recepta esset, nullæ pœnæ, nempe censuræ timendæ forent, at si permutationem non aliter institui lubeat, quam ea conditione, ut tenuioris Monasterii Priorissa Bullas solvat, omnesque Translationum & Provisionum impensas, aderit simonia; neque vero expressis verbis in ejusmodi negotiis opus est, sed sufficit transigentium animum, & conditionis instituendæ consilium utrinque parere. Ad mobilia bona quod attinet, haud censetur Priorissa de iis citra Monasterii sui consensum posse disponere, quia de ejus re agitur, eademque bona jure proprietatis ad illud spectant.

Decisum in Sorbona die 17. Februarii an. 1682.
Aug. *De Lamet*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

S O C I E T A S.

SOcietatis nomine hoc loco venit conventio, quam mutuo ineunt duæ pluresve personæ, quæ propriam vel pecuniam, vel industriam, vel quidvis aliud pretio æstimabile ea conditione conjungunt, ut inter se lucrum partiantur, quod majus & certius unionis hujus beneficio futurum sperant. In ejusmodi Societatibus tres præcipuæ sunt regulæ, quæ serventur. I. Ut qui pecuniam, merces, Pecora, vel id genus alia suppeditant, nec collatæ sortis, nec ullius census ex eo, quod exhibent, certo percipiendi securi sint; cum id Sixti V. Bulla (a) rotundis verbis prohibuerit. II. Ut omnes Associati contribuant, & aliquid in Societate ponant, animalia, industriam, laborem, vel aliud quid pretio æstimabile. III. Ut in Societate servetur æqualitas, ne scilicet unus altero magis officiatur, adeoque ut lucrum, impensæ, jacturæ, ac damna communia sint, ac singuli plus emolumenti, minusve percipiant, prout in Societatem contulerint.

Vide (USURA.

Conditiones in Pecorum Societatibus.

C A S U S.

1 *In Pecorum Societatibus Locator citra simoniam exigere nequit, ut sua sibi sors tuta servetur.*

2 *Nullum exigere lucrum potest ultra justum dimidium, quod ad eum pertinet; quodvis aliud emolumentum usurarium est.*

3 *Qui ejusmodi emolumenta perceperunt, injusta esse bona fide ignorantes, ad restitutionem tenentur, si inde ditiores evaserint, non item si bonæ fidei tempore eadem emolumenta consumpserint.*

QUÆSITUM.

ROgantur Sorbonæ Doctores, ut subsequentes Quæstiones, quæ ad Pecorum Societates spectant, haud gravate definiant.

I. Qui ea in Societatem confert, potestne a Conductore petere, ut eorum pretium, prout in æstimationem veniunt, sibi tueatur, & tertiam pariter aut dimidiam lucri partem percipere ratione periculi, cui se ipse Locator exponit?

II. Locator hic idem potestne a Conductore id exigere, ut jacturam omnem, quocumque tandem modo, casuque contigerit, in se recipiat, adeoque si qua pecus perierit, ipse aliam reponere, vel ejus valoris dimidium Domino solvere teneatur?

III. Locator ultra proventus dimidium ad se pertinens potestne aliquod aliud emolumentum exigere, puta unam, duasve quotannis butyri libràs pro quaque pecude, præsertim vero in se recepta gregis jactura, si quo casu contigerit, sine conductoris culpa?

IV. Facta hypothesi in pecorum societate omnes, aut saltem aliquas ejus conditiones injustas esse, possuntne eximi a restitutionis obligatione, quicumque bona fide, & quia ita assolet, ejusmodi conditiones Societati inseruerint?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam expositionem vidit, existimat, eum, qui in societatem pecora confert, non posse tuta conscientia petere, ut sors sibi sarta tecta servetur prætextu periculi, in quod se conjicit, aut proventus partem exigere, si grex emptione, quam iniit, ad Conductorem pertineat; tunc enim Domino non debet nisi summam, de qua convenerunt in Gregis æstimatione, vel totidem pecora, quot recepit.

At si Locator traditi gregis dominus remansit, & qui gregem accepit, non nisi ad ejus curam, nutritionem, & custodiam tenetur; contractus injustus erit, si Dominus exigat, ut sua sibi sors tuta servetur, omnisque jactura conductorem afficiat, quia ex trita Juris regula: *Res perit Domino*; adeoque hæc injusta conditio societatis naturam destruit, in qua omnia pro cujusque collatione æqualia esse debent.

Lamet Tom. II.

(a) Bulla Sixti V. Detestabilis, 25. Octob. 1586.

debent. Ita decidit Sixtus V. in Bulla diei 21. Octobris an. 1586. in hæc verba: Damnamus & reprobamus omnes contractus, pactiones, & conventiones sub titulo societatis, in quibus qui pecuniam, armentum, vel alia contulerint, conductores obstringunt, ut stato tempore res in societate positas sibi reddant restituantque integras, & tales, quales ipse tribuit, quodcumque damnum, jactura, aut diminutio contigerit; & interea quoad societas perduraverit, certum sibi quotannis aut per mensem solvant emolumentum, de quo convenerunt; volumus tales similesque contractus, pactiones, & conventiones illicitas & usurarias haberi.

Per hoc responsum plene planeque satisfit alteri ac tertiæ quæstionibus, quoniam id ipsum merito in laudata Bulla Pontifex damnat; Volumus, inquit, iis, qui pecuniam, armenta, vel alia in societatem contulerint, non licere de certo lucro convenire, aut Associatos suos, quæcumque ipsis jactura contigerit, ad integram sortem ac citra decrementum non sine certo vel incerto fœnore sibi reddendam adigere. An. 1565. Mediolanensis prima Synodus 2. *parte de usuris* jam dixerat, in Societate pecorum, quæ non æstimata rusticis custodienda tradantur, ei, ad quem pecus ipsum pertinet, esse subeundas, nisi certum sit ejus culpa & negligentia, cui pecus concreditum fuit, eas contigisse.

Ad quartam demum Quæstionem quod attinet, respondetur, eos, qui bona fide & ex ignorantia societatis contractus usurarios instituerunt, non teneri lucrum, quod inde perceperunt, consumpseruntque bona fide, restituere, dummodo non inde ditiores evaserint.

Decisum in Sorbona hac die 27. Novembris an. 1689.

Aug. de Lamet.

SPONSALIA.

Sponsalia definiuntur in Canone *Nostrates* 30. *q.* 5. ut sint contrahendi matrimonii mutua promissio. Ad eorum validitatem necesse est, ut qui contrahunt, septimum saltem ætatis annum compleverint, & libero rationis usu polleant; ut proinde possint quidem Parentes promittere & filios suos obligare; sed hæ promissiones non inducunt obligationem nisi post expressum vel tacitum filiorum consensum, cum nempe illi ætatem ad Sponsalia requisitam attigerunt.

Plures sunt casus, in quibus a promissione in Sponsalibus facta licet recedere. Sanctus Antoninus novem enumerat. I. Si Sponsorum alter Religionem amplectatur, id quod matrimonium quoque dissolvit, cum nondum est consummatum. II. si Sponsorum alteruter alio concesserit, & per biennium de eo nihil auditum fuerit. III. si alterum infecerit lepra, paralysis, aut gravis aliqua desormitas eidem contigerit. IV. si qua inter desponsatos affinitas oriatur, ut si Sponsus suæ Sponsæ sororem carnaliter cognoverit. V. si Sponsi in sponsalium solutionem ambo consentiant. VI. Si pars altera post Sponsalia fornicationis peccatum committat, quod pariter intelligendum de hæresi, vel infidelitate, quæ spirituales fornicationes sunt. VII. Cum Sponsus, aut Sponsa verum matrimonium cum alio contrahunt, aut etiam si post meram matrimonii promissionem carnalis cognitio secuta est. Qui tamen post Sponsalia alteram deinde duxit, vel se ducturum promisit, mortaliter peccavit. VIII. cum quis ante pubertatem desponsatus, petit, postquam ætatem hanc attigit, ut sibi liceat ab initis Sponsalibus resilire, & aliud matrimonium contrahere. IX. Si Sponsorum alter ex publico rumore cognoscat aliquod consanguinitatis, aliusve generis impedimentum inter Desponsatos existere. Animadvertendum est voto simplici castitatis præcedente Sponsalia nulla evadere, quamvis jurejurando firmata fuerint; quia hoc jusjurandum illicitum est, utpote voto ac promissioni Deo factæ contrarium. At si votum hoc post Sponsalia editum fuerit, perficiendi matrimonii obligatio perdurat.

(DISPENSATIO.
Vide (IMPEDIMENTUM.
(MATRIMONIUM.

Sponsalia peracta sine testibus, quibusque Parochus non interfuit.

CASUS.

Videndum est, quid censeri debeat in Diœcesibus, & quid in earum Ritualibus præcipiatur, ut de Sponsalium, quæ sine testibus, ac sine Parochi præsentia inita sunt, validitate judicetur.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac difficultate proferant sententiam suam: An Sponsalia, quibus Parochus non adfuit, & quæ sine testibus inita fuere, valida sint, atque an matrimonio afferre possint impedimentum, quod appellant publicæ honestatis?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum putat, publicæ honestatis impedimentum ex Sponsalibus, quæ valida sint, provenire, vel absolute loquendo ad Sponsalium validitatem proprii Parochi seu Vicarii præsentiam necessariam non esse. Ita Gamachius *c.* 33. *de Matrim.* II. neque vero necesse est ullum testem adesse juxta Toletum *l.* 7. *c.* 12. *a.* 1. & Sanchez *l.* 1. *disp.* 12. *de matrim.* Sane in Rituali Alethii traditur Diœceses non paucas esse, in quibus non amplius in Ecclesia Sponsalia contrahi consueverint, pag. 430. & 436. Illud enim discrimen interesse, inquiunt Auctores, inter matrimonia clandestina, & desponsationes, quod priora nulla declaravit Ecclesia, non item Sponsalia clandestina, quamvis docente Panorm. in 4. *decret. de Sponsal. cap. Cum inhibitio*, prohibita sint, & in Rituali Parisiensi coram quovis alio præter alterutrius Parochum celebrari prohibeantur.

Hinc inferri potest, quoniam publicæ honestatis impedimentum provenit ex Sponsalibus validis, consequens proinde fieri hoc impedimentum tum etiam locum habere, cum duo sine teste in mutuum matrimonium data fide consenserunt. Reponetur fortasse, si publicæ honestatis impedimentum in eum finem est institutum, ne scilicet desponsatæ consanguinea duci posset, & ut impediretur scandalum, quod inde oriretur, hoc incommodum non futurum in sponsalibus secretis, quæ nemini nota essent, quia tunc desponsatus alteram, atque adeo desponsatæ consanguineam sine scandalo ducere posset.

Respondetur, impedimenti, quod honestatis publicæ dicitur, principium & fundamentum in occultis quoque Sponsalibus semper occurrere, quia simul ac sponsa cognoverit sponsum suum cum sua consanguinea matrimonium inire, jus habet opponendi honestatis impedimentum, quod tunc publicum fit. At enim addetur; si sponsa sciens sponsum velle suam consanguineam ducere, conticescat, cen-

fetur ei remittere fidem, quam dedit, atque ita publicæ honestatis impedimentum non amplius subsistit; minime vero, sed etiamsi desponsata remittat sponso fidem, remanet publicæ honestatis impedimentum. Vide Layman *l. 5. tr. 10. c. 9. a. 3. de imped. matrim.* Gamachius *l. 1. c. 23.* videtur ei repugnare. Uno verbo Auctores nil distinguentes, utrum matrimonii mutua promissio publica sit; an occulta, post Tridentinam Synodum *sess. 24. c. 3. de Ref.* unanimi sententia statuunt, statim ac promissio facta est, veri nominis Sponsalia existere. Ex quo concludi potest, publicæ honestatis impedimentum tunc adesse.

Ita sentiunt Auctores plerique præsertim extranei. At qui scripsere juxta mores Galliæ, ubi in plerisque Diœcesibus cæremoniæ Sponsalibus præscribuntur, aliter sentiunt ac decidunt. Asserunt ergo reciproca utriusque singillatim partis promissa censeri conditionata, si nempe sanctæ nostræ Matri Ecclesiæ placuerit eadem recipere. Ex quo fit, ut cum ab Ecclesia recepta non sint, effectu careant, nec publicæ honestatis impedimentum pariant; ita quidem assolet in Diœcesibus, in quarum Ritualibus Sponsalia coram Parochu celebrari jubentur. Itaque recepta sententia hac primæ anteponenda, quippe quæ cum nostris Galliæ moribus magis cohæreat, statui potest, in Diœcesibus, in quibus Sponsalia in Ecclesia non celebrantur, simplices matrimonii promissiones, quæ publicæ sunt, veri nominis sponsalia esse, & ex iis oriri I. impedimentum publicæ honestatis; II. obligationem obstrictæ fidei præstandæ. In Diœcesibus, in quorum Ritualibus mandatur, ut Sponsalia in Ecclesia celebrentur, simplices matrimonii promissiones obligant in conscientia, cum graves causæ præsto non sunt, cur a data fide recedatur; sed ibidem publicæ honestatis impedimentum non contrahitur nisi per Sponsalia Ecclesiastica; per Sponsalia videlicet in facie Ecclesiæ solemniter celebrata, & coram Sacerdote benedictionem tribuente.

Decisum hac die 19. Octobris an. 1696.
G. Fromageau.

SPURIUS.

QUi appellantor spurii, sunt filii illegitimi, qui non ex matrimonio nati sunt: dicuntur etiam filii naturales. Existit Spurius adulterinus, qui ex persona conjugata, & alia non conjugata natus est. Est Spurius incestuosus, qui natus est ex personis duabus, quæ matrimonio simul jungi non possent, propterea quod arctiore cognationis gradu devincti sunt. Legitur apud *Brodeau* Spurium natum ex persona matrimonii vinculo non irretita posse legata & donationes a patre & matre recipere, licet successioni sit ineptus, dummodo non sint immodica. Spurius nullam Ecclesiasticam dignitatem possidere potest, nisi sit legitimatus; & si a sancta Sede dispensationem obtinere velit, aperte debet exprimere, quali natalium defectu laboret, an nempe sit Spurius adulterinus necne. Pater & Mater possunt filium suum legitimare per subsequens matrimonium, cumque filium suum esse coram Notario declarantes. Possunt etiam eumdem legitimare, obtinentes litteras legitimationis a Principe; sed ii solum, qui ex Soluto & Soluta nati sunt, possunt esse legitimi: adulterini & incestuosi non possunt ejusmodi esse, quia quo tempore nati sunt, Pater & Mater legitimum matrimonium contrahere non poterant. Hoc in sensu nec genus, nec familiam habent. Si Spurius bona possideat, & ab intestato moriatur, Rex, aut Magistratus ipsi succedunt,

Spurius Presbyteri.

CASUS.

1 *Beneficiarius, qui in favorem filii sui Spurii dispensationem obtinuit, qua Beneficiorum possidendorum capax efficitur, iis exceptis, quæ ejus Pater possedit, absque dispensatione, quæ huic clausulæ deroget, Prioratum, quo fruitur, ei resignare non posset.*

2 *Filius hic illegitimus, qui ad patris sui resignationem a Romana Curia Datam sumpsit, permutare non posset jus, quod sibi arrogat, quia nullum habet.*

3 *Simoniæ reus esset, qui Beneficii alterius assignationem curaret certum reddens Titularem, qui illud assignaret, se curaturum, ut quod pater filio resignavit, ipse obtineret.*

QUÆSITUM.

TItius Prior Commendatarius in filii sui Spurii gratiam in Aula Romana dispensationem obtinuit, quæ eum capacem efficit possidendi Beneficia usque ad nongentas circiter reditus libras: quamobrem ille prioratum suum huic Spurio resignavit. Romæ detentæ sunt datæ; sed cum Nummularius petendam sibi esse credidisset derogationem clausulæ in priore dispensatione contentæ, qua edicitur Titii Spurium Beneficia obtinere posse, modo tamen in loco, ubi Titius ipse est, aut fuit Beneficiarius, sita non sint; recepta est hæc clausula cum pingui componenda, quam Nummularius dare noluit. Rebus ita se habentibus, Titius, & Sempronius ejus filius a Parisiensibus Doctoribus quærunt.

I. An non ipsis uti liceat provisionibus, quæ ad Titii resignationem concessæ sunt, & quarum datæ a Romana Curia acceptæ sunt, petita a Pontifice quoad forum interius dicta derogatione, nullaque fori exterioris mentione facta. Ratio est, quia nihil scandali timendum est, si Sempronius Patris sui Beneficium habuerit; I. quia nomine differunt. II. quia defectus natalium minime notus est. III. quia Sempronius probis moribus est, & ad statum Ecclesiasticum, & Studium natura fertur, quod in causa est, ut spes magna de eo concipiatur.

II. An Sempronius utens Romanæ Curiæ Data absque ulla derogatione possit jus, quod ad sui patris Prioratum habet, permutare, quin ejus possessionem adeat, & Beneficium inire, quod Titius nunquam possedit, quo in casu causam sequeretur dispensationis derogatoriam.

III. An non aliquis amicorum Titii posset alii Beneficiario proponere, ut Beneficium suum Sempronio resignaret, cum certa alterius æqualis Beneficii promissione: tum vero Titius perspecta Sempronii provisione resignationem faceret in ipsius favorem, nullo pacto, nullaque conventione intercedente Patris aut Filii nomine, sed ejus tantum mediatione, a quo fieret propositio mox explicata.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat quoad priorem interrogationem, non licere Sempronio Prioratum Titii, cujus naturalis & illegitimus filius est, absque dispensatione possidere; & licet Pontifex hujus dispensationis concedendæ jure gaudeat, ut constat ex juris titulo *de fil. presbyt.* eam tamen haud facile concedit: re ipsa si spectetur Tridentinæ Synodi mens *Sess. 25. c. 15. de reform.* & Bulla Clementis VII. id admodum ægre præstare debet. Cardinalis Corradus, qui hanc Bullam affert, *l. 3. c. 2. n. 14. de disp. ap. sciendum est*, inquit, *quod hodie hujusmodi dispensationes videntur a Curia exulare, ut supra dictum est, quod si aliqua forsan concedatur, non nisi cum sudore sanguinis, ac in eximiis & extraordinariis favoribus; immo eas meo tempore in-*

distincte vidi denegari, etiam ad instantiam nonnullorum Magnatum.

Quocirca non satis est Sempronium ad suscipiendos Ordines, & Beneficia possidenda habilem declaratum fuisse; sed præterea requiritur ad retinendum Patris beneficium nova dispensatio, qua derogetur expresse Constitutioni Clementis VII. *ut* animadvertit Corradus *n.* 15. 16. & Rebuffus *tit. de disp. sup. defect. natal. n.* 24. Simplex enim derogatio clausulæ, in dispensatione, quam Sempronius obtinuit, contentæ, eum scilicet possidere beneficia non posse in Ecclesiis, in quibus ipsius pater beneficia possidet, aut possedit, minime sufficeret; hic enim agitur de alretius generis impedimento, & quidem graviore, quod est hujusmodi, filium illegitimum Patri suo in eodem Beneficio immediate succedere; ratio Canonum & Concilii ad hunc abusum avertendum ea est: *ne beneficia jure hæreditario concedi videantur c.* 1. *de præb.* ratio Concilii, *ut paternæ incontinentiæ memoria locis Deo consecratis, quos maxime puritas sanctitasque decet, longissime arceatur.* Quod in causa fuit, cur Fevretus assereret *l.* 3. *c.* 4. *n.* 9. ,, posse quidem Pontificem Presbyterorum spu-,, riis dispensationem concedere, eosque habilitate ,, donare *quoad Spiritualia cap. ult. de fil. presbyt.* non ,, tamen ut ad Beneficia, quæ ipsorum pater posse-,, dit, immediate admitti possent; nam ejusmodi ,, collationes propter scandalum, quod inde oriri po-,, test, semper execrata est, & in horrore habuit ,, Ecclesia. Præterea Beneficia quasi jure & hære-,, ditatio titulo transmitti viderentur, non obstan-,, tibus imprecationibus in eos jactis, qui dicebant, ,, *hæreditate possideamus Sanctuarium Dei.*

Hinc duo consequuntur.

Primum est, si hujus dispensationis a Pontifice petendæ gravis aliqua ratio non suppetit, ut ex expositione apparet non suppetere, Sempronium non debere omnino eamdem petere, propterea quod Ecclesiæ mens, ut liquet ex jure veteri & novo, hujusmodi dispensationibus prorsus opponitur.

Alterum est, Sempronium peculiari dispensatione præter eam, quam obtinuit, opus habere: dispensatio hæc a Dataria, non autem a Pœnitentiaria obtinenda est; sit enim verosimile fore ut tempus, quod omnia detegit, id aliquando patefaciat, quod modo latet, atque in aperto ponat, Sempronium in Titii patris sui naturalis Beneficio successisse: re vera est admodum probabile aliis præter Titium & Sempronii matrem innotescere eum Titii filium esse; videtur id sane eo probabilius, quod jam aliquid publice subolet, quod ad ejus notitiam, quod celatur, ducere poterit; prior enim dispensatio, quæ est impetrata ad Sempronium habilem declarandum, proscripta fuit, ut ex expositione liquido constat; præterea si in supplicatione, quæ ad Pœnitentiariam dirigetur, exprimitur, ut debet, jam a Dataria impetratam esse dispensationem cum clausula, de qua quæritur, Supplicatio ad eam remittetur, cum Tribunal alterius Tribunalis jus sartum tectum servari velit; cæterum cum Sempronius ostendet ad *Visa* suas Tonsuræ litteras, jure ex eo quæri poterit, agatur necne de ipsius Patris Beneficio.

Ad alteram, quoniam provisiones, quas a Romana Curia Sempronius obtinuit, nullæ sunt, quia paterni Beneficii possidendi facultatem omnino non continent, consequens fit, eum permutare non posse jus, quod ad id habere se putat, cum nullum habeat, & quod inde consequitur, nullus permutationi locus est.

Ad tertiam, Simonia existeret, si tertius Beneficium suum Sempronio resignaret ob propositionem, de qua in expositione dictum est, propterea quod illa pactum includeret, & conditionem, sine qua Sempronio resignatio nulla fieret; quam conditionem Canonistæ omnes simoniacam esse declarant, nisi eam Pontifex expurgaverit.

G. *Fromageau.*

STIPENDIA MILITUM.

SAnctus Joannes Baptista consilia suppeditans, quibus quisque Christianus in ea conditione, in qua a Deo positus est, se se moderetur, edicit universis ac singulis nullum esse vitæ statum, qui a salute remotus sit, & ne militiam quidem ipsam per se ei repugnare. Et sane non defuere Christiani Milites, iidemque & sanctitate inclyti, & generosi Martyres extiterunt. Quod si ea professio Evangelio adversaretur, Sanctus Joannes ad se accedentes in ea persistere passus non esset. (a) Atqui satis habet eos cohortari, ne quem vi premant, aut fraude circumveniant, sed propriis stipendiis contenti sint. Quod autem Militibus dicit, idem & Militum Præfectis dicit, & omnino omnibus, qui rei militari addicti sunt. Quicumque militiam exercent, eo stipendio contenti esse debent, quod sibi Princeps exhibet; id quod D. Ambrosius eo ipso Evangelii textu nixus apud Gratianum docet.

Itaque Major stipendia stato tempore Militibus solvenda differre, aut celare non potest, eoque dilationis intervallo penes ærarii Præfectum ex ea pecunia lucrum percipere, quæ, quo Rex mandat, tempore Militibus tribuenda foret. In eo adest injustitia, quod, dum Militibus, eorumque Ductoribus solutio protrahitur, inde illi contra Regis mentem damnum patiuntur; sentitque incommodum Princeps ipse, cui non adeo alacriter Miles deservit, solutione mature non præstita; id quod eum sæpe cogit deficere, & apud Hostes confugere, ut ibi commodius vivat, & aptius stipendia percipiat. Ductores ii, qui lustrationis tempore suas turmas completas non habent, & suppositos Milites sistunt, Regi furantur, si stipendii tempore integram solutionem accipiant, perinde ac si turma completa foret. Ita Ductores in expeditionibus ex numerata pecunia, vel ex annona ab hospite jus transitionis seu stationis ultra militum, quos secum ducunt, numerum exigentes ipsi quoque Regi furantur. Quod quidem duplici pacto contingere potest; I. cum plures, quam adsunt, personas producunt; II. cum sibi sumunt alienigenas, quibus rem frumentariam perinde parandam curant, ac si ex ipsorum supplemento, vel turma essent. Denique Duces militum stipendia sibi retinentes insigne furtum perpetrant, sibique iniquitatis thesaurum accumulant; quod nimirum sequentis Casus argumentum constituit.

(a) Neminem concutiatis neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris: Luc. c. 3. v. 14. S. Ambros. in Luc. 3. in Can. In sagalis 19. dist. 86.

Stipendia Militum injuste retenta.

C A S U S.

1 *In Canadensi Regione Duces nequeunt militum, extra proprias stationes operam suam locantium stipendia retinere.*

2 *Ejusmodi Duces ad restituendum, quod hactenus perceperant, nihilque in posterum percipiendum adigi possunt; quod si reluctentur, absolutione, privandi sunt.*

Q U Æ S I T U M.

CAnadenses Duces suorum Militum stipendia retinent, eo prætextu, quod iis quæstus ex labore captandi facultatem concedant, & id quidem majori eum ipsorum utilitate, quam si stipendia perciperent. Quæritur, an Duces hi possint eam pecuniam tuta conscientia sibi sumere; & an Confessarii eos absolutione privare non debeant, quoad se ab ejusmodi abusu recessuros, & quod injuste Militibus ademerunt, iis reddituros promiserint?

Duces porro, ut se in tuto ponant, ajunt

I. In Canadensi Provincia ex annona, ut farina, lardo, &c. stipendia solvi, ac proinde oportere, ut qui ea percipere volunt Milites, in propria statione consistant, ibique eam alimoniam absumant; ita ut, iis absentibus, Duces eadem sibi arrogandi jus habeant.

II. Se, dummodo Milites suo juri cedere non coegerint, ea sibi retinere posse.

III. Militum alibi laborantium absentiam in causa esse, ut ipsi majori cum sollicitudine ac vigilantia ab hostibus sibi cavere debeant.

Sed reponitur

I. Canadenses Milites non conscribi, aut in supplementum vocari Ductorum impensis, sed in eam Provinciam e Gallia mitti.

II. Non Ductorum, sed Regis pecunia parari Militibus indumenta, ac si usu & labore trita fuerint, eadem pecunia reparari.

III. Ductores sibi militum stipendia retinere non posse, nisi iis a Militibus, vel a Rege donentur; porro non apparet, id ipsis a Rege dono dari; & facile intellectu est, Milites invitos ac repugnantes propria stipendia Ductoribus suis concedere, minis, atque adeo nonnunquam vi coactos ab ipsis Ductoribus, petere, ut sibi ad operam impendendam pergere liceat, iisque sua stipendia relinquere.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie sententiam proferant, cui Regionis Confessarii tanquam certæ regulæ se conforment.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Canadenses Ductores non posse tuta conscientia Milites adigere ad sibi cedenda stipendia, ut ita navandæ operæ facultatem obtineant. Aut enim Regis servitium postulat, ut illi in officio persistent, nec a statione recedant, aut minime postulat. Si primum; nequeunt Præfecti, cum Regiæ rationis detrimento Milites a servitio dimittere, ipsisque concedere, ut alio, suscipiendi laboris gratia, se conferant. Frustra se illi tueri conantur, ajentes se tunc temporis majori diligentia, & contentione uti debere, ut ab hostibus sibi caveant. Frustra contendunt, extraordinariam ejusmodi sollicitudinem, ad quam non tenentur, esse pretio æstimabilem, ac dignam, quæ a Militibus compensetur; ea enim agendi ratio est prorsus vituperanda, gravique culpæ Ductoribus vertendum est, quod sordidi lucri causa castrorum præsidium imminuant, & hostium aggressioni, ac fortasse deprædationi eadem exponant.

Si secundum, si nempe Milites servitio necessarii non sunt, nihilque castris, ut pacis tempore, timendum est; tunc quidem illi sibi laborare possunt, re tamen vera stationes suas absque Præfecti licentia deserere nequeunt; ordo nimirum & subjectio id requirunt; at non inde id juris Præfecto est, ut retineat, quod iis a Rege tribuitur. Id enim ubique gentium usu receptum est, ut Militibus, si quidem nec in præsidio, nec in factione versentur, permittatur, ut operentur, atque adeo lucrentur; atque id quidem rationi consonum est, ut otium, & licentiam evitent; rei præterea publicæ, ac Regis interest, eos laborare, quia labori assuetæ cohortes ad belli incommoda aptiores promptioresque sunt. Itaque Præfecti nequeunt eam permissionem, cujus gratia stipendia retineant, Militibus vendere.

Quod si suapte sponte Milites propria stipendia concederent; si Militum Præfectis ea Princeps largiretur; si quod incommodum ex militum suorum absentia ac labore Præfecti sentirent: hæc illi stipendia retinere possent, salva justitia; verum hoc loco pro certo ponitur, horum titulorum nullum adesse; Miles stipendio privatur invitus. Ex quibus omnibus satis liquet, depravationem, ac furtum existere, & Præfectos propterea Sacramentis indignos effici, nisi quicquid hactenus perceperant, restituant, & in posterum se nihil amplius retenturos promittant.

Neque vero Præfecti se inde tueri possunt, quod Princeps, cui eorum pravitas perspecta est, eos tamen publice non damnat; sed ejusmodi malum tolerat, eique ob rationes, quas perspectas habet, remedium afferre differt; id porro non impedit, quominus, Ductoribus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedentibus, Confessarii, quod eorum est, exequantur, & cum ea omnia perfecerint, quæ Charitas & prudentia eorum animis inspiraverint, absolutionem ipsis denegent, siquidem quoad præteritum tempus satisfacere, & in posterum consilium mutare noluerint.

Decisum Parisiis hac die 18. Maji an. 1695.
G. *Fromageau*.

Vide Dictionarium D. PONTAS.

S U B-C H O R I P R Æ F E C T U R A.

Sub-choripræfectura Cathedralis Ecclesiæ, quæ supprimenda proponitur.

C A S U S.

Chori Præfectus Cathedralis Ecclesiæ refragari non debet extinctioni Sub-choripræfecturæ haud ita pridem institutæ ad onera Choripræfecturæ levanda, dummodo ejusmodi suppressio Ecclesiæ utilis sit.

Q U Æ S I T U M.

CHori Præfecto Cathedralis Ecclesiæ N.... id oneris injunctum erat, ut in omnibus anni Festis duplicibus, quæ centum quadraginta septem numero sunt, Chorum moderaretur. Titius cum hac Dignitate insignitus esset, seque præterea aliis ejus Ecclesiæ negotiis magnopere distentum videret, intellexit se non posse variis hisce officiis persungi, ac tam sæpe Choro interesse, quam suscepta Dignitas postularet. Quamobrem ut ejusmodi Officiis ex parte liberaretur, obtinuit, ut institueretur Sub-choripræfectura, cujus Titularis in onerum Choripræfecti partem secum veniret. Aliquanto post ille Canonico Mævio resignavit, novoque Sub-choripræfecto vita functo, Capitulum, antequam alium nominaret, incommoda novam eam erectionem consecuta Episcopo significavit, persuasitque Ecclesiæ utilius fore, si Sub-choripræfectura supprimeretur, & Chori Præfectus omnes, ut olim, functiones exequi cogeretur; ita tamen, ut Chori Præfectus jam possessione donatus nominare Canonicos posset, qui ejus loco, cum ipse impeditus esset, Officio præessent, ea conditione, ut iis congruum stipendium il-

le præberet, ac post ejus mortem rea in pristinum statum restituerentur.

Quæritur, an hic Chori Præfectus, cujus admodum castigata conscientia est, non teneatur huic mutationi, quæ ad libertatem, qua ipse gaudet, imminuendam, ejusque successores eadem privandos tendit, apud Judicem refragari;

RESPONSIO.

Parisiensis Facultatis Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant Subchoripræfecti Dignitatem ob causam legitimam ab Episcopo tolli posse, dummodo ejus institutio a Pontifice confirmata non fuerit; & hæc quidem causa non ex Chori Præfecti, vel Sub-choripræfecti utilitate, sed ex majori Ecclesiæ bono petenda est. Id si occurrat, permissa & legitima suppressio est. Ita decidit Pyrrus Corradus in sua Paxi Beneficiaria *l. 2. c. 8. n. 13, & seqq.* Porro Chori Præfectus eidem suppressioni repugnare non debet, quippe qui æque atque alii Canonici Ecclesiæ utilitati ac bono in omnibus invigilare teneatur. Ne dum igitur peccet, hac in re se Episcopo & Capitulo comitem addens, officio statui suo annexo satisfacit, & Deo singulare servitium præstat.

Decisum in Sorbona hac die 24. Martii an. 1681.

Aug. *de Lamet.*

SUFFRAGIUM.

QUod hoc loco suffragium dicitur, nihil est aliud, quam privilegium, quo Religiosus Professus gaudet, vocis suæ in Capitulis exhibendæ; quod fere fit ope scrutinii. Porro suffragia hæc libera sint, oportet. In ea, quæ sequitur, facti specie de Religioso cæco agitur, quæriturque, an ille ita se habens suffragii jure gaudere possit?

Suffragii jus in Religioso oculis capto.

CASUS.

1 *Religiosus lumine captus in electionibus ac receptionibus suffragii jus obtinet.*
2 *Curandum est, ut id tuta præstare possit.*

QUÆSITUM.

ROgantur humillime Sorbonæ Doctores, ut super duobus hisce casibus insequentibus suam scripto decisionem exhibeant.

Quæritur I. An Religiosus cæcus in receptionibus Postulantium ad Novitiatum, & Novitiorum ad Professionem suffragium suum dare possit?

II. An hic idem Religiosus in Superiorum electionibus, aliisque Conventus Officiis id ipsum præstare possit?

Quoad primum. Ex eo oritur difficultas, quod ad omnes suffragii jure gaudentes a Religioso faba duplex, alba scilicet una, altera nigra defertur; necesse est igitur, ille cæcum moneat, eique fabas duas seorsim porrigens dicat; hæc alba, hæc nigra est; atque adeo penes eum est hunc Religiosum cæcum decipere, qui proinde, contra ac sentiet, suffragium suum exhibebit, recipiens, quem rejicere, & rejiciens, quem recipere volet.

Quoad alteram facti Speciem. Longe major occurit difficultas, quia in electionibus eligitur Secretarius, qui nomina, quæ Vocales sibi commiserint, se nemini patefacturum jurejurando promittit. Jam vero facile potest Religiosum cæcum fallere, supponens ei nomina, & Petri nomen scribens pro Pauli nomine.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Religiosus cæcus in Superiorum, aliorumque Ministrorum electionibus, atque in receptionibus ad Novitiatum ac Professionem activa voce privari omnino non posse; cum enim ipse Professus sit, omnibus statui suo annexis juribus gaudere debet. Debent igitur Superiores in id incumbere, ut ille suffragium suum tuto ac libere præbere possit. Neque enim licet in re, quæ Religioso debetur, ipsi mœrorem afferri.

Quia porro difficile ac salebrosum negotium est, satius fore censetur, Religiosum hunc juri suo renuntiare, nec sibi, cum de electionibus, aut receptionibus agitur, suffagii jus arrogare. Ita sentit Pellizarius *tom. 2. tr. 6. n. 63.* qui complures in eamdem sententiam Auctores affert: *Cæci non privari quidem jure eligendi, cum consentire possint libere in electionem faciendam; tutiore tamen conscientia agere, si tali juri renuntient, quippe qui facillime possunt decipi, ut patet.*

Quod si Religiosus etiam atque etiam monitur, ne se ejusmodi negotiis immisceat, omnino velit suo jure gaudere, non est ei repugnandum, sed potius quærendæ rationes, quibus ita suffragium det, ut nec ipse se fallat, nec vero fallatur; atque adeo contingere aliquando potest, ut bene animatus Superior ad Familiæ bonum ejus suffragio opus habeat. Itaque Religioso cæco nunquam non competit suffragii jus; quod idem de Moniali sentiendum, quæ in eodem statu versetur.

Decisum in Sorbona hac die 8. Januarii an. 1702.

G. *Fromageau.*

SUPERIOR.

DE Regularium Superiore hic agitur, qui id omninò in suo Monasterio facere debet, quod Christus Dominus ageret, si ipse ibidem esset, qui ita Fratrum suorum perfectioni ac Saluti studere debet, ut Christus erat de Discipulorum suorum sanctificatione sollicitus; cujus nempe actiones ille in omnibus suis operibus exprimere debet, & ut ita dicam, efficere, ut invisibilis Pastor sedulitate ac pietate, qua suo ipse Ministerio perfungi debet, visibilis evadat. Hoc in sensu ea verba potest implere, quæ (a) in S. Benedicti Regula quoad Superiores occurrunt: *Christi vices agere.* Atque hic quidem Sanctus Patriarcha tantum ab iis curæ, sollicitudinis, sedulitatis, ac diligentiæ efflagitat, ut dubitari non possit, quin eos velit ab omnibus prorsus officiis, exercitationibus ac negotiis abducere, ut ad animarum, quas Christus Dominus iis concredidit, tanquam ad proprium atque unicum negotium semper incumbant.

Hinc facile intellectu est, quantum intersit idoneos viros nunquam non eligi, qui prima hæc subsellia occupent. Nimirum necesse est, ut Superioris integra sit atque accurata vitæ ratio, adeoque fideliter Regulam servet, ac de iis omnibus, quæ in ea præscribuntur, obeundis ita se sollicitum præstet, ut Fratres ex ejus exemplo suas omnes obligationes percipiant; atque adeo sibi ea Sancti Spi-

(a) Regul. S. Bened. cap. 2.

Spiritus verba vix auctoritatem adeptus accommodet. (a) *Rectorem te posuerunt, noli extolli; esto in illis, quasi unus ex illis.* Demum versetur, oportet, una cum suis Fratribus in omnibus communibus observantiis, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, humillima quæque exercitia amplectatur, eamdemque, ac cæteri, austeritatem in victu, eamdem in vestitu simplicitatem custodiat, nihilque aliud præter virtutem, aut actiones, quæ ejus ministerii propriæ ac peculiares esse possint, ipsum distinguat.

Religiosus infamia notatus, qui in Superiorem eligatur, indignus.

CASUS I.

1 Religiosus, qui ob crimen non paucis perspectum infamiæ notam subiit, non est eligendus propriæ vel alterius Communitatis Superior.

2 Etiamsi patrati criminis pœnitentiam egerit, ad ullam tamen dignitatem promoveri non debet.

QUÆSITUM.

SOrbonæ Doctores rogantur, ut dicant, quod sentiunt super facti specie, quæ sequitur, quæque in eo vertitur, utrum tuta conscientia in Religiosæ Communitatis Superiorem recipi atque eligi possit is, quem in eadem Communitate publice constat, ea, quæ maxime dedeceret, ratione cum spirituali filia se se gessisse, cum in Ecclesia, ubi sacrosanctum Sacramentum expositum tunc erat admodum solemni die, *in impudicis contactibus cum prædicta fœmina* deprehensus visusque fuerit; atque an aliqui Conciliorum Canones, vel aliqua Pontificum Decreta hoc genus hominum Superioris officiis ac functionibus obeundis, & Religiosis Communitatibus administrandis ineptum declarent?

Non est sane silentio prætereundum Religiosum hunc publice coram universo Capitulo de suo crimine confessum esse, se se accusasse, ac porro significasse, pravæ ejus actionis, atque ejus errati se pœnitere. Idne satis est, existentibus in hac eadem Communitate ejus criminis testibus?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Religiosum, qui famæ jacturam subiit ob crimen pluribus notum, in Superiorem eligendum non esse, præsertim vero in Communitate, cui quidem ab eo patratum facinus innotescit; quia scilicet eligendus non modo *bonum testimonium ab iis, qui foris sunt*, habere debet, verum etiam debet tum doctrina tum exemplo administrare, atque in perfectionis tramite facem præferre; ut proinde qui male se gerens ipse se fama spoliavit, ad occupandam Superioris sedem requisitis dotibus destituatur.

Hac nimirum de causa Caput *Infamibus* (b) ita pronuntiat: *Infamibus portæ non pateant dignitatum*; id quod ex Canonici Juris mente non de ea solum infamia intelligitur, quæ ex juridica sententia provenit, aut ex criminis Confessione, quæ in judicio edita fuerit, sed etiam ex opinione, qua publice quis laborat ob grave crimen, cujusmodi ea sunt, quæ referuntur in Jure, sortilegium, adulterium, fornicatio, &c. Ita sentiunt Ostiensis, & Labarella in caput (c) *Omnipotens, de accusationibus*; atque Ostiensis quidem de infamia facti, quod ejusmodi accusationibus fundamentum suppeditat, verba faciens, ita pronuntiat: *Ex quo enim gravata est ejus opinio, non debet eligi durante infamia.* Nititur id etiam Capite *Ex litteris*, & ejusdem capitis Glossa, cujus hæc verba sunt: *Infamia facti, quæ gravat opinionem ff. de obsc. a lib. præstandis. l. t. t. & a promotione repellit. Dist. 81. Tantis Daniel, & 33. distinct. Laici. Et supra de accusationibus. Omnipotens.* Et hanc quidem facti infamiam spectant Auctores ut rem tanti ponderis, & quæ, ne quis eligatur, aut Dignitate donetur, adeo impedire debeat, ut Prosper (d) Fagnanus, postquam sola infamia hominem ineligibilem effici numero 30. pronuntiavit, statuat numero sequenti eum, qui hac infamia notatus est, ad Dignitatem promoveri non posse, quamvis a nemine accusaretur, adductis in eamdem sententiam Auctoribus bene multis: *Quod locum habet etiam*, inquit hic Auctor, *etiamsi pœnitentiam egerit, quia nihilominus aliqua infamia respersus, etiamsi nullus eum accusaverit, promoveri non debet, argumento a contrario in cap. ult. infra de furtis: & tenet* Guillel. Naso, *quem referunt & sequuntur in capite Tantis Daniel, 81. distinct.* Archidiaconus *n.* 3. Geminianus, *n.* 2. de Jurrecremata, *n.* 3. Præpositus, *n.* 2.

Si ergo ille, cujus gratia consulitur, sacrilegium, quod est expositum, perpetravit, idque Communitati innotescit, & quoad eam quidem publica res est; censetur a Canonica regula alienum fore eumdem in Superiorem eligi in ea Familia, in qua tam gravi scandalo fuit ejus crimen, quod tamquam summi momenti spectandum est; quoniam ejusmodi est, ut ejus causa Superioris officio privandus fuisset, si illud obtinuisset, & crimen ipsum per accusationem ad Judices delatum esset; quod quidem videtur in dubium verti non posse, quandoquidem illud ipse coram universo Capitulo fassus est, ejusque facile ab iis convinci potuisset, qui ejus flagitium noverant, & plenam ejus probationem testimonio, quod exhibuissent, afferre poterant. Sed eum quidem infamia notatum esse, ac de scandalo, quod attulit, dubitari non posse satis est, ut ne eligi possit.

Decisum Parisiis in Sorbona hac die 7. Julii an. 1686.

Aug. *De Lamet.*

Superior, qui concionatur, & stipendium tanquam proprium sibi vindicat.

CASUS II.

1 Religiosi, qui concionibus vacant, tam privati, quam Superiores Sermonum suorum stipendia sibi tuta conscientia retinere non possunt, cum Monasterium iis victum vestitumque suppeditat.

2 Ejusmodi pecunia in communem Monasterii Massam conferri debet, & ad eorum nutum, ad quos spectat, impendi.

QUÆSITUM.

IN Ordine reformato Superiores, qui concionantur, in eam se possessionem vindicarunt, ut ex Sermonibus percepto stipendio pro suo ipsorum arbitratu uterentur, quin ulli rationem redderent. Qua de re consuluntur Doctores.

Quæritur I. An non id moris paupertatis voto contrarium sit, atque an Provincialis, aut Generalis abusum hunc tuta conscientia tolerare possint?

Animadversione dignum est I. Generalem ipsum administrationis suæ Capitulo generali rationem reddere. II. Cæteros omnes ejusdem Ordinis Religiosos Concionum suarum stipendia ad Superiores deferre, in Monasteriorum suorum commodum impendenda, deductis impensis quas Concionatoris gratia fieri decet.

Quæritur II. An ut res in ordinem redigantur, & conscientiæ in tuto ponantur, haud necesse fuerit Concionatores omnes juberi stipendia sua Patri Generali tradere, qui iisdem utatur, prout Ordinis sui rationem postulare intellexerit, ea quidem lege, ut ipse quoque generali Capitulo ejusmodi pecuniæ rationem reddat?

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut etiam atque etiam

(a) Eccles. cap. 32. v. 1.
(b) Cap. Infamibus de Regulis juris in sext.
(c) Distinct. 25. cap. Unum orarium §. Alias.
(d) Fagnan. in cap. Omnipotens, de accusationibus n. 30. & 31.

etiam hunc libellum supplicem ponderent, suamque decisionem, multorum Doctorum nomine firmatam exhibeant, ut illa ad remedium huic malo ostendum majori auctoritate nitatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Concionatores Regulares pro libito, & tanquam bono proprio Sermonum suorum retributionibus uti non posse, sed debere eas in commune conferre; iisque, ad quos spectat, earumdem rationem reddere. Hæc mens est Tridentinæ Synodi; de qua ne ullus superesset dubitandi locus, Clemens VIII. Constitutione 40. an. 1599. statuit, ut quæcumque pecunia ex concionibus, Missis, aliisque spiritualibus ministeriis provenit, in communi Massa collocetur, eique incorporetur juxta Tridentinum Concilium.

Quo Tridentini Concilio Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, proventus, census, eleemosynas sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quam ubique celebrandis, aliove ipsorum justo labore & causa, & quæcumque nomine acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit; sed omnia statim Superioribus tradantur, Conventuique incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit.

Neque objici potest in usu positum non esse Decretum hoc, cum illud subsecuti complures Pontifices confirmáverint, Paulus V. Gregorius XV. & Urbanus VIII. qui in sua Bulla 28. an. 1624. ipsissima Clementis VIII. verba affert, & probat. Fagnanus *tom. 2. p. 2. l. 3. Decretal. c. Monachi, de statu Monach. n.* 75. Bassæus *tom. 2. v. Paupertas Religiosa n.* 55. Molina *de just. & jur. tom. 2. disp.* 687. *n.* 3. propugnant Religiosum, cui quidem victus & vestitus a Monasterio suppeditetur, id quod ex propriis concionibus eidem provenit, sibi sumere, eoque uti non posse, quin proprietarius evadat, & vel mortaliter, siquidem non mediocris summa fuerit, contra paupertatis editum votum peccet. Postremus hic, Auctor ait, in Societate Jesu id expresse vetitum esse.

Id porro a lethali peccato nulla vel consuetudine, vel opinione probabili excusari posse Fagnanus asserit: *Nec quemquam excusari a letali culpa, & pœna proprietario inflicta, ex quavis consuetudine Monasterii, vel Religionis, aut ex varietate seu probabilitate opinionum, aut alio quovis prætextu & causa. Et Religiosis tam Prælatis quam subditis cavendum esse ab ejusmodi palleamentis, quia Deus non irridetur; & eo magis, quia sacra Congregatio consulta, an liceat Regularibus interpretari Decretum capitis secundi Sess. 25. de Regul. respondit non licere.*

Hoc posito, respondetur,

Ad quæstionem primam; Concionatores reformati Ordinis, de quo in Expositione dictum est, Superiores stipendiis suis, ut solent, uti non posse, quin paupertatis votum violent, si necessaria a Monasterio percipiant. Qui porro in Ordinem, de quo agitur, irrepsit usus, abusus est sane reformandus, quippe cum Prælati non minus quam subditi paupertatis voto adstringantur.

Ad secundam; parum interest, ut videtur, Generaline, an Provinciali ea stipendia tradantur, dummodo eorum ratio reddatur.

Videtur tamen magis esse rationi consonum, ut hæc pecunia in Monasterii, in quo Concionatores ipsi degunt, communi massa ponatur. Quod si nihil, ad hanc rem quod attinet, in Constitutionibus expressum est, consuli potest Generalis, & ex eo, quid in hac facti specie potissimum fieri deceat, intelligi.

Decisum hac die 8. Septembris an. 1702.
G. *Fromageau*.

SUPERSTITIO.

Superstitio generatim spectata tanquam vitium Religionis virtuti contrarium non unum peccati genus complectitur. Ea, de qua in Casibus insequentibus sermo est, vanis observantiis, & indebito, vel superfluo cultu continetur. Vana observantia est quorumdam mediorum usus, quorum nulla vis est ad effectus eos producendos, qui inde sperantur, ac non nisi vi pacti taciti cum Dæmone ex iisdem mediis existere possunt. Indebitus cultus is est, qui fucatus tantum est, atque adeo falsus; ejusmodi est, quem Judæi nunc temporis Deo exhibent per Mosaicæ Legis cæremonias, quippe quæ Messiam tanquam venturum, quamvis jam venerit, repræsentent. Hinc (a) D. Thomas docet, exteriorem cultum, quo aliquid falsum significatur, superstitiosum cultum esse. Superfluus cultus est ille, quem Deo præstari contenditur vanis & inutilibus praxibus, quibus Ecclesia non utitur, quæque ejus approbatione, aut consensu nequaquam firmatæ sunt.

Observantiæ superstitiosæ.

CASUS I.

1 *Citra superstitionem ad collum gestari nequeunt amuleta, seu sacculi, quibus continentur ruta benedicta, quædam Evangelii verba scripta in pergamena charta, atque alia quæ peculiarem adversus sortilegia vim cujusdam habere contenditur.*

2 *Liber, qui ejusmodi praxes commendat, malus est, & tanquam maxime perniciosus proscribi debet.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super insequentibus praxibus aperiant sententiam suam. Non desunt Ecclesiastici Viri, piæque personæ, a quibus distribuantur amuleta, seu sacculi, in quibus existunt I. ruta benedicta. II. Initium Evangelii S. Joannis in pergamena charta scriptum, non sine multis ac discoloribus Crucibus. III. Cerei Paschalis particulæ. IV. Fragmentum Corporalis, quod Missæ inserviit; hæc omnia sacculis ex panno confectis assuta; quique ea tribuunt, asserunt iis esse singularem vim adversus sortilegia, & bene multas in hanc rem historias enarrant. Nituntur auctoritate Libri, cui titulus *Flagellum Dæmonum*, quique Lugduni typis impressus est, sola unius Capucini Approbatione et accedente. Extat liber in VIII. duobus transversis digitis elatus, ab Hieronymo Mengo Minorita compositus, qui ejusmodi praxes commendat. Super hac re quæritur,

I. An non superstitio, ac mortale peccatum sit opinari vim aliquam in hisce sacculis esse, iis ad collum uti, ac dicere, Sortilegum, qui morbo quempiam infecit, iisdem adigi, ut ad eorum tollendam veniat?

II. An Liber ipse, qui ejusmodi superstitiones docet, tanquam Liber periculosus atque errorum plenus non merito damnandus sit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, superstitionem, observantiam vanam, & quod inde consequitur, rem maxime vituperandam esse fidem adhiberi minutis hisce sacculis, eosque ad collum deferri, ut Sortilegus, qui morbum intulit, ad eorum tollendam venire cogatur. Fuit olim sane apud Fideles passim in more positum, ut Evangelium, secum deferrent appensum, ut animadvertit Sayrus in *Clavi reg. l. 4. c. 6. n.* 8. non solum ut ostenderent, se, qui momentis singulis Dei verbum meditari

(a) S. Thom. 2. 2. q. 93. art. 1. in corpore.

ditari non possent, velle cor ad Deum semper intentum tenere, verum etiam ut erga divinum hoc verbum observantiam suam testarentur, ac significarent se bona, quæ verbum idem nobis promittit, & a malis liberationem non nisi a Deo expectare. Quod in causa fuit, ut D. Thomas assereret, Evangelium, vel aliqua Evangelii verba collo appensa gestari, rem vetitam omnino non esse. En ejus verba 2. 2. *q.* 92. *art.* 4. *ad.* 2. *Si respectus habeatur solum ad verba sacra, & ad virtutem divinam, non erit illicitum*. Ac deinde de Reliquiis verba faciens idem tradit: *Ad* 3. *dicendum, quod eadem est ratio de portatione Reliquiarum, quia si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt Reliquiæ, non erit illicitum.*

At si quid Sacræ Scripturæ verbis, aut Reliquiis addatur, quod ad divinum cultum minime spectet, tum vero, inquit hic Sanctus Doctor, existit vana observantia, atque adeo superstitio: *Deinde cavendum est, ne cum verbis sacris contineantur aliqua vana, puta aliqui characteres inscripti præter signum Crucis, aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque vanitate hujusmodi, quæ ad divinam reverentiam non pertineat, hoc judicaretur superstitiosum.*

Jam in proposita facti specie non apparet, in quo tandam honos Deo tribuatur; quod enim Evangelii S. Joannis initium scriptum sit potius, quam finis, & quidem in pergamena charta potius quam in alia materia; id porro nihil facit ad, Dei cultum, ac proinde vana est observantia.

Sane convenit, preces, quæ in rerum quarumdam benedictionibus usui sunt, utiles esse posse, cum nempe ex genuina pietate fiuat, & per eas posse id, quod a Deo petitur, obtineri; at non apparet, cur tandem ex rebus quatuor, quæ sacculo continentur, quæque collo appensæ gestantur, rutam potius lubeat, quam quamvis aliam herbam benedici. Si unim pro certo haberetur, si minus ea quatuor omnia simul in sacculo fuerint, effectum, qui expectatur, non eventurum, ea quoque foret veri nominis superstitio, quia rebus iis ipsis ad effectum eum producendum nulla vis inest, energia nulla vel suapte natura, vel institutione divina. Ex quo quidem inferri potest, effectum hunc, si quando contigerit, non aliunde, quam ex pacto cum Dæmone proficisci. Ad extremum ut superstitio non esset eas quatuor res in saeculo copulari, superstitio sane esset, Theologorum sententia, morbi depulsionem, aut aliquod aliud spiritale, seu temporale bonam, tanquam virtutis eo sacculo contentæ certum, ac prorsus indubitatum effectum expectari; ita ut, eo quidem ad collum delato, futurum certo credatur, ut Sortilegus ad fortem suam adimendam venire cogatur. Ut enim monet Sayrus loco laudato, nec promisit Deus, nec addidit effectum certum benedictis rebus, aut precibus, quæ in eatumdem benedictionibus adhibentur: *Deus*, inquit, *nulli orationi, nullis verbis infallibilem temporalem effectum promisit, cum bona hæc temporalia nobis aliquanda mala & nociva sunt*. Ex quo concludit hic Auctor, superstitionis reum fore, qui crederet, per ejusmodi res ad collum appensas Deum certo nobis id, quod ab eo petimus, concessurum.

Sylvius explicans D. Thomam, eamdem doctrinam tradit, quoad divinæ scripturæ verborum, aut Reliquiarum ad collum gestationem, & hanc tanquam primam regulam tradit: *Primo ut ex illorum gestatione non expectetur sanitas, aut quid simile certitudine indubitata, sed solum bona fiducia. Si quis enim sive Reliquias, sive sacra verba gestet, certo sibi habens persuasum, quod non possit lædi, vel quod non morietur sine Confessione, quamdiu ea penes se habebit, superstitiosus erit propter intentionem, quia talibus utitur ad certum illam effectum, ad quem non valent ea sua natura, neque ex ordinatione divina.*

Jam vero apparet ex proposita facti specie, eos, qui Sacculos, de quibus agitur, deferunt, ei virtuti fidere, quæ ab iis, qui eos largiuntur, ipsis tribuitur, & persuasum habere, effectum, quem expectant, inde certo atque indubitato futurum.

Hoc posito, respondetur,

Primo, superstitionem esse eos Sacculos, prout explicatum est, deferri, quoniam ii nequeunt eum, cujus gratia gestantur, effectum vel divinæ institutionis vi, vel naturali rerum, quas continent, virtute producere. Ex quo concludendum cum D. Thoma 2. 2. *q.* 96. *art.* 2. cum ea media sint inutilia, futurum proinde, ut effectus, qui iisdem rebus tribuitur, non nisi ex pacto cum Dæmone inito expectaretur: *Si naturaliter non videantur tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos, tanquam causæ, sed solum quasi signa: & sic pertineat ad pacta significationum cum Dæmonibus inita*. Consuli potest Sylvius in hunc D. Thomæ locum, ubi hæc habet: *Sicut enim & communi Doctorum consensu Dæmon tacite seu implicite invocatur, quando quis rem soli Deo reservatam mediis vanis & inutilibus procurat: quia etsi præter ejus intentionem sit Dæmonem invocare, eo ipso tamen quod hæc media tentat, quibus libentissime Dæmon se immiscet, vult a Dæmone vanorum inventore rem obtinere. Nam quando effectus quæruntur per media vana & inutilia, tum clam & tacite invocatur Dæmon: nam ad tacitam invocationem satis est vanis mediis uti ad consequenda ea, ad quæ non valent aut ex vi causæ naturalis, aut ex divina vel Ecclesiastica ordinatione, quemadmodum in doctrina Beati Thomæ notum est.*

Secundo loco quoniam superstitio ac vana observantia in sacculorum, de quibus quæstio est, gestatione continetur, & vana observantia ipsa per se mortale peccatum est ex Navarro *in Man. c.* 11. *n.* 24. Bonacina *tom.* 2 *disp.* 3. *q.* 4. *punct.* 5. *n.* 22. aliisque Theologis bene multis; consequens proinde fit mortale peccatum esse fidem ejusmodi sacculis adhiberi. Ignorantia tamen & bona fides eos a letbali culpa eximere possunt, qui simplicitate quadam iis usi sunt, haud putantes se male agere, præsertim cum pios viros ejusmodi praxi patrocinari viderent.

Hinc demum inferri potest, Librum ea, de quibus hactenus, docentem & confirmantem pravum esse, & tanquam summopere perniciosum proscribi, atque interdici oportere.

Decisum hac die 26. Octobris an. 1700.
G. *Fromageau*.

Oratio superstitiosa.

CASUS II.

1 *Absque Episcopi permissione non possunt Orationes ullæ ad aliqua temporalia mala vel removenda, vel antevertenda distribui.*

2 *Si quis, editis ejusmodi precibus, præsumat fore, ut a suis malis certo convalescat, in eo superstitio locum habet.*

3 *Persæpe fit, ut qui utuntur iis precibus, aliquam, qua reddantur illicitæ, circumstantiam iisdem addent.*

QUÆSITUM.

Rogamini, ut in Sorbona consultum velitis; utilisne sit, an vero vituperanda precum & breviculorum distributio ad pueros ab omnibus omnino malis liberandos; date operam, ut super hac re Parisiensium Doctorum sententia nobis exhibeatur, ut ita appareat, an Episcopus pati debeat a nonnullis Parochis in propriis Ecclesiis eadem distribui. An non sibi plus æquo vindicant, qui nescio quibus orandi formulis, quas non auctoritate donavit Ecclesia, sanandi vim mirificam tribuunt? An non illi Populorum, in hisce Breviculis, atque in aliis ejusmodi rebus valetudinis reparationem quærentium superstitionibus patrocinantur, Atque in hac vos peculiari facti specie neu obliviscimini exponere vulgus, quod ejusmodi brevicula recipit, ea sæpe in usum dubio procul superstitiosum adhibere.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod vidit libellum hunc supplicem cum addita precum formula, generatim existimat citra Episcopi permissionem distri-

distribuenda non esse precum brevicula ad temporalia aliqua mala depellenda, vel prævenienda; quia Fideles nihil deferre debent precibus, quas omnino non probavit Ecclesia. Sane quicumque naturalia remedia negligerent, & ejusmodi precibus uterentur, contendentes mirificam vim iisdem adjunctam esse, ut quædam mala curentur, superstitionis rei essent; atque adeo superstitio esset, inquit Sayrus, (a) credere preces a Deo institutas, ut Orationem Dominicam virtute donari, qua effectus, quorum gratia ederentur, indubitato producerent: *Si igitur diceretur Oratio Dominica, eam hac firma spe, quod prius revelabitur hora mortis, quod scientia divinitas infunderetur, quod latrones, quod inimici nocere non poterunt, esset superstitiosum*, quia, ut inquit idem Auctor, *Deus nulli Orationi, nullis verbis infallibilem temporalem effectum promisit, cum hæc bona temporalia nobis aliquando mala & nociva sint*. Jam vero gravior sane est superstitio fiduciam in precibus collocari, quæ nec a Deo, nec ab Ecclesia sunt institutæ, sed a privato homine inventæ atque excogitatæ sunt, & persuasum haberi admirabilem quamdam vim iisdem inesse.

Primitivi quidem Christiani apud se Evangeliorum librum tanquam generale remedium atque antidotum contra omnia mala sæpenumero deferebant: Id animadvertit S. Joannes Chrysostomus: (b) *Non cernis*, inquit, *at mulieres, & parvi pueri pro magna custodia collo Evangelia suspendunt, & circumferunt, quocumque abierint?* Et D. Augustinus de nonnullis corporis infirmitatibus sigillatim loquens hæc habet: *Caput cum tibi dolet, laudamus, si Evangelium ad caput sibi posueris*.

At non iis propterea persuasum erat, verba, quibus Evangelium constat, aut Librum, quo continentur, aliqua divina virtute ad pristinam sibi valetudinem restituendam pollere; quod si Evangelium apud se gestabant, aut collo appendebant, id nihil erat aliud, quam tacita Christianæ fidei professio, & nota fiduciæ, qua divini Filii verbis addicti erant; objectum erat ad devotionem ac pietatem in se ipsis excitandam, ut vehementiore erga Deum amore animati, bonis, quæ ab ipso sperabant, promerendis aptiores essent, siquidem eorumdem collatio sanctæ ejus voluntati conformis esset. Hac mente, atque hac animi præparatione nos iis precibus vacare vult Ecclesia, quas ipsa instituit, ut singillatim malorum hujus vitæ liberationem, æque atque universim omnia, quibus indigemus, beneficia a Deo peteremus. Si quis porro fiduciam suam longius produceret, seque iis precibus vacantem præsumeret eos temporales effectus, propter quos in easdem incumberet, dubio procul impetraturum; is profecto superstitiosus esset, quia re una uteretur, ut aliam obtineret, ad quam illa nullam certam haberet vim vel ex divina, vel ex Ecclesiastica institutione; *si quis enim sive reliquias, sive verba sacra gestet*, inquit Sylvius, *certo sibi habens persuasum, quod non possit lædi; quod non morietur sine Confessione, quandiu penes se habebit, superstitiosus erit propter intentionem, qua talibus utitur ad certum illum effectum, ad quem non valent neque ea natura sua, neque ex Ordinatione divina*,

Uno verbo præterquamquod Oratione, quam quidem non probarit Ecclesia, in Diœcesi uti non licet, eamque distribuere ad temporalia aliqua incommoda avertenda; quod attinet ad precum brevicula, de quibus agitur, etiamsi nihil in iis minus rectum occurreret, fere sane fit, ut qui ejusmodi preces usurpant, vanam aliquam observantiam, seu pravas aliquas circumstantias iis addant, quibus efficiuntur illicitæ quibusque fit, ut superstitiosi sint, qui iisdem utuntur. Quamobrem omnino est, cur Episcopus talia brevicula in sua Diœcesi prohibeat, suisque Parochis mandet, ne ea in posterum amplius distribuant.

Decisum Parisiis hac die 8. Augusti an. 1695.

G. *Fromageau*.

SUSPENSIO.

Suspensio, quæ quidem Ecclesiastica censura est, nihil est aliud, quam interdictio, qua Clericus ab obeundis Ordinis sui functionibus amovetur; seu potius, ut eam definit Pinson, censura est, qua Ecclesiasticus in alicujus gravis errati punitionem suscepti Ordinis exercitio, suoque Ecclesiastico Beneficio vel omnino vel ex parte ad tempus privatur. Hæc fere pœnarum prima est, quæ ab Ecclesiasticis Judicibus pronuntietur, quamque illi contendunt sibi licere ad accusati interrogatorium infligere; quia, inquiunt, personalis in jus vocationis Decretum secum affert suspensionem contra Clericos, ut interdictum contra Ministros Laicos.

Suspensio aliquando nuncupatur excommunicatio, ut in Canone *Quidquid* 1. *q.* 1. sed suspensio tamen & excommunicatio expressis verbis distinguuntur in capite *Quærenti de verbor. Signific.* Ab interdicto pariter differt suspensio, quia nemo nisi propria culpa potest esse suspensus, cum possit etiam aliena culpa interdictus esse, ut in generali interdicto contingit, cujus vi universi ac singuli Sacramentis ad tempus privantur; interdictum demum effectum suum producit in Laicos, at suspensio non nisi in Ecclesiasticos operatur. Multum quoque invicem differunt Suspensio & degradatio, ut in Tractatu *de censuris* Avila animadvertit, quoniam qui non nisi suspensus est, proprium Ordinem, Beneficium, & gradum retinet, cum semper tanquam Diaconus, Presbyter, Canonicus, vel Episcopus habeatur; cum contra degradatus amittat jus omne ad Ordines atque ad Ecclesiastica Beneficia, nec amplius nisi tanquam Laicus spectetur.

Tria suspensionis genera sunt. Prima est suspensio ab Ordinibus, ab Officio, & a Beneficio; altera ab Ordinibus aut ab Officio tantum; tertia a Beneficio, vel rebus eidem annexis. Suspensio ab Ordinibus censura est, qua Ecclesiasticus actualium functionum eorum Ordinum, quos suscepit, exercitio privatur. Suspensio ab Officio ea est, quæ privat omnibus functionibus Ecclesiasticis ad hominem pertinentibus, vi Beneficii, vel alterius, quod in Ecclesia possidet, ministerii. Denique suspensio a Beneficio est ea, quæ fructibus & commodis ad ejusmodi Beneficium vel munus spectantibus privat; unde illud omnium ore tritum proloquium: *Datur Beneficium propter Officium*. Itaque nonnunquam Clericus non ab Ordinis sui functionibus, sed ab aliquo alio jure interdicitur, ut Canonicus a jure suffragii, vel a Chori aditu, vel Beneficii sui reditibus ad tempus spoliatur, atque id quidem pro delictorum ratione, & Ecclesiarum consuetudinibus. Potest item ad quasdam tantum functiones coarctari Suspensio, atque ita Presbyter suspendi potest quoad Prædicationem, non autem quoad administrationem Sacramenti pœnitentiæ, vel quoad Missæ celebrationem.

Perantiqua est in Ecclesia Suspensio. Ex 42. & 43. Canonibus inter eos, qui Apostolorum seu Apostolici nuncupantur, apparet, Ludos, Ebrietatem Episcopis quidem, Presbyteris, & Diaconis sub depositionis pœna, Subdiaconis vero sub pœna separationis, hoc est Suspensionis prohiberi. Longum atque adeo molestum foret omnes easdemque varias Suspensionum species singillatim recensere, de qui-

(a) Saytus lib. 4. cap. 6. n. 8. (b) D. Chrysostom. Homil. 19. ad Popul. Antioch. S. August. Tract. 7. in Joan.

quibus Canonistæ Doctores commemorant. Id unum dici potest, existere Suspensionem unam quidem *a Jure*, aliam autem *ab Homine*, quemadmodum etiam excommunicationem *a Jure* unam, *a Lege* alteram esse. Prima de jure ob criminis qualitatem, altera non nisi ob judicium contrahitur. Est item Suspensio localis, & personalis; localis est, si Presbyter a suis functionibus quoad certum tantum locum sit interdictus; est personalis, si ubique locorum; potest illa longiore vel breviore tempore definiri, eoque elapso cessat pleno jure; vel imponitur ad Episcopi placitum duratura; & tunc expectandum est, dum ab eo expresse tollatur.

Vide { CENSURÆ. ORDINATIONES.

Parochi accusati Suspensio.

CASUS I.

1 *Parochus hæresis, ac depravationis cum suis spiritualibus filiabus accusatus potest apud Deum excommunicatus esse, quin ejusmodi sit apud homines, cum talis declaratus non est.*

2 *Potest Episcopus ex publica infamia eum a Divinis suspendere, dum Officialis in ipsum inquirit.*

3 *Accusatus Parochus, siquidem innocens sit, innocentiam suam probare debet; sin reus sit, se Parochia debet subducere, & in Seminarium, aliamve Communitatem pœnitentiæ causa recipere.*

QUÆSITUM.

Accusatur Parochus S. quod in suis Concionibus coram suæ Parochiæ Presbyteris Quietismi hæresim a summo Pontifice Innocentio XI. proscriptam docuerit. Accusatur, quod cum Matrona G . . . nunc temporis ob eamdem hæresim comprehensa familiariter usus fuerit. Versata ea est hebdomadarum trium spatio apud unam e spiritualibus ejus filiabus, cum eo tum interdiu, tum etiam noctu non semel collocuta; id quod magno per Urbem scandalo fuit. Dicitur abusus esse non paucis ex iisdem filiabus, & ex iis prolem suscepisse. Quietismi Libri omnes jam damnati, divisque devoti penes ipsum inventi sunt.

Hoc posito, quæritur; I. An non hic Parochus in excommunicationem inciderit inflictam Pontificis Bulla, quæ ab omnibus Galliarum Episcopis recepta est?

II. An ante Ordinarii, apud quem causa pendet, sententiam impetrabile sit ejusdem Parochi Beneficium?

III. An ille tuta conscientia suas Curiales functiones obire possit, atque an Parochiæ Presbyteri non teneantur Ordinario Supplicationem exhibere, qua postulent, ut ille a functionum suarum exercitio interdicatur, an vero conquiescere debeant, non ignorantes Episcopum de ejus vita, depravatisque sententiis satis cognoscere?

IV. An Parochiæ Presbyteri, quibus ejus depravationes perspectæ sunt, debeant ab Officio publico, cum ille interest, abstinere, eumdemque ut hominem notorie excommunicarum spectare, quod hæresim publice docere non sit veritus, etiam postquam Bullam, & Episcoporum, qui eam receperunt, Mandata compertæ habuit?

V. Denique an hic Parochus se Canonice purgare sub peccati pœna non teneatur, atque an tuta conscientia hujus negotii componendi rationes quærere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, si quicquid de Parocho S. dicitur, verum est, ac si Quietismi hæresim docuit, ipsum in excommunicationem ea Bulla inflictam, qua Molinos damnatus est, incidisse. Non inde tamen consequens fit, ejus Parochiam impetrabilem esse. Nimirum juridice in foro externo ille antea convictus fuerit oportet, & in eum damnationis sententia intervenerit.

Quia porro singula crimina in Expositione recensita atrocia sunt, & scandalosa, eademque facilis fortasse sint probationis; Episcopus proinde ob infamiam & scandalum jus obtinet a suis functionibus eumdem Parochum suspendendi, quamvis nondum aut convictus aut damnatus fuerit. Ratio est, quia in enormium delictorum suspicione non levi Presbyter, qui eadem laborat, fama integra, & quæ Parochum decet, ut Fidelibus sibi concreditis utiliter deservire valeat, frui non censetur. Videtur hæc esse Juris mens *Cap. Inter sollicitudines de purg. can.* ubi Innocentius III. Senonensis Archiepiscopi consilium approbat, qui Capituli Decanum nimiæ cum Hæreticis familiaritatis accusatum ab officio suspenderat; eumdem quoque, quoad se ipse purgasset, Archiepiscopus appellatus a Beneficii fruitione suspenderat: *Licet ergo Ecclesiastica Constitutio tales ab officio tantum usque ad purgationem canonicam doceat suspendendos; quia tamen eum etiam a Beneficio propter immanitatem criminis suspendisti, nolumus improbare.* Consuli potest Glossa *v. Ecclesiastica*, quæ universim in ejusmodi negotiis Episcopi facultatem declarat: *Quandoque tamen propter enormitatem delicti & scandalum, & infamiam magnam inde ortam, statim potest Episcopus ipsum suspendere ab officio & Beneficio, ut hic factum fuit.* Quod eadem Glossa aliis quoque Juris textibus probat; ita sentiunt Pyrrhing *tom. 4. l. 5. tit. 34. n. 35.* & Layman *de Irregul. c. 4. num. 4.*

Presbyteri porro Parochialis Ecclesiæ, de qua quæritur, habituati expectare debent, dum Judex sententiam tulerit, & contra Parochum suum nil antea moliri, quam Episcopum consuluerint; neque apparet, quo jure censere possint se ab Officio publico, cui quidem Parochus interfuerit, abstinere debere; quamvis enim ille excommunicatus supponatur, nondum tamen denuntiatus est, aut ejusmodi declaratus; ut proinde ad illud usque tempus cum eo *etiam in Divinis* communicari liceat, quemadmodum cum excommunicatis tolerati fieri consuevit. Videnda super hac re Extravagans *Ad evitanda*, ex Constantiensi Concilio deprompta.

Ad eam demum quæstionem quod attinet, an Parochus S. se ab iis, de quibus insimulatur, criminibus purgare teneatur, respondetur sane teneri. Ejus in hoc negotio negligentia criminosa foret & culpanda, ut in Jure ponitur tanquam certum *q. 3. c. 56. Non sunt*, & *12. q. 1. c. 10. Nolo*, secundum D. Augustinum *de bono viduitatis*, qui nos jubet in fratrum nostrorum gratiam de propria fama sollicitos esse: *Nobis est enim necessaria vita nostra, aliis fama nostra*; & alibi: *qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam*, inquit hic idem Pater, crudelis est.

Et sane occurrit in Jure titulus *l. 5. tit. 34. de Purgatione can.* qui Ecclesiasticum se purgare debere supponit, cum adest enormium criminum in ejus famam violenta suspicio. Ac longe quidem potiore jure id facere debet Parochus, quippe qui non vulgarem in Ecclesia sedem occupat, ut nempe suspensionem *ab Officio & Beneficio* evitet, cujus in eum pronuntiandæ jus Episcopo præsto est, neve ipse amplius Parochianis suis scandali occasio, & operæ iisdem præstandæ ineptus existat. Uno verbo aut reus, aut innocens Parochus est; in posteriore facti specie nullus est locus compositioni, quæ nunquam ejus famam in integrum restitueret, ac proinde ille Parochiæ inutilis fieret, quia non amplius ea fiducia, qua par est ad utilitatem ex ejus curis percipiendam, ei Populus auscultaret. Quod si reus sit, compositionis, quæ sibi ad pœnam, quam meretur, evitandam sit utilis, consilium inire debet; verum ex alia parte suo se Beneficio abdicare tenetur, quia eo indigous est, & ad usum bonum in eodem

eodem producendum ineptus; in Seminarium se debet, aut in aliam Communitatem recipere, ut, quod ei vitæ superest, ibidem ploret, & pœnitentiam agat.

Decisum io Sorbona hac die 13. Decembris an. 1696.

G. *Fromageau*.

Suspensio, a qua ad Officialem Metropolitanum appellatur.

CASUS II.

1 *Ecclesiasticas a proprio Episcopo interdictus, declaratusque suspensus, Officialis autem Metropolitani sententia, a qua Episcopus ad Romanum Pontificem appellavit, restitutus in Cathedrali Ecclesia ante ejus appellationis judicium Canonicatu insigniri non potuit.*

2 *Absolutionem, novamque Canonicatus Provisionem obtinere debet.*

QUÆSITUM.

ECclesiasticus, cum ab Episcopo suo ioterdictus, declaratusque suspeosus esset, ab bac Sanctione ad Metropolitanum appellavit. Contendit Episcopus, de ejusmodi Constitutione, quæ a se ipso immediate edita fuerit, Officialem Metropolitanum cognoscere non debuisse; sed Archiepiscopum ipsum tantummodo, adeoque postulat, ut negotium ad se remittatur; quod cum ei negatum esset, Officialis appellationem per defectum judicavit, & Ecclesiasticum ab interdictu & a suspensione liberavit.

Episcopus tanquam a Judice incompetenti ad Romanum Pontificem appellavit, & Rescriptum ad quemdam Provinciæ Episcopum datum obtinuir. Episcopus hic cum de facto cognovisset, Officialis Metropolitani sententiam rescidit, tanquam a Judice incompetenti latam, & Ecclesiasticum ab interdicto, ac suspensione male liberatum pronuntiavir. Pendente lite, Ecclesiasticus in Cathedrali Ecclesia Canonicatum obtinuit. Hoc ille titulo se a proprii Episcopi jurisdictione exemptum contendit, adeoque quamvis Metropolitani Officialis Sententia abrogata fuerit, se tamen in interdictum ab Episcopo, ante quam Canonicus esset, prounntiatum non recidisse. Quamobrem quæritur, an re ipsa in suspensionem relapsus fuerit, an vero Canonici privilegium ab ea pœna eumdem exemerit; quo in casu quæritur, quem effectum sententia Episcopi Commissarii, qui Officialis Metropolitani judicium rescidit, habere posset?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Ecclesiasticum a proprio Episcopo interdictum, declaratumque suspensum, quamvis ut certum poneretur, Officialem Metropolitanum, ad quem confugit, potuisse eumdem absolvere, adhuc suspensum esse, vi appellationis Episcopi, quæ Sententiæ Officialis effectum suspendit. Dici & illud potest, effectum provisionis Canonicatus, quem eo temporis intervallo Ecclesiasticus hic obtiouit, in suspenso remansisse, usque ad Apostolici Commissarii judicium. Cum autem judicio hoc abrogara fuerit Officialis Sententia, & rejecta Ecclesiastici absolutio, valida proinde provisio esse uon potuit; atque Ecclesiasticus quidem novam, cum se absolvendum curaverit, absolutionem obtineat necesse est. Nec refert, Capitulum, a quo pendet Canonicatus, ab Episcopi jurisdictione exemptum esse; satis enim est Ecclesiasticum tum, cum est suspensus, eidem subjectum fuisse. Ita nimirum persistere non debait.

Decisum in Sorbona die 26. Maji an. 1705.

G. *Fromageau*.

TESTAMENTUM.

TEstamentum, quod ultimæ voluntatis testimonium significat, Actus est juxta formas Legibus aut Consuetudinibus localibus præscriptas editus, qui patefacit, quæ hominis postrema voluntas fuerit, ac post testatoris mortem ejus bona distribuendi regula est. Mutua edi possunt Testamenta, perinde ac Donationes mutuæ. Si Testamentum omnino scriptum subscriptumque est Testatoris manu, Testamentum holographum nuncupatur. Ex Ludovici XIII. Constitutione omnia holographa Testamenta per universum Regnum rata ac valida sunt, quin majore solemnitate opus sit. Ministri publici ex officio Testamenta recipientes Notarii sunt. Verumtamen & coram Parocho confici possunt. Si Testamentum coram duobus Notariis editum fuerit, sufficit Testatoris subscriptio; & si coram Parocho, vel uno tantum Notario confectum sit, duobus saltem præterea testibus opus est.

Testamentum mutuum, de quo supprimendo Pars superstes cogitat.

CASUS I.

Non potest mulier post viri mortem Testamentum mutuam, quod cum eo confecit, tuta conscientia supprimere.

QUÆSITUM.

VIr nobilis postremo correptus morbo mutui Testamenti confectionem conjugi proponendam curavit; illa nihil aliud animo reputans, quam ita placere viro, quem magnopere diligebat, assensum præbuit, ac Testamentum ab Advocato, qui illud concinnaverat, lectum subscripsit; tum vero illud clausum celatumque fuit, atque etiamnum est. Id unum Matrona meminit se hæredem institui, deinde unicum filium, denique filias pro singularum ætate, si forte filius prolis expers e vivis excesserit.

Triennio post viri mortem non defuere, qui Matronæ auctores essent, ut Testamenti partem, quod illa quidem præstitit, revocaret; ei tamen præsto est utriusque Actus, Testamenti scilicet, & revocationis exemplar, adeoque iotegrum ei est eosdem Actus vel supprimere vel producere. Quærit ergo illa, quid in conscientiæ foro facere possit, ac debeat. Inde porro ejus oritur hæsitatio, quod si revocationem supprimit, Testamentum vim suam roburque retineat, ac prorsus impediat, ne ipsa bonorum suorum aliam dispositionem instituat, quam ab ipsa tamen institui forrasse utile fuerit. Quod si Testamentum supprimat, substitutionis, quæ in filiarum suarum favorem est, effectum impediet, & in causa erit, ut filius post quartum seu quintum matrimonii annum prole carens id uxori donare possit, quod pater, si filius sine hæredibus filiisque decesserit, ejus sororibus destinavit.

Orat Matrona hæc Sorbonæ Doctores, ut sibi in hoc ancipiti negotio facem præferant, quidque sibi tum quoad conscientiam tum quoad familiæ rationes melius fuerit, indigitent?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat Matronam, quæ mutuum cum viro Testamentum edidit, Actum hunc celare ac supprimere in conscientia non posse, qui ultimam viri sui voluntatem significat, quæ sane ex Civilis & Canonici Juris regula fideliter executioni mandanda est. Occurrit hæc regula in posteriore *dist.* 13. *q.* 2. *Ultima* in hæc verba: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet*. Quod evin-

evinclt Matronam testamentariæ viri sui dispositionis dominam non esse, & in ea quicpiam murare non posse, quod Testamentum mutuum sit; quamvis enim Testamentum ipsum mutare, adeoque omnino revocare possit, ad se quod attinet, cum illud ejus ultimam voluntatem, quamdiu quidem in vivis est, mutandique consilii libertate gaudet, contineре non censeatur; non idem tamen de ipsius viro dici potest, cujus postrema voluntas per mortem certa est ex Innocentii III. doctrina in Decretalibus relata: (a) *Novissimum hominis testamentum*, inquit hic Pontifex, *immobile perseverat, quia Testatoris obita confirmatur, juxta quod Apostolus testamentum asserit confirmatum; alioqui non valet, dum vixerit, qui testatur.*

Ex quo facile concludi potest, cum Testamentum, de quo quæritur, ex viri parte vim habeat, illud a conjuge supprimi non posse, quin injuria inferatur filiis, qui ad patris bona jus obtinent juxta ejus dispositionem, quam cognoscere omnino non possent, si Testamentum supprimeretur; ac supprimi quidem non posset, quin uxor infidelis marito esset, qui Testamentum suum, ut executioni scilicet mandaretur, uxori concredidit.

Decisum Parisiis hac die 1. Februarii an. 1674.
A. *de Lamet.*

Testamentum in extraneæ personæ favorem ea lege, ut hæreditatem ei, cui maluerit, ex Testatoris filiis restituat.

CASUS II.

1 *Matrona, quæ Testatoris filiæ remisit bona, quæ ipse eidem reliquerat ea conditione, ut eadem redderet ei potissimum ex ejus filiis, quem illa eligere voluisset, id quod egit, mutare omnino non potest, eo prætexta, quod Testatoris filius, qui criminis causa patris bona possidere non poterat, moriens superstitem filiam reliquit; quod Matronæ occultatum fuit, dictumque contrarium.*

2 *Rationibus ab æquitate atque humanitate petitis puellam, cui bona restituit, movere debet, ut neptem suam fratris filiam in eorumdem bonorum partem vocet.*

QUÆSITUM.

VIr honesto genere, cui filius præventus & damnatus ob crimen, ac præterea innuptæ filiæ supererant, bonorum suorum hæreditatem Testamento committit Matronæ, quam hæredem instituit ea lege, ut ex ejus filiis ei, cui ipsa maluisset, hæreditatem restituat.

Post Testatoris mortem, cum familia multo ære alieno premeretur, ad negotia domestica componenda filiarum una in matrimonium jungenda proponitur, defertur ad Matronam Testamentum, vehementerque rogatur, ut huic puellæ hæreditatem remittat, quod nempe filius jam occubuisset, quod verum erat, & quidem prolis expers, quod falsum postea compertum est; at Matrona id omne veritati consonum putans, puellæ, de qua agitur, bona remittit.

Eadem Matrona deinde comperit Testatoris filio morienti superstitem filiam fuisse, quæ in præsentia cum amitis suis hac de re judicio contendit.

Quæritur, an Matrona tranquillo animo esse debeat, atque in conscientia tuta sit, quippe quæ id egerit, quod ad hujus familiæ negotia redintegranda optimum judicasset; præsertim cum ei pater integrum esse voluerit, ut cui maluisset, hæreditatem remitteret, quin se in unius potius ex filiis quam in alterius favorem propendere vel scripto vel viva voce significaret.

In quæstionem præterea vocatur, an Matrona teneatur Judici declarare illusum sibi fucumque factum fuisse, dum dictum est, filium prolis expertem e vita excessisse; eoque magis, quod pater, quamvis mentem suam non aperuerit omnino, videatur ad filium hæreditatem deducere voluisse; sed quia filius hic successionis ob crimen ineptus erat, opus fore credidit, ut in extraneas manus sua bona rejiceret, quæ deinde ad filium transferrentur; qui si quam filiarum hæredem instituere voluisset, eam facile nominare potuisset, cum ei omnes & singulæ succedere possent, quin ea, qua tamen usus est, circuitione opus esset?

Asseri tamen potest, patrem non sine multo ære alieno morientem eo animo fuisse, ut in ordinem sua negotia redigeret, quo meliori modo posset, eumque haud satis nosset, quisnam filiorum necessario huic ordini restituendo aptior esset, opus fore credidisse, ut huic Matronæ electionis arbitrium relinqueret. Rogatur Conscientiæ Consilium, ut quid illa in hac facti specie agere debeat, enuntiet.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ad solvendas propositas difficultates,

I. Matronam ea lege institutam, ut cui mallet ex Testatoris filiis hæreditatem redderet, quæque deinde uni filiarum Testatoris eamdem remisit; dispositionem, quam in ejus puellæ favorem edidit, invertere non teneri, tranquilloque animo esse posse; quoniam ex Patris Testamento inter Testatoris filios pro arbitratu eligere potuit, cum in Testamento nihil occurreret, quod unum potius, quam alium indicaret. Quamobrem nil causæ est, cur animo Matrona turbetur, ac timeat, ne Testatoris mentem secuta sit, quam quidem non aliunde quam ex verbis, quibus Testamentum conceptum est, cognoscere potuit.

II. Matrona in hæreditatis jam facta remissione quicquam mutare haud facile posset; quia nempe, ut est vero simile, eam edidit nulla apposita conditione, nec se in eo deceptam probare posset, nullam nempe prolem Testatoris filio superstitem fuisse, id quod ipsam ad filiarum unam in hæredem eligendam determinavit. Si quod egit, inverteret, negotia in majorem perturbationem conjiceret, & quidem frustra, nulloque cum neptis commodo, cui gratificari vellet.

Censetur tamen eadem Matrona, quippe cui magna sit auctoritas in hac familia, nullum non lapidem movere debere, ut amitam pertrahat ad hæreditatis partem nepti remittendam pro bono pacis; id nempe litigiis finem imponeret, & in familia concordiam redintegraret.

Decisum Parisiis Kal. Februarii an. 1674.
Aug. *de Lamet.*

Testamentum informe quoad legata pia.

CASUS III.

1 *Testamentum ad Juris apices nullum est, in quo earum solemnitatum, quas Lex aut Consuetudo postulant, aliqua omittitur.*

2 *Id quidem quoad legata pia non semper servatur, præsertim cum non ita magni momenti sunt.*

3 *Testamentum in substantia vitiosum nullum est, & legata pia, quæ continet, hæredes solvere non tenentur, cum ea Testator adduxit fundis ad se minime pertinentibus.*

4 *Si tamen haud magni ponderis legatum sit, reverentia, quæ Testatoris perspectæ voluntati debetur, ad ea implenda movere debet.*

QUÆSITUM.

TItius Testamento, quod Parochus recepit, Parochiæ suæ Fabricæ magnam pecuniæ vim legat. Harum rerum haud ita peritus Parochus Testamentum duobus tantum testibus subscribendum curat, cum ex loci, ubi Testator occubuit, Consuetudine testes tres requirantur. Post ejus mortem hæredes, qui Testatoris voluntatem plene planeque cognoscunt, Testamentum exequi, & legatum

(a) Lib. 3. Decretal. de celebrat. Missarum, Cap. cum Martha,

tum solvere renuunt, contendentes nulla se obligatione ob eum solemnitatis defectum adstringi. Ergo quærit Parochus, I. An hæredes Testatoris voluntatem non ignorantes in conscientiæ foro Testamentum exequi non teneantur, quamvis illud in foro externo nullum sit? II. An id facere renuentibus debeat ipse Parochus absolutionem denegare, quoad satisfecerint?

ALIUS CASUS IV.

Petrus Testamento suis omnibus numeris absoluto legat Parochiæ suæ Fabricæ libras tres solidos decem quotannis ex agro plus quam centum jugerum percipiendos. Legati executionem efflagitant Fabricæ Procuratores; sed hæredes nihil se debere contendunt, quia prædium, cui Testator censum apposuit, ad eum minime pertinebat, quamvis ille suum esse crederet; quæritur, an in foro conscientiæ hæredes ex aliis bonis, quæ Testator reliquit, eum annuum censum solvere teneantur?

RESPONSIO AD III. CASUM.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ut ad Casum tertium respondeant, cum ad Testamenti validitatem ex loci, in quo illud confectum est, Consuetudine trium omnino testium subscriptio requiratur, si duo tantum subscripserint, dispositionem testamentariam in foro etiam interno nullam esse. Si enim privatis quibusque clausulas Contractibus apponere licet, quæ veram obligationem inducant, quæque, si desint, eos nullos reddant; potiore sane jure Leges publici boni gratia formas & solemnitates Actis & Contractibus præscribere possunt, sine quibus nemo unus bonorum suorum dominium valide transferre possit, ita ut donatio, cui quidem earum formularum aliqua desit, in foro interno nulla sit; eique, in cujus favorem facta est, nil juris afferat. Ita sentiunt Azorius *3. p. l. 6. c. 9.* & Covarruvias in caput *Quamvis pactum p. 2. §. 4. n. 6.* & in Caput, *Cum esset, de Testam*; & uterque quæstionem dirimit verbis hisce: *Secundo infertur, eum, qui possidet bona Testatoris ex titulo minus solemnis voluntatis, teneri etiam in divino animæ judicio legitimis intestati heredibus illa restituere, quamvis non dubitet de libera & spontanea testantis voluntate.* Bonacina *de Contract. disp. 3. q. 1. punct. 3.* alios in eamdem sententiam Auctores profert. Verum quidem est Auctores hos una cum plurimis aliis credere, Acta, quæ formularum in Jure præscriptarum aliqua destituuntur, valere, ac sustineri, cum de legatis piis agitur, quia nempe in iis non ita mordicus id servatur, quod Legibus Civilibus statutum est. Et sane quamvis Civiles Leges duobus plures testes requirant, ut Testamentum validum efficiatur; Alexander tamen III. *Cap. Relatum*, & *cap. Cum esset de Testam.* duos satis esse declarat. Ex quo concluduot Auctores hi Testamentum quoque sine testibus quad legata pia validum fore, quia in hisce duobus Canonici Juris Capitibus non irritatur, nec nullum declaratur ejusmodi Testamentum; satisque est Testatorem disponere posse, quæ donat, atque in personæ seu loci recipiendi capacis favorem libere disposuisse. Quamobrem laudati Auctores ita statuunt, ut in hoc negotio numerus a Lege requisitus *solemnitas probatoria sit, non substantialis*. Diserte id asserit Covarruvias in Decretalem *Cum esset, de Testam. n. 8. Quibus illud accedit, quod obiter non semel admonuimus, & modo expressim annotamus, nempe ab hac Decretali in testamentis ad pias causas duos testes requiri non ad solemnitatem, sed ad probationem.* Si ergo constans Testatoris voluntas est, legatum valet; & quod inde consequitur, tenetur hæres illud implere, inquit Sylvester *v. Legatum 4. n. 11. Quando etiam est nullum, quia non sunt testes sufficientes, vel desuit solemnitas aliqua Juris Civilis, si constat heredi de voluntate defuncti, vel per duos testes probari potest, obligatur naturaliter jure gentium ad illam implendam.*

Vulgo inter Auctores non obtinet sententia hæc. Quamvis enim non semper ex ipso externi fori usu Testamenta, ad legata pia quod attinet, ad Juris apices non sumantur; non desunt tamen Auctores, qui putent, salvis conscientiæ legibus, ea non impleri posse, siquidem essentialis aliqua formula desit, præsertim si non mediocris sit in Ecclesiæ favorem edita dispositio. Hi quidem contendunt eum, qui bona sua per Testamentum dare statuit, Actum publicum patriis Legibus obnoxium exercere, ac jure præsumi, Testatorem solemnitatibus, quas eædem Leges quoad Testamenta præscribuot, voluntatem ac dispositionem suam subdidisse; ut proinde si qua desit essentialis formula, Testatoris voluntas imperfecta esse, atque ipse nihil legasse dici possit. Ad id, quod obiicitur ex Jure Canonico, respondent Auctores hi eas Leges non universim, sed in nonnullorum singillatim gratiam editas esse; ac cæteroqui non esse receptas ubique gentium, quandoquidem contrarius mos hoc in Regno servatur, eique adhæserunt peculiares Ecclesiæ statuentes in suis Ritualibus, ut trium testium subscriptio Testamentis apponeretur. Quoniam tamen Auctorum plerique censent id absolute necessarium non esse, cum de piis legatis agitur, in hac proinde facti specie, de qua sermo est, Testatoris hæredes teneri judicantur legata ab eo in Parochiæ suæ favorem edita solvere, quia hæc Canonistarum communis sententia est, majoremque probabilitatem præ se fert. Si tamen hæredes bona fide persuasum habent, Testamentum nullum esse, nulla eos tenet obligatio, nec Parochus absolutionem iis denegare potest. Sed eos cohortari, ut Testamentum exequantur, potest, atque adeo debet; I. Quia legatum hoc potest esse restitutio, quam Testator ediderit. II. Si minus id ei causæ fuit, id saltem egit *in remedium animæ*; atque ita hæredes eum privant spirituali subsidio, quod sibi per hanc eleemosynam comparare in animo habuit. Et sane quamvis Parisiis & alibi Testamenta informia omnino non admittantur; Judices tamen sæpius mandant, ut pia legata solvantur, aut certam pecuniæ summam præscribunt, ut iis satisfiat, præsertim cum ea parvi momenti sunt. Quod argumento est, hæredes a parte saltem eorum, quæ Titius consanguineus Parochiæ suæ Ecclesiæ ac Fabricæ legavit, tribuenda omnino exemptos non esse. At si illi pertinaciter adduci nolint, ut quicpiam tribuant; Parochus, qui Testamentum recepit, tranquillo animo esse non debet quoad damnum, quod ipse attulit Ecclesiæ suæ, quoniam ipsius culpa fit, ut illa legati jacturam subeat; debuit enim ille non ignorare, ex Diœcesis suæ consuetudine testes tres ad Testamenti, cujusmodi a Titio editum est, validitatem requiri. Ejus ergo vitio Fabrica legato privatur, ad quod Testatoris expressa voluntate jus obtinebat. Atque hæc quidem Parochi culpa eo major apparet, quod de re tunc agebatur, quæ ad ejus ministerium spectabat, atque ad videndum etiam atque etiam, ut legatum tutum redderet, ipse Parochi titulus eum strictius obligabat; ut proinde a Parocho ipso damnum, quod propriæ Ecclesiæ attulit, reparandum videatur.

RESPONSIO AD IV. CASUM.

Quod spectat ad Casum alterum, mirum videtur ac prope incredibile quempiam nescire centum & amplius jugerum prædium ad se minime pertinere, cumque in eo nihil certi, vel contentiosi juris obtineat, eidem tamen ad bonum Fabricæ Parochiæ suæ librarum trium solidorum decem annuum censum apponere. Verum ut propositæ speciei satisfiat, censentur hæredes ex bonis aliis, quæ Petrus reliquit, ad juris apices eum censum solvere non teneri. De hoc enim legato id statui potest, quod statueretur, si Petrus ex eodem prædio libras tres solidos decem sibi esse quotannis credens eidem Fabricæ Ecclesiæ suæ eum proventum legaret, quamvis re ipsa ejusmodi census ei minime deberetur; aut si legasset, quod debet sibi Sempronius, qui re quidem vera nihil ei debet; in utraque nimirum facti specie legatum caducum esset. Hæc sanctio est Legis, *Si in legatum* 19. *c. 78. ff. de Legatis* 1. Hæc est Rebelli sententia *2. p. l. 18. q. 18. 3.* Sylvestri *v. Conditio n. 7.* Bonacinæ *de Contract. disp. 3. q. 1. p. 4 n. 8.* Ratio est, quia Testatoris error cadit in legati substantiam, non autem in qualitatem,

& sub.

& substantialis error Contractum invalidum reddit, ut in Matrimonii Contractu luculenter apparet. Idem asseri potest de Testamento, in quo Petrus libras tres solidos decem quotannis legat ex prædio, quod ad ipsum non pertinet; neque enim *constat de relegata*. Itaque cum nec omnino, nec ex parte, quod Petrus legavit, existat, nihil legat; nempe *demonstratio perimit* legatum, ut ait Lex.

Si Petrus librarum trium solidorum decem reditum quotannis Fabricæ solvendum tanquam a se acquisitum, aut hæreditario jure receptum legasset, validum firmumque legatum foret, quia demonstratio non legati substantiam, sed tantum qualitatem afficeret. Uno verbo Advocati consuli possunt, ac facta hypothesi legatum ab iis nullum judicari, eum tamen censum ex aliis Petri bonis hæredes solvere tenerentur, ad id incitandi, quia constat *de voluntate Testatoris*, & præterea legata res parvi momenti est. Si ergo id consilii daretur hæredibus, deberent pati se flecti, & libras tres, decem solidos ex aliis Petri bonis quotannis tribuere ob eas causas, quæ in Responsione ad Casum primum allatæ sunt.

THEOLOGALIS.

Capituli Theologalis est Theologiæ Doctor, qui Præbenda, quæ Theologalis dicitur, instructus est, ejusque Præbendæ causa tenetur conciones habere, vel Sacram Scripturam interpretari, vel Theologiæ Lectiones edere (a). Tridentina Synodus instituit, præcepitque, ut in Ecclesiis, in quibus esset aliqua Præbenda, Præstimonia, seu reditus ad Theologiam tradendam fundatus ac destinatus, Ordinarii locorum, etiam fructuum substractione, eos, qui hæc Beneficia possiderent, ad Theologicas explicationes ac Lectiones per se, siquidem pares essent, si minus, per idoneum aliquem substitutum ab Episcopis electum edendas moverent, compellerentque; atque in posterum ejusmodi Præbendæ non nisi idoneis viris, & qui ipsi per se eo munere fungi possent, conferrentur.

In Ecclesiis Metropolitanis aut Cathedralibus, si magna & frequens Urbs fuerit, atque in Collegiatis in aliquo non mediocri loco existentibus, si nondum id genus Præbendæ ibidem institutæ sint, mandat eadem Sancta Synodus, ut quæ primum Præbenda, quacumque demum ratione vacaverit, excepta resignatione, sit, & maneat vere ac re ipsa ex eo ipso tempore & in perpetuum huic eidem muneri destinata atque affecta, dummodo tamen hæc eadem Præbenda nullum aliud officium adjunctum habeat, quod cum hoc ipso stare non possit. Quod si forta in dictis Ecclesiis vel nullæ omnino, vel non sufficiant, Præbendæ non sint, Metropolitanus ipse, vel Episcopus non sine Capituli consilio prospiciat, ut Theologia ibidem legatur, vel assignato alicujus Beneficii simplicis reditu, deductis tamen oneribus, vel Urbis aut Diœcesis Beneficiatis contribuentibus, vel alia, quæcumque magis ad rem facere videbitur, ratione, vel denique Lectionibus aliis jam institutis in id prætermissis.

Praxis hæc a Tridentino Concilio instituta seu potius renovata in Ecclesia est antiquissima, quoniam omnium prima ejusmodi schola ea fuit, quam Alexandriæ D. Marcus instituit, quæque magna cum laude diu perduravit. Ejus memoriam D. Hieronymus & Eusebius ad nos transmiserunt, ex quibus intelligimus eam emicuisse Professorum excellentia, quos inter eminuit Origenes, qui præterea non nullas Catecheses in Cæsareæ Schola, & Lectiones in Evangelia Antiochiæ, Ephesi, Nicomediæ, Constantinopoli, & in aliis compluribus Orientis Ecclesiis strenue perfecit.

Consuetudo hæc in Occidentali quoque Ecclesia deinde obtinuit, ibidemque servata est, præsertim in Gallia, quod Alexander III. in *Cap.* unico *De Magistris* testatur. Ejusmodi Theologalium origo fuit, qui quidem seu mollitie quadam seu ignorantia non amplius proprii muneris officia obeuntes ex parte in causa fuerunt, ut per universam Europam Christianam disseminata barbarie, contemnerentur humaniores Litteræ, & Sanctorum Religionis nostræ Mysteriorum cognitio.

Eugenius Pontifex ut tenebras, in quibus Ecclesiastici vitam trahebant, disjicere inciperet, statuit in quadam Synodo, ut Theologiæ Magistri in Cathedralibus, atque adeo Collegiatis Ecclesiis ab Episcopis instituerentur. Basileense Concilium, Pragmatica Sanctio, Tridentina Synodus jam appellata, Aurelianensis & Blesensis Constitutiones Theologalium institutionem tanquam ad Clericorum instructionem appr me utilem confirmarunt. Eorum institutio quoad Metropolitanas Ecclesias non ante Lateranense Concilium Alexandro III. Pontifice an. 1179. celebratum occurrit, id quod sub Innocentio III. in alio Lateranensi Concilio an. 1215. firmatum est. Eos quoad Cathedrales instituit Basileense Concilium, eamque institutionem Pragmatica Sanctio ratam habuit, perinde atque Aurelianensis Constitutio an. 1560. mense Januario; quæ quidem hoc idem officium ad Collegiatas etiam extendit; & sane posteriorum Ecclesiarum Clerici non minus instructione opus habent, quam Cathedralium.

Theologalis Præbenda eadem prorsus ac Canonici sit, oportet, nullaque pensione onerari debet. Concionandi porro docendique obligatio Theologali adeo ineluctabilis est, ut ille ab ea nec consuetudine, nec præscriptione eximi possit; id quod residentiæ necessitatem secum trahit. Caroli IX. an. 1560. edita Constitutio, qua Theologales jubentur non solum Dominicis, sed etiam solemnibus diebus Festis conciones habere, ac per annum ter in hebdomada sacram Scripturam publice interpretari, id necessario pro certo ponit eos perpetuæ, nunquamque intermissæ residentiæ lege teneri, cui quidem eos pariter addixere Supremæ Curiæ, & Parisiensis præsertim Senatus Rescripto die 14. Novembris an. 1587. in Suessionensis Capituli favorem edito ad Domini (a) *Faye* Advocati generalis Regis conclusiones adversus Andream *Tacquet* Theologalem Suessionensem, a Postulatione rejectum, quam Aulæ exhibuerat, ut sibi liceat Parisiis, & quidem ad sumendam Doctoris Lauream, ad usque subsequentis Purificationis Festum diem commorari.

In Theologalium negotio duæ satis problematicæ quæstiones occurrunt; nimirum I. An Theologalis Præbenda Graduatis subjecta sit? II. An in Regaliæ jus incidat? Ad quæstionem primam quod attinet, cum Theologalis Doctor esse debeat, quidni id obtineat, quod Graduatis conceditur, cumqua ejus officium habilitatem & scientiam requirat, an non rationi consonum est, ut qui Doctoratus gradus peregit, quatriduano Doctori præferatur? Itaque Theologales Præbendæ Graduatis affectæ sunt præsertim post Parisiensis Senatus Judicium in Rescripto diei 17. Februarii an. 1642. enuntiatum occa-

(a) Concil. Trident. sess. 5. de Reform. cap. 5. (b) Laurentius Bouchel Biblioth. canonic. Juris Galliarum verbo Theologalis.

sione Theologalis Præbendæ Bellovacensis; ex quo fit, ut si concurrant Parisiensis Universitatis Graduatus, & earum Doctor Universitatum, quæ cuivis petenti Doctoratum concedunt, Parisiensis Doctor sit præferendus. Hujus autem Jurisprudentiæ illud est fundamentum, quod Graduatum aptitudine ad prædicationem requisita præditum esse præsumitur. Ex Edicti tamen an. 1596. editi articulo 2. constat Theologales Præbendas Graduatis nominatis, aliisve gratiis expectativis tunc subjectas aut affectas non fuisse. Commentator Rescriptorum Louet hujus rei rationes eodem loco deducit, & Parisiensis Senatus Rescriptum affert in simili facti specie die 30. Julii an. 1620. in Audientia Magnæ Cameræ pronuntiatum, quo juxta conclusiones Advocati Generalis Servini Proviso per Episcopum Noviodunensem de dicti loci Theologali servata est, cum exclusione Graduati nominati de eadem Theologali a Metropolitano, cum Episcopus renuisset, provisi, Theologalis Dignitas ac Præbenda, tanquam Graduatis nominatis minime affecta.

II. Theologales Præbendæ in Regaliæ jus incidere non videntur. Ita judicatum Rescripto Magnæ Cameræ Parisiensis Senatus die 21. Februarii an. 1611. ut refert Louet Littera P. num. 46. Non desunt tamen Auctores, qui sibi videri contendant nil causæ esse, quamobrem ejusmodi Præbendæ a Regaliæ jure eximantur, dummodo eum, qui Theologalis officio obeundo par sit, Rex nominaverit.

Vide (CANONICI.

Theologalis exemptus ab adsistentia Choro præstanda.

CASUS I.

1 *Theologalis a divini Officii adsistentia exemptus est, dum in concionibus, aut lectionibus tempus ponit; distributiones autem non lucratur, si aliis Diœcesis negotiis vacet, quia in eum tantum finem ei concessum est privilegium, ut nempe suæ Theologalis officio fungatur.*

2 *Potest in negotiis, quæ sibi congruere judicaverit, tres vacationis menses a Tridentina Synodo concessos insumere.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut dijudicare velint,

I. An Theologalis, qui vel per se, vel per alium consuetas ex Cathedralis Ecclesiæ suæ consuetudine conciones obivit, quique Theologiam legit, aut ad legendam se comparat, sæpius etiam quam Jus postulet, vi Theologalis Præbendæ, quæ olim simplex Canonicatus erat, vel omnino, vel ex parte, Dominicis Festisque diebus iis, quibus haud concionatur, Officio interesse teneatur, quin e studiis, quibus operam navat, aut ex Diœcesis negotiis, quibus vacat tanquam Archidiaconus, Promotor, &c. sibi excusationem quærere possit?

II. An non Theologalis hic tuta conscientia vacationis dies tum in Diœcesis, tum in propriis negotiis procurandis impendere, debeatque, ut Officio intersit, rebus hisce omnibus renuntiare?

III. An non Theologalis idem gaudeat conscientiæ securitate, cum præter Conciones & Lectiones, quas edit, aut edendas curat, Majori Missæ, ac Vesperis, quoad potest, Dominicis Festisque diebus interesse non negligit, eo præsertim animo, ut dies, quibus ob allatas causas abest, per hebdomadam reparet?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum ut respondeat ad propositas quæstiones tres, censet,

I. Theologalem, qui studet, ut ad docendum se comparet, quemadmodum ex Pragmatica, ex Concordato, & ex pluribus Galliæ particularibus Conciliis tenetur, posse Divino Officio non interesse: (a) *verumtamen ut vacare possit liberius studio, nihil perdat, cum absens fuerit a divinis*; hæc Pragmaticæ & Concordati ipsissima verba sunt. Gratia porro hæc Theologali conceditur in gratiam studii, non autem aliarum occupationum, quamvis illæ tenderent ad Diœcesis servitium titulo Archidiaconi, Promotoris, &c. ut liquet ex allatis verbis, quæ studium tantum commemorant, *ut liberius vacare possit studio*.

II. Cum Theologalis vacationibus suis gaudeat æque ac cæteri Canonici, quibus (b) Tridentina Synodus tres menses concedit; id proinde temporis ad negotia, quæ opportuna judicabit, conferre potest.

III. Ut dictas Theologalis omnino distributiones lucretur, cum satis est in docendo vel studendo, ut supra dictum est, occupari, ita tamen ut conciones vel per se, vel per alios habendi obligationi, qua adstringitur, ex Cathedralis consuetudine, quam legitimam esse pro certo ponitur, satisfaciat.

Decisum in Sorbona hac die 4. Octobris an. 1694.
G. Fromageau, G. Dourret,
Th. Durieux, Th. De la Coste,
Bonnet.

Residentiæ obligatio, qua Theologalis adstringitur.

CASUS II.

1 *Studium, cui Theologalis vacat, ut muneri suo satisfaciat, ejus a chori obligatione eximendi satis justa causa est.*

2 *Theologalis potest conjunctim aut seorsim, una vel pluribus vicibus sibi sumere tempus illud, quo Canonicis per Canones abesse licet.*

3 *Residentiæ legibus obstringitur Theologalis.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an studium, ad quod Cathedralis Ecclesiæ Theologalis, qui quadraginta octo Sermones quotannis habere tenetur, incumbit, sufficiens causa est, quamobrem in Chori adsistentia cum eo dispensetur, ut distributiones non minus, quam cæteri Canonici, qui Choro interfuerint, percipiendi jus habeat? Ibi ille quidem existit, ubi cuique Præbendæ suus peculiaris ac distinctus proventus est.

II. An Theologalis idem possit necne una vice seu pluribus id temporis sibi sumere, quod in ejus Cathedrali quoad uniuscujusque Canonici vacationes obtinet, illudque in Concionibus alibi habendis, aut in propriis negotiis conficiendis impendere; atque an si ita se gerat Adventus, aut Quadragesimæ tempore, quo quidem tempore Episcopus aut Capitulum Concinnatores alios committunt, hoc in casu tempus hoc ejusce vacationum pars esse censebitur?

III. Elapso dictæ vacationis tempore (cujus spatio ponitur tanquam certum alios, prout ratio tulerit, Concionatores ab eo substitui) an non etiam jus obtinebit easdem distributiones percipiendi toties quoties Episcopus in Diœcesi ejus opera utetur, v. c. ad Ordinandorum instructionem, ad Missiones, ad ejusmodi alia juxta dispositionem Capituli:

De

(a) Pragmat. Sanctio tit. de Collat. §. Primo cum Concordat. eodem titulo. §. 1. Statuimus.

(b) Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12.

De cætero, & Ad Audientiam, de Clericis non residentibus, apud Gregorium?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti super propositis difficultatibus sentiunt,

Super prima; studium, cui vacat Theologalis, ut impleat officiam suum, satis justam causam esse, ut absit a Choro, omnesque distributiones æque atque alii præsentes Canonici, percipiat, quemadmodum ex Basiliensi Concilio, *Sess.* 23. ex Pragmatica Sanctione, & ex Concordato tit. *de Collationibus* licet intelligi: *Veruntamen ut vacare possit liberius studio, nihil perdat, cum absens fuerit a divinis.* At non id unum ad Theologalem spectar, ut concionetur, verum docere etiam debet: *Et onus residentiæ, ac lecturæ, & prædicationis*, &c. *Quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento, legere habeat. Et quoties ipsum in ejusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli, in subtractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit.*

Super altera; Theologalem hunc posse vel conjunctim vel sejunctim vacationum tempus Canonicis præscriptum sibi sumere, tres circiter ut summum menses, quemadmodum *Sess.* 24. *de Reformat. c.* 12. Tridentina Synodus declaravit, qualibet contraria praxi vel Consuetudine, ex qua diutius abesse liceret, nihil obstante. Quod si absuerit Adventus aut Quadragesimæ tempore, quo Episcopus seu Capitulum Concionatores alios committunt, in hac facti specie tempus hoc tanquam vacationum pars eidem censendum est. Quamvis enim per id tempus in Cathedrali concionari non possit, potest tamen, ac debet, vacationibus exceptis, per annum totum Lectiones edere.

Super tertia; ei, ni resideat, distributionum jus nullum fore, cum absit, mandante Episcopo, ad Ordinandorum instructionem, aut ad Missiones in eadem Diœcesi conficiendas; ita enim residentiæ legibus adstringitur, ut ita statuatur: *Et si residentiam deseruerit, de alio provideatur.* Capita *de cætero, & Ad Audientiam* de Canonicis tantum loquuntur, non autem de Theologali.

Decisum Parisiis hac die 31. Augusti an. 1672.
A. Du Lamet, De Sainte Beave.

Theologalis Regaliæ jure provisus absque qualitatibus requisitis.

CASUS III.

1 *Ad Theologalem Dignitatem legitime possidendam non satis est esse Baccalaureum formalem in Theologia, sed decennii Spatio in aliqua privilegiata Universitate studuisse necesse est.*

2 *Potest devoluti titulo peti Theologalis Dignitas Baccalaurei, qui Regem decepit, se Doctorem dictitans, ut eam Regaliæ jure obtineret.*

3 *Theologalis recte provisus est, cum cæterorum Canonicorum instar est.*

4 *Domi suæ Lectiones habere potest, cum ei alias ad legendum locus a Capitulo non exhibetur.*

5 *Episcopo non competit immediatum jus in Theologalis Lectiones; id juris ad Capitulum pertinet.*

QUÆSITUM.

Titius obtinet Regaliæ jure Theologalem N... In Patentibus Litteris enuntiatus Doctor possessione donatus est, sede vacante, absque Magnorum Vicariorum *Visa*, sed a Capitulo, in quo aderant Magni Vicarii, ac deinde Theologalis functiones obeundas suscepit; atque adeo concionem habuit in Synodo, mandante & præsente Episcopo; post annum circiter Lectiones aliquot in Sacram Scripturam edidit, cum id Capitulo significasset, idque domi suæ. Quoniam porro doctrinæ nil gravius, eique eo magis invigilandum, quod clam traditur, Episcopus Titium per Promotorem suum in jus acciium voluit, ab eoque petiit, ut sibi de propria Ordinatione, de Gradibus, de institutione, ac missione, quod res erat, aperiret. Titius ab Episcopo in jus vocatus edixit se Lectionum suarum cursum repetere. Tum vero Episcopus ei sub pœna suspensionis ipso facto interdixit, ne ulterius progrederetur, quoad postulata præstitisset. Itaque Titius de sua Ordinatione significavit, attulit quoque Litteras Baccalaurei formalis in Theologia, Litteras autem decennii studiorum minime produxit; de institutione siluit omnino, satis habens declarare se a Capitulo, cui Magni Vicarii præerant, installatum, & mandante ac præsente Episcopo; & quidem pluries concionatum esse. Porro ille ab annis circiter sex Theologalis possessione gaudet.

Quæritur I. An ad Theologalem in Cathedrali Ecclesia obtinendam Baccalaureum formalem in Theologia esse satis sit? An non oporteat in celebri Universitate studuisse, atque an non ejusdem Universitatis Litteræ sint producendæ? Hæc Rebuffi doctrina est in *Concordatum §. Statuimus insuper* ad verba, *decennium, & privilegiata studuerit*, Brodeau titulo de Præbendæ pensione Sum. 46. Littera P. Castelli Libro, cui titulus, Definitiones Juris Canonici *pag.* 725. titulo de Præbendis, *art.* 1. qui Doctoris titulum requiri pronuntiant.

II. An qui Baccalaurei tantum allatis Litteris Regi se Doctorem esse testatus est, haud falsitatem commiserit, quæ Provisiones nullas reddat?

III. An Capitulum congregatum, sede vacante, præsentibus Magnis Vicariis, Theologalem instituere, eique missionem præbere possit? Ita quidem videtur, propterea quod existunt quadraginta Parochiæ, quæ a Capitulo pendent, quæque ab ipso quotidie conferuntur; quin ad Episcopum Provisi prorsus accedant; præterea Episcopus nominatus, qui aliam Diœcesim hujus gratia deseruit, cum, sede vacante, Ordines ministrare voluisset, a Capitulo missionem sumpsit, & non Magnorum Vicariorum, sed Capituli auctoritate Ordines contulit.

IV. An Theologalis a Rege nominatus opus habeat missione, vel institutione, quæ a possessionis susceptione vel installatione a Capitulo edita distinguatur?

V. Omnesne defectus hos tegat pacifica sex annorum possessio?

VI. Facta hypothesi in ejus Missione aliquem defectum occurrere, Episcopus, qui Theologalis concionibus non semel interfuit, & quo mandante ille in Synodo concionem habuit, an non eum defectum texit? Præbuitne missionem? Eamne rursus ab ipso Theologalis accipere debet? Episcopus eamne in præsentia negare posset? Eam porro tribuens possetne illum interrogare?

VII. An Theologalis domi suæ privatim docere possit, Canonicis locum ei nullum, ubi Lectiones suas habeat, suppeditantibus?

VIII. Cum Theologalis post Episcopi citationem edixisset se Lectionum suarum curriculum repetere, debuitne Episcopus, potuitne, edita Constitutione, prohibere, ne easdem prosequeretur, quoad ei gradus suos suamque missionem significasset, suspensionem *ipso facto* minitatus, si forte refragaretur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, & expenderunt, existimant quoad quæstionem primam; haud sufficere Baccalaureum formalem esse in Universitate privilegiata, ut Theologalis Dignitas obtineatur, sed præterea decennale studium requiri ex Pragmaticæ Sanctionis regula *tit. de collat.* §. 8. & ex Concordato *tit.* 5. §. 1. qui incipit, *Statuimus*.

Quoad quæstionem secundam; Baccalaureum, cui Theologalis a Rege collata est, cum ei expositum esset illum Doctorem esse, quique hoc nomine in iis, quas profert, Litteris insignitur, falsitatis, qua ejus provisio vitiosa redditur, reum esse, atque esse devoluto locum, utpote quod ei male provisum fuerit; cum ita fieri potuerit, ut a Rege Graduatis aliis ejus tituli gratia præferretur, atque ita Graduatus alius, Baccalaureus, atque adeo Licentiatus non audiretur, volente Rege eum anteponere, quem utpote majori gradu exornatum obeundis Benefi-

neficii functionibus aptiorem judicaret. Ad firmatum apparet Edicto Henrici II. an. 1550. mense Junio in Fano S. Germani art. 16. cujus verba in primo Volumine Collationis Constitutionum lib. 9. tit. 15. de crimine falsi Gallice relata ita Latine
„ reddi possunt: Omnes in Beneficii negotio falsi-
„ tatis rei, sive in Collationibus, impetrationibus,
„ procurationibus, instrumentis, requisitionibus,
„ studii tempore, Graduum Litteris, mandatis,
„ nominationibus, aliisque Actis & instructionibus
„ judiciariis aut extraordinariis in Romana Cu-
„ ria, vel in aliis collationibus aut præsentationibus
„ sive in Actis Notariorum Apostolicorum, aliisve
„ Actis Expeditionariorum, aliarumve personarum
„ publicarum, cujuscumque conditionis fuerint, si
„ Clerici sint, declarentur spoliati jure arrogato ad
„ Beneficia, quæ per eos contentiosa evaserunt, iis-
„ que pœnis plectantur, quibus eos Judices in casu
„ privilegiato plectendos censuerint, & remittan-
„ tur ad proprios Prælatos & Judices Ordinarios,
„ ut in eos agatur tam declaratione inhabilitatis per-
„ petuæ obtinendi ac possidendi Beneficia in hoc
„ Regno, quam pœnis alijs pro facti qualitate. Quod
„ si Laici sint, in eos agatur ex nostræ Constitu-
„ tionis rigore, quam quidem volumus locum ha-
„ bere non solum quoad lites movendas, sed etiam
„ quoad lites jam motas & intentatas, quæque
„ pendentes & indecisæ comperientur. "

Quoad quæstionem tertiam; Theologali satis esse provisum fuisse & possessionem iniisse non secus atque alium Canonicum, quoniam Theologalis Præbenda est aliarum similis, adeoque in hoc negotio Sedis vacantis circumstantiam magni momenti non esse, quandoquidem quovis tempore initur Præbendarum possessio, ac Theologalis missionem suam obtinet proprii tituli vi; atque hoc quidem responso satis est factum quæstionibus 4. 5. & 6.

Quoad quæstionem septimam; licere Theologali docere domi suæ, cum, ut id præstet, nullus ei locus a Capitulo tribuatur.

Quoad octavam quæstionem; Episcopus non posse in Theologalem quoad Lectiones, quas edere debet, jure gaudere, nisi jus ad ipsum devolvatur, nimirum si Capitulum curare neglexerit, ut ille officium suum expleat; quo in casu deberet ille primum omnium monere Capitulum, se, si forte illud officio suo defuerit, de re cogniturum, & malo, quodcumque ex Capituli negligentia contigerit, provisurum. Nimirum constat in Pragmatica & Concordato jus hoc immediate Capitulo tribui, non autem Episcopo, ut ex loco jam appellato licet intelligi, hæc utriusque verba sunt: *Quoties ipsum in ejusmodi lectura deficere contigeret, ad arbitrium Capituli per substractionem totius hebdomadæ puniri possit.* Si ergo Episcopus in hoc peculiari negotio jus immendiatum non obtinet, hæc in jus vocatio merito ab eo edita non videtur, præsertim cum longum tempus, quo Theologalis gaudet Præbendæ suæ possessione, præsumptionem præbere debeat, Canonicos, qui eum possessione donarunt, non id inconsulto fecisse, ejus nempe Titulis haud ponderatis. Quamobrem est, cur Episcopus censeatur eum turbare non potuisse, nisi in ipsum querelæ ei præsto fuerint. Verum illud scitu dignum esset, an Episcopi jurisdictioni Capitulum subjectum sit, necne; Si enim exemptum esset, tum Theologalis, tum Capitulum universum exemptione se tueri posset. Debuit porro Theologalis in jus vocatus se sistere, ut se vel hac ipsa ratione, vel alia, quæ ipsi opportuna visa esset, in tuto poneret.

Decisum Parisiis die 6. Augusti an. 1678.
Aug. *De Lamet.*

Theologalis Obligationes.

CASUS IV.

1 *Theologalis in Galliis tenetur ex Ecclesiæ, Regnique Legibus conciones habere singulis Dominicis diebus, Festisque solemnibus, & præterea duas in hebdomada Lectiones edere.*

2 *Potest ille functionibus Tituli sui fundatione præscriptis se continere, si onerosæ non fuerint.*

3 *Episcopo & Capitulo licet Sermonum ac Lectionum numerum imminuere, cum in Ecclesia, in qua Theologalis residet, Populi & Clericorum numerus exiguus est.*

QUÆSITUM.

EX consuetudine ante omnem memoriam in Capitulo N .... servata, & ab Episcopo, qui disciplinæ summopere invigilat, approbata Theologalis non nisi decies in anno Sermones, ac duas hebdomadis singulis Lectiones edere tenebatur. Sed an. 1687. Capitulum sibi licere contendens a Lectionibus Theologalem eximere, eidem mandare voluit, ut perinde atque alii Canonici Officio interesset. Hæ reciprocæ contentiones occasionem liti præbuerunt, postulante Capitulo, ut Theologalis juxta Pragmaticam Sanctionem, & Concordata singulis diebus Dominicis, Festisque solemnibus Sermones, duasque singulis hebdomadis Lectiones edere juberetur. Assensus est Theologalis, & utrique officio diligenter, ac non sine Capituli totiusque Urbis commendatione satisfecit. At magnus hic labor ejus valetudini nocuit, subestque timendi causa, ne quid ei triste contingat, cum ob vehementem in studiis animi contentionem jam oculo captus sit. Qui primam in Ecclesia dignitatem obtinet, ei auctor est, ut sibi solatium quærat, non nisi decies in anno Conciones habens, & consuetis Lectionibus ex veteri consuetudine vacans. At Theologalis vir probus metuit, ne id consilii conscientiæ legibus adversetur, neque adduci potest, ut illud amplectatur, nisi præsto sit Sorbonicorum Doctorum Consultatio, qua ita licere definiatur.

Præter rationes a valetudine petitas non desunt aliæ. I. Ibi est Episcopalis Sedes, ubi ne quingenti quidem Incolæ sunt, ac fere nemo unus ad Sermonem accedit.

II. Theologalis Diœcesi necessarius est, in qua Promotoris officium, cui est aptior, exercet.

III. Disciplinam & negotia Capituli optime callet, adeoque ipse conclusiones omnes edit, tum ad temporalia, tum ad spiritualia, quod attinet. Quod in causa est, ut Canonicus primæ dignitate insignitus, quem non latet Theologalem tot tantisque laboribus parem esse non posse, atque utiliorem cæteroquin operam exhibere, res velit in pristinum restituere. Itaque Sorbonæ Doctores rogat, ut super consilio a se proposito sententiam suam duorum aut trium Doctorum nomine firmatam proferre velint.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ut appareat, quæ Theologalis obligatio sit, disputationis exordium ducendum esse ex Pragmatica Sanctione §. *Primo cum, tit. de collat.* & ex Concordatis *eodem titulo §. 1. Statuimus. Primo cum per generalis Concilii statuta sancte ordinatum existat, quod quælibet Ecclesia Metropolitana teneatur aut debeat habere unum Theologum, qui sua doctrina & prædicatione fructum salutis afferat, ordinat hæc Sancta Synodus, &c. & onus residentiæ, ac lecturæ, & prædicationis subire voluerit; quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento legere debeat; .... & si residentiam deseruerit, de alio providentur.*

Qui onus residentiæ, lecturæ, & prædicationis ulla subire voluerit; quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat, & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli per substractionem fructuum totius hebdomadæ puniri possit. Concord. tit. de collat. §. 1. Statuimus.

„ In Aurelianensium Statutam Art. 8. dicitur: „
„ In qualibet Cathedrali Ecclesia Præbenda Theo-
„ logiæ Doctori offerta servetur, de qua ei per
„ Episcopum providebitur, ea conditione, ut quo-
„ que die Dominico, Festisque solemnibus, aliisque
„ diebus Sermonem habeat; ter insuper in hebdo-
„ mada Sacræ Scripturæ Lectionem publicam edat,
„ & edere pergat, & Canonici distributionum sua-
„ rum privationi interesse teneantur, & compel-
„ lan-

lantur. Et in Statuum Blesensium Art. 33. „ Constitutionem editam requirentibus Statibus Aureliani congregatis, quoad tam Theologales quam „ Præceptoriales Præbendas, exacte observari, & „ ad duo hæc obligare volumus, I, ad residendum, „ II. ad docendum, & concionandum; ut proinde „ nec Episcopus nec Capitulum ab hujusmodi obligationibus eum absolute eximere possint, quia „ Theologalis iis obstringitur ex proprii Beneficii „ institutione, ex Conciliis, ex Regiis Constitutionibus, quorum omnium auctoritas Episcopi & „ Capituli auctoritati longe multumque præstat. “ *Ex quo infero*, inquit Guimerius in Pragmaticam v. *Habeat*, loco citato, *quod Capitulum licet possit punire, non tamen in totum dispensare; id est ut omnino non teneatur legere; tum primo quia Capitulum non dispensat contra Concilium; tum secundo, quia si Lex voluisset dispensare, posse dixisset; tum quia ista lectio est in Reipublicæ favorem introducta*. Ex his rationibus id etiam apparet Episcopum vel Capitulum hac in re dispensare non posse, ac si alterutrum in ejusmodi Sanctiones quicquam aggrederetur, auctoritatem publicam merito refragaturam. Rebuffus in Concordata *loco cit. v. Contrarium* animadverterat ipse quoque interesse Reipublicæ, ut Theologalis officio suo fungeretur: *Puta tamen*, inquit, *quod ex causa posset Capitulum per aliquod tempus modicum dispensare, non per longum tempus, quia Reipublicæ interest, & hic relinquitur punitio Capitulo, non dispensatio; & intellige, cessante impedimento*. Quare Theologalis contra obligationem hanc quocumque demum temporis spatio nunquam præscribit, quia contra publicum bonum nullus est præscriptioni locus.

Animadvertendum, Pragmaticam & Concordata de docendi, quam de concionandi obligatione, qua Theologalis adstringitur, vehementius loqui. Id apparet ex textuum, qui supra allati sunt, lectione, & ex eo etiam, quod iidem textus non definiunt eorum Sermonum numerum, quos Theologus habere debeat; definiunt autem, quod attinet ad Lectiones: *Quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, impedimento cessante legitimo, legere debeat*. Ita sentit Guimerius loco laudato: *Taxat, quot vicibus habeat legere, sed de prædicatione tacet: quare quoties habent prædicare, arbitrio Capituli aut Episcopi relinquo*.

Rebuffus tamen *loco cit. §. Item* contendit id a Concilio definitum esse, dum definiit, quoties Lectio per hebdomadam Theologo habenda esset: *Item cum non fuerit taxata prædicatio, credo etiam, quod semel ad minus die Dominico videlicet, vel alio die festo prædicare teneatur. Et hoc tenet Glossa v. Habeat, quia una determinatio determinans duo determinabilia, ea pariter debet determinare; si tamen sunt tria Festa in hebdomada, in quibus sit prædicandum, prædicare tenetur, & hoc etiam approbat consuetudo, licet non exprimatur in hoc textu*. Id argumento esse posset Episcopo plus juris esse Sermonum quam Lectionum numerum imminuendi. Utut res habeat, cum Theologus institutionis suæ vi conciones habere teneatur Episcopi loco, qui gravibus aliunde curis distentus id præstare non potest, qua de re *Concil. Lateran. IV. sub Innocent. III. Can. 10. an. 1215*. Basileense deinde Concilium, & Lateranense quintum, cum habendarum Concionum obligationem Theologalibus imposuissent, Lectionum singulis hebdomadis edendarum obligationem addiderunt; Aurelianensium præterea Statuum sanctione Sermones singulis diebus Dominicis, Festisque solemnibus addicti sunt. Videndus Louet *litt. P. n. 46*. Fevretus *l. 2. c. 5. n. 21*. Denique complura Concilia particularia deinceps habita Decretis suis utrique huic officio Theologum devoverunt.

Bituricense Concilium an. 1584. *Can. 7. tit. 34.* diserte tradit, quid Theologo agendum sit: *In singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus Canonicus Theologus institutus fuerit, teneatur bis aut semel ad minus in hebdomada prælegere, & diebus Dominicis & Festis solemnibus Concionem publicam habere*.

Concilium Aquisgranense an. 1585. *tit. de Can.* de Theologali loquitur in hæc verba: *Quicumque Præbendam Theologalem in Cathedrali, Collegiatave Ecclesia obtinet; is & quæ sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus, de Consilio Capituli præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur accurate, ad illud præscriptum præest; ita ut bis saltem in hebdomada legat; cujus lectioni etiam Clerici Seminarii intersint, si ita Episcopo videbitur; in Ecclesia vero Cathedrali, saltem die Festo, semper sacram scripturam interpretetur, & exponat, nisi quando aliquid Episcopus de consilio Capituli jusserit*.

Tolosanum Concilium an. 1590. celebratum *c. 2. §. 4.* ita statuit: *Qui in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis Theologi Canonici sunt instituti, ii bis aut semel in hebdomada prælectiones, Dominicis vero Festisque diebus conciones publice habeant; iis porro lectionibus, concionibusque frequentes Cathedralis & Collegiatæ Ecclesiæ Dignitates & Canonici; lectionibus saltem omnes earumdem Ecclesiarum, imo totius Civitatis Clerici adesunt*.

Avenionense Concilium *an. 1594. tit. 10.* de Theologalibus ita pronuntiat: *Provisi de ejusmodi Præbendis, sacram scripturam, aut Theologiam interpretari, docereque, diebus quidem Festis populum, ferialibus vero certis diebus ab Episcopo præscribendis, Clerum per se & non per alios compellentur*.

Narbonense Concilium habitum *an. 1609. cap. 4.* ita Theologalis obligationes recenset: *Voluere Patres sancti Concilii Tridentini in omnibus Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis Præbendam primo vacantem pro Magistro Theologiæ assignari ... quæ nunquam conferri possit nisi Doctori, vel Licentiato, aut Baccalaureo in Theologia, qui per se ipsum singulis diebus Dominicis verbum Dei publice in iisdem Ecclesiis actualiter prædicet, & bis in hebdomada casus conscientiæ doceat: quem attente audire Canonicos, & alios Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum Beneficiatos hortamur*.

Burdegalense Concilium *an. 1624. c. 9. n. 13.* *Theologales autem*, inquit, *in lectionibus habendis si qui negligentes extiterint, privilegio Canonicis concesso non gaudeant; ac insuper si diebus solitis non legerint, illarum dierum distributionibus careant, & priventur: habeant etiam conciones verbi Dei ad populum singulis Dominicis & Festis diebus solemnibus in Cathedrali, ubi id commode fieri potest, sin minus, in aliis Ecclesiis ab Ordinario iisdem assignandis*.

Qua in re duo veniunt animadvertenda; primum est; Theologalem teneri ipsum per se Beneficii sui obligationibus satisfacere; hæc sane mens est Conciliorum Narbonensis, Avenionensis, & potissimum Tridentini *Sess. 5. c. 1. de Reform. Non nisi personæ idoneis conferantur, quæ per se ipsos id munus explere possint*. Alterum est, si quando Theologalis ob aliquod legitimum impedimentum Lectionibus suis vacare non possit, oportere, ut alius ejus loco ab Episcopo, vel si id moris obtineat, a Theologali ipso committatur.

Quamvis ex allatis auctoritatibus Theologus solemnibus diebus Festis Sermones, & per hebdomadam Lectiones habere debeat; si tamen ex Theologalis Præbendæ peculiari Fundatione minori obligatione adstringeretur, Titulo suo stare posset; si in Urbe pariter populi non satis esset, ut congruum Auditorium singulis diebus Dominicis constitueretur, aut discipulus nullus accederet, Theologus ab habendis Lectionibus eximeretur; & ad Sermones quod attinet, Episcopus *de Consilio Capituli* posset eas, quas edere teneretur, ad numerum certum redigere, eorum, qui quidem iis interessent, ratione habita; atque his fortasse de causis in peculiaribus Ecclesiis quoad Theologorum functiones tanta occurrit consuetudinum varietas.

Hoc posito, eo demum redigitur omnis quæstio, an nempe Theologus, de quo dictum est, ob causas in Expositione allatas præter Lectiones, quas edit, decies tantum in anno Concionem habere possit?

Respondetur, licere Theologo cum Lectionibus, quas edit, non nisi decies in anno concionem habere, si Episcopus *de Consilio Capituli* e re esse non judicet, ut, quia minus frequens est Urbs, in qua residet, sæpius concionetur; hæc Tridentinæ Synodi mens est loco citato, quod exigit, ut hominum satis adsit ad Auditorium constituendum: *In Metropolitanis, vel Cathedralibus, si Civitas insignis & populosa, ac ibi numerosus Clerus fuerit &c.* .... Jam

vero

vero ea in Urbe, in qua Theologus hic degit, ne quingentæ quidem personæ sunt; ex quibus sane non apparet existere posse congruum Auditorium diebus quibusque Dominicis, Festisque solemnibus, quibus diebus Theologus ex Conciliis, Regiisque Constitutionibus Sermones habere debet. Non ergo quod minus firma sit valetudine, vel quod curis aliis distineatur, ille ab ejusmodi officio eximi potest. Si enim eum sæpius concionibus vacare debere Episcopus judicaret, eique id facere per valetudinem non liceret, suo se Beneficio, cujus nbeundo officio impar foret, abdicare deberet, nisi Episcopus ei Substitutum non sine congrua subsistentia sufficisarius esse judicaret.

Neque vero Theologus a Concionibus eximi propterea potest, quod Diœcesis Promotor sit, aut Capituli negotia procuret. Primum quippe Theologalis Officium in eo est positum, ut Beneficii sui obligationibus satisfaciat. Tum vero si quid ei superesit temporis, aliis, quibus addicetur, negotiis vacare poterit. Barbosa *de Can. & Dignit. c.* 28. *n.* 61. affert non pauca Decreta Pontificum Pauli V. & Gregorii XV. pro Hispaniarum Regno, quibus prohibetur, ne Theologalis ordinarius & delegatus Judex sit, idque, ut vero simillimum fit, ut suum, quam late patet, officium impleat: *Canonicus hujusmodi, qui Præbendam Doctoralem, aut Magistralem obtinet, vel cui munus legendi sacram Scripturam incumbit, non potest esse ordinarius Judex, vel delegatus*. Nec magis Sermonum numerus ad denarium tantummodo redigi potest ejus operæ prætextu, quam Capitulo & Diœcesi aliunde navat. Hoc enim loco illud pronuntiari potest, ejusmodi prætextibus utiliores fundationes sæpe funditus everti, timendumque est, ne, redactis ad decem quotannis aut duodecim Theologi Sermonibus, pedetentim ejus functiones omnes de medio prorsus tollantur, id quod contigit in Ecclesiis compluribus, in quibus Theologus nec Sermones, nec Lectiones edit.

Ex his omnibus consequens fit, eum, cujus gratia consulitur, id consilii amplecti posse, quod ei a prima Capituli Dignitate proponitur, ut nempe cum Lectionibus decies tantum in anno Concionem habeat, nisi Episcopus de Capituli consilio Conciones ab eo sæpius habendas censuerit.

Decisum hac die 18. Aprilis an. 1694.
G. *Fromageau*.

Theologus cum obligatione se conformandi mandatis Episcopi quoad habendi Sermonis horam.

CASUS V.

1 *In Ecclesia, in qua nullum Theologi Sermonem habent, Episcopus Theologo mandare potest, ut singulis diebus Dominicis concionetur, eique Concionis tempus præscribere, quod Clero & Populo commodius esse judicaverit.*

2 *Si nullas Theologus conciones habeat, eas, etiam dum abest, habendas curare debet.*

QUÆSITUM.

EPiscopus, qui Theologum sine functione reperit, poteſtne ipsum adigere, ut diebus Festis ac Dominicis concionetur, eique horam statuere, quæ Canonicis & Populo commodior sit, præsertim vero Adventus & Quadragesimæ tempore?

Theologus hic jusne obtinet conciones habendi mane Missæ majoris tempore in Choro, ubi nunquam habetur Sermo nisi die Synodi, cum Chorus capax non sit ejus Populi, qui ex Urbis Incolis, qui duodecim mille numero sunt, posset convenire? Præter quam quod positis sedibus, Magna Missa non posset ea, qua par est, dignitate celebrari.

Eo se tuetur Theologus, quod ipse non Populi Concionator sit, sed Cleri. Is est ejus animus, dum eam concionandi horam sibi pertinaciter arrogat, ut Capitulum, quod ejus Decessores nonnulli fecerunt, defatiget, & Concionibus ad horam cum dimidio protractis eo demum adigat, ut sibi silentium imponat. Contendit exemplum Decessorum suorum, qui ita ter aut quater annorum quinquaginta spatio concionati sunt, consuetudinis loco haberi posse, nec Episcopo licere Sermonis horam omnibus aptiorem præscribere.

Contendit etiam Theologus se non teneri alium, qui loco suo concionetur, sufficere, cum ipse concionari non potest, aut tribus vacationis mensibus, quos æque ac cæteri Canonici sibi vindicat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Episcopum Theologo mandare posse, ut concionetur, eique horam præscribere, quæ Capitulo, atque Urbis Populo commodior sit; Theologalem injuria contendere se Populi Concionatorem non esse, quoniam Orator est Ecclesiæ totius, qui Populum æque ac Clerum complectitur; ac Theologalem ipsum, qui Conciones habet, utpote spectatum tanquam fungentem eo munere, quod ad Episcopum pertinet, prout suum ipse Populum docere debet, ministerium suum ad unum Capitulum redigere non posse, ut liquido constat ex Concilio Lateranensi IV. quo nempe fundamento Theologales instituti sunt prædicationis gratia, quemadmodum etiam ita res se habet a tertio pariter Lateranensi Concilio *c.* 18. ut iis sacram Scripturam in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis explicandi, & Fideles ea, quæ ad animarum regimen necessaria sunt, docendi obligatio præscriberetur.

Porro nec in Pragmatica Sanctione, nec in Concordio quicquam occurrit, quod eligendæ Sermonis horæ jus afferat Theologo; ut proinde, si de nova institutione agatur, Episcopi, qui ejus de jure Superior est, Constitutioni se subdere debeat, præsertim cum, si de Populorum, qui peculiari titulo ab Episcopo pendent, catechesi quæstio instituatur, ejus quoque sit de commodiore atque utiliore ejus peragendæ tempore judicare.

Theologalis tum ex Concordii tum ex Pragmaticæ verbis a Capitulo quoad prædicationem non pendet, quemadmodum quoad doctrinæ tradendæ obligationem eidem subjectus est, quia nempe non dicitur distributionibus, ni prædicet, a Capitulo privari posse, ut sane potest, ni doceat. En verba: *Et quoties ipsum in ejusmodi lectura deficere contigerit, ad arbitrium Capituli per substractionem fructuum totius hebdomadæ puniri possit*.

Exemplum, quo Theologus hic nititur, satis ostendit, horam, qua ejus Antecessor Sermoni vacabat, importuniorem fuisse, adeoque mutandam esse; præsertim cum haud satis diuturnum tempus fuerit, ut possessionem firmaret, quodque ab eo factum est, fuisse videatur in fraudem, atque ut se ipse ab habendis Concionibus perturbatione, quam importabat, eximeret.

Ex Pragmaticæ & Concordii verbis Theologus perpetuæ residentiæ lege tenetur. Gaimerius in §. *Primo cum de collat. V. Residentiæ* pronuntiat eam *personalem* & *continuam* esse debere. Et sane ex Constitutione intelligimus teneri Theologum omnibus diebus Dominicis Festisque præcipuis Sermones habere, atque hebdomadis singulis Lectiones tradere; id quod concinit Pragmaticæ Sanctionis & Concordii verbis illis, *per singulas hebdomadas*. Quod profecto perpetuam residentiam supponit, ut proinde verbis stricte sumptis, Theologalis, id quod cæteris Canonicis licet, tribus mensibus abesse nequeat. Quoniam tamen ejus rerum ratio, valetudo, aliæque legitimæ causæ postulare aliquando possunt, ut ille ad tempus aliquod functiones suas intermittat; conveniat necesse est, ut, si ei sit impositum docendi munus, tribus circiter mensibus a Lectionibus vacare possit, Julio scilicet, Augusto, & Septembri, ut in Tridentinæ Synodi *sess.* 5. *cap.* 1. *num.* 16. Adnotationibus declaratur. At si eidem Sermonum quoque onus injunctum sit, rationi consonum fuerit, ut per aliquod vacationum tempus Virum Episcopo gratum, loco suo Sermones habituram deleget, quia nempe a justitia alienum est,

Po-

Populum, absente Theologo, audiendi divini verbi solatio privari semperque necesse est, ut quicumque Beneficium obtinet, utcumque tandem se habeat, prospera, seu adversa valetudine utatur, adsit, vel absit, omnes necessarias circumspectiones adhibeat, ut proprii Beneficii obligationes fideliter impleantur.

Decisum Parisiis die 3. Maji an. 1676.
Aug. *de Lamer*.

THESAURUS.

Thesauri nomen, quod non paucas nec unius generis notiones habet, hoc loco ita accipitur, ut auri, argenti, vel alterius cujusvis pretiosæ rei congeriem significet, quæ sub terra, in pariete, vel alibi delitescit, & forte fortuna fodiendo aut demoliendo reperitur. In eo vertitur difficultas, ad quem demum ejusmodi Thesauri, qui ita inveniuntur, pertineant, quia in hoc negotio Leges & Consuetudines non concordant, immo vero magnopere discrepant.

Hallucinantur hac in re Confessariorum & Casuistarum plerique; Legibus enim cujusque Provinciæ per oscitantiam minime ponderatis, Romano Juri adhærentes vulgo pronuntiant, Thesauros partim ad Principem, partim ad fundi Proprietarium, partim denique ad inventorem spectare, & partem quidem tertiam eorum unicuique tribuendam esse. Id autem Confessariis in hoc negotio erroris occasionem præbet, quod veteres Casuistæ non nisi Jus Romanum legerunt, recentiores autem, de variis Provinciarum consuetudinibus non cognoscentes veteribus subscripserunt. Qui sane nihilominus error est; cum enim Thesauri sint bona derelicta, Legis est, inquit D. Thomas, eos, cui expedire censuerit, adjudicare; ita ut iis in Regionibus, in quibus Jus scriptum servatur, ex Romanæ Legis sanctione sit decidendum, ad quem Thesauri pertineant. Sed cum Lex hæc regulæ loco esse non possit in Consuetudinaria Regione, in qua Consuetudinum, quas Princeps Patentibus Litteris in Senatus Acta relatis firmavit, ratio habenda est; hinc sequitur, ex Consuetudinibus, ad quem tandem detecti Thesauri pertineant, judicandum esse. Regiæ Constitutiones, ad Thesauros quod attinet, nihil in Gallia definierunt, & Constitutio, quam nonnulli Juristæ Sancto Ludovico tribuunt, nequaquam occurrit.

Jus quidem scriptum id ita definiit: Tertia pars cedebat Proprietario fundi, in quo Thesaurus inventus erat; tertia item pars ei, qui Thesaurum invenerat, quia nempe Inventor in causa est, ut eo Proprietarius fruatur; alia demum pars tertia Principis erat. Jus hoc Principis ignotum erat in antiquis Romanis Legibus, qui eos tantum Thesauros Principi tribuebant, qui in ejus fundo reperti essent, alios omnes partim Inventori, & partim fundi Domino relinquentes. Id juris ab Ethnicis tantum Imperatoribus institutum fuit, quorum Constitutiones ab Imperatoribus Leone & Justiniano abrogatæ fuerunt; at eæ tamen servantur in iis regionibus, in quibus Jus scriptum Legis vim habet.

Thesaurorum negotium non eodem modo Galliarum Consuetudines definierunt.

I. Sunt enim Consuetudines, quæ statuerunt, (a) Thesauros ad Regem omnino spectare, ejusque Dominii partem esse, ita ut Proprietarius ipse nullam eorum partem percipiat. Ita Britanniæ minoris, itemque Normanniæ consuetudines, in quibus de Inventore ne verbum quidem. Silvanecti Consuetudo Normanniæ Consuetudini valde conformis est.

II. Aliæ Consuetudines, ut Burbonensis, Thesauros antiquitus congestos partiuntur trifariam, ut eorum pars una summo Judici, alia fundi Domino seu Proprietario, tertia denique Inventori cedat æquis portionibus. (b) In his Consuetudinibus Rex gaudet tertia parte, cum ipse summus est Judex; nempe cum fundus intra ejus peculiaris Ditionis terminos continetur; id quod etiam locum haberet, si eumdem oppignorasset; Oppignorator quippe nullo in Thesaurum jure gauderet, quia non nisi tanquam Usufructuarius spectatur.

III. Parisiensis Consuetudo, cujusmodi quidem redacta est, nullum decreto firmatum articulum exhibet, in quo de Thesauris sermo sit; sed Bacquet in suo Tractatu de Justitiæ Juribus de iis verba fieri monet in eorum articulorum uno, qui reformationi subjecti fuere. Articulus hic fuit Burbonensis Consuetudinis dispositio, servaturque in Parisiensi Senatu, qui definivit in Thesaurorum tertiam partem Regi nil juris esse, nisi iis in locis detecti fuerint, in quibus ei supremum Tribunal competit; quod si alibi detegantur, eam tertiam partem ad supremum Magistratum spectare.

IV. Non desunt Consuetudines, quibus finitur, ut Thesauri antiquitate donati, cujus Dominus cognosci nequit, in locis publicis, plateis nempe, nundinis, callibus, viis detecti dimidium unum supremo Judici, Inventori dimidium alterum cedat. (c) Hæc Cameracensis Consuetudinis sanctio est, ex qua concludendum, Thesaurum, siquidem in privati hominis fundo repertus fuerit, in tres æquales partes tribuendum esse, ut alia ad Inventorem pertineat, alia ad Proprietarium, alia ad Dominum, seu Regem, prout declaratum est; si enim Consuetudo hæc silet de Proprietario, cum in loco publico Thesaurus detegitur, id eo est, quod Dominus publicorum locorum est Proprietarius.

Id expressis verbis declaratur in Barrensi, Senonensi, & Antissiodunensi Consuetudinibus, (d) quæ præcedentium Consuetudinum commentaria veluti quædam sunt „. Thesaurus in loco publico inven„ tus pertinet dimidia ex parte ad supremum Judicem loci, ubi repertus est. “ Itaque nullum Regi jus in eum est, nisi ipse loci supremus sit Judex. „ Dimidium autem alterum pertinet ad Invento„ rem, qui nulla interjecta mora id summo Judici patefacere debet; ac ni faxit, mulctandus est “. Proinde si totum sibi Thesaurum retineat, tenetur partem, quæ ad supremum Judicem spectat, restituere, quia Rex illi eamdem adjudicat. „ Quod si in privato fundo Thesaurum inventus fuerit, in„ ventori tertia pars cedet, tertia item Proprietario, nec non summo Judici tertia; ac si in proprio „ fundo quis invenerit, duæ tertiæ partes ad eum devenient, alia vero tertia pars ad summum Ju„ dicem. Videri possunt ceteræ Consuetudines in hoc negotio, & *De Remisson* in Tractatu, quem Gallice inscripsit *des Droits de garde* pag. 93.

The-

(a) Consuetudo Britaniæ tit. 2. art. 46, Normanniæ art. 211. & 212. Silvanecti art. 98.
(b) Consuetudo Burbonensis art. 335.
(c) Consuetudo Cameracensis tit. 24. art. 3.
(d) Cons. Bar. art. 41, Senon. art. 8. Antissiod. art. 11.

Thesaurus in domi demolitione repertus.

C A S U S I.

1 *Si Jus unum naturale consuleretur, Thesaurus, dum domus diruitur, inventus, omnino Inventoris esse deberet.*
2 *Sed ex Legibus inter fundi Dominum & Inventorem dividendus est, nisi secus aliqua Consuetudo definiat.*
3 *Si Thesauri pars summo Judici tribuenda sit, ejus tres partes statuendæ sunt, & earum una dicto Judici tribuenda.*

QUÆSITUM.

OPerarius in demoliendu domo occupatus Thesaurum invenit, hoc est magnam auri & argenti vim, ab annis amplius centum, ut vero simile fit, occultatam, id quod apparet ex aureorum nummorum formis, quæ antiquæ sunt.

Domus hæc a sex annis empta a Monialibus; spectabat illa a Patre in filium ab annis centum & amplius ad eos, qui iisdem Monialibus eam vendiderunt, fitque vero proximum pecuniam ab eorum Majoribus, opibus ac divitiis affluentibus congestam fuisse.

Quæritur, ad quem spectet hæc auri & argenti vis, an ad hunc Operarium, vel quota pars ei cedere possit? An ad Moniales, quæ domum haud ita pridem emerunt, & possident, vel quam partem possint sibi sumere? An denique qui domum vendiderunt, quicquam sibi vindicare possint, vel ullo ejusmodi jure gaudeant? Animadversione dignum est, Moniales haud inopia laborare, Thesauri porro inventorem purum putumque Operarium esse, ejusmodi quoque esse ejus patrem, ei non deesse familiam, & quotidiano opere ac labore vitam trahere, futurum divitem, si inventa pecunia ei remaneret.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, tempus ultra centum annos immemorabile fere censeri; ut proinde Thesaurus hic tanquam res occulta, & incognita ab immemorabili tempore, eujusque verus dominus cognosci nequeat, spectandus sit. Quamobrem Thesauri definitio, quam Jus tradit, ei rei, quam Operarius in domo, quam diruebat, invenit, accommodari potest; *Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut Dominum non habeat*. Hæc verba sunt *Digest.* 41. *tit.* 1. *l.* 31.

Ex eo enim quod domus, de qua quæstio est, ad venditores hæreditario jure spectaverit, consequens fieri Thesaurum saltem ex parte ad eos pertinere, gratis assereretur; ac probandum prius esset eamdem domum nemini unquam locatam fuisse, & neminem unum, a venditorum Majoribus alium in ea fuisse versatum; quod non apparet. Hoc posito,

Respondetur, si naturalis Juris ratio haberetur; necesse fore, ut Thesaurus hic omnis ad Inventorem spectaret. Cum porro id naturalis Juris esse dicitur, non id eo est, ut monet Bannez in S. Thomam, (a) quod naturale Jus aperte declaret Thesaurum Inventori tribuendum esse; sed id minus propria significatione accipi debet, ita scilicet; ut, cum Thesaurus is nullius sit, consequens fiat, eum Inventori cedere: *Cum dicitur, quod jure naturæ Thesaurus inventus est inventoris, intelligendum est negative, non omnino positive, hoc est quod jus naturæ non præcipit positive, quod Thesaurus sit inventoris, sed quia jure naturæ non est alterius, statim efficitur occupantis*. Consulendi Diana (b), & Sylvius in hunc eumdem D. Thomæ locum.

Si tamen Civiles Leges spectentur, Thesaurus inter fundi Dominum & Inventorem est distribuendus. Ita D. Thomas loco laudato in hæc verba: *Et eadem ratio est de Thesauris antiquo tempore sub terra occultatis, quorum non extat aliquis possessor, nisi quod secundum Leges Civiles tenetur inventor dare medietatem Domino agri, si in alieno agro invenerit*. Bannez, & Sylvius in hunc locum Civiles Leges in medium proferunt, subscribuntque D. Thomæ sententiæ, quæ complurium aliorum Theologorum est, quos laudat Bonacina (c).

Ex his omnibus sequitur, nisi forte ibi, ubi Thesaurus inventus est, probata aliqua Consuetudo, vel aliquæ Leges obsint, in præsenti facti specie Thesaurum inter Moniales, & Operarium dividendum esse, idque eo magis, quod ille pauper est, ejusque familia inopia laboret.

Verum si eo loci Thesauri pars summo Magistratui tribuenda esset, Thesaurus tribuendus foret in partes tres, prorsus ut in quibusdam Consuetudinibus accidit; & inventor tenetur ultro restituere, nec sententiam Judicis expectare; etenim causa exempli Provinciæ Lex, quæ Thesauros, quos in propriis quoque fundis quispiam invenerit, Feudali Domino adjudicat, non est spectanda tanquam dispositiva Lex, quæ declaret, ad quem demum rerum dominium spectare debeat. Vide Bonacinam *tom.* 2. *pag.* 385.

Decisum Parisiis Kal. Martii an. 1699.
G. *Fromageau.*

Thesaurus inventus.

C A S U S II.

1 *Commune Jus postulat, ut inventus Thesaurus in duas æquas partes tribuatur, quarum una fundi Domino, altera inventori cedat*
2 *In Provinciis, ubi probata Consuetudo aliter statuit, ei standum est.*

QUÆSITUM.

CÆmentarius quidam opus faciens in via urbis cujusdam Thesaurum invenit, qui nonnullis veteribus argenti numismatis constat. Qua in re quæritur, quis ejus usus esse debeat? An ex communi Jure tribuendus sit inter Cæmentarium & fundi dominum, an vero ad Feudalem Dominum spectet, cui Provinciæ Consuetudine adjudicatur? Feudali Domino de re nesciente, meliorne evadit Cæmentarii conditio? Potestne Thesaurum, donec ad restitutionem damnetur, retinere?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositæ quæstioni respondeat, duo hoc loco pensanda censet;

Primum est, ex Jure Civili in Digesto (d) Thesaurum esse pecuniam ab immemorabili tempore alicui depositam, quæ non amplius Dominum habere judicatur; ex quo fit, ut hæc pecunia ad eum spectet, qui eumdem invenit, quoniam nullius est. Textus in medium allatus est in Casu superiore: *Thesaurus est vetus* &c. In Codice Thesaurus ad eum pertinet, qui in proprio fundo eumdem invenit: quod si invenerit in alieno, dimidium tantum ad ipsum pertinet: (e) *Qui Thesaurum in proprio fundo invenit, totus fit Domini; qui in alieno, cum Domino fundi partitur: & dimidiam retinet*.

Alterum est, praxim nostram a Romano Jure differre, ut ex Auctore, qui naturali ordine Civiles Leges (f) digessit, & ex Chopino licet intelligi. Ex quo inferri potest, cum Civile Jus hoc in Regno Legis vim non habeat, quique Thesaurum invenit, nullo positivo & peculiari titulo, quo ejus dominus efficiatur, instructus sit. Provinciarum Consuetudinibus id, quod expedire censuerunt, legitime super hoc articulo statui potuisse communis boni gratia. Sylvius in eumdem appellatum D. Tho-

(a) Bannez in D. Thom. 2. 2. q. 66. art. 5. conclus. 6.
(b) Diana Tom. 9. tract. 5. de Thesaur. resolut. 18.
(c) Bonacina to. 1. disp. 1. q. 3. punct. 6.
(d) Digest. tit. 31. de acquir. rerum dominio.

(e) Cod. L. unic. de Thesauris §. 39.
(f) Daumas, Leges Civiles &c. to. 2. l. 3. tit. 7. p. 427. Chopin to. 2. l. 1. art. 61. p. 333. & to. 2. p. 217.

Thomæ locum *conclus.* a. declarat, quemadmodum Principes aliis Thesauros tribuere potuerint, quamvis communi Jure ad Inventores quodammodo pertinere viderentur. Et sane pendent bona nostra a Principum Legibus non modo quoad eorum peculiarem dispositionem aut usum, sed etiam quoad eadem acquirendi rationem; ex quo fortasse tritum illud: *Possidemus bona nostra jure Principum.*

Hoc posito, respondetur, Provinciæ, in qua hic (a) Thesaurus inventus est, Consuetudine Legem, quæ obligat, eo loci constituente, consequens fieri, Thesaurum ipsum ad Feudalem Dominum pertinere, adeoque ab inventore retineri non posse; sed ei reddendum esse, Judicis Sententia non expectata; neque enim in hoc negotio de pœna agitur. Lex, quæ, ut supra in alio Casu dictum est, Feudali Domino Thesaurum tribuit, haud tanquam pœnalis Lex spectanda est, sed tanquam dispositiva, quæ determinet, cuinam rerum Dominium cedere debeat. Si pauper est is, de quo agitur, rationi consonum fuerit, ut gravis aliquis vir auctoritatem suam apud Feudalem Dominum interponat, atque ab eo aliquam Thesauri partem in inventoris favorem obtineat; si tamen Dominus uti vellet jure suo, non posset, si res ad juris apices exigatur, eodem spoliari.

Decisum Parisiis hac dia 18. Junii an. 1701.
G. *Fromageau.*

TONSURA.

CLericorum Tonsura perantiqua est in Ecclesia, quoniam S. Isidorus Hispalensis memoriæ prodit, ejus usum a Nazarenis cœpisse, qui cum per aliquod tempus capillos alere studuissent, & omnino singularis vitæ austeritatem servassent, eos deinde tondebant, & Sacrificii igne comburendos in Templo offerebant. Sed illud vere dici potest prioribus Ecclesiæ sæculis nihil præter magnam in vestitu modestiam fuisse, quod externa quidem speeie Episcopos, Ecclesiasticosque secerneret; hanc autem distinctionem non ante sextum sæculum incepisse; ad Tonsuram quod attinet, ejus usum septimo atque octavo sæculis generatim obtinuisse, atque adeo tunc dictum esse S. Petrum ejus Auctorem fuisse. Ex Toletana quarta Synodo Can. 4. licet intelligi id moris in Hispania viguisse, ut tonso capite Clerici essent, ut sunt etiamnum pueri Choro inservientes, omnisque Clerus non nisi capillorum quasi orbem in coronæ formam deferret.

Tonsura nequaquam Ordo est, sed sancta solummodo cæremonia, qua quis in Ecclesiasticum statum ingreditur, & Beneficiorum, atque Ordinum capax efficitur. Nuncupatur Tonsura, quia Episcopus in Crucis formam capillos amputat, ut Tonsuratus moneatur se a sæculo sejunctum esse, atque omnia supervacanea exuere debere; atque hæc quidem exterior nota, perinde ac vestis, Clericis a Laicis distinguendis inservit. Iis vero tantum conferenda Tonsura est, qui merito spectari possunt tanquam a Deo ad statum Ecclesiasticum appellati, quique deinceps ad Ordines promoveri posse creduntur, cum Tonsura in id unum sit instituta, ut ad eos præparatio veluti quædam esset.

Ii porro, qui ad Tonsuram accedunt, debent ita esse dispositi, ut I. In Clericali statu persistant ad mortem usque: II. Se Deo in eodem statu devoveant non lucri cupiditate abrepti, non humano sensu illecti, non fastu permoti; III. Proprio Episcopo, Sanctisque Canonibus in omnibus obsequantur; IV. Proprii status notas, nempe Tonsuram, capillos breves, & habitum Clericalem toto vitæ tempore deferant; V. Mundum contemptui ducant, & omnibus oblectationibus, quæ Clericis interdicuntur, abstineant; VI. Serio ad studium, ut Sanctorum scientia se exornent, & ad orationem, ut Dei spiritum sibi comparent, animum convertant; VII. Ita vivant, ut pravas affectiones cohibeant, & a mollitie, in qua Christianorum hominum plerique versantur, alieni sint.

Deferendæ Tonsuræ obligatio, qua tenetur Clericus ex Beneficio pensionem percipiens.

CASUS I.

1 *Clericus nec Tonsuram, nec habitum Clericalem deferens pensione, quam ex Beneficio percipit, frui nequit.*

2 *Potest Episcopus eum censuris compellere, ut vivat, quemadmodum Clericum decet, aut pensioni renuntiet.*

QUÆSITUM.

JUnior Clericus Conventualem Prioratum adeptus ea lege, ut, cum ei per ætatem liceret, Sacros Ordines susciperet, iis se addicere noluit, & Beneficium cum pensione resignavit. Interea vivit & induitur Laicorum more, ensem gestans, linteam faciam, appositamque amplam cæsariem; cum tamen nec Sancti Lazari, nec alterius Ordinis Eques sit, ut ensem deferre, & pensionem retinere possit.

Itaque rogantur Sorbonæ Doctores, ut pronuntient, an non hic Adolescens, cui ex Conventuali Beneficio pensio est, Tonsuram & habitum Clericalem deferre, & quicquid in hoc capite Sancti Canones & Pontificum Decreta statuerunt, significare teneatur? Magnum quippe discrimen ponitur inter eos, quibus Rex in Beneficiis pensiones concedit, quique iis per resignationem potiuntur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

I. Quicumque ad Tonsuram accedit, eum Clericali statui se devovere; qui status peculiarem Dei cultum requirit, Tridentino Concilio *Sess. 23. c. 3. de Reform.* ita statuente: *Nec prima Tonsura initietur, nisi qui, ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegerint.* Ex quo fit, ut nemo pensionem, quæ Tonsuram supponit, obtinere possit, quin eam contrahat obligationem.

II. Ejusmodi pensiones a Pontifice non concedi, nisi ut, qui eas petunt, habeant, unde in Ecclesiastico statu vivant, nec præ inopia eum deturpare, & rationes, quibus ignominia affici possit, quærere cogantur. Et sane ut Ecclesiæ bona ad Deum honorandum sunt instituta, ita par est Clericos, qui proprii status gratia Deo cultum exibent, præ cæteris eadem possideant.

III. Clericum, qui de Ecclesiastico statu deserendo cogitat, qui non ita se gerit, ut Clericum decet, qui nec Tonsuram, nec Clericalem habitum defert, non posse sine culpa Clericali pensione frui. Hæc communis opinio est, præsertim post Sixti V. Bullam, de qua infra dicetur. (b) Id ut Navarrus confirmet, ita commemorat: *Quia & memini vidisse in Hispania quemdam pensionarium sub pœna excommunicationis a suo Episcopo monitum, ut Tonsuram & habitum Clericalem gestaret.* Hoc principio nixus Pasqualigus in Decisione 207. n. 10. ita de Clericali habitu ac Tonsura pronuntiat: *Unde falsum est, quod* *habi-*

(a) Vide Dianam 9. p. tract. 5. De Thesauris. Navar. Sum. c. 17. n. 17. Greg. Tolos. in Syntagm. verbo Thesaurus. Animadversiones in Jus Gallicum. verbo Thesaurus gallice editæ. Sylvius in 2. 2. q. 66. art. 5.

(b) Navar. In Enchir. c. 21. n. 53. de orat.

habitus, & dignitas Clericalis fit per accidens, & concomitans pensioni; sed per se requiritur ut fundamentum pensionis, & habilitans personam ad participandum in bonis Ecclesiasticis.

IV. Sixtum V. in Bulla 92. an. 1589. *Cum Sacrosanctum* §. 3. & in sequenti *cap. Pastoralis* declarare, eos, qui Clericales pensiones ultra sexaginta centuisses obtinent, nec Tonsuram ad talarem vestem detulerint, pensionibus ipso facto priventur: *Necnon pensionibus & fructibus, omnique jure sibi in eis quomodolibet competenti, harum serie ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine privamus, ac sine ulla monitione, citatione ipso facto privatos declaramus; ac tam Beneficia hujusmodi vacare, & libere aliis conferri posse, quam etiam pensiones cassatas, extinctas esse, & fore, ac fructuum reservationes; & quemquam alterius ad illarum solutionem minime teneri*, &c.

Tridentinum Concilium *Seff.* 14. *c.* 6. *de Reform.* simile quicpiam statuerat; pronuntiat enim primo Clericos eo habitu, qui eorum statui respondeat, uti debere; tum eorum nonnullos contra se gerere ita conqueritur; *Tanta hodie aliquorum inolevit temeritas, Religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem Clericalem parvi pendentes, vestes etiam deferant publice Laicales, pedes in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.* Porro Clerici, qui præter Clericalem Dignitatem pensionibus quoque Beneficiorum locum tenentibus gaudent, potiore sane jure digni sunt ejusmodi exprobrationibus, magisque vituperandi sunt.

Eos quidem Synodus ab Episcopis monitos vult, ut Tonsuram, & Clericalem habitum deferant, antequam Beneficiis priventur; in quo mollior est, quam Sixti V. Bulla, quæ eos *ipso facto* privatos declarat. Itaque juxta sententiam Garziæ 7. *p. c.* 1. *n.* 24. *de Benef.* Barbosæ 2. *p. de pot. Ep. alleg.* 9. *n.* 14. Bassæi *tom.* 2. *v. Pensio n.* 11. Bulla hæc quoad caput hoc recepta non est, quamvis quoad vestis & Tonsuræ deferendæ obligationem ejusmodi sit, utpote Conciliorum tum generalium tum particularium Decretis conformis, ut animadvertit Zerola *in prax. v. Clericus n.* 14.

His in hunc modum constitutis, respondetur, eum, de quo agitur, si Conventualem Prioratum iniens nec eum retinere, nec in Ecclesiastico statu persistere in animo habuit, in eo sibi pensionem reservare non potuisse; atque ut eam sumere potuerit, retinere tamen non posse, ni vivat, ut Clericum decet, hoc est Tonsuram, & Clericalem habitum gestet; ut proinde si minus *ipso facto pensione privetur*, aliter vivens, procul dubio tamen citra peccatum eam retinere, eaque gaudere non possit, quia nempe Laicali veste utens, & Laicorum more vitam instituens Ecclesiastico statui renuntiasse censetur. Consuli possunt Fagnanus *in* 1. *p. l.* 1. *Decret. cap. Ad audientiam de rescript. n.* 76. & in 2. *p. l.* 1. *de El. cap. Cum in cunctis n.* 95. Garzias 1. *p. cap.* 5. *n.* 11. Navarrus *l.* 3. *consil.* 3. & in *man. Miscell.* 45. *de orat.* Bassæus *tom.* 2. *v. Pensio n.* 11. Sanchez *l.* 7. *cap.* 1. *dub.* 49. *n.* 11. *consil. moral.*

Decisum hac die 25. Octobris an. 1686.
G. Fromageau.

Ætas ad suscipiendam Tonsuram.

CASUS II.

1 *Episcopus citra causam legitimam transgredi non debet Diœcesis suæ Statutum, quod prohibet, ne cui Tonsura ante ætatis annum quartum decimum conferatur.*

2 *Beneficii puero annorum novem obtinti spes non est hujus statuti violandi sufficiens ratio.*

QUÆSITUM.

Veteribus Diœcesis statutis præcipitur, ne cui Tonsuram ante annos quatuordecim Episcopus conferat; statutum hoc servarunt Episcopi tres. Porro puer nono ætatis anno Tonsuram petens, rejectusque, contendit deinde se propterea Beneficii jacturam facere, petitque, ut in ejus Beneficia gratiam, sine quo de suscipienda Tonsura sollicitus omnino non esset, admittere tur. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut suam scripto sententiam proferant, definiantque, an Episcopus non ignorans puerum hunc non alia de causa Tonsuram petere, quam ut Beneficium obtineat, a Statuto tuta conscientia recedere possit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet Episcopum non debere in hac facti specie a Statuto, quod editum est servatumque a tribus ejus Antecessoribus, omnino recedere, atque huic puero ante ætatem eodem Statuto præscriptam Tonsuram tribuere. Canones quidem ac Tridentina Synodus ipsam diserte ætatem non indicant, qua Episcopus Tonsuram conferre possit; adeoque eam potest, qua ipsi videbitur, ætate tribuere, dummodo non ante septennium, ut definitum est *cap. fin. & gloss. v. Infanti de temp. Ordin.* pluribusque Galliarum Conciliis a Buchello relatis *l.* 3. *de Ordinat. tit.* 2. *cap.* 8. 49. 52. 54. Verum in Diœcesi, de qua agitur, Constitutione edita firmatum est, ne Tonsura ante annos quatuordecim administretur; in hac ergo praxi, quæ in Diœcesi per annos plures obtinuit, Episcopus citra legitimam causam dispensare non potest. Tonsura in statu Ecclesiastico ad suscipiendos Ordines, & ad Beneficia qualibet possidenda janua est. Ante hanc ætatem haud aptus est infans ad Ecclesiasticam rationem a Laicali secernendam, statumque eligendum. Si, quod olim apud Episcopos in more positum erat, educarentur pueri in Collegiis in eum finem institutis, ut a teneris, quod ajunt, unguiculis Ecclesiasticæ vitæ ratio ipsorum animis inspiraretur, iidemque mature ad morum integritatem, quam ejusmodi status postulat, formarentur; iis Tonsura conferri posset, quin expectaretur, dum ætatis annum decimum quartum attingerent. Verum cum id moris non amplius obtineat, peculiaribus diœcesеon Statutis standum est, siquidem præsto sint, quæ suscipiendæ Tonsuræ ætatem definiant; ut proinde nec ab Episcopo peti possit, ut in Statuto ab annis pluribus in ejus Diœcesi servato dispenset, nec vero absque legitima causa id sibi sumere Episcopus atque arrogare debeat. Jam vero apparet ullam ejusmodi causam a puero in Expositione produci; quin potius constat, eum Beneficii potissimum spe ad Tonsuram petendam moveri; quasi vero Beneficii spes Status Ecclesiastici vocationem efficeret, eidemque statui idoneum hominem redderet, ejusque qualitates impertiretur. Huic igitur puero Tonsura neganda est, tum quia nondum ætatem Diœcesanis Statutis præscriptam attigit, tum quia et caret dispositione, quæ ad ejus susceptionem requiritur.

Decisum in Sorbona hac die 22. Septembris an. 1694.
G. Fromageau.

TRANSLATIO.

Episcoporum ab una in aliam Sedem translatio in primitiva Ecclesia acerrime vetita erat, quoniam Nicænum primum Concilium translationes nullas declarat, Sardicense vero translatum Episcopum communione privat. Nec minus prioribus sæculis invisitatæ Beneficiariorum Clericorum translationes erant, cum illi Titulo prorsus insolubili, quique citra piaculum solvi non posset, addicti essent. Sed existit translatio alia, de qua in sequenti casu sermo est, ea nempe, qua Religiosus a Monasterio,

tio, in quo Professionem edidit, in aliud ejusdem ordinis seu diversi transfertur. In posteriore quidem facti specie Sedis Apostolicæ auctoritas est necessaria; at si in ejusdem Ordinis Monasterium translatio fiat, eam Superior firmare potest.

Vide (CAPUCINI.
(RELIGIOSI.

Abbatissæ translatio a mitigata ad reformatam Familiam.

CASUS.

1 *Mitigatæ Familiæ Abbatissa nec dare operam, ac ne pati quidem debet ut ad reformatæ Familiæ Abbatiam nominetur, si haud putet sibi valetudinis satis esse, ut omnes hujus posterioris Familiæ observantias custodiat.*

2 *Nullam unquam Translationis Breve in ejusmodi facti specie concedit Pontifex, quia conditionem hanc postulet.*

QUÆSITUM.

QUæritur, an Monasterii, in quo S. Benedicti mitior est Regula, Abbatissa possit tuta conscientia petere, atque adeo acceptare Abbatiam aliam ejusdem Ordinis, in qua viget ad juris apicem magna Regula, quam custodire nec valet ipsa, nec vero vult?

Id etiam quæritur, an eadem Abbatissa posteriorem hanc Abbatiam consecuta possit tuta conscientia a stricta servanda Regula, infirmitatum suarum prætextu, ipsa se eximere, quin a Pontifice, vel ab ordinario suo Prælato dispensationem obtinuerit?

Ad quæstiones has duas in meliore lumine collocandas e re esse visum est in medium afferri clausulam Bullæ translationis a Pontifice summo concessæ, & pronuntiationis, quam ejusdem edidit Officialis, ad quem Pontifex eam dederat. Ita porro Pontifex ad Officialem:

Discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus constito tibi, quod in primo dicto Monasterio par vel arctior, quam in Monasterio, seu alio regulari loco, in quo dicta N. professa est, seu ad quod translata fuerit, vigeat observantia regularis.

Et infra in eadem Bulla: *Et insuper ut eadem N. cum primum ad primo dictum Monasterium* (reformatum) *ut præfertur, transierit, illius possessionem assecuta, illius regularis institutis se conformet.* Ita autem Officialis in Actu publicationis Bullæ: *Audivimus testes fide dignos, ex quorum depositionibus nobis constat in dicto Monasterio observantiam regularem vigere arctiorem, quam in Monasterio Monialium sancti N. cui dicta N. præest.* Et infra Officialis translationi assentiens addit: *& ea lege, ut postquam ad dictum Monasterium de N. dicta N. transierit, illius possessionem assecuta, illius regularibus institutis se conformet.*

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores Sorbonicæ Familiæ subscripti, qui allatam expositionem viderunt, existimant, Monasterii Ordinis S. Benedicti, in quo mitigata Regula est, Abbatissam tuta conscientia petere vel etiam acceptare non posse translationem suam ad ejusdem Ordinis Abbatiam, in qua magna, quam late patet, Regula custoditur, cum eadem Abbatissa se infirmiorem agnoscat, quam ut eam Regulam servare valeat, ac ne id quidem in animo habeat; quia nempe Pontifex Abbatiam hanc ea tantum conditione concedit, ut translata Monasterii, in quod eam ipse transfert, Statutis sese conformet; & id quidem Juris est. Ita ei providet, ut Abbatiam haud eidem conferret, si sciret Abbatissæ ipsi non eam mentem esse, ut eam conditionem exequeretur, ac viveret juxta Regulam, quæ viget in Monasterio, in quod illa transfertur. Quamobrem Abbatissa, quæ sine conditionis illius implendæ voluntate in eam Familiam migraret, tuta conscientia Abbatiam retinere non posset ex Regula, quam legimus in *cap. Commissa, §. Cæterum de elect.* 206. nisi mutata animi præparatione, iis se conformaret, quæ eidem præscripta sunt; atque adeo asseri posset, eam secua legitime coram Deo provisam non esse, quoniam ea tantum conditione Abbatiam ei Pontifex contulit, ut apparet ex excerpto, quod ad Expositionis calcem occurrit; præter quam quod, ut jam dictum est, id communis Juris, stilique consueti est.

Ad quæstionem alteram quod spectat; Abbatissa, de qua agitur, in Monasterii, ad quod translata est, Regula absque Prælati sui permissione secum dispensare non debet; nisi forte subito morbo correpta ad eum confugere per tempus non possit; at si morbus diuturnior esset, Superiorem commonefacere teneretur, ut ab eo dispensationem obtineret, quæ quidem in hac facti specie non in perpetuum esse posset, sed ad tempus. Hæc quoque disciplinæ Lex communis Juris est, ut ex Bullis iis intelligimus, quibus novi Ordines, aut simplicia Monasteria a Summis Pontificibus eriguntur; semper enim in iisdem Bullis Superioribus conceditur facultas in Regula dispensandi, cum iis visum fuerit. Vide Carmelitarum Bullam.

Decisum Parisiis hac die 2. Januarii an. 1680.

Ang. *De Lamet.*

TRIBUTA.

TRibutorum occurrunt in Jure genera duo: Primum est personale, quod in singulos patresfamilias pro mobilium & immobilium bonorum, atque adeo industriæ ratione statuitur; diciturque *Tributum capitis*; atque ita Capitatio, ut ita loquar, quæ in Galliis solvitur, personale Tributum est. (a) Nuncupatur alterum reale, atque illud est, quod ex singulorum hominum fundis percipitur, pro ipsorum proventibus, nullaque personæ possessoris ratione habita; quo spectant ea Juris verba: *omne territorium censeatur.*

Solvenda sunt in conscientiæ foro Tributa, quæcumque sunt imposita pro cujusque Status Constitutionibus; est id longe antiquissimum & in omnibus fere Statibus a Principibus sumitur; ei se subdidit Christus Dominus, D. Petro præcepit, ut illud Imperatorum (b) Exactoribus solvere ne cunctaretur, atque adeo tanquam maxime justum maximeque legitimum debitum Cæsari solvendum commendavit. D. Paulus postquam docuit Fideles Imperatorum Statutis ac Legibus parere debere, in exemplum affert Imperii Leges, quibus jubentur Populi tributum solvere. Opus habet Princeps pecunia publica, ut pacis ac belli tempore Statui prospiciat, atque ita pecunia hæc ei contribuatur necesse est. Quamobrem tributorum ac vectigalium impositio & exactio justa fit ex communi bono, & e Status rationibus necessaria. Ex harum porro contributionum necessitate ac justitia illud conficitur, cogiturque, eos omnes, qui in tributum relati sunt, illud tanquam maxime legitimum debitum solvere teneri, & ad eamdem solutionem iis omnibus modis, quos in quoque Statu Leges, & Consuetudines præscripserunt, adigi posse.

(a) L. 1. de Muner. & honor. Munerum civilium quædam sunt patrimonii, alia personarum.

(b) Matth. c. 12.

(c) Roman. c. 13.

Quare qui temere ac fine causa se a tributo, quod solvere deberet, eximendos curant, tenentur publicum, vel singulorum, qui patiuntur, incommodum reparare; publicum damnum est, quia si minus id quod deberetur, Regi solvitur, tanquam non valor, impositiones publicæ, quæ minores essent, augentor. Sæpissime quidem fit, ut privati in Communitate damnum subeant, quia statuto loci Tributo, & nonnullis ab eo sibi caventibus, id, quod ii quidem solvere deberent, in alios Patresfamilias, vel in aliorum, quibus proinde onus additur, fundos rejiciendum. Nonne rationi consnnum est ab iis reparari damnum illud, quod contra justam Principis mentem universis aut singulis attulerunt?

Injustitiæ in Tributorum impositione.

CASUS.

1 *Dominus, qui Prædiorum suorum reditus auget, dans operam, ut Conductoribus suis Tributorum minus imponatur, quam solvere teneretur, injustitiam admittit.*

2 *Conductores, & Collectores, qui in hujus injustitiæ partem veniunt, tenentur damnum, quod Parochiæ incolis afferant, reparare, eademque Domini obligatio est.*

3 *Loci Parochus neutros absolvere debet, nisi quod hactenus attulerunt, damnum repartat, & in posterum resipiscant.*

4 *Nullus Superior eum potest adigere, ut contra propriam conscientiam illos absolvat.*

QUÆSITUM.

PArochiæ Dominus volens Incolas ignorare Regem Tributa in universo Regno imminuisse ipsis persuasit sua ipsius opera atque auctoritate factum fuisse, ut illi eo bono fruerentur; in hoc eos errore detinet, tercentis aut quadringentis libris reipsa detractis. Sed ut una manu reciperet, quod altera concedere videbatur; nedum in pauperum solatium juxta Regis mentem, & naturalis æquitatis regulas eam summam conferret, Conductoribus quinque suis eamdem applicuit, prope totam sibi ipsi rursus vindicans, auctis pro Tributorum diminutione locationibus.

Ne in hoc monopolio se prodat, perinde tamen votorum suorum damnetur, habet sibi deservientes Collectores duos, qui a duobus annis ejusmodi officio funguntur, ita ut Incolæ nec alios eligere possint, nec eorum flagitia cognoscant; atque hi duo Collectores tenent locum Domini, unus in pecoribus, in decimis alter.

Ut appareat, quorsus evadat ejus injustitia, animadvertendum venit Colonos eos quinque universos non nisi quinquaginta Tributi libras quotannis solvere; dum minus opulenti complures Incolæ tributi plus solvunt singuli, quam Coloni quinque universi. Sextus Villicus ne in Tributorum quidem album relatus est, quamvis tercentas locationis suæ libras conferat; nulloque jure aut privilegio gaudeat, ut eximatur.

Collectorum unus, qui tribus effectivis Dominiis fruitur, non nisi viginti septem libras solvit, cum centum solvere deberet; alter autem Collector, qui fundum ejus Parochiæ amplissimum atque optimum obtinet, minimo tributo subditur, tametsi sexaginta saltem libras eumdem solvere par foret.

Ex hactenus dictis consequuntur tria.

Primum est; Incolas solvere Tributa Colonorum Domini, qui in suum proprium commodum eadem convertit, nedum Incolis ipsis subsidio sit suppositum, quod ille jactitat, patrocinium.

Alterum est; Colonos ipsos non minus reos esse, quam Dominum, & Collectores; neque enim peccant ex ignorantia; bona quoque fides nulla se prodit in eorum agendi ratione; una apparet in iis aviditas, avaritia, lucrique publico cum dispendio percepti studium, ac sollicitudo.

Tertium est, Villicos, Dominum, & Collectores, cum ipsi tantum Principis favore ad universæ Parochiæ levamen concesso fruantur, ad restitutionem saltem pro rata perceptæ utilitatis parte obligari, quin eos eximere possit exigua diminutio, quæ Incolis expresse fit, quia quicquid sibi retinent, Communitati surripiunt.

Loci Parochus, cum de hoc abusu cumulatissime cognovisset, Dominum per litteras, & Complices ore tenus cohortatus est, ut malum præteritum repararent, & in posterum se corrigerent. Sed cum videret hanc priorem significationem inutilem esse, edixit pro concione, ac sontibus declaravit, eos, ni resipiscerent, absolutione dignos non esse. Quod in causa fuit, ut Villici Parochum convenirent, ac dicerent æque se Regi ac Domino Tributum solvere paratos esse, dummodo hic quidem locationum pretium ratione habita diminueret, pretium, inquam, quod justo majus ideo susceperant, quod exigua Tributi publici pars sibi esset imposita.

Fassi sunt etiam ingenue Tributi portionem, quam solverent, æquo minorem esse, seque posse ac debere majorem solvere; semper tamen ea conditione, ut Locationes imminuerentur, atque aliter huic injustitiæ renuntiare nollent. Et sane Locationes suas ad annos septem iisdem conditionibus innovarunt, futurum sperantes, ut aliquando Parocho Dominus, qua auctoritate ac dexteritate pollebat, silentium imponeret, eumque ad Sacramenta sibi tribuenda compelleret.

Jam ipsis proposuit Parochus, ut aliquam Tributorum partem solverent eorum ex Parochia, qui cæterorum gravissimum pondus subeunt, cujusmodi sunt pauperes mercenarii, qui plus quam eorum aliqui solvunt, aut id Ecclesiæ tribuerent, quod ultra tributi partem tam exiguam se solvere debere crederent, aut Locationes suas quantocyus remitterent, ut proximam peccati occasionem relinquerent. Verum illis omnino auscultare nolentibus, rogat Parochus, obtestaturque Sorbonæ Doctores, ut ad has, quæ sequuntur, quæstiones respondeant.

I. An detecta, quantum quidem fieri potest, rerum, de quibus hactenus, injustitia, possit Parochus tuta conscientia reos nec se corrigere, nec præterita mala reparare volentes absolvere; atque an Provinciæ Præfecto verbo tenus promittenti se, cum primum Tributa in capita distribuentur, remedium malis hisce allaturum, acquiescere debeat?

II. An si forte Parochus Conductoribus & Collectoribus absolutionem denegare debeat, adigi possit ab Ecclesiastico Superiore, ut eos contra propriam conscientiam, & rerum expositarum veritatem absolvat? Ejus Dominus, qui multum auctoritate & gratia valet, dubio procul ei non parum negotii facesset, ac fides ei major erit, quam Parocho, qui traducetur ut imprudens, quod se iis injustitiis opponat, quas vulgus probat, ac tolerat, quamvis omnibus omnino Legibus adversentur?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, atque expenderunt, existimant, verbalem Præfecti promissionem, se nempe remedium malis, quæ Parochia in Tributorum negotio pertulit, allaturum, impedimento esse non debere, quominus Parochus tum quoad Parochiæ Dominum, tum quoad Villicos & Collectores necessarias circumspectiones adhibeat; quoniam promissio hæc id mali non reparat, quod jam per eos contigit, qui ad injustitiam contulerunt, quique pecuniam, quam Dominus sibi sumpsit, restituere tenentur. Si Dominus ipse non restituerit, id præstare tenentur Collectores, quia ad incommodum Parochiæ importandam operam suam præbuerunt, quo & Domino faverent, & sibi ipsis solatium quærerent, se ex parte Tributo eo liberantes, quod pro bonorum suorum ratione subire debebant.

Quoniam porro Parochus videt Colonos & Collectores ad bonam frugem redire nolle, ac nedum præteritum malum reparent, injustas suas Locationes, nulla monitionum ratione habita, renovasse;

sub-

subscripti proinde censent eum debere absolutionem iis denegare, quoad solida pœnitentiæ signa dederint, iis ex Parochia, qui onus æquo gravius subierunt, restituentes; cum hoc tamen discrimine, ut Collectores quidem universam pecuniam, quam sibi Dominus arrogavit, restituere teneantur, Conductores autem pro locationum suarum, ac Tributi, quod solvere debebant, ratione; facta hypothesi utrosque his restitutionibus pares esse. Illi quidem primum omnium Locationes solvere debent, quarum causa in ejusmodi injustitiis versantur.

Ad quæstionem alteram quod spectat; Parochus a nullo Prælato Ecclesiastico ad eos, de quibus agitur, propria conscientia repugnante, absolvendos adigi potest, quia Pœnitentiæ Tribunal ad internum tantummodo forum refertur, de quo Superiores cognoscere omnino non debent.

Decisum in Sorbona hac die 24. Julii an. 1675.
Aug. *De Lamet.*

VECTIGAL EMPTIONIS AC VENDITIONIS CAUSA.

GAllice *Lods*, *&* *ventes*, sunt vulgi vocabula, quibus designatur Dominicum jus, quod in Dominationis gratiam Domino solvitur. Jus hoc adeo firmum & constans est, ut minime liceat ad frustandos Dominos permutationis tractatus confingi; ita ut venditor id agere nequeat, ut tractatus, quem iniit, supprimatur in fraudem Domini, cui debetur venditionis jus, ejusque loco permutationis conventio incatur, ita præsertim, ut suo ipsius bono prior conventio subsistat, cujus nempe vi sibi suppeterbat fortis proventus. Dominus *de Sainte Beuve* decidit, faciendam esse restitutionem Dominis, quibus propria jura venditionibus permutatione palliatis negata sunt. Decurrit id in Casu 90. tomi. 2. in 8. Definit in præcedenti casu, cum fundus privata schedula venditus est cum promissione Contractus Notarii manu firmandi, feudalia jura Domino deberi. Videri etiam potest casus 91.

Restitutio.

C A S U S.

1 *Hæres ejus, qui agri per privatam schedulam empti acquisitionem celavit, tenetur id Domino significare, eique propterea Dominicalia jura solvere.*

2 *Non potest amplius agrum venditori reddere, quia ejus Tutor ab annis fere 20. eodem fruitur.*

3 *Non tenetur pœnam solvere, donec ad eam damnetur.*

QUÆSITUM.

RObertus an. 1682. agrum emit ab Artusio, & privata schedula emptionem firmavit, ne feudalia scilicet jura solveret. Ludoviens loci Dominus, in quo ager situs est, an. 1700. suis omnibus subditis mandat, ut sibi titulorum, quorum vi sua quisque patrimonia possident, exemplar, & declarationem exhibeant. Jacobus Roberti filius in hac facti specie duo quærit;

I. An possit factum, prout hactenus exstitit, occultum tenere, atque an id unum significans, se agrum a Patre hæreditario jure accepisse, facta hypothesi id Domino satis esse, teneatur adhuc Dominicalia jura reddere, atque adeo pœnam solvere vel ante condemnationem?

II. Quod si hæc duo incommoda vitare non possit, cum ager haud tanti valeat, quantum solvendum esset, potestne Jacobus eum reddere venditori, qui pro eo censum solvet, perinde ac si venditus non fuisset? Illud ponitur tanquam certum, Domino semper ignotum fore, id agelli Robertum emisse, & annorum prope viginti spatio possedisse, tum quia res parvi momenti est, tum quia nec Jacobus nec Artusius ibi degunt, ubi Dominus.

Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut super hac duplici facti specie quod sentiunt, aperiant.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut duabus propositis difficultatibus, occurrat, existimat;

I. Jacobum Roberti filium & hæredem teneri feudalia jura Domino solvere, declarationem prorsus ur alios Subditos exhibere, adeoque id quod in antecessum eidem debetur, persolvere, nisi cum Domino conveniat, & aliquam remissionem obtineat.

II. Jacobus ut filius & hæres adstringitur alieno patris ære, ac proinde debet id Domino solvere, de quo pater, agri, de quo sermo est, venditionem occultans eumdem frustratus est, ne Dominicum videlicet jus persolveret. Non ergo satis est Jacobum declarare se agrum a patre accepisse, quia cum ille Dominum Suum deceperit, ea sibi jura retinens, quæ ob Domini titulum ei debebantur, tenetur ipse tanquam hæres eam obligationem implere.

III. Si hæreditas in præsentia solutionem non æquat; id vero Robertum afficit, non autem Dominum; emptio & venditio consummatæ sunt; per annos 18. Robertus possedit; non amplius venditio destrui potest, hæreditate rejecta; sarciendum est damnum Dominici juris frustratione Domino illatum.

IV. Non tenetur Jacobus pœnam solvere, nisi Judicis sententia interveniat; pœna quippe non est subeunda, nisi adsit Magistratus Judicium, aut sententia.

Decisum in Sorbona hac die 6. Septembris an. 1700.
G. Fromageau. G. *Bourret.*

V E N A T I O.

CUm venationis nomine Belluarum insectatio veniat, sive ut ex Balistis igniis impetantur, sive ut canibus inquirantur; dubitari proinde non potest, quin honesta, & Laicis hominibus utilis sit hæc exercitatio, quippe cum Deus venandi & piscandi jus hominibus tribuerit, ut dicitur In capite primo Geneseos v. 16. Itaque ex Romana Jurisprudentia venatio omnibus ad unum hominibus permissa fuit; at his temporibus in Gallia venationis jus Regium est, eoque nemo gaudere potest nisi Principe permittente. Qui primi apud nos regnarunt, adeo de venatione fuere solliciti, ut referente Sancto Gregorio Turonense, Gontranus Chandonem suum Cubicularium lapidibus obrui jusserit, quod in Sylva Vasatensi Bubalum occidisset. Ex Regum nostrorum Capitularibus Sylvæ sunt prohibitæ; in venationis negotio omnium vetustissima est Constitutio Caroli VI. atque alia in eamdem rem occurrit Caroli VIII. in magno Consuetudinario; atque in præsentia ea tanquam certa regula habetur, Reges in suis Regnis, & Dominos Jnrisdicentes in suis Territoriis venationem prohibere posse, quia quod omnibus commune est, Principis potestati subest.

Quemadmodum porro temporales Principes possunt occupationem hanc suis subditis interdicere, ita Ecclesia Ecclesiasticis sibi subjectis id ipsum prohibuit; ac facile ostendi potest, Canones non de ea tantum venatione agere, quæ Balistis igneis, sed de ea quoque, quæ canibus exercetur. Ad primam quod attinet, Concilium Verberiense cap. 16. vetat, ne Clerici arma deferant. Concilium Metense an. 845. idem prohibet. Venatio ipsis est vetita, tum conjunctim cum armorum gestatione, tum separatim, ut cum Ecclesia nixa auctoritate Sancti Ambrosii in Psalmum 118. & Sancti Hieronymi in Psalmum 90. de Esau loquentis, in Nannatensi Concilio pronunciat an. 1264. *Quia in Canone continetur, nullum venatorem invenimus sanctum, statuimus, ut Prælati solliciti sint & intenti in puniendo Clericos venatores, & præcipue Presbyteros & Religiosos, de quibus majus scandalum generetur*; & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 15. *Venationem & aucupationem universis Clericis interdicimus*. Ex Canonibus etiam constat canum venationem vetitam esse in Senonensi Concilio: *Vel venaticis canibus intendant, aut canes venaticos teneant & nutriant*; & in Concilio Aquisgranensi: *Aut canes accipitresve, aut aliud alant venaticum animal*.

Objiciunt sane plerique Ecclesiastici venationem tantum clamosam, in qua ea, quæ Vertagis fit, non continetur, a canonibus interdici; verum inepte faciunt, quia ex Canonibus, quos afferre est, constat omnia venationum genera iis vetita esse; ex Capitularibus: *neque venationem aliquam exercere*; ex Lateranensi Concilio, *venationem & aucupationem*; ex Senonensi, *ne venationi & aucupationi clamosæ*; hæc enim Concilia venationem a clamosa distinguunt, & utramque interdicunt; ex Aquisgranensi, *ne ullum venationis genus exerceant*; ex Canone, *Esau venator*; qui quidem de quovis genere venationis loquitur, & quam damnat, in qua Esau se exercebat, non est sola dubio procul clamosa venatio.

Si igitur in Capitulo, quod Jurisdictione suprema, media, & infima gaudet, Canonici venationi vacant, id nequeunt salva conscientia, quin contra canonicas regulas peccent; possunt ad id ministris uti, sed ipsi venari prohibentur. Non venabitur Episcopus, quod alicubi plena jurisdictione polleat; id ei quippe Canones vetant, nec suis juribus privabitur, si Ecclesiæ paruerit. Plura sunt utriusque sexus Monasteria, quibus in suis Territoriis plena suppetit Jurisdictio; nec visum tamen est eorum juribus quicquam damni importari, cum universim Religiosis omnibus vetitum est, ne venatum irent, & cum Religiosæ clausura cohibitæ, atque ita e suis quoque Monasteriis egrediendi facultate privatæ sunt. Quod si qui Religiosi secus faciunt, id malum est, quod in iis corrigendum, non exemplum, quod imitatione dignum sit; id quod ex subjecto casu ad Religiosos spectante luculentius patebit.

Venatio Religiosis prohibita.

CASUS.

1 *Vetant Canones Clericis universis Sæcularibus & Regularibus, ne venatum eant, Canum, Accipitrumque adminiculo utentes.*
2 *Aliquando venari licet, quin Canes, & Accipitres adhibeantur, cum, id ad Salutem est necessarium, modo raro fiat, & sine scandalo.*

QUÆSITUM.

JOannes Abbas Regularis Familiæ Ordinis S. Augustini exercitatione opus habet; atque ut id aliqua cum oblectatione faciat, semel aut bis in hebdomada venatum it cum venaticis canibus, & Petrum Religiosum ejusdem Familiæ sibi socium adjungit. Non videtur id Scandalo esse, nec Incolarum sermone traduci. Paulus tamen, qui ejusdem Abbatiæ Religiosus, & Petro a confessionibus est, quærit, an, cum eum monuerit venationem a canonibus vetitam esse, jure polleat absolutionis eidem negandæ, si id facere pergat; atque an verum sit Religiosum huic exercitationi vacantem nullius peccati reum esse?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, expositione hac visa, censet in dubium vocari non posse, quin ex Ecclesiæ regulis venatio tam sæcularibus quam Regularibus Clericis vetetur, cum canum & accipitrum ope fit: *Omnibus servis*, habet Caput *Omnibus extr. de Clerico venatore*, *venationem & Sylvaticas venationes cum canibus, aut falcanos habere interdicimus*; & cap. *Multa extr. Ne Clerici vel Monachi audeant canes & aves sequi ad venandum, & omnibus quibuslibet causis interesse; ecce talia & his similia Ministris Altaris Domini, necnon & Monachis omnino interdicimus, de quibus ait Apostolus: nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Prima Clementina *de statu Monachorum vel Canonicorum Regularium* in hanc rem aperta est; licet enim aliquod afferat, temperamentum quoad Monasteria, sylvas & garenas habentia, ubi venari licet, cum hæc venatio est utilis, vetat tamen Synodus in Religiosorum aut Canonicorum Regularium domiciliis canes esse, eosve venationi interesse: *Nisi saltus, vivaria, vel garenas proprias, vel jus venandi in alienis haberent, in quibus cuniculi vel feræ aliæ forsan essent; quo casu hoc eis permittitur, dum tamen intra Monasteria vel domos, quas inhabitant, aut eorum clausuras venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem*. Tridentina Synodus *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* vetat, ne Canonici Ecclesiarumque Dignitates prohibitis venationibus operam dent: *ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant*. At non aliunde melius cognosci potest, quænam venationes vetitæ sint, quam ex capite, *Episcopum*, titulo *de Clerico venatore*, apud Gregorium IX. atque ex Clementina jam allata; possunt etiam consuli Auctores, qui hac de re scripserunt, censentes ob aliquam necessitatem, ut ad salutem tuendam absque gravi culpa Clericos venationi vacare posse, modo id raro fiat. Panorm. in cap. *Episcopum* ita sentit: *putarem tamen eos non multum peccare, si rarissime hoc quandoque facerent causa recreationis. Dum dicit textus, in hac voluptate sæpius detentus, &c. secus si rarissime & non causa voluptatis, sed causa necessitatis, puta ut excitarent appetitum propter morbum præcedentem*. Innocent. in idem cap. *Episcopum, secus si causa recreationis, vel acquirendi victum*. Navarrus in hanc sententiam descendit *de Regularibus, Commentar.* 4. *n.* 26. Postquam enim in eos est invectus, qui cum scandalo, magnoque strepitu in hanc oblectationem incumbunt, *quod cum est notabile, mortiferum arbitror*, addit: *licet venale tantum videatur, cum est parvum, arbitror autem, quod Regularis non peccat, si eadem causa necessitatis vel recreationis de licentia Superioris venetur, modo id sine scandalo faciat*. Major in 4. *dist.* 14. *conclus.* 2. idem sentit. Sed quoniam inter hos Auctores convenit, opus esse necessitate, ut in hoc Religiosus aut Clericus excusetur, satius fore judicatur, ab iis alia occupatione salutem quæri; neque enim ea absolute necessaria esse dici potest. Quare Abbas noster canibus venari non debet, multo minus id occupationem suam facere, singulis hebdomadis venationi vacans; est enim ea quoque ab allatis Auctoribus ad venationem permittendam requisita conditio, ut ei nempe vacetur ob necessitatem & raro. At si id

lice-

liceret Abbati salutis causa, non potest Religioso comite uti, cujus non eadem ratio. Itaque is monendus est a Confessario, cogendusque veniam ab Abbate petere, qui ei permittere nequit, ut canones venationem prohibentes violet. Monendus est & Abbas, ei non licere canes alere, Clementina repugnante. Quod si Religiosus Abbatem suum venantem sequi pergat, a confessario absolutione privandus est.

Decisum Parisiis die 6. Decembr. an. 1679. Aug. *de Lamet.*

Vide Dictionarium D. PONTAS.

V E N D I T I O.

IN eo est posita venditio, ut merx aliqua, seu res alia pro pecunia tribuatur; atque ita definitur Contractus, quo definiti certique pretii gratia rei dominium alicui ceditur. Contractus est, nempe conventio a Jure probata, per quam Emptor in Venditorem actione gaudet. Per hunc Contractum rei alicujus dominium ceditur, quia venditæ rei dominium a Venditore ad Emptorem translatum est; eo nempe differt a locatione venditio, quod in locatione nullo modo rei dominium transfertur, sed usus tantum. Denique dominium hoc certi ac determinati pretii gratia ceditur, quia ad hujus Contractus essentiam pertinet, ut venditæ atque emptæ rei definitum certumque pretium existat, sine quo Contractus hic subsistere omnino non posset. Pretium hoc pecunia constare debet, quia secus esset permutationis Contractus, ut Justinianus in Institutis suis observavit (a).

Certum universim est, merces pluris quam valent, vendendas non esse, quia cum emptio & venditio, inquit D. Thomas, communis utilitatis causa sint institutæ, unius potius quam alterius commodo esse non debent. In iis ergo servetur æqualitas necesse est; ut proinde si pretium valorem rei, aut res pretii valorem excedat, non existat æqualitas, quod in causa est, ut a justitia alienum sit, nullaque prorsus ratione liceat, rem pluris vendi, vel minoris emi, quam valeat. De variis pretii generibus alibi dictum est, de pretio nempe legitimo, & naturali, de infimo, de summo, de medio. Vide *Emptio*. Afferendi sunt itaque Casus ii, in quibus res pluris, quam valeant, vendi permissum est.

Primus est, si quis merces vendat majore pretio, quam valent ipso venditionis tempore, quod eas eo quidem tempore vendere in animo non habuerit, sed eas potius servare ad illud usque tempus, quo vero simile putat eas tanti fore, quanti ab ipso in præsentia venduntur, vel etiam pluris, easque non vendat nisi ab Emptore sollicitatus; hoc in casu pretium hoc licitum est, ut dicitur in cap. *in Civitate, de usuris*. Quod si e converso Mercator eas tunc vendendi intentionem non habuit, vel non fuit verosimile, quo tempore eas vendere voluisset, tanti, quanti nunc vendit, vel etiam pluris valituras; hoc in casu injustitiam committit, quia non ideo pluris eas vendit, ut damnum reparet, cui sesit haud dilata mercium suarum venditione.

Casus alter, in quo rem pluris, quam valeat, vendi licet, est, dum quis emere vult alterius bonum, quod ipsi est admodum necessarium, ut proinde Venditor ea re privatus damnum patiatur. Hoc in casu licet Venditori rem vendere pluris, quam valet, ut sibi, quod patitur, damnum compenset. Quod tum nihilominus intelligendum, cum Emptor Venditorem urget, sollicitatque; si enim ille rem venderet negotiorum suorum necessitate compulsus, pluris, quam valet, vendere non posset, ut docet D. Thomas.

Non est porro damnandus Mercator, qui fere pluris fide vendit, quam numerata pecunia venderet, quique numerata pecunia multo minoris vendere, quam pluris, dum fide vendit; quia hoc in casu haud ille lucri majoris animo fide venderet. Et Pontifex quidem *cap. Consuluit, de usuris* eos tantum Mercatores condemnat, qui fida pluris vendunt ea mente, ut majus lucrum percipiant; jam vero liquido constat Mercatorem in proposita facti specie pluris non vendere, nisi ut jacturam reparet, quam subit mercium suarum solutionem expectans.

Vide (EMPTIO. (COMMERCIUM. (USURA.

Res pluris vendita prætextu fidei.

CASUS I.

1 *Dominus pluris, quam in frumentario foro valeat, frumentum vendere nequit, eo prætextu, quod fide vendat.*
2 *Quod excedit, restituere tenetur.*
3 *Ejus Agentes ac Villici ad commerciam adeo injustum operam suam conferre non possunt.*
4 *Neganda iis est absolutio, nisi promittant se non amplius ejusmodi commercii participes fore.*

QUÆSITUM.

DOmini cum negotiari non possint, suorum tamen Prædiorum reditus procurare tenentur; itaque suis Agentibus, quorum est frumentum iis debitum recipere, & Horreis inferendum curare, mandant, ut congestas messes numerata pecunia, atque adeo fide vendant, ea lege, ut cautionem, vel aliud solutionis vadimonium Emptores exhibeant. Sed quia maturius initur venditio hæc, & quo tempore mercium minus est pretium, Emptores pro quoque modio duos treive solidos ultra commune ac publicum pretium dare coguntur.

Ad purgandam ejusmodi conventionem afferuntur rationes hæ. I. Quia fide venditur, solutione ad sex menses, & nonnunquam ad annum dilata. II. Quia quæcumque tandem circumspectiones adhibeantur, Emptorum multi solutionis tempore solvendo non sunt, nihilque prorsus ex iis quidem percipitur. Itaque contendunt iidem Domini se nec contra Justitiam, nec contra charitatem delinquere; contra Justitiam quidem, quia cum propriæ messis domini sint, earum venditionem ad illud tempus differre possent, quo ex iis utpote carioribus id, quod mature ementes dant, saltem perciperent; nec magis, ut inquiunt, contra Charitatem peccant, quia propriis Subditis, aliisque gratificantur, qui tunc alibi fortasse frumentum non invenirent: atque adeo tametsi pluris emant, quam ferat Fori ratio, se tamen Domino obstrictos fatentur, cujus humanitate

(a) Lib. 3. Institut. tit. 24.

nitate & charitate fiat, ut ipsi hiberno tempore subsistere, & commodius vivere possint.

Addunt hi Domini se ne iis quidem, qui pecuniam numerant, minori pretio frumentum vendere. Convenit ergo de pretio cum iis, qui fide frumentum emunt; tum ibi, initia obligatione, recipiunt se certo elapso tempore soluturos summam N...., pro tot frumenti mensuris, quot iis Domini Villicus tradidit; qui quidem iis instat, elapso tempore, & subdit impensis, ni solverint.

Ajunt & illud hi Domini, cum omnis Contractus libero partium consensu contineatur, se quidem Emptoribus vim non inferre, ut pretium dent, quod postulant, eos vero lubenti animo id exhibere; in quo nihil non rationi consonum est, cum Venditori liberum sit conditionem suam pro viribus meliorem facere, quemadmodum Emptori quoque liberum est se a pretio tueri.

Postremo loco inquiunt iidem Domini, ut se tueantur, se non ex indigentia frumentum vendere, sed ut minutis hominibus gratum faciant, aliter quippe se illud non venditutos, sed dum quod postulant, ejus pretium foret, expectaturos. Duo, inquiunt, requiruntur, ut cogantur vulgari pretio frumentum vendere; si nempe necessitas urgeat, ac Magistratus, ut pauperibus prospiciatur, Horrea recludi praecipiat; aut si Magistratus ipse frumenti pretium definiat, quia tunc cum de bono publico agatur, privati commodi ratio cedere debet; at exceptis duobus hisce casibus, sibi jus esse suas merces vendendi quanti plurimi, nulla publici pretii ratione habita, praesertim cum eas ipsi in foro prostare nolint, sed Horreis inclusas vendere malint.

His omnibus positis, quaeritur ex Doctoribus;

I. An hi Domini curare possint frumentum suum duobus tribusve solidis quoque modio pluris vendendum, quam in foro valeat, quia tum sex mensium, adeoque anni spatio, tum non sine magno jacturae periculo solutionem expectant? Atque an illi propterea contendere possint, se nec in Justitiam, nec in charitatem peccare.

II. An Agentibus ita in Dominorum gratiam negotiantibus absolutio concedi possit? Atque an ipsi tuta conscientia possint eos pauperes homines ad frumenti pretium eo majus, quod in foro obtinet, solvendum adigere, vi obligationum, quas ab iis extorserunt?

III. An cum id commercii longo temporis spatio exercuerint, & restituere, & ab eo se recessuros promittere teneantur, ut Sacramentorum participes fiant, & absolutionem obtineant?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiae subscriptum, quod propositam facti speciem propositasque quaestiones vidit, existimat,

Quoad quaestionem primam, iis Dominis frumentum vendere non licere duobus tribusve solidis in meo suram ultra summum fori pretium, quod nempe ab emptoribus solutionem expectent, & jacturae periculum adsit. Quod si valerent rationes hae, usura non amplius existeret. Abusum hunc proscripsit Caput *In Civitate, de Usuris*, quo mercem non licet pluris vendere, quam venditionis tempore valeat, nisi eum dubitari potest, an majus minusve quo tempore solvendum erit, ejus pretium futurum sit. Id ipsum definitum est eodem titulo *de Usuris* Cap. *Navigants*: *Ratione hujus dubii excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tum valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.* Quo loco Glossa explicans verbum *dubitatur*, rem ita declarat: *Ergo si certum esset, quod tempore solutionis plus valeret, usurarius esset censendus*; usurae nimirum reus esset Mercator, qui ideo mercem suam carius venderet. Gravissimi quique Doctores Caput hoc edisserentes in eamdem sententiam conspirant, docentque, Mercatorem merces carius vendentem, quam valent venditionis tempore, quod praetendat se certo scire id earum pretium solutionis tempore futurum esse, usurae reum fore, ut ex (a) Ostiensi, aliisque licet intelligi. Et ratio quidem in promptu est; quod enim commune pretium excedit, spectari non posset, nisi tanquam lucrum ex mutuo, in quo nimirum usura omnino posita est.

II. Non est veritati consentaneum posse quempiam, quanti vult, mercem suam vendere, atque ex populi indigentia, & necessitate redituum suorum pretium metiri, atque augere, praesertim ad reditus eos quod attinet, qui ad victum sunt necessarii: *Nam rerum pretia*, inquit Layman cum Theologis, Jurisque consultis, *non ex privata unius, aut alterius hominis notitia aut affectione, sed, ut dictum est, ex communi civium aestimatione ac sensu accipienda sunt, juxta L. Pretia ff. Ad Leg. Falcidiam.* Hinc illud consequitur, hos Dominos contra Justitiam peccare, dum frumentum pluris vendunt, quam in nundinis valeat; & rationem, quam allegant, se ad nundinas illud non mittere, sed in Horreis propriis vendere, nedum ejus carius vendendi jus iisdem afferat, in causa potius esse debeteet, ut ejus pretium imminuant, quippe quod & commodius vendant & sine impensis.

III. Cum usura contra Justitiam sit, qui ei enoperantur, mortaliter peccant, ac si nolint id commercii relinquere, iis neganda est absolutio. Agentes hi suam in id operam conferre non possunt, nec ab Emptoribus id exigere, quod justum pretium excedit. Domini porto qui ex ejusmodi male acquisitis bonis commodum perceperunt, quod ultra justum pretium est, restituere tenentur. Id unum in conscientiae foro facere possunt, ut ne praeter id pretium, quod justum est, quicquam peteipiant.

Decisum in Sorbona hac die 23. Julii an. 1686.
Aug. *de Lamet.*

Census perceptus ex re fide vendita.

C A S U S II.

1 *Quonam casu lucrum cessans census ex pecunia mutua percipiendi sufficiens titulus sit.*
2 *Qui ita animo comparatus erat, ut permissis rationibus ex pecunia sua lucrum perciperet, si injustitiam esse cognovit ultra mutuum quicquam accipi, eximitur a restitutionis obligatione, cum in bona fide versatus est, nec inde ditior evasit.*
3 *Qui mulos vendit pluris, quam emit, & solutionis sibi exhibendae tempus praescribit, non potest, elapso tempore, ab Emptore foenus accipere, nisi eo pretius animo fuerit, ut solutionem in negotiationem conferret.*
4 *Quo demum casu Mercatores, qui lanas emunt minoris, quam valent, quod eas emant numerata pecunia, & quidem antequam sibi tradantur, id quod justo pretio deest, reddere debeant.*
5 *Qui gregem vendidit, ut perceptam pecuniam foenori daret, ignorans id non licere, non tenetur census restituere, quos ex hac ignorantiae, siquidem invincibilis fuit, bona fide consumpsit.*

QUAESITUM.

Quaeritur primum omnium, an lucrum cessans a damno emergente sejunctum percipiendi aliquid ultra mutuum legitimus titulus sit? Qui Alcctensem Casum definierunt, declararunt lucrum cessans ab actuali quidem damno sejungi non posse, a probabili omnino non posse; ex quo consequens fieri videtur inutilem esse quaestionem propositam. Verum id inquiritur, an qui id unum damni patitur, ut ne, quod sperabat, lucrum percipiat, possit in hac facti specie plus, quam mutuum dedit, accipere, quidque conlilii cum eo ineundum sit, tum ad praeteritum, tum ad futurum tempus quod attinet. Ex una enim parte videtur id ei licere; I. Quia cum ea prorsus sit usurae ratio, ut unius mutui causa plus accipiatur, quam datum fuerit, qui non ideo accipit, quod mutuum dederit, sed quod se probabili lucro privaverit,

(a) Ostiensis in cap. Naviganti, n. 12. Drur. n. 11. Abbas n. 7. Joan. Andr. n. 6. in verbo tempore contra. Ano. Innoc. verbo informa.

verit, ejus injustitiæ reus statuendus non est. II. Cum Doctores eos titulos indigitarunt, quorum gratia aliquid ultra mutuum percipi posset, lucrum cessans a damno emergente distinxerunt; quod ii non fecissent, si omnino necesse fuisset, posterius semper cum priori conjunctum esse. III. (a) D. Thomas, qui nonnullis in locis lucri cessantis titulum videtur explodere, negat opus esse, ut lucrum cessans, quemadmodum damnum emergens, æqualiter compensetur, idque ob incertitudinem. IV. Glossa Juris Canonici in caput &c. & Cadurcensis quædam Episcopi N. Pastoralis Epistola lucrum cessans tanquam a damni emergentis titulo distinctum admittunt.

Ex alia vero parte videtur ex lucro cessante legitimum titulum non oriri, nisi illud cum aliquo actuali damno conjunctum sit, & Legem postremam *c. De Codicill.* hic locum habere: *non par eademque ratio videtur amittere debita, & lucra non capere*. I. In Jure Canonico ejusmodi titulus non occurit. II. Quia D. Thomas eum clare rejicit non solum 2. 2. *q.* 68. *art.* 2. sed etiam, & quidem clarius *Opusculi de usur. num.* 42. *alias* 43. *cap. antepenult.* his verbis: *Potest incidere damnum per accidens, quando scilicet ex pecunia ablata lucrum, quod intendebat, non acquisivit; & nihil aliud passus est damnum: dico sine præjudicio, quod lucrum tale non est restituendum ei, qui passus esse dicitur hujusmodi damnum*. Et in Opusculo, quod proxime præcedit, docet Mercatores non posse merces fide vendere ultra justum pretium, prætendentes, si sibi pecunia numeraretur, eam sibi lucro fore, dilationis illius tempore, quam Emptoribus ad solutionem concedunt; qui casus est veri lucri cessantis a damno sejuncti; hujusque rei gravem hanc ille rationem affert: *alioquin omnes usurarii excusarentur*. III. Alii Sancti lucrum cessans tanquam legitimum titulum non admittunt, nisi eum alteri conjunctus est, *ut quæ singula non prosunt, cumulata juvent*. Ita S. Raymundus eum probat, *tit.* 2. *de usur.* §. 7. eum additus est fortis periculo: *Posset tamen excogitari casus, in quo non esset usura ultra sortem accipere; puta dum ego vellem emere, vel essem paratus emere certas merces de pecunia, & tu propter nimiam instantiam fecisti cessare a tali emptione, adeo ut tibi mutuarem, & ego dico: volo, quod ibi reddas mihi tantum, quantum essem ibi habiturus de istis mercibus, si illuc deferrem eas; recipio tamen in me periculum, ut supra dictum est: & hoc ideo, quia istud reciperet tanquam mercedem, quod licet ut supra §. Licet autem*. IV. S. Antoninus 2. *p. t.* 1. *c.* 6. §. 1. videtur titulum hunc disertis verbis respuere; atque unum damni emergentis titulum probare: *Damnum* inquit, *non sustinet, nisi, quia cessat ex hoc sibi lucrum; sed idem damnum habuisset, si pecuniam in arca servasset, quia ibi non fructificat, & si negotiatus fuisset, potuisset amittere, sicut & lucrari; subsistat enim tunc periculo, ubi in mutuo non subsistit. Verum si ex carentia pecuniæ mutuatæ passus fuisset damnum, puta cum oportuisset eum accipere ad usuram, hinc mutuans debet ei satisfacere*. Videtur hic quidem S. Doctor *c.* 16. §. 13. lucri cessantis titulum confirmare; at id ex aliena potius sententia facit quam ex propria.

II. Facta hypothesi lucri cessationem legitimum titulum esse; quæritur, an habitualis dispositio lucri ex propria pecunia justis rationibus percipiendi, (cujus quidem ita percipiendi occasiones persæpe se offerre ponitur tanquam certum) si ultra mutuum accipi injustum esse innotuerit, satis hominem eximat ob obligatione restituendi id quoque, quod nondum consumptum est, aut id, quo ille factus est locupletior; sunt enim plurimi, quorum multi videntur ingenue agere, qui profiteantur, si scivissent se ex mutua pecunia legitime lucrari non posse, in lanis, aliisque mercibus negotiationis gratia, vel aliquibus fundis emendis eam fuisse collocaturos.

In eorum favorem dubitandi ratio duplex est I. Dutius videtur id omnino restituendum esse, quod bona fide, eoque modo, qui permissus esse credebatur, est acquisitum. II. Qui mutuum dederunt, perceptis inde censibus ditiores non evaserunt, quia si minus dedissent, aliqua alia ratione legitima, siquidem eam, quam inierant, ejusmodi non esse comperissent, æquale saltem lucrum obtinuissent.

Atqui videtur e contra titulus hic legitimus non esse; I. Quoniam probati Auctores vix tanquam justum titulum tum lucrum cessans admittunt, cum adest actualis voluntas ex propria pecunia lucrandi, ac satius duceretur eam in negotiationem conferri, nisi charitas ad mutuam dandam impelleret. II. Nulla unquam usuræ fieret restitutio, cum nemo non Usurarius nunc temporis hac se ratione tueri conetur. III. Casuistæ ipsi, qui cæteroqui molliores sunt, titulum hunc admittere non audent; Bonacina sane *de Contract. q.* 3. *punct.* 15. *n.* 9. rotundis verbis illum explodit. IV. Vere dici potest usuram acceptam esse, & quamvis non accipi potuerit, alio Contractu inito, id tamen non impedit quominus perceptum lucrum veri nominis usura sit, non autem legitimum lucrum. V. Vere dici nequit *mutuum cessare fecisse lucrum moraliter certum*, sed solum *lucrum fictum*, seu potius *possibile*.

III. Facta hypothesi lucri cessantis titulum legitimum esse, quæritur, an in hac facti specie ejusmodi sit: Mercator mulos emit, eosque pluris quidem vendit, quam emit, justo tamen pretio, ad cujus solutionem sex dilationis menses aut annum concedit; elapso spatio solutionem petit animo pecuniæ in novi gregis emptione collocandæ; sed cum solutionem obtinere non possit, fœnus accipit denario sexto decimo.

Lucram hoc tuetur, inquiens, I. se, si pecuniam sibi debitam accepisset, gregem empturum fuisse, ex quo deductis expensis æque saltem lucratus esset, atque ita se censum non accipere ob mutuum, sed ob cessationem lucri & commodi, quod percepisset. II. Se per aliquod tempus bona fide ac sine scrupulo id lucri sumpsisse, quamvis se inde ditiorem factum esse fateatur.

Sed ei quidem objicitur, I. Eum, tametsi solutionem obtinuisset, & gregem emisset, omnino tamen quem emisset, gregem nisi fide vendere non potuisse; atque adeo semper futurum fuisse, ut ejus negotiatio mutui rationem haberet. II. Mercatores in vendendis mercibus ex pretio lucrari; quod si etiam ex dilatione lucrarentur, eos percepturos esse lucrum duplex, quod redoleret fœnus fœnoris, non Civilibus tantum Legibus vetitum, sed ab ipsis quoque proscriptum Ethnicis, inter quos Aristoteles illud appellat *fœnus pessimum*. III. Illum in eo saltem arguendum esse, quod non compulerit Debitorem, qui habebat, unde solveret, quique reipsa solvisset, si in jus vocatus fuisset, aut coactus fundum tradere.

IV. Non desunt Mercatores, qui lanas ante tempus emant, & minus dent, quam valeant traditionis tempore; quæritur, an id, quod a justo pretio deficit, restituere teneantur?

Ex una parte non teneri videntur; I. Quia Sorbonæ Doctores in Alectensis Casus decimi septimi solutione pronuntiant, Mercatores, qui ante tempus lanas emunt, in legitima negotiatione damnum patientes, dum se lucro privant, quod ex sua pecunia perciperent, posse aliquid sumere, quo damnum compensent. II. Quia Venditores id injustum non reputant, ac proinde non sunt inviti, ex quo fit, ut ii quoque, quos non urget dura necessitas, ante tempus minoris vendant.

Hæc autem contra stant; I. Mercatoris purus putusque titulus jus non affert plus accipiendi, quam datum fuerit. II. Casus hic videtur improbatus *in terminis* a D. Thoma in Opusculo super prima difficultate laudato. III. Lucri cessantis titulus, quem unum ad censum percipiendum satis esse non est prorsus indubitatum, hoc in casu ne satis quidem apertus est.

V. Quæritur, an qui locatum gregem morbidum factum videns, eum vendit ex amicorum consilio, ut pecuniam fœnori det, ignorans lucrum ex mutuo directe proveniens injustum esse, illud, in quo non est factus ditior, restituere teneatur?

In ejus gratiam dubitandi ea ratio est, quod ille in bona fide fuit, perinde ac cæteri, & in hac bona

(a) S. Thom. 2. 2. quæst. 72. art. 4.

na fide usus est ejusmodi censibus ad Provinciarum Præfectos laute excipiendos, ad suas filias ultra conditionem ornandas, ad filiolos nobilius educandos, ad alias denique impensas faciendas, quas nec facere voluisset, atque adeo ne potuisset quidem absque iis censibus, e quibus nullum ei remanet emolumentum, quo ditior fiat.

At vero ille ex eo reus evincitur, quod non ejus tantum actio, sed etiam intentio usuraria fuit, cum non aliam vel expressam vel tacitam pecuniæ suæ collocandæ voluntatem habuerit, adeoque gregem vendiderit, ut perceptam pecuniam fœnori daret. Præterquamquod Canones & Patres, qui restituendas usuras pronuntiant, id quod aliquis bona fide percepit consumpsitque, quin ditior fieret, & id, quod vel in specie vel in valore adhuc existit, non distinguunt omnino. Nonnullæ quidem Juris Civilis Glossæ in bonorum ita consumptorum restitutione dispensare videntur; at non sunt hæ Conscientiæ Regulæ satis tutæ.

RESPONSIO.

Subscripti ita occurrunt difficultati primæ: Eum, qui non aliud damnum subit, quam quod lucrum, quod sperabat, minime percipit, non posse hanc ob causam plus sumere, quam mutuum dedit, si lucrum hoc nec probabile sit, nec proximum; bene vero, si speratum lucrum probabile aut proximum sit. Lucri enim probabilis aut proximi privatio boni pretio æstimabilis jactura est, cujusque gratia compensatio debetur, nihilque vel in Canonibus occurrit, vel in Patribus, quod ejusmodi compensationea condemnet; immo vero bene multa tum Canonum tum Patrum loca sunt, in quibus eæ tanquam justæ, & naturali Legi conformes probantur.

Laxiorum quidem Theologorum non est Responsum hoc, sed eorum, quorum doctrina omnibus retro sæculis universim Ecclesiæ probata fuit. Est ea Responsio D. Thomæ, prout nempe cum lucrum, quod speratur, remotum est, videlicet nec probabile, nec proximum, in ejus gratiam plus accipi non posse statuitur, quam datum fuerit. Ita docet S. Doctor 2. 2. *q.* 78. *art.* 2. *ad* 1. *Recompensationem vero damni, quod consideratur, quod pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod non habet, & potest multipliciter impediri ab habendo.* Et in Opusculo 73. *p.* 3. *c.* 20. *Aliquando dicitur damnum illatum proprie & per se; & aliquando per accidens tantum & non per se.* Et infra: *Potest incidere ibi damnum per accidens, quando scilicet ex pecunia ablata lucrum, quod intendebat, non acquisivit, & nihil aliud passus est damnum: dico sine præjudicio, quod lucrum tale non est restituendum ei, qui passus est ejusmodi damnum.* De hoc lucro cessante accipiendum, quod idem S. Doctor, aliique Auctores pronuntiant, si lucri cessatio ad lucrum ultra sortem percipiendum sufficeret, futurum, ut *omnes usurarii excusarentur.* S. Antoninus *p.* 2. *c.* 6. *§.* 1. *Damnum autem non sustinet, nisi quod cessat ex hoc sibi lucrari: sed idem damnum habuisset, si pecuniam in arca servasset.* Durandus *l.* 3. *sent. dist.* 37. *q.* 2. *ad* 1. *Recompensationem damni, quod posset provenire ex eo, quod de pecunia sua mercaretur, non potest licite in pactum deducere, quia non debet vendere id, quod non habet, & quod potest multipliciter impediri.* Et Gabriel Biel *l.* 4. *dist.* 15. *q.* 4. *not.* 12. *litt. F. secus si solum esset in possibilitate, quia sic dicitur potius non esse*; aliique, quorum testimonia in altera hujus Responsi parte afferentur.

Quod autem additur, eum, qui mutuum dat, aliquid ultra sortem accipere posse, cum lucrum, quod ex propria pecunia sperabat, probabile ac proximum erat, ejusdem lucri gratia, & in compensationis modum, facem hac in re præfert idem D. Thomas 2. 2. *q.* 62. *art.* 4. *Respondeo dicendum, quod quicumque damnificat aliquem, videtur ei auferre id, in quo ipsum damnificat. Damnum enim dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam quod debet habere secundum Philosophum in V. Eth. Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit: sed aliquis damnificatur dupliciter: uno modo, quia aufertur ei, quod actu habebat, & tale damnum est semper restituendum secundum recompensationem æqualis, puta si aliquis damnificet aliquem diruens ejus domum, tenetur ad tantum, quantum valet domus: alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi, & tale damnum non oportet recompensare ex æquo, quia minus est aliquod habere in virtute, quam habere actu: qui autem in via est adipiscendi aliquid habet illud solum secundum virtutem vel potestatem, & ideo si redderetur ei, ut haberet hoc actu, restitueretur ei, quod est ablatum, non simplum, sed multiplicatum: quod non est de necessitate restitutionis, ut dictum est; tenetur tamen aliquam recompensationem facere secundum conditionem personarum, & negotiorum.* S. Antoninus *cap.* 7. *§.* 18. ejusdem partis non solum hanc sententiam amplectitur, sed etiam fatetur se in hac re D. Thomam loco appellato ducem ac magistrum sequi; ita nimirum loquitur huic quæstioni respondens: *Utrum talis Creditor possit exigere a debitore suo non solum damnum habitum, sed etiam lucrum, quod fecisset cum illa pecunia; si eam recepisset in termino debito?* Pronuntiat: *Ad quod respondet Petrus de Anib. super Clem. ex gravi de usur. & dicit, Credo, quod non solum damnum emergens, sed etiam lucrum cessans potest accipere, si ille erat mercator, qui cum pecunia consuevit negotiari; & idem videtur dicendum, etiamsi non esset mercator, sed tamen intendebat omnino illam pecuniam exponere negotiationibus licitis ad lucrandum. Secus autem esset, si persona esset talis, quod ipsam pecuniam retinuisset in arca. Et remittit ad notata 12. q. 2. c. Si qui de Clericis & in c. Conquestus, extra de Usur. Idem videtur sentire D. Thomas 2. 2. q. 62. Cum ista tamen consideratione, quam ibi ponit, videlicet quod non debet exigere talis creditor, nec illi suus debitor tenetur totum lucrum restituere, sive dare, quod inde sperabat suus creditor cum illa pecunia negotiando acquirere; cum illud lucrum non esset certum, quia impediri poterat, vel forte etiam de capitali amitti; sed tantum tenetur, quantum potuisset valere illud lucrum in illo dubio.* Ex his verbis duo concluduntur. Primum est, Sancti Antonini sententia D. Thomam censuisse aliquid ultra sortem exigi posse, propter lucri proximi privationem, quæ ex mutuo contigit, idque in compensationis modum. Alterum est, S. Antoninum non aliter ipsum quoque sentire; quamvis enim dicat: *Ad quod respondet Petrus* &c. & rursus: *Idem videtur sentire D. Thomas*, non autem: *Ad quod respondeo* &c. Cum tamen responsum hoc non refellat, nec aliud afferat, id ipsum ab eo probari statuendum est. Angelus de Clavisio *in sum usura* 1. *n.* 15. inter Casus duodecim, in quibus ex Glossa & Canonistis aliquid ultra sortem exigi licet, hunc affert: *Quando quod recipitur ratione interesse consistit non solum in damno habito, sed in lucro cessante, dummodo lucrum cessans esset in actu, hoc est quod probabiliter fuisset: quia sic dicitur esse, quod aliquo modo est: secus esset, si solummodo esset in possibilitate, quia sic dicitur potius non esse.* Et infra: *Quid de illo, qui non solvit ex culpa sua creditori soluto mercari in termino debito? Resp. Quod tenetur ei ad lucrum cessans judicio bonorum Mercatorum: & ideo talis debitor recipit ultra sortem: idem de illo, qui volebat negotiari, vel possessionem emere, quod licite recipit ultra sortem tantum, quantum lucratus fuisset verisimiliter, vel habuisset de fructibus possessionis, aut alterius rei, dummodo quinque concurrant. I. Quod præter pericula, & expensas: quia lucrum intelligitur, deductis expensis, & laboribus, & periculis. II. Quod non sit intentio lucrandi principaliter per hanc viam, sed potius per mercantiam, vel emptionem. III. Quod non contrahat pactum ad semper, sed ad aliquod tempus: quia aliter quoad judicium humanum videretur, potius vellet lucrari isto modo, quam per aliam viam. IV. Quod illo, cui mutuat, non sit in tam arcta necessitate, & creditor in tali opulentia, quod ei teneatur gratis mutuare. V. Quod id quod accipit, sit vere interesse suum probabiliter, & pro interesse accipiat; aliter est usura.* Ac deinde sibi objicit D. Thomam loco appellato 2. 2. *q.* 78. respondetque: *Intelligitur, quando prædicta non concurrunt, ut patet ex ratione sua, cum dicit, quod non debet vendere, quod non habet, & potest multipliciter impediri: aliter nisi sic intelligeretur, contradiceret sibi ipsi ibidem, ubi tenet licere deducere in pactum recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere; & contra id quod expresse tenet 2. 2. q. 62. art. 4. de quo infra §. 77.* Gabriel

in

in 4. dist. 15. q. 11. litt. F. sed hic advertendum secundum Panormitanum in c. Conquestus, de usur. quod interesse consistit non solum in damno habito, sed etiam in lucro cessante, dummodo lucrum cessans esset in actu, vel quasi in actu, hoc est, quod probabiliter fuisset: quia hic dicitur peti, quod aliquo modo est. Secus si solum est in possibilitate, quia sic dicitur potius non esse, &c. Tum in Angeli de Clavisio sententiam loquitur, & conditiones eas quinque recenset. Hadrianus VI. *in 4. Pro Sacramento Pœnitentiæ, de Restit. Dicunt communiter Doctores moderni, Theologi, & Canonistæ, quod ab initio in mutuo potest haberi ratio lucri cessantis, quoad fuerit verum interesse mutuantis. Interesse autem non est aliud, quam justa utilitas hominis, ut pulchre deducit Bart. neque debet æstimatio interesse lucri cessantis haberi ad quantum lucrari posset, sed quantum, verisimiliter lucratus fuisset, deductis expensis, & laboribus, & certo ejus habita ratione ad arbitrium boni viri, quantum interest inter habere, & prope esse.* Major *in 4. dist. 15. q. 30. Interesse consistit in lucro cessante; hoc est licite potest capere ratione lucri cessantis.* Et infra: *Hanc conclusionem tanquam communiorem, & rationabiliorem tenet.* Et rursus: *Conclusionem, quam insequimur, ut puto, est verior, & eam sequens secundum ejus intelligentiam, cum circumstantiis positis, est in conscientia securus.* Et iterum: *Multo plures Canonistæ, & Theologi eam sequuntur.* Et allata Doctoris Angelici auctoritate, ita subdit: *Ex quibus vult, quod damnificans aliquem tenetur ad recompensationem damni: quod certum est tam de damno emergente, quam de lucro cessante; sed non æqualiter in lucro cessante, & in actuali damno: nec oportet restituere omne illud, quod erat in potentia; quia multa possunt provenire impedimenta, ne ad actum completum illa potentia reducatur.*

Sylvester *verb. Usura, q. 19.* quæstionem hanc ita proponit, ac dirimit: *Utrum licitum sit ex mutuo aliquid acquirere ratione interesse? Si loquamur de interesse damni emergentis, non est dubium, quod sit, si interesse applicatur tertio, & quia debitor non solvit tibi, oportet te usuras solvere alteri, & in hoc concordant omnes. Si vero loquamur de interesse lucri cessantis, Petrus de Anch. & Do. Ant. in cap. Salubriter eod. Tit. & Panorm. in cap. Conquestus eodem tit. idem tenent, modo lucrum cessans esset in actu, vel quasi in actu, hoc est, quod probabiliter fuisset: quia sic dicitur peti, quod aliquo modo est; secus si fuisset solum in possibilitate; quia sic dicitur potius non esse. Quod patet per L. Si jactum retis. ff. de act. empt. & vendi. ubi licita est emptio facta de sola spe probabili quasi in actu: & idem de partu futuro L. Nec emptio ff. de contrah. emptio. Et hæc est communis opinio, quam sequuntur summistæ, & est vera.* Cumque D. Thomæ locum sibi objecisset, respondet: *Ut bene dicit Nico. de Ausmo: loquitur de lucro incerto, non autem de probabili.... Quod potest ex sua ratione: quia loquitur de lucro non vendibili, cujusmodi est, quod est possibile tantum; non autem de probabili, quod secundum jura vendi potest.* Declarat deinde conditiones, quibus positis opinio hæc cum vero consentit; nimirum I. *Quod mutuans mallet lucrari alia via, sed ad hoc moveatur gratia amici.* II. *Quod computum habeat de periculis, laboribus, & expensis, quia lucrum intelligitur, deductis periculis, expensis, & laboribus.* III. *Quod pactum non contrahatur ad semper, sed ad tempus, quantum ad præsumptionem humanam, quia aliter videretur malle lucrari per istam viam, quam per aliam.* IV. *Quod non sit obligatus mutuare.* V. *Quod ad id, quod accipit, sit interesse lucri veri & probabilis.*

J. Medina *Cod. De rebus per usuram acquisitis q. 3.* in eadem est sententia, iisdemque principiis nititur.

Navarrus idem statuit in Summa *c. 17. n. 22.* & in Commentario *de usuris n. 47.* ubi objectionibus in contrarium adductis satisfacit. In hanc quoque sententiam laudari possunt Bannez, Sylvius, aliique permulti tum Theologi tum Canonistæ, qui tanquam laxiores Casuistæ minime arguuntur.

S. Raymundi auctoritas, quæ objicitur, ad rem non facit, neque enim ait Sanctus hic censum accipi non posse lucri cessantis causa, cum probabile ac proximum damnum conjunctum habet; id unum exigi posse ultra sortem, & quantum lucri perceptum esset in hac facti specie: *Puta, ego voluissem emere, vel essem paratus emere certas merces de pecunia, & tu propter nimiam instantiam fecisti cessare a tali emptione, ideo ut tibi mutuarem, & ego dico, volo, quod ibi reddas mihi tantum, quantum essem ibi habiturus de istis mercibus, si illuc deferrem eas: recipio tamen in me periculum.* Plus favet sententiæ nostræ textus hic, quam officiat; ac si stricte loqui velimus, nec favet re vera, nec obest. Tum porro dicitur, in Jure Canonico nihil occurrere, quod innuat titulum lucri cessantis cum aliquo damno probabili & proximo tantum, non autem actuali conjuncti legitimum titulum esse quicquam ultra sortem sumendi; facilis est & expedita Responsio. I. Non est necesse id Juri formalibus aut æquivalentibus verbis insertum esse, ut liceat, si cæteroquin naturali Juri conforme sit, ut re ipsa est; quoniam damnum probabile & proximum est pretio æstimabile, cum lucrum probabile & proximum in commercium deduci possit, emique, ac vendi ex Civilis Juris sanctione.

II. Jus Canonicum huic sententiæ patrocinatur in *Cap. In civitate*, & in *Cap. Naviganti de usur.* ubi dicitur, ex merce majus quam commune pretium sumi posse, si vero simile fuerit, id, eo stato tempore, majus minusve fore. Ut enim optime J. Medina: *Hujus pretii excessus justificat, illis esse implicitam mutuationem.* Clementina *Religiosi, §. Quibus de privilegiis*, statuit Religiosos, qui a legatis instituendis Fideles avocaverint, teneri eos compensare, in quorum gratiam ea legata instituissent; ut enim Auctor animadvertit, non id aliam ob causam est, *nisi quia præstiterunt, ne personæ, quæ alioqui per viam legati erant lucrum assecuturæ, illud amittant, & in casu textus Religiosi impedientes personas illas a lucro non in rebus causaliter contento tenentur illis; a fortiori in necessario casu tenebitur, qui mutuantem in lucro in rebus ejuscemodi contento impedit.*

Ad difficultatem alteram respondetur, lucri cessationem non esse legitimum titulum ultra sortem aliquid exigendi, nisi cum damno probabili & proximo conjuncta sit, ut dictum est in Responsione ad superiorem difficultatem. Quod autem quæritur, an habitualis dispositio ex propria pecunia justo aliquo modo lucrandi, si innotuisset injustum esse, ut ultra mutuum aliquid accipiatur, satis sit, ut quis eximatur a restituendis iis quoque, quæ nondum consumpta sunt, quibusque ditior evasit? Respondetur, id quidem, posita bona fide, satis esse, ne res eadem fide perceptæ consumptæque, & quæ ad conditionis incrementum non contulerint, sint restituendæ; non tamen satis esse, ne ea sint restituenda, quæ existunt, & consumpta non sunt, quibusque melior est facta conditio; cujus Responsi probatio in Alectensium Casuum Decisionibus occurrit. Facta ergo hypothesi, quempiam bona fide mutuum dedisse, causa exempli obligationis simplicis vi, & censum ejusdem mutui gratia exegisse; quamvis ille census in hac bona fide consumptos, quibusque non evasit locupletior, restituere non teneatur; eos tamen exigendi jus non obtinuit, ejusque actio suapte natura mala est, divinæque Legi contraria, solusque titulus, cujus vi fit, ut ille ab eorum censuum restitutione eximatur, bonæ fidei titulus est, quem titulum utrumque Jus Civile & Canonicum adprobat, & Theologi post D. Thomam confirmant. Hæc porro quæstio non attingit Theologiæ quæstionem eam, sed abstrahit, ut ajunt, an scilicet hac in re contra naturale Jus necne delinquatur.

Quoad difficultatem, quæ tertio loco posita est; Cum Mercator Mulos emit, & vendit pluris, quam emit, atque adeo ultra eorum justum numeratum pretium, propterea quod eorum solutionem ad menses sex vel ad annum sibi differendam consentit, atque inde proximum damnum patitur; cum dilationis spatium elapsum est, atque ipse novum gregem, seu novas merces sibi comparare in animo habet, potest etiam compensationem pro lucro sumere, quod ne faciat, impeditur, deductis expensis, laboribus, & periculis, dummodo ea fuerit ejus intentio, ut negotiaretur, non autem ut fœnori dans usuram committeret; verum asseri potest hanc illi mentem non fuisse, cum solutionis elapso tempore, eam exigere neglexerit, cumque possit numerata pecu-

pecunia vendere, fide vendere maluerit, Porro si ejus intentio ejusmodi fuit, nihil ultra legitimum numeratum pretium accipere potest.

Quoad difficultatem quartam; Mercatores, qui bona fide lanas ante tempus emerunt; & quidem minoris quam valerent traditionis tempore, id quod justo pretio deest, restituere tenentur, nisi incertum dubiumque fuerit, an traditionis tempore pluria minorisve futuræ essent, quemadmodum definitum est *cap. Naviganti de usur.* vel iidem Mercatores ita se gesserint Venditorum sollicitatione compulsi, atque ex hac anticipatione damnum senserint privati lucro probabili & proximo, quod ea pecunia, quam erogarunt, sibi comparassent. Tunc enim aliquid retinere possent ad compensationem usque; quod autem ad Alectensem Casum decimum septimum respondetur, non nisi requisitis conditionibus positis intelligitur, ut nempe mutuans possit ultra sortem censum percipere, ratione lucri cessantis, quod cum probabili & proximo, tametsi non actuali damno conjunctum sit.

Quoad quintam difficultatem; qui veritus, ne sibi commissus grex interiret, eum vendidit ex amicorum consilio, ut pecuniam inde perceptam fœnori daret, ignorans ejusmodi negotiationem injustam esse, restituere debet id quoque, quo non est factus ditior, facta hypothesi ejus ignorantiam crassam & vincibilem fuisse; non item, si ejus ignorantia invincibilis fuerit; erat enim in bona fide, siquidem census ab eo percepti, quin ditior evaserit, in eadem bona fide consumpti sint. Quod additur, Canones, & Sanctos, qui usuras restituendas percipiunt, non distinguere inter id, quod bona fide, quin melior sit facta conditio, consumptum est, & id, quod adhuc idem specie a natura subsistit, id vero non ita se habet; quod enim bona fides absolute loquendo operatur, id operatur in ratione restitutionis fœnorum; porro bona fides, in qua res, non aucta conditione, consumptæ sunt, ab eorumdem fœnorum restitutione liberat juxta Civiles Leges, Canonistas, & D. Thomam; nec verum est, nihil tale occurrere in Civilibus Legibus, sed solum in Glossa Juris Civilis, ut ex Casu 20. Alectensi licet intelligi.

Ang. *de Lamet*.

VIATICUM.

Vide (COMMUNIO.
(EUCHARISTIA.

VICARIUS.

VIcarii nomine donatur is, qui alterius officio fungitur, eo absente, atque ejusdem auctoritate. Vicarii Ecclesiastici sunt in triplici genere, ut alius sit Magnus Vicarius Episcopi, seu Vicarius Generalis, alius sit Vicarius perpetuus, alius denique sit Vicarius simplex, seu amovibilis.

Magnus Vicarius in voluntariæ & gratiosæ jurisdictionis administratione Episcopum repræsentat; contentiosam enim Officialis exercet. Vicarii Generales Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ debent esse originarii Regni & non Extranei ex Henrici II. Edicto an. 1554. Debent esse Presbyteri & Graduati ex Blesensi Constitutione *art.* 45. Episcopus adigi nequit ad Magnum Vicarium instituendum nisi in aliquo peculiari casu, ut in absentiæ casu, aut si Diœcesis ad distinctorum Senatuum jurisdictionem pertineret; tunc ad id temporalium redituum sequestratione compelli potest. Hinc Divionensis Senatus Rascripto diei 3. Aprilis an. 1585. Vesontionensis Archiepiscopus jussus est in ejusdem senatus jurisdictione Vicarium Generalem committere intra tres menses a Rescripti significatione ejus Officiali Auxonæ instituto facienda.

Vicarii perpetui Presbyteri sunt, qui Parochiis a Capitulo, Abbatia, seu Prioratu pendentibus deserviunt, primitivorum Parochorum loco, qui Decimas ipsi percipiunt, & congruas tantum portiones ejusmodi Vicariis relinquunt. Hi Vicarii olim amovibiles fuerunt. At Rex Ludovicus XIV. Declaratione die 29. Januarii an. 1686. edita sanxit, ut in posterum omnes Parochiæ Ecclesiasticis Communitatibus unitæ, & a primitivis Parochis administratæ a Parochis, seu Vicariis perpetuis obtinerentur, quibus in titulum provideretur, quin in iisdem possint Vicarii amovibiles collocari. Huc revocanda, quæ dicta sunt in titulo *Parochi*.

Vicarii simplices, qui amovibiles nuncupantur, Presbyteri sunt ab Episcopo approbati, qui a Parochia eliguntur, ut sibi in proprii ministerii functionibus subsidio sint. Ex uno insequentium Casuum constabit, quænam Episcopi, ad horum Vicariorum missionem quod attinet, potestas sit.

Magnus Vicarius, cui Episcopus dispensandi facultatem tribuit.

CASUS I.

1 *Episcopus suum Magnum Vicarium delegare potest, eamque, qua ipse pollet, in quibusdam casibus super matrimonii gradibus dispensandi facultatem cum eodem communicare.*

2 *Episcopus, qui post duos e suis Decessoribus dispensandi possessione gaudet, potest in possessione persistere, quamvis satius sit eum ad Romanam Curiam mittere, ut Pontifex suam mentem aperiat.*

QUÆSITUM.

EPiscopus C .... super impedimentis matrimonii in quibusdam casibus dispensandi a summo Pontifice facultatem obtinuit. Ita porro habent concessæ potestatis articuli.

Articulus tertius: *Dispensandi in tertio & quarto simplici & mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis conversis, etiam in secundo, in simplici, & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, & in his casibus prolem susceptam declarandi legitimam.*

Articulus quartus: *Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante, & restituendi jus petendi debitum amissum.*

Articulus quintus: *Dispensandi super impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus provenientæ.*

Articulus sextus: *Dispensandi in impedimentis cognationis spiritualis, præterquam inter levantem & levatum.*

Articulus septimus: *Hæ vero matrimoniales dispensationes, videlicet 3. 4. 5. & 6. non concedantur, nisi cum clausula, dummodo mulier rapta non fuerit, & in potestate raptoris non existat; & in dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tanquam a Sede Apostolicæ delegato, ad quem effectum etiam tenor hujusmodi facultatum inservatur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint.*

Arti-

Articulus duodecimus: *Communicandi has facultates in totam, vel in partem, prout opus esse secundum ejus conscientiam judicaverit, duobus vel tribus Sacerdotibus sæcularibus vel regularibus, Theologis, ac idoneis in conversione animarum laborantibus, in locis tantum, ubi prohibetur exercitium Catholicæ Religionis.*

Tertius ergo articulus harum facultatum potestatem tribuit dispensandi *in tertio & quarto simplici & mixto cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum hæreticis conversis, etiam in secundo simplici & mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum.* Super hoc articulo quæritur, an concessa potestas sit dispensandi cum pauperibus *in tertio simplici & mixto, etiamsi attingat secundum gradum?* Dubitandi ea ratio est, quia concessa potestas est cum conversis hæreticis dispensandi *in secundo simplici & mixto*, cum ea tamen clausula, *dummodo non attingat primum*; ut proinde mixtus esse non possit nisi cum tertio. An non eadem ratione asseri posset, facultatem in tertio gradu mixto dispensandi tum solum locum habere, cum mixtus erit cum quarto, non autem cum secundo? Proposita quidem est hæc difficultas, sed fundamenti expers est habita; quæ enim limitatio quoad tertium mixtum facta est, quoad secundum mixtum facta non est.

Major occurrit difficultas super articulo decimo secundo verbis supra allatis concepto, quæ non repetuntur, ne acta agamus, quod vetamur veteri proverbio. Episcopus, cui ea facultas concessa fuerat, e vivis excessit; duoque ejus proximi Successores ea sunt usi, perinde ac si ipsis concessa fuisset. Qui nunc temporis Episcopalem Sedem occupat, quærit, an vi possessionis, quam sibi Decessores illi duo reliquerunt, possit & ipse facultates suas, ad matrimonii dispensationes quod attinet, cum suis Magnis Vicariis communicare?

Dubitatur, I. quia facultates singulari nominatim Episcopo concessæ sunt, *Paulo Episcopo*. II. Quia inter articulos, qui in medium allati non sunt, occurrunt, qui hæreticorum Librorum lectionem atque ab hæresi absolvendi facultatem spectent; atque articulus ipse, de quo sermo est, loquitur de graduum quoad Hæreticos conversos dispensatione. Sed hic idem articulus eas facultates in hunc modum coarctat. *In locis tamen, ubi prohibetur exercitium Catholicæ Religionis*; ut proinde cum restrictio hæc in articulo ipso, qui permittit Episcopis, ut suas facultates communicent, reperiatur, eas communicare non posse videntur nisi personis ibidem nominatis, & conditionibus ibidem expressis; in Magnos porro Vicarios Episcopi, de quo agitur, omnes hæ circumstantiæ minime cedunt.

Illos tamen exclusos esse eo est deterius, quod ex quarto decimo articulo Episcopi quoque potestas certis terminis definitur, ut nempe ea uti nequeat, nisi in propria Diœcesi resideat: *Utendi eisdem facultatibus in Civitate & Diœcesi C . . . . tantum*; adeoque, Episcopo absente, statim omnes inquisitiones jam factæ absque effectu remaneant, & innumeri de popello, qui Supplicationes oblaturi conveniunt, Commissiones informationis gratia obtinere nequeant, aut saltem Commissiones effectu careant, donec Episcopus revertatur.

Tertiam difficultatem exhibet articulus decimus tertius his verbis expressus: *Et prædictæ facultates gratis & sine ulla mercede exerceantur.* In hoc negotio quæritur, an Secretarius *operæ suæ* gratia aliquid accipere possit? Quod sane magnopere rationi consonum esse videtur iis, qui ejusmodi officia obeunt, nec se hoc articulo comprehensos putant, quoniam non ipsi quidem dispensant, aut facultates exercent. Ac si quid accipere possint, id vero quorsum evadet? Complures de plebe homines Doctorum Decisionem expectant, quo citius exhibebitur, eo magis veræ Charitatis loco futuram?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut sibi oblato Libello respondeat, animadvertit initio statim, Episcopum, de quo quæritur, hac in re privilegiatum non esse, quamvis in Romanæ Curiæ Rescripto ejus nomen occurrat, quia nempe ejusmodi facultates Episcopis omnibus eas postulantibus conceduntur. Præterea tertii vel quarti gradus dispensationem non adeo difficile, nec tanti momenti negotium esse, ut tanquam peculiare privilegium spectandum sit, quippe quod non nisi *nudum ministerium* est, quod eam tantum jurisdictionem requirit, quæ in eo est posita, ut ex testibus facti veritas exquiratur.

Hinc fit, ut Episcopus delegare possit ex trito proloquio: *delegatus potest delegare*. Videri in hanc rem potest Caput *Quoniam*, *de Offic. Judic. deleg.* Verum quidem est Magnos Vicarios a Pontifice, ut videtur, excludi, dum inquit: Episcopum C... delegaturum duos tantum treive Presbyteros, quibus facultates suas communicare poterit, dummodo ad animarum salutem, & conversionem in hæreticis locis incumbant.

Respondetur I. Magnum Vicarium non iis verbis excludi, quippe qui *una eademque est persona cum Episcopo*. Quod si reponatur id ita se habere, cum de ordinaria, non autem delegata jurisdictione sermo est, respondetur facultates explicandas esse, iisque amplitudinem tribuendam *accommodate ad mores nostros*, Jam vero est e nostris Galliæ moribus, ut cum in Commissione non eligitur Episcopi industria, ei licere suum Magnum Vicarium delegare, vel in ejus persona Magnum ipsum Vicarium comprehendi.

Ut generalis hujus doctrinæ veritas elucescat, vetat Commissio hæc, ne quid pecuniæ in earum dispensationum mercedem accipiatur; nihilotamen secius in Galliis Officiales, Scribæ, Notarii pecuniam accipiunt, cum vacationibus multis est locus in delegatis negotiis. Neque illud silentio prætereundum, facultates has favorabili interpretatione donandas esse, præsertim cum agatur de gratiis, quas Papa concedit, cumque hæ graduum dispensationes ad Episcopum spectent, qui potest, ut ait Sanchez (a) jam supra laudatus, in sua Diœcesi, quod Pontifex in universa Ecclesia facere potest, iis tantum exceptis, quæ ad Ecclesiæ generale regimen spectant, quæque ipse sibi summus Pontifex reservavit. Atque id quidem eo rursus est favorabilius, quod Consuetudine tantum, non expresso ullo Canone firmatum est, dispensandi facultatem ad summum Pontificem pertinere, quemadmodum de votis simplicibus vulgo dicitur.

Ad extremum quoniam Episcopus C . . . dispensandi possessione a decessoribus duobus accepta gaudet, admodum probabile fit eum posse ita porro pergere, quamvis satius tamen fore videatur, ad Romanam Curiam mitti, ut Pontificis explicatio percipiatur.

Decisum Parisiis hac die....... an. 1699.
G. *Fromageau.*

Vicarius Generalis ab officio recedere in animo habens.

CASUS II.

Magnus Vicarius, qui vellet se subducere, quomodo debeat animo comparatus esse quoad novum Episcopum, qui ad Diœcesim regendam accedit.

QUÆSITUM.

MAgnus Vicarius, qui per annos quadraginta Diœcesim, quæ maximi momenti est, administravit, & adhuc, Sede vacante, eam moderatur, cuperet ille quidem, cum novus aderit Episcopus, se subducere. Quærit ergo, an si forte Prælatus velit eum in officio persistere, possit tuta conscientia reluctari? His autem rationibus se tuetur.

I. Quamvis non admodum ætate provectus sit, præteriti tamen temporis laboribus adeo functus enervatusque est, ut se demum quiete indigere putet.

(a) Sanchez lib. 7. disp. 1. de Matrimonio.

II. Suum esse cogitat temporis aliquid sumere, ut ad mortem se comparet, cum temporis multum aliorum saluti concesserit.

Qui porro consulit, id unam quærit, ut Divinam, cui proinde se subdat, voluntatem cognoscat.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, si novus Episcopus eum, qui consulit, roget, atque obtestetur, ut sibi Magni Vicarii fungatur officio, rationes, quibus movetur, ut ne acceptet id muneris, ei significare eumdem debere. Potest etiam ei declarare se ab ejusmodi dignitatibus alienum esse, quemadmodum re ipsa esse debet, qui secum reputet, id genus munia quam honori sunt, & hominem in Diœcesi supra cæteros evehunt, tam etiam ex alia parte cum erratorum complurium periculo conjuncta esse. At si Episcopus his rationibus haud permotus instet, optetque, ne ille in Magni Vicarii officio persistat, obsequi debet, ab eo postulans idoneum Virum, quem sibi deinde successorem efformet, ut ita possit ipse sese subducere.

Sane providetur fore, ut graves Episcopo causæ suppetant, quamobrem illum retineat. Primum enim quadragesimus jam annus est, ex quo hic Vicarius Generalis Diœcesim procurat, & quidem, ut merito credi potest, non sine fructu. Deinde benedictione. Præterea nemo est ei rerum peritia atque experientia in tam magnæ Diœcesis regimine comparandus. Itaque novus Episcopus eum facile exterorum aptissimum judicabit; ac proinde si id muneris ei, de quo quæritur, demandare voluerit, illud ipse, qua dictum est, ratione amplecti debet, ac persuasum habere se ad illud a Deo vocari per eos, qui in Ecclesia ejus locum obtinent.

Rationes, quas, ut se ab officio eximat, in medium adducit, haud satis præseferunt roboris, ut ejus abdicatio in tuto ponatur; necesse nimirum esset eum ita muneri fuisse defunctum, ut Magni Vicarii titulo non amplius in Diœcesi labori par esset. Cæterum nulla ille ratione melius ad mortem, atque ad bene moriendi gratiam obtinendam se comparare potest, quam si propriam vitam dederit, semetipsum consumens, ut Christi Domini Sponsæ, quæ ejus est Ecclesia, deserviat.

Decisum in Sorbona hac die 13. Junii an. 1693.

G. Fromageau.

Vicarii simplices ab Episcopis missi.

CASUS III.

1 *Si stricte loqui volumus, jus est Episcopo liberum Presbyterum adigendi, ut ad derelictam Parochiam Vicarii titulo administrandam, ita postulantibus rebus, se conferat.*

2 *Potest etiam imposita suspensionis pœna eumdem compellere.*

3 *Si graves rationes, ut ipse se eximat, huic Presbytero præsto sint, eas proprio Episcopo significare, atque ab ejus mandato, siquidem illud revocare noluerit, appellare debet,*

QUÆSITUM.

Quidam Episcopus cum videret agrestes Parochias bene multas derelictas, & Vicariis destitutas jacere, Presbyterorum defectu, dum in Urlibus Presbyteri complures sunt, qui satis habent Sacrum facere, & in propriis Parochiis divino Servitio interesse, quin Sacramenta administrent, aut Populos instruant, sibi jus esse credidit eorum aliquibus præcipiendi, ut ad rusticanas Ecclesias sese conferrent, ibique Vicarios agerent. Mandatum hoc, utpote prorsus insuetum, durissimum visum est. Ita porro sese res habuit.

Incolæ agrestis Parochiæ Supplicationem hanc Episcopo exhibuerunt, exponentes Parochum suum nullo Curiali munere fungi, sibique nullum Presbyterum procurandæ Parochiæ parem præsto esse. Episcopus, habita Supplicationis ratione, mandavit proximæ Ecclesiæ Parocho, ut unum e suis Presbyteris nominaret, qui tanquam Vicarius Ecclesiam eam administrandam susciperet, percepturus annuas centum quinquaginta libras cum emolumentis Ecclesiæ, quæ propemodum nulla sunt. Infligitur eo Mandato suspensio in Presbyterum, ni paruerit.

Cum hæc agendi ratio nova sit, atque ejusmodi, ut idoneos Presbyteros non semper propriis Parochis, aut Episcopis gratos Urbium Ecclesiis adimere possit, & proinde Constitutio regulis consona non censetur, quippe cum Ecclesia nunquam se posse crediderit Presbyterum omnino cogere, ut Pastor evaderet, & vel invitus eurandarum animarum onus subiret, quamvis eum peccare judicaverit, qui legitime vocatus, seque immerito prorsus indignum reputans renuisset: *Virtutibus pollens*, inquit D. Gregorius M. *invitus accedat*; *virtutibus vacuus ne coactus accedat.*

Quæritur ergo, an Episcopi Presbyteros a propriis Parochiis abducere possint, eosque compellere, ut ibi, ubi iis visum fuerit, Vicarios agant? An Presbyteros ipsos in hac facti specie parere nolentes ab Ordinum functionibus suspendere possint? Quod si Episcopis jus non adsit ita mandandi; quæritur, quomodo se gerere debeant iidem Presbyteri, ut se ab ejusmodi jussionibus atque adeo coactionibus tueantur, quibusque Ecclesiæ regulis, & Canonibus obluctationi suæ robur addere possint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ante quam casui proposito satisfaciat, certi solidique fundamenti loco ponit:

I. Episcopum in sua quemque Diœcesi potestate pollere, quam obtinet a Christo Domino, ut eam regat, ejusdemque Fidelium spiritualia negotia procuret; sed cum Episcopus solus atque ipse per se omnium ac singularum animarum sibi concreditarum saluti prospicere minime valeat, ei proinde jus esse sumendi de Presbyteris, aut Ordinandi, quorum opera ac ministerio ipse in proprio obeundo munere utatur.

II. Quoniam Episcopi est, quid propriæ Diœcesi sit opus, cognoscere, & pro rerum ratione consulere, eumdem posse tot sacris Ordinibus insignire, quot, ut sibi præsto sint, necessarios crediderit; atque hac sane de causa non eum teneri, quotquot accesserint, initiare, ac rationes ob quas Ordines conferre nolit, iis aperire.

III. Hinc consequer fieri, Clericos, ac potissimum Sacerdotes in Ecclesia non aliam ob causam existere, quam ut eidem deserviant, quemadmodum etiam in Pontificali ex precibus, quæ Deo tum ante tum post eorum Ordinationem offeruntur, licet intelligi. Nemo olim unus initiabatur, quin certæ Ecclesiæ addiceretur. Jam vero ad rectam regiminis formam spectat, ut in Diœcesi, cujus Episcopus Superior est, Ecclesiastici non nisi eo auctore ac judice quidquam laboris officiique suscipiant, nec munia eligant ipsi sibi; ut proinde nequeat Episcopus aliquando & ad tempus eos aliquo mittere, ut ibi laborent, præsertim si nullum, quo alibi detineantur, titulum habeant; si enim ita se res haberet, sæpenumero fieret, ut Diœcesis suorum opera, cum maxime indiget, destitueretur.

IV. Cum Episcopus non communi solum, sed etiam divino Jure Diœcesis sibi concreditæ Superior sit, concludendum proinde, Clericos, qui ibidem versantur, in iis, quæ ad animarum salutem, atque ad ejus curandæ rationem pertinent, ei dicto audientes esse oportere. Obedientia hæc, quam suis Episcopis Clerici debent, elucet ex pluribus antiquorum temporum monumentis, quæ Antonius Augustinus in suo Libro sexto titulo 39. in medium adducit; eamque promittunt Presbyteri, dum initiantur: *Promitto tibi & Successoribus obedientiam, & reverentiam*, hæc Pontificalis verba sunt. Quod cum ita se habeat, non apparet, qui pronuntiari possit, quia passim Episcopi hanc obedientiam non exigunt, Clericos propterea legitime se ab ea exemptos, ac non eidem obnoxios credere posse, perinde ac si inferior contra obedientiam, quam proprio

Præ-

Prælato debet, ac desuetudo contra divinum Jus præscribere possit.

V. Episcopos tanquam Clericorum in propria Diœcesi existentium Prælatos se potius ut eorum Patres quam ut Dominos spectare debere: *Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos*, inquit D. Hieronymus in Epistola ad Nepotianum, *honorent Clericos quasi Clericos, ut & ipsis a Clericis quasi Episcopis honor deferatur*. Episcopi regimen quoad Presbyteros suave esse debet, ac sicubi utatur eorumdem opera, non id unum spectare debet, quid nempe Diœcesi opus sit, atque eidem congruat, sed etiam quid Ecclesiasticorum suorum saluti conveniat. Ita porro D. Hieronymus de Episcopo cogitabat, ut Nepotianum proprio tanquam spirituali parenti subesse vellet: *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe*. Qui in humana societate præsunt, iocosso timore obedientiam extorquent, & dominationis animo abrepti, ne aures accommodent, impediuntur. Sed D. Petrus in sua prima Epistola cap. 5. id quoad Clerum, qui proprie Christi Domini hæreditas est, Episcopis interdicit: *Neque ut dominantes in Cleris*; ne videlicet ita præsint, ut minirentur, & cogant, sed ita potius, ut bonum Dei causa, neque in ullius proprii lucri gratiam diligendum curent: *Providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, sed voluntarie*. Ita S. Gregorius Nazianzenus in suo Apologetico mentem suam aperit: *Nam quod*, inquit Sanctus Pater, *vi ac necessitate exprimitur, ne firmum quidem ac stabile est*. Et sane coactus Clericus non ita bene se gerit, ac dum voluntarie agit, quod ab eodem expetitur.

Jactis, constitutisque principiis hisce,

Respondetur, Presbyterum, quem proprius Episcopus jubet se conferre ad Vicarii officium ad tempus in derelicta Parochia obeundum, parere debere, nisi legitimas excusationes afferre possit; id nempe regulas supra allatas consequitur; ut proinde, ni prompto atque alacri animo sui Præsulis jussa fecerit, suspensionem incurrat, quia cum ejus Episcopus sit quoque Superior sit, ipse jus obtinet ejus mittendi in eum potissimum Diœcesis locum, ubi eum ad animarum salutem idoneum ac necessarium esse judicaverit.

Ejusmodi quidem mandatum videtur Ecclesiastici regiminis suavitati non nihil obesse; expectari debebat, dum se obluctantem Presbyter exhiberet, antequam minæ suspensionis intenderentur; atque adeo fuisset interrogandus, ex eoque audiendum, quibus permotus rationibus repugnaret. Verum fortasse Antistes bona fide credidit hæc innsitata agendi ratione sibi opus esse, ut derelictæ Parochiæ subsidium accelerarct.

Cæterum quantumvis dura censeatur Episcopi sanctio, non propterea tamen consequens fit Presbyterum eidem obsequi non debere. Si nempe legitimus Dominus imperet, & imperata res rationi consona sit, atque inferioris ministerio congruat, is quidem obtemperare debet. Perperam sane contenditur Sacerdotem nunquam adigi posse, ut Pastor evadat, & animarum curam suscipiat. Id ille muneris amplecti debet, cum adest Superioris mandatum, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 185. a. 2. ad 3. *Accipere Episcopatum non est necessarium ad salutem, sed fit necessarium ex Superioris præcepto*. Potest ergo mandari Presbytero, ut Parochiam vel aliquod aliud munus acceptet, si id postulet Ecclesiæ ratio, & ita se rem habere, qui Judex est, Episcopus asserat; & quamvis non id moris obtineat, ut ad ejusmodi officium suscipiendum censuris Clericus compellatur, eo tamen rerum deveniri posset, ut censuris in hoc negotio locus esset.

Fieri & illud potest, ut, quod præsumendum non est, præpostero animi impetu, aut levitate quadam abreptus Clericum in dissitum locum trudat, ut ibi animorum curæ vacet; in hac ipsa facti specie debet ille parere, nisi ei graves causæ, quamobrem sese eximat, præsto sint; uno verbo tametsi Superiores pravis ad præcipiendum rationibus adduci possint, non tamen id ab obedientia inferiorem liberat, nisi ea cæteroquin ob aliquam circumstantiam exhiberi omnino non possit.

Si ergo Presbytero, de quo quæritur, legitimæ causæ suppetunt, ne Vicarii munus sibi propositum amplectatur, debet eas Episcopo, qua par est, observantia significare, eumque rogare, aut rogandum curare, ut earum rationem habeat. Si, causa exempli, eo, quo mittitur, se conferre non possit, quia cœli inclementia ejus valetudini nocet, vel quia ejus congruæ sustentationi impar officium est, vel quia patrem aut matrem summopere ope sua indigentes desereret, vel quia ejus præsentia, ibi ubi est, ad temporalium suorum negotiorum bonum ita est necessaria, ut, si recederet, ad incitas redigeretur, vel denique si quibus aliis ejusmodi causis impediretur; eas Præsuli suo deberet exponere, ac si ille se facilem non præberet, ad Superiorem appellare posset, & nihil eorum reliqui facere, quibus id juris, quod Episcopus sibi denegat, obtineret. Quamvis autem in hac facti specie præceptum injustum esset, atque adeo reipsa nullum, semper tamen hic Presbyter ab Ordinum suorum functionibus abstinere deberet, & tanquam suspensum se gerere ob eam, quam Superioris auctoritati debet, reverentiam, quoad negotium definiretur. Ratio est, quia cum de censuris agitur, Canonistarum & Theologorum judicio, *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta, timenda est*. Ductum id est ex S. Gregorio M. *Hom. 26. in Evangel.*

Decisum hac die 21. Novembris an. 1699.
G. *Fromageau*.

VISITATIO EPISCOPORUM.

Tridentina Synodus Episcopis (a) mandat, ut quotannis universam Diœcesim, aut saltem ejus maximam partem invisant; ac si quo legitimo impedimento distineantur, id officii Generali Vicario, vel peculiari Visitatori demandare possunt. Quod deinde subdit Synodus, animadversione dignum est; nempe monet Episcopos, ne cui per expensas inutiles onerosi sint, nihil aliud quam simplicem victum tum sibi tum suis exigentes, & quidem *frugaliter moderateque pro temporis tantum necessitate & non ultra*. Jus hoc Visitationis nuncupatur in veteribus titulis *Procuratio*. Aurelianensis Constitutionis art. 6. jubentur Episcopi suum Visitationis jus ea cum moderatione taxare, ut nemini justa subsit querendi causa. In præsentia pauci sunt ex Episcopis, qui id juris exigant.

Docet idem Concilium, quomodo suas Episcopi Visitationes utiles ac fructuosas reddere possint; si videlicet sanam atque orthodoxam doctrinam instituant, omnibus hæresibus ablegatis, tueantur bonos mores, pravos extirpent, populos ad Divinum servitium, ad pacem ac vitæ innocentiam, monitionibus, & cohortationibus vehementibus exeitent, & cætera omnia præcipiant, quæ eorum prudentiæ, qui Visitationem instituent, utilia ac necessaria visa fuerint ad Fidelium utilitatem, prout per tempus, locum, & occasionem licuerit. Ut id porro obtineatur, necesse est, quod eadem Synodus loco laudato monet, ut Episcopi visitantes paternam charitatem, ac vere christianum zelum ubique præ-

(a) Concil. Trid. Sess. 24. c. 3. de Reform.

præseferant; contenti comitatu & famulatu mediocri studeant, quam celerrime fieri poterit, Visitationem absolvere, in eam tamen omnem requisitam diligentiam ac sollicitudinem conferentes; caveantque Visitationis tempore, ne cui incommodo atque oneri sint.

Vide (EPISCOPI.

Jus Episcoporum Visitationis tempore.

CASUS I.

1 *Episcopus, qui in propria Cathedrali Visitationis jure gaudet, Dignitates, quibus Præbendæ nihil est, subdere nequit punctioni in eos instituta, qui ab Officio abfuerint.*

2 *Canonicos adigere nequit, ut a se facultatem petant abeundi ultra tempus a Tridentino Concilio præscriptum; sed jubere potest, ut singulis diebus Dominicis, Festisque præcipuis Theologus Sermones habeat.*

3 *Capellanis mandare potest, ut sibi Capellarum suarum titulos ostendant; quique Beneficia possideat sub* eodem tecto, *dispensationem exhibeant, qua iis opus est; eos quoque Capellanos, qui sibi nihil oneris esse contendant, adigere potest ad certum Missarum numerum celebrandum pro rata proventuum.*

4 *Ad hanc Visitationem omnes Ecclesiæ suæ Beneficiatos accire potest, quin tamen in absentes censuram infligat.*

5 *Ei jus est inquirendi de puerorum Choro deservientium educatione, ac præcipiendi, ne quis Cantor, qui Presbyter fuerit, absque* Exeat, *neve ii, qui Sacerdotio initiati non sunt, absque testimonialibus de vita & moribus Litteris Ecclesiarum, in quibus versantur.*

6 *Appellationes tanquam abusus ad Senatum fere deferuntur; at in facti specie, in qua existit Episcopus consulens, eam deducere posset ad magnum Consilium, in quo dijudicata fuit causa Jurisdictionis, de qua cum ipso Capitulum contendebat.*

7 *Nihil innovare debet in consuetudine Ecclesiæ suæ, in qua sanctum sacramentum in Altari majori minime servatur.*

8 *Præcipere potest, ut loco Vicarii amovibilis, qui Parochiæ deservit, in Cathedrali Vicarius perpetuus instituatur, & quidem ad solam sui Promotoris postulationem.*

9 *Vicarius hic perpetuus Parochiæ suæ Luminari, omnique fortuito proventu gaudere debet, nisi peculiaris aliquis Capitali titulus communi Juri deroget.*

QUÆSITUM.

Episcopus suæ Cathedralis Visitationem instituens rogat Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie dicant sententiam suam.

Ejus Ecclesiæ Archidiaconi ministrant Episcopo celebranti, nulloque præterea officio funguntur. Nullis vacant Visitationibus ab immemorabili tempore; Beneficiorum, quæ possident, reditus ex Parochiis proveniunt, quas eorum Dignitati unierunt Episcopi. Hi numero quatuor Dignitatem suam Beneficii simplicis loco habent, & Officio fere nunquam intersunt.

I. Quæritur, an Episcopus eos, dum absunt, aliorum Canonicorum more punctioni subdere possit? Qua in re animadvertendum eorum proventus a Capitulari mensa sejunctos esse.

II. An Episcopus Visitationis tempore sancire possit, ne liceat abesse Canonicis ultra tempus a Concilio permissum, nisi ab ipso facultatem petierint; eorum aliquibus, inscio Episcopo, ad sex menses absentibus? Potestne ille Archidiaconos ea sanctione complecti, sive Canonici & ipsi sint, sive Archidiaconorum tantum titulo gaudeant?

III. An Episcopi Magnus Vicarius, cum Canonicorum postremus sit, eos corrigere possit, qui garriunt, committuntve errata alia Divini Servitii tempore? Eone jure uti potest quoad eos, qui in Choro primas tenent, dum sibi desunt, ejusmodi errata dissimulantes, vel in ea ipsi labentes?

IV. Nullam Theologus functionem edit, non Sermonibus, non Lectionibus vacat. Ac Lectiones quidem ab eo frustra requirerentur, quippe qui nullos Auditores haberet. Sermones autem ex inveterato abusu diebus Dominicis Festisque præcipuis nullos edit, quamvis hominum quindecim millia & amplius in Urbe sint. Episcopus an non potest mandare Theologo, ut iis diebus Sermones vel habeat ipse, vel curet habendos? Theologus vero possetne ut ab abusu ab ejusmodi functione appellare, & contrariam, quæ ipsi favet, consuetudinem allegare?

V. In hac Ecclesia Capellani complures sunt. Quæritur, an Episcopus Titularibus præcipere possit, ut sibi provisiones exhibeat, præsertim qui aliquod aliud in eadem Ecclesia Beneficium obtineat, cum dubitari possit, an dispensationem obtinuerint, ut ea sub eodem tecto possiderent? Titulumne fundationis Beneficii petere potest, ut ejus onera cognoscat? *Si* illi refragentur, aut dicant titulum periisse, atque alioquin Episcopus veras Beneficii obligationes, ut celebrandarum Missarum numerum, &c. perspectas habere non possit; potestne certum Missarum numerum proventui respondentem præscribere, pro certo ponens nullum esse sine onere Beneficium? Quærit denique, an Cappellanias comperiens, quibus Titularium negligentia servitium ex longo tempore non exhibetur, eas tanquam vacantes *per desertionem* aliis conferre possit?

VI. Episcopus Visitationem instituens an non jus obtinet sibi comites addendi Canonicos, qui ejus Ministri sunt, ut Magnus Vicarius, Promotor? Nota, Capitulum, de quo quæstio est, hac in re se præsentis Episcopi Decessori opposuisse, contendens, eum non posse sibi doctos Ministros comites addere; quoniam autem negotium, mortuo Episcopo, judicatum non fuit, eos nunc quoque refragaturos sit vero simillimum.

VII. Cum Episcopus Visitationem indicit, an non mandare potest, ut omnes Cathedralis suæ Beneficiati, ii quoque, qui cum Tonsuræ tantum obligatione Capellas possident, adsint *in habitu*? Poteritne censuris in eos uti, qui minime adfuerint?

VIII. An non potest Episcopus de psalmodia, ac de puerorum Choro deservientium educatione tanquam in Visitationis consecutionem cognoscere?

IX. An non potest imperare Capitulo, ut Cantores, seu Musicos, qui passim ad Chori servitium recipiuntur, ad se mittant, ob eam nempe causam, quod cum illi ex eorum sint hominum genere, qui vagi atque inconstantes ab uno Capitulo in aliud commigrant, proinde ante quam recipiantur, de vita & moribus testimoniales Litteras proferre debent, quas quidem Capitulum ab ipsis non exigit?

X. Animadvertendum, Episcopo servatam fuisse possessionem ac fruitionem juris universæ Jurisdictionis in Ecclesiam suam Cathedralem in Canonicos & Præbendatos, contradictorio Magni Consilii Rescripto, inter ejus Decessorem & Capitulum, quod de Jurisdictionis jure cum eo contendebat. Quæritur, an in casu appellationis tamquam abusus aliquorum sanctionum, quas Episcopus inter visitandum ediderit, ad Magnum Consilium appellatio devolvatur, an vero ad Senatum, intra cujus terminos Diœcesis existit, cum certum sit fore, ut Capitulum ejusmodi perfugium quærat, & ad Senatum negotium deducat?

XI. Sacrosanctum Sacramentum non existit in majori Cathedralis Altari, sed tantum in magna Capella sejuncta, quæ Parochiæ loco est. Episcopus potestne jubere, ut Sacramentum in Majori Altari collocetur; an vero debet res in eo statu relinquere, in quo sunt ab immemorabili tempore?

Quod spectat ad Visitationem, quam Prælatus instituere debet in Parochia, quæ in magna Cathedralis Capella administratur, & in qua sunt ultra decem mille Communicantes, quia ea Parochia

præ-

præcipua est, cum alia tantum existat, quæ parvi momenti est; comperit ille magnam hanc & gravem Parochiam, cujus Capitulum se Psrochum primitivum esse contendit, a duobus Vicariis amovibilibus procurari. Cum iis Capitulum Curialia jura partitur, mandans, ut lumina Cathedrali suppeditent, atque alia, Capituli ipsius loco, perficiant. Neque hic unus abusus est; nam una tantum privata Missa ibi dicitur hora septima matutina cum dimidio diebus Dominicis; in ea habetur concio, eduntur que nuptiarum publicariones, cum fere centum personæ tantum intersint; uno verbo quædam solum Parochiæ species occurrit; atque hic abusus tam altas radices egit, ut nemo contra stet, & conqueratur, maxime licet Episcopus sit refragatus. Quamobrem consilium petit super hisce difficultatibus.

I. Poteftne Vicariam perpetuam pleno jure instituere, Capitulo sibi Parochi primitivi titulum arrogante? Sed ut est vero simillimum, ejus nominationem non potest Capitulum sibi sumere, quoniam nullus unquam in hac Parochia Titularis extitit; adeoque Capitulum probare non potest se unquam nominasse aut præsentasse, qui eam in titulum possideret. Sed facta hypothesi Episcopo jus non esse ad eam nominandi, poteftne mandare Capitulo, ut Vicarium perpetuum sibi præsentet; atque id quidem an non ei præjudicium afferet, quoniam nihil aliud esset, quam in Capitulo jus agnosci, quod fortasse non obtinet; quippe cum non sit prorsus indubitatum, omnem Parochum primitivum Vicariæ perpetuæ nominatione gaudere, quamvis id satis commune sis?

II. Si Episcopus Vicarium perpetuum possit aut ipse per se, aut per Capitulum instituere, poteritne merito Vicarius hic omnia Parochiæ lumina, atque omnia Curialia jura sibi vindicare; cum id omne summam annuam librarum centum aut ducentarum supra mille non excedat; quod immodicum quid non erit quoad Parochiæ tam magnæ Parochum, in qua duobus saltem Vicariis opus habebit, cum cæteroquin nullum subsidium sperare possit ex eo, quod fabrica vel opus dicitur, cum ejusmodi nihil ibidem sit? Poteritne Capitulum sibi vindicare luminum partem, vi possessionis, qua gaudet, id partiendi cum Vicariis, qui ab ipso pendebant, & quos poterat amovere? Contentio hæc, cui Capitulum firmiter adhærebit, ad Magnum Consilium, ad quod Capitulum non nisi ægro animo accedet, deducine poterit?

Neque illud omittendum videtur, cum omnes Canonici ex Urbe sint, omnesque eorum consanguinei ibidem existant, præsumere, nec temere, Episcopum fore, ut nemo unus ex civibus, Visitationis tempore, Vicarii perpetui erectionem requirat; quæritque proinde ille, an Promotoris postulatio satis futura sit?

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum quæstionibus supra propositis occurrens existimat quoad primam, Episcopum Cathedralis Ecclesiæ, in quam cumulatissima Jurisditione gaudet, Visitationem peragentem mandare posse, ut quatuor Archidiaconi in posterum intersint horis Canonicis, ut Canonici, quamvis ii reipsa non sint ejusmodi, si disciplina in Tridentino Concilio *Sess.* 21. *c.* 3. *Sess.* 22. *c.* 3. & in Burdegalensibus an. 1583. c. 17. & an. 1624. c. 9. art. 11. instituta ibidem obtineat. Verum cum ea in plerisque Galliarum Ecclesiis minime vigeat, eæque ipsæ, quæ horum Conciliorum Decretis se maxime subdere deberent, semper in vetere praxi perstiterint, cujus vi Præbendati tantum Canonici punctioni subjecti sunt, Dignitatibus exemptis: propterea id quod in hanc rem sanxere Tridentinum & Burdegalensia Concilia, quæ Parentibus Litteris in Senatus acta relatis firmata esse non est vero simile, vim legis habere non videtur; præsertim cum ex non usu compertum fiat, Ecclesias obstitisse, atque in generali Regni praxi perstitisse, qua firmum stas solam Capitularem Mensam Officio obnoxiam esse; vel ut aptius dicatur, præbendatos tantum Canonicos teneri eidem interesse. Id animadvertit Janus a Costa, inter Galliarum Canonistas longe clarissimus, qui tanquam firmam & constantem ejusmodi doctrinam ponit; in ejus nempe quæstionis decisione, an Archidiaconatus cum Parochia stare non possit: existunt Archidiaconi quinque, inquit hic Jurisconsultus, in Tolosæ Metropolitana Ecclesia;
„ si quæras ex quatuor, quænam sit eorum digni-
„ tas, respondent, se honorificentius, quam Cano-
„ nicos, officium obtinere, nihilque præterea; at
„ si præbendis carent, ad Ecclesiæ servitium adigi
„ nequeunt „. Doctrinæ huic id fundamenti loco esse potest, quod non est vero simile, Capitula sibi tantum voluisse officii onus imponere, si id cum Dignitatibus, quæ eorum corporis partem non constituunt, dividere potuissent; futurum non fuisse, ut inter anni hebdomadas non aliquæ non præbendatis Dignitatibus addicerentur, si illæ huic oneri obnoxiæ habitæ essent; nec futurum pariter fuisse, ut ne ad punctionis fundum complendum adigerentur, ut cum Canonicis in emolumenti & jacturæ partem venirent, si creditum esset Officium Canonicum ex earum Beneficiorum oneribus unum esse. Hæ nimirum animadversiones in causa sunt, ut subscriptum Consilium censeat, in casu appellationis tanquam abusus Senatum haud favorabilem fore sanctioni, ab Episcopo editæ, ad punctionem inter Ecclesiæ suæ Archidiaconos, quoties horis Canonicis non interfuerint, instituendam. Si tamen alicujus Dignitatis officium ejus præsentiam requireret, cujusmodi esse potest Chori Præfectus, qui in bene multis Ecclesiis continuam adsistentiam promittit, ad id illa Dignitas adigi posset; quia Beneficiatus quisque Beneficiis sui onera implere debet; atque ob hanc quidem causam Episcopus consulens Archidiaconos suos compellere potest, ut sibi celebranti ministrent ex regula generatim recepta: *Datur Beneficium propter officium.*

Quoad quæstionem secundam, Episcopus minime debet Edictum edere, quo Canonicos suos *Exeat*; & permissionem a se petere jubeat, cum ultra tempus a Concilio, atque ab Ecclesiæ statutis concessum abesse voluerint; quia ex Consuetudine in Regno instituta ejusmodi permissiones ex Capitulo petuntur, non ex Episcopo. Tradit id Rebuffus rotundis verbis in Concordium tit. de *Collationibus* §. s. dum de obligatione loquitur, qua tenetur Theologus, ut recedendi facultatem petat: *Et ita*, inquit *servatur de consuetudine, quæ hodie inolevit in Francia, nempe Sholastici, & alii volentes discedere a beneficio vel præbenda, nunquam licentiam petant ab Episcopo, sed a Capitulo, ubi obtinent præbendam.* At si Episcopus Visitationem peragens non eam esse consuetudinem comperiret, mandare posset, ut qui ultra tempus a Concilio, vel ab Ecclesiæ Statutis permissum abesse vellent, permissionem peterent a Capitulo, quod eam non concederet sine causa, quæ in Capitulari Actu enuntiaretur; & id quidem, ut ægrius ejusmodi permissiones concederet, Promotoris metu, qui posset obsistere, si potestate sua Capitulum abusum esset. Quod spectat ad Archidiaconos, qui Canonici & ipsi forent, ii quidem eamdem regulam, quam cæteri Canonici, servare deberent; quia tamen, prout Archidiaconi, celebranti Episcopo ministrare tenentur, Capituli proinde permissio non iis sufficeret, sed Episcopi quoque permissione opus haberent.

Quoad quæstionem tertiam, si quis postremus, sive primus in Capitulum receptum fuerit, hæc quidem circumstantia Vicarii generalis auctoritatem nec auget, nec imminuit; as qui ejusmodi auctoritate instructus est, non debet id sibi sumere, ut eos corrigat, qui blaterant, aut alia peccant Divini Servitii tempore, quia Jurisdictio hæc, quæ *non contentiose, sed correctionaliter*, ut Fevretus loquitur, exercetur, ad Societatis Caput, vel ad Capitulum de jure spectat. Ita definiit Pragmatica Sanctio *tit. Quomodo officium divinum sit celebrandum §. statuit* in hæc verba: *Super his debite observandis, alisque ad divini officii prosecutionem ac Chori disciplinam spectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet; horum autem transgressores illius horæ, in qua circa prædicta excesserint, privatione, vel alia majori, prout transgressionis gravitas exi*get,

gri, plectantur pœna. Pronuntiat Pastor, id juris niti generali consuetudine, quæ in Capitulis obtinet; atque id quidem in Tractatu, quem edidit de Ecclesiastica Jurisdictione *tract.* 10. *n.* 3. ita tamen, ut hæc Jurisdictio exerceatur *sine strepitu, & figura judicii*. *Nam Capitulariter*, inquit hic Auctor, *non habent potestatem inquirendi, vel incarcerandi*. Papon. Placitorum *l.* 1. *t.* 3. &c. Si tamen Capitulum Canonicos, qui corrigendi sunt, corrigere negligeret, cum ab Episcopo merito monitum esset, posset ipse correctionem edere ex *Cap. Irrefragabilis de offic. ordinar.* Has autem formulas servare non teneretur, si culpa, eo præsente, patraretur, Pastoris sententia. Verum haud censetur a Vicario Generali in hisce occasionibus instituenda correctio, non quod correctionem edere non posse credatur, cum Capitulum, postquam monitum fuit, eam non ediderit; sed quia cavendum est, ne querelis & Schismatis ansa præbeatur. Præstat ergo Episcopum id sibi ipsum sumere, quam complurium ex Capitulo contradictionibus, ac repugnantiæ suum Magnum Vicarium exponere.

Quoad quartam. Episcopus Visitationi vacans mandare potest, ut Ecclesiæ suæ Theologus singulis diebus Dominicis Sermones habeat, & aliquas per hebdomadam Lectiones edat, ex Pragmatica Sanctione *de Collationibus cap.* 2. *§. cum per generalis*, ex Concordio cum Leone X. tit. *de collationibus §. statuimus*, ex *art.* 8. Aurelianensis Constitutionis, a Blesensi *art.* 23. confirmatæ, denique ex Rescriptorum Jurisprudentia, & nominatim ex Rescripto, quod Parisiensis Senatus edidit inter Dominum Faronium Clericum Decanum & Theologum, Ecclesiæ Rojensis Diœcesis Ambianensis, & ejusdem Ecclesiæ Canonicos. Itaque Theologus, de quo agitur, non audiretur, si longum tempus, quo nec ipse, nec ejus Decessores Conciones habuerunt, adduceret; quoniam in hoc negotio tueri se nequit præscriptione, quæ contra ejusmodi titulum, & contra obligationem ex communi jure eidem impositam non recipitur; ita ut prædicationis interruptio non aliter a Judicibus spectari possit, quam ut abusus, cui remedium sit afferendum. Et quamvis Capitulum invigilare teneatur, ut Theologus officio suo perfungatur, ut tam ex Pragmatica Sanctione, quam ex Concordio, atque ex Aurelianensi Constitutione intelligimus, Episcopus tamen, ad quem universæ disciplinæ custodia spectat, tenetur huic malo prospicere, nec acquiescere Capitulo, quod hactenus eam curam neglexit, nolens fortasse mandare Theologo, ut obiret officium suum, ne Theologus ipse id a Canonicis postularet, ut suis Lectionibus interessent, quemadmodum disertis hisce verbis sancitur in Aurelianensi Constitutione: „ In qualibet Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata servetur Theologiæ Doctori Præbenda, cujus provisiones ab „ Archiepiscopo, vel ab Episcopo obtineat, vel a „ Capitulo; ea lege, ut concionetur, & Dei verbum annuntiet, die quoque Dominico, Festisque solemnibus; cæteris autem diebus edat & „ prosequatur ter in hebdomada publicam sacræ „ Scripturæ Lectionem, & Canonici interesse teneantur, aliter distributionibus suis privandi ".

Quoad quintam, Episcopus Capellarum in Cathedrali Ecclesia existentium Titularibus mandare potest, ut sibi suas provisiones exhibeant, imprimis ii, qui in eadem Ecclesia obtinent Beneficia duo, præsertim ex eorum genere, quæ dicuntur uniformia. Vide *cap. Litteras, de concessione Præbend. l.* 3. *tit.* 8. & Glossam in ea verba *Vacare noscatur*, & in ea *Ex consuetudine* eodem capite; Rebuffum pariter in *Concord. de Mandato Apostolico §. & ut obvietur p.* 625. sub finem; Altaseram in idem caput, & in illud *De multa, de Præbendis & Dignitatibus*; Fagnanum in Cap. *Litteras n.* 24. *& seqq.* Solus Pontifex dispensare potest, ut Beneficia uniformia in eadem Ecclesia possideantur; quia nempe id generalis Lateranensis Concilii sub Alexandro III. Constitutioni adversatur. Cum porro dubitari possit, Capellanos, de quibus agitur, ejusmodi dispensatione gaudere; Episcopus, ad eos quod attinet, Concordati regulam sequi debet *tit. de pacificis possessoribus*, ubi hæc habentur: *Monemus etiam Ordinarios, ut diligenter inquirant, ne quis sine titulo Beneficium possideat; & si quem sine titulo Beneficium possidere reperrerint, declarent illi jus non competere, cujusvis temporis detentione non obstante.*

II. Potest Episcopus ab iis petere titulos fundationis Beneficiorum, quæ possident, ut eorumdem obligationes cognoscat; quod si facere detrectaverint, contendentes ad id se non teneri, eos Juris rationibus adigere potest; at si se excusent, ajentes, eos titulos sibi suppetere, vel periisse, mandare potest, ut eos inquirant, & intra certum tempus producant. Ac si quos absque ullo onere Beneficia possidere compererit, potest provisionis gratia præcipere, ut tot numero Missas celebrandas curent, vel ipsi celebrent, quot Beneficiorum proventui respondere visæ fuerint, quoad fundationis titulos exhibuerint; quia nempe cum admodum raro fiat, ut Beneficia nullum aliud onus adjunctum habeant, quam quod generale est, & in sola officii recitatione consistit, ea de quibus est sermo, ejusmodi esse non est ita facile judicandum. Verum in id genus negotiis Titularis est, proprium jus firmo fundamento fulcire, exhibitis propriis titulis; cum enim eos supprimere possit, ut a suis se oneribus eximat, non est necesse, ut credatur titulos habere, dum nullos ostendit.

III. Episcopus Capellas inveniens, quibus ex longo tempore Titularium negligentia servitium non exhibetur, alios statim Titulares nominare non potest, sed cum eos appellaverit, audieritque, ipsis mandare debet, ut oneribus, quibus eorum Capellæ subjectæ sunt, satisfaciant; & in casu negligentiæ, inobedientiæ, & inexecutionis rerum, quibus obstricti sunt, in eos agere potest, atque adeo Beneficiis eosdem privare; tum vero iis Beneficiis utpote vacantibus provideretur a Patronis, & Collatoribus ordinariis, siquidem ipse eorum Collator pleno jure non fuerit; ac si Patroni minime nominaverint, poterit ipse juxta Ecclesiæ regulas Beneficiis iis providere.

Quoad sextam, Episcopus Capituli sui Visitationem instituens nec Vicarium Generalem, nec vero Officialem sibi comites addere debet, cum neuter nisi tanquam Canonicus in Capitulo adesse debeat, siquidem illi ejusmodi sint; illi quippe ei auctoritate omni in cursu visitationis pollenti inutiles forent; quod si qua peragenda sit inquisitio, Promotorem secum habere debet; sed cum non agetur nisi de correctione, quæ non fiat *via contentiosa*, inutilis est Promotoris præsentia.

Quoad quæstionem septimam, Episcopus in Visitationis indictione omnes Cathedralis suæ Beneficiatos convocare potest, eos quoque, qui Capellas cum simplici Tonsura possident, quique *in habitu* adesse tenentur; at non id ei consilii datur, ut statim in deficientes Censuras contorqueat; iis tamen mandare debet, ut titulos afferant, e quibus de eorum Beneficiorum oneribus, ut par est, cognoscat.

Quoad octavam, Visitationis consecutio est Chori puerorum educationis, eorumque in Christianæ Religionis dogmatis institutionis cognitio.

Quoad nonam, Capitulum, quippe quod in Chorum œconomica Jurisdictione donatum est, Cantores suos recipiendi & corrigendi jus obtinet, prout ad quæstionem tertiam responsum est. Quod si Cantores Presbyteri sint, aut in sacris Ordinibus constituti, in aliam Diœcesim absque Episcoporum suorum *Exeat* recipi nequaquam debent, cum extra propriam Diœcesim absque Ordinarii licentia suis Ordinibus fungi nequeant; at si Cantores hi Laici fuerint, non immerito statui potest, ne recipiantur Ecclesiæ operam præstituri, nisi Capitulorum, quibus antea deservierint, testimoniales de vita & moribus Litteras secum attulerint.

Quoad decimam, appellationes tanquam abusus ad Tribunal illud, in cujus ditione partes existunt, ex communi regula deferuntur; verum in hac facti specie Episcopus videndum mandare potest, an cum Jurisdictionis negotium in Magno Consilio dijudicatum fuerit, hoc quoque, quod illud consequitur, ad idem Consilium spectare debeat. Favorabilius res esse videtur, multoque magis, quod ad illud ejusmodi negotia identidem remittuntur.

Quoad

Quoad undecimam respondetur, Ecclesias esse permultas, in quibus Sacrosanctum Sacramentum haud in majori Altari servatur, ac par esse, nihil in more post hominum memoriam servato mutari. Jam ad Visitationem quod attinet ejus Parochiæ, quæ in Cathedralis Magna Capella administratur, ita occurritur

Quæstioni primæ; Episcopum statuere posse, ut in eo spirituali regimine Vicarius perpetuus instituatur, de medio sublatis Vicariis amovibilibus, & mercede conductis, idque ex Cap. *Præcipimus*, 25. q. 2. & ex Abrinensi Concilio sub Alexandro III. cujus Decreto 4. statuitur, ut *Ecclesiæ Vicariis annuis non permittantur*, & Decreto 7. *Ecclesiæ ad firmam non tradantur*. Praxis hæc in Turonensi Concilio sub Alexandro eodem III. enorme quid appellatur, eamque Rescriptorum Jurisprudentia omnino proscribit. Ad Vicariam perpetuam non poterit pleno jure Episcopus providere, sed præsentatio ad Capitulum pertinebit. Ita docet Prosper Fagnanus 2. *part. l.* 1. *Decretal. Ad cap. cum Ecclesia vulterana n.* 37. *Fallit septimo*, inquit hic Canonista, *in Vicariis perpetuis Cathedralium Ecclesiarum; nam præsentatio pertinet ad Capitulum, & institutio ad Episcopum C. De Monachis supra de Præb. & c. 5. de Capellis Monach. & patet ex constitutione Pii quinti*, quæ incipit: *Ad exequendum in §. volumus; ubi statuitur, ut Vicarii perpetui non ad liberam Ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesiis ponentur, cum ipsorum Ordinariorum, seu eorum Vicariorum prævio examine & approbatione deputentur.* Vetus hic mos est, ut apparet ex Lateranensi Concilio IV. relato *L.* 3. *Decretal. de Præb. & Dignit. C. Extirpandæ*, ubi præcipitur, ut qui Præbendam vel Dignitatem, cui Parochia unita est, obtinet, *in ipsa Parochiali Ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere Vicarium canonice institutum*. Quod Janus a Costa explicat in hunc modum: *Id est qui ab eo, qui Dignitatem vel Præbendam habet, præsentatus sit Episcopo, vel ab eo institutus in Ecclesia Parochiali*. Oxoniense Concilium an. 1222. & Salisburgense an. 1274. id ipsum apertis verbis pronuntiant, prius quidem *cap.* 17. posterius vero *cap.* 10. Sed id quidem nobis plurimi faciendum est, quod Parisiensis Senatus hanc regulam secutus est, quoties de ejusmodi negotiis judicandis eidem se occasio obtulit, ut intelligimus ex Rescriptis, quæ edidit haud ita pridem inter Carnutensem Episcopum, ujusque Capitulum, quod jussum fuit ei præsentare Vicarium perpetuum ad maximi momenti Parochiam, Carnutensi in Urbe existentem, & a Capitulo demandari solitam Canonicorum uni, qui ei Parochialium proventuum certam quotannis summam reddebat; atque ex Rescripto edito inter Edmum Imbertum Doctorem Sorbonicum, & Lingonense Capitulum, quod Vicario amovibili, non nihil ceræ Lingonensi Ecclesiæ soluturo ejusdem Urbis Parochiam committebat; quo quidem Rescripto censuit Senatus expedire, ut generalem regulam ederet, quæ omnia Capitula complecteretur. Ita enim loquitur: „ Mandat præterea, „ ut tam Lingonense Capitulum, quam cætera „ omnia Capitula, & Communitates intra Jurisdi- „ ctionis fines, quarum Mensis Parochiæ unitæ sunt, „ hujus Rescripti vi præsentent Diœcesanis Episco- „ pis eos, quibus eædem Parochiæ conferantur, & ad id „ temporalium proventuum præsentatione compel- „ lantur; secus, atque id ni faxint, vacantes & im- „ petrabiles easdem Parochias declarat, statuitque, „ ut iisdem ab Episcopis provideatur ". Rescriptum hoc die 23. Februarii an. 1664. editum est, quod aliud super hac gemina difficultate contra Claramontii Capitulum anteverterat.

Ad quæstionem alteram respondetur non eamdem ubique, sed longe aliam quoad Parochos primitivos, & quoad Vicarios perpetuos praxim occurrere. Sunt Ecclesiæ, in quibus Parochus primitivus præcipuorum anni Festorum dierum oblationes obtinet, in aliis earum maximam partem percipit, dicique potest tantam fere consuetudinum varietatem esse, quanta Ecclesiarum est; sed omnes varias praxes communi Jure minime niti, cumque ex peculiari jure pendeant, ex iis proinde certam regulam duci non posse pro Vicaria, quæ nondum instituta est, quæque ad commune jus est exigenda, quemadmodum in Carnutensi & Lingonensi Parochiis servatum est, quarum Vicarii perpetui Ecclesiarum suarum oblationibus gaudent, quin ullam earum partem Capitulis reddant. Et hæc quidem regula adeo certa est, ut Louet, allatis Rescriptis compluribus, tanquam prorsus indubitatum pronuntiet, Vicarios perpetuos, quibus congruæ pensiones tribuuntur, præter pensionem, oblationes obtinere debere; ita quippe animadvertit Littera D. *Pariter Presbyterium & hortus, fundationes & distributiones pro precibus, & novalia non censentur æstimatione portionis congruæ, perinde atque oblationes*. Ita & Pastor *lib.* 3. *de Beneficiis tit.* 46. *n.* 13. ubi Magni Consilii mentem declarat in congruæ pensionis negotio: *Hodie*, inquit, *in Gallia ex Arrestis Magni Consilii, querela Vicariorum pro supplementis pensionis congruæ non admittuntur, si portio eorum ascendat ad summam ducentarum libellarum, non computatis incertis oblationibus.*

Quamobrem nisi Capitulum, de quo agitur, peculiari aliquo titulo a communi jure eximatur, & a Carnutensi ac Lingonensi Capitulis distinguatur, nihil esse videtur, cur ab eorum exemplo recedat, nec Vicario perpetuo ad ejus præsentationem in hac Parochia instituendo oblationes relinquat.

Quod autem eidem quæstioni insertum est, an scilicet hoc negotium, si forte in judicium deducatur, ad Magnum Consilium deferri possit; respondetur, id admodum difficile factu fore, nisi privilegium aliquod præsto sit, quippe cum quæstio hæc stricto jure Magni Consilii Rescripti consectario non sit.

Quod spectat ad quæstionem tertiam, Vicariam perpetuam potest Episcopus instituere ad Promotoris postulationem, non eam petentibus Parochianis; sed ita tamen, ut antea super hoc peculiari negotio Capitulum auditum fuerit.

Decisum in Sorbona hac die 18. Martii an. 1676.
Aug. *De Lamet.*

Visitatio Canonicissarum Remiremontii.

C A S U S II.

1. *Canonicissarum Remiremontii Præbendæ sunt veri nominis Beneficia.*
2. *Hujus Ecclesiæ Canonicissæ iis Constitutionibus se subdere debent, quas Apostolici Visitatores ad rectum ordinem restituendum nominatim ediderant.*
3. *Canonicatus hos Simoniacis rationibus obtineri non licet.*
4. *Possunt hæ Canonicissæ ad Pontificem summum confugere, ut servent saeculares habitus, quos extra Ecclesiam deferunt; ita tamen, ut, ablegato luxu, modestiæ studeant.*

QUÆSITUM.

Ecclesia S. Petri Remiremontii Collegiata sæcularis Puellarum est, quæ, ut in Capitulum recipiantur, sint oportet, ex Familiis patris & matris nobilitate gaudentibus, id quod non secus ac Comites S. Joannis Lugdonensis probare debent. Semper in more positum fuit, ut in dictum Capitulum cooptarentur, quæcumque accessissent sedes vacantes occupaturæ, nulla patriæ ratione habita, modo cæteroqui qualitatibus juxta eorum Statuta requisitis ornatæ essent; ut proinde ex 60. vel 80. Matronis, quibus Capitulum constat, ex omnibus Nationibus adsint.

Constat ex hujus Ecclesiæ veteribus monumentis hanc olim Ordinis S. Benedicti Abbatiam fuisse; sed cum sæcularem formam in ejusmodi Matronis sæculorum multorum spatio Pontifices passi fuerint, easque tanquam sæculares spectaverint; de iis in pristinum statum restituendis non est quæstio.

Ecclesia R. quamvis in Diœcesi I. sita sit, ab Episcopi tamen jurisdictione non pendet, & sanctæ Sedi immediate subjecta est.

Præter sexaginta, vel octuaginta, quas diximus, Canonicissas est Abbatissa, quæ earum Caput est, suntque præcipuæ Ministræ numero quinque, videlicer

.ne abſentis, & a Matronis Capituli, lecto Reſponſo Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Abbatiſſæ ſuper electione facta die poſtrema Februarii loci & congregationis Capituli ad ſuorum adverſus ipſam negotiorum deliberationem; Declarant illæ ſe ſervare, & perſiſtere in ſua electione, ob rationes in dictæ electionis Actu commemoratas; nec ſe porro refragatas eſſe Decreto undecimo, aut Sententiæ compromiſſoriæ, adeoque conſilia in dicto electo loco inita fore Capitularia; mandantes Notariæ, vel ejus Commiſſo, ut officium ſuam exeqnatut, & Declatationem noſtram in Acta refetat.

Alius Actus Capitularis.

In Dei nomine, notorium ſit omnibus, in Urbe R. in Eccleſia S. Petri die 27. menſis Auguſti, Veſpetarum hota, an. milleſimo ſexcenteſimo decimo nono, Pontificatus Sancti Patris noſtri Papæ Pauli V. anno decimo quinto, Indictione ſecunda, coram Notario, & Tabellione ſubſctipto, & teſtibus infra nominatis, præſentem ipſam Reverendam Dominam Dominam Eliſabetham *de Luxb.* Matronam ejuſdem Eccleſiæ, de commiſſione, & expreſſa juſſione Illuſtriſſimæ ac Reverendiſſimæ Principiſſæ Catharinæ L. Abbatiſſæ ejuſdem Eccleſiæ S. Petri Ordinis S. Benedicti, convetſo ſermone ad Reverendam Dominam Claudiam *de Fr.* dictæ Eccleſiæ. Decanam, tam ſuo, quam cæterarum Reverendatum Dominarum ſibi adbærentium nomine, te ipſa, & quoad verborum vim ei dixiſſe, quod ſequitur: Cum Domina Illuſtriſſima & Reverendiſſima Principiſſa Abbariſſa tua nunc temporis abſens audierit, Reverendam Dominam Huguettam *de Trot.* contendere appræbendare in hac Eccleſia Puellam Henrichettam *d'Art*; & quamvis dicta Illuſtriſſima Principiſſa eam intetpellaverit, rogaritque, ut in tali Appræbendatione ſervandas curatet ſolemnes formulas in Decretis Viſitationis & Sententiæ arbitrariæ Tripolini Epiſcopi requiſitas, & nominatim curaret legitime convocandum, congregandumque Capitulum conſueto loco, eo illam admittendum, qui ad Notariatus officium à Pontifice commiſſus fuit, eam Appiæbendationem, ut par eſt, coram dicta Domina indicendam, matura ac ſolemniter deliberandum ſuper inſtituendæ perſonæ præſentatione, extractione, & genere ejus, quæ Appræbendanda foret, ut innoteſceret, an quicpiam deficeret, & generatim præſtandum, quicquid requiritur, interventu perſonarum, quæ ad omnium ſolemnitatum obſetvantiam ſunt neceſſariæ; nihilominus dicta Domina nón receſſiſſet ab urgenda dicta Appræbendatione; ac licet tu, tanquam Decana, & Veterana in dicta Eccleſia, cum aliis Matronis tibi adhærentibus, ejus actionis defectus & vitia ſatis ſuperque cognoſcas, audivit Illnſtriſſima Principiſſa, non obſtantibus iis evidentibus nullitatibus, adeo ejus juri & auctoritati petnicioſis, te tamen ad ejuſmodi Actum progredi, ut proinde ipſa cogatur te inquirere, & interpellare, quemadmodum ego ejns nomine facio, ut a tali actione deſiſtas, nec ulterius procedas, niſi ſervatis iis, quæ in ſolemni & legitima Appræbendatione ſervanda ſunt, & quidem coram perſonis, quæ intereſſe debent, atque adeo dicta Illuſtriſſimá Domina, & poſtquam ſatis viſum, cognitum, & delibetatum fuerit ſuper habilitate & inhabilitate perſonæ præſentatæ; & ſuper ejus origine; alitet proteſtarar illa, quicqnid actum fuerit, nullum fore, ſeque uſutam auctoritate & jure ſibi competente in ejuſmodi caſu, ſive quoad proviſionem Præbendæ, quam in dictam Puellam *d'Art.* transferi libuerit, ſive aliter prout ei de jure & ex cauſa faciendum videbitur; cujus proteſtationis Mattona ipſa L. dicto nomine, poſtulavit poſtulatque Actum & inſtrumentum, ut inde opportuno & tempore & loco appareat, quid juris, quod ei uſurpatum eſt, ſalvis omnibus juribus: quemadmodum dicta Revetenda Domina Decana ejus exemplum petiit, ut ei teſponderet, quod ſcripto præſtitit, & dictum Notarium vehementer rogavit, ut huic Actui Reſponſum idem inſereret, quod ad verbum ejuſmodi eſt: Nos Domina Decana dicimus, & reſpondemus, ſupet interpellatione, quam tu mea Conſobrina L. mihi exhibes, Dominæ Principiſſæ Illuſtriſſimæ Abbstiſſæ Eccleſiæ noſtræ, nos nec poſſe nec debere Puellæ *d'Art.* Appræbendationem differte, cum a nobis requiſirum fuerit, ut fuit, coram Notario, ut ulterius progrederemur, poſtquam etiam cognovimus omnes cæremonias eſſentiales in ejuſmodi caſu exacte in Capitulo ſervatas fuiſſe, ex tenote & præſcripto ſententiæ arbitrariæ Reverendiſſimi Epiſcopi Tripolinis, & ſingillatim ea Actu diei 5. menſis hujus nobis conſtiterit, Dominam Illuſtriſſimam Abbatiſſam rite & recte commonefactam fuiſſe ante ejus receſſum de propoſitione facta dictæ Puellæ in Capitulo a Reverenda Domina Huguetta *de Trot.* dictæ Eccleſiæ Matrona, quin dictæ admonitionis tempore, vel intra dies quindecim ſubſequentes dicta Domina Illuſtriſſima ullam legitimam cauſam produxerit ſeu contra perſonam dictæ Puellæ, quam ipſa reſidere vidit hoc in loco R. per quatuor & amplius annos apud conſanguineam ſuam ejuſdem Eccleſiæ Matronam, ſeu contra ejus originem, & extractionem, agnationibus & ſtemmatis ei jam exhibitis, ut ex dicto Actu compertum ſit; poſt quam propoſitionem dicta Matrona *de Trot.* cum expectaſſet diebus octo, præter dierum quindecim dilationem, nominationem inſtituit dictæ Puellæ in Capitulo legitime per nos convocato, in quo Matronis omnibus integrum dicti Capituli Corpus conſtituentibus, commiſimus ad officium Notatiæ, quoad ſua Sanctitas jus dixerit pro Notaria in Capite; poſt maturam deliberationem dicta nominatim recepta eſt, remiſſis lineis nondum jurejurando firmatis fidei & jurisjurando Eqaitum juxta veterem conſuetudinem. Er ſane vides, mea Conſobrina, Matronis omnibus hic præſentibus in id conſentientibus, & te excepta, quæ voce cares, utpote neptis, & ſola adhærens Dominæ Illuſtriſſimæ, me proinde non poſſe, quin pro nullis habeam perquiſitiones, & poteſtationes, quas tu mihi ejus nomine intentas, & ita requirente Capitulo, progrediar ulterius, tum ad Equitis, qui juraturus aſtat, jusjurandum recipiendum, tum ad cooptandam dictam Puellam tanquam de more, quippe quod ad nos ſpectet eo titulo, quem poſſidemus. Quare proteſtamur totius Capituli nomine & conſenſu nullas eſſe dictas requiſitiones, proteſtariones, & molimina, quæ Illuſtriſſima Domina, aut alia ejus juſſu, facere contenderet in præjudicium jurium, quibus nos Decana, & Capitulum gaudemus, & antiqui motis Præbendarum noſtrarum, cui nos proteſtamur non conſtanres fore contra & in omnes, ad quos pertinebit, pro jure & auctoritate, qua pollemus, cui rei nos Actum requiſivimus, ut inſerviret & valeret ad id, quod juris. Factum id. requiſitum, & poſtulatam, anno, die, loco, Indictione, & Pontificatu ut ſupra: præſentibus Dominis Antonio Homobono Architecto, Cive dicti R. & Claudio Lordino pariter Architecto, ibidem degente, teſtibus.

Alius Actus Capitularis.

In locum Capituli hac die 17. Jannarii an. 1620. Dominis Decana, & Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ & ſæcularis R. ibidem congregatis die conſueto Capituli, pervenit Domina *de Cler.* Matrona ejuſdem Eccleſiæ, quæ ad Dominam Decanam converſa, eam ira ſere allocuta eſt: „ Domina, hic adſum te „ monitura tam Dominæ menrem eſſe, ut interſis „ Capitulo, quod illa habere conſuevit ad Appræ„ bendandum “. Cui Domina Decana reſpondit dicti Capituli nomine, ſe quidem eſſe in loco Capitulariter & per authenticum Actum electo ad Congregationes, & Capitula conſueta, neque alias a ſe agnoſci, ſe porro mirari Dominam Illuſtriſſimam velle Appræbendare, cum nulla ſit elapſa Præbenda, abſque Capituli notitia; quod ſi dicta Domina Illuſtriſſima quicquam aggreſſa fuerit vel hac in re, vel in aliis adverſus dictæ Eccleſiæ antiqua Statuta, & Sententiam compromiſſoriam, proteſtantur ipſæ Dominæ ea nunc ut tunc nullum fore, quicquid ita factum fuerint, ſeque eo, quo ſpectabit, & ſin-

rem deducturas, & singillatim exacturas contra dictam Dominam Illustrissimam pœnam appositam Compromisso, ac cæterum sibi consulturas omnibus & melioribus modis, quibus poterunt & debebunt, &c.

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod vidit, & expendit accurate propositam facti speciem, & omnia monumenta eodem spectantia, censet, Decreta, quæ Adriæ Episcopus edidit in consecutionem Visitationis Ecclesiæ sæcularis & Collegiatæ S. Petri R. quæ Cardinales Mellini, Lancellotus, & Senensis omnino executioni mandata voluerunt, & quæ sua Santitas Judicio suo confirmavit ab Abbatissa, ejusque Capitulo recipienda esse; & quod inde consequitur, quicquid Episcopus Tripolinus in executionem dictorum Decretorum egit; Abbatissam tanquam dictæ Ecclesiæ Caput omni sua auctoritate uti debere, ut iis pareatur, nec potuisse Appellatione, quæ facta contenditur, eorum executionem suspendi, cum agatur de Visitatione, cujus Constitutiones gaudent peculiari privilegio, & provisionis gratia executioni mandari debent.

Expressa sunt in hanc rem Tridentinæ Synodi veba *Sess. 24. cap. 10. Nec in his*, inquit Sancta Synodus, *ubi de visitatione, aut morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela etiam ad sedem Apostolicam interposita executionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, quoquo modo impediat, aut suspendat.*

Matronam R. ejusque Capitulum non modo teneri Decretis se subdere, quæ Cardinales a Papa Paulo V. commissi judicarunt omnino executioni mandanda esse, sed iis quoque, quæ deinde addita essent, & de quibus Tripolitanus Episcopus ea Sententia, quam edidit, pronuntiavit.

I. Quia Prælatus hic non egit in hoc negotio nisi postquam Abbatissa & Canonicissæ eum ut Executorem Apostolicum habuerunt, atque adeo in consecutionem Compromissi, quo illæ receperunt sub pœna Lotharingicorum decem mille francorum se perfecturas, quicquid ille super iis additis articulis statuisset.

II. Hæ Matronæ id, quod per Compromissum egerant, confirmarunt, cum ad eumdem Judicem accesserunt interpretationis causa nonnullorum articulorum Sententiæ arbitrariæ, quam ille ediderat die ultima Maji an. 1616. qua in re exhibuit ille Judicium suum suamque interpellationem, ut apparet ex Actu diei 17. Junii an. 1617.

Certe constat, partes huic Sententiæ se subdidisse, eique tanquam decisivo Judicio, & tanquam Legi adhæsisse. Evidentem probationem suppeditant Acta Capitularia 3. Martii an. 1617. 27. Augusti an. 1619. 17. Januarii an. 1626 nec apparet eas ullius Superioris auctoritate solutas fuisse.

Itaque Innocentius III. olim judicavit Sententiam Arbitrariam servandam esse *c. Cum tempore, extra. de arbitris. Quia legitime Constitit*, inquit hic Pontifex, *quod fide hinc inde data compromissum est in Archiepiscopum memoratum, nos arbitrium ab ipso prolatum decernimus observandum.* Idem statuitur *C. Dilecti* eodem titulo, Innocentius *loco cit. n. 4. de jurejurando.*

Hac de causa Sacra Rota spectavit Sententiam hanc tanquam Constitutionem a Capitulo R. servandam, & tanquam Legem decisivam in contestatione ad ipsam delata, occasione Præbendæ, quæ Dominæ *St.* a Domina Cath. L. tanquam vacans collata fuit; his porro verbis utitur Rota, ut ejus Præbendæ vacationem statuat: *Quod autem dicta Præbenda vacaret, satis patet ex ordinatione Visitatoris Apostolici, & confirmatione Episcopi Tripolitani Executoris, & Compromissarii, in qua fuit dispositum, ne Canonicæ possint retinere ultra tres Præbendas, alias vacarent ipso facto.*

Addi & illud potest, Sententiam hanc arbitrariam a Paulo V. confirmatum fuisse. Id sibi persuadere possunt Subscripti ex Epistola autographa Em. Cardinalis B. quæ ipsis exhibita est, ad Tripolinum Episcopum data die 5. Novembris an. 1616. In ea postquam significavit, læto animo audivisse Pontificem, Abbatissam & Canonicissas erga Sanctitatem suam observantiam longe maximam testatas esse, receptis Decretis iis, quorum executionis procuratio ipsi Tripolino Episcopo demandata fuerat, tum monet visum quoque esse Pontifici, ut quæ ipse privatim ediderat, servarentur, quoad ea intimius expendenda curasset; ac si præ negotiis, quibus distinebatur, hoc ad exitum perducere non posset, ei liceret, executorem, qui ejus rei curam susciperet, nominare; e *quanto a i Decreti*, sunt hæc Epistolæ verba, *fatti da V. S. finche si consideranno, e si pegli resoluzione da sua Santità di quello che devrà observare, la Santità sua per quelleche confida nella prudenza o zelo di lei, si contenta che in tanto si mettino in execuzione, o di darli facoltà di poter deputar persona particolare, quando non possa intervenirvi per se stessa.*

Quod ad Corinthi Episcopum spectat, censetur id, quod sub hujus Responsionis initium dictum est, satis ostendere subscriptorum Sententiam super executionis verbali Judicio, quod hic Prælatus edidit vi Brevis Gregorii XV. die 25. Februarii an. 1622. quo ei mandat Pontifex, ut R. servanda curet ea, quæ sub ejus Prædecessore statuta fuerant.

Non recessit Urbanus VIII. ab hac agendi ratione; eum enim Decana & Canonicissæ ad eum confugissent adversus id, quod Corinthi Archiepiscopus egerat, remisit ille, iis postulantibus, verbale Judicium subdendum examini Cardinalium Mellini & Muti, quorum posterior in eorum locum suffectus fuerat, qui e vivis excesserant, & contestationem cum eodem Cardinali Mellino Pauli V. tempore dijudicaverant.

Hi duo Cardinales, auditis partibus, solemni Judicio die 27. Junii an. 1625. edito confirmarunt, quicquid sub Paulo V. gestum fuerat, suoque Judicio inseruerunt Decreta omnia, quæ omnino servari volebant, quæque ea ipsa esse pronuntiant, quæ in Ecclesia R. servanda esse sub Paulo V. judicatum fuerat; hæc sunt eorum verba: *Quæ omnia & singula præinserta & prænarrata Decreta sunt illa, quæ fuerunt per nos Joannem Garsiam Cardinalem Mellinum, & bonæ memoriæ Cardinales Senensem & Lancellotum a felicis recordationis Paulo Papa V. super executione eorum supradictorum deputatos approbata.* Apparet ex hoc Judicio Corinthi Archiepiscopum in hoc negotio nihil egisse, quod non antea ab his Cardinalibus decretum statutumque fuisset; & quod inde fit consequens, Canonicissarum Appellationem satis firmo fundamento nixam non fuisse; rationesque, quas dicuntur afferre, ut a Decretis Cardinalium Judicio insertis, & Tripolitani Episcopi Constitutionibus servandis se se eximant, vim nullam habere, nec recipiendas esse.

I. Subscriptis non innotescere Dominam Cath. L. Abbatissam R. appellasse a Decretis visitationis Adriensis Episcopi, vel a Sententia arbitraria, quam Tripolitanus Episcopus edidit; quin potius ipsis videri Matronam hanc de eorum obtinenda confirmatione apprime sollicitam fuisse, ut apparet ex Judicio, quod, ea postulante, ediderunt Cardinales super Decanæ & Canonicissarum Appellatione a Corinthii Archiepiscopi Constitutionibus.

II. Sed ut verum esset Principissam hanc appellasse, ejus tamen Appellatio suspensivum effectum habere non posset, quoniam ipsa in Decretorum executionem consenserat, & Rota confirmaverat, quod ab Adriensi & Tripolitano Episcopis factum fuerat; & Cardinales Mellini & Muti tanquam Pontificis Commissarii idem egerant quoad articulos, quos omnino servandos esse judicatum fuerat, prout rogaverat Dom. Cath. L.

Penes Capituli Caput, ac penes eos, easve, quibus componitur, non est potestas mutandi pro arbitratu disciplinam contradictorie institutam Judicio Visitatoris Apostolici, & confirmatam a tanti ponderis Superiore, quanti summus est Pontifex, & præsertim post contestationem, super qua extitit contradictorium judicium cum causæ cognitione editum.

III. Est sane, quamobrem Pontifex, ut supra declaratum est, arbitrariam Sententiam approbasse censeatur.

IV. Veritati quidem consonum esse, Decanam & Canonicissas ab eo appellasse, quod Corinthius Archiepiscopus tanquam Visitator & Executor Apostolicus

postolicus egerat; sed cum vero quoque congruere eas apud eos ipsos Judiees, quos a Pontifice sibi petierant, litem amisisse.

V. Canonicissæ R. duohus modis spectari possunt, I. Quoad ea, quæ ipsis cum Brabantiæ, Lotharingiæ, & Germaniæ Canonicissis aliis sæcularibus communia sunt; II. quoad ea, quæ sunt earum propria, primitivæ earum iostitutionis ratione. Quocumque autem modo spectentur, certum prorsus est, earum Præbendas Ecclesiastica bona esse a Fundatorihus & ah Episcopo, qui Ecclesiam hanc consecravit, ad eorum, earumve, a quibus divinum officium psallendum esset, subsistentiam dustinata.

Res est iis omnibus nota, qui Jus Canonicum vel e limine salutaverint, Ecclesiam non nisi ex Episcopi conseosu statui potuisse, neqne ejus consucrationem peragi consuevisse; oisi cum satis dotis haberet ad suam ipsius, suorumque Ministrorum sustentationem. Expressa est in hanc rem Juris dispositio 1. q. 2. c. *Placuit: Hoc tamen unusquisque Episcoporum meminerit, ut prius non dedicet Ecclesiam, nisi ante dotem Basilicæ, & obsequium ipsius per donationem cartulæ confirmatam accipiat: nam non levis culpa est ista temeritas, ut sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui servituri sunt, tanquam domus privata consecretur Ecclesia*. Quod ipsum confirmatur *cap. Præ. 16. q. 7. c. Nemo de consecrat. dist.* 1. & *Authent. Coll.* 5. *tit.* 22. nt proinde vere prountiari possit utrumque Jus, Canonicum & Civile in hujus regulæ confirmationem conspirasse. Quamobrem magni nominis Cardinalis, qui suh Innocentio III. florebat, Jacobus scilicet *de Vitry* in sua Occidentis Historia eap. *de irregularitate Canonicorum sæcularium*, Canonicissarum sæcularium proventus Christi Domini patrimonium appellat, ut nos doceat ea hona Deo consecrata esse, nec tanquam Laicalia bona esse spectanda, quoniam earum Ecclesiæ non alia de causa fundatæ fuerunt, quam ut illæ ibidem deservirent, canerentque quotidie divinas laudes: *Quædam autem ex istis*, de Canonicissis sæcularihus loquitur, *postquam diebus plurimis de Christi patrimonio vixerunt, relictis Præbendis, & Ecclesiis, charioribus sibi personis matrimonio copulantur, & filios filiasque procreantes matresfamilias efficiuntur*.

At si fundatio S. Petri R. a Sancto Romarico edita perpendatur, compertum fiet, hoc olim Ordinis S. Benedicti Monasterium fuisse, ut animadvertit Episcopus Adriæ suarum Visitationis Constitutionnm Articulo 36. quod deinde in arhitraria Sententia Tripolitanus Episcopus confirmavit. Neque vero ullam verisimilitudinis speciem habet Prælatos hos duos id tam fidenter pronuntiasse, quin Monasterii Titulos, ac vetera monumenta cumulatissime expenderint; hinc videmus Patres Dacherium & Mahillonium non satis habere, dum de hac Familia verha faciunt *tom.* 2. *Act. Sanctorum Ordinis S. Benedicti*, de S. Romarico singillatim loquentes ostendere Ecclesiam R. ex eorum Ordine fuisse ex articulis Visitationis horum, quos diximus, Episcoporum, sed etiam afferre Titulos tres, & eos quidem gravissimos. Primus Titulus occurrit in Bulla Hadriani Papæ an. 1257. in qua de Abbatissæ electione loquens mandat, ut fiat de communi Sororum consensu juxta Dei timorem, & S. Benedicti Regnlam; Titulus alter ejusmodi est; an. 1287. Decana, & omne Monasterium Ordinis S. Benedicti promissionem cdunt tum pro se tum pro iis, quæ sibi succedent, suæque Religionis fide sese obstringunt; tertius titulus occurrit an. 1480. quo hujus familiæ puellæ duæ sumunt qualitatem Monialium Ecclesiæ Conventualis, & Monasterii R.

Probationes hæ luculentissime evincunt hona Remiremontii, quod olim Monasterium erat, non nisi Ecclesiastica bona esse posse; ut proinde, quocumque modo hæ Matronæ spectentur, vel ab ipsarum exordio, vel postquam earum Abbatia ad Canonicissas sæculares devenit, ejusdem Abbatiæ bona profana & laicalia nunquam extiterint; & nunquam jure contendi possit eadem bona divino servitio consecrata non esse, & Canonicissas tanquam communibus & consuetis bonis iis uti posse.

Si ergo ejusmodi reditus Ecclesiastici sint, Pontifex, qui hujus Ecclesiæ immediatus Superior est, jus obtinet edendi Constitutiones per se ipsum aut per suos Delegatos super ejusmodi bonorum usu atque administratione, & impediendi, quominus una eademque puella Præbendas plures possideat, suaque cupiditate atque avaritia impediat numerum Canonicissarum, quæ Deo in hac Ecclesia deservire deberent. Cum enim Fundatorum voluntas quoad numerum Titularium, quos ad Ecclesiarum servitium instituerunt, non aliunde melius cognosci possit, quam ex portionum & Præbendarum numero; si fundationis actus, aut aliquis alius æquivalens titulus hac de re mentionem non facit, ad Superiores spectat, eum numerum, quoad fieri per eos potest, & quantum temporis circumstantiæ sinunt, custodire. Itaque Adriensis Episcopus a Pontifice missus ad ea omnina sancienda, quæ in Ecclesia R. necessaria forent, nihil egit, quod ejus potestatem excederet, cum hanc in una eademque persona Præbendarum congeriem improhavit.

Neque vero est, quod expendatur, an hæ Præbendæ sint Beneficia, necne, quoniam non id agitur, ut cognoscatur, quænam Fundatoram voluntas fuerit, aut pariter ao Pontifices pro varia temporum ratione aliquam in iis mutationem ediderint, vel quid nunc temporis fieri posset, ut ad primam institutionem, quam proxime fieri posset, accederetur. Certum quippe firmumque est, Fundatorum voluntatem magni semper faciendam esse, & Prælatos ei plurimum deferre debere, Doctorum sententia; & in ejusmodi negotiis S. Gregorii Regulam Decreto 33. *q.* 9. *c.* 1. relatam servaodam esse: *Omnibus modis Ecclesiasticæ disciplinæ vel moderationi conveniens est, ut quæ rationabiliter ordinata fuerunt, nulla in posterum debeant refragatione turbari*.

Ita se gessit Adriensis Episcopus, cum pugnavit, quin una tantum Canonicissa Præbendas quinque obtineret, easque redegit ad tres, id quod unum facere poterat, habita ratione temporis & temporalis status ejus Ecclesiæ.

At si asseratur ejusmodi Præbendas Beneficia esse, longe minor occurrit difficultas; jam vero sententia hæc confirmatur in Jure *C. Dilectis de majorit. & obedientia*, ubi Præbendæ hæ a Papa Honorio III. Beneficia nuncupantur: *Dilecta in Christo filia Abbatissa Bubrigens transmissa nobis petitione monstravit, cum ipsa plerumque Canonicas suas & Clericos Jurisdictioni suæ subjectos, propter inobedientias & culpas eorum Officio Beneficioque suspendat*. Et hac quidem de causa Adriensis ac Tripolitanus Episcopi tanta cum sollicitudine in id incubuerunt; ut adimerent ejusmodi Præbendarum obtinendarum rationes eas, quæ Canonicæ non sunt, quæque proinde tanquam simoniacæ prohibentur in Jure, atque adeo gravissime acerrimeque damnantur, hujusmodi sunt emptiones, conventiones, transactiones; & generatim quicquid a Jure non approbatur: *Volentes*, inquit Episcopus Adriæ art. 44. Decretorum suæ Visitationis, *abusus omnes tollere, qui circa hujus Ecclesiæ Præbendas hactenus irrepserunt, & iis, qui induci possunt, obviare, intendentesque omnes confidentiales & simoniacas labes, & pravitates penitus eradicare; ideo illicitas pactiones, conventiones, transactiones pro Præbendis vel Beneficiis consequendis omnino prohibemus & interdicimus, decernentes, quod si persona aliqua per se vel per alium vendendo, emendo, vel aliter contractando de Præbenda vel Præbendis confidentiam commiserit, præter excommunicationem & reatus pœnam, quam incurrit, ad illam, seu ad illas, vel quamcumque aliam Præbendam consequendam sit ipso facto reddita inhabilis & indigna; & si tali modo confidentiali & simoniaco Præbendam obtinuerit, eadem privari de facto debeat*. Quod si adversus Decretum hoc, quod evincit eas Præbendas ab hoc Prælato tanquam Beneficia spectata esse, perfugium ex eo quæratur, quod Cardinales Commissarii articulum hunc sub Paulo V. ad trutinam revocarunt; defensionem hanc nullis roboris esse facile probari potest, quoniam Tripolitanus Episcopus, cujus Decreta, ut supra ostensum est, non probari non possunt, in eadem sententia fuit, ut ex eo liquet, quod in eodem negotio statuit, id quod non minorem vim habet in hoc articulo, quam quod super Præbendarum vacatione definiit, quodque firmatum

fuit

fuit Decreto Rotæ, cujus auctoritas est magni ponderis in iis quæstionibus, in quibus agitur de Monasterii stata determinando. Disecta sunt verba Sententiæ Tripolitani Præsulis, ex quibus apparet, illum simoniæ loco in Canonicissarum R. Præbendis habuisse, quicquid ut tale in cæteris Beneficiis a Jure spectatur: „ Interdicimus, inquit, & „ volumus sub pœnis Canonicis omne pactum illicitum, conventiones, transactiones, tractatus, venditiones, emptiones, similesque contractus Simoniacos in nominatione & appræbendatione interdictos „ esse “. Id ipsum animo reputantes Cardinales Commissarii sub Pontificibus Paulo V. & Urbano VIII. probarunt Constitutionum Visitationis Adriensis Episcopi articulum 50. qui statuit, ut ne Amitis Neptes suas apprebendare liceat, nisi accedente Pontificis consensu & approbatione: *Quibus neptibus sic apprebendatis, supposito semper quod hujusmodi apprebendatio a summo Pontifice approbetur*. Porro si ejusmodi Præbendæ & Canonicatus Beneficiorum loco non habebantur, nil causæ erat, cur ad eas apprebendationes Apostolicæ Sedis auctoritas requireretur; quod argumentum est, Commissarios idem prorsus ac Visitatores a Romana Curia missos sensisse. Itaque apparet ex dictis, eos omnes, quorum opera Pontifices usi sunt ad Cap. R. reformandum, ejusque disciplinam redintegrandam, una eademque ratione de hoc negotio judicasse, & in ea fuisse sententia, ut crederent, Canonicatus illos esse veri nominis Beneficia, & Canonicissas sæculares Cleri partem conficere. Addi & illud potest, Canonicissas sæculares tanquam personas Ecclesiasticas a Conciliis habitas fuisse, ut liquet ex *C. Indemnitatib. in 6. de electione & electi potestate §. Supradicta*, & ex *Clementina*, *Attendentes de statu Monachorum*. Hæc Felini sententia est in *Cap. Dilecta de majoritate & obedient*. Prosper Fagnanus, qui Canonicissarum sæcularium institutum perfecte callebat, non solum ex libris, qui de ejusmodi rebus agunt, verum etiam quia in Germania diu multumque versatus fuerat, eamdem opinionem tuetur in *cap. Nullus, de foro competenti n. 56. & 59.*

Ad habitus rationem quod attinet, censentur Canonicissæ R. a Pontifice petere posse, ut sibi liceat in veteri more persistere, & vestitus, qui non amplius a sæculari differt, consuetam formam servare, ut in Canonicissarum sæcularium, in Lotharingia, in Belgio, in Germania existentium Collegiis omnibus in more positum est; ea quidem conditione, ut a vestibus fastum & magnificentiam ablegent, & in iis studeant modestiæ, quam servabant Canonicissæ, de quibus loquitur Jacobus de Vitry, & quarum moderationem tantum commendat, quantum earum excessum vituperat, quæ pretiosis insignibusque indumentis, & vanis sæculi ornamentis emicare inter cæteras contendebant, ajentes se gradum suum externa ea specie tueri, eas vero, quæ ad ejusmodi fastum se se abripi non paterentur, generia sui nobilitatem inopia amplitudinem deturpare, & claritatem inobscurare; *Si aliqua inter eas pallio, humilitatis causa, uti præsumeret, miseram & abjectam eam vocantes, tantum nobilitatis suæ dedecus nulla ratione sustinerent*. Sed longe alia erat hujus inclyti Cardinalis sententia, qui de posterioribus, quæ de humilitate ac virtute, adeoque de propria salute sollicitæ pravo aliorum exemplo fractæ non fuerant, & inter pericula se Deo fideles servaverant, ita pronuntiat: *Quamplures etiam inter eas commorantes agnovimus, quæ cum omni humilitate & castitate salutem animarum suarum studiose procurantes tanto Deo magis acceptabiles extiterunt, quanto in igne posita non arserunt*.

Decisum Parisiis die 3. Julii an. 1685.
Subscripti A. De Lamet. G. De Lestocq.
A. Faure. Franc. Feu. T. Roulant.
Piro. Courcier.

VITIUM LIBIDINIS.

CASUS.

1 *Graves Viri libidines satis justa causa sunt, cur uxor thori & bonorum separationem petat*.
2 *Præsertim vero, si timendum sit, ne familiæ fama lædatur, si ille in Principis manus incidat*.
3 *Id consilii capiendum est, ut comprehendatur*.

QUÆSITUM.

Uxoratus annos natus 29. cui ex matrimonio duo filii sunt, postquam omnia sua bona dissipavit in ludo, cum fœminis, & in cauponis, deprædari cœpit, jamque satis deliquit, ut, si capiatur, puniri possit.

Quæritur, an ejus uxor diuturna experientia de ejus correctione & conversione desperans, reputansque ipsum momentis prope singulis perillustris familiæ famam in discrimen adducere, possit tuta conscientia corporis & bonorum separationem petere, atque an universa familia conjunctis cum eadem uxore viribus auctoritatem suam impendere possit, ut ille ultra maria asportetur, & quidem non amplius rediturus.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ Subscriptum existimat Uxorem in proposita facti specie posse & corpore & bonis se a viro sejungere, non solum allatis de causis, sed etiam ne ipsa ejus præposteris consiliis favere censeatur, ejusque furtorum particeps videatur; at non apparet, quo jure, quave auctoritate hæc eadem uxor, & reliqua hujus flagitiosi hominis familia possit eumdem invitum ultra maria in exilium agere.

Uxori quidem certe id juris non competit; Judex vero id non præcipiet, quæcumque supplicationes eidem exhibeantur; quinimmo si ei de hoc consilio constiterit, id potius gravium pœnarum metu vetaret.

Illud quoque in dubio est, an Princeps interposititus sit auctoritatem suam, ut ille ultra maria relegetur. Itaque remedium hoc a Justitiæ, & Potestatum moribus alienum est.

Ex alia parte si ille ex eorum est numero, qui pudorem omnem abjecerunt, quocumque demum amandetur, non redibit ad bonam frugem; immo potius est, cur timeatur, ne deterior etiam evadat, pravoque exemplo Christifideles, quibuscum versabitur, a recto tramite detorqueat, eosque Infidelium odio magis obnoxios, & Religionem magis contemptibilem reddat. Cæterum illud esset prorsus insuetatum, Uxorem, quæ vi suæ conditionis a viro pendere debet, suam auctoritatem impendere, ut ille ultra maria ejiciatur, quin, non nisi ea consentiente, redire possit.

. Nimis sane exponerentur viri uxorum arbitratui; id quod gravibus incommodis causam præbere posset.

Aliam a familia oporteret rationem quæri, ad impediendam infamiam, quam ex hujus hominis licentia sibi imminere sentit, & publicam punitionem, qua Judex in ipsum, si furari perstiterit, animadvertet, antevertendam. Nempe curare posset, ut ad tempus aliquod in Monasterio S. Lazari, aut alibi detineretur, quod ita correctus melior evaderet. Quod si id fieri nequit, id unum superest, ut rogetur etiam atque etiam Deus, ut bonam mentem eidem tribuat. Interea temporis uxor thori & bonorum separationem obtinere debet.

Decisum hac die 28. Aprilis an. 1701.
G. *Fromageau*.

UNIO

UNIO BENEFICIORUM.

UNionis nomen vocabulum est Ecclesiasticæ Jurisprudentiæ, in qua sæpe de Beneficiorum Unione agitur; atque inter Doctores convenit ejusmodi unionem alienationem esse, quæ sine formulis ad Ecclesiæ bonorum alienationem præscriptis fieri non potest. Ac re quidem ipsa temporis lapsu Beneficia perire possunt Ecclesiarum destructione, ac redituum dissipatione. Si reditus vigeat, quamvis ædificium ipsum dirutum sit, ut in bene multis Ruralibus Capellis accidit, in aliam Ecclesiam, ut in proximiorem Parochiam servitium transferri debet; quod si reditus pars tantum superfit, quemadmodum sæpius fit, alicui alii Beneficii titulo uniatur necesse est. Unionis igitur causæ sunt necessitas, vel utilitas.

Si Infidelium incursus adeo Urbem everterit, ut vel nulli amplius ibidem Christifideles sint, (a) vel longe pauciores, quam ut Episcopum occupent, Episcopatus hic propiori addendus erit. Id non semel in Italia præstitit S. Gregorius, Longobardorum bellis grassantibus. Eadem est pro rata parte Parochiæ ratio; & ea quidem vetus erat regula, ut quæ decem familiis instructa esset, ad Presbyterum occupandum sufficere censeretur. Satis est ad unionem instituendam utilitas; cum Parochia, exempli causa, non satis reditus obtinet, ut idonei Presbyteri congruæ sustentationi par sit, ei Capella, vel aliquod aliud Beneficium simplex uniri potest; cumque tenuiores Præbendæ sunt, earum numerus imminui potest, ut ita, qui supererunt, Canonici cum dignitate subsistant. Atque hæ legitimæ causæ sunt; Tridentina (b) porro Synodus subreptitias atque obreptitias uniones, nimirum eas, quæ sine legitimis causis, apud Ordinarium firmatis, postquam ii, quorum interest, acciti fuerint, editæ sunt, nullas declarat.

Laxioribus quidem temporibus, unionis, quæ sine causa seu gratiosa erat, genus aliud irrepsit; ut nempe Pontifex, vel Episcopi ipsi Beneficia citra necessitatem unirent, ea una de causa ut Episcopi, verbi gratia, seu Capituli proventum augerent. Quia vero uniones hæ collationum & gratiarum numerum imminuebant, excogitatæ sunt uniones ad tempus, ut, quoad viveret Cardinalis, cui Pontifex ita plura Beneficia hoc unionis titulo conferebat; & unio quidem, eo moriente, evanescebat. Tridentina Synodus (c) uniones ad mortem usque penitus abolevit, ac statuit, ut uniones perpetuæ ante annos quadraginta institutæ ab Ordinariis ad trutinam revocarentur, atque ita an per subreptionem necne impetratæ essent, cognosceretur; in posterum autem nulla prorsus unio sine legitima causa fieret; itaque gratiosas uniones de medio funditus sustulit.

Ex communi regula uniones legitimas etiam regularium Beneficiorum instituere potest Episcopus; non item dignitates infra Episcopum constitutæ. Si de uniendis Episcopatibus, vel de Beneficio Episcopali Mensæ uniendo agatur, id quidem ex Jure novo solus Pontifex præstare potest. Verum ille absque Episcopi consensu nequit unionem edere; id in Gallia non ferretur omnino. Porro unio hæc non sine accurata causæ cognitione facienda est. Convocandæ sunt omnes partes, quarum interest, ut Parochiani, Collatores, Patroni; invisenda loca, videndum de commodo & incommodo, quidque Ecclesiæ utilius sit, expendendum. Jam vero semper animarum sollicitudo præfertur; adeoque non est unius Parochiæ titulus supprimendus, nisi ut Parochiæ alteri uniatur; implendaque semper est, quantum fieri potest, Fundatoris intentio. Monasterium uniri non debet, dum ibidem conventualitas atque observantia subsistunt; Præbendæ vero non debent ad tam exiguum numerum redigi, ut servitium cum dignitate peragi nequeat. Hospitalitati, vel eleemosynis, quæ erogari consueverant, unio nequaquam nocere debet. Nec magis variarum Diœceseon Beneficia uniri possunt.

Plurium Beneficiorum unio trifariam fit; alia quippe est accessionis unio, alia confusionis, æqualitatis alia. Omnium usitatissima est accessionis unio, cujus vi Beneficium præcipuum suum titulum retinet, Beneficium autem unitum evadit illius membrum, & quoddam quasi accessorium. Si ejusmodi membrum Parochia sit, ibi Vicarius perpetuus est instituendus. Per confusionis unionem fit, ut, ambobus suppressis titulis, novus erectur. In æqualitatis demum unione titulus uterque subsistit, sed æqualis & independens, ea tantum lege, ut uterque semper & simul, & uni eidemque personæ conferatur. Minime favorabiles uniones sunt, utpote cum communi jure pugnantes; itaque semper fiunt, alterius jure salvo & incolumi remanente.

Si Beneficiorum, quæ uniuntur, alterutrum pensione oneratum sit, ea quidem per unionem minime tollitur, quippe quæ fructibus, qui semper existunt, affecta est. In Beneficiorum non ad unum Patronatum spectantium unionibus, extinctione tituli de medio tollitur Patronatus, qui ad existentem Patronum migrat; atque ita cum unio citra tituli extinctionem peracta est, sua cuique Ecclesiæ privilegia servantur. Nunquam dignioris unio fit minus digno, causisque contrariis dirimi ac solvi potest, rebus videlicet in integrum restitutis.

In Aurelianensi Constitutione art. 16. mandatur, ut Prælati juxta sancta Decreta ad Beneficiorum unionem, decimarumque, atque aliorum Ecclesiasticorum redituum distributionem deveniant, quo Parochi sine excusatione propriis officiis vacare possint. Et articulo 22. statuitur, ut Episcopi non sine debita causæ cognitione, & juxta formas a Conciliis præscriptas Ecclesiis Parochialibus, ad Parochi subsistentiam satis proventuum non habentibus alia Beneficia, Parochias, vel non Parochias unire, atque ad decimarum, aliorumque Ecclesiasticorum redituum distributionem progredi possint. Concinit Edictum Melodunense articulo vigesimo septimo.

Vide (BENEFICIUM.
(EPISCOPUS.

(a) Greg. lib. 5. Epist. 5. 10. q. 3. c. unic. 3. ex can. conc. Tolet. XVI. c. 4.

(b) Concil. Trid. sess. 8. c. 6. & sess. 24. c. 15.
(c) Idem, Sess. 7. cap. 4. an. 1547. & sess. 24. c. 17.

Parochia una alteri unita.

C A S U S I.

1 *Abbas Parochiæ Dominus, cujus Ecclesia diruta est, non potest ejus reditum sibi sumere, demandata ejusdem cura Parocho proximo, citra Episcopi auctoritatem,*

2 *Si hujus Parochiæ titulus servari, atque Ecclesia redintegrari non potest, unienda est proximiori & commodiori Parochiæ.*

QUÆSITUM.

PArochialem Ecclesiam collapsam Incolæ restituere non potuerunt; Abbas Commendatarius, tum quoad spiritualia, tum quoad temporalia loci Dominus, sibi Parochiales reditus vindicavit, & ut eidem Parochiæ servitium præstandum curaret, egit, vel Incolis repugnantibus, cum Parocho proximo, quadraginta libras annuas pro ejus opera stipulatus.

Quæritur, idne liceat, atque an Abbas æque ac Parochus in conscientia tuti sint?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, Abbatem Parochiæ, (a) de qua quæstio est, reditus sibi sumere non potuisse, & causam subesse, cur ex eo perceptorum fructuum restitutio petatur, ut inde percepta pecunia ad Ecclesiæ redintegrationem conferatur, tanquam bonum ad eam pertinens, Titularis defectu, præsertim cum eo ipso reditu fortasse Fabrica contineatur (b).

Abbatem, proximumque Parochum conventionem, de qua in Expositione dictum est, stipulari non potuisse; Abbatem (c) ipsum non posse hujus Parochiæ, cujus non amplius Titularis existit, Populum alteri Parocho tribuere ac demandare; facultatem porro hanc ad unum Episcopum pertinere, cujus unius est animarum curam in sua Diœcesi committere. Quamobrem ut Abbas hic ejusdem Ecclesiæ Patronus esset, egisset potestatis expers; ac si Episcopi auctoritas nequaquam interfuit, Deserviens in ejusmodi Parochianos nulla gaudet Jurisdictione. Quod si certo constet, Ecclesiam nec præcipui Decimatoris, nec Habitantium contributione reparari posse; si Patronus eam restituere nolit; si nemo denique unus sit, qui Patronatus jus, ea redintegrata, acquirere velit: nullum aliud remedium afferri potest, quam ut ea Parochia uniatur proximiori, atque Incolis commodiori; tum vero dirutæ Ecclesiæ bona ad eam, cui unietur, devenient. Sed ad extremum remedium hoc tum solum veniendum est, cum demum compertum fuerit, nihil eorum, quæ dicta sunt, aut aliquid aliud adhiberi posse, ne scilicet extingui necesse sit Beneficium apprime utile saluti Populi, cujus fortasse remittetur pietas, quod sibi noverit opus est, ut ad dissitam Ecclesiam se conferat, quodque non desit periculum, ne qui pueri sine baptismate, aliique sine confessione moriantur ob Ecclesiæ, in qua Sacramenta quærenda erunt, longinquitatem.

Decisum Parisiis hac die 14. Decembris an. 1678.

Aug. *de Lamet*.

Prioratus Collegio in aliena Diœcesi posito unitus.

C A S U S II.

1 *Diœcesis unius Beneficium alterius Diœcesis Collegio uniri potest, dummodo omnes formulæ requisitæ serventur.*

2 *Ad firmandam stipulationem, in qua Collegium se summam annuam ei loco soluturum promisit, ad quem Beneficii reditus pertinet, opus est summi Pontificis auctoritate.*

QUÆSITUM.

QUidam Prioratum possidet pendentem a Collatore Regulari Sancti Victoris in Rutenorum Diœcesi; eum Collegio Societatis Jesu Montispessulani unire vult, retento, quoad vixerit, omni reditu. Attamen convenit, unione facta, Collegium loco fructuum Beneficii quotannis certam pecuniæ vim daturum, nempe 4200. libras, omnibus deductis oneribus. Interrogat Prior, an hæc conventio ab omni simoniæ labe vacare possit? Consultus magni nominis Advocatus respondit, tametsi Tridentina Synodus (d) uniones has Beneficiorum Diœceseon aliarum damnet, *ne ordo Ecclesiasticus confundatur*; eas ipsas tamen Rescriptorum Jurisprudentia firmari. Necesse est igitur, ut Rutenorum Episcopus, in cujus Diœcesi existit Beneficium, quod Montispessulani Collegio uniri contenditur, commissionem rogatoriam expediat ad Officialem Montispessulani, ubi Collegium positum est, *ad informandum de commodo & incommodo*, ac deinde vocentur ii, quorum interest, & Collator huic unioni consentiat. Tum vero Rutenorum Episcopus Decretum edet, cujus vi Collegio Beneficium unietur.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum addit Advocati, de quo in Expositione dictum est, Consultationi, Prioratum Collegio, de quo agitur, uniri posse, dummodo formulæ in hac facti specie necessariæ serventur, & appellandi appellentur. Sed quod attinet ad conventionem certæ summæ loco fructuum Beneficii quotannis tribuendæ, præsertim si ea summa proventum excedat, eam fere solus Pontifex firmare potest; & ad eum confugiendum est, ut ab omni simonia conventio eadem purgetur.

Decisum Parisiis hac die . . . . Julii an. 1705.

G. *Fromageau*.

Parochia Collegio unita.

C A S U S III.

1 *Collegio Parochiam uniri repugnat Tridentinæ Synodi disciplinæ.*

2 *Si graves causæ ejusmodi unionem postulent, in ea saltem omnes conventiones simoniacæ vitandæ sunt.*

QUÆSITUM.

ROgantur humillime Sorbonæ Doctores, ut super insequentibus difficultatibus exhibeant sententiam suam. Quæritur ergo,

I. An unio Parochiæ Collegio in Episcopi manu fieri possit, atque an Parochianorum consensus sit absolute necessarius?

II. An Collegium possit Beneficium fundare, & Capitulo, quod Parochiæ conferendæ jus obtinebat, ejus nominationem relinquere, ut ei compensetur ejusmodi Juris jactura?

III. An Collegium eadem de causa possit ducentarum librarum pensionem remittere, quam ei Præceptorialis causa Capitulum solvit?

IV. Inter has compensandi Capituli rationes an non utrique parti magis accommodata videtur Beneficii fundatio?

Re-

(a) Vide articulum 52. Blesensis Constitutionis.

(b) Innocentius Gravius de Ecclesiisæ dificandis & reparandis p. 30.

(c) Louet Litt. O. p. 677. ibidem pp. 884. 885. 886. 887. 888, & 889.

(d) Concil. Trid. sess. 24. cap. 9. de reform. cap. Unice de excessib. Præbend. non est ad hanc facti speciem, quamvis fere citetur: ibi enim tantum improbatur unio facta sine Episcopi consensu, ut ex ejus verbis liquet. Vide Tom. II. Ephemeridum Aulæ p. 762.

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Beneficiorum unionem non sine evidenti Ecclesiæ necessitate vel utilitate instituendam esse, ut ex Cap. *Exposuisti* (a) licet intelligi: *si evideas necessitas aut utilitas Ecclesiæ exigat*, inquit Honorius III. hoc loco. Porro non ostenditur, in proposita facti specie Ecclesiæ bonum requirere, ut ea Parochia Collegio, de quo agitur, uniatur.

Advetsatur præterea talis unio Tridentinæ Synodi disciplinæ; *Ecclesia Parochiales*, inquit Synodus, *Monasteriis quibuscumque aut Abbatiis, seu Dignitatibus, seu Præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut Hospitalibus, Militiisve uniantur.* Disciplinam hanc nmplexa est Ecclesia Gallicana in Statibus Blesensibus art. 23.

Denique Beneficium nnitus alteri Beneficio, vel saltem alicui sei, quæ spititalis & Ecclesiastica censeatur. Porro Collegium, in quo pueri ad omnia ptomiscue vitæ genera instituuntur, tamquam Domus Ecclesiastica spectari nequit; multoque magis ad Laicalem & Sæcularem statum pertinet.

Si bæc unio minime fiat, nihil erit, quod ex Parochianis expostuletur; Quod si fiat, de jure quidem non est necessarius eorum consensus, quia scilicet unio debitis subsidiis eos privare non potest, cum absolute hecesse sit, iis Pastorem præsto esse. Nihilominus, Rebuffi (b) sententia, Parochiani appellari possunt, ut innotescat, an quicquam sit nec ne, quod illi non immerito adversus ejusmodi unionem proponant.

II. Collegium, ut unionem perficiat, obtineatque, non potest Beneficium fundere, & Capitulo ejus Patronatum telinquere, nt conferendæ Parochiæ jus, quo gaudebat, compensetur; ob id imprimis, quia per temporale, quod hujns Beneficii fundandi gratia Collegium traderet, exigeret aliquid spirituale, nempe jus conferendæ Parochiæ; quod vitiosum esset, & contra mentem Capitis, *Taa nos*, quod ejusmodi conventionem tanquam simoniacam proscribit.

III. Ob eamdem causam Collegium Capitulo cedere nequit id, quod ob Præceptoriale munus percipit, quia ita spiritualis res per temporalem compensaretur.

IV. Non est spectandnm, quid magis contrahentibus conguat, sed quid Ecclesiæ regnlis consonum sit; porso repugnat Ecclesiæ regulis, Collegio Parocbiam uniri. Quod si graves unionis causæ subessent, posset ex Pontificis approbatione creari modica pensio in Capituli bonum, quæ scilicet argumentum solummodo esset ac nota juris, quo antea unionem gaudebat, Parochiæ videlicet conferendæ; possent etiam Capitulo quædam honorifica jura concedi, prout Episcopo videretur, quin ulla inter partes conventio intercederet.

Decisnm in Sorbona die 23. Augusti an. 1698.
C. Fromageau.
Charton.

Beneficium simplex unitum Collegio.

CASUS IV.

1 *Episcopus Collegio Beneficium unire non potest, nisi unionem bane necessariam reddat evideas Ecclesiæ utilitas.*

2 *Qui Beneficium simplex, Seminario vel alteri Communitati uniendum cedit, potest sibi fructus omnes, quoad vixerit, reservare.*

QUÆSITUM.

Petrus Titularis & possessor Beneficii simplicis, cujus plena collatio ad Episcopum pertinet, inibi est, nt illud in Episcopi manu resignet, seu dimittat, uniendum Diœcesis Collegio, ea conditione, ut ipse post unionem omnibus Beneficii fructibus & reditibus gaudeat. Sed ante quam, quod proponitur, executioni mandetur, duo quærit ex Sarbonæ Doctotibus;

Primum est, an Episcopus in Collegii, quod ejus Episcopale Seminarium est, favorem possit eam dimissionem tecipere?

Alterum est, an Petrus tuta conscientia toto vitæ suæ tempore omnibus Beneficii fructibus ac reditibus frui possit, vi concessionis, quæ ipsi per unionis conventionem tribuetur?

Affirmantem partem id confitmat, quod quamvis Episcopi resignationem in privati hominis favorem recipere non possint, possunt tamen in Corporis & Communitatis favorem, ratione boni publici, quod inde provenit; præsertim cum bene, multi Galliarum Episcopi unierint Beneficia Communitatibus, quæ eorum Seminaris non erant, *etiam retentis fructibus*, in resiguantis favorem.

Pars negans eo nititur fundamento, quod ratio, quæ non patitur resignationem in privati hominis favorem ab Episcopis recipi, ea est, quia conditio, quæ occurrit, simoniam sapit, ac non nisi a summo Pontifice purgari potest; id autem juris eidem congruere nemo est, qui neget. Et quoniam hæc eadem conditio æque adest in iis dimissiunibus, aut tesignationibus, quæ in Episcopi manu in Communitatis favorem fiunt, atque in aliis, quæ ad privatum hominem spectant; videtur proinde non magis illos, quam has recipiendi Episcopo jus congtuere; publicum autem bonum haud tanti ponderis videtur esse, nt purget, quicquid in ejusmodi stipulationibus vitiosum est. Quid? Quod in hac facti specie Resignans, quod aliquid majus est, omnium proventuum fruitionem sibi reservat; cum enim hæc ipsa reservatio magis, quam prior, vitiosa sit; videtur ea quidem opus babere auctoritate sane majore, quam quæ est Episcopi, ut approbetur.

Responsio.

Cousilum Conscientiæ subscriptum censet, Beneficiorum unionem instituendam non esse, nisi adsit Ecclesiæ evidens necessitas, vel utilitas, ex Cap. *Exposuisti*, ex Tridentino Concilio, ex Blesensiam Statuum Constitutione; quæ singula in præcedenti casu allata sunt.

Quod si Juventus in Collegio, de quo agitur, in Ecclesiastici status spem alitur, illud tanqnam Seminarium spectari potest; jam vero Episcopus jus obtinet nniendi Seminario Beneficia simplicia, & quod inde consequitur, Beneficium Petri, eique omnes fructus relinquete *causa unionis*; at si Collegium hoc non nisi purum putumque Collegium est, ibique Juvenes non magis ad Clericalem, quam ad quemvis alium statum instituuntur; Episcopus huic Domui Petri Beneficium unire non debet; quia cum Collegia ex terum temporalium, in quibus spititale nihil occurrit, numero sint, valde absonum foret extingui (c) Beneficium, cujns spiritualis titulus est, ut ejus proventus in temporaoeos & profanos nsus converterentur.

Ab Episcopis Beneficia propriis Seminariis uniri posse ex Tridentina Synodo liquido coastat. Ab iisdem Episcopis (d) Beneficia aliis quoque locis ad Religionis & Ecclesiæ bonum uniri posse appatet ex Cap. *sicut unire de excess. Prælat.* & ex eodem Concilio.

Episcopus firmare potest in unionis casu pensionem in ejus gratiam, qui Beneficium suum abdicat, ut Comunitati, vel alteri Beneficio uniatur; quia nempe cum Jus uniendi facultatem Episcopo tribuat, ei proinde permittit, ut approbet firmerque pensionem, quæ unioni facilius obtinendæ deservit: *Concesso aliquo, veniunt & ea, sine quibus non*, inquit Fevretus (e).

Ad omnium Beneficii fructuum resetvationem quod attinet, ea quidem abusiva esset, si resignatio in privati hominis favorem fieret; at non ita

(a) Cap. Exposuisti de Præbendis & Dignitatibus.
(b) Rebuffus: Glossa n. de unione n. 12.
(c) Fevret tract. de abusu lib. 3. c. 4. n. 30.

(d) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 18. de Reformat. & Sess. 21. cap. 5. de Reform.
(e) Fevret lib. 2. c. 5. n. 5.

res habet, cum quæstio est de omnibus Beneficii fructibus in alimentorum formam Titulari reservandis, ut alicui Communitati illud uniatur, per extinctionem Tituli, hæc Fevreti loco laudato, & (a) Luetii sententia est.

Ut concludatur: Si Petsi Beficium Collegio uniri Religionis & Ecclesiæ bono utile atque adeo necessarium est, eam transigere potest Episcopus non sine clausulis & conditionibus indigitatis; quia porro ejusmodi necessitas vel utilitas non apparet, non censetur Episcopus eam posse instituere.

Decisum Parisiis hac die 17. Junii an. 1697.
G. Fromageau.

Prioratus Benedictinis Anglis unitus.

CASUS V.

1 *Officialis a summo Pontifice nominatus, ut Benedictinorum Anglorum Domui Prioratum simplicem uniat, commissionem suam excedendi, eidemque Prioratui nova onera imponendi jus omnino non obtinet.*

2 *Ne latum quidem unguem recedere debet a Pontificis Bulla, quæ declarat, quænam ejus potestas sit, quæque onera Prioratus ferre debeat.*

QUÆSITUM.

Pater Joseph Shirburnus Generalis Benedictinorum Anglorum, & Prior titularis Sancti Stephani *de Choisy au Bacq*, seu *du Bacq* Suessionensis Diœcesis, scuta annua prope mille percipiens, deductis oneribus, Prioratum hunc in Romana Curia resignavit, ut Benedictinorum Anglorum Parisiis in S. Jacobi Suburbio institutorum Conventuali Mensæ uniretur. Unionis ea est ratio seu causa, ut scilicet necessitatibus prospiciatur Monasterii Parisiensis, quod fundatum non est, & in quo Religiosi in eum finem educantur, ut in Angliam profecti *possint in Domino tum ipsos hæreticos ad orthodoxæ fidei puritatem, & S. R. Ecclesiæ gremium reducere, tum vero gementes sub perversitatis hæreticæ jugo catholici gregis reliquias in christiana Religione confovere*, &c.

Edita Bulla committit Pontifex Officialem Suessionensem, ut deveniat ad unionem dicti Prioratus, qui pronuntiatur *Cura & Conventu carens, personalemque residentiam non requirens*; mandatque, ut ne tituli suppressio fiat nisi ea conditione, ut hi Benedictini iis omnibus oneribus subsint, quibuscumque dictus Prioratus obstrinctus fuerit. Onera porro sunt hæc, ut Missæ diebus Festis & Dominicis celebrentur, perferatur quotannis visitatio Abbatis, seu Prioris S. Medardi, a quo pendet idem Prioratus, perficiantur necessariæ reparationes, parentur ornamenta, & luminaria, &c.

Officialis Suessionensis commissus, ut ad unionem procederet, accivit omnes, quorum intererat, Episcopum Suessionensem, Abbatem & Religiosos S. Medardi, & loci Incolas in eorum Syndici persona.

Assensum suum præbuit Episcopus, ea lege, ut aliquot tritici minæ in pauperes erogarentur.

Assensus est Abbas, ut certa sibi ac Successoribus opera exhiberetur; Religiosi, ut sibi solverentur centum pensionis libræ; atque Incolæ ea lege, ut quotidiana Missa celebraretur.

Peractis Actis omnibus, & de commodo & incommodo inquisitione confecta, nihil aliud superest, quam ut unionis Decretum pronuntietur; sed ante Officialis exigit I. Ut Religiosi quatuor, & ex iis duo saltem Sacerdotio insigniti in dicto Prioratu resideant, divinoque Servitio vacent; idque propterea, quod Historicus nescio quis memoriæ prodiderit Prioratum quondam Monasterium fuisse, adeoque oportere ibidem Religiosos aliquot detineri, qui divinum Servitium persolvant. II. Ut ibi Missæ tres anniversariæ celebrentur, quia nempe Reges tres in Prioratum sepulti sunt, & Religiosi tres nummos aureos iis diebus in pauperes erogent. III. Ut quotannis tritici modium distribuant loci incolis, ut Dominici Natalis diebus Festis se se sustentent.

Rogatur Conscientiæ Consilium, ut decidat, an Officialis addere possit eas conditiones Prioratus unioni, quam Pontifex Benedictinorum Anglorum Domui concedit; ac siquidem eas addiderit, quæ demum ratio adversus ejus judicium ineunda sit?

RESPONSIO.

Consilium subscriptum, quod propositam facti speciem expendit, atque adeo Bullam legit, in qua Pontifex ad unionem dicti Prioratus *de Choisy* Suessionensem Officialem committit, existimat, Officialem hunc unionis Decreto onera, quæ supra declarata sunt, addere nec posse nec debere; eumque, si ita se gerat, potestatem sibi concessam excedere, ut proinde per appellationem simplicem adiri possit Officialis Remensis, qui Metropolitanus est, quique Parisiensem Domum ab omnibus hisce oneribus eximet.

Ratio est, quia Commissionis suæ terminos prætergredi Officialis non debet; atqui Pontifex Prioratus unionem approbans non alias conditiones imponit, quam ut consuetis atque inveteratis oneribus satisfiat; itaque non id habet in animo, ut unionis prætextu nova onera Prioratui imponantur.

Accedit & ratio altera, quia nempe eo tendunt hæc onera, ut unionis gratiam & effectum evertant. Per unionem quippe voluit Pontifex, ut fructus ac reditus Prioratus *de Choisy* deinceps inservire possent alendis Religiosis Benedictinis Angliæ, Parisiensem Communitatem constituentibus, & in Angliam Missionis gratia profecturis. Porro eluditur finis hic, dum Officialis Suessionensis Religiosorum quatuor Choisy residentium victui ac subsistentiæ majorem partem redituum Prioratus addicit. Officialis autem prætextus haud satis firmo fundamento niti videtur; si enim ait Conventualem olim Prioratum fuisse, ac proinde necesse esse, ut ibidem Religiosi sint, aperte refragatur Declarationi Regiæ diei 6. Maji an. 1680. prohibentis Conventualitatum restitutionem in iis Prioratibus, in quibus non amplius existit, nisi adsint regularia loca, ac proventus, qui decem aut duodecim Religiosis alendis sufficiant. Jam vero nihil horum occurrit in Prioratu *de Choisy*, videnturque a ducentis & amplius annis nec Religiosi prorsus ibidem nec Communitas extitisse, adeoque ejusmodi Prioratum non immerito simplicem dictum fuisse. Ad alia onera quod attinet, nihil occurrit causæ, quamobrem instituantur; uno verbo Prioratus post unionem non aliis oneribus subesse debet, quam quibus antea suberat, atque ut summum iis, de quibus ii, quorum intererat, convenerunt, ut ad unionem pervenirent, quæque perinde ac priora in Decreto exprimenda sunt.

Decisum Parisiis hac die 28. Novembris an. 1685.
A. De Lamet.

Innocentii XI. Bulla pro uniendo Prioratu *de Choisy-au-Bacq* Benedictinis Anglis, de quibus in decisione dictum est.

Innocentius Episcopus, Servus servorum Dei, Dilecto filio Officiali venerabilis Fratris nostri Episcopi Suessionensis salutem & Apostolicam benedictionem. Inter cunctas sollicitudines nostras, quibus pastorale munus premit, officium & debitum Apostolicæ servitutis astringit, illa debet esse præcipua, ut dominicus grex nobis superna dispositione commissus, non solum in salutis via manu teneatur, sed si aliqua illius pars a vera veritatis semita declinaverit, quod fieri poterit, reducatur; propterea que ejusdem officii nostri partes libentissime interponi mandamus, ut exinde sperati fructus colligantur. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Superioris, & Monachorum Monasterii, seu Domus Regularis Sancti Edmundi Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Anglicanæ petitio continebat, quod cum extet in Suburbiis Sancti Jacobi nuncupatis Parisiensibus Monaste-

(a) Louet verb. Pensio num. 31.

nasterium, seu Domus Regularis Sancti Edmundi Ordinis Sancti Benedicti Congregationis Anglicanæ, ad quod seu quam pridem in florentissimo alias Angliæ Regno, grassante, & ennta uttiusque omnes Catholicos debacchante hæresi, inter alios ad evitandas effrænatæ pravitatis heterodoxæ persecutiones, ipso Regno exulare coacti nonnulli Monachi Ordinem prædictum profitentes, concurrente ad id Regis Christianissimi zelo & permissione se receperunt, ibique piorum eleemosynis adjuti vixerunt & vivunt; ac sub suavi regularis disciplinæ jugo, Altissimo noctu diuque famulantes, ad eas se accingunt missiones, quas in illud Regnum ablegati & exerceri per eos identidem contingit, ut possint in Domino tum ipsos hæreticos ad orthodoxæ fidei puritatem & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ gremium reducere, tum vero gementes sub perversitatis hæreticæ jugo Catholici gregis reliquias in Christiana Religione consovare, & sublevare solatiis spiritualibus, eisque prout necessitas exigit, ac vires & occasiones suppetunt, Ecclesiastica Sacramenta administrare: sed quia sicut eadem petitio subjungebat Monasterum seu Domus ejusmodi nullos aut paucos habens reditus sola fere piorum Benefactorum subvantione subsistere dignoscitur, ac nimia verisimiliter formidandum est, ne frigescente charitate & deficientibus mediis sanctum hujusmodi institutum deseratur, & missiones prædictæ destitutæ intermittantur maximo divini cultus, sanctæque Ecclesiæ Dei & vetorum ejus Filiorum præjudicio, damno, & dolore. Ea propter Dilectus etiam Filius Josephus Shirburne, Presbyter Monachus dicti Ordinis Congregationis prædictæ, ac Priot Prioratus cura & conventu carentis, personalemque residentiam non requirentis Sancti Stephani *du Choisy* au Bacq, seu *du Bacq au Choisy* ejusdem Ordinis, nullius seu Suessionensis Diœcesis a Monasterio Sancti Medardi, nullius Diœcesis a sede Apostolica immediate dependente ejusdem Ordinis Congregationis Sancti Mauri dependentis, ex certis causis animum suum moventibus, Prioratum prædictum, quem nuper obtinebat, ad effectum tamen, ut dictus Prioratus prævia illius tituli collativi perpetua suppressione & extinctiones, Mensæ Conventuali Monasterii primo dicti seu Domus Regularis hujusmodi perpetuo uniatur, annectatur, & incorporetur, in manibus nostris sponte resignavit, nosque resignationem hujusmodi duximus admittendam, dictus Prioratus per resignationem hujusmodi vacaverit, & vacet ad præsens: & sicut eadem petitio pariter subjungebat, si dictus Prioratus omni tituli collativi statu, essentia, & dependentia teaularibus in eo perpetuo suppressis & extinctis, Mensæ conventuali Monasterii primo dicti seu Domus Regularis hujusmodi etiam perpetuo, ut præfertur, uniretur, annecteretur, & incorporaretur. Ex hoc profecto Monachorum Anglorum in illo, seu in illa pro tempore degentium & dictum Ordinem profitentium necessitatibus, stabilitisque, seu stabiliendis ac exercendis in Anglia Missionibus peropportune provideretur, & ea, quæ Charitatis sunt, & proximi salutem & subventionem respiciunt, exerceri & adimpleri possent. Quare pro parte Superioris & Monachorum prædictorum fuit nobis humiliter supplicatum, quatenus eis in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui animarum salutem, pro quibus Servator noster pretiosum suum sanguinem spargere dignatus fuit, totius cordis affectu exoptamus, Superiorem & Monachos prædictos specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutos fore, censentes, ac alias uniones dictæ Mensæ Conventuali hactenus quomodolibet factas, verum & ultimum dicti Prioratus vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausula resultent, præsentibus pro expressis habentes hujusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis omnibus, qui fuerunt evocandi, de præmissis nobis expositis, eorumque circumstantiis universis auctoritate nostra te diligenter informes, & si per informationem eamdem præmissa veritate niti repereris, Prioratum prædictum, qui cura & Conventu caret, personalemque residentiam non requiret, ut præfertur, ac cujus & illi forsan annexorum fructus, reditus, & proventus viginti quatuor ducatorum auri de Camera secundum existimationem, valorem annuum, ut Superior & Monachi prædicti asserunt, non excedunt, sive permisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per prædictam dicti Josephi aliam liberam cujusvis alterius resignationem de illo in Romana Curia, vel extra eam, etiam coram Notario publico & testibus sponte factam, aut assecutionem alterius Beneficii Ecclesiastici quavis auctoritate collati, sive per obitum dicti Josephi extra eamdem Curiam jam forsan defuncti vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta Concilii ad sedem prædictam legitime devoluta, ipseque Prioratus dispositioni Apostolicæ specialiter, vel alias generaliter reservatus existat, & super eo inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; dummodo super resignatione dicti Prioratus antea data, capta, & consensus extensus non fuerit, alias præsens gratia nulla sit eo ipso, & ejus dispositio ad nos hac vice pertineat cum omnibus annexis, connexis, dependentiis, juribus, & obventionibus suis universis Mensæ Conventualis prædictæ, ita quod liceat Superiori & Monachis prædictis per se, vel alium, seu alios ipsius Monasterii primo dicti, seu Domus prædictæ nomine, propria auctoritate, veram, realem, corporalem, & actualem possessionem apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, reditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque ex eis provenientia, supportatis tamen prius omnibus & singulis dicti Prioratus oneribus, percipere, exigere, levare, recuperara, locare, dislocare, & arrendare, ac in suos, & Monasterii primo dicti, seu Domus hujusmodi usus & utilitatem convertere & erogare, cum hoc tamen, quod in eventum, in quem Monachi Congregationis Anglicanæ prædictæ Regno Franciæ discedere, aut regularem observantiam Ordinis Sancti Benedicti deserere, missionesque in Anglia pro Hæreticorum conversione, & Catholicorum in illis partibus degentium solatio & spirituali consolatione facere & exercere, aut jus eis in dicto Prioratu, vel ad illum illiusque bona reditusque eis & eorum cuilibet vigore seu prætextu per præsentes faciendæ unionis hujusmodi quomodolibet acquisitum ad alios transferre, seu aliis quomodolibet cedere contingat, ex tunc unio per easdem præsentes facienda prædicta, etiamsi tunc temporis suum sortita fuerit effectum, dissoluta, dictusque Prioratus a Mensa Conventuali prædicta disjunctus, dissolutus, dismembratus, & in suum pristinum tituli collativi statum reintegratus ipso facto sit, & esse censeatur, ita ut liceat infrascripto Philippo Abbati seu perpetuo Commendatario, & futuris pro tempore dicti Monasterii Sancti Medardi Abbatibus, seu perpetuis Commendatariis, Prioratum hujusmodi tunc per unionis dissolutionem, aut alias vacantem personæ regulari idoneæ, ut hactenus consueverunt, conferre, & de illo etiam providere; reservato etiam pro tempore existenti Priori Vicario nuncupato ejusdem Monasterii Sancti Medardi jure dictum Prioratum visitandi, quo hactenus Priores hujusmodi gravisi sunt, quodque Superior & Monachi prædicti, & pro tempore existentes primo dicti Monasterii, seu Domus Sancti Edmundi hujusmodi Monachi singulis annis in die festivitatis Sancti Philippi Apostoli pro salute & prosperitate infrascripti Philippi Abbatis Missa solemnem cantare, & post ejus obitum solemne officium defunctorum, & singulis quoque annis solemne anniversarium tum pro dicti Philippi Abbatis, seu perpetui Commendatarii, tum ejus in dicto Monasterio Sancti Medardi futurorum Abbatum seu perpetuorum Commendatariorum animarum refrigerio celebrare debeant. Ac etiam teneantur au-

thoritate nostra expresso dilectorum Filiorum Principis a Sabaudia Abbatis seu perpetui Commendatarii, necnon Conventus Monasterii Sancti Medardi prædicti ad hoc accedente consensu perpetuo unias, annectas, & incorpores: Nos enim si unionem, annexionem, & incorporationem prædictas per te vigore earumdem præsentium fieri contingerit, ut præfertur, easdem præsentes semper & perpetuo validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, neque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum ravocationibus, suspensionibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes quibusvis verborum expressionibus, & formis, ac cum quibusvis clausulis & decretis pro tempore factis & emanatis minime comprehendi, vel confundi, sed ab illis semper excipi, & quoties illi emanabunt, toties in pristinum ac validissimum statum restitutas, repositas & plenarie reintegratas, ac de verbo ad verbum sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse & fore, sicque & non alias per quoscumque Judices Ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes judicari & definiri debere; & si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus litteris Lateranensis Concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, & regula nostra de exprimendo vero annuo valore, ac felicis recordationis Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri, & aliis Apostolicis Constitutionibus, ac ordinis Monasteriorum & seu domus regularis hujusmodi etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis & Consuetudinibus contrariis quibuscumque; aut si illis qui super provisionibus sibi faciendis de Prioratibus hujusmodi specialas vel alits Beneficiis Ecclasiasticis in illis partibus generales dictæ sedis aut Legatorum ejus Litteras impetrarint, & si per eas ad inhibitionem, reservationem & decretum, vel alias quomodolibet sit processum: Quas quidem litteras & processus habitos & habendos, ac inde secuta & sequenda quæcunque ad Prioratum prædictum volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Beneficiorum aliorum præjudicium generari, & quibusvis aliis privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis specialibus vel generalibus quorumcumque tenorem existant, per quæ præsentibus non expressa vel totaliter inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris Litteris mentio specialis. Cæterum cum non sit verisimile, quod quis sua Beneficia multis forsan laboribus acquisita sponte resignat, tu istic attente circumspicias, an ex parte Josephi, ac Superioris, & Monachorum primo dicti Monasterii seu Domus Regularis hujusmodi, super dicta resignatione, ut fieret, quam Nos nullo hujusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit Simoniæ labes, aut aliqua alia illicita pactio, vel etiam corruptela; volumus autem, quod per unionem, annexionem, incorporationem prædictas, si illas per te vigore earumdem fieri contigerit, ut præfertur, dictus Prioratus debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed ejus congrue supportentur onera consueta. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo secundo, pridie Idus Martii, Pontificatus nostri anno sexto.

Archidiaconatui unita Parochia.

C A S U S VI.

1 *Si Parochia Archidiaconatui citra necessitatem ac juridicam circumspectionem uniatur, hæc unio Ecclesiæ regulis adversatur, ac proinde nulla est & abusiva.*

2 *Unionis hujus abusus annorum quadraginta possessione minime tollitur.*

Exemplum Constitutionis pro hujusmodi unione.

CLaudius de R .... &c. universis & singulis præsentes inspecturis, &c. Cum justis supplicantium petitionibus sit annuendum, & Dignitates in Ecclesiis ad conservandam aut augendam Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, nec possint, qui eas obtinent, tam in divinis, quam in humanis rebus circa Dei cultum laudabiliter agere, nisi reditibus pro eorum gradu & qualitate sufficienter provideatur; æquum enim est, ut qui in Ecclesiæ Dignitate fulgent, de bonis Ecclesiæ gaudeant, quantum ad sustentationem satis habeant pro gradu, & qualitate sua. Ideoque jam a quibusdam annis agnovimus Archidiaconatum C.... in Ecclesia nostra Metropolitana fundatum, cum sit secunda post Pontificalem Dignitas, non satis dotatum, eo quod sibi solum certæ & modicæ pensiones sub Rectoribus sui Archidiaconatus percipiendæ sint assignatæ; dum tamen jam dictæ Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Archidiaconus major præter similes super Rectores sui Archidiaconatus persolvendas pensiones, & ultra Præbendam Canonicalem, quam in eadem Ecclesia obtinet, ei Archidiaconatui præteritis temporibus Rectoriæ de Corsasio & Castrorescindo fuerint unitæ, Præcentor itidem ejusdem nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ Personatus & Officium, dicti Archidiaconi de C .... tum in excessu & sessioni & honoribus inferior amplos possidet proventus, dicti Archidiaconatus de C... multo uberiores: videlicet ultra jura decimalia & præstimonialia, quæ in præsenti Civitate obtinet, Rectoriam de Periano eidem Præcentoriæ jam pridem unitam. Quapropter eidem Archidiaconatui de C... Rectoriam de Fortono, & ejus annexam de Equabus uniendam censuimus, postquam ad supplicationem M. Henrici D... & per Vicarium nostrum Generalem ad hoc specialiter per nos Commissum & Deputatum, ad diligentiam Procuratoris nostri fiscalis fuit, uti par est, secrete inquisitum, & nobis constitit locum de Fortono nullis mœnibus cinctum in arduis montibus situm; in quo non est numerosus populus, cuique tam in Ecclesia principali, quam in Annexa de Equabus per solum Rectorem cum Presbytero & Clerico inservire est solitum, uti fit in multis locis dictæ Parochiæ de Fortono vicinis; neque enim divinus minuetur cultus, nec Sacramentorum Ecclesiasticorum negligetur administratio, sed ejusdem Ecclesiæ & Annexæ Parochiani, uti par est, & sufficienter instruentur, si dicta Rectoria eidem Archidiaconatui unita futuris temporibus per Vicarium perpetuum instituenda cum uno Presbytero & Clerico regatur, & eidem inserviatur. His itaque & aliis, quæ fuerunt necessaria, & attente pensatis, accedente ad hoc expresso dicti D... ejusdem Ecclesiæ de Fortono ad præsens Rectoris, necnon Procuratoris nostri Fiscalis ad dictam perpetuam unionem consensu, per præsentes dictam Rectoriam de Fortono, cum ejus annexa de Equabus cum omnibus suis juribus, reditibus & proventibus universis eidem Archidiaconatui de C... univimus & perpetuo unimus per dictum D... ad præsens Archidiaconum de C... in dicta nostra Ecclesia Metropolitana, & ejusdem in dicto Archidiaconatu Successores possidendam & obtinendam, sine præjudicio jurium nostrorum super dicta Rectoria & ejus Annexa per nos & successores nostros percipiendorum: quæ dicta nostra jura volumus & declaramus nunc & in perpetuum semper immunia & exempta a congrua portione Vicarii perpetui, & aliorum in dicta Ecclesia & Annexa inservientium, jam per nos in præsenti assignata, vel in futurum quocumque modo assignanda vel augenda. Ad quos dictos reditus, proventus, & jura ejusdem Rectoriæ & Annexæ unitæ obligatos esse, uti nunc sunt, ita in futurum & in perpetuum declaramus & providimus, in eadem Ecclesia & ejus Annexa celebrando Officio, Sacramentis administrandis, hospitalitate servanda, & agendis, ad quæ Rectores tenentur. Volumus & ordinamus, quod nunc

& in

& in futurum sit Vicarius perpetuus, qui cum Clerico & Presbytero, a nobis aut a nostris successoribus approbato, & ad nutum dicti Vicarii perpetui amovendo, eamdem Ecclesiam de Fortono & ejus Annexam regat & in eisdem Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione & omnium ad Rectorem pertinentium curam habeat, & hospitalitatem servet. Ad quam Vicariam perpetuam, ejusdem advenientae quocumque modo vacatione; per nos Archiepiscopum & successores nostros perpetuo pleno jure providebitur. Pro cujus Vicarii perpetui, Presbyteri, & Clerici sustentatione, & oneribus dictæ Rectoriæ incubmentibus supportandis, & hospitalitate servanda, eidem Vicario perpetuo assignavimus & assignamus summam quadringentarum quinquaginta librarum Turonensium, annis singulis perpetuo solvendarum per dictum D.... Archidiaconum de C... & ejus successores solvendam in Festis Nativitatis S. Joannis Baptistæ, & omnium Sanctorum æquis portionibus. Quam quidem summam quadringentarum quinquaginta librarum immunem & exemptam ab omnibus reparationibus, decimis, pensionibus, assignatione pro eleemosynis, & omnibus quibuscumque oneribus declaramus, & ad solutionem dictæ summæ quadringentarum quinquaginta librarum omnes fructus, proventus, & reditus dictæ Rectoriæ & ejus Annexæ obstrictos & obligatos perpetuo declaramus, in quorum fidem & testimonium has nostras unionis, institutionis Vicarii perpetui, declarationem, ordinationem, reservationum Litteras dedimus per Secretarium nostrum subsignatas.

Quæritur, an unio, qua Parochia Dignitati Archidiaconi in Capitulo cedit, haud abusiva sit, invalida, & ejusmodi, ut sustineri non possit, utpote eo modo peracta, qui ex allata Constitutione innotescit?

I. Constitutionem hanc legenti initio statim compertum fit, unionem hanc non alia de causa factam fuisse, quam ut Archidiaconatus reditus augeretur, qui jam ante unionem mille & amplius scutorum erat, quæ summa videtur satis esse Archidiacono in eo loco, in quo universum Archidiaconorum officium eo demum refertur, ut Choro intersint, quippe qui nullum Visitationis jus obtineant.

II. Constitutionis unionis verba hæc: *ad Supplicationem Magistri* D.... abusivam continent circumstantiam, quam exponi par est. Ut ergo verborum horum vis ac notio percipiatur, sciendum est, ad hanc Parochiam, de qua quæritur, Parochi decessu vacantem Archidiaconum D... se nominandum curasse, ac statim operam dedisse, ut ipsius Dignitati uniretur. Cum enim duo Beneficia eodem tempore incompatibilia retinere non posset, non obscure significavit se saltem amborum reditus obtinere ac servare velle; quippe cum favorabilis tunc esset occasio, quoniam titulum possidebat: *Expressu dicti D. ejusdem Ecclesiæ de Fortono ad præsens Rectoris .... consensu*.

III. *Fuit, uti par est, secreto inquisitum*. Liquet ex verbis hisce, unionem factam esse *non vocatis vocandis* contra Juris mentem, cum veritati consonum sit hujus Parochiæ subditos de unione, non nisi postquam peracta est, cognovisse, cum nominatim appellari, suumque expresse consensum præbere debuerint, perinde prorsus ac Parochus.

IV. Unionis Constitutio, dum ita habet: *nobis constitit, locum de Fortono nullis mœnibus cinctam, in arduis montibus situm, in quo non est numerosus populus*, videtur inferre velle, Parochiam eam rem adeo minutam fuisse, ad animarum curam quod attinet, ut minime congrueret, libris annuis mille ducentis, aut circiter, quibus illa constat, Parochum frui; verum ut dicatur, quod res est, in Parochia ipsa, ubi residet Rector, centum Communicantes, in ejus autem Annexa Communicantes ducenti circiter sunt, ut proinde quadringenti propemodum Communicantes existant, & quidem *in arduis montibus*, ut loquitur Constitutio; atque ita ad omnium sibi concreditorum Fidelium regimen non potest Parochus, quin Equum ac Servum habeat, præter Clericum, si velit ovibus suis tanquam bonus Pastor prospicere; eodem spectat, populum extrema laborare rerum inopia; cui quidem ille maxima proventuum parte spoliatus remedium afferre non posset.

V. Confecta est unio Archiepiscopi tantum auctoritate, per unionis nempe Mandatum, quin ad Pontificem confugeretur.

VI. Quæritur, an, facta hypothesi in hac unione abusum & invaliditatem occurrere, quadraginta quinque fruitionis & pacificæ possessionis anni hunc abusum tegere possint, ejusque conscientiam in tuto ponere, qui in præsentia Archidiaconatum possidet?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quoad allatam expositionem vidit, existimat, unionem, de qua agitur, Ecclesiæ Regulis adversari, & quod inde consequitur, abusivam esse.

Respondet igitur, I. Uniendi potestatem non ita a Prælato pendere, ut eam citra legitimam causam instituere possit, Regula, quæ affertur in cap. *Exposuisti, de Præbendis & Dignitatibus*. Hæc porro causæ sunt Ecclesiæ necessitas, vel utilitas: *si evidens necessitas vel utilitas exigat*, inquit Honorius III. *Præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem (sicut discretione prævia videris) augmentare*. Jam vero in unione Parochiæ, de qua quæritur, cum Archidiaconatu nulla apparet necessitas vel utilitas, quia ejusmodi Dignitas satis dotata erat, ut Titularis officium suum commode ac decenter obire posset, quippe cum ejus reditus annuorum mille scutorum esset, hoc est satis magnus Ecclesiastico homini, qui frugaliter ac modeste vivere debet.

II. Ecclesiæ utile omnino non esse, Parochiæ duas tertias redituum partes adimi, ut inde in Ecclesia Cathedrali locupletur Dignitas, cui plusquam satis bonorum jam est, ut Titularis subsistentiæ prospiciatur; neque vero ex Ecclesiæ ipsius bono fore, ut Parochus juvandis pauperibus sibi concreditis impar fiat, demptis eidem 800. libris, ut Cathedralis Beneficio addantur, eo prætextu, quod Archidiaconatus non æque, atque ejusdem Ecclesiæ cæteræ Dignitates, opulentus ac pinguis sit; cum nempe nihil usitatius occurrat, quam Cathedralium Dignitates inæqualibus gaudere proventibus, atque adeo Præbendas simplices non ejusdem ac cæteras valoris esse.

III. Nullam unquam instituendam unionem esse, quin *de commodo & incommodo* informatio seu inquisitio præcesserit, iique fuerint auditi, quorum maxime interest, quamvis eorum consensus necessarius non fuerit. Porro ex Expositione liquet, non nisi secretam perquisitionem factam esse, haud interrogatos Incolas & Parochianos, quorum summopere intererat, quique maxime, si qui alii, unionis ejus incommoda proferre poterant, ita tamen ut Prælato integrum esset videre, quid juris; quod non levi argumento est, arrogatam hanc secretam inquisitionem non eo animo factam esse, ut, quid esset e Parochiæ rationibus, cognosceretur, sed ut eam utcumque factam esse asseri posset; id quod abusivum est, nullaque valida ac legitima excusatione obtegi potest.

IV. Consensum Parochi, qui Archidiaconus quoque erat, maximopere suspectum esse debere, cum magna præsumptio sit, id, quod fiebat, in ejus favorem fuisse, atque ut ei Beneficia duo incompatibilia conferrentur contra regulam Lateranensis quarti, & Constantiensis Conciliorum, quæ ejusmodi uniones rejiciunt.

V. Unionem hanc adversari disciplinæ a Tridentino Concilio institutæ, & ab Ecclesia Gallicana receptæ, ut constat ex Blesensi Constitutione art. 23. cujus utrinsque fori auctoritate firmatæ hæc verba sunt: „ Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis,
„ in quibus is erit Præbendarum numerus, ut re-
„ ditus cum quotidiana distributione ad Canonici
„ gradum ac statum cum dignitate sustinendum,
„ locorum & personarum ratione habita, non suf-
„ ficiat, dicti Archiepiscopi & Episcopi poterunt
„ devenire ad proventus augmentationem, seu per
„ unionem Beneficiorum simplicium, dummodo re-
„ gularia non fuerint, seu per dictarum Præbenda-
„ rum

„ rum reductionem ". Conciliam autem ita statuerat sess. 24. c. 13. *Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis seu Dignitatibus, seu Præbendis Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ, sive aliis Beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve non uniantur*. Ex quibus sequitur, unionem, de qua agitur, non modo contra regulam in postremo generali Concilio editam, & ab Ecclesia Gallicana susceptam, verum etiam contra Principis Legem esse, neque ab abusu eximi posse.

VI. Unionis defectum non in eo positum esse, quod a Pontifice facta non fuerit, cum Archiepiscopus uniendi auctoritate polleat, ut apparet ex pluribus Juris locis, atque adeo ex laudato *cap. Exposuisti*.

VII. Abusum annorum quadraginta, atque adeo centum spatio non tolli, cum apud Judicem probari potest. Occurrit nobis exemplum apud Coppinum l. 2. Politicæ Ecclesiasticæ tit. 6. n. 9. Parochiæ Bl. Lemovicensi Capitulo unitæ, cujus unio post annos octuaginta a Parisiensi Senatu abrogata fuit.

Decisum Parisiis die 14. Augusti an. 1676.

A. *De Lamet*.

Complurium in Urbe Parochiarum unio.

CASUS VII.

1 *Abbas, qui ab immemorabili tempore in sua Abbatia, nec non in magno, quod ab ea pendet, Territorio Episcopali Jurisdictione gaudet, potest in id incumbere, ut minutæ Parochiæ plures, in Urbe, in qua Abbatia sita est, existentes uniantur, cum singularum tenuissimus est reditus, Parochianorum admodum exiguus numerus, tantaque est Ecclesiarum proximitas, ut earum servitium atque æra campana se mutuo impediant.*

2 *Quid ille consilii, ut ad hanc unionem perveniat, inire debeat.*

QUÆSITUM.

Extant Ecclesiæ sex Parochiales in Territorio exemptionis Urbis N. quarum Eminentissimus Cardinalis R. Abbas N. Collator est, & in quas ordinaria & Episcopali Jurisdictione gaudet, quin eam ullus unquam, vel vivente ipso, vel Decessorum temporibus impugnaverit. Hoc Abbatiæ jus ejusmodi est, ut, si Abbas Episcopus est, Ordinem suum in hoc ipsum Territorium exerceat; si minus, exerceat Jurisdictionem suam vel per se, vel per suos Generales Vicarios, vel per Officialem, prorsus ut Episcopus in sua Diœcesi, una tantum excepta pronuntiatione Rescriptorum Pontificis, quæ ad Episcopos fere mittuntur.

Adeo graves urgentesque præsto sunt causæ has sex Parochiales Ecclesias unionis beneficio ad duas redigendi, ut Abbas ad ejusmodi unionem nulla interjecta mora sibi deveniendum putet. Hæ porro causæ sunt.

I. Ecclesiæ hæ adeo sibi mutuo proximæ sunt, ut duabus quidem muro tantum invicem sejunctis, ac tertia quinque non amplius aut sex passuum intervallo ab utraque distante, divinum unius Servitium alterius Servitio interrumpatur, tum eorum, qui Officium canunt, voce, tum Campanarum sono.

II. Adeo minutæ eædem Parochiæ sunt, ut, cum in aliis duo triave tantum sint Domicilia, in aliis decem aut duodecim, earum Ecclesiæ identidem desertæ ac Solitariæ sint.

III. Cum earumdem reditus in una quidem non nisi sexaginta, in nonnullis vero aliis octuaginta librarum sit, fit proinde, ut Parochi alia sibi munia, atque adeo titulos alios, ut Præbendas in Collegiata quadam Ecclesia, quæ in eodem Territorio est, quærere necesse habeant, contra Juris Sanctionem; quod in causa est, ut illi nec Collegiatæ Ecclesiæ, cujus Canonici sunt, nec Parochialibus Ecclesiis, quarum sunt Parochi, accurate aut deserviant, aut deservire possint.

IV. Cum Fabricæ propemodum proventu careant, apparet Procurationum potius forma, quam Ecclesiarum. Iis prope deest, quicquid ad divina Officia, qua par est, dignitate celebranda requiritur.

V. Ecclesiarum proximitas tam facile Parochorum titulos ac jura confundit, ut inde momentis singulis mutuæ inter eos discordiæ, ac lites exstant.

Verum quia sunt ex Doctoribus, qui contendant Ecclesias has ab Abbate N. seu Abbatialium privilegiorum, seu Cardinalitiæ, qua fulget, dignitatis vi uniri non posse, sunt e converso, qui posse fidenter asserant: exploratur proinde Concilii sententia, quæriturque, ad unionem hanc, sive eam perficere Abbas possit, sive non possit, qua demum ratione sit perveniendum?

Dubitandi causæ, an Abbas ejusmodi unionem aggredi possit, sunt hæ.

I. Quia unus Episcopus in sua Diœcesi, vel, eo recusante, Metropolitanus, aut Pontificis Commissarius Beneficium unum alteri unire possunt, ne ipsis quidem Legatis *a latere* in Galliis ea facultate pollentibus, juxta temperamenta, quæ Senatus eorum Bullis in Acta referendis adhibere consuevit.

II. Quia quibuscumque tandem de causis facta esset hæc unio, in Senatu quidem, ut videtur, sustineri non posset. Si quis enim eo rem deduceret, præsumeretur ob Abbatiæ comodum, non ob ea, quæ in unionis institutione adducta essent, unionem ipsam peractam esse, quia præsumitur, Abbatiam Parochis portionem congruam debere.

Contra porro stant rationes hæ.

I. Ordinarius seu Episcopus ad ædificationem ac bonum Ecclesiæ suæ unum aut plura Beneficia simplicia Seminario suæ Diœcesis unire potest, vel quodvis Beneficium alteri majori, Regularibus Regularia relinquens, Sæcularibus sæcularia; Abbas porro N. in suo Territorio gaudet Ordinarii jure; potest ergo in eodem Territorio uniones has facere, ut Episcopus potest in sua Diœcesi.

Temperamenta, quæ Legatorum Bullis Senatus adhibet, non eo spectant, ut Beneficiorum uniones impediantur, sed eo tantum, ut ne fiant *omisso modo*. Cum autem Parochiæ, de quibus agitur, adeo minutæ sint, non est omnino timendum, ne Tertius sibi earum provisionem exposcat; atque ut exposceret, tamen semper esset, quamobrem ad Senatum confugeretur, adductæque rationes sunt tanti ponderis, ut minime dubitetur, quin Senatus confirmaturus sit ejusmodi uniones ab Abbate, qui Episcopalium jurium pacifica possessione gaudet, quique, quod majus est, Episcopus simul & Cardinalis est, institutas.

An vero fieri posset, ut Cardinalis Abbatiam Diœcesano Episcopo subjectam possidens Abbatiæ suæ Regularia Beneficia in Commendam rite ac recte conferret: Cardinalis autem Archiepiscopus Abbatia gaudens, quæ non solum ab Episcopi Jurisdictione exempta est, sed Pontificalia jura obtinet, & cui Clerus est, qui non modo ex Religiosis Abbatiæ ejusdem Presbyteris, sed ex Collegiato Capitulo, ex bene multis intra extraque Urbem Parochis, Capellanis compluribus, magnaque populi multitudine coalescit, Beneficium unum alteri Beneficio, ipse utriusque Collator ad Ecclesiæ bonum unire non posset. Super hac igitur facti specie suam ut sententiam proferat, Consilium rogatur.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, existimat,

I. Ex Jure Canonico Parochiales Ecclesias Urbis N. quia paupertate laborant, & singularum reditus Parocho decenter sustentando non sufficit, uniri posse, ut liquet ex *Cap. Unio* 10. *q.* 3. & ex *Cap. Postquam* 16. *q.* 1. In hac sententia Rebuffus est in sua Praxi Beneficiaria tit. de Unionibus n. 39. cum cæteris Auctoribus, Duareno *De Sacris Eccl. Minis. ac Benef. l.* 5. *cap.* 6. Fevreto de Abusu Prima Parte *l.* 2. *cap.* 4. *n.* 21. secundæ editionis. Utilitas, inquit hic Auctor, tum adest, cum duæ Parochiales Ecclesiæ mutuo sunt adeo proximæ, ut

Paro-

Parochorum duorum sustentationi pares esse non possint; hoc in casu uniuntur: *Clem. Ne in agro §. ad hæc de statu Monach.* aut Parochianorum tam exiguus numerus est, ut Parochus unus idemque ambabus Parochiis deservire valeat. Illud tamen non videtur silentio prætermittendum, ex *cap Unio* non plures Parochianos quam decem ad Parochiam constituendam in Jure veteri requiri consuevisse, dummodo proprii Parochi sustentationi pares essent. Aurelianensis & Blesensis Constitutiones Regulas easdem statuunt, quas Jus Canonicum ad Parochiarum, quibus non satis proventuum est, unionem. Ita quidem Rex suam mentem aperit in posteriore, articulo 22. „ In Parochiarum, seu Ecclesiarum Parochialium locis, ubi reditus est adeo tenuis, ut „ sustentando Parocho non sufficiat, Episcopi cum „ debita causæ cognitione, & juxta formas a sanctis Conciliis præscriptas unire iis poterunt alia „ Beneficia animarum curam habentia vel non habentia ". Quod repetitur in Edicto Melodunensi an. 1580. art. 27. & in Edicto Henrici IV. an. 1606. artic. 18. ut proinde nullus dubitandi locus supersit, quin Parochiæ, de quibus in Expositione dictum est, uniri possint, cum & Canonicum, & Regum nostrorum Jus in hoc negotio consentiant.

II. Quemadmodum Episcopatuum unio ita ad Pontificem summum pertinet, ut ad neminem alium omnino spectet, eadem prorsus ratione Beneficia cætera in propria Diœcesi existentia uniendi jus Episcopi proprium est, ex regula, quæ continetur in *Cap. Sicut unire, de excessibus Prælat.* & in Clement. *Ne in agro §. ad hæc*. Hæc nimirum Doctorum communis opinio est; quia tamen ut Episcopus Beneficia unire possit, ea ab ipso pendere necesse est, ideo sua tantum auctoritate nihil obtinet potestatis in exempta Beneficia, ut animadvertit Rebuffus *tit. de unionibus Beneficiorum n. 22. Unde patet*, inquit, *a quo possit unio fieri, videlicet ab Episcopo, dummodo Beneficia non sint exempta, quia tunc ad Papam unio pertinet.* Jus hoc tamen non ita Episcopis adnexum est, quin Prælati iis inferiores, quales Abbates sunt, qui ex privilegio in quasdam Ecclesias Episcopalem Jurisdictionem exercent, Beneficia & ipsi unire possint, si ita fieri congruat, ac si iis ex consuetudine aut præscriptione, prout quidem hac in re præscriptioni locus est, id juris accesserit. Ea sane plurimorum Doctorum sententia est: *Jura enim Episcopalia*, inquit Rebuffus, *n. 33. inferiores præscribere non prohibentur, c. Auditis. de præscript. sed titulus requiritur.* Et Nicolaus Garcias *De Beneficiis part. 12. cap. 2. De unione n. 72. 73. & 74. Possent etiam inferiores Episcopi facere unionem, stante consuetudine, licet non immemorabili. Ex Bellamera de prim. Benef. 1. p. q. 2. a. 9. & pro prædictis facit declaratio S. Congregationis . . . . cap. 13. quæ sic ait: Eamque unionem facere posse Abbatem, si sibi facultatem uniendi legitime præscripsit, aut ex privilegio in Ecclesia sibi pleno jure subjecta jurisdictionem quasi Episcopalem habet in omnibus & per omnia, alioquin unionem faciendam esse per Episcopum, cum consensu Abbatis & Capituli.* His in hunc modum constitutis, respondetur, omnino expendendum esse, quid moris obtineat in Abbatia N. atque an mos hic Consuetudine aut præscriptione nitatur, ut judicetur, an C. de N. unionem, de qua quæstio est, edere possit; quod enim Cardinalis est & Episcopus, non proinde tamen ei tale jus advenit; quia cum unio sit effectus Jurisdictionis, qua quidem ille ob eum duplicem titulum in Abbatiæ Territorium minime gaudet, in hac facti specie non potest eadem uti; ut propterea, siquidem ipse populorum administrationi suæ subjectorum bonum instituere voluerit, nihil aliud supersit, ut tuto se gerat, & contestationem, quæ sæcularium Judicum nomine existere posset, evitet, quam ut ad Pontificem summum confugiat. Quod enim spectat ad Archiepiscopum P. nulla occurrit ejus adeundi probabilis ratio, quia nempe ille majorem fortasse difficultatem afferret, & exemptionem suo peculiari facto agnoscere non dubitaret, quemadmodum ei facto opus esset, si in hoc negotio ministerio suo uti, & exemptionem in tuto ponere vellet. Itaque ad rem hanc expediendam utile foret, ut C. supplicationem Pontifici exhibendam curaret, in qua exponeret, se, cum visitaret Parochiales Ecclesias Urbis N. in quas ipse ut Abbas Jurisdictionem obtinet, comperisse Parochias eatanta inopia laborare, ut multa propterea incommoda consequantur, eidemque Pontifici rem totam distinctim & enucleate explicaret, significans nullum aptius remedium afferri posse, quam si Parochiæ unirentur, quod commodo Populis, utilitati & honori fuerit Ecclesiis, quæ decentius administrabuntur; curaretque mittendum Rescriptum ad Episcopum M. vel S. vel B. proximos loco N. ad executionem Brevis, quod obtinebit; cum vero Episcopus deputatus ad instructionem consuetis modis deveniens præsens adesset, vel aliquem gradu insignitum committeret; id quod facere potest, quia *Delegatus a summo Pontifice potest delegare*; atque ita, postquam *preces veritate niti cognoverit*, ad pronuntiationem deveniet; & C. Patentes a Rege Litteras obtinere poterit, ut negotio huic extremam manum imponat, easdemque in Senatus aut Magni Consilii Acta referendas curare, postquam inquisierit *de commodo & incommodo*. Expediret etiam, ut C. Parochianorum consensum obtinere studeret; resque ita componeret, ut Titulares assentirentur, quo promptius negotium conficeretur, cum ejusmodi rebus remissio, atque oscitantia plurimum noceat. Additur hoc loco Romanam Curiam haud facile fortasse passuram esse, ut Parochiæ sex redigantur ad duas, atque hunc numerum satis esse non videri, spectata Parochianorum multitudine.

Decisum Parisiis hac die 16. Augusti an. 1678.

Aug. *de Lamet.*

Episcopali Mensæ unita Parochia.

CASUS VIII.

1 *Unio, qua Parochia annectitur Episcopali Mensæ, cum est simoniaca, nulla est.*
2 *Ejus defectus lapsu temporis emendari non potuit, restituendumque est, quicquid ex Parochiæ unitæ proventibus perceptum est, postquam unionis vitia innotuere.*
3 *Si Parochiæ Episcopatui uniendæ causæ suppetunt, requisitæ formulæ servandæ sunt.*
4 *Non satis apte remedium afferretur huic malo per regulas Correctionis, quæ Episcopo fieret.*
5 *Brevius ac tutius foret unitam Parochiam aut Vicariatum perpetuum Devoluto titulo peti.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut sequentes difficultates definiant. Quæritur,

I. An simoniæ labe infectus sit Actus, quo Parochus pure ac simpliciter Parochiam, quam possidet, Episcopo suo resignat? Adducta ratio ea est, inquit Parochus, ut nempe suum Presbyterium cedat Episcopo, cui quidem Visitationum tempore satis commodum futurum est. Resignatio hæc facta est ea conditione, ut Episcopus Parocho aliud conferat Beneficium, quod eidem congruat, cujusque non minor quam Parochiæ in ejus manu dimissæ reditus sit. Interea temporis promittit Episcopus, & tacto Episcopali pectore recipit se ducentas libras annuas ex Secretariatus sui juribus Parocho duabus vicibus pensionis titulo soluturum; atque adeo solvendam summam delegat Secretario, cui se rationem redditurum ex abdicatione Parochi pollicetur.

II. An non hic Actus lapsu temporis præscriptus sit?

III. An Episcopus, qui in præsens Diœcesim obtinet, cum ejus Actus particeps omnino non fuerit, teneatur eumdem purgare, & quicquid, cognitis ejusdem transactionis vitiis ac defectibus, ex ejus Parochiæ proventibus percepit, restituere?

IV. An qui arrogatæ hujus unionis vitia & nullitatem Episcopo privatim detexerunt, gaudeant conscientiæ securitate, atque an non eum hac de re coram duobus tribusve testibus alloqui debeant;

ac si

ac si minua ille malo remedium attulerit, ipsum Ecclesiæ denuntiare teneantur.

V. An qui Paroebiam hane quinto ab hinc auno Vicarii perpetui titulo possidet, quique cæteroquin alterius Parochiæ primitivus Parochus est, haud colorato titulo gaudeat, quo Vicariam hanc perpetuam retineat; vel an quod intra annum Beneficiorum alterum non dimiserit, amittat utrumque; vel denique an optandi jure gauderet, si forte ejus Beneficia devoluti titulo peterentur?

VI. An qui duo hæc Beneficia possidet, in bona fide versetur? Cum enim claræ Universitatis Doctor sit, & in eadem Diœcesi Theologalis fuerit, non est censendus ignorare, Beneficiorum, & præsertim animarum curam habentium pluralitatem prohibitam esse.

VII. Facta hypothesi Episcopum velle unionem hane Romanæ Curiæ purgandam subdere, an non ille statim eam pro nulla habere debet, ac novam edere, servatis requisitis formulis, quæ absolute neglectæ sunt in priore, in qua nihil aliud occurrit, quam Actus, de quo supra mentio facta est?

VIII. Episcopus poretsne ad Parochiam hanc nominare, atque an non amisit nominationis jus per Decessoris sui simoniam, dum sibi Beneficium hoc vindicavit? Decimus jam annus est, ex quo qui nunc Episcoparum obtinet, certior est factus vitiorum, quibus Actus inter ejus Decessorem & Parochum stipulatus laborat, nec ullum hactenus malo remedium attulit.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, ut propositis quæstionibus satisfaciat, existimat,

Quoad primam; Actum, quem Episcopus & Parochus inierunt, simoniacum esse, quia traduntur Parocho libræ ducentæ quotannis ex Episcopi secretariatu sumendæ, vi Parochiæ pure simpliciterque dimissæ ad Episcopi commodum; id quod est temporale pro spirituali, & aperta, quod inde consequitur, simonia.

Quoad alteram; Eumdem Actum vitiosum nullumque esse, non solum quia est simoniacus, sed etiam quia in Parochia Episcopali Mensæ unienda formulæ absolute necessariæ servatæ non sunt, ex quo sequitur, eam nullo temporis lapsu legitimam effici potuisse; ad præscriptionem enim colorato saltem titulo, ac bonæ fidei possessione opus est; jam vero unionis Actus simoniacus, divinoque Juri contrarius est, adeoque hac in re nullus est præscriptioni locus. Prærerea cum manifeste nullus sit, præsumi non potest eum bona fide initum fuisse, aut Beneficium tam male acquisitum bona pariter fide fuisse possessum.

Quoad tertiam; purganda est unio hæc, facti hypothesi haud levem causam præsto fuisse, quamobrem Parochia Episcopali Mensæ uniretur. Porro percepti fructus restituendi sunt, partim Beneficio, partim Ecclesiæ ac pauperibus; statim enim atque Actus vitia innotuere, quominus nullus esset, dubitari non potuit. Itaque ex eo tempore mala fide retenta est possessio, restituendumque proinde, quicquid postea perceptum fuit.

Quoad quartam; non promiscue ad quemque de populo pertinere fraternæ erga Episcopum correctionis officium, eosque ipsos, penes quos tale jus esset, id aggredi non debere, si monitionem inutilem fore præviderint. Porro testes addi, ac deinde Episcopum denuntiari, ea vero non esset Antistitis ad unionem reformandam adigendi ratio maxime efficax atque expedita; tutius fortasse foret in Vicarium perpetuum, vel in Episcopum ad obtinendam Actus abrogationem devolutum constitui. Quod si id scandalo sit, sibi imputet Episcopus, quoniam ipse ei occasionem præbuit, quippe qui monitis sibi super hoc negotio propositis auscultare noluerit.

Quoad quintam; Cum fere primitivus Parochus nec residentiæ legibus, nec Parochialibus functionibus obstrictus sit; is, de quo sermo est, in una Parochia primitivus Parochus esse potest, & in alia Vicarius perpetuus; nec secum pugnant hæc duo Beneficia; nisi Parochus primitivus ipse per se Parochiæ suæ deservire, ibique residere teneatur; quo in casu nullum ei foret optionis jus, sed Beneficium primum deserere teneretur, cum alterum acceptaverit, prout tradit Tridentina Synodus, (a) quæ Canonem *De multa, de Præbenda* in hoc articulo servari vult. In hac sententia est Cabassutius. Quamobrem si devolutum poneretur, Beneficium prius, ut vero simillimum fit, vacans & impetrabile declararetur.

Quoad sextam; Facta hypothesi Beneficia hæc duas esse Parochias *acta non habita*, liquido constat ea esse duo Beneficia incompatibilia, atque adeo ejusmodi, ut citra legitimam dispensationem uniri nequiverint.

Quoad septimam; Abusus adesset, si hujus Parochiæ unio sine veri nominis causa, ac sine formulis in simili facti specie servari solitis fieret; ut proinde, si secus res haberet, unio nulla foret, & in foro externo ejusmodi declararetur.

Quad octavam & postremam quæstionem, respondetur, hujus Parochiæ collationem bifariam spectari posse, nempe quoad Episcopum, qui unionem transegit, & quoad ejus Successores; si unio referatur ad primum, cum ea nulla sit, Parochiæ proinde collatio Vicariatus perpetui titulo facta pariter nulla est, tum ejus ratione, tum successorum, quibus haud majus quam eidem jus præsto erat.

Unionis Auctor cum in eo, quem inivit, Actu simoniæ se labe polluerit, in excommunicationem incidit: cum tamen nullum Judicium extiterit, quod eum excommunicatum denuntiaverit, & declaraverit, ad eam proinde Parochiam nominare potuit, ejusque nominatio nulla non fuisset, nisi simonia, qua infecta erat, intercessisset. Ad eamdem Parochiam nominare possunt ejus Successores, nulla unionis contra regulas initæ ratione habita.

Decisum in Sorbona hac die 20. Januarii an. 1699.

G. Fromageau.

Priorasus animarum curam habens Communitati unitus.

CASUS IX.

1 *Prior cum animarum cura assentiri non potest Beneficium suum simplex reddi, ut annatar Doctrinæ Christianæ Communitati, quæ se passuram pollicetur, ut ille, quoad vixerit, universo reditu fruatur.*

2 *Si Episcopus, eo invito, & Parochianis ægre ferentibus, id mutationis edere conaretur, deberet Parochus omnibus Juris rationibus eidem se opponere.*

3 *Audiendi essent in hac facti specie Parochiani.*

4 *Si unio fieret, Beneficium impetrabile foret.*

QUÆSITUM.

IN Prioratu campestri, atque animarum curam habente, qui libras annuas mille ducentas reddit, fundati sunt Congregationis Doctrinæ Christianæ Missionarii numero quatuor, qui ibidem residere, singulis per annum diebus Dominicis concionari, tribusque vernæ tempestatis mensibus se in alias alii Parochias fundatione recensitas Missionis gratia conferre debent.

Hi Missionarii secum in animo reputantes Prioratum sibi valde commodum fore, tum quia elegans obtinet domicilium, hortum, ac septa loca, quæ ab ipso pendent, tum quia ipsi Missioni vacantes, uno eodemque tempore Parochiæ deservirent, quamobrem eorum reditus non mediocriter augeretur, ipsisque remanerent libræ decem mille, quas domum & Ecclesiam construendi gratia receperunt; Priori proponunt, ut sibi Parochiam cedat, omnem ei reditum, quoad in vivis fuerit, offerentes, ne congrua quidem portione ob Parochiæ servitium sibi reservata.

Occur-

(a) Concil. Trid. sess. 7. c. 4. de Reform. Cabassut, in praxi l. 2. cap. 21.

Occurrunt huic Parocho rationes in utramque partem, quibus ejus animus in diversa trahitur.

I. In hoc negotio suum inveoit temporale commodum, quoniam reditum suum percipier, nihil agens, quocumque sibuerit, se conserre, & quicquid arriserit, amplecti poterit. II. Invenit & spiritale commodum Parochiæ suæ, quippe quæ melius administrabitur, quandoquidem quatuor ac fortasse sex aderunt Presbyteri ejus servitio addicti, iidemque idonei, atque solliciti, cujusmodi præsumi potest ejus Congregationis alumnos fore; quibus etiam Superiores invigilabont, eos mutaturi, qui non satis in officio se continereot.

At ex alia parte Ecclesia Parochiarum naturam inverti prohibet; atque adeo (a) Tridentina Synodus mandat, ut, si quæ mutatæ fuerint, in pristinom restituantur; id quod identidem, arque adeo quotidie fit; atque in hac ipsa Diœcesi decem & amplius Parochiæ redintegratæ sunt, sublata sejunctione Prioratus a Parochia; quæ omnia contradictoriis Tolosensis Senatus Rescriptis firmata sunt; addi & illud potest, ejusmodi separationes divioo ac naturali Juri adversari, quoniam qoi purus putusque Prior remanet, majorem proventuum partem sine ullo labore percipit.

Verum si io nonoullia casibus hæ mutationes ob graves causas peti possunt, contra stant in hac facti specie rationes multæ. Erenim I. Magnopere Parochiani repugnant, parati nihil iotentatum relinquere, ut id impediant. II. Sno Pastore contenti sunt. III. Eorum Parochia est admodum tenuis, & unus idemque Sacerdos, qui sibi non desit, citius, quam si plures fuerint, eorum aoimos sibi devinciet. IV. Quo plures aderunt sustentandi, eo magis eleemosynæ diminuentur. V. Religiosi, quarum exiguus sit numerus ruri qoidem, remissioni ac depravationi admodum obnoxii sunt.

Quæritur ergo I. An Prior, qui & Parochus, de quo dictum est, huic mutationi, integro reditu sibi reservato, tuta conscientia assentiri possit?

II. An refragari ipse debeat, etiamsi Episcopus mutuationi parrocinaretur?

III. Quid ejus impediendæ gratia facere debeat?

IV. Quomodo debeant in hujusmodi negotiis Parochiani ipsi se gerere?

V. An non, hujus Prioratus natura in Beneficium simplex conversa, devolutum timendum foret? Ad quæ quidem ut respondeant, Sorbonæ Doctores rogantur.

R e s p o n s i o.

Consilium conscientiæ subscriptum censet, nil causæ, quamobrem Parochia, cujus in expositiooe facta est mentio, Christianæ Doctrinæ Patribus uniatur, ejusque fructus omnes Titulari, quoad vixerit, reserventur, aut eadem Parochia in Beneficium simplex convertatur, ita ot Parochus, qui in vivis est, primitivus Parochus sit, Doctrinæque Patres Vicarii perpetui; quia nempe Canonum & Ecclesiæ menti repuguat, citra graves causas Beneficiorum oaturam & fundationem mutari; qoales causæ forent Ecclesiæ necessitas, aut longe maxima utilitaa. Itaque Tridentina Synodus Monasteriis uniones fieri vetat, nec Parochias in Beneficia simplicia converti patitur: (b) *Statuit sancta Synodus, ut Ecclesiastica Beneficia sæcularia, quocumque nomine appellentur, quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter qnomodocumque retinent, illa deinceps in simplex Beneficium, etiam assignata Vicario perpetuo congrua portione, non convertantur, non obstantibus quibuscumque gratiis,* &c. Garcias (c) affert complures Congregationis Declarationes, quibus ejusmodi separationes prohibentur, & inter alias unam laudat in hæc verba: *Parochiales Ecclesiæ in simplex Beneficium converti non possunt; quod intelligendum etiam in aliqua parte fructuum ipsius Parochialis.* (d) Adhærent sententiæ huic Riccius & Barbosa in appellatum Synodi locum.

Quoniam porro Ecclesiæ necessitaa aut utilitas minime postulant, prout io Expositione declaratum est, ot ejusmodi Parochia a Prioratu sejungatur, atque ita hic quidem Beneficium simplex evadat, ea proinde mutatio pro viribus impedienda. Sequitur ex hactenus dictis, ad propositas difficultates ita responderi posse.

I. Priorem Parochum non posse tuta conscientia ei mutationi assentiri, ac si assentiretur, retento, quoad vixerit, omn reditu, videri Ecclesiæ bonum suo privaro commodo posthabere, id quod maxime vituperandæ cupiditatis effectus esset, & iis, qui de re cognoscerent, scandalo foret.

II. Parochi esse, huic, si ita loqui licet, simplificationi reluctari, atque io hoc negotio animi a terrenis rebus alieni, lougeque magis de Parochiæ suæ quam de proprio booo solliciti exemplum præbere.

III. Quamvis Auctores nonoulli contendant in unionis casu Ordioarium non teneri Titularis consensum petere, quia nou videtur ejus interesse quoad Parochiæ reditum, qui ei, dum vixerit, integer relinquitur, & quia non nisi post ejus mortem unio sortiri debet effectum suum; non eadem tamen hic ratio est, quoniam vel vivente Parocho proponitur hujus Parochiæ in Beneficium simplex conversio. Præterea ex regula usuque est, ut Parochi appellentur, antequam eorum Parochiæ Communitati uniantur; qua de re Fevretus (e) consuli potest. Quamobrem si hujus Parochi Episcopus mutatiooem hanc aggrediatur, Parochus, cum suum ei animum, qua par est, observantia significaverit, oppositionem suam exhibebit, si forte ille progredi voluerit; sed imprimis cognoscere debet de praxi, quæ quoad ejusmodi negotia in ipsius Provincia servatur.

IV. Quoniam pro certo ponitur Parocho refragandi jus esse, per Appellationem ad Metropolitanum, vel per Appellationem taoquam abusus debet sibi consulere, atque ostendere nullam satis justam causam suppetere, quamobrem ejus Parochiæ natura mutetur, & ex ipsa Beneficium simplex constituatur.

V. Non expectatur, si stricte loqui velimus, Parochianorum consensus, cum de Parochiarum unione agitur; ut enim Rebuffus ait, *Plebs plerumque certat contra propria commoda* (f). Quia tamen graves causæ Populo præsto sunt, cur Parochiæ, de qua agitur, unioni se opponat, dignus proinde est, qui audiatur. Hinc Rebuffus ibidem subdit, de Parochianis verba faciens: *Audirentur tamen, si causam rationabilem allegarent impedientem unionem fieri.* Hæc quoque Fevreti loco laudato sententia est.

VI. Denique devoluto locus esset; Prioratus enim animarum curam adjunctam habens impetrabilis foret, si Parochus & Episcopus in id conspirarent, ut eum simplicem redderent, & negotium ad exitum perduceretur. Ratio in promptu est, quia nempe per Titularis dimissionem in manu Patrum Doctrinæ Christianæ censeretur vacans, & hi qoidem eum possidere omnino non possent, quem scilicet illegitima ratiooe contra Ecclesiæ & Canonum mentem, quemadmodum dictum est, obtinuissent.

Decisum Parisiis hac die 7. Janoarii an. 1700.
G. *Fromageau.*

(a) Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. de Reform.
(b) Conc. Trid. sess. 24. cap. 13. de Reform. & sess. 25. cap. 16.
(c) Garcias part. 12. cap. 2. n. 18. de Benef.
(d) Riccius Tom. 2. resol. 383.
(e) Fevret lib. 2. cap. 4. n. 26.
(f) Rebuffus Glos. 11. n. 51. de unione in praxi.

VO-

V O T U M.

Votum, definiente D. Thoma, (a) *est promissio deliberata Deo facta de aliquo meliori bono*. Promissio est, non simplex deliberatio. Hinc Innocentius III. consultus ab homine, qui cum ægrotaret, seque mortis proximum esse timeret, ita locutus fuerat: haud hic diu consistam, Religione sibi proposita; respondit, eum, si non nisi simplicem deliberationem ediderat, non teneri, quod statuerat, implere. Additur, *deliberata*; quamobrem qui citra deliberationem atque inconsulto vota emittunt, non tenentur eadem implere, quia deliberationis defectu proprie dicta Vota non sunt. Deo fit promissio hæc, quia Votum Actus est Religionis, cujus Actus omnes ad Dei cultum tendunt. Denique eadem promissio de aliquo meliori bono est, de majore scilicet bono, quam illud est, quod facere debemus, ut salvi simus, vel quod nobis de necessitate salutis necessarium est, ut ait S. Antoninus. Dividitur Votum, (b) I. In absolutum & conditionatum; II. In reale, personale, & mixtum, videlicet reale simul & personale; III. In Votum simplex, & solemne.

Absolutum Votum illud est, quod fit nulla apposita conditione; conditionatum est illud, quod non obligat, nisi conditio, quæ ei addita est, completa fuerit. Reale Votum est, quod materiæ loco res habet extra nos existentes, cujusmodi sunt temporalia bona; ut cum certa quædam summa Pauperibus tribuenda promittitur. Personale est, cujus materia personæ nostræ, nostræque actiones sunt; exempli causa dum quis sacrorum Ordinum susceptione, aut Religiosa Professione Deo atque Altaris ministerio se dedit & consecrat, aut Deo promittit se peregrinationem aliquam suscepturum, jejunio vel orationi vacaturum. Votum mixtum, nempe reale simul & personale tanquam materiam habet actiones personasve nostras, ac nostra pariter bona; ut si quis voveret se invisurum Sacellum Beatæ Virginis *de Liesse* in Picardia, & certum aliquod ornamentum ibi oblaturum.

Celeberrima est Voti divisio in simplex & solemne. Sed hoc posterius duplicis est generis; primum est, cum in Religione approbata Professio fit; alterum, idemque tacitum Votum est illud, quod fit castitatis, dum Subdiaconatus Ordo suscipitur. Cætera omnia vota simplicia sunt, seu publice seu privatim fiant, ore, vel animo, ut ex Canone *Quod Votum*, (c) quem S. Antoninus laudat, licet intelligi.

Vota ante perfectum rationis usum edita nulla sunt; atque eadem est Votorum ratio, quæ omnino libera non sunt, aut quæ minis & facta vi sunt extorta. Duo tamen gravis metus genera sunt distinguenda; metus unus ex naturali seu interna aliqua causa est, cujusmodi est mortis timor ex aliquo morbo productus, naufragii ex tempestate, Inferorum ex propriorum criminum cognitione proveniens; timores hi ob aliquam naturalem seu internam causam coorti Vota nulla & invalida minime reddunt. Hæc Innocentii III. decisio ast relata in Canone, *Sicut vobis* (d).

At metus alius, qui ex causa extrinseca, & non libera provenit, cujusmodi est timor, quem pater incutit filiæ, dum ei mortem minitatur, nisi Religionem amplectatur, Vota reddit nulla & invalida, ex doctrina Capitis *Perlatum*, ubi Alexander III. (e) mandat, ut mulier, quæ post Professionem in Religioso Ordine emissam nupsit, ad Monasterium suum redire cogatur, si nempe probetur eam non id fecisse mortis timore perculsam, vel postquam edita Vota suapte sponte firmaverit; atque ita si profiteri coacta fuisset, ad velum, quod matrimonii causa deposuit, recipiendum compellenda non esset. Eam porro rationem affert Glossa in Cap. *Abbas*, quod Deo per Votum promissa res, quæ nullo præcepto facienda præscribitur, & quæ supererogationis & consilii tantum est, cumulatissima cum libertate fiat necesse est.

Ante ætatis annum decimum sextum nemo potest per solemne Votum Religioni se addicere, ut alibi dictum est, cum de Religiosa Professione verba fierent.

Puer ante annos quatuordecim, & Puella ante duodecim nequeunt Voto simplici, quod revocari nequeat, contra parentum, & in nonnullis quidem contra Tutorum voluntatem se se obligare. Ante hanc ætatem emissa vota nulla sunt cognitionis & deliberationis defectu. Fieri tamen potest, inquit D. Thomas, ut ob naturales dispositiones, quæ humanis Legibus non subduntur, in aliquibus rationis usus anticipetur; qui quidem se obligare possunt aliquo Voto simplici, quamvis ipsi se solemnibus Religionis Votis obligare non possint, quia Ecclesia, a cujus auctoritate solemne Votum suam omnem vim roburque mutuatur, ad ea suas Leges exigit atque conformat, quæ universim fere ita se habent, non ad ea, quæ non nisi raro contingunt.

Uxor se obligare non potest contra viri sui voluntatem ad ea facienda, quæ rei familiaris ordinem perturbarent, ut ad suscipiendas peregrinationes, ad surgendum noctu orandi gratia &c. Ad ea tamen obligare se potest, quæ cum cæteris ejus officiis cohærere possunt, causa exempli ad Sacramentorum susceptionem, ad Spectaculorum fugam; idemque sentiendum de Servo, qui Votum cum domini servitio pugnans emitteret. Verum hæ omnes personæ ipsæ tenentur Votum implere, si is, a quo pendent, expressum aut tacitum consensum præbuerit. Si qua porro in ejusmodi negotiis occurrit dubitatio, consulendi sunt idonei, & a partium studio alieni Doctores.

Non facile atque ex levitate quadam edenda sunt Vota; consilio magnaque circumspectione opus est, quia, ut loquitur sacra Scriptura Eccles. cap. 5. multo satius est Vota non fieri, quam facta non implere. D. Augustinus (f) in quadam Epistola obligationem declarat implendi Vota simplicia, quæ edita sunt. Quia vovisti, inquit, temetipsum obligavisti, nec amplius licet te contra facere. Ante quam te Voto obligares, licebat tibi in eo, in quo eras, tametsi minus perfecto, statu consistere, quamvis non sit magni facienda libertas, quæ ab eo, quod debemus solvendo, magnoque inde lucro percipiendo nos eximit; at in præsentia, quia tua te promissio coram Deo obligat, non ego te

ad

(a) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. & 2.

(b) S. Antonin. part. 2. tit. 11. c. 2. §. 8.

(c) Can. Quod Votum. De Voto in sext. apud. S. Antonin. part. 2. tit. 11. c. 21.

(d) Canon sicut vobis. De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

(e) Can. sicut vobis. De Regularibus, & transeuntibus ad Religionem.

(f) S. August. Ep. 45. Ad Armentarium de contemptu mundi.

ad magnam perfectionem traho, cum ad promissa facienda compello, sed a magno peccato retraho; neque enim talis esses, si non nisi, quod vovisti, faceres, qualis fuisses, si Votum omnino non edidisses, &c.

Hæredes non semper tenentur implere Testatorum Vota, ut si sint personalia, verbi causa peregrinationem aliquam conficiendi, Religionem suscipiendi, jejunandi, continentiam servandi. At si ea Vota realia sint, & tradenda re aliqua contineantur, ea quidem Hæredes ejus, a quo sunt edita, quique, antequam eadem exequeretur, occubuit, implere debent; ut proinde si Pauperibus aut Ecclesiæ certam pecuniæ summam se daturum voverit pater, filius, ad quem ejus devenit hæreditas, Votum illud perficere teneatur. Id rotundis verbis Moguntina Synodus definivit.

Inter irritationem Voti, ejusdemque mutationem seu dispensationem non parum interest. Irritari Votum nihil est aliud, quam nullum reddi, ejusque implendi obligationem de medio funditus tolli. Probat id D. Thomas (a) ex Numerorum Libro, in quo puella, quæ in patris potestate est, & nondum pubertatis ætatem attigit, dicitur non teneri Votum, quod emisit, implere, nisi pater assensum præbeat. In Voto dispensari nihil aliud est, quam declarari illud implendum non esse, quamvis non temere editum fuerit, quia nempe aliqua deinde circumstantia suborta est, qua illud malum aut inutile redditur, aut etiam fit, ut alicujus majoris boni obstaculum atque impedimentum evadat. Atque ita quidem dispensatio Voti, ejusque irritatio magnopere discrepant, quia dispensatio non supponit nullum aut inefficax Votum fuisse, sed illud nullum reddit ob causas, quæ post ipsius emissionem coortæ sunt. At e converso Votum irritari est declarari, non id omne, quod ad Voti validitatem necessarium erat, servatum fuisse. Denique cum Prælatus haud declarans Votum ejusmodi esse, ut impleri non debeat, tantum rem voto promissam cum alia commutat, id quidem Voti dicitur commutatio.

Qui Voto, quod edidit, implendo non est, statum, in quo versatur, Superiori patefacere debet; & tunc Superior aut Votum mutat, aut in eo dispensat, prout ei magis expedire visum fuerit. (b) Licet in Votis dispensare; quod ita ostenditur ex D. Thoma. Votum est boni promissio; fieri autem potest, ut qui eam promissionem edidit, in iis deinde circumstantiis versetur, in quibus eamdem perficere nequeat, quin malum faciat, aut majoris momenti bonum omittat; tunc ergo necesse est, ut vel in promissione cum eo penitus dispensetur, vel promissum bonum cum alio, quod cum cæteris vnventis officiis cohærere possit, commutetur. Qui porro promisit, sui ipsius judex esse non debet. Ad Prælatum ergo confugiat, necesse est.

Vota mutandi, vel in iis dispensandi facultas ad eos pertinet, qui in Ecclesia ligandi ac solvendi potestatem pro suæ quisque Jurisdictionis gradu, & pro Ecclesiæ ipsius limitationibus acceperunt. Papa potest per universam Ecclesiam in Votis iis dispensare, quorum dispensatio Ecclesiæ commissa est, quia non alicujus peculiaris Provinciæ terminis definita est ejus auctoritas; sed ubique obtinet ipsius Jurisdictio, ita tamen ut juxta Canones agere debeat. Episcopi non nisi in propriis Diœcesibus ea gaudent potestate, eaque quoad illa tantum Vota uti possunt, quorum dispensatio non est Summo Pontifici reservata. Votorum dispensatio, quæ summo Pontifici reservata non est, reservata est Episcopis. Nullus itaque Presbyter citra peculiarem facultatem in Voto dispensare, vel illud mutare potest. Neque ejusmodi dispensationes concedendæ sunt, nisi cum gravis ratio præsto est. Secus dispensatio esset dissipatio & prævaricatio potius quam dispensatio, ut D. Bernardus (c) in suo de Consideratione Libro docet.

Hac de causa Alexander III. interrogatus, an peregrinationis Vota in aliquas eleemosynas, vel in aliqua alia pietatis opera pro rerum ac temporum ratione converti possent, respondit (d) a Prælato pendere personarum qualitatem, & commutationis causam sedulo atque accurate perspicere, nempe cognoscere, an ob infirmitatem, magnas divitias, aliasve causas legitimas eleemosynæ, quibus ea Vota compensare est animus, sint opus melius, ac Deo gratius; & ita quidem Episcopum deinde dispensationem concedere seu denegare debere. Ratio, quam affert D. Thomas, ea est, quia spiritualis Prælati potestas ei ad ædificationem, ut loquitur D. Paulus, non ad destructionem concessa est.

(PAUPERTAS.
Vide (PROFESSIO.
(PROPRIETAS.
(RELIGIOSI ET RELIGIOSÆ.

An ad reale Votum implendum hæredes obligentur.

CASUS I.

1 *Gravis in eo vertitur difficultas, an reale Votum hæredes obliget*, deductis prius ære alieno & legitima.

2 *Illi quidem non videntur ad id obligari, nisi per Votum facta promissio occurrat in Testamento Defuncti, qui promissum post mortem suam faciendum mandaverit.*

QUÆSITUM.

CUm Maria Titii filia gravi morbo ex aliquo tempore laboraret, Pater, ejus pristinæ valetudinis obtinendæ gratia, votum edidit, se quotannis libras centum, quamdiu illa ægrotaverit, in pauperes erogaturum. Illa post annos octo convaluit, & biennio post, quam ea convaluerat, Pater occubuit. Cum admodum accuratus esset, accepta & expensa omnia in Codicem referebat. Post ejus mortem hæredes codicem expenderunt, & ab eo erogatam quadriennii spatio librarum centum eleemosynam compererunt; at eam quatuor aliis morbi annis erogatam fuisse non vident, atque adeo persuasum habent eam quatuor his postremis annis erogatam non fuisse.

(a) S. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. in argum.
(b) Idem 2. 2. q. 88. art. 10.
(c) S. Bernard. lib. 1. de consider. cap. 4. & lib. de præcept. & dispens. cap. 5.
(d) Cap. 1. De voto & voti redemptione.

Quæritur, an hæredes in conscientiæ foro teneantur dictæ eleemosynæ quoad quadriennium hoc satisfacere? Teneri quidem videntur, quia illud reale votum est; jam vero inter personale & reale votum id discriminis intercedit, quod illud non nisi voventem obligat; cujusmodi sunt exempli causa jejunia, cæteræque corporis macerationes; & ab eo tantum, qui illud edidit, impleri potest; cum contra realis voti obligatio ad hæredes transeat. Quamobrem votum, de quo quæritur, utpote reale, cum a Titio per eos quatuor posteriores annos impletum non fuerit, ab hæredibus perficiatur necesse est.

Verum enim vero videntur hæredes ad hanc eleemosynam non obligari; & ratio quidem in promptu est. Nempe convenit inter omnes, etiam hæredes votis realibus obligari, cum voventes, quorum illi hæreditate gaudent, iis minime satisfecerunt; at constet, oportet, eos, quorum hæredes sunt, ea vota edidisse quoad illud tempus omne, quo eadem ab ipso impleta non fuisse contenditur. Porro in hac hypothesi haud firmum, constansque est quoad eos quatuor postremos annos votum a Patre editum fuisse; quin potius pro negante parte stat præsumptio. Sane votum a Titio ad annos aliquot editum fuisse constat; sed votum hoc communi significatione accipiendum est, Voluit ille, quod promittens in ejusmodi facti specie velle consuevit; neque is rem immodicam velle censetur, nisi probationes præsto sint, Jam vero quid demum consueti moris est? Nimirum ejusmodi vota fiunt ad annos aliquot, ad duos, tres, aut quatuor, quia non præsumitur morbum diutius durare posse, præsertim cum gravis est; censetur nempe futurum, ut ægrotus annorum paucorum spatio vel moriatur, vel convalescat. Fit ergo vero simillimum Titium non credidisse sese obligare quoad annos plures, quam quibus eleemosynam erogavit; ac proinde ejus hæredes eam quoad hos quatuor posteriores annos erogare non teneri, quoniam eo quidem tempore patris obligatio non amplius vigebat. Titii sedulitas ac probitas præsumptionis hujus argumentum suppeditant; neque vero eredibile est, eum hnic eleemosynæ minime satisfecisse, si credidisset, se votum suum quoad id temporis edidisse. Negari saltem non potest obligationem hanc magnopere dubiam esse; in dubio autem hæredes ad dictam eleemosynam obligandos non videri; nimirum *potior est conditio possidentis*.

R E S P O N S I O.

Consilium conscientiæ subscriptum censet, pergravem in eo verti difficultatem, an reale votum hæredem obliget, *deductis prius ære alieno & legatis*; nihil enim occurrit in Jure Canonico, ex quo hujus controversiæ decisio duci possit. Afferuntur quidem in hanc rem Capita duo, nempe Caput *Licet, de voto* &c. & Caput *Ex parte, de censibus*. At respondetur, *ad Caput Licet* quod attinet, ibi supponi votum ab hærede acceptatum fuisse; ad alterum quod spectat, agi eo loci, docente ibidem Barbosa *n.* 5. de voto, quod populi nomine factum fuerat; quodque voventis successores per annos plus quam 300. executi fuerant.

Opponi potest id quoque, quod dicitur *in ff. l.* 50. *l.* 2. *de pollicit.* sub finem: *Qui partem decimam bonorum vovit, si decesserit ante sepositionem, heres illius hereditario nomine decimæ obstrictus est; voti enim obligationem ad heredem transire constat.* Sed respondetur, admodum probabile esse, aut votum illud ad commune bonum, vel ad Rempublicam pertinuisse, ut Glossa monet, & tacite, quod inde consequitur acceptatum fuisse, aut tanquam legatum defuncti testamento expressum fuisse.

Verum ut ut res habeat, ea est probabilior Doctorum opinio, (a) Bonacina quidem monente, vota etiam realia, quæ quis edidit, ante quam Monasterium ingrederetur, post Professionem non amplius locum habere, quia vota prorsus omnia tam personalia, quam realia, ut Auctor hic ait *n.* 7. de voti obligatione verba faciens, per Professionem cessant, atque extinguuntur; ita ut nec Monasterium nec hæres ejusmodi vota implere teneantur, nisi ea acceptaverint; & sane per mortem, quæ omnia extinguit, extincta quoque videtur eleemosynæ erogandi promissio, de qua in defuncti testamento ne verbum quidem. Ita quæcumque liberalis promissio facta fuerit, nisi eam Testamentum firmaverit, vel moriens ejus executionem mandaverit, omnino locum non habet.

In Digesti Lege declarat Glossa Episcopum voti hujus executionem ab hærede petere posse; at supponit illa Testatorem ita, cum jam jam moreretur, instituisse. Convenit, Auctores ita vulgo sentire; quæ de re Pyrrhingus, Molina, Sylvius, Bonacina consuli possunt; sed id demum omne non nisi extrinsecam probabilitatem parit.

Ex hactenus dictis concludi potest, Titii hæredes nequaquam teneri posterioris quadriennii, de quo quæstio est, eleemosynas erogare, seu quia præsumi potest non eam ei mentem fuisse, ut eam eleemosynam tam longo tempore largiretur, seu quia ille ea de re nullam in Testamento mentionem fecit, neque eam moriens instituit.

Decisum Parisiis hac die 4. Octobris an. 1704.
G. *Fromageau.*

Conditionatum suscipiendæ Religionis votum a puella emissum.

C A S U S II.

1 *Puella, quæ Religiosam Professionem vovet, si peculiari nominatim adolescenti nubere nequeat, votum suum, quatenus in ipsa est, implere tenetur.*

2 *Potest Episcopus in hoc voto, quod conditione suspensum est, dispensare, at, conditione impleta, non potest, nonnullorum Auctorum sententia.*

Q U Æ S I T U M.

Filiafamilias annorum septemdecim cum dimidio adolescentis amore capta, animum suum nemini aperiens, Deo in Ecclesia semel, iterum, tertio, quarto, & quinto promittit, se, si minus eidem Adolescenti nubere per parentes sibi licuerit, Religioni nomen daturam. Pronuntiant pater & mater nunquam fore, ut in ejusmodi matrimonium consentiant. Puella ut se parentum voluntati conformet, ei propensioni renuntiat, & ab eo, quod tam alte animo impresserat, consilio recedit. Quamobrem quærit illa in præsentia.

I. An ea conditionata promissio, quam edidit, atque iteravit, sit veri nominis votum, atque ejusmodi, ut sibi servandum sit? Circumstantiæ, fuisque satis ostendunt eam non alia de causa ita promisisse, quam ut in illud matrimonium parentum suorum consensum extorqueret.

II. Si forte in his promissionibus votum occurreret, confugiendumne ad Romanam Curiam esset obtinendæ dispensationis gratia? Præsertim cum in ejusmodi circumstantiis Episcopi ea facultate pollere videantur. Rogantur humillime Sorbonæ Doctores, ut suam super hisce quæstionibus sententiam aperiant.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ut propositis quæstionibus satisfaciat,

Quoad primam; compertum fieri, puellam, de qua quæstio instituta est, cum se Religioni nomen daturam quinque distinctis vicibus Deo promiserit, satis liberam fuisse, ut obligationem contraheret, ac proinde ejus votum proprie dictum votum esse; ex quo sequitur oportere, ut ipsa, quoad per eam fieri poterit, illud impleat.

Quoad secundam, Puellam curare posse, ut a voto, quod edidit, eximatur, siquidem ei legitima dispensationis, aut commutationis petendæ causa suppetat; quod ex proposita facti specie non apparet. Ad

(a) Bonacina Tom. 2. p. 247.

Ad quem porro tandam confugiat ? Ex communi Theologorum (a) sententia, Episcopus potest in voto, cui conditio apponitur, dispensare; non tamen, nonnullis docentibus, cum impleta conditio est; tum enim ea migrat in absolutum votum, spectaudumque tunc votum est, perinde ac si absolute factum esset; ac proinde ita reservari dabet, ut in eo dispensandi potestas penes unum Pontificem summum sit. Si vera est sententia hæc, ad Romanam Sedem dispensationis seu commutationis gratia confugiendum est, ad Puellæ votum quod attinet, quia nempe cum pater & mater se nunquam ejus matrimonio assensuros disertis verbis edixerint, consequens fit, puellæ voto apposita conditione completa, ejus votum, cum initio quidem conditionatum esset, absolutum, ac proinde reservatum evasisse. Vide Auctores ad marginem laudatos.

Nihilominus probabilior est, ut videtur, opinio contraria; quam etiam complures tuentur Auctores, ut Navarrus, Cardinalis Toletus, Sanchez, Diana aliique, quos Paschalis in medium affert (b). Et sane quamvis Religionis votum sub conditione emissum, statim atque impleta conditio est, absolutum evadar, & obligatio, quæ votum consequitur, par sit quoad effectum obligationi voti absoluti & conditionis expertis; promissio tamen, quæ magis in voto spectanda est, quippe quæ ejus naturam & essentiam constituit, absoluti voti promissioni ab origine, ac primo æqualis non fuit, cum voluntatia consensus in voto conditionato non nisi imperfectus sit. Voluntas enim non ipsa per se ac directe eo spectavit, ut Deo Religionis Professionem promitterer, nec potissimum divini servitii, ac Religionis studio permota fuit; sed potius eam traxit immediate res cui apposita conditio fuit, nempe matrimonii cum adolescente, quem amabat, contrahendi desiderium.

Addi potest, ejus voluntatem non nisi per aliquid extraneum, atque extrinsecum voto se ad votum ipsum determinasse, videlicet conditionis complementum, atque eventum in causa fuisse, ut puellæ voluntas Religionis obligationem subiret; uno verbo ajusmodi fuit ejus votum, ut omnino ab extranea, parentum scilicet voluntate penderet. Ex hac omni disputatione licet inferri voluntatis consensum nec parem, neque adeo perfectum in conditionato, atque in absoluto voto esse. Quamobrem cum reservatio ex eorum rerum numero sit, quæ odiosæ dicuntur, & sunt, in hoc proinde negotio restrictione opus est ex trita regula, *odia sunt restringenda*; atque ita si votum sere absolutum reservatum est, illud, quod conditione suspensum, reservatum esse non debet, etiam postquam conditio completa est. Itaque Episcopus in eo dispensare potest, quia reservatio non dubius casus, sed certus, docentibus omnibus, asse debet.

Decisum Parisiis die 26. Februarii an 1696.
G. *Fromagrea*.

Emissum metu Votum.

CASUS III.

1 *Votum pœnæ criminì debitæ formidine editum obligat coram Deo, nec nisi majoris boni gratia mutari potest.*

QUÆSITUM.

Qui crimen corporali pœnæ per Leges obnoxium patraverat, paulo post veritus, ne comprehensus Judici sisteretur, in Ecclesiam se contulit, ibique verba hæc pronuntiavit: Si pœnam, quam mea culpa mererur, effugero, tutusque latuero, voveo, me, quicquid bonorum mihi est (etiamsi scuta centum mille suppeterent) Hospitali daturum. Recedit ille deinde, annosque viginti transigit editi voti prorsus immemor.

I. Quæritur, an veri nominis Votum emiserit, quod proinde in foro conscientiæ implere teneatur? Libera persona est, & prolis expers; exiguum ejus patrimonium est, sed hæredes habet admodum pauperes, eosdemque virtute præditos.

Dubitandi ea ratio est, quod ei non satis mentis suisse videtur, ut votum ederet. Gravis formido pœnæ ei animi libertatem ad deliberandum necessariam ademit; eoque magis, quod cum ejus animus ad timorem sit factus, non est vero simile annos viginti, quin ei votum in mentem veniret, præterisse, si, quæcumque ad veram promissionem alacritas & promptitudo requiritur, ei præsto fuisset.

II. Facilitas, qua summus Pontifex & Romana Curia in simplicibus votis dispensant, eademve commutant, non levi argumento est ejusmodi vota non adeo stricte obligare videri; quoniam si aliter videretur, nunquam ea nisi rei meliotis causa mutanda essent; quod tamen nequaquam servatur.

III. Votum quodlibet pactum est; quodvis autem pactum non modo libertatem postulat, ut contrahatur, sed etiam, ut id ipsum fieri placeat; id quod in hac facti specie non occurrit; quia si persona hæc tutum asylum, & a loco, ubi crimen commiserat, dissitum obtinuisset, de hoc edendo voto minime cogitasset. Præterea ad pactum, vel contractum tria requiruntur, persona, quæ promittit, persona, quæ acceptat, & res, de qua convenit. Hic vero persona, quæ promisit, rei vagæ, & indeterminatæ timore promisit, eique non adfuit, qui promissionem Dei nomine acceptaret, & quod inda consequitur &c.

Quod si id votum esse judicetur, quæritur, an ad litteram sit implendum, atque an ejus dispensatio, vel in alia bona opera commutatio peti possint?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, personam, quæ vovit se omnia sua bona Hospitali daturam, siquidem pœnam suo crimini respondentem evitare potuisset, neque in ipsam inquisitum fuisset, in foro conscientiæ teneri suum votum implere; illudque metu mali, quo eadem persona digna erat, nullum redditum non fuisse. Videtur enim ei præsto fuisse sufficiens deliberatio; malum non ignoravit, ut ab eo liberaretur, ad Deum se convertit, eique promisit, si a malo liberaretur, atqua adeo si minime requireretur, futurum, ut Hospitali patrimonium suum largiretur; nulla contigit inquisitio; conditione proinde completa, extra omnem dubitationia aleam positum est, promissis standum esse, cum in hoc negotio nihil non maxime rationi consonum sit. Neque vero ejus oblivio circumstantia est, quæ persuadere debeat ei necessariam deliberationem præsto non fuisse.

Objectio porro ex facilitate, qua Votorum dispensatio seu commutatio in Romana Curia conceduntur, petita non est magni ponderis; præterquamquod enim propugnant Theologi Votorum dispensationes seu commutationes non sine legitima causa concedi oportere; id etiam in animo babent Canonistæ, iique ipsi, qui in Romana Curia res has ipsas procurant, ut licet intelligi ex Pyrrho Corrado *Prax. Dispensat. Apostolic. cap.* 10. n. 6. ubi in hanc rem affert auctoritatem Glossæ in *c. Non est, de vot. & vot. redempt. & in cap. Quanto, de offic. Ordinar.* Nec quicquam virium habet arrogata praxis, cum de obligatione agitur, quæ tum divino tum naturali Jure nititur, cujusmodi est executio voti, quod est rei bonæ Deo deliberate & consulto facta promissio.

Nec vero majus id pondus habet, quod tertio loco positum est; quoniam voventi personæ integrum fuit vovere, aut a vovendo abstinere; nemo prorsus impolit, potuitque votum non fieri, quin ullius vis periculum quoad exteriores causas existeret, quam vim subiret puella, quam parentes, mortem aut carcerem minitantes Religionis votum edere cogerent.

(a) Suarez t. 2. lib. 6. cap. 22. de Voto. Layman lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 10. Lessius l. 2. cap. 40. dub. 18. n. 131. Bonac. disput. 4. l. 2. p. 7. §. 4. Tamburin. tom. 2. c. 18. q. 6. n. 37. Reginald. l. 18. n. 836. Sayrne in Savi l. 6. c. 11. n. 77.

(b) Navar. in Man. cap. 12. n. 43. Tol. l. 4. c. 18. n. 11. Sanchez l. 8. da Matrim. disp. 10. c. 40. n. 13. Diana p. 1. tract. 12. resol. 54. Paschal. in praxi Jubilæi q. 296.

Dispensationis autem, seu commutationis, quod attinet ad votum hoc, petendæ causa nulla esse censetur, nisi forte proponatur majus bonum, quod non solum ad rei substantiam, sed etiam ad præsentes, quæ rem comitantur, circumstantias est exigendum. Quod autem dictum est, oportere, ut votum acceptetur, tam ex naturali quam ex divino Jure satis est, rem voto promissam bonam esse, ut a Deo acceptata censeatur; & ita quidem nisi Ecclesia impedimentum aliquod apposuerit, quemadmodum eam statuisse non ignoramus, ut Religionis vota nullum robur haberent, nisi certis quibusdam regulis, quas ipsa auctoritate sua instituit, conformia essent.

Decisum Parisiis die 12. Aprilis an. 1680.
Aug. *De Lamet*.

A Civitate editum Votum.

CASUS IV.

1 *Urbis Incolæ, qui Actu requisitis omnibus formalis instructo publicum, sed personale votum ediderunt, illud implere tenentur,*

2 *Hoc voto suos posteros ac successores obligare non potuerunt,*

3 *Si liberari volunt, ad Episcopum dispensationis gratia confugiant necesse est,*

QUÆSITUM.

Quæritur I. An Urbis Incolæ, qui Actu deliberatorio, quem publici Ministri, Consules, primæque notæ Cives subscripserunt, se in perpetuum die 22. Decembris jejunium servaturos, dieque 23. ejusdem mensis ab omni servili opere vacaturos promiserunt, ut injuriam Christo Domino irrogatam repararent, quod nempe sublata fuisset sancta Hostia, quæ per diem totam exposita non est inventa in Ostensorio hora quarta circiter pomeridiana, teneantur sub mortalis peccati pœna jejunium diemque Festum servare, cum nulla superioris Ecclesiastici Sanctio sit, sed tantum permissio sacrosanctum Sacramentum exponendi, illudque, instituta Processione, per universam Urbem deferendi die ipsa 23. Decembris, cum generali Civium Actus homologatione?

II. An Incolæ ipsi, qui eumdem Actum subscripserunt, ad ejus jejunii dieique Festi observantiam suos filios ac posteros in perpetuum obligare potuerint, quemadmodum etiam an Capitulum, quod assensum est, promisitque, Servitium & Processionem se perfecturum, potuerit eadem Lege Canonicos futuros obstringere?

Animadversione dignum est, Presbyterum in Collegiata hujus loci Ecclesia habituatum accusatum fuisse, quod sanctam Hostiam surripuisset, Decretum conjectionis in carcerem adversus ipsum exstitere, multosque testes apud Judicem deposuisse, se quidem adfuisse, cum ille Altare conscenderet, elataque voce, cum descendisset, populum increparet: heus vos, quid agitis? Hostia nulla est; idololatriæ vos crimine obstringitis. Deinde tamen ille ab ejusmodi accusatione liberatus est per Decretum contradictoria editum in Camera *de la Tournelle*: quod in causa est, ut Populus ad jugum sibi impositum excutiendum allegeu in præsentia, Sanctum Sacramentum sublatum non fuisse, atque jejunii dieique Festi obligationem, cum non nisi conditionata fuerit. & fundamenti loco factum habuerit, quod in pleno Senatu falsum declaratum fuit, quoad se minime existere.

Quamvis porro Rescriptum eam accusationem rejecerit, plures tamen sublati Sancti Sacramenti probationes quam negationes occurrunt; Canonicus enim, qui tunc hebdomadarius erat, testatur Sanctam Hostiam a se positam fuisse, idemque testantur omnes Canonici, qui Altari Majori proximi fuerant; quamobrem quicumque tandem hoc sacrilegium commiserit, videtur non amplius populus a contracta obligatione eximi posse, quod contendat Sanctam Hostiam in Ciborio remansisse, cumque, qui Officio fungebatur, oblitum fuisse eam in Ostensorio ponere, testantibus omnibus Canonicis, se, visitato exacte Liborio, parvas tantum Hostias Fidelium Communioni destinatas in eo reperisse.

III. An non satius foret publici hujus Voti, jejunium diemque Festum quoad eos spectantis, qui Actum subscripserunt, a Sede Apostolica dispensationem peti, quoniam occurrit annua transgressio duplicis hujus Voti, quod fere nemo unus servat sive ex Clericis sive ex Laicis, ad jejunium quod attinet; cum cæteroquin Officium & Processio quotannis fiant?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui proposita viderunt, existimant, Urbis Incolas, qui Actum, de quo in Expositione, ediderunt, eosque generatim omnes, qui eidem Actui vel externo aliquo signo, vel secum in animo assensum præbuerunt, jejunii, dieique Festi servandi obligatione præscriptis diebus sub mortalis culpæ pœna teneri; præsertim vero si eumdem Actum probarit Episcopus, quod per ejus homologationem satis ostendit, quin peculiari mandato opus esset; illud enim Subscripti pro certo ponunt in eo Actu tria illa occurrere, quibus voti vis & ratio continetur, & sunt deliberatio, propositum, promissio, ut ea Theologorum doctrina tradit D. Thomas 2. 2. q 88. *art.* 1. *in corp.* verbis hisce: *Promissio autem procedit ex proposito faciendi; propositum autem aliquam deliberationem præexigit, cum sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad Votum tria requiruntur: primo quidem deliberatio, secundo propositum voluntatis, tertio promissio, in qua perficitur ratio voti.* Ex quo sequitur, cum in hac promissione votum extiterit, ut a Subscriptis pro certo ponitur, utque est in quæstione tertia, ei quoque satisfaciendi obligationem adesse, neque fidem hanc falli posse sine cujusdam infidelitatis nota, ut constat ex sacris Litteris *Eccl.siast. cap* 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde.* D. Augustinus in Epist. 45. *Nunc vero*, inquit, *quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo; non enim talis eris, si non feceris, quod vovisti, qualis mansisses, si nihil tale vovisses; minor enim tunc esses, non pejor; modo autem tanto (quod absit) miserior, si fidem Deo fregeris, quanto beatior si persolveris.* Porro verba illa *infidelis & stulta promissio*, quibus utitur sacra Scriptura, & hæc alia D. Augustini, *sed a magna iniquitate deterreo* satis aperte significant ejusmodi transgressiones tanquam mortalia peccata spectandas esse; hac de causa Innocentius III. scribens ad Andream Belæ filium, tertium Ungariæ Regem, cujus Epistola refertur l. 1. Epital. hujus Pontificis *Epist.* 10. in Jure Canonico *De voto & voti redempt. c. Licet*, Ita pronuntiat: *Licet, universis liberum sit arbitrium in vovendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Ex quo liquet, Urbis Incolas, de quibus agitur, sub mortalis peccati pœna promissionem suam implere debere; cum enim Presbyteri, qui ejus Sacrilegii insimulatus fuerat, purgatio non videatur subreptionis ejus, quæ edendi Voti una & unica ratio fuit probationes destruere, sed eas tantum, quæ ejus personam afficiebant; non videtur Incolis suppetere justa causa resiliendi ab obligatione, quam subierunt, reparandæ ejus injuriæ quæ Christo Domino sive ab hoc Presbytero, sive a quovis alio irrogata fuit.

Quoad quæstionem alteram Subscripti in ea sententia versantur, ut putent Incolas per eum Actum jejunii, diei Festi, & Officii obligationem suis filiis, ac posteris imponere non potuisse, quia cum ea promissio, seu Votum non reale quidem sit, sed solummodo personale, ejus implendi obligatio eos tantum spectat, qui ipsi se suapte voluntate obstrinxerunt, nec ad filios & nepotes protenditur; hæc Paludani doctrina est *in* 4. *sent. dist.* 38. *q.* 3. *Quod si est votum tantum reale*, inquit, *ut fundandi Monasterium, vel dandi tantum pro Deo, aut oblationem mittendi, aut tot armatos ultra mare, tunc hæres tene-*

tur

tur ſicut in aliis debitis. Quod ſi tantum eſt perſonale, ut jejunare, continere, vel ire ultra mare; hæres non tenetur, niſi ſponte ſe obligaverit, ſive ſit filius, ſive ſit extraneus. Idem docet Sylveſter *Verb. Votum* a. *q.* 1c. & inter Canoniſtas præcipui in *Cap. Licet. De voto & voti redempt.* Reſponſum hoc idem adhibendum eſt ei quæſtioni, quæ pertinet ad Canonicos, in quos optime cadunt Azorii verba hæc *l.* 11. *Inſtit. moral. c.* 16. *n.* 15. *Quando Cives, vel Canonici voveat certam diem tanquam Feſtum obſervaturos, qui ſucceſſerant, nulla voti Religione obligantur: at vero ſi in conſuetudinem abeat illius voti obſervatio, tanquam legem conſuetudinem tenere debent.*

Quoad quæſtionem tertiam, Subſcripti cenſent, eos ex Civibus, qui de propria obligatione dubitant, nec Feſtum diem celebrant, contendentes Sanctum Sacramentum in Oſtenſorio poſitum fuiſſe, quamvis ex allata expoſitione graviſſimæ præſumptiones contra ſtent, poſſe tamen ad Epiſcopum accedere, ut voti diſpenſationem, aut commutationem, aut limitationem ad certum tempus obtineant, prout ille, ponderatis utrinque rationibus, expedire crediderit, quia nempe ejuſmodi diſpenſationes, ſeu commutationes nec petendæ unquam, nec concedendæ ſunt niſi cum cauſa; non eſſe autem neceſſe, ut illi ad Romanam Sedem confugiant, tametſi Votum publicum ſit, cum ex eorum non ſit numero, quæ Pontifici ſunt reſervata.

Deciſum Pariſiis hac die 14. Decembris an. 1673.

A. *De Lamet.*

Votum turbato animo emiſſum.

CASUS V.

1 *Nullum eſt Votum, quod fit animo violentis tentationibus perturbato, quia tunc nec cognitionis nec libertatis ſatis adeſt, ut proprie dicta obligatio contrahatur.*

2 *Renovatio Voti, quod ab origine nullum fuit, vim & validitatem, qua ab initio caruit, eidem non tribuit.*

QUÆSITUM.

PUella, cum impiis atque execrandis cogitationibus angeretur, & in tam miſero ſtatu verſans propemodum deſperaret, in animum induxit credere fore, ut, edito caſtitatis voto, ab iis omnibus anguſtiis liberaretur. Itaque cum quadam die ſummopere turbaretur, ita Deum allocuta eſt:

Domine voveo me nunquam nupturam, ſi tu me curis exemeris, quas patior; timenſque ſe a Deo non auditam, iterum, Domine, inquit, voveo, nec ſermonem abſolvit; eodem enim temporis puncto ad ſe ipſam converſa, quid ago, inquit, nova hæc tentatio eſt; quæ nullum me votum edituram voveram, Voto me obſtringo; tum vero ſe maxime turbatam ſenſit, quod votum edidiſſet; eoque magis quod perturbationes non deſtiterunt, quæ octodecim præterea menſium ſpatio ejus animum exagitarunt.

In hac facti ſpecie rogantur Doctores, ut pronuntient, an ejuſmodi votum validum ſit? Illud quidem puella non mature deliberans, ſed veluti deſperantis in modum edidit: conditione etiam ſuſpenſum fuit, nec impleta conditio eſt.

Atqui ſcire juvat, eamdem Puellam, cum ei matrimonium proponeretur, ipſa vero ob Votum, de quo ſupra, penderet animi, ad Confeſſarium ſuum conſilii gratia acceſſiſſe, & ex eo audiviſſe, votum, quod emiſerat, ratum firmumque eſſe. Itaque ut ex neceſſitate virtutem eliceret, ante Sanctum Sacramentum ſe ſiſtens ita ſe locutam credit: Domine, quandoquidem ipſa me obſtrinxi, me tibi rurſus devoveo. Ipſorum quidem verborum, quæ protulit, ipſa non meminit, atque adeo an verba ulla protulerit, ſed ſe votum inire voluiſſe ſane meminit, cum pro certo haberet eo ſe jam ex Confeſſarii reſponſo obligatam fuiſſe; ſi enim ſe liberam eſſe credidiſſet, ſecundum hoc Votum non emiſiſſet.

Poſterius hoc Votum eſtne melius, quam prius, & puella, de qua agitur, teneturne Cœlibatum ſervare.

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet poſterius Votum nullum eſſe, quia non eſt editum niſi vi prioris Voti, quod puella validum credidit, cum tale non eſſet; tunc enim ejus animus turbatus erat, malorum cogitationum plenus, ac prope de ſalute deſperans; non ergo illa tunc libertate ad veri nominis Votum neceſſaria gaudebat. Porro ex Jure confirmatio promiſſionis invalidæ, quæ valida per errorem ſupponitur, non magis obligat, quam ipſa promiſſio: *Non conſentiunt, qui errant*, inquit Lex 15. *Si per errorem. ff. de Juriſd. omn. Jud.*

Hoc nixi principio Sylveſter *v. Matrimonium* 4. *ſ.* 10. Navarrus *in man. cap.* 12. *n.* 72. Sanchez *l.* c. *diſp.* 16. *n.* 7. *de matrim.* pronuntiant Profeſſionem religioſam invalidam, cum ab eo confirmatur, qui ejus nullitatem ignorat, validam non evadere. Eadem eſt ratio voti, quod nullum eſt, haud melius evadit, cum renovatur, ejus nullitate non cognita, quia nempe in eo, qui illud confirmat, nec ſcientiæ, nec libertatis ſatis eſt: *Si quis*, inquit Sanchez, *invalide Religionem voveat, & poſtmodum ex ignorantia ratificet, non manet obligatus, ſed oportet, ut velit ratificare, habita notitia nullitatis prioris voti.*

Hoc eodem principio votorum confirmatio, quæ in Monaſteriis quotannis editur, majorem obligationem minime inducit, ſi ignoretur Profeſſionem nullam eſſe, vel quia non integre Novitiatus confectus fuit, vel quia ætas ad Profeſſionem requiſita non adfuit. Renovatio non parit obligationem, ſed ſupponit, conſequiturque.

Hinc ſequitur, puellam, de qua quæſtio eſt, non magis poſteriori, quam priori Voto obligari, cum illud non ediderit, niſi quod prius validum crederet, dubio procul non editura, ſi prius illud nullum eſſe pro certo habuiſſet: *Quod ſi faceret, credens ſe obligatum, alias non ratificaret, non tenetur ad illud*, inquit Sylveſter. Quamobrem cum puellæ hujus vota nulla ſint, libera eſt, ut proinde quemcumque voluerit, ſtatum eligere, atque amplecti poſſit.

Deciſum hac die 27. Novembris an. 1695.

G. *Fromageau*,

Capucinorum Ordinis ſuſcipiendi Votum.

CASUS VI.

1 *Eccleſiaſticus, quamvis delicatiore corporis habitu, qui ſe Capucinis nomen daturum vovit, in eum Ordinem ingredi debet.*

2 *Si Novitiatum amplexus, & bona fide conatus pro viribus ad Profeſſionem ſe comparare, non iis viribus eſſe cenſetur, ut Regulæ ſervandæ par ſit, editi voti diſpenſationem a Pontifice petere, & in priſtino ſtatu tranquillo animo remanere debet.*

QUÆSITUM.

ECcleſiaſticus, qui nunc ætatis anno 33. eſt, inſignis Eccleſiæ Canonicus, & Concinnator votum edidit, cum eſſet annorum 16. aut. 17. circiter, ſe Capucinorum Religionem amplexurum, ad quam fervoris quodam impetu ſe abripi ſentiebat, tametſi quam graves ſubiret obligationes, non ſatis animo aſſequeretur. Humanæ tamen Societatis pericula non ignorans, tutum ſalutis portum Religionem eſſe ſibi perſuaſit. Ab infantia corrupto lacte nutritus tam infirma jacuerat valetudine, ut omnino ineptus fuiſſet, ſi ejus infirmitates perdurâſſent, quæ quidem ceſſarunt anno ante votum, quod concepit & pronuntiavit, fere prout ſequitur. „ Mi Deus ſi me in poſterum ab infirmitatibus, „ quibus pueritiæ meæ tempore obnoxius fui, ſervare volueris, promitto tibi me in grati animi „ argumentum ad Capucinos iturum, ut in eorum „ Religione vivam, & moriar, atque ita tibi omnino devoveo". Cum diu multumque petiiſſet;

receptus fuit, & per dies quadraginta duos habitum detulit; quibus elapsis egressus est ob naturalem levitatem, & ob prava Novitii consilia, qui ei adversus omnes hujus sanctæ Religionis praxes acerbitatem inspiravit, & ipse quoque recessit.

Ecclesiasticus hic consulens post annos ab egressu quinque vel sex febri continua non sine hepatico fluxu per dies 55. correptus fuit; tum vero infidelitatis causa magnis conscientiæ stimulis agitatus quoddam quasi votum edidit ad Capucinos redeundi, si Deus ei pristinam valetudinem restitueret; verum ille fidem non præstitit.

Cum per ætatem ac studium mentis aciem magis magisque exacuisset, obligationem suam clarius cognovit, sensitque vehementius. Itaque cum aptissimos Theologos consuluisset super turbationibus, & scrupulis, quibus fere semper ab an. 16. angebatur: alii quidem responderunt, eum, ut erat delicatiore corporis habitudine, non teneri ad eum Ordinem regredi, ne rursus egredi non sine magno famæ dispendio cogeretur; alii vero, ponderata voti natura, pronuntiarunt, eum, quippe qui petitam a Deo valetudinem obtinuisset, ad obligationem suam implendam se se comparare debere, atque in promissi faciendi ineluctabili necessitate versari, prout quidem id ipsi integrum fuerit; secus in salutis discrimine fore.

Non semel id ille contulit cum Capucinorum Provinciali, eoque doctrina, prudentia, ac pietate præstantissimo, cui Voti sui naturam exposcit, nec non ejus implendi, quam in se ipse sentit, obligationem; ei quoque se infirmiore valetudine esse significavit, & declarationem exhibuit idonei Medici, ajentis, Supplicantem citra miraculum servandæ Capucinorum Regulæ parem non esse; nihilominus R. P. Provincialis respondit, post maturam deliberationem, eum post Votum in conscientia tutum non esse, seque paratum esse, eumdem, cum primum ingredi vellet, in Ordinem suum recipere.

Ergo ille nunc, si ullo unquam tempore, maxime angitur, quia cum infirmitates suas Ordini, Ordinisque Capiti declaraverit, Provincialis eum recipere non recusat, cumque a Religione acciperetur, se ipse putat non amplius differre posse, & quamprimum ad Capucinos migrare debere.

Romam scripsit, ut dispensationem obtineret; sed aptus Romanæ Urbis Theologus, ad quem confugit, eum monuit necesse esse, ut ad Votum suum vel in hoc, vel in alio laxiore Ordine implendum ipse se compararet, ac fore dixit, ut, si cum eo Pontifex dispensaret, negotium omne ipsius conscientiæ relinqueret. Respondit Ecclesiasticus, ut molliorem Ordinem amplecteretur, haud futurum tamen, ut hac ratione propriam conscientiam in tuto poneret, cum non nisi quoad Capucinorum Ordinem votum ediderit; atque ut Pontifex dispensaret, negotio quidem ipsius conscientiæ relicto, se tamen animo tranquillo, tutoque non fore, quia si minus certus est se persiturum, ne certus quidem est se non persiturum, cum modo prospera, modo adversa sit valetudine. Rogat proinde Doctores, ut decidant, paratus eorum decisionem sequi.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod expositam facti speciem vidit, existimat, Ecclesiasticum consulentem, cum duplex suum Votum non sine circumstantiis & conditionibus omnibus ad obligationem inducendam necessariis ediderit, debere promissa facere; nec satis ipsum ex delicatiore corporis habitudine ab implenda obligatione impediri, quoniam minime desunt, qui maxime gracili corpore vitæ rationem non minus quam Capucinorum asperam, duramque amplectantur; præterquamquod si Probationis tempore ita infirmus detegetur, ut perferendis hujus Ordinis asperitatibus impar sit, ad Professionem non admittetur, cum ita tamen promisso suo satisfecerit, dummodo, quantum in ipso est, ingenue, atque ex animo agat, quin in aliam minus asperam Religionem migrare teneatur; eoque magis, quod, dum vovit, non universim, sed Capucinorum Religionem sibi proposuit; quod ipse tum demum perficiet, cum bona fide, sincere, & cum cordis simplicitate nihil non egerit, ut ad Professionem admittatur. Neque vero excusatione dignus est, qui a Capucinis recesserit, nec prior ingressus eum exemit a Voto, quo se inter Capucinos victurum, & moriturum receperat; atque una ejus Ordinis Professio eum potest in tuto ponere, nisi forte suas omnes vires ad implenda Novitii officia conferens haud satis valere censeatur, ut majori per Professionem obligationi se subdere permittatur.

Censet idem Consilium, eum coram Deo maxime reum esse, quod posteriori suo Voto satisfacere tamdiu distulerit, eoque minus excusationem mereri, quod obligationis suæ ipse sibi conscius esset, quippe qui a morbo gravissimo convaluisset, quam quidem ipse posteriori suo Voto conditionem apposuerat.

Eum maxime diffidere debere amori proprio, cujus causa promissionem suam executus non est & hac sane cogitatione ipsum super infirmitate atque impotentia arrogata minus animo angi debere, quoniam ipse se tutius certiusque cognoscet ex eo, quod in Novitiatu faciet, virium suarum periculo; declarationem quippe, quam apud Provincialem edidit, in causa fore, ut ii, quibus suberit, ejus vires diligentius expendant, videantque, an in ea quidem, in qua nunc versatur, valetudine Regulæ asperitates perferre possit. Si tamen certo constaret, ipsius vires adeo imminutas esse, ut ille Regulæ ineptus sit, conscientiam suam in tuto ponere posset, ingenue in Romana Curia negotium exponens; ac si forte Pœnitentiaria Supplicationem reciperet, eique concedere Breve datum *Discreto Viro*, &c. posset uti gratia sibi a Pontifice concessa per Presbyterum commissum, cui confiteretur, quique non nisi voluntatis Pœnitentiariæ executor esset.

Decisum die 10. Martii an. 1682.
A. *De Lamet*.

Votum dandi nomen inter Capucinos Eremitas.

CASUS VII.

1 *Qui morbi tempore Votum edidit suscipiendi Capucinorum vel Eremitarum Ordinis, proprie dictum Votum edidit, quo obstringitur.*

2 *Quoniam in hoc Voto est optio, potest ille ex duobus Ordinibus utrum voluerit, eligere.*

3 *Si Eremitarum Ordinem eligat, & graves ei causæ suppetant, ne eumdem profiteatur, Episcopus; & Jubilæi tempore quilibet Sacerdos approbatus eum a Voto eximere potest, & tunc quidem citra culpam matrimonium inire poterit.*

QUÆSITUM.

PEtrus ægrotans se Religionem professurum proposuit; sed pristinæ valetudini restitutus propositi oblitus est; recidit in eumdem morbum, ac ratus se a Deo puniri, quod consilium prius neglexisset, Votum edidit se Capucinorum vel Eremitarum Ordinem professurum. Cum deinde convaluisset, audiit ex Ecclesiasticis Viris ejusmodi Vota mortis metu emissa nulla esse; sed eorum rationibus non convictus, & ex alia parte præ delicatiore corporis habitudine, & valetudinis imbecillitate promissis faciendis ineptus, interrogat.

I. An proprie dictum Votum ediderit, an illud Religionis Votum sit, atque an non integrum sibi sit, utrum libuerit, Capucinorum, aut Eremitarum Ordinem amplecti?

II. An hujus Voti vi in Cœlibatum permanere, & continentiam tanquam Religionis Voto contentam servare debeat?

III. An teneatur ad Romanam Curiam mittere, ut dispensationem obtineat, atque an non Jubilæi tempore simplex Sacerdos hac in re cum eo dispensandi facultate gaudeat?

RE-

Reaponaio.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod exposita vidit, ut quæstioni primæ satisfaciat, putat Petrum posterioris morbi rempore vere ac proprie, vovisse votumque implere debere, quoniam & rationis usu præditus vovit, & probe sciens, quid obligationis iniret. Innocentius III. *C. Sicat* 2. *De Regul.* sentit valere Vota, quæ mortis formidine ægrotus edidit, & in conscientiæ foro obligare; & hac quidem de causa Auctor Glossæ, & Joannes Andreas in idem Caput pronnntiant discrimen esse inter eum, qui vovet morbi tempore, vel in periculo naufragii, pestis, &c. & eum, qui mortis minis percellitur, nisi quod ei proponitur, Votum emiserit. In posteriore quidem Casu Votum non obligat, quia cum violentæ mortis timor illud extorserit, nullum declaratur in Jure: *Non tenet Votum*, inquit Joannes Andreas; *ratio diversitatis est, quam reddit Glossa ff. quod metar causa, in primo casu per totum immittitur timor ab homine, contra cujus violentiam subvenitatar*. At in priore Casu Votum obligat, quia Deus hominibus morbos immittit, eosve aliis eventis exponit, ut ipsos fortasse ad conversionem pertrahat, ut proinde nullins tanta sit Superioris auctoritas, ut eos absolute in hoc negotio eximere possit: *In primis duobas casibus immittitur* (timor) *a Deo forsan ad animæ conversionem, contra quod non bene competit restitutio, indixi supra, eodem eum virum; nec esset major, qui illam dare posset*. Azorius quoque ita sentit 1. *p. l.* 11. *c.* 15. *q.* 6.

Quamvis autem Petri Votnm veri nominis votum sit, Religionis tamen Votum esse dici non potest; si quis enim Deo promisit se rem unam pluresve, optionis addita conditione facturum, & earum rerum una Pontifici, alrera Ordinario est reservata; liberum est confitenti, utram maluerit, eligere; nititur id ea Juris regula, quæ 70. est: *In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimplere*. In hac sententia est Sanchez *l.* 8. *de Matrim. disp.* 9. *n.* 14. Petrus ergo eam Voti parrem tenere potest, quæ Eremitarum Ordinem spectat, & ad Ordinarium accedere, causas expositurus, ob quas dispensationem & commutationem petit; jam vero suscipiendi Eremitarum Ordinis Votum Religionis Votum non est; Eremitæ quippe proprie Religiosi non sunt, ex Generali Lugdunensi Concilio sub Gregorio X. celebrato *C. Un. de Relig. dom. in* 6. ii tantum Religiosorum nomine veniunt, qui in aliquo approbato Ordine Professionem emittunt.

Non desunt sane in Ecclesia Religiosi, qui iidem Eremitæ sunt, ut Camaldulenses, Chartusiani, aliique nonnulli; sed consueta loquendi ratione Eremitarum vocabulo intelliguntur ii, qui agendæ pœnitentiæ, & ab humano consortio longius vivendi cupiditate permoti peculiarem habitus formam sumunt, non sine Episcopi permissione, nullique Monasterio addicti subsunt obedientiæ legibus. Itaque proprie dicti Religiosi non sunt; & re quidem ipsa nullis se Votis obstringunt, quæ sane Religioni sunt essentialia, Paupertatis imprimis; possunt enim ejusmodi dispensationes recipere juxta Canonem *Perlatum §. e contra* 19. *q.* 3. *c.* 8. & Glossam in Canonem *Qui vere v. vero: sed Eremita non renuntiat propriis*. *Choppin l.* 2. *Monast. n.* 25. eamdem sententiam tuetur, Eremitas nempe nec suis temporalibus bonis, nec patrimonio suo renuntiare. Idem docet *Bredeau* in Rescripta *Louet litt. C.* 8. *nn.* 45. & 46. meminitque Rescripti, quo librarum 400. annua pensio an. 1633. adjudicata est Eremitæ recluso Montis Valeriani ex patris ac matris hæreditate, a qua quidem, cum eam sibi vindicaret, rejectus fuit ob peculiares causas allatas in Rescripto *lib.* 2. *c.* 107. Rescriptorum Du Frene.

Ad quæstionem secundam quod attinet, respondetur, si Petrus Eremitam agendi consilium suscipiat, Votum, quod edidit, Religionis Votum non esse, quoniam Eremitæ Religiosi non sunt; adeoque frustra quæri, an, quia Religionis Votum continentiam complectitur, ille quoque propterea continentiam servare teneatur; verum ut Religionis Votum edidisset, eumdem tamen tamdiu solummodo ad Cœlibatum obligatum fore, quandiu ejus Votum subsisteret, ne se eidem solvendo imparem redderet, quippe qui censeretur edidisse castitatis Votum tum demum servandæ, cum approbatum Ordinem amplecteretur, & in eo Professionem emitteret; ut proinde, si quid ante tempus illud contra castitatem delinqueret, ejus errata a simplicium Fidelium criminibus haud specie differrent. Vide Pelizarium *Tom.* 1. *c.* 4. *n.* 7. *q.* 26.

Quod spectat ad quæstionem tertiam, respondetur, si Petrus Eremita esse voluerit, ac deinde gravibus de causis consilium mutet, ut dispensationem obtineat, necesse non esse, ut ulli Regulari Prælato se sistat, sed satis esse, ut ad Episcopum proprium accedat. Potest etiam Jubilæi tempore ex eorum numero, qui approbati fuerint, Confessarium eligere, qui sibi Voti dispensationem, vel in alia bona opera, siquidem ita expedire judicaverit, mutationem impertiatur. Ita porro a Voto liberatus non tenebitur Cœlibatus legibus, nisi Confessario peculiaribus de causis aliter visum fuerit.

Decisum in Sorbona hac die 15. Julii an. 1691.
G. *Fromageau*.

Votum non petendæ Votorum simplicium jam editorum dispensationis.

CASUS VIII.

1 *Presbyter Sæcularis Congregationis, in qua emittuntur Vota simplicia, in quibus dispensandi penes Superiorem potestas est, potest Votum edere dispensationis ejusmodi non petendæ.*

2 *Superior tamen in hoc posteriore Voto cum eo dispensare potest, illudque irritare, cum ipsi videbitur, vi potestatis, quam in suos inferiores obtinet.*

3 *Votum non petendæ dispensationis aut commutationis Votorum suorum, quicquid evenerit, nullum est, quia fieri potest, ut de re illicita sit.*

QUESITUM.

PEtrus Professus in sæculari Congregatione, in qua obstrictus est simplicibus Votis quatuor, videlicet paupertatis, castitatis, obedientiæ, & perpetuæ stabilitatis, in quibus omnibus Superior Generalis dispensare potest, cum ante annos aliquot petendæ eorum Votorum dispensationis tentatione se vehementem affectum sentiret, nec se tunc tuta conscientia id facere posse crederet, ut tentationi, qua summum in modum premebatur, finem imponeret, novum Votum edidit in hanc fere rationem:
„ Voveo me nunquam dispensationem Votorum, quæ
„ pridem edidi, petiturum; & iis me perinde in
„ meo statu ac Capucinum in suo obligari contenˍ
„ do, ita ut ego non magis quam ille ab eodem
„ statu recedere possim.

Ex eo tempore mutata est rerum facies, & Exponens ægro animo in Congregatione versatur, adeoque graves ei causæ incipiunt, ut cum Votorum quatuor simplicium dispensatione egrediatur. Sed eum retrahit novum Votum, cujus modo forma ac verba ipsa producta sunt. Quamobrem nil aggredi volens contra conscientiam, rogat Sorbonæ Doctores, ut super hac facti specie suam scripto sententiam proferant, & si quidem fieri per eos possit, definiant.

I. An Exponens obedientiæ voto jam obstrictus, nec amplius proinde sui juris novum hoc Votum contrahere potuerit?

II. An non idem Votum nullum sit, quippe quod a prudentia alienum appareat?

III. An non aliqua alia de causa nullum sit?

IV. An non illud tanquam Votum simplex, a præcedentibus sejunctum, & Superiorum facultate pollentium dispensationi obnoxium spectari possit?

V. An quia *votum de non petenda dispensatione*, docente S. Antonino, *non est universaliter obligatorium*, tum solum obliget, cum æternæ Voventis saluti magis expedit dispensationem non peti? An non Exponens plena cumulataque conscientiæ securitate gaudebit secutus judicium prudentis viri, qui ex-

positas

positas rationes expendens dijudicaverit; an ejus animo utile sit, ut dispensationem petat?

VI. An aliqua ratio subesse possit, qua tuta conscientia utatur Exponens, ut suorum quatuor priorum Votorum dispensationem exposcat, novo ejus Voto eam non petendi nihil obstante?

Responsio.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, id, quod Exponentis animum maxime sollicitum habere videtur, esse Votum, quod edidit, nunquam petendæ Votorum suorum dispensationis. Sed antequam propositis quæstionibus satisfiat, animadversione dignum est, Votum hoc, ut validum esse poneretur, haud tam strictæ tamen obligationis esse, quam ejus Vota cætera: hæc enim reservata sunt, non item postremum illud, quia privati hominis non est actioni reservationem apponere, atque ita Prælati sui potestatem restringere; id ad Ecclesiæ pertinet auctoritatem; ut proinde Ordinarius, Superior, atque adeo Confessarius quilibet approbatus possit Jubilæi tempore Votum ejusmodi commutare, vel in eo dispensare. Hæc (a) Bassæi, Moroni, Pelizarii, aliorumque complurium sententia est.

Hoc posito, ad quæstiones propositas respondetur;

Ad primam, Religioso non esse prohibitum, ne bonum opus agat; porro Votum ipsum per se ac generatim bonum opus est, quod utpote nec Regulæ, nec Superioris sui præcepto contrarium, ut pro certo quidem ponitur, potuit eidem permissum esse; adeoque id ipsum, vel inscio proprio Prælato, facere potest, ut (b) Bassæus, & complures, quos ipse in medium adducit, Auctores animadvertunt. Id tamen non impedit, quominus Superior ejusmodi Votum irritare possit, cum e re esse judicaverit, pro potestate ac dominio, quo in inferiorem suum gaudet vi Voti obedientiæ, quod ipsi præstitit, ut (c) Pelizarius ostendit. Hinc apparet, Exponentem, si novum hoc Votum non edidit, non ideo illud edere non potuisse, quod obedientiæ Votum emiserit, nec amplius sui juris esse censeatur, sed quod in iis circumstantiis ediderit, quæ illud nullum redderent.

Ad secundam ac tertiam quæstionem, *si vero votum*, non petendæ scilicet dispensationis, inquit Moronus loco supra laudato, *fuerit factum cum limitata intentione non se obligandi nisi in casibus, in quibus est expediens, vel ea communi intellecta, ut est talis restrictio, votum valebit*. At consueta eorum animi præparatio, quos vehemens zelus, & ardens fervor ad tale votum edendum trahit, ejusmodi limitationem seu restrictionem minime includit; & hinc est, inquit Pelizarius, ut ea vota sæpenumero nulla sint, quia nonnunquam contingit utile atque animi bono consonum esse, votorum dispensationem seu commutationem peti: *Votum de non petenda dispensatione aut commutatione voti, ut plurimum est irritum, cum interdum expediat saluti animæ illam petere*. Uno verbo votum hoc indiscriminatim emissum nullum est, quia rei est, quæ mala esse potest: *Votum non petendi dispensationem, vel commutationem voti emissum animo se obligandi sub generalitatem amat eventu, est nullum, quia est de re, quæ aliquando potest esse illicita*, hæc Moroni verba sunt. Exponens porro, dum votum suum edidit, videtur absolute ac citra expressam seu tacitam restrictionem vovisse, illudque proinde votum imprudens, nullumque fuit; & quod inde fit consequens, Exponens ipse in hac facti specie nec dispensatione ulla, nec commutatione opus habet.

Ad quartam, si cum modo, de quo supra, Votum hoc novum editum ponitur, hoc in casu Superiorem, eoque permittente, quemvis alium approbatum posse in eo dispensare, quoniam non perinde ac vota cætera reservatum est.

Ad quintam, si Exponens animo plena libertate gaudente vovit, eaque cogitatione, votum illud ad tentationem, qua tunc angebatur, depellendam utile fore, si ea præterea vovit animi præparatione, quæ sub initium responsionis ad secundam ac tertiam quæstionem declarata est, non est ei concedenda Voti illius dispensatio, si ad ejus spirituale bonum facere censeatur. Econtra si judicet vir prudens ejusdem voti dispensationem, vel in aliquid aliud commutationem Exponenti utilem fore, tum quidem ille animo tutus erit, si consilio sibi proposito acquiescat.

Ad sextam & postremam quæstionem respondetur, novum hoc Votum non impedire, quominus Exponens aliorum quatuor Votorum dispensationem petere possit, siquidem ejus petendæ atque obtinendæ satis graves ei causæ suppetant; dictum est enim supra novum illud Votum simplex tantum, ac minime reservatum esse, nec, si validum quidem fuerit, Ordinarii vel Superioris potestatem excedere. Præterea causæ, propter quas Exponens Votorum quatuor dispensationem ab eo impetrabit, ad quem spectat eamdem concedere, eo demum tendent, ut appareat novum Votum illud aut nullum ac fundamenti expers fuisse, aut saltem non amplius subsistere.

Decisum in Sorbona hac die 21. Maji an. 1701.
G. *Framageau*, T. B. *Bourret*,
N. *Petitpied*.

Simplicium Votorum obligatio in Mulierum, quæ Hospitalariæ dicuntur, Communitate.

CASUS IX.

1 *Vota simplicia, quæ in nonnullis Communitatibus emittuntur, in quibus bonorum proprietas servatur, coram Deo quoad usum perinde obligant ac Vota solemnia.*

2 *Quæ puellæ vota ea simplicia ediderunt, nihil omnino vel dare possunt vel accipere absque Antistitæ consilio.*

3 *Regulæ ob intelligentiam atque explicationem verborum horum* absque Antistitæ consilio.

4 *Eas Confessarius absolvere nequit, nisi paupertatis Votum, quod emiserunt, se servaturas promittant.*

QUÆSITUM.

Ex quarumdam Monialium, quibus nomen Hospitalariis, paupertas, quam ipsæ profitentur, non est ejus similis, cujus observantia in Monasticis Votis edendis promittitur, hoc est non impedit, quominus Testamento vel *ab intestato* suorum hæredes sint, legitimæ supplementum sibi vindicent, omnes omnino donationes acceptent, libera gaudeant eorum bonorum dispositione, quæ ad ipsas spectaverint, & generatim ad res proprias quod attinet, ea prorsus ratione agant, qua sæculares agere possunt, omnium civilium Actuum capaces.

Possunt tamen excellenter eam virtutem colere, quam adeo in Evangelio suo Christus Dominus commendavit, inquiens, *Beati pauperes spiritu*, ii nempe, qui a creatis rebus omnibus animo abducti sunt, & in quorum corde nihil est, quod Dei locum occupet. Eo consilio debent illæ quotidie secum ipsæ rerum omnium proprietatem abjicere, testantes coram Deo se paratas esse, cum divinæ Majestati placuerit, omnia relinquere, seque nunquam ulli rei magis addictas fore, quam ei placere crediderint.

Ut autem ad hujus consilii praxim deveniant, quamvis bonum ipsum retineant, ejus tamen usu se omnino spoliare debent, adeoque Moniales (sunt hæc ipsa Constitutionum verba) nihil prorsus accipere, donare, disponere absque Prælatæ consilio possunt, ita quidem, ut nec eam hæredem instituere, nec ei quicquam Testamento legare possint; idemque quoad Directorem & Capellanum serverur.

Capitis, quod proxime præcedit, hic est titulus: *De obligationibus, quas contrahunt Moniales, deque earum Votis*.

Vo-

(a) Bassæus tom. 2. v. votum n. 26. Moronus de Jubil. resp. 98. n. 459. Pelizarius tom. 2. tract. 8. c. 3. n. 171.

(b) Bassæus to. 5. v. Votum 5. n. 12.

(c) Pelizarius to. 2. tract. 3. c. 4. n. 61.

Vototum formula in earum Cæremoniali effertur in hunc modum: *Postquam Novitia se publice obtulerit ad Altare, ut Deo, pauperibusque agrotis in Hospitali deserviat, in castitate, paupertate, atque obedientia;* Celebrans interrogat, an sibi videatur oblationem suam exequi posse;. respondet illa: *se quidem ita sperare, Deo adjuvante*. Tum eam ita alloquitur Celebrans: *Promitte igitur ac jura, filiola, te, quoad hac in Domo extiteris, obedientiam Ministris, Directoribus, Rectoribus, Administratoribus, & Patri spirituali præstituram, necnon Dominæ, quæ hic adest, & iis, quæ in posterum præerunt, atque adeo te in castitate ac paupertate persistaram, quam maxime poteris, de pauperum ægrotantium servitio, cura, ac salute sollicitam.* Respondet Novitia: *Equidem, mi Pater, ita promitto.*

Tum vero subdit Celebrans: *Harum promissionum gratia, ego te, Filiola, recipio in horum Monialium numerum, ut hujus Familiæ spiritualibus ac temporalibus bonis gaudeas.*

Animadvertendum quoque est, earum Regulæ capite 6. hæc haberi: *Reformationes Sororibus quamvis Professis propositæ ne sub venialis quidem peccati pœna eas obligant, nisi ratione contemptus, scandali, vel acidiæ*, &c.

Quæritur ex Conscientiæ Consilio,

I. An promissa, quibus hæ puellæ se obstringunt, se nempe castitatem, paupertatem, & obedientiam, quoad ibidem versatæ fuerint, servaturas, spectanda sint tanquam veri nominis Vota, quibus sub mortalis peccati pœna obligentur?

II. An paupertatis Votum cum restrictionibus ad Capitis modo laudati calcem propositis eas pariter obliget sub mortalis peccati pœna, si forte dederint, acceperint, disposuerint, quæ ad ipsas pertinent, absque Prælatæ consilio?

III. Quid tandem absque ejusmodi consilio ab iis donati vel accipi necesse foret, ut esset lethalis culpæ materia?

IV. Quo sensu accipienda verba hæc, *absque Prælatæ consilio*, an ita, ut ejus permissionem & consensum significent? An vero sufficiat puellas ei declarare, quid dent, accipiantve, quin ejus permissionem & consensum obtinere teneantur?

V. Facta hypothesi paupertatis Voto cum expositis restrictionibus sub mortalis peccati pœna Moniales has obligari; quæritur, quomodo se gerere debeat Confessarius, qui probe novit, eas ne verba quidem Antistitæ de iis facere, quæ propriæ sustentationis gratia, & in pensionum suarum solutionem perceperint? Debetne ille Sacramenta iis denegare, quoad hoc in capite resipuerint? Potestne, earum ne animos turbet, de iis conticescere, quæ ipsis consilium parum prudens, aut fortasse mollius in hoc articulo concedere potuere?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ Subscriptum, ut propositis quæstionibus satisfaciat, respondet,

Ad primam, Promissa, quæ edunt Hospitalatiæ de . . . . servandi paupertatem, castitatem, & obedientiam, quoad in Familia perstiterint, veri nominis Vota esse, quoniam promissa sunt a personis idoneis Deo facta de meliori bono, quippe cum ad Voti essentiam minime necesse sit, absolutum illud, & perpetuum esse. Jam vero Votum quodlibet ipsum per se sub mortalis peccati pœna obligat. Hæc Theologorum communis sententia est: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, inquit D. Paulus 1. Tim. 5. v. 12. Ad quæ verba D. Augustinus in Psalmum 75. *Quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? Voverunt, & non reddiderunt*. Eadem quoque Canonistarum doctrina est in *cap. Licet. de voto*. *Licet universis liberum sit arbitrium in vovendo: usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire*. Et sane irreverentiæ gravis reus est, quisquis in hoc negotio obstrictam Deo fidem fallit, ut proinde offensa hæc non nisi ex levitate materiæ, vel ex inadvertentia possit imminui.

Cum porro in Constitutionibus dicitur, eas sub peccato non obligere, id non de Votis, quæ semper excipiuntur, sed de puris putisque Sanctionibus est accipiendum.

Ad secundam; ei quidem satis esse factum per ea, quæ hactenus dicta sunt; quod si quid addendum est, id occurret paulo post.

Ad tertiam; Facta hypothesi Hospitalatias de.... nil sine Prælatæ consensu accipere aut dare posse, pronuntiari potest, eas, quæ generatim tam arctæ paupertatis, quam arcta Monialium paupertas est, legibus adstringi nequaquam videntur, quoad usum tamen æque perfectam paupertatem se servaturas promisisse. Ita quidem judicari potest ex ipsarum Constitutionum verbis illis: Quamvis ipsis remaneat boni proprii fundus, omnino tamen usu spoliare se debent.

His ita se habentibus, quæ summa, quique valor Moniali mortalis peccati contra paupertatis votum materia esset, his quoque Hospitalariis esse debet. Jam ut Monialis contra paupertatem lethaliter peccet, majore summa opus est, quam si de furto ageretur; de Antistita quippe quoad subditam, hoc est veluti de matre quoad filiam favorabilius præsumitur, quam de persona, cui invitæ ac repugnanti bonum surripitur. Præterea in negotio transgressionis Voti paupertatis antequam definiatur, an culpa lethalis adsit, spectatur qualitas rerum, quæ dantur, aut accipiuntur, & personarum, quibus dantur; si enim Sorori, vel ad domesticum usum daretur, majus aliquid dandum esset, quam si extraneis personis tribueretur. Ei quoque ratione Constitutiones ad paupertatem spectantes in hac facti specie pensandæ sunt, qua ab iis servantur, quæ cæterarum maxime regulæ student. Itaque generatim statui potest regulæ loco non minus requiri, ut Mulieribus hisce peccatum mortale contra paupertatis votum existat, quam ut filiusfamilias lethaliter peccet, dum Patri furatur. Vide Pelizarium *tom. 1. tr. 4. c. 2. sect. 4. subsect. 5. q. 1.*

Ad quartam, Consilii vocabulum, si stricta significatione sumatur, non idem ac permissionem seu consensum significare. Consilium ex Theologis post D. Thomam *c. 2. q. 14.* nihil est aliud quam mediorum ad consequendum finem propositum inservientium inquisitio, quin absolute eorum ullum singillatim suscipi necesse sit. Neque vero objici potest inutile fore, ut consilium adhibendum mandetur, si illud amplecti aut non amplecti liberum sit. Glossa enim in Caput *Cum olim de arbit. v. sive* huic objectioni respondet, semper esse perutile sententiam explorari sapientum virorum, qui sæpe proponunt apta faciendæ rei media, sine quibus res ipsa facta non fuisset. Sylvester *v. Consilia*, Pasqualigni *quæst. mor. q. 39.* Sanchez *l. 5. moral. c. 4. n. 64. & lib. de matrim. disp. 34. n. 24.* Pelizarius *tr. 4. c. 5. sect. 3. subs. 1. q. 6. n. 65.*

Si Jus & Canonistæ consulantur, consilii nomen nullam secum affert obligationem juxta tritum illud dictum ex *C. Quisquis 14. q. 1.* *Consilium est voluntatis; præceptum necessitatis*. Panormitanus *in Cap. Cum olim cit.* idem asserit post Ostiensem: *Ita dicendum de consilio; nam secundum suam etymologiam idem est quod Consultorum responsiones legere; quia is, qui requirit consilium, habet legere seu eligere id, quod sibi magis videtur ex responsionibus Consultorum: unde ex propria significatione vocabuli non tenetur sequi consilium, sed satis est requirere, & intra se legere, quod magis videtur ex responsionibus Consultorum*. Interdum quidem hoc ipsum consilii vocabulum consensum significat, ut apparet ex *C. Venerabili juncta glos. de off. del.* interdum quoque non nisi purum putumque consilium innuit, ut in *Cap. Cum olim* supra laudato. Itaque in Jure Consilii nomen æquivocum seu ambiguum est, ut proinde non aliter cognosci possit, quo demum sensu sit accipiendum, nisi personarum & rerum, de quibus agitur, ratione habita: *Et sit hæc interpretatio secundum qualitatem negotiorum & personarum*. Panormitanus loco appellato proponit casus plures, ex quibus regulas ducit, ex quibus intelligatur, quo sensu consilii vocabulum in circumstantiarum, quæ occurrere possunt, varietate sumendum sit.

His positis, cum in allatis Constitutionibus dicitur Hospitalariis minime licere quicquam sumere, dare,

dare, disponere absque prælatæ consensu, hoc consilii vocabulum hoc loco de permissione, deque consensu accipiendum est; tria quippe in hac facti specie pensanda sunt. I. Personarum qualitas, hoc est subditæ consilium a Prælata inire debet. II. Qualitas rei, ut nempe servetur Votum, quod obligat ipsum per se, nu quid nisi dependenter a Prælata ipsa disponatur. III. Finis, cujus gratia jubentur puellæ consilium petere, ut videlicet illæ a bonorum usu omnino abducantur. Porro qui possent ipsæ a se propriorum bonorum usum penitus ab dicare, & excellenti quadam ratione paupertatis virtutem exequi, si ab Antistita consilium petentes illud sequi minime tenerentur? Tres igitur hæ circumstantiæ satis ostendunt haud satis esse puellas has Antistitæ declarare, quid dent, quidve recipiant, sed ipsas ejus præterea permissionem & consensum obtinere debere, ne contra paupertatis votum delinquant.

Ad quintam, eamdemque postremam; Confessarium, cujus curæ hæ puellæ commissæ sunt, nihil non agere debere, ut ipsis aperiat, oculisque subjiciat, quid edita Vota, & paupertatis potissimum exigant. Recta porro se geret, si eas ad alios super hoc negotio consulendos impularit, si ejus consilio acquiescere forte noluerint; sed molliore indulgentia, fucataque charitate uteretur, si earum animos turbandi metu ipsas monere negligeret; agitur quippe de Votorum praxi, quod grave nec parvi momenti negotium est, quodque Confessarius spiritualibus suis filiabus non declarare non debet, ne ei exprobrari possit, sua ipsum culpa eas perire passum esse. Hac mente D. Paulus ita Timotheum urget epist. 2. c. 4. argue, obsecra, increpa, urge in omni patientia & doctrina. Cum porro Confessarius eas rationes inierit, quas ei mansuetudo & prudentia inspiraverint, eas a Sacramentis repellet, si quoad editum Votum pergant remissius agere, nec quicquid a suis ad propriam sustentationem suarumque pensionum solutionem acceperint, ingenue Prælatæ significent.

Decisum die 24. Novembris an. 1693.
G. *Fromageau*.

Vota ante susceptam Religionem emissa.

CASUS X.

Votis solemnibus, quæ in Religione emittantur, exsorbentur quæcumque ante eamdem susceptam edita fuerint; atque ita hæc posteriora non amplius obligant, & Superior, quominus serveatur, impediendi jus obtinet.

QUÆSITUM.

PUella, a suis impedita, ne Religionem amplecteretur, Votum edidit, se singulis sabbatis, siquidem eam a Deo gratiam obtinuisset, jejunium servaturam, sanctumque Sacramentum suscepturam; sed post Professionem Prælata a re esse non credidit ea duo eidem permittere. Quamobrem ex Sorbonæ Doctoribus quæritur;

I. An Communio sit Voti materia?

II. An ea duo Vota Monialem obligent, atque an Vota solemnia non alia omnia absolvant, quasique combibant?

III. Facta hypothesi ea Vota obligare, an possit Antistita in iis dispensare, eademve cum aliis pietatis operibus commutare?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet,

Quoad quæstionem primam, Communionem, si in se ipsa spectetur, optimam rem esse, ac proinde Voti materiam, quia generatim melius est communicare, quam a Communione abstinere; fieri nihilominus posse, ut quispiam melius se gerat, si Communione se privet, dispositionum suarum ratione habita, quam si ad Communionem accedat. Itaque Communio Voti materia esse non potest, nisi adjunctam habeat ejusmodi conditionem: dummodo doctus prudensque Director ea die, quam sibi quis proposuerit, judicet suscipiendam.

Quoad quæstionem alteram, peculiaria Vota ante Religiosam Professionem emissa post Professionem ipsam non amplius obligare. Vota solemnia, inquit D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad primum*, peculiaria omnia Vota eminenter continent, ut quod generale est & universale, id includit, quod particulare est; peculiaria quidem Vota in humana societate fiunt, sed qui Deo se consecrat in Religione, renuntiat & moritur priori sæculi vitæ, ut corpus, animum, voluntatem Deo perfecte devoveat; ex quo fit, inquit S. Doctor, ut non amplius ea peculiaria Vota servari necesse sit: *Dicendum, quod omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum, sed per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio deputat; particulare autem in universali includitur.... nec tamen Religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum hujusmodi, quæ existens in sæculo fecit, quia Religionem ingrediens moritur priori vitæ.*

Idem prorsus agit, qui Deo per solemnis Vota se dedit, atque ageret, qui ad exiguas summas solvendas cederet omnia sua bona, quæ debitum superant; atque adeo, quoad viveret, creditoris sui servitio ipse se addiceret; censeretur ille debito suo plene cumulateque satisfecisse. Per Vota solemnia fidelis animus se se omnino absque ulla reservatione se Deo dicat, cum per Vota particularia non nisi ex parte se dedat; tunc ergo eorum particularium votorum obligatio non commutatione, sed extinctione de medio funditus tollitur: *non per viam commutationis*, inquiunt Auctores nostri, *sed plenissima solutionis extinguuntur*. Pelizar. *tom.* 1. *tr.* 3. *c.* 4. *q.* 6. *n.* 16.

Præterea, subdit D. Thomas, singulares praxes Monasteriis non congruunt, quarum observantiæ debent esse communes, graviusque est Religionis jugum, quam ut ei novæ obligationes addendæ sint: *Et etiam singulares Observantiæ Religioni non competunt, & Religionis onus satis hominem onerat, ut alia superaddere oporteat*; quod in causa est, ut pronuntietur peculiaria Vota in hoc quidem statu non amplius *de meliori bono esse*, quia Regulæ Vota non sunt, ac non nisi Ordinis observantiam perturbant.

Per ea, quæ hactenus dicta sunt, satis est factum quæstioni tertiæ, quoniam probatum est, cum Moniali, de qua quæritur, per emissam Professionem in votis, quæ prius ediderat, dispensatum esse, vel potius eam prorsus ab iisdem solutam esse.

Decisum hac die 19. Decembris an. 1702.
G. *Fromageau*.

Suscipiendæ Religionis Votum in mortis periculo emissum.

CASUS XI.

1 *Votum ingressus in Religionem in mortis periculo emissum in conscientiæ foro obligat, si vovens satis fuit mentis compos, ut eam electione ac libertate ageret.*

2 *In dubio super electionis arbitrio ad Pontificem confugiendum est, eique negotii judicium relinquendum.*

QUÆSITUM.

PUella in Religione educata, cum ætatis an. 16. seu 17. graviter ægrotaret, & propemodum animam ageret, se, si convaluisset, Religioni nomen daturam promisit. Convaluit illa, nec amplius de præstanda fide cogitavit. Ætatis an 25. seu 26. promissi confuse meminit, & ad Religiosum Quadragesimali tempore concionantem consilii gratia se contulit. Respondit Concionator mortis formidinem, rationis defectum, animi perturbationem, longamque promissi oblivionem sibi satis firmo fundamento esse credendi eam de emisso voto sollicitam esse non debere, illudque nullum omnino esse. Decimo vel undecimo post mense illa generalem Confessionem

nem instituens rem contulit cum Confessario, qui in sententiam prorsus oppositam abiens asseruit juxta melioris notæ Theologos, eam mortis metu, aliisque rationibus, quas adlegabat, voti obligatione non eximi. Fregit ejus animum responsio hæc, quippe quæ nihil minus, quam Religionis Professionem mente versaret. Cœpit ergo se intimius inspicere, rediit ad Confessarium, dixitque se quidem non meminisse, an Religionis votum emiserit, an vero se in Monasterium, in quo ante morbum Pensionariæ titulo versata fuerat, ingressuram voverit, siquidem Religionem amplecteretur; atque adeo se dubitare, satisne tunc libero rationis usu polleret, rata etiam sibi visas esse ori suo bestias imminere. Confessarius eam D. Thomæ regulam tenens, *in dubiis tutior pars est eligenda*, & Sylvii, Sylvestri, Angeli, aliorumque complurium summi nominis Theologorum decisionem secutus iterum respondit eam se proprie dicto Voto obstrinxisse, & in dubio Religionem ingredi debere. Sed illa huic responso minime acquiescens adiit Religiosum alium Quadragesimalibus concionibus vacantem, qui rotundis verbis asseruit se prohibere, ne de voto ipsa suo cogitaret, se quidem illud coram Deo sibi sumere, Confessarium porro religiosiorem esse, ac re ipsa se ei auctorem non esse, ut Religioni nomen daret, cum ad eam minime facta esset. Si animos addidit hæc decisio, quia Religiosus ex eo est Ordine, cujus magnum in Ecclesia nomen est. Optat illa nihilominus a Sapientibus, atque a Sorbonæ Doctoribus rem definiri.

Quærit ergo primum, an Religionem ingredi teneatur; deinde, an, si teneatur, dubium, quod ejus animo super edito Voto obversatur, haud sibi legitima causa sit petendæ dispensationis, atque an eam Episcopus concedere possit?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Votum Deo factum ad imminentis mortis periculum evitandum nullum censendum non esse ob mortis formidinem, quoniam potest aliquis mortem timere, & prudenter agere, optimumque est in eo discrimine Divinam opem implorari per Religionis actum, cujusmodi Votum est; adeoque hac ipsa de causa votum, de quo agitur, ut nullum spectari nequit. In eo maxima vertitur difficultas, an re vera editum Votum fuerit, atque an vovens satis animi compos fuerit, ut tunc arbitrii atque electionis actum ederet; si enim satis ei mentis fuisset, minime dubium foret, quin Votum reale ac verum esset, & obligationem induceret; & si forte dubium esset, nec re ipsa ejus vis ac ratio innotesceret, non una est Theologorum sententia. Sunt enim nonnulli, iidemque gravissimi, qui fidenter asserant semper in Voti favorem esse judicandum, ut via tutior ineatur; alii vero docent non eam dubii vim esse posse, ut nostram nobis adimat libertatem, pro qua semper est præsumendum, nisi contrarius titulus, idemque constans existat. Id ergo in ejusmodi negotiis optimum factu fuerit, ut, quod monet Paulus Comitolus *Respons. moral. l. 2. q. 18.* cum Voventis animus a Voto, quodcumque demum fuerit, implendo alienus sit, confugiatur ad Summum Pontificem, cujus auctoritate negotium penitus expedietur.

Decisum in Sorbona die 23. Junii an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Votum redeundi in Monasterium, in quo Novitiatus inchoatus fuerat.

C A S U S XII.

1 Puella, quæ se vovit redituram ad Monasterium, in quo jam Novitiatum inceperat, implendi voti obligatione non eximitur ob aliquas difficultates initio propositas, si ei deinde ingressus oblatus fuerit.

2 Si tamen illa a religiosa vita se adeo alienam sentit, ut non temere credi possit ei vocationis nihil esse, debet ad Summum Pontificem, ut secum in Voto dispensetur, accedere.

Q U Æ S I T U M.

Puella in Religionem ingreditur. Exagitata a Monialibus quotidie majorem dotem petentibus, quod ea bonorum suorum domina esset, & aliunde exacerbata egreditur Probationis mense jam septimo. Incessit eam scrupulus, regressum vovet, si per Moniales sibi licuerit; se sistit, excipitur; iterum perturbatur, despondet animum, domum redit, mundi jam capitur illecebris & blanditiis, emissi Voti obliviscitur. Illud ei 10. vel 12. post annos in mentem redit; eam Confessarius reverti jubet, quod & præstat; innotescit ejus animum non satis esse ad Religionem compositum; illa super propriis bonis solidas & graves difficultates proponit, & quidem ex satis justa circumspectione. Monetur, ut pecuniam numeret, secus haud recipienda. Consulitur *de Sainte Beuve*, respondetque eam non teneri amplius se sistere, atque ut se tutius gerat, ut ad magnum Pœnitentiarium accedat a Voto liberanda. Obsequitur illa; tum revertitur ad Moniales, quæ bonis, prout se habent, eam nil tale petentem se ultro exhibent receptutas. Teneturne ea Monasterium ingredi jam repulsa, & quidem haud culpa sua, jamque impetrata voti dispensatione? Non est omittendum eam a Religiosa vita æque semper, ut hactenus, abhorrere.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod allatam Expositionem vidit, existimat,

I. Distinctione in hoc negotio opus esse, & ita dicendum: si Puella id unum vovit, in Monasterium se regressuram, nec Voto suo Professionem complexa est, nihil illa contra Votum suum fecisse censetur, si, cum regressa jam fuerit, egressa deinde est.

II. Quoad præsentem rerum ordinem major occurrit difficultas; cum enim iis propositis, quæ regulis non congruerent, seu quæ exequi ipsa non posset, ei liceret in Monasterium non ingredi, non videtur illa hoc quidem tempore easdem excusationes afferre posse, ut se eximat ab implendo Voto, cujus dispensationem obtinere non potuit nisi legitimas ob causas, cujusmodi eæ fuere, quas Pœnitentiario adlegavit; quibus non amplius subsistentibus, absolutio seu dispensatio non amplius effectum obtinere posse videntur. Si tamen a Religione adeo alienus est Puellæ animus, ut quoad eum statum in ea nullum vocationis aut devotionis argumentum appareat, opus esse censetur, ut illa coram Deo se ipsam reputet, videatque non sine prudentis doctique Directoris consilio, undenam existat ejusmodi aversio; ac si forte noverit se quidem sperare non posse fore, ut Regularibus observantiis assuescat, cum ei causa subsit credendi Votum suum non sine aliqua temeritate editum fuisse; poterit ad Romanam Curiam accedere, ut dispensationem petat, peculiares causas afferens, quibus ad id petendum movetur; quæ quidem causæ haud probabiles apparerent, nisi gravi difficultate servandi Vota, quæ Religiosi status essentiam constituunt, niterentur. Ita nimirum haud consulto faceret, si Monasterium non sine periculo vitæ Regularis obligationibus minime respondendi.

Decisum Parisiis in Sorbona die 29. Junii an. 1680.
Aug. *De Lamet*.

Suscipiendæ Religionis Votum non semel firmatum.

C A S U S XIII.

1 Adolescens suscipiendæ Religionis Votum, quod multoties ratum habuit, implere debet.

2 In ejusmodi Voto unus Pontifex dispensare potest, & ille quidem non nisi gravibus de causis dispensat.

3 Is, cujus gratia consulitur, ad Pontificem Summum accedere debet, Religionem profiteri paratus, siquidem

dem Suæ Sanctitati visum non fuerit Voti dispensationem concedere.

QUÆSITUM.

Adolescens septemdecim circiter annos natus, cum aliquamdiu in Monasterio versatus esset Probationis habitum deferens, coactus est egredi morbi causa; quod sane præstitit ad suos se recipiens; per id tempus ejus Ordinis, cujus Novitius fuerat, Religiosum sibi a confessionibus esse voluit. Religiosus hic cum aliquando ex ejus confessione intelligeret adhuc aliquod habitus, quem deposuerat, recipiendi desiderium in eo superesse, eum consiliis & cohortationibus impulit, ut in ipsius manu Votum ederet ad eum ipsum Ordinem redeundi.

Adolescentem incertum & inconstantem aliquando promissi pœnitet; aliquando vero alacri animo redit ad propositum, ac Votum renovat devotionis impetu abreptus, atque adeo passim in eum finem ad Communionem accedens.

Post annos aliquot cum ætatem ad Sacros Ordines suscipiendos præscriptam attigisset, generalem Confessionem edit apud Presbyterum alium a priore suo Confessario, eique exponit ingenue animi sui statum, suasque perplexitates super edito ad Religionem redeundi Voto, quemadmodum ad illud emittendum a priore Confessario sollicitatus adeoque compulsus fuerit; addidit se tamen multoties Votum firmasse, dum sanctam Communionem susciperet, tametsi aliquibus temporis intervallis sui se promissi pœnituerit. In hac ergo facti specie novum Confessarium rogat, ut sibi edisserat, an ipso Voto prioris Directoris sollicitationibus edito, ac libere non semel deinde firmato obligetur?

Novus Confessarius, qui in adolescentis animo inconstantiæ ac levitatis non parum detegit, ut ejus conscientiam tranquillet, ait, restaturque Votum ejusmodi nullum esse, & omnino non obligare; ille vero huic decisioni acquiescens Subdiaconatus, tum Diaconatus Ordinem suscipit; sed cum deinde Sacerdotio insigniri vellet, scrupuli iterum excitantur. Redit ergo ad posteriorem hunc Confessarium, & expositis, quas patitur, perturbationibus, se quidem ait ejus consilia magni facere, sibi tamen pergratum fore, si quos Auctores in eadem super eo, quod ediderat, Voto sententia versantes in medium afferret. Adducit ille, restemque appellat Bonacinam, qui in opinionem ex diametro oppositam abit, contenditque juxta conclusiones, quas deducit, Adolescentem in Religionem ingredi, vel ad Sanctam Sedem accedere debere, ut a Voto suo liberetur; Ordinarium quippe ea facultate carere.

In hac Bonacinæ decisione Adolescenti auctor est Confessarius, ut ad aliquos Doctores accedat; sed hoc quidem consilio ejus sollicitudines augentur & scrupuli. Quamobrem confugit ad Sorbonæ Doctores, ut quæstionibus, quæ sequuntur, occurrant, easque decidant. Quæritur ergo,

I. An junioris Clerici Votum ab origine veri nominis Votum fuerit?

II. An repetitis confirmationibus validum evaserit, atque ejusmodi, ut prorsus implendum sit? Atque an facta hypothesi eum voto obligari, absolvi possit ab Ordinario, an vero ad Pontificem confugere debeat?

III. An ille dispensationem expectans possit Presbyteratum suscipere, quippe qui omnino statuerit Religionem quidem non amplecti, sed in Clericali statu persistere?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum nil causæ esse videt, quamobrem qui consulit, coactus esse censeatur; cum potius appareat ex proposita facti specie eum de recipiendo Regulari habitu fuisse sollicitum, quod in causa fuit, ut a Confessario allatæ rationes ad Votum, quod edidit, ejus animum determinarent. Respondet ergo Consilium, Ecclesiasticum Adolescentem, cum & satis temporis, ut deliberaret, & satis libertatis ei fuerit ut, Votum suum ratum, firmumque redderet, illud ipsum implere debere; præsertim cum sit admodum factu difficile, multoties Votum firmari, quin renovetur. Itaque Voti confirmationes a Clerico repetitæ evincunt magis magisque, obligationem, quam ipse contraxit, non puerilem, sed veri nominis obligationem fuisse.

Ad quæstionem alteram quod spectat; ut obtineatur in Religionis Voto dispensatio, ad Summum Pontificem confugiendum, qui dispensationem quidem sine causa non concedet; secus enim Clericus, de quo agitur, in conscientia tutus non foret; hic nempe haud proprie locum habet dispensatio, sed juridica declaratio, qua Superior pronuntiet Votum in circumstantiis, in quibus Orans versatur, non obligare; id unum potest Ecclesia in simplici facti specie; ratio est, quia cum naturalis juris sit promissi executio, non est hac in re sine causa gravissima deficiendum. Hinc Glossa in C. *Non est*, *de voto & voti redemptione*, ad verbum *Adimplere*, diserte pronuntiat: *Si justa causa subest; alias non est securus quoad Deum, cum quo Papa dispensat, nisi subest causa dispensandi; sicut non dicitur absolutus, qui causam excommunicationis supprimit.*

Quoad tertiam; potest junior Clericus ad Sacerdotium accedere, dummodo ita sit animo comparatus, ut Regularem statum suscipiat, si judicet Pontifex in Voto cum eo minime dispensandum. Non debet ergo secum ipse statuere haud Religionem amplecti; sed ad Pontificem confugere debet, dispensationem, qua indiget, ab eo postulare, eique negotium omne ex animo declarare, paratus, se Suæ Sanctitatis judicio ultro, alacriterque se subdere.

Decisum Parisiis in Sorbona die 25. Septembris an. 1678.

A. De Lamet.

Monialium Vota in Capitulo emissa.

CASUS XIV.

Religiosa Professio citra Sacerdotis præsentiam in Capitulo emissa nec minus solemnis, nec minus firma est, quam quæ in Ecclesiæ facie peragitur, si Monasterii, in quo ea obtinet consuetudo, praxim & Constitutiones Ecclesia probavit.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut sententiam dicant super hujusmodi facti specie.

Quæritur nempe, an tanquam solemnia Vota spectanda sint ea, quæ fiunt in Capitulo, quemadmodum in nonnullis Monasteriis fieri consuevit. Nullus adest Presbyter. Vota recipit Antistita, adstant Moniales omnes & singulæ; nulla porro alia occurrit solemnitas. An non Vota publice, ac reseratis cratibus repetenda?

RESPONSIO.

Consilium subscriptum censet Vota, de quibus modo, solemnia esse, si Ecclesia ejus Monasterii, quod ejusmodi morem servat, consuetudinem & Constitutiones probaverit. Neque enim novum inauditumque est in Capitulo Professionem emitti; nullo præsente Presbytero; id obtinet apud Carmelitas. Et sane contendi non posset ea Vota solemnia non esse nisi ob harum causarum alterutram; prima est, quod ea ab Abbatissa seu Priorissa recipiantur absque Sacerdotis præsentia; altera est, quod non publice, sed intra Domum ipsam edantur, Monialibus tantum adstantibus. Atqui prima ratio Professionis solemnitati nequaquam officit, quia nimirum eam recipiendi potestas œconomica potestas est, cujus capax est fœmina. Ex Capite quidem *Consaluit*, *qui Cler. vel vov.* intelligimus matrimonium mulieris, quæ Religiosa fuerat, legitimum declarari, quia illa nec in Episcopi, nec in Abbatissæ manu suis se votis obstrinxerat. Quod profecto ponit illud tanquam certum. Abbatissam Vota recipiendi capacem esse, eademque per ejus præ-

præsentiam & acceptationem solemnia evadere. Videndi super hoc articulo Tamburinus *de jure Abbatiss. disp. 6. q. 5.* Azor. *l. 12. c. 5. q. 7.* Pelizar. *t. 2. tr. 10. c. 3. q. 1. num. 7.* Sanchez *l. 5. Moral. c. 4. num. 76.* Bonac. *t. 1. de clauf. q. 2. puncto 10. paragr. 6. num. 3.*

Altera porro ratio ex eo ducta, quod Professiones, quæ ad trutinam revocantur, in Capitulo privatim fiunt, solis præsentibus Monialibus, earumdem Professionum solemnitatem non magis destruit, quia nempe Ecclesia, cum cæremoniarum, quæ eam comitari debent, domina sit, potest cæremoniarum plus minusve pro temporibus ac locis exigere; ac dum illa modum approbat, quo Vota, de quibus agitur, emittuntur, atque eadem in Capitulo vel in Choro, quin ulli omnino testes adsint præter Moniales, pronuntiari patitur, ea ipsa Vota non minus solemnia sunt, quam si in Ecclesiæ facie ederentur, nec eadem publice iterari necesse est.

Decisum in Sorbona die 5. Junii an. 1683.
G. *Fromaggeau.*

Quæstiones magni ponderis super obligationum extensione, quæ Benedictini Ordinis Votis conjunctæ sunt,

CASUS XV.

1 *Quadragesimalibus cibis sexta feria tantum & sabbato utendi praxis abusiva est apud Benedictinos non Reformatos, siquidem eam ipsi induxerunt; at si eam jampridem institutam exceperunt, eamdem sine culpa tenere possunt.*

2 *Hi ipsi Religiosi communi victu, communique Mensa uti debent.*

3 *De manuum labore, quem S. Benedicti Regula præscribit, idem judicium ferendum est, quod de quadragesimalium ciborum obligatione.*

QUÆSITUM.

Religiosi quidam Benedictini suæ ipsorum saluti operam navare cupientes, quid tandem agere debeant, ex Doctoribus quærunt. Illi quidem ad Antiquorum & non Reformatorum normam professi sunt; ac proinde in quæstionem vocatur,

I. An ter saltem aut quater in hebdomada Quadragesimalibus cibis uti debeant, ex Summorum Pontificum Bullis, quæ S. Benedicti Regulam mitigarunt? Abusivane praxis est, quam illi sequuntur in suis Monasteriis, ex quo ibidem recepti sunt, ut præter jejunia & abstinentias, quibus ex Ecclesiæ præcepto subduntur, hebdomadæ cujusque Feriis tantum sextis ac Sabbatis a carnibus abstineant?

II. Debeatne iis esse communis victus, quippe qui in opposita praxi versentur, suam parvam Monachalem Mensam seorsim habentes, suamque rem familiarem quisque procurantes?

III. Possitne cum ipsis in manuum labore, & in aliis peculiaribus Regulæ articulis dispensari?

Quæritur, quid responsi dandum esset Communitati Religiosorum, qui ejusmodi quæstiones proponerent, quidque singulis ejusdem Communitatis Religiosis, quibus propria quidem salus cordi esset, etiamsi quod superesset Communitatis, iis repugnaret?

RESPONSIO.

Consilium conscientiæ subscriptum super propositis quæstionibus censet,

Quoad primam, Veteres S. Benedicti Religiosos non Reformatos, qui consilium poscunt, aut ipsos primos fuisse, qui Feriis sextis tantum ac Sabbatis a carnibus abstinerent adversus expressam earum Bullarum definitionem, quæ S. Benedicti Regulam mitigarunt; aut eam praxim, quæ multo ante, quam ipsi ad Professionem admitterentur, in eo, in quo sunt, Monasterio obtinuerat, secutos esse. Si primum; praxis, in qua semper hactenus perstiterunt, ut feriis sextis ac sabbatis tantum, non aliis Quadragesimales cibos sumerent, abusiva est, quia in mala fide versantur, nec legitime gaudere possunt privilegio consuetudinis, quam per peccatum inceperint, hoc est eam legem violantes, quæ per mitigationis Bullas, quæ tum vigebant, ipsis præscripta fuerat; commodum quippe ex propria culpa perciperent, si non quater in hebdomada, sed bis tantum a carnibus abstinerent, atque ut a peccato eximerentur, necesse foret censeri Pontificem eam consuetudinem confirmare, quod ita esse non constat. Præterea iidem Religiosi se juxta Regulam, qualis eo tempore vigebat, quo Professionem edidere, victuros voverunt; jam vero Regula, qualem Pontificum Bullæ proposuerant, ad quadragesimales cibos quater in hebdomada obligabat.

Quod si iidem Religiosi eam consuetudinem, ut bis tantum in hebdomada a carnibus abstineretur, non ipsi induxerunt, sed multo ante institutam, cum in Familiam recepti sunt, invenerunt, hoc in casu eam sine culpa sequi, & Feriis tantum sextis, ac Sabbatis a carnium usu abstinere possunt. (a) Quamvis enim ea Regulæ laxatio sit, ejusque auctores peccaverint, consuetudo tamen decursu temporis potuit esse legitima; nempe consuetudo, quæ quidem ipsa per se mala non sit, ac satis longam præscriptionem adjunctam habeat, eam vim obtinet, ut contrariæ legi deroget, atque adeo citra culpam teneri possit. Et sane dicti Religiosi ad id unum adigi possunt, ut talem Regulam servent, qualem, quo tempore professi sunt, invenerunt; ea nempe illorum mens fuit, ut ne majorem, quam tunc servaretur, obligationem contraherent. Tradunt id unanimi sententia Canonistæ, quorum nomine Panormitanus ita pronuntiat: *Ideo si quis non habuit animum se obligandi, nisi respectu Regulæ,* (b) *quæ observabatur, non puto, quod apud Deum iste sit obligatus, maxime cum tria tantum substantialia sint Regulæ seu Professionis, reliqua sint accidentalia, ordinata ad finem illorum trium.* Loquitur ille de Votis; ita quoque Sylvester, & præsertim Navarrus, qui de iis loquens, quæ, dum Regulæ servandæ Professio fit, sub mortalis peccati pœna servanda sunt, id de Votis tribus intelligendum docet: *Hoc autem*, inquit, *verum est quoad essentialia Vota.* Tum subdit: *Non autem quoad alias accidentarias observationes, quæ sunt etiam sublatæ vel mitigatæ Apostolicis privilegiis veris, vel tempore immemorabili præscriptis, vel ex licentia tacita aut expressa proprii Prælati ad hoc facultatem habentis, vel ex consuetudine, quæ licet non sit immemorialis, est tamen adeo rationabilis & tot annorum, adeoque vetus & antiqua, quæ ad ita emmolliendas prædictas observationes sufficeret.* Et sane Religiosos, de quibus agitur, bis in hebdomada minus, quam mitigationis Bullæ præcipiunt, a carnibus abstinere, id quidem Regulæ, prout mitigata est, accidentarium tantum est, non essentiale; ac proinde ex eorumdem Auctorum principiis legi dictis Bullis præscriptis potuit per contrariam consuetudinem derogari.

Si tamen iidem Religiosi non Reformati in Capitulo congregati ex Votorum pluralitate judicarent eam consuetudinem ad Religionis bonum mutandam, & juxta mitigationis Bullas quater in hebdomada a carnibus abstinendum; tunc quidem Religiosi omnes & singuli huic Capitulari sanctioni se subdere tenerentur, quamvis Regulam, tantummodo prout receptionis suæ tempore servabatur, per Professionem, ut videtur, se promiserint servaturos. Hæc enim consuetudo bis tantum in hebdomada a carnibus abstinendi potest ea quidem, quamdiu substiterit, a culpa dictos Religiosos non Reformatos eximere; at Religioni potestatem non adimit aliter pro communi bono statuendi; eoque magis, quod mutatio, quæ hoc in casu contingeret, non Regulæ additio esset, sed ejusdem, prout Pontificum Bullis præscripta fuit, restitutio. Quamo-

(a) Suarez t. 3. de Relig. l. 10. c. 8. n. 16. &c. Peliz. t. 1. tr. 4. c. 4. n. 58. & t. 5. c. 2. n. 55. Sanchez l. 6. c. 2. n. 24. doc. moral. Tambur. l. 3. disp. 4. q. 5. & 6. a. 2.

(b) Panorm. in c. 9. Super eo, n. 4. de Regul.

brem cum Religiosi per Vota ac Professionem sese eorum voluntati subdiderint, qui Religionis bono invigilare debent, huic etiam suscipiendæ redintegrationi, siquidem fieret, se subdidisse censentur.

Quoad quæstionem alteram, ex Regulæ S. Benedicti articulo 43. hujus Ordinis Religiosos communi victu communique mensa uti debere, ut proinde abusiva sit praxis, in qua versantur, suæ familiaris rei privatim curandæ. Vel enim eam praxim Religiosi, de quibus quæritur, induxerunt, & hoc in casu in mala fide sunt, nec possunt in ea citra culpam persistere; vel eamdem praxim, quo tempore professi sunt, invenerunt, ac ne tunc quidem a communis victus obligatione eximuntur, quia ea praxis, qua quidem ratione proposita est, voti paupertatia relaxatio est, ac proinde nulla potest auctoritate donari, nec obligationi derogare, quæ divini Juris est, contra quod nulla prorsus consuetudine præscribi potest; & in hac facti specie pronuntiari potest Religiosos Benedictinos *non consuetudinem sed Regulam professos esse*.

Hac de causa Tridentina Synodus *præcipit, ut Regulares tam viri quam mulieres ad Regulæ, quam professi sunt, præscriptam vitam instituant & componant, atque imprimis quæ ad suæ Professionis perfectionem, ut Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ, aut si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertineat, fideliter observent.*

Constat ergo privatam culinam, privatamque mensam Tridentinæ Synodo non congruere, quæ loco laudato *cap.* 2. suam quoque mentem distinctius aperit in hæc verba: *Nemini igitur Regularium liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Et sane in hujusmodi peculiis seu proventibus, quæ quotannis ad victum Religiosis præbentur, præter abusus multos, qui inde existere possunt, forma quædam delitescit proprietatis, quam Synodus de medio funditus tollere voluit, quod nempe id moraliter necessarium foret ad implendum Paupertatis Votum ea perfectione, quam postulat ipsa Synodus: *Atque imprimis quæ ad suæ Professionis perfectionem* &c. *fideliter observent.* (a) Navarrus hac in re laxior est.

Objiciuntur duo ad ostendendum licere certum reditum Religioso relinqui ad ejus usum ac substantiam; primum est, id in Jure veteri permissum fuisse, ut apparet ex Decretalibus *C. Monachi, Cum ad Monasterium, & C. Insinuante qui Cler. vel Vov.* Alterum est, in more positum esse, ut Reformati, qui ingrediuntur in Monasterium, in quo verbi causa sunt Religiosi veteres Ordinis S. Benedicti, qui nolunt reformationem suscipere, pensionem singulis solvant; ex quo fit, ut illi Mensam seorsim habeant, & eorum quisque sibi vivat.

Respondetur I. Haud certo constare ejusmodi pensiones seu reditus annuos unquam in Jure permissos fuisse. (b) Fagnanus quæstionem hanc accurate pertractat agens de Capite *Monachi*, quod in objectione producitur; aitque inter alia ibidem de Monasteriorum Ministris, non de simplicibus Religiosis sermonem esse; ac præterea satisfacit iis omnibus, quæ fere afferuntur ad firmandam eorum sententiam, qui ita olim licuisse contendunt.

Respondetur II. Ut peculium & ejusmodi reditus Religiosis Jus vetus permiserit, Tridentinam Synodum (c) edidisse Jus novum, & vetus hoc in capite correxisse. Ita sentiunt Azorius (d) & Fagnanus loco laudato. Sunt sane complures Auctores, de quibus Pyrrhingus mentionem facit, qui contra sentiunt, quorumque ille sententiam non approbat, nisi quod addit de annuis hisce peculiis, quæ Religiosis tribui solent: *Licet consultum foret, ut Superiorum auctoritate tolleretur, dummodo alia ratione Regularibus necessaria sustentatione provideatur.* Sed primo quidem pronuntiari potest Auctores hos opinionem tueri Tridentini Concilii verbis oppositam, atque ita quidem, ut quoad caput hoc ejus decisionem maxime elevent, ac prope funditus evertant. Monet id Fagnanus loco laud. n. 2. *In sensus tam varios, & a mente sanctæ Synodi alienos detorserant Scriptores moderni, ut fere ad nihilum redactum sit.*

Præterea perperam asserunt Auctores (e) nonnulli Jus vetus a Concilio firmatum fuisse, vel novum aliqua tantum ratione & non absolute institutum, ut Fagnanus loco non semel appellato satis luculenter evincit.

Sed ut magis appareat hæc omnia redituum & peculiorum genera a Concilio penitus fuisse sublata, Fagnanus n. 76. affert Declarationem Congregationis Cardinalium, aitque n. 62. Clementem VIII. in suis Decretis, quæ pariter affert, mandare, ne toleretur ea Monasticorum bonorum divisio, ut nempe pensiones seu reditus annui, quibus ad vestitum, aliaque sibi necessaria utantur, Religiosis singulis assignentur; ut proinde Pontificis hujus sententia Regulares, qui ejusmodi bona, etiam dependenter a Superioris voluntate, possiderent, a proprietatis vitio excusari non possent, quia Superior ita Monasterii bonum partiendi facultatem non obtinet; sed potius debet illud in communi massa relinquere, ut inde duci possit, quo tum Familiæ generatim, tum singulorum Religiosorum negotiis prospiciatur.

Non desunt Auctores, qui Clementis VIII. (f) Decreta hæc abrogata esse contendant usu contrario, qui tacito Superiorum consensu, & Summorum Pontificum id nec ignorantium, nec improbantium silentio firmatus est. Sed nullo fundamento nititur responsio hæc, floccique facienda est, cum Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. appellata Clementis VIII. Decreta confirmaverint, ut monet Fagnanus, qui concludit tanquam generalem regulam statuens num. 75. ejusmodi peculia, pensiones, reditus, etiam dependenter a Superiore, vel a Communitate, Paupertatis Voto adversari; neque a lethalis culpæ labe & a proprietatis vitio excusari Religiosos eos posse, qui ea quocumque demum prætextu & excusatione possederint, quia repugnat Tridentina Synodus, & quia Cardinalium Congregatio ad sensum Decretorum ejusdem Synodi explicandum instituta respondit eadem peculia permissa non esse.

Si tamen iidem Religiosi Veteres & non Reformati communem vitam instituere non possent, vel quia non eo essent numero ut Communitatem componerent, vel quia Superior eamdem Communitatem instituere nollet, quamvis ad id faciendum sollicitatus, vel demum quia recusaret res ad congruam singulorum sustentationem necessarias dictæ Communitati (g) suppeditare; in horum casuum aliquo, non sine Summi Pontificis permissione possent dicti Veteres Monachi S. Benedicti pensiones annuas percipere, ac retinere, sibique vivere; aliis quidem officiis semper servatis, quæ ipsis Sancta Sedes in hoc negotio servanda præscriberet.

Quoad quæstionem tertiam, de manuum labore, deque ejusmodi aliis disciplinæ regularis articulis idem prorsus asseritur, quod hactenus de quadruplicis per hebdomadam a carnibus abstinentiæ obligatione mitigationis Bullis præscripta pronuntiatum est. Quoniam Disciplinæ Capita, iique Regulæ articuli, qui ad Religionis aut Votorum substantiam minime spectant, per legitimam consuetudinem præscribi possunt; respondetur proinde, Veteres S. Benedicti Monachos, qui compererunt, laborem hunc, licet mitigationis Bullis præscriptum jamdudum ante Professionem suam in desuetudinem abiisse, ad eumdem non obligari, quoad Superior non sine votorum Monasterii pluralitate manuum laborem hunc ipsum judicaverit restituendum.

Decisum in Sorbona die 6. Nov. an. 1694.
G. *Fromageau*.

Gra-

(a) Navar. t. 2. comm. 3.
(b) Fagnan. t. 2. in 2. part. Decret. l. 3. c. Monachi.
(c) Conc. Trid. sess. 25. c. 1. & 2. de Regul.
(d) Azor. t. 1. l. 12. c. 9. q. 2.

(e) Sanchez l. 7. mor. c. 22. Suarez t. 3. l. 8. c. 14.
(f) Peliz. tom. 2. tr. 10. c. 3. sect. 3. q. 4.
(g) Idem tom. 1. tract. 4. c. 2. n. 243.

Graves super obligationibus Paupertatis Voto annexis quæstiones.

CASUS XVI.

1 *Regularis, qui Paupertatis Votum emisit, contra Prælati sui voluntatem tuta conscientia pecuniam possidere non potest.*
2 *Non potest Prælatus citra legitimam causam id ei permittere; sed ille quidem Religiosis suis, quicquid necessarium est, suppeditare tenetur.*
3 *Opinio, quæ Religiosi, dum Vota ederet, animo insedit sibi licere pecuniam possidere, quod alios in ea praxi esse videret, eum coram Deo non tuetur.*
4 *Regularis lanea veste simplici ac modesta & quidem juxta Monasterii morem uti debet.*
5 *Debet ille Superiori suo, quicquid possidet, ingenue ac singillatim denuntiare, nec eum quicpiam prorsus celare potest.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ne, quæ sequuntur, quæstiones solvere dedignentur.

I. An Regularis post emissum Paupertatis Votum possit tuta conscientia contra Prælati sui voluntatem pecuniam possidere, atque an Prælatus hic id sine legitima causa permittere possit?

II. An Regularis ille ex abusu, quem comperit in Familia, cui se dedidit, sibi præsidium quærere possit, quippe qui Vota eo tantum animo ediderit, ut pecuniam, aliorum more, tanquam propriam & ipse retinere posset?

III. An ille pro arbitratu suo cujuscumque generis vestes sibi parare possit?

IV. An possit a quocumque quicpiam accipere, quin ejusdem rei in usum suum convertendæ facultatem a Superiore obtinuerit? An possit pro libito, quod sibi datur, impendere, eo prætextu, quod illud ex Familia non provenit, aut quod parvi momenti res est, ut liber, pileus, &c.

V. An ad unum omnia & singula rerum capita, quas intra cubiculum suum habet, Superiori exponere teneatur, an vero rerum indicem exhibens eorum partem celare possit?

Animadvertendum est, hujus Familiæ Prælatum ex Constitutionibus teneri Religiosis suis, quicquid ad victum ac vestitum necessarium fuerit, suppeditare.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet quoad quæstionem primam;

I. Regularem, qui Paupertatis Votum emisit, aberrare a salutis tramite, si pecuniam contra Prælati sui voluntatem possideat, quoniam solemne Paupertatis Votum transgreditur; quod luculenter ostenditur ex Tridentino Synodo, quæ *Sess. 25. de Regularibus & Monialibus* prohibet Religiosis omnibus, ne ulla mobilia vel immobilia bona tanquam propria, etiam Conventus nomine, possideant, mandatque, ut in Monasterii massam conferenda Superiori tradantur; in quo renovat veterem Disciplinam expositam *Cap. Cum ad Monasterium, de statu Monachorum*, in quo Innocentius III. de paupertat. Regularibus absolute servanda ita loquitur: *Prohibemus quoque districte in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti resignet; si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, Regulari monitione præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur alterius, nisi pœniteat secundum monasticam Disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipsa cum ipso in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur: secundum quod B. Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. Unde si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, vel Cellario assignetur.*

II. Superiorem non posse tuta conscientia Religioso permittere, ut sine causa legitima pecuniam

possideat, propterea quod Prælatus vi status sui tenetur adniti pro viribus, ut paupertas servetur, ac proinde Monasterium, quidquid opus fuerit, Religiosis parare debet: *Nihil etiam, quod sit necessarium, eis denegetur*, inquit Concilium.

Quoad quæstionem secundam, Regulari non licere eo se abusu tueri, quem reperit Religionem ingrediens, in qua se pecuniam possidere posse credidit, quia nempe Regulares alios pecuniam ibidem possidentes videbat; cum enim in Religione approbata solemne Paupertatis Votum emiserit, se illud ea ratione servaturum recepit, qua ab Ecclesia receptum fuit, quod peculiaribus quorumdam depravationibus præscribi nequit, præsertim cum Ecclesia quoties occasio sese obtulit, super obligatione, quam sibi Regulares imponunt, Paupertatis Votum edentes, sententiam suam declaraverit; atque ita qui se præpostera hac ratione tueri vellet, perinde ageret, ac peccâtor, qui vellet suum crimen defendere, quia illud idem alii non pauci perpetrant.

Quoad tertiam, Regularem non eo se habitu ornare debere, quem ei placuerit eligere, sed eo contentum esse debere, quo Communitas utitur, quique simplicitatem & modestiam præsefert juxta Tridentinæ Synodi Regulam loco laudato: *Mobilium vero usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat.* Jam vero Professio, quam Regulares in Ordine approbato emiserunt, eos obligat ad ejus Constitutiones & consuetudines custodiendas, & quod inde consequitur, ad eam supellectilem sibi comparandam, eosque habitus deferendos, qui Monasterii statui, usuique respondeant; præsertim cum habitus austeritatis Religionis partem constituat.

Quoad quartam, ei satis est factum in responsione ad quæstionem primam ex Tridentino Concilio, & ex Can. *Cum ad Monasterium*.

Quoad quintam, ex supra jactis principiis Regularis debet eorum omnium, quæ intra cubiculum suum habet, fidelem indicem Prælato, siquidem postulaverit, exhibere, nihilque celare.

Decisum Parisiis in Sorbona die 16. Maj an. 1678.

Aug. *De Lamet.*

Alia quæstio super eodem Paupertatis Voto.

CASUS XVII.

1 *Moniales, cum paupertatis Votum emiserint, tuta conscientia quicpiam tanquam proprium possidere, vel sibimetipsis peculiares pensiones, aut consanguineorum amicorumve oblationes sibi vindicare non possunt.*
2 *Prælati æque atque Abbatissæ ac Priorissæ non possunt in hac obligatione cum Monialibus dispensare, ipsisve permittere, ut quicquam proprii habeant aut depositi in Monasterio, vel alibi.*

QUÆSITUM.

Abbatissa electiva Ordinis S. Augustini scire cupit veras Ecclesiæ Regulas super praxi, quam in sua Communitate institutam invenit, ut nempe Moniales a consanguineis vel amicis pecuniam, qua pro libito utantur, accipiant.

Ea quidem pecunia apud eas non remanet; sed vel Depositariæ, vel Bursariæ, vel etiam alicui extra Monasterium amico traditur. Hæ tamen Moniales, dum Professionem emittunt, edunt consueta Vota tria juxta Regulam S. Augustini. & Monasterii Constitutiones. Porro & ex S. Augustini Regula cap. 3. & ex Constitutionibus expresse vetitum est, ne quid tanquam proprium habeatur, retineaturve, & Moniales, quicquid iis opus fuerit, ex Communitatis fundo de Abbatissæ mandato accipere debeant.

Contendunt Moniales hæ se nihil agere contra Vota, quamvis in hac praxi versentur, quam purgare conantur non iisdem omnes rationibus. Aliæ quidem, quia pecunia non penes ipsas, sed penes

Depositariam, aut penes Bursariam existit. Aliæ vero, quia ejus pecuniæ adminiculo statuunt sibi Missas, cum e vivis excesserint, celebrandas. Aliæ denique, quia ea non utuntur, nisi cum propria necessitas postulat, ac dum præsertim ægrotant; quod, addunt illæ, tendit ad commodum Abbatiæ, quæ haud maxime in bonis habet.

Verum prætextus hi non videntur Abbatissæ satis graves, ut ipsa propterea eidem praxi patrocinetur, putatque se potius in foro conscientiæ teneri ei refragari ob rationes, quæ sequuntur.

I. Mos hic ei videtur ex diametro oppositus S. Augustini Regulæ, & Abbatiæ Constitutionibus, quæ rotundis verbis declarant, *omnia in Monasterio communia fore, Moniales nil proprii habituras, & quicquid sibi necessarium fuerit, ex Communitate Abbatissæ jussu recepturas.*

II. Si praxis ea toleretur, non modo Moniales singulæ peccant, sed etiam Abbatissa, Depositaria, Celleraria, Valetudinaria, aliæque Regularis Familiæ Ministræ; quoniam cum omnes ex propriis officiis teneantur Sororibus suis seu prospera, seu adversa valetudine utentibus providere, id præstare non possunt nisi per eam pecuniam, quæ plus minusve reservatur, prout reservationum earum fundus major minorve est; id quod in Ministris, quæ aliis exemplo præire deberent, charitatem, & a terrenis rebus avocationem extinguit, quod pariter in causa est, ut conquerantur, & animo angantur aliæ, quæ cum nihil aut prope nihil sibi habeant, non ea, quæ cæteræ, subsidia percipiunt. Ex quo fit, Abbatissam eos abusus non ignorantem teneri in conscientiæ foro sua omni auctoritate uti, ut iisdem remedium afferat.

III. Consilium reservationes eas Depositariæ, vel Bursariæ tradendi mere humanum est, magisque ad Monialium amorem proprium fovendum, quam ad paupertatis rationem in iisdem servandam accommodatum; neque enim in eum finem hæ duæ Ministræ sunt institutæ; Depositariæ scilicet est Communitatis bona reditusque recipere, & omnes Regularis Familiæ impensas facere; Bursariæ vero Pensionariarum Abbatiæ pecuniam servare, & minutas impensas solvere.

IV. Abusus hic non minus obedientiam, & subordinationem, quam paupertatis ipsam vim ac rationem de medio funditus tollit; ne dum enim juxta Regulam & Constitutiones Monialibus nihil suppetat nisi ex Abbatissæ præscripto, ea privata pecunia ipsis deservit ad omnia, quæ libuerit, comparandum. Sæpe Abbatissa assentitur invita; & tunc ipsa potius Monialium cupiditati paret, quam Moniales Regulæ.

V. Abbatissa experientia passim edocta comperit Moniales fere nunquam a se ipsa facultatem petere, siquidem eam de re penitus ignoraturam crediderint; Depositaria quoque, ac Bursaria, cæteræque Ministræ cum Monialibus sæpe conspirant, ut eam pecuniam erogent inscia Abbatissa, quæ proinde magnopere timet, ne coram Deo, qui scrutatur secreta cordium, se violati obedientiæ & paupertatis voti crimine omnes & singulæ obstringant.

VI. Voluntas, quæ prætexitur, ejus pecuniæ in Missarum celebratione pro Monialibus, cum obierint, collocandæ non magis legitima est, quam sint eorum testamentariæ dispositiones, qui de bonis malo congestis pias fundationes instituunt, & eleemosynas elargiuntur; an non enim aperta injustitia est, Regulæ, Constitutionibusque contraria, Monialem eo quidem prætextu ducentas atque adeo trecentas libras congerere? Ac non potius ejus est propriam salutem in tuto ponere, suamque fiduciam in Divina Misericordia collocare, Regula & Constitutionibus, quarum Professionem emisit, fideliter custoditis, non autem inusitatis hisce adhibitis rationibus, quas Regularium Ordinum sancti Institutores, Sanctique ac Sanctæ, quibus ad Sanctitatem per eosdem Ordines aditus patuit, omnino ignorarunt?

Ad extremum quamvis Abbatia non admodum bonis affluat, ad ejus tamen levamen fundamentales Regulas violari non licet; porro hæ peculiares reservationes, earumque usus adversantur tecto Ordini, sanctique Augustini Regulæ, quæ expressis verbis mandat, ut omnia in Monasterio communia sint, & de Prælatæ mandato Monialibus singulis, prout opus fuerit, victus vestitusque tribuatur, id quod omnes corporales necessitates complectitur.

Temporale autem Abbatiæ commodum procurandi legitima ratio ex Constitutionibus ea quidem est, ut quicquid Moniales a consanguineis vel ab amicis Abbatissa permittente, receperint, non iis tanquam proprium remaneat, sed Communitati cedat; cum enim in communem massam hæ omnes eleemosynæ conferuntur, quicquid inde succrescit, fundus est, quo Monialibus prospiciatur; ut præter benedictionem, quam Deus iis omnibus impertitur, qui sibi fidem præstant, est & aliud in Communitate bonum non mediocre, quod æqualia charitatis officia Monialibus universis ac singulis exhibentur; nec Ministris, aliisve exprobrari potest eas durius agere cum suis Sororibus, dum apud se retineant ingentes summas in futuros casus reservatas, qui fortasse nunquam contingent, & in quibus dubio procul iis Communitas præsto esset,

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ut ad hunc Libellum supplicem respondeatur, non esse necesse, ut in eo allatæ rationes singillatim ad trutinam revocentur; sed satis fore, si declaretur Ecclesiæ doctrina super obligatione, nihil bonorum vel mobilium vel immobilium privatim possidendi, & quicquid advenerit, ad Antistitam deferendi, ut Monasterii bonis incorporetur; Deo enim dicatæ personæ acquiescere debent, cum id, quod ad Votorum suorum observantiam sibi Ecclesia præscribit, agnoverint.

Porro Abbatiæ, de qua agitur, Moniales non solum ex S. Augustini Regula, quam profitentur & ex proprii Monasterii Constitutionibus generatim quicquid acceperint, Antistitæ tradere debent, sed etiam ex Jure communi, quod afficit Regulares & Moniales omnes omnino, cujuscumque demum Ordinis fuerint, ut intelligimus ex Decisionibus allatis in Juris Canonici corpore, sed distinctius ex Tridentino Concilio *Sess. 25. de Regularibus cap. 2.* & ex Bulla Clementis VIII. quæ incipit: *Nullas omnino* diei 20. Martii an. 1601. quæque deinde confirmata est Constitutione Urbani VIII. ut videre est in Bullario tom. 4. data die 25. Junii an. 1624. In his Bullis expresse statuitur, ut quæcumque Regulares ac Moniales acceperint, *omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum certis illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus suppeditari possit*; ut proinde nulla Monialibus causa subesse possit, quamobrem sibi reservent, quod morientes disponant, aut quo Missas pro se fato functis celebrandas prospiciant, quoniam quicquid perceperunt, cum cæteris Monasterii bonis confundendum est, ejusque ipsæ non nisi aliarum more, & prout opus habuerint, participes esse possunt, vi suæ Professionis, quippe quæ nihil omnino possidere valeant. Quo loco non est omittendum non esse in Prælatæ potestate positum, ut ipsis permittat quicquam vel post mortem disponere. Depositariæ vero, Bursariæ, aliæque Monasterii Ministræ, quarum gratia consilium petitur, graviter peccarent, si puellis congerere volentibus indulgerent, ne, quicquid extrinsecus accepissent, in commune conferrent, & Monasterii fundo adderent; nihilominus ex Cardinalium Concilii Interpretum Responso potest Abbatissa, prout ei visum fuerit, primum quidem ejus rationibus providere, in cujus gratiam munus aliquod oblatum fuerit, ut deinde cæterarum Monialium necessitatibus opituletur. *In Declarationibus Concil. Trident. ad cap. 2. sess. 25. de Regularibus cap. 2.*

Decisum Parisiis in Sorbona die 20. Junii an. 1684.

Aug. *De Lamet.*

Decisiones magni ponderis super eodem Paupertatis Voto.

CASUS XVIII.

s *Agitur de pensionum usu, qui Monialibus esse potest, de administratione bonorum Monasterii, de ære alieno, quod Religiosæ personæ contrahere possunt, aut contraxisse, deque ejus solvendi ratione.*

QUÆSITUM.

SOrbonæ Doctores rogantur humillime, ut super insequentibus quæstionibus id dicant, quod sentiunt.

I. Monialis, quæ 18. aut 20. librarum annuum censum a suis percipit, eane pecunia uti potest, ut munera largiatur, non sine Antistitæ permissione? Et hanc quidem permissionem potestne Antistita eidem concedere?

II. Monialis, quæ aliquando pecuniam accipit a consanguineis, eamne Depositariæ tradere potest, ejus expendendæ animo? Et Antistita potestne ipsa apud se pecuniam eam retinere, quin in communem massam conferat?

III. Monialis potestne, cui voluerit, dona tribuere, & quam demum summam erogare potest cum Antistitæ permissione?

IV. Antistita ipsane potest aliquam summam sine Communitatis consilio disponere?

V. Communitas potestne proprio Episcopo non mediocre munus offerre, quin eidem peculiari aliquo obligationis titulo devincta sit? Potestne Antistita ipsa hoc munus offerre, Consiliariis quidem annuentibus, sed inconsulta Communitate?

VI. Teneturne Prælata æs alienum solvere, quod privatim Monialium una contraxit? An vero ea ipsa Monialis mercaturæ seu negotiationi vacare potest, ut congerat, unde solvat?

VII. Quomodo se gerere debet Confessarius cum Moniali, quæ ita facere consuevit, quin tamen eidem Confessario id patefaciat, quod ille quidem aliunde scit?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, ante quam propositæ quæstiones solvantur, animadversione dignum esse Tridentinam Synodum *Sess. 25. de Regular.* statuere, ut Regularibus nil nisi commune sit: *Quæ ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinent, fideliter observent.* Hæc primi Capitis verba sunt; in secundo autem Capite vetat Synodus, ne quis Regularis quicquam possideat, vel Conventus nomine, omnia *Conventui incorporentur.* Et sane cum statuisset Synodus, ut communis vita institueretur, consequens erat, quicquid Regularis haberet, in massam conferendum esse. Clemens VIII. in sua Bulla 60. c. *Nullus*, & Urbanus pariter VIII. in sua *C. Sacra Congregatio* Concilii Decretum explicuerunt, & confirmarunt.

Urbanus VIII. *c. Sacra Congreg. cap. Nullus.* Ut Tridentini Concilii Decreta de paupertatis Voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia vel mobilia, aut pecuniarum proventus, census, eleemosynas, sive a Concionibus, sive a Lectionibus, Missis tam in privata Ecclesia quam ubique celebrandis, aliove ipsorum justo labore & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possint; sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum certis illius bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur; quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit.

Si paupertatis Votum spectetur, quod Regulares aut Moniales emittunt, oportere videtur, ut ita se se res habeat, præsertim cum Monasterium, quicquid necessarium est, Religiosis suppeditat; satis enim perspecta sunt publica & privata mala, quæ ex ejusmodi peculiis & pensionibus, quas vel Superioris permissu Regulares percipiunt, fere proveniunt.

Qui porro censent Monialem posse, quod ei datum fuerit, cum Antistitæ permissione disponere, fatentur ultro ita ab ea fieri non posse, quin magna ex parte paupertatis, quam vovit, meritum perdat: *Ad ultimum fateor eo peculio non minimam paupertatis utilitatis jacturam fieri*, inquit Sanchez *l. 7. c. 22. n. 6. in Summa.* Pelizarius *tom. 2. tr. 10. c. 3. n. 7.* putat summopere utile fore, (*expediret maxime*) ut in communem massam omnes ejusmodi pensiones ac reditus conferrentur; idque ostendit rationibus omnino sex.

Denique si hæ permissiones, quæ a Superioribus facile obtineri possunt, Moniali sufficerent, ut a violando paupertatis Voto, quod edidit, eximeretur; consequens fieret, Monialem, cui non sine Antistitæ permissione omnia large suppeterent, contra paupertatem minime peccaturam, quod tamen non ita habet; neque enim ea tantum est Voti vis & ratio, ut nihil adsit proprii, hoc est rerum, quæ præ manibus habentur, dominium & proprietas nequaquam servetur, sed complurium quoque commoditatum privationem, seque ad res tantum necessarias redigendi obligationem complectitur idem Votum; & in hoc quidem paupertatis proprie dicta notio sita est.

Hac sane de causa Tridentina Synodus, ut ad accuratam Voti paupertatis praxim Regulares omnes pertraheret, & abusus eos anteverteret, qui sæpe consequuntur eas permissiones, quæ nihil sunt aliud, quam prætextus, quibus proprietatis quædam species ac forma tegatur speciosa a Superioribus dependentia, mandavit, ut reditus omnes, quoscumque Regularis obtinuisset, in commune conferrentur.

Hoc posito, respondetur ad quæstionem primam; Moniali minime licere a consanguineis 18. seu 20. librarum annuum censum accipere, ut eam pecuniam vel cum Antistitæ permissione disponat in alicujus privati hominis gratiam, cui munera largiri vult; debet enim illa ex Tridentinæ Synodi mente communem vitæ rationem tenere, & proinde, quicquid acceperit, cum Monasterii bonis confundere; ita ut Superiores nequeant eam veniam dare, ut ejusmodi pecunia percipiatur, & a percipiente pro libito disponatur, quia nimirum id cum iis pugnaret, quæ Concilium, & Summorum Pontificum Bullæ statuerunt.

Temere autem responderet, qui cum nonnullis Auctoribus diceret, Tridentini Concilii Decretum acceptatum non fuisse, aut contrariam consuetudinem ei derogasse, quod apparet, inquiunt, ex usu propemodum generali Monasteriorum, in quibus Moniales peculiaribus pensionibus gaudent, quin Prælati de usu cognoscentes eum reformandum suscipiant.

Neque enim constat, quo fundamento asseri possit Synodum quoad hunc disciplinæ articulum receptam non fuisse, quoniam nihil instituit, quod non antea in Jure statutum fuerit. Videri potest, quod ait Innocentius III. *C. Cum ad Monasterium, de Statu Monach.* Verum esto Synodus jus novum induxerit, satis est, eam hoc in capite Ecclesiæ mentem secutam esse, ut ei omnino parendum sit; eoque magis, quod regula, quam præscribit, eo demum rendit, ut Regulares id diligentius custodiant, quod divino Jure facere tenentur, quodque in facie Ecclesiæ Deo promiserunt per Votum, quo paupertatem æque atque obedientiam & castitatem professi sunt. Quæ porro contra irrepsit consuetudo, abusus est, qui tanquam multorum in Monasteriis malorum fons & origo est reformandus.

Hæc ergo peculia Monialibus permitti non possunt; at cum Monasterium non iis suppeditat, quæ ad victum & vestitum necessaria sunt, tunc quidem eadem ipsis permitti possunt. Ita sentit Pelizarius, (a). Non desunt Theologi, ut Vasquez, qui asserant in hoc quoque necessitatis casu par fore, ut Mo-

(a) Pelizarius tom. 1. tr. 4. c. 2. q. 2. sect. 2.

Moniales peculium suum suasque pensiones in commune conferant, quo inde Monialium omnium rationibus consulatur. Hanc autem contendunt mentem esse Tridentini Concilii, jubentis, ut omnia communia sint, & Conventui incorporentur: *Hinc fit*, inquit (a) Vasquez, *quod cum Religiosi egeant ut plurimum necessariis, ipsi sibi provident, & necessarii prætextu peculii etiam superflua ipsis ministrant, & hæc mala Concilium auferre contendit, auferens penitus omne peculii genus, ut ex communibus facultatibus omnibus necessaria ministreatur, in quo paupertatis perfectio in communitate consistit, sicut Act. 4. Ut erat anima una, ita etiam unum erat omnium peculium, & inde omnibus necessaria ministrabantur. Video tamen oppositum in praxi esse receptum & semper fuisse, non cum mediocri aliquarum Religionum detrimento: ideo suspicor nunquam fuisse receptum Decretum sicut alia multa illius Concilii; aut si receptum fuit, nescio quo pacto tot Religiosi sint excusandi.*

Id porro præbet ansam dicendi Tridentinam Synodum quoad hunc disciplinæ articulum receptam non fuisse, quod in Monasteriis bene multis Moniales habere pensiones aut peculia consueverunt, & quidem Antistita consentiente; eam vero consuetudinem induxit necessitas, in qua cum Moniales nonnullæ versarentur, quibus Monasteria, quæ paupertate premebantur, haud suppeditabant necessaria, proinde factum est, ut illæ pensionibus opus haberent, quibus ad necessaria sibi comparandu uterentur; ac proinde, quoniam ad laxationem facile tendit humana natura, præsertim cum Superiores non invigilant, ut Vota serventur, ejusmodi pensiones communes evaserint, easque bene multæ Moniales absque necessitate possederint. Verum id minime impedit, quominus abusus is sit, quem Superiores, ut supra dictum est, reformare debeant, quia legitima dici nequit consuetudo, quæ provenit ex corruptione cordis humani, cujusque non aliud principium est, quam violatio obligationis Regulari statui essentialis, qualis est observantia Voti paupertatis.

In ea porro, qua de agitur, facti specie constans est, Monialem hanc pensione, quam percipit, omnino non indigere; eumque proinde censum annuum 18. seu 20. librarum nec percipere posse, nec vero disponere.

Quoad secundam quæstionem. Ex doctrina hactenus tradita Monialis pecuniam sibi traditam in commune conferre debet; Antistita vero, quæ eam secus agere pateretur, contra id faceret, quod in Tridentina Synodo, & in Clementis VIII. Bulla supra laudata præscriptum est. D. Carolus, qui plene ac plane ejusdem Synodi mentem assequebatur, in Concilio quarto Mediolanensi titulo de (b) Monialibus ab omnibus ejusmodi permissionibus ipse quidem maxime alienus est, quoniam Monialem vetat quocumque prætextu pecuniam servare, quamvis etiam modica summa esset, eique præsto foret Prælatæ permissio, nisi ejus Officium aliter postularet; secus eam tanquam proprietatis labe pollutam æque ac Prælatam, quæ permissionem eam concesserit, puniendam præcipit.

Statuit quidem S. Carolus in Mediolanensi primo Concilio, titulo de vita communi, ut, dum in commune conferuntur omnia (c) seu mobilia, seu immobilia bona, quæ Monialis Monasterio procurat, quæque ad ipsam spectarent, nisi Paupertatis Votum emisisset, ei Antistita, prout res tulerit, præsto sit, & suffragetur, bonorum, quæ ipsa Monasterio procurat, ratione habita.

Non inde tamen concludi potest, S. Carolum Monialibus pensiones, aut alicujus vel minimæ rei dispositionem permittere voluisse. Ea solum fuit Sancti hujus Antistitis mens, ut in Monasterii necessitate ratio potissimum haberetur ejus Monialis, quæ ea bona procuraverat, ut ipsius indigentiæ prospiceretur.

Neque vero ad ejusdem Monialis excusationem dici potest, eam pecuniam non apud ipsam esse, sed penes Monasterii Ministram, vel penes Priorissam, quæ ne ipsa quidem disponere possit, quin permissionem obtinuerit; hæc enim quædam tantum est abdicationis species, quoniam Ministra, quæ pecuniam custodit, Moniali, quæ tradidit, rationem reddere debet. Permissio, quam illa a Prælata petit, nihil est aliud, quam cæremonia, ut pallietur proprietas, quam re quidem ipsa Monialis retinet; quandoquidem id moris obtinet, ut Prælata non utatur eadem pecunia, nisi in ejus Monialis favorem, cui pecunia collata fuit.

Quod tertiam. In Bulla Clementis VIII. *c. Religiosi n.* 28. an. 1594. quæ quoad præsentem articulum renovata fuit & confirmata Decreto *c. Nuper* Congregationis Cardinalium habitæ jussu Urbani VIII. die 15. Septembris an. 1640. prohibetur, ne citra legitimam aliquam causam Regulares & Moniales ulla prorsus munera largiantur. Allatum Decretum indigitat, quænam eæ causæ sint, quæ requiruntur, & quid inire consilii debeat Monialis, ut dona tribuat. Hæ causæ sunt grati animi significatio, desiderium devinciendi ejus animi, qui Monasterio utilis sit, & generatim aliæ omnes honestæ cogitationes, quæ in conferendis donis animo obversari possunt, dummodo intra modestiæ ac discretionis terminos consistatur, posito semper eorum consensu, ad quos donorum collatio ex Monasterii Constitutionibus, aut consuetudine spectat.

Decretum Urbani VIII. §. 1. Declarat munera a Religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisve causis ex sui natura actum virtutis & meriti continentibus, modeste tamen & discrete; & dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis Conventus, si talis consensus de jure vel ex Constitutionibus seu Consuetudinibus cujusvis Religionis respective in hujusmodi casibus requiratur.

Anton. a Spirit. Sanct. tr. 3. disp. 4. sect. 4. n. 232.

Sunt Auctores, qui putent Clementis VIII. Bullam, & Congregationis sub Urbano VIII. Decretum, quod eam confirmavit, in usu non esse. Sed propugnari omnino nequit assertio hæc, ut monet (d) Pelizarius, postquam dicta Congregatio Decreto suo eam explicuit ac renovavit, omnemque consuetudinem revocavit, quæcumque contra irrepere potuisset, ut ex Decreti verbis licet intelligi.

Decretum Congregat. sub Urbano VIII. §. 1. Prædicta Constitutio, quam in reliquis ejus partibus eadem Sanctitas omnino observari jubet, non usum aut prætensum usum seu prætensam consuetudinem damnando, & irritando.

Definiri non potest, quam demum summam Monialis quotannis donare possit; & quorsum spectare possit in hoc negotio Prælatæ permissio; generatim ex doctrina supra statuta id unum asseri potest eam summam mediocrem esse debere, facta hypothesi nihil esse Constitutionibus, aut legitima consuetudine hoc in capite definitum. Expendere potest Antistita, quota esse possit summa hæc, quæ major minorve esse potest, ratione habita tum qualitatis personæ, cui Monialis donare vult, tum causæ, qua ad donandum movetur, tum boni, quod inde potest Monasterio & Monasterii facultatibus provenire. Ita Suarez (e), aliique, quos affert Diana. Animadvertendum est juxta Bullam Clementis VIII. *Religiosæ n.* 28. §. 3. munus Conventus nomine tribuendum esse; est enim vulgo receptum illud: *Quicquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio*. Quamobrem cum pensio, qua Monialis utitur, ut dona tribuat, ad Conventum pertineat; consequens fit ejusdem Conventus nomine munera tribuenda esse.

Quoad quartam. Ex communi Jure Prælata Monasterii bona administrat, atque ita ipsa, quod expedire judicaverit, donare potest. Cum tamen cujusque Conventus Constitutionibus, usuque temperata sit ejus potestas, inde propterea cognoscendum, quandonam Prælata de sua tantum auctoritate donare possit, quandonam Discretarum suarum consilio uti debeat, & quandonam eidem necessarius

sit

(a) Vasquez Opuscul. de redd. cap. 3. dub. 2. n. 15.
(b) Monialis nummo ne modico quidem &c.
(c) Omnes itaque Monasterii proventus, &c.

(d) Pelizar. to. 1. tr. 6. c. 9. sect. 1.
(e) Suarez. to. 3. l. 8. c. 15. n. 13. de Reliq. Diana 1. p. tr. 6. resolut. 4.

sit suæ Communitatis consensus. Certum est, fere quidem, Prælatam, dum aliquid non mediocre donare vult, id facere non debere sine localis Superioris consilio. Qua de re consuli potest Pelizarins *tr.* 10. *c.* 10. *Sect.* 2. *n.* 546. &c.

Quoad quintam; aliquid donari potest non solum in grati animi signum, sed etiam ad conciliandam ejus benevolentiam, quem spes adest Monasterio utilem fore; adeoque Communitas Episcopo, cui subditur, non mediocre donum tribuere potest, si speret ex ejus patrocinio, & gratia se magna commoda percepturam.

Ad Antistitam quod spectat, neqnit illa ex Monasterii bonis dona elargiri, nisi mediocria atque exigua sint; qui enim boni administrator tantum est, non debet nisi ob ejus, ad quem pertinet, utilitatem illud impendere; hæc Juris Canonici mens est in Decreto, ubi mandatur, ut in gratiam divini cultus, aut ad Monasterii utilitatem Prælata bonis utatur. Quod si illa Episcopo, a quo pendet, munus largiri velit, debet antea Communitatem consulere, nisi ex Constitutionibus aut consuetudine sufficiat Conciliariarum sententia.

Quoad quæstionem sextam, quæ bipartita est, respondetur, I. Quod attinet ad impensas & æs alienum Monialis post Professionem absque Antistitæ permissione, Antistitam ipsam iis non teneri, quia nempe privatæ personæ culpa, ut ait (a) Jus, in universæ Communitatis detrimentum abire non debet; si tamen Monasterium ditius inde factum esset, illud æs alienum solvere teneretur; sin idem alienum æs ante Professionem contractum est, Monasterium non tenetur illud solvere, nisi forte Monialis omnia bona possideat, & solutionis obligatio respondere debet emolumento, quod Monasterium ex iisdem bonis percepit. Vide Pelizarinm super hac quæstione *tom.* 1. *tract.* 3. *c.* 6. *q.* 19. *n.* 36.

II. Mercaturam & negotiationem personis Deo consecratis prohiberi præsertim ex cap. secundo, Juris Titulo *Ne Cler. vel Monach.* &c. & id quidem sub excommunicationis pœna; ut proinde Prælata Moniali permittere nequeat, ut emat, aut vendat vel æris alieni, quod contraxisset, solvendi gratia. Sententiam hanc tuetur Pelizarius *tom.* 1. *tr.* 6. *c.* 10.

Quoad septimam & postremam quæstionem, Confessarius, qui certo novit, Monialem in praxi regulis allatis contraria versari, debet absolutionem ei denegare, si monita, suarumque obligationum certior facta nolit resipiscere.

Decisum in Sorbona die 25. Martii 1695.
A. *De Lamet.*

Extensio & obligationes Votorum Religionis.

C A S U S XIX.

1 *Vota solemnia obligant sub mortalis peccati pœna.*
2 *Obligatio servandi Regulam & Constitutiones Ordinis non exæquat Votorum obligationem.*
3 *Complurium Auctorum sententia Gerson in humanarum legum negotio laxioris, quæ eidem tribuitur, opinionis non fuit.*
4 *Voventes non minus paupertatis, quam castitatis voto obligantur.*
5 *Vota de Jure Divino obligant, & quia Regularis status essentiam Ecclesia iisdem addiait.*
6 *Leges mere humanæ jus, quo pollent, obligandi sub peccati pœna, obtinent ex potestate, quam Deus Superioribus contulit, recti ordinis custodiendi, bonique publici procurandi. Ad objecta, quæ proponi possunt, responsio.*
7 *Falsa, temeraria, & periculosa est doctrina contraria.*
8 *Conditio necessaria, ut opinio reddatur maxime probabilis, & in praxi tuta.*
9 *Si Gerson de natura obligationis Votorum, & humanarum legum id, quod ei adscribitur, docuit, deferendus est.*

QUÆSITUM.

Rogantur Doctores, ut respondeant insequenti Consultationi, quæ gravissimas quæstiones complectitur. Quæritur ergo:

I. An Vota solemnia sub mortalis peccati pœna tum solum obligent, cum de actionibus naturali aut divino Jure imperatis, vel prohibitis agitur?

II. An Ordinum Institutores nec potuerint nec debuerint Religiosos eorum Regulam amplectentes obligare ad eam sub mortalis peccati pœna servandam in iis, quæ nec naturali, nec divino Jure prohibentur? Exempli causa an Regula S. Francisci de Paula Minimos obliget sub mortalis peccati pœna ad quadragesimales tantum cibos sumendos, atque an illi mortaliter peccent, dum hoc in capite sine contemptu, scandaloque deficiunt? Eodem pacto an Regula ad puellarum instructionem sub eadem pœna Ursulinas obliget, propterea quod expressum ejusmodi Votum emittnut? Atque an verum sit in his aliisque id genus negotiis contemptu tantum aut scandalo lethalis culpæ reos effici, qui Deo consecrati tum ea, tum etiam paupertatis & obedientiæ Vota transgrediuntur?

III. An doctrinam hanc ipsam Gerson in libro, quem de spirituali vita animæ inscripsit, statuere voluerit? Atque an quod ait praxes regulares nihil aliud esse, quam humanas leges, & ad politicam pertinentes, id vero ad Vota paupertatis & obedientiæ, perinde atque ad nonnullorum Ordinum ab Ecclesia approbatorum Vota quatuor extendi possit?

IV. An Regularis minus paupertatis quam castitatis voto obligetur, quia contra primum peccans nihil in naturale aut divinum Jus facit, cum nec contemptus adest, nec scandalum?

V. An revera paupertatis & obedientiæ Vota non obligent, cum non nisi de politica, seu de Statutis agitur, quorum unus & unicus finis est rectus ordo, majorve perfectio? An asseri possit Vota solemnia non nisi civiliter & sub pœnis temporalibus obligare, atque an S. Franciscus Salesius, & S. Dominicus id non aliter intellexerint?

VI. An humanas leges sub mortalis peccati pœna non obligare propterea dici possit, quod homo, cum gratiæ nec tribuendæ, nec adimendæ facultatem obtineat, eodem jure lethalem culpam ei actioni nequeat apponere, quam divina Lex non condemnat?

VII. An ejusmodi doctrina sana sit, & orthodoxa?

VIII. An cum de gravi peccato agitur, ea semper tenenda sit pars, quæ mollior est, & pœnitenti favorabilior, cum in ejus favorem maxime probabilis adest opinio? Atque an unius, ejusdemque magni nominis Doctoris, multis licet aliis pariter claris repugnantis auctoritas possit opinionem maxime probabilem reddere?

IX. An cum Gerson doctrinam hanc magna cum perspicuitate ac soliditate explicuerit, non præferenda sit ejus sententia eorum Auctorum assertioni, qui nec scientia nec dignitate sunt ei comparandi?

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum initio statim animadvertit, a veritate alienum esse humanas leges sub peccati pœna non obligare, nisi prout id jubent aut prohibent, quod naturali aut divino Juri consentaneum est vel dissentaneum. Sane convenit, cum in conscientiæ foro & ex Dei mente Præpositis parendum sit, violatis eorum legibus, contra naturale ac divinum Jus semper aliquo sensu peccari, quia impugnatur auctoritas, quæ a Deo est, aliique pravo exemplo, quod iis exhibetur, ad malum ducuntur. Sed nimirum non ea est ejus notio difficultatis, quæ super legibus humanis proponitur: in eo tantummodo difficultas posita est, an si nec contemptus adsit, nec scandalum, eæ quidem citra culpam violari possint?

Cui quidem difficultati nulla ratione melius videtur occurri posse, quam si cum Theologis omnibus post D. Thomam 1. 2. *q.* 95. *art.* 2. & 4. sta-

tua-

(a) Cap. Si Episcopum 36, q. 4. Personæ delictum non est convertendum in Ecclesiæ damnum.

tuatur humanas leges non semper esse necessarias consecutiones aut conclusiones immediate ex naturali lege profluentes, cujusmodi sunt quæ furtum damnant, homicidium, &c. Possunt iis objecta esse proposita, quæ ipsa per se indifferentiam præseferant, sed ejusmodi esse statim desinant, atque ea jubet, vetatve lex, habita publici boni ratione. Carnem, exempli causa, certis quibusdam diebus comedere, arma noctu deferre, in caula esse, ut frumentum aut pecunia e Regno exporrentur, actiones non ipsæ per se malæ sunt; sed propter publicum bonum Superiori licet eas prohibere; & tunc ei quidem in conscientiæ foro parendum est.

Possunt etiam humanæ leges spectari, tanquam quæ peculiariter naturalem legem determinent. Causa exempli generatim naturalis Juris est aliquod Principi tributum solvi; & certum tributum certamque summam solvendam esse., id vero præcipit humana lex, quæ justa supponitur.

Nempe peculiari legi, quæ naturalem determinat, parendi obligatio, quam conscientia præscribit; non præcise quidem ex naturali ipsa lege, sed ex humani Legislatoris voluntate dimanat.

Et sane naturalis aut divina lex non omnes agendi boni rationes hominibus, clare saltem & distincte, præscripsit; id porro supplevit humana prudentia, eaque potestas, quam Christus Dominus Apostolis suis, eorumque Successoribus contulit, ea scilicet omnia, quæ ad salutis negotium pertinent, moderandi. Jam vero pronuntiare, leges ab Ecclesia post Christum Dominum editas sub peccati pœna non obligare, sententia est falsa, temeraria, & Catholicorum Auctorum doctrinæ contraria.

His ergo fundamenti veluti loco positis, ad consultationis quæsita hoc esto responsum.

Ad primum; solemnia Vota sub mortalis peccati pœna suapte natura obligare. Itaque Regularis contra paupertatis Votum mortaliter peccat, si quam non exiguam rem donet, absque Superioris sui permissione, id quod citra omnem culpam ante editum Votum facere potuisset. Hæc Auctorum ea pertractantium, quæ ad Regulares spectant, communis assertio est. Omnes nempe uno ore docent, quædam mala esse posse, quamvis divina lege minime prohibeantur, ut jam dictum est, utque fusius infra explicabitur.

Ad secundum; obligationem, quæ ex Regula provenit, non esse eum ea comparandam, quæ ex Votis provenit. Institutores quippe fere non contenderunt Constitutiones sub peccati pœna obligare, sed solum subsidia & media veluti quædam esse ad Vota perfectius executioni mandanda. Quamobrem obligationis natura ex Legislatoris intentione dignoscitur; si sub peccati pœnam ad Regulam obligare voluisset. quemadmodum Capucinorum Regula, quam Ecclesia ratam habuit, in articulis non paucis obligat, hoc in casu qui eam violarent, Deum offenderent. Ad solemnia Vota quod attinet, cum ad Religionis essentiam spectent, ea quidem citra culpam violari non possunt, non solum quia contra id agitur, quod promissum Deo est, sed etiam quia, quantum in eo est, qui Vota transgreditur, destruitur Religio, cujus essentia Votorum praxi continetur. Idem sentiendum de quarto Minimorum Voto, quod in eo situm est. ut toto anni spatio quadragesimalis abstinentia servetur. Abstinentiam nimirum hanc S. Franciscus de Paula Votum esse voluit, quod Ordinis sui præ cæteris peculiaris ac proprius veluti character esset; est ergo propterea ex Ordinis Minimorum essentia; ut proinde qui eum amplectuntur, idem Votum vel independenter a contemptu & a scandalo sub mortalis peccati pœna servare teneantur. Consuli super hac re potest Laurentius *de Peyrinis* ex Minimorum Ordine *Tom. 1. de Rel. Sub. q. 4. c. 1.* Idem de paupertatis & obedientiæ Votis potiore jure statuendum est.

Ad tertium; Complures Auctores contendere Gersonem non in ea fuisse sententia, quæ in expositione eidem adscribitur; videri potest Gamachius in suo Tractatu de Legibus *q. 96. c. 3.* cui super eadem re concinit Vasquez *disp. 154. cap. 1. & 2. disp. 158. cap. 1. & 2.* Alii vero Celebrem hunc Doctorem non ita docuisse putant. Ut ut sentiendum sit, non apparet, quo tandem fundamento asseri possit Votorum Regularium observantiam non nisi politicum aliquid esse, ad externum tantum forum spectare, & in conscientia non obligare.

Ad quartum; Paupertatis Votum æque ac castitatis ad Monastici seu regularis status essentiam pertinere. Docet id Innocentius III. *Cap. Cum ad Monasterium*, ac proinde Votum prius non minorem quam posterius obligationem adjunctam habet. *Quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit dispensare.* Potest etiam, quæ Voti paupertatis obligatio, quodque Regularis illud violantis peccatum sit, ex pœnis intelligi, quas eidem peccato imposuit Ecclesia. Jubet illa in eodem capite, ut Regularis, penes quem fato functum pecunia reperitur, Ecclesiastica sepultura privetur & in sterquilinium projiciatur. Non igitur verum est, si minus contra naturale divinumque Jus, violato paupertatis Voto, peccaretur, futurum, ut non ita grave crimen coram Deo patraretur; satis nimirum est Ecclesiam Votum hoc Religioni adnexum voluisse, ut, qui illud violat, mortaliter peccet, etiam si in ejus violatione nec contemptus, nec scandalum foret.

Ad quintum; Si paupertatis & obedientiæ Vota promissa sunt Deo facta, quod non videtur in dubium vocari posse, facile concludi posse illum, qui eadem emiserit, naturali & divino Jure obligari; eum præterea ob id etiam obligent, quod Ecclesia cum Religione eadem conjunxit, tanquam ejus essentialem partem constituentia; ut proinde quemadmodum id tentari nefas esset, quod ad Regularis status perniciem tenderet, ita nec Vota violari possint. quippe quæ sunt leges ab Ecclesia præscriptæ, ut Regularis vitæ fundamentum sint; & quod inde consequitur, paupertatis & obedientiæ Vota spectari nequeant tanquam politicæ leges, ut non nisi sub temporalibus pœnis eos obligent, qui eadem violaverint. Cum porro S. Dominicus, & S. Franciscus Salesius noluere Constitutiones suas sub peccati pœna obligare, id profecto in animo habuerunt, eas ipsas non ut proprie dicta præcepta spectandas esse, sed solum ut directoria & media Regularibus eorum Ordinis ad majorem perfectionem ducendis aptiora. Quod sane de trium Votorum obligatione dici non potest.

Ad sextum; Necesse non esse, Legislatorem posse gratiam adimere, ut per Legem, quam sancit, sub mortalis peccati pœna obliget; nempe transgressorem legis per inobedientiam in re gravi ipsum le gratia privare. Legislator gratiam non tollit ut efficiens causa; sed legis transgressor ipse sibi damnum creat, & per propriam inobedientiam ultro ac libere gratiæ jacturam facit. Pœna hæc amittendi gratiam, æternamque damnationem subeundi non per humanam legem imposita est, sed per legem Dei, qui eam addidit ejus malitiæ, qui legem justam, quamvis ab hominibus institutam, in re gravi transgrederetur. Deus iis auctoritatem, qua leges sanciunt, communicavit, eorumque subditos iisdem obsequi vult.

Satis ergo fuerit asserere, quod verum est, eum, qui gravem legem violat, Deo displicere, dignumque esse, qui æterna pœna mulctetur. Quam quidem pœnam non imponit Legislator; nec tamen inde sequitur, ut Legislator eam nequit imponere, ita ne transgressorem quidem eamdem subire posse. Si de pœna arbitraria, & a Judicibus pendente ageretur, ea quidem regula locum habere posset, nec immerito propugnaretur, non esse timendam pœnam, cujus infligendæ potestas non adest; verum hic de pœna agitur peccato addita, nec a Legislatoris voluntate pendente. Quamobrem huc referri non potest ejusmodi principium, ut ne illud quidem, quod docet, Superiorem actus internos non imperare, propterea quod de iisdem judicium ferre non potest. Sane convenit, humanam legem ipsam per se non producere spiritualem effectum, cujusmodi peccatum est, & obligationem supernaturalis pœnæ, cujusmodi est æterna Inferorum damnatio; effectus hi duo transgressionem, qua dictum est, ratio-

ne

ne consequuntur. Verum ut magis appareat eorum opinionem falsam esse, qui legem humanam sub peccati pœna non obligare contendunt, nisi quatenus in eo, quod jubet aut prohibet, sa naturali ac divino Juri conformat, eamque quoad forum internum nihil præcipere vel interdicere posse, quod jam superiori lege præceptum vetitumque non fuerit; expendendæ sunt tres aliæ rationes, quibus niti consueverunt, qui adeo præposteram sententiam propugnant.

Prima ratio; Quemadmodum Ecclesia nihil novi Fidelibus tanquam fidei articulum proponere potest, nisi in sacris Litteris, aut Traditione, quæ fidei principia sunt, contineatur; ita Legislator imperare nil potest, quod naturali aut divina lege non comprehendatur.

Ratio altera; Nihil, quod non in Regula contineatur, Regularium Superior præcipere potest.

Tertia demum ratio; Humana lex ex D. Thomæ doctrina est naturalis legis aut conclusio, aut determinatio; & quod inde fit consequens, ea nihil imperare aut prohibere potest, quod non ex primigenia illa lege, seu ex divina vel bonum vel malum sit.

Ut ergo super ejus sententiæ falsitate nullus dubitandi locus supersit, respondetur;

Mirum videri non debere, nullum fidei articulum, qui in sacris Litteris vel Traditione revelatus non fuerit, ab Ecclesia proponi posse. Cum enim quod Fidelibus proponitur, divina fide credendum sit, necesse proinde est, ut, quod proponitur, existat in sacris Litteris, vel fuerit Apostolis revelatum, id quod ex eorum Scriptis aut ex Traditione innotescit. Quamobrem cum nihil esse possit objectum fidei, quod revelatum non fuerit, necessaria consecutione fit, summum Pontificem, Episcopum, Ecclesiam ipsam nihil novi credendum proponere posse, sed tantummodo declarare, peculiarem aliquam veritatem sacris Litteris aut Traditione contineri. Non eadem porro est legum ratio. Quilibet Superior sive Politicus sive Ecclesiasticus jus obtinet leges eas instituendi, quas inferioribus suis necessarias vel utiles esse cognoverit, cæterarum congruentium circumstantiarum ratio habita. Potest sanctiones edere ac prohibitiones, prout expedire judicaverit ad earum Communitatum, quarum Superior est, administrationem, & quoad varios fines, quos ad subditorum suorum utilitatem sibi proponit. Itaque inferiores in conscientiæ foro tenentur eidem parere, quamvis leges, quas imponit, novæ sint, nec naturali lege necessario contineri videantur.

Deinde Regularis quidem non nisi pro Regulæ, quam amplexus est, præscripto obedire tenetur, ut docet D. Thomas 2. 2. *q.* 104. *art.* 5. *ad tertiam*; adeoque Superior ad aliquid amplius, quam sit in Regula, inferiorem suum obligare non potest, quia ille non nisi juxta Regulam obedientiam promisit; at Superior idem non id modo, quod a Regula præscriptum est, præcipere potest, sed etiam quicquid ad perfectiorem Votorum praxim conferre potest, & id quidem temporibus, locis, personis, occasionibusque spectatis. Exempli causa Bonifacius VIII. Monialibus clausuram injunxit, cujus lege illæ antea obstrictæ non fuerunt, quia nempe ad observantiam Voti castitatis eam necessariam judicavit; & ad novam hanc legem eas obligavit sub gravissimis pœnis, quoniam Censuras eidem addidit. Hanc eamdem legem renovavit Tridentina Synodus *Sess.* 25. *de Regular. cap.* 5. ex quo sequitur, eum Superior jus obtineat id imperandi, quod recto servando ordini inservire potest, in conscientiæ foro eidem parendum esse. Porro principium hoc cuivis Legislatori accommodari potest, licet quod præcipit, præcise in naturali aut divino Jure non contineatur.

Tertio demum loco D. Thomæ doctrina in dubium non vertitur; sed inter humanas leges, quæ ex naturali, tanquam necessariæ conclusiones ex principiis generalibus derivantur, easque, quæ *per modum determinationis*, ut Theologi dicunt, inde proveniunt; quod priores magis sunt naturalis & divinæ legis declarationes, quam leges humanæ, eoque titulo potius, quam tanquam humanæ leges obligant; at ad posteriores quod attinet, quodammodo asseri potest, iis obediendi obligationem magis ex Legislatoris voluntate, quam ex naturali ac divino Jure proficisci. Cum enim Legislator administrandi jus habeat, jus quoque & facultatem obtinet leges edendi temporibus, & fini, quem sibi proponit, congruentes, præsertim cum eas publico bono utiles aut necessarias judicat; ut proinde quod antea liberum erat, obligatio, ac præceptum evadat, cui omnino parendum est ex Dei ipsius jussu iis verbis contento: *Qui vos audit, me audit*; quod de Apostolis dictum est; & iis D. Pauli: *qui resistit potestati, Dei ipsius mandato resistit*; quod dictum est de Principibus temporalibus, ac Magistratibus. Servandæ sunt etiam tanquam humanæ leges, quæ jus obtinent ea jubendi vel prohibendi, quæ suapte natura nec bona, nec mala sunt, sed ejusmodi evadunt ex sola voluntate Legislatoris, cui dubio procul causæ suppetunt, quamobrem eas leges edat. Hac porro doctrina peculiaribus Votis, quæ apud Ursulinas, apud Minimos, apud alios emittuntur, accommodata, facile intellectu est, si leges eæ non nisi politicæ ac pœnales forent, & citra peccatum violari possent, futurum, ut Ordines, in quibus eas custodiendi Votum emittitur, grave incommodum paterentur, & Ecclesia Spiritualibus iis bonis, quæ in eorum approbatione sibi proposuit, privaretur; quod satis est, ut quicumque sapit, & rationis est compos, sibi persuadeat, ita voventem non posse salutem consequi, nisi bona fide ac pro viribus emissa Vota servaverit.

Ad septimum; An ea doctrina sit orthodoxa, ex iis dijudicari posse, quæ Sylvius in S. Thomam 2. 2. *q.* 26. *art.* 4. pronuntiat: *Ad fidem pertinens est, legem humanam, sive ea sit civilis, sive Ecclesiastica, ponere homini necessitatem in conscientia; hoc est ita obligare hominem ad faciendum, quod præcipit, & ad omittendum, quod prohibet, ut si ei non obtemperaverit, revera peccet, sitque divino judicio culpabilis; & a Deo expectare debet punitionem, etiamsi Superiores transgressionem illam hic punierint.* Auctor hic, ut ex iis liquet, quæ sequuntur, loquitur de legibus mere humanis, quorum nec bona nec mala materia est.

Ad octavum respondetur; propugnari sane posse opinionem, cum maxime probabilis est, quippe quæ probabilior quidem est, quam opposita; eamdemque alacrius & firmius tenendam esse, cum pœnitenti favorabilis, & mansuetudini conformis est; nunquam tamen fieri, ut maxime probabilis opinio sit, cum Theologorum communi sententiæ repugnat, cujusmodi ea est, quæ in Expositione proponitur. Hinc concludendum, non licere privati Doctoris, quamvis magni nominis opinionem sequi, cui Doctores alii & numero plurimi, & doctrina ac probitate præstantissimi refragantur; quia nempe jure optimo statui potest, ejus sententiam haud cum veritate congruere, sed temerariam & periculosam esse.

Ad nonum & postremum quæsitum respondetur, prudentiæ regulis adversari, ut sententia ab idoneorum Auctorum majori numero impugnata propugnetur, tametsi eorum singuli seorsim sumpti non ea dignitate ac fama essent, qua is est, qui contra sentit. Certum est enim, atque experientia compertum fit, probatissimos quosque aliquando humani aliquid pati, atque aberrare, adeoque opiniones singulares amplecti; ac proinde pro certo habendum est eos in errorem incidisse, neque iis subscribendum esse, cum probati complures Auctores iis refragantur. Quamobrem cum opinio, quæ Gersoni tribuitur, ad humanarum legum obligationem quod attinet, omnium pene modum Theologorum assertioni contraria sit, & Hæreticorum opinationi favorabilis, temeritatis proinde, atque imprudentiæ, ne quid acrius dicatur, reus esset, quisquis eam tueri non dubitaret.

Decisum hac die 26. Februarii an 1697.

Aug. *de Lamet*.

G. *Fromageau*,

Alia

Alia decisio super eodem Paupertatis Voto.

Quomodo Regularis alimentaria Pensione, quam percipit, uti debeat.

CASUS XX.

1 *Veteres Regulares, quibus Reformati pensiones alimentarias suppeditant, non possunt tuta conscientia propriis parsimoniis in familiarium suorum favorem uti, quamvis ita se gererent, ut consanguineas in matrimonium conjungerent, aut Religioni puellas adducerent.*

QUÆSITUM.

NOnnulli Religiosi veteres, a Reformatis, qui in eorum Abbatias irrepserunt, pensionem ex numerata pecunia percipiunt, ad cujus reddendam rationem eos Reformati adigere nequeunt. Quamvis porro ea pensio non sit immodica, satis magna tamen est, ut nonnulli ex ea se sustentent, & præterea multum reservent. Quæritur, an ex ejusmodi reditibus possint illi suis consanguineis, necessitate minime laborantibus gratificari, atque an iis uti possint, ut neptes in Monialium album referendas curent, & earum dotes persolvant? Id quidem ipsi se hactenus tuta conscientia posse facere contenderunt, sive quia nonnulli, quos consuluere, Theologi responderunt id ipsis licere, sive eo prætextu, quod citra excessum potuissent expendere, quod reservarunt, subtractis sibi commoditatibus bene multis, quæ vituperari minimi potuissent, seu denique quia nullus ipsis Superior adest, a quo facultatem petere debeant; cum iis quidem Prior sit, is nimirum imprimis, qui eo titulo se posse contendit reservationibus suis uti pro libito, suisque confratribus idem permittere.

Nihilominus cum super hac re scrupulum iis quidam injecerit, non desunt inter eos, qui ita animo comparati sint, ut se Doctorum sententiæ subjiciant.

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, veteres Regulares, qui a Reformatis pensionem accipiunt, non posse de pensionis reservationibus consanguineis suis gratificari, iisdemve uti, ut neptes inter Moniales cooptandas curent.

I. Quia cum hæc pensio sit iis alimentorum & sustentationis loco, quas res Regularis Domus ipsis suppeditaret, fit inde, ut nequeant eam in alium usum convertere; & quemadmodum quod ex fundis Religiosorum alimoniæ inservientibus in Abbatia reservaretur, in Abbatiæ ipsius, non autem singulorum Religiosorum commodum redundaret, ita hujus alimentariæ pensionis a vetere Religioso facta reservatio Monasterio cedere debet, quoniam non nisi ad propriam sustentationem ille pensionem eam percipit, & Regularis Domus ei certam pecuniæ summam tribuens contendit id exequi, quod mandat Tridentina Synodus: *Nihil quod necessarium est, eis denegetur*; non autem iis ansam præbere congerendi, contra Regularis vitæ rationem.

II. Paupertatis Votum, quo se Religiosi Veteres obstrinxerunt, non eos minus obligat, postquam pensionem hanc perceperunt, quam antea; cumque conficiendis ejusmodi dispositionibus inepti fuerint, ante quam Reformati ad eorum Abbatias accederent, conventio, quam cum iis iniere, majorem ipsis facultatem non affert, quandoquidem certum est, ut quis pro arbitratu rem aliquam impedire possit, necesse esse, ut ejus dominus sit, eamque tanquam propriam possideat, quod cum Paupertatis Voto stare omnino non potest.

III. Tridentina Synodus adeo expressum Decretum edidit, ut in horum veterum Religiosorum favorem explicari non possit, quippe quod nititur Paupertatis Voto, quod Regulari vitæ essentiale est. Ita nimirum statuit *Sess. 25. de Regular. cap. 2 Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria, aut nomine Conventus possidere vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur*. Difficile porro concipi potest, id, quod ex veterum Religiosorum pensione superest, non esse ex eorum bonorum numero, de quibus hoc in Capite sermo est, atque ita illud eximi a lege posse, quæ præcipit, ut Conventui redintegrandum Superiori tradatur.

IV. Clemens VIII. post Tridentinam Synodum tam aperte suam mentem explicuit, ut id quod nos dicimus, in dubium revocari omnino non possit; ita enim loquitur in Bulla *Religiosæ Congregationis* §. 3. *Nec si forsitan privatim & nominatim cuilibet Religioso a suis Superioribus, vel ab affinibus, propinquis, familiaribus, amicis, aut benevolis, vel a piis Christianis Fidelibus, etiam eleemosynæ & charitatis & illius personæ propriæ intuitu attributæ, seu quoquo modo per quemlibet Religiosum suo Monasterio, Domui, aut loco acquisitæ, eique, ut ad libitum de iis disponat, per Superiores concessæ fuerint, præterquam leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantum, nunquam vero particulari nomine (ubi Superiori de consensu Conventus videbitur) tradenda*. Quo loco animadvertendum, Religiosos non posse cum Superioris auctoritate, & Communitatis consensu quicquam largiri nisi Regularis Familiæ & Monasterii nomine: *communi tantum, nunquam vero particulari nomine*; ut proinde Communitas ipsa Religiosi sui ministerio utatur, ut det, nec Religiosus re vera largiatur, & quidem jure; quia nempe ad largiendum opus est rei, quæ traditur, dominio; cumque non nisi Conventus possidere possit, solus proinde Conventus largiri potest, non item Religiosi singuli, qui cum & Voto & Professione pauperes sint, nec dominium ullum habere, nec propterea quicquam possidere possunt.

V. Neque vero Religiosi veteres uti possent ea permissione, quam a proprio Superiore, de quo dictum est, obtinerent; quia nempe ex Regula non sufficit ejus auctoritas; sed præterea Monasterii consensus requiritur, qui quidem non adest, atque adeo ea permissio inutilis foret. Quid? Quod Superior hic, qui ex Religiosorum veterum numero est, non potest in hoc negotio Superioris personam gerere, quia de eo Superiore agitur, qui Abbatiæ bona administrat, cujusmodi est Superior Reformatorum, qui nunc temporis constituunt Corpus Familiæ, cui ex Tridentini Concilii Regula singulorum bona addenda sunt, & ut Concilium loquitur, incorporanda; ut proinde quocumque modo res accipiatur, appareat eos veteres Religiosos non posse, quod sibi ex pensionibus superest, disponere, sed id ad Monasterium spectare, eosque non minus exacte Paupertatis Votum servare debere, postquam Reformatio in ipsorum Familia instituta est, quam antea debuerint, nec magis proprii quicquam habendi ac possidendi capaces esse, quia de alimentariæ pensionis collatione convenit, quam cum communem vitam tenerent, ipsique Abbatiam administrarent.

VI. Hæc generalis ratio etiam Veterum Superiorem complectitur, cujus pensionariæ reservationes non minus quam cæterorum Religiosorum ad Monasterium pertinent, nec penes ipsum est earumdem dispositio; quia nimirum dispositio supponit titulum vel proprietatis, vel administrationis, cujusmodi reperitur in Beneficiatis, qui bonorum Ecclesiarum suarum Administratores sunt, ut ex Canonum Regula iisdem utantur; quod non occurrit in Pensionariis, quibus non nisi ad victum & vestitum pensiones hæ tribuuntur. Itaque de Superioribus idem judicium, ac de privatis quibusque Religiosis ferendum est.

Decisum Parisiis die 20. Januarii an. 1678.

Aug. *De Lamet*.

U S U R A.

Usura, D. Thoma & S. Antonino (a) definientibus, *est pretium usus pecuniæ mutuatæ*, videlicet emolumentum, quod percipere quispiam contendit potissimum ratione mutui, quod edidit alicujus rei, quæ usu consumitur. Emolumentum est, nempe aliquid pretio æstimabile; causa exempli pecunia, frumentum, vinum, aliique reditus, & merces; atque adeo officia, labores, tributarium opus, diurna opera, uno verbo obligationes pretio æstimabiles, quæ ultra sortem exiguntur. II. Emolumentum hoc duci contenditur ex mutuo, quia nempe usura non nisi in mutuo committitur; quamvis enim usura revera interdum occurrat in Contractibus emptionis, venditionis, obligationis, & similibus; ita se tamen semper res habet, ut in Contractibus hisce implicite mutuum existat; exempli causa dum vendo mensuram tritici scuti pretio, & quinque præterea solidos exigo, quia ad annum credo, perinde facio, ac si scutum ad annum mutuum darem, fœnoris quinque solidos exigens. III. Additur in definitione *potissimum ratione mutui*, ut nimirum intelligatur, secunda intentione mutuantem usuræ reum non effici, quemadmodum legitur in Capite *Consuluit*; ut proinde si quis mutuum dederit principe quidem studio, ut amico gratificaretur, vel ex charitate, mentalem usuram nequaquam committat, quamvis ad mutuum dandum moveatur intentione minus præcipua, lucrum aliquod ex mutuo percipiendi: *Secundario tamen aliquid sperare non puto malum*, inquit Glossa (b).

Dividitur universim usura; I. In realem & mentalem. Realis est, cum aliquod expressum vel tacitum pactum existit accipiendi aliquid ultra sortem; Mentalis est, cum ea præcipua est mutuantis intentio, ut aliquod ex mutuo lucrum percipiat, quin ullum tamen cum mutuatario pactum instituat.

II. Alia expressa usura est, alia palliata. Expressa & explicita est, cum aliquod percipitur lucrum ex mutuo vi ipsius mutui. Palliata ea est, quæ occurrit in aliis Contractibus, exempli causa in venditione, qua ut quis abutatur, ei nomen aliud indere se posse putat.

III. Distinguitur præterea duplex aliud usuræ genus, ut alia sit præcipuæ sortis usura, cum ex mutuata pecunia fœnus mutui gratia percipitur; alia vero sit usura lucri usurarii, cum nempe legitimorum vel usurariorum jam elapsorum fœnorum fœnora exiguntur.

IV. Quandoque exiguntur fœnora juxta denarium Constitutione præscriptum, quandoque vero ultra taxam, quam Princeps pecuniæ constituit; causa exempli loco quinti pro centesimo percipitur sextus, octavus, & decimus.

V. Est & usura tum activa tum passiva. Activa est Creditoris, qui cum fœnore mutuum dat, & aliquid exigit ultra sortem. Passiva debitoris est, Creditori, quam exigit, usuram solventis.

VI. Denique occurrunt in Jure tres aliæ usurarum formæ, seu species, quæ nuncupantur *lucratoria*, *punitoria*, *& compensatoria*. Primi generis usura in eo sita est, ut sine ullo titulo exigantur mutuæ pecuniæ fœnora, & hæc quidem usura in Jure damnatur. Alterius generis usura est census, ad quem is damnatur, qui, quod mutuatus est, non reddit eo tempore, quo se redditurum promisit. Tertii demum generis usura est ejus damni, quod vere mutuans patitur, justa reparatio. Ex insequentibus Casibus compertum fiet has duas posteriores usuræ formas in aliquibus circumstantiis a Jure firmari, easque potius redintegrationes & census, quam usuras esse appellandas.

Ostendunt Theologi (c) usuram ab Ethnicis ipsis proscriptam fuisse, ut ex Collationum Parisiensium super usura pag. 33. & seq. Volumine primo licet intelligi. Præterea eam cum naturali Jure pugnare, quia nempe furtum est, & quia, ut monet D. Thomas, est contra naturæ jus, ut aliquis percipiat pretium duplex, hoc est unam eamdemque rem bis sibi solutam velit; quod sane contingit, cum aliquid ultra sortem exigitur. Est etiam illa divino Juri contraria, quoniam præter multa veteris Testamenti oracula (d) legimus in Evangelio D. Lucæ *cap.* 6. ipsius Christi Domini verba hæc: *Mutuum date, nihil inde sperantes*; quæ quidem & consilium continent, & præceptum; consilium continent priora verba, *mutuum date*, præceptum posteriora, *nihil inde sperantes*, ut Alexander III. & Leo X. definierunt; Leo quidem in Lateranensi Concilio *sess.* 10. Ecclesiasticæ denique Leges usuram gravissime acerrimeque damnarunt. Occurrent infra probationes.

Opponunt usuræ fautores difficultates non paucas, ut eam tueantur. Prima ducitur ex Constitutionis Contractu, qui nihil est aliud quam purum putumque mutuum, ex quo tamen census percipitur. Sed respondetur, Contractum hunc usurarium mutuum non esse. I. Quia veri nominis venditio est, & veri nominis emptio, in qua pro jure census percipiendi traditur certa pecunia semel soluta; ex quo sequitur, duplicem unius ejusdemque rei compensationem non fieri; census compensat sortem; at sors ipsa sortem nunquam compensat. II. Cum percipitur census hic, non fructus quidem est ex pecunia usuque ad nos amplius spectante proveniens, ut in mutuo fit, sed empta res est ad emptorem pertinens, qui eamdem paulatim solvit; ea enim hujus permutationis natura est. Contractus hic (e) ex Bulla Martini V. ex Bulla item Calixti III. duo postulat, ut annuus hic reditus juxta Principis taxam ematur, & reditus venditor ejus redimendi libertate gaudeat, neque ad id adigatur.

Difficultas altera ejusmodi est; si ex domo, ex re mobili, ex equo, ex aliis, quæ locantur, pecunia percipitur: quidni & ex pecunia mutua lucrum aliquod percipi possit? Atqui inter ea, quæ locantur, & pecuniam, quæ mutua datur, multum discriminis intercedit; in locatione scilicet usus a dominio distinguitur, dominium retineri potest, & usus vendi; atque in hoc quidem locationis vis omnis & ratio sita est; at in pecuniæ mutuatione dominium cum usu transfertur, adeoque nihil accipi potest pro usu rei, quæ non amplius ad nos pertinet; qui secus agit, in usuræ injustitiam incidit.

(a) S. Thomas 2. 2. quæst. 78. S. Anton. 2. p. c. 1. c. 7. §. 2.

(b) Glossa in Cap. Consulit, de usuris verb. sperantes.

(c) S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. in corp.

(d) Exod. cap. 20. Levit. c. 25. Deuter. c. 23. Psalm. 14. Ezech. c. 18. Vide objecta & responsa in hunc S. Lucæ locum c. 6. in collationibus Parisiensibus de usura Tom. 1. pag. 7. & seq.

(e) Bulla Martini V. & Callixti III. extravag. communi cap. Regimini.

dit. Quamobrem si quis pecuniam daret, ut ostenderetur, licite tunc posset usum pecuniæ vendere, quia nempe ejus dominium non cederet.

Tertia difficultas: Quod dicitur ideo lucrum ex pecunia percipi non licere, quia ea sterilis est & infructuosa, inepte, ac falso dicitur, quoniam ne ex fructuosis quidem rebus, cujusmodi segetes sunt, dum mutuæ dantur, lucrum percipi licet. Sed respondetur, quamvis pecunia & segetes eo nomine differant, quod pecunia ipsa per se sterilis est, non item segetes; id tamen in mutuo commune habent, quod utrumque mutuanti sterile evadit. Cum enim per mutuum mutetur utriusque dominus, neutrum nisi mutuatario prodesse potest ex ea Regula: *Res fructificat domino.*

Quarta difficultas: falso dicitur id in mutuo vendi, quod non existit: fundus enim, exempli causa, pecuniæ mutuæ est aliquid, quod subsistit; ac si pecunia non subsistit in specie, in eo tamen, quod pecuniæ æquivaleat, subsistit. Respondetur, ut jure dicatur creditor id vendere, quod non existit, satis esse, ut pecunia, quæ mutua data est, non amplius seu quoad dominium, seu quoad usum ad eum pertineat; ita nempe id vendit, quod non amplius quoad ipsum existit.

Quinta difficultas: Lex non distinguit ea, quæ usu consumuntur, ab iis, quæ non item; non est ergo ponenda distinctio hæc, ut usura, quam lex ipsa prohibet, explicetur. Respondetur, ejusmodi consecutionem ineptam esse; quamvis enim lex distinctionem hanc explicitis verbis non afferat, eam tamen supponit, dum verba facit de mutuo, quod unius generis res tanquam materiam sibi subjectam spectat, non alterius.

Sexta difficultas: Divina lex minime vetat aliquid accipi in benefacti gratiam, ubi census dari atque accipi potest in grati animi argumentum; ergo non omnis census prohibetur divina lege, sed tantum is, qui recipitur *ratione mutui*. Respondetur divinam legem prohibere, ne grati animi specie ac prætextu usura pallietur: ad quam quidem detegendam satis fuerit inquirere, an qui mutuum dat, eam grati animi significationem expectet, & pecuniam suam det mutuam ejus accipiendæ spe, necne; si enim eam significationem expectat, secus mutuum non daturus, committit ex eo ipso momento temporis usuram mentalem, quæ nihil est aliud, quam plus quam datum fuerit, accipiendi consilium.

Septima difficultas: Usura moderata, seu mutuum commercii, quod inter divites exercetur, proximo utile est, ac proinde charitatem non lædit: causa exempli opus habet quis viginti mille libris ad utilem emptionem Prædii scutorum viginti mille; eas fœnerato accipit non sine remuneratione beneficii, quod accipit, & sine quo non conficeret negotium familiæ suæ perutile, quod in causa est, ut pecuniam impendat, quam in scrinio retinebat, suoque proventui addat annua tria seu quatuor librarum millia. Hoc denique commercii mutuum est Reipublicæ necessarium, quoniam ejus vi fit, ut negotiatio, quæ Status florentissimos efficit, inter Mercatores vigeat, & augeatur. Quia porro objectio hæc inter cæteras maxime speciosa est, ideo paulo fusius ad eam respondendum.

Respondetur igitur I. Charitatem non unam & unicam virtutem esse, cujus rationibus nos consulere necesse sit; ac facile quidem ostendi potest, commercii mutuum, seu potius omne prorsus mutuum cum justitia pugnare. II. Ad falsas cupiditatis rationes reprimendas apte usurpari possunt ea Tertulliani verba: *Quid revolvis? Deus præcipit.* Satis fuerit innotescere, Deum, quodcumque demum fuerit, mutuum prohibere, ut fucatis emolumentis, quæ ejusmodi mutuum offert, renuntiare parati esse debeamus. Non illud quærendum, an hoc fœnebre mutuum commercio utile sit; expendendum primum omnium, quid permittat Deus, quid prohibeat, nec proximus unicum & primum objectum est, quod nobis propositum esse debeat. Itaque non ideo debet permitti fœnus, quod negotiationem sustentet, faveatque vehementi, qua Mercatores flagrant, divitiarum cupiditati. Id firmum sit & constans, oportet, non Dei legem ad negotiationis rationes & commoda, sed potius rationem, quam Christifideles in mercatura exercenda servare debent, ad Dei legem exigi ac temperari debere. Hac de causa Alexander III. a Panormitano Archiepiscopo interrogatus, an permitti posset fœnerato accipi ac dari pecuniam ad Christianorum apud Saracenos captivorum redemptionem conferendam, respondit, cum usuræ crimen in utroque Testamento sit horroris & maledictionis objectum, non videri in hoc negotio dispensationi locum esse. Quemadmodum enim sacræ Litteræ vetant quempiam mentiri, ut proximi sui vitam tueatur; potiore jure impediendum, quominus ad Christianum captivum redimendum, & libertati restituendum usura admittatur; est id in titulo *de Usuris*, *cap. Super eo.*

Postrema difficultas in eo est posita, quod consuetudo, quæ ubique locorum eadem est, hoc usuræ lucrum excusat, omnique prorsus rationi adversatur, injustos haberi pravosque Contractus, qui per universam Provinciam in more sunt apud eos, qui & ut doctrina exornati eorumdem naturam callent, & ut virtute præditi eorum pravitatem, si qua forte existeret, execrarentur, penitusque rejicerent. Ut enim actio mala non sit, satis est eam niti pii æque ac docti viri auctoritate, testantis Deum ac proximum per ipsam non lædi. Sed ut tam frivolæ rationi occurratur, periculosas & ridiculas consecutiones, quæ ex hac doctrina necessario ducuntur, expendi satis est, ut ejus falsitas liquido constet, & quicumque sapit, ab eodem prorsus abhorreat. Nimirum usura non amplius vitiosa est, quia communis evasit: *cœpit licitum esse, quod publicum est*, inquit S. Cyprianus. Et corrupti sæculi consuetudo, nonnullorumque hominum auctoritas, qui hallucinati sunt, &, ut loquitur Apostolus, in cogitationibus suis erraverunt, id licitum reddere possunt, quod divina & naturali lege prohibetur, idemque propterea divinæ auctoritati anteponere. Hoc sane principio Idololatria merito antiquitatem suam contra Christianam Religionem prætendere, & consuetudinem jam inde a sæculis plurimis institutam eidem opponere potuisset.

Verum tametsi ea sit naturali & divino Jure firmata regula, ut in mutuo ne plus accipiatur, quam datum fuerit; hæc ipsa tamen regula suas patitur exceptiones, quæ ducuntur ex decisionibus Ecclesiæ, quæ sese explicuit in Conciliis, in sanctorum Patrum scriptis, & in Summorum Pontificum Decretalibus.

Primus casus, quo accipi licet aliquid ultra mutuum, est casus doni gratuiti; nulla enim est lex, quæ prohibeat, ne ego ab eo rem accipiam, qui ejus legitimus possessor est, quis dominium, quod

ille

ille rei habet, nihil est aliud, quam ejusdem pro arbitratu impendendæ facultas. Sed hæc facti species requirit conditiones duas; prima est, ut nullum antea pactum extiterit, aut conventio; secunda est, ut mutuans nullam accipiendi intentionem habuerit: *Nihil inde sperantes*.

Casus alter est, cum Dominus accipit suum proprium Feudum in obligationem sui Emphyteutæ, cui mutuam pecuniam dat; tunc enim potest gaudere fructibus, quin eos in sortem referat. Ita decidit Alexander III. *C. Conquestus est de Usuris*, qui cum Abbati S. Laurentii, ejusque Religiosis Clerici cujusdam Prædium hypothecæ loco retinentibus mandasset, ut sorti fructus adscriberent, hanc exceptionem apponit: *Nisi Terra ipsa de funda sit Monasterii vestri*. Quamobrem cum Dominus directum fundi dominium habeat, ejus proinde fructus percipit tanquam ex proprio suo bono, & ex fundo ad ipsum spectante, non tanquam ex fundo extraneo ei tantum oppignerato provenientes. Sed non ommittendum, hoc in casu Emphyteutam eo quidem servitio, quod Feudi causa debet, liberari; aliter ei reddenda esset proventuum ratio, quemadmodum definivit Innocentius III. *C. Insinuatione de Feudis*.

Tertius casus est, cum Mercator suam mercem fide pluris vendit, quam pecunia numerata venderet, cum hac duplici conditione; I. Ut probabiliter credat, fore, ut ea merx solutionis tempore pluris valeat; II. Ut ejus venditionem differre velit. Absque duabus his conditionibus qui fide, quam numerata pecunia carius vendit, usuræ reus est, quoniam tunc mutuum aucti pretii una & unica causa est. (a) Ita pronuntiat Alexandar III. ad Genuensem Archiepiscopum scribens, relatus in *C. In Civitate tua de Usuris*. Fagnanus contendit ab hoc Pontifice Mercatores ratione fidei carius vendentes in foro contentioso ab usura liberos declarari, & in conscientiæ tantum foro damnari.

Casus quartus est, cum qui mutuam pecuniam aut mercem alteri dat, ideo damnum aliquod patitur. Titulus hic præcipuus, primusque est in naturali Jure, quod neminem jubet cum proprio incommodo alteri benefacere. Est ergo justitiæ consonum, ut is reddatur indemnis, quemadmodum Jurisconsulti loquuntur. Id quod amplius est, non usura dicitur, sed census, aut jacturæ, quæ contrahitur, justa compensatio; quique id accipit, non usum pecuniæ vendit, sed detrimentum, quod ipsi ex mutuo advenit, evitat. Deus, qui prius vetat, posterius non præcipit; fierique potest, ut, qui mutuatur, evitet hac ratione majus damnum, & commodum ipse reportet, dum creditoris jacturam compensat. Ita disputat D. Thomas (b), Verum ne in hoc negotio erretur, & apparentis damni reparandi prætextu veri nominis usura tegatur, videndum etiam atque etiam est, ut damnum verum & genuinum sit ex mutuo proveniens, non ex aliis eventis, quæ ad mutuatam pecuniam nullum ordinam habeant.

Theologorum plerique damni ex mutuo emergentis titulo lucri cessantis titulum addunt; & quamvis D. Thomas ex titulorum legitimorum albo, qui aliquid ultra mutuum percipiendi jus asserunt, illum expungere videatur; nihilominus dum ea, qua par est, ratione explicatur, in contracti damni titulo reperitur. Ut ita res habeat, opus est conditionibus multis. I. Ut mutuum sit vera causa jacturæ, quæ fit, occasionis lucrandi. II. Ut ea de re certior fiat mutuatarios, eademque de re cum ipso conveniat. III. Ut non ax Constitutionis præscripto census exigatur, sed spectata lucrandi spe, atque adeo ponderata lueri, quod reportandum contenditur, magnitudine. IV. Ut pecunia in negotiationem collata sit, vel ei usui destinata, unde ejusmodi lucrum extitera debuisset; exempli causa si quis usurus fuisset pecunia, quam mutuam dedit, ad emendum Prædium, quod talem ei reditum attulisset, vel ad emendam mercem, in qua tale lucrum facere consuevit. V. Denique ut lucrum, quod compensandum est, aliqua ratione certum tutumque sit. Conditio hæc efficit, ut lucrum certum, cujus jactura fit, nihil sit aliud, quam damnum, quod suffertur, & *lucrum proxime cessans*, ut loquuntur Theologi, contineatur eo, quod dicitur *damnum emergens*; ex quo concludendum, titulum hunc, ut legitimus titulus sit, non lucrum possibile, sed lucrum futurum esse debere.

Casus quintus; Cum Fidejussor census & impensas pro Debitore solvit, ut decidit Lucius III. *Cap. Pervenit, de fidejussoribus*.

Casus sextus; Cum fundo vendito, & solutionis tempore jam elapso, Emptor non solvit; potest Venditor aliquid accipere, quia tunc illud non mutui lucrum est, sed jacturæ, quam is propterea patitur, quia suo bono non amplius fruitur.

Casus septimus; Cum socer genero dotem non tradit, quam filiæ promisit, potest vir pignoris loco prædia recipere, eorum proventum in dotem minime relaturus. Ita Innocentius III. decidit, *ad onera matrimonii supportanda, Cap. Salubriter, de usuris*.

Octavus casus; Cum pecunia mutua datur, ut ostendatur, atque ostentetur tantummodo; tunc enim locatio fit, & mutuans Dominium retinet. Ita definit D. Thomas, distinguens usus genus duplex, cui pecunia obnoxia esse potest.

Nonus casus est constituti reditus, qui in Jure dicitur census annuus, in quo nempe lucrum ax pecuni percipi licet.

Decimus casus est; cum qui pignori loco Prædium retinet, oppigneratæ rei causa detrimentum & laborem patitur, potest sibi ex fructibus compensationem quærere. Ejusmodi est cura colendi agros, messes congerendi, &c. Hæc est decisio Innocentii III. *Cap. Ad nostram, de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non*.

Undecimus casus est pecuniæ permutatio, quæ vulgo dicitur *Cambium* & in eo versatur, ut Permutans accipiat pecuniam tuam, eamque se alibi tibi remissurum recipiat, tibi traditis fide Litteris, ut eamdem sumas.

Duodecimus casus est institutio Montium Pietatis, qui pecuniæ; aliarumve rerum fundi sunt in Italia ac Belgio Instituta subsidio Pauperum, quibus ibidem, oblatis pignoribus, semper pecunia præsto est, non tamen ad longum tempus, ut ita majori accedentium numero consuli possit; idque ea conditione, ut non nihil per mensem solvatur, quod Commissis & Ministris eorumdem Pietatis Mon-

(a) Vide D. Nicol. Essais de Morale tom. 6. Tr. 8. An usura sit carius vendere solutione dilata,

(b) S. Thom. 2. 2. quæst. 74. art. 2. ad 1.

sium sustentandis inserviat. Leo X. in sua Bulla *Inter multiplices* inserta Lateranensi Concilio Sess. 10. hanc consuetudinem adprobat.

Postremus casus est Commercii Societas, cum duo vel plures sua bona, suumve laborem & industriam conserunt, ut honestati consonum & legitimum quæstum faciant. Sed prima conditio in hac Societate servanda ea est, ut periculum, damnum, & lucrum inter Socios communia & æqualia sint; & hæc quidem æqualitas tum quoad pecuniæ in Societatem collatæ quantitatem, tum quoad laborem & industriam Sociorum, ratione habita, spectanda est; ut proinde is ex Commercio majorem utilitatem percipere debeat, qui pecuniæ plus, aut plus laboris in Societate collocavit.

Cleri Congregatio an. 1700. habita proscripsit sequentes Propositiones ad usuram spectantes, numero sex, quas nos hoc loco cum earumdem Censura subjicimus.

Quinquagesima quarta ejusmodi est: „ Contractus Mohatra (nempe Contractus, quo qui merces „ ab aliquo mercatore emit summo pretio, sed ea conditione, ut ne solvat nisi certo quodam tem- „ pore, de quo convenit, eas statim eidem iterum vendit infimo pretio, pecunia sibi numerata, „ Contractu primo semper subsistente.) Hic, inquam, Contractus permissus est etiam quoad eam- „ dem personam, quamvis initus cum conditione redemptionis, de qua antea convenit, & cum inten- „ tione lucrandi.

Quinquagesima quinta Propositio: „ Cum numerata quam sperata pecunia sit magis pretio æstima- „ bilis, & nemo uuus sit, qui pecuniam, quam præ manibus habet, non ei præferat, quam perce- „ pturus est, proinde Creditor a Mutuatario aliquid ultra sortem exigere, adeoque ab usura excu- „ sari potest.

Quinquagesima sexta: „ Usuræ quidem reus esset mutuans ex Mutuatario lucrum percipiens, si id „ tanquam ex Justitia sibi debitum exigeret; at usuræ non est obnoxius, si benevolentiæ, gratique „ animi titulo exigat.

Quinquagesima septima: „ Qui pecuniam mutuam dat, licite potest aliquid ultra sortem exigere, „ si se, quod dedit, ad certum usque tempus non petiturum promittat.

Quinquagesima octava: „ Non minus licet ad tempus censum percipi ex annorum aliquot alienatio- „ ne, quam per omne tempus ex alienatione perpetua.

Censura: Propositiones hæ, in quibus mutui & usuræ nomina tantum mutantur, re quidem ipsa retenta, & in quibus in id incumbitur, ut Dei Lex eludatur falsis venditionibus, falsis alienationibus, Societatibus simulatis, aliisque similibus artificiis, continent doctrinam falsam, scandalosam, vanis verborum circuitionibus nixam, jam a GallIarum Clero rejectam, ac denique Conciliorum, Pontificumque Decretis sæpe damnatam.

Quinquagesima nona Propositio: „ Esto usura Judæis prohibita fuisset, pronuntiari tamen non „ potest eam quoad Christianos vetitam fore; quoniam Lex vetus in eo, quod spectat ad judicialia „ præcepta, a Christo Domino abrogata fuit.

Censura: Hæc Propositio divinis verbis contraria est, novæque Legis perfectionem, & fraternam unionem, quam omnium omnino Nationum Christiani habent in Christo Domino, funditus evertit.

Vide (EMPTIO.
(COMMERCIUM.
(CENSUS.
(VENDITIO.
(RESTITUTIO.

Usura lucri cessantis prætextu.

CASUS I.

1 *Qui pecuniam suam impendere vult, citra peccatum Mercatorem sollicitare non potest, at eam fœnore accipiat.*

2 *Mercator absque veri nominis necessitate cum fœnore mutuari non potest.*

3 *Regulæ, ut cognoscatur, quaadonam lucram cessans pecuniæ mutuæ dandæ, censusque ex ea percipiendi legitimus titulus sit.*

QUÆSITUM.

CUm Titius pecuniæ suæ in census constitutionem, vel in Prædiorum emptionem conferendæ occasionem sibi oblatam arripere statuisset, ei venit in mentem, Sempronium mercatorem esse, ac necesse habere ad suum commercium aliena pecunia uti; eum convenit, de pecunia loquitur, eamque ipsi exhibet; oblationem sibi maxime utilem magna cum alacritate acceptat Sempronius, utpote ejus pecuniæ adminiculo se alio ære alieno, cujus causa majoribus censibus obnoxius est, liberaturus. Itaque id jam Titium rogasset, si illum ea bona voluntate esse credidisset; ei quoque promittit, se, quicquid ei pecuniæ suppetet, ita in posterum recepturum; Titius porro ipse quoque ei se daturum promittit. In hac facti specie quæritur;

I. An Sempronius oblatam a Titio pecuniam cum fœnore mutuari possit?

II. An Titius id fœnoris accipere possit, non quidem ratione mutui, quæ aperta usura esset, sed ratione lucri ob mutuum cessantis, &, siquidem in reditas constitutionem pecunia collata fuisset, percipiendi.

Licitum esse videtur fœnus hoc, quia nemo non sentit licere fœnoris aliquid accipi lucri cessantis causa; si ergo lucrum cessans existit in proposita facti specie, in dubium revocari non potest, quin Titius ex pecunia, quam Sempronio mutuam dedit, fœnus accipere possit.

Porro ut appareat, an hac in re adsit lucrum cessans, satis fuerit animadverti, quomodo eam Casuistæ declarent. Bonacina, cui omnes ad unum subscribunt, in suo Tractatu *de Contract. disp.* 3. *q.* 3. *p.* 4. *n.* 1. ita statuit; *Lucrum cessans dicitur illud, quod quis non percipit, eo quod mutuum alteri dederit, & accidit, quando quis paratus erat pecuniam ad emendum agrum vel ad negotiandum impendere; sed ea alteri mutuo data, non potuit agrum emere, & fructus ex eo percipere, aut pecuniam negotiationi exponere, & inde lucrum referre.*

Census hic tunc quidem eo magis permissus est, quod qui ita pecuniam suam mutuam dat cum lucro cessante, ratione mutui, potest ab initio pacisci, & convenire cum mutuatario, ut lucrum cessans sibi solvat, quemadmodum probat idem Bonacina *n.* 12. post alios complures.

Tres ille quidem conditiones requirit, quæ & ipsæ faciunt ad difficultatem, quæ præ manibus est, explicandam.

Prima est, *Ut mutuatio sit causa, cur cesset lucrum,* *quod*

quod habebatur in spe certa aut probabili, ut accidit, quando mutuator decreverat pecuniam, quam mutuo tradit, in negotiis impendere; ex quo ita concludit: *quod etiam qui non destinaverit pecuniam negotiationi, sed certo aut probabiliter illam destinaturus erat, potest aliquid statim pacisci; nam causa mutui probabiliter amittit lucrum.*

Altera conditio, quam Bonacina postulat, est, *Ut lucrum statim non exigatur.*

Tertia conditio, *Ut non tantum exigatur ratione lucri cessantis, quantum re ipsa futurum esset lucrum; sed quantum valet spes lucri, detractis expensis, quæ fecisset mutuator negotiando, vel alio modo impendendo suam pecuniam.*

Certo nimirum constat in proposita facti specie tres has conditiones adesse. Etenim I. Titius statuerat pecuniam suam in reditus constitutionem conferre; atque esto ea non omnino fuisset ejus voluntas, est tamen vero simillimum id ei in animum venturum fuisse; quod ad lucrum captandum sufficit: *Probabiliter illam destinaturus erat*. Secundo loco Titius satis habet Sempronium sibi fœnora solvere sub anni cujusque finem. Tertio loco ei præsto erat occasio pecuniam suam quincuncibus cum dimidio in reditus constitutione collocandi, eamdemque Sempronio tribuit quincuncibus tantum.

Ex his ergo principiis liquidum, evidensque esse videtur fœnus in hac facti specie sumptum licitum esse; quamvis mutuum gratuitum esse debeat juxta Evangelii legem, *mutuum date, nihil inde sperantes*, atque ita nihil ratione mutui sumendum sit, id tamen non impedit, quominus aliquid sumi possit ratione lucri cessantis, ut docet Lessius *l. 2. c. 20. n. 82.* atque adeo ratione periculi, ut ait Fagnanus e maxime rigidorum, maximeque regularium Canonistarum numero; de usura enim verba faciens in *Cap. Naviganti de usuris n. 24.* ita pronuntiat: *Si vero quis non intendat lucrari ex mutuo, sed tantummodo accipere per mercedem seu pretium periculi, in foro interiori & quantum ad Deum non est usurarius.*

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum existimat, ad præsentem facti speciem quod attinet, duo statui posse.

Primum, Auctorum complurium sententia, mutuum eum solvendi fœnoris promissione sine culpa accipi non posse, cum non adest vera necessitas. S. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 4 ita sentit: *Nullo modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis, vel alterius.* Et in eodem articulo *ad* 2. *Nec tamen propter hujusmodi scandalum passivum debet aliquis a mutuo desistere, si indigeat.* Sylvester *v. Usura 7. q.* 1. huic sententiæ subscribit: *Si enim hoc fiat pro opere illicito, puta pro luxuria, ludo, vel hujusmodi, est mortale: similiter si fiat pro licito, sed non necessario; sicut secundum Petrum de Palude, si hoc fiat ad negotiandum ex cupiditate lucri, & augendæ pecuniæ, cum tamen negotiator habet, unde decenter vivant; quia peccatum est absque necessitate non solum inducere ad peccandum, sed etiam proponere alicui materiam peccandi.* Theologi alii bene multi in eamdem sententiam laudari possent, & imprimis Durandus in 3. dist. 37. q. 4. n. 4. Richardus in 4. *dist.* 15. *art.* 5. *q.* 5. *ad* 2. Si ergo peccat, qui sine necessitate mutuatur, dubio procul is quoque peccat, qui sine necessitate pecuniam fœnerato mutuam offert, & ad mutuum hac ratione accipiendum mercatorem sollicitat.

Alterum, ad jus fœnoris ex mutua pecunia referendi non satis esse, ut ejus impendendæ præsens occasio sit, sed præterea opus esse, ut adsit ejusdem impendendæ absoluta ac determinata voluntas, & quominus id fiat, impediat mutuatarii supplicatio: *Impeditus est, ne hoc venale emeret, contra quod plane statuerat, & potuerat de præsenti*, inquit Reginald. *l.* 23. *n.* 84.

His ita se habentibus, respondetur, I. Sempronium tuta conscientia pecuniam a Titio fœnore mutuari non posse, quoniam in causa foret, ut Titius usuram committeret. Sempronius nempe, cum in eo necessitatis casu non versetur, de quo laudati Auctores loquuntur, potius *ex cupiditate lucri, & augendæ pecuniæ*, ut ait Sylvester, mutuatur; ut videlicet immodicos, quos solvit, census redimat, quod in Expositione dicitur, ac proinde ut ditior evadat; non autem grave damnum avertat, quod ex commercio eidem immineat, vel ut suam ipsius perniciem antevertat, qui sunt omnino casus ii, in quibus id licet, ut monet Richardus: *Non intelligo hic per necessitatem illam, quæ extrema est, sed quando homo notabiliter damnificaretur, vel notabilem penuriam pateretur, si non acciperet ad usuram.* Non est porro necesse Sempronium ditiorem esse, quam est; alioquin nullus esset fœnori modus. *Cum negotiator habet, unde decenter vivat*, inquit Sylvester, non amplius in eo statu existit, in quo sine peccato pecuniam fœnebrem accipere possit.

II. Titius sine usuræ labe non potuit ex pecunia, quam Sempronio mutuam dedit, censum percipere, quia non apparet eum satis animo comparatum fuisse, ut eamdem pecuniam constitutioni traderet; id ille quidem initio statuerat, ei quoque præsens occasio non deerat, sed ab hoc consilio recessit, & occasioni renuntiavit, ut Sempronio pecuniam offerret; eamque illi eo libentius obtulit, quod id utilius sibi, quam Constitutionis Contractum esse videbat, quippe qui censum ex pecunia sine alienatione perciperet; ut proinde præcipuus, ac fortasse unius Titii finis fuerit proprium commodum, non autem Sempronio gratificandi voluntas. Inter eum, qui ultro pecuniam offert, & eum, qui in Constitutionem conferre volens ei dat, qui necessitate compulsus petit, id nimirum discriminis interest, quod in hoc posteriore casu non percipiendi fœnoris, sed gratificandi voluntas se prodit. Suo porro priori consilio Titium renuntiasse, & Sempronio mutuam pecuniam fœnore dare statuisse ex eo liquet, quod ei se, quicquid haberet pecuniæ, mutuum daturum promisit; qua quidem generali & absoluta promissione Titius pecuniæ suæ mutuæ dandæ latissimum sibi campum aperuit, sive ejus aliter impendendæ præsentem occasionem haberet, sive non. Quæ quidem postrema circumstantia non paritur, ut de Titii animi præparatione, atque intentione, cum Sempronio pecuniam obtulit, dubitetur.

Universa porro disputatio, quæ in Expositione proponitur, & quæcumque ibidem producuntur auctoritates ad ostendendum Titium mutuam Sempronio pecuniam dare potuisse, & inde sine peccato, ac sine usura, *ratione lucri cessantis*, censum percipere, ad rem præsentem nequaquam faciunt. Hic nimirum loco de eo quæstio est, qui cum statuerit, ut ait, Constitutionis Contractum inire, Mercatorem invenit, quem non premit mutuandi vera necessitas, ei pecuniam offert, quam Constitutioni destinaverat, eidemque præterea promittit, se, quicquid habuerit in posterum, ipsi fœnerato daturum. Non est hic sane casus lucri cessantis, in quo Theologi licere ajunt ex propria pecunia in compensationis modum censum percipere.

Nullum in præsenti facti specie lucrum cessans proprie dictum existit; I. Nulla, ut supra declaratum est, mutui Sempronio dandi necessitas aderat. II. Dici non potest Sempronius fuisse causa, quæ Titium impedierit, ne pecuniam in fundum conferret, quandoquidem nunquam Sempronius Titium rogavit, ut sibi daret pecuniam mutuam. Sane non desunt Auctores, & inter alios Bonacina, qui putent eum, cui pecuniæ impendendæ occasio præsto est, eam posse indigenti cum fœnore offerre; sed laxior esse videtur doctrina hæc; cum enim fere non desint, qui pecunia opus habeant, identidem fieret, ne satius duceretur ex propria pecunia sine alienatione lucrum percipi, quam eam in Constitutionem vel in aliquam emptionem conferre; quod passim usuris ansam præberet. Minus autem propugnari potest altera ejusdem Auctoris propositio, nempe censum percipi posse *ratione lucri cessantis*, cum probabile est futurum fuisse, ut pecunia in usum aliquem utilem conferretur, idque ex probabilitate, quæ subest, lucri ex pecunia referendi.

Cum enim nemo unus sit, qui velit jacturam facere, probabiliter credi potest, unumquemque ita animo comparatum esse, ut ex pecunia, quam possidet, per contractum vel aliter lucrum referat; atque ita semper posset tuta conscientia pecunia mutua dari, & inde lucrari, semperque *lucri cessantis* titulus præsto foret. Periculosa esse videtur doctrina hæc, & ejusmodi, ut usuræ campum aperiat.

III. Ut in hac facti specie proprie dictum existeret lucrum cessans, oporteret Titium statuisse pecuniam suam in Constitutionem conferre, neque alia de causa consilium mutasse, quam ut Sempronio vehementer sollicitanti gratificaretur; quod non ita se haber, ut supra declaratum est. Quamobrem, ponderatis omnibus, Titius pecuniam Sempronio mutuam dare, & inde lucrum percipere tuta conscientia ac citra usuram non potest.

Decisum hac die 2. Aprilis an. 1693.
G. Fromageau.

Usura, quæ, præscriptione non obstante, restituenda est.

C A S U S II.

1 *Ei, qui usurarios census percepit, præscriptio nihil prodest, quia usura acquirendæ rei legitima ratio non est.*

2 *Pecuniæ mutuæ census accipi possunt, cum Decretum, quo debitor ad eos solvendos damnatur, bona fide ac sine fraude impetratum est.*

QUÆSITUM.

Quæritur, an Titius, quos usurarios census per annos triginta & amplius percepit, ignorans id vetitum esse, in præsentia restituere teneatur, nec præscriptionis ope a restitutione eximatur? D. Thomæ sententia est, eum, qui triginta annorum spatio rem bona fide possedit, quamvis deinde se justo titulo carere intelligat, præscriptionis lege possessorem legitimum fieri.

II. Titius est fidejussor summæ librarum 12000. quas privati complures Mario mutuas dederunt. Titius ut se vadimonio liberet, solvit 12000. libras Creditoribus Marii; tum Decretum obtinet, quo sibi in ejus summæ gratiam Marii Officium adjudicatur. Decreto edito, non curat vendendum Officium, sed eo per annos plures Marium frui patitur, ea tamen conditione, ut librarum 12000. census sibi solvat. Cum porro e vita Titius excesserit, non innotescunt rationes & causæ, quæ census eos exigendi ei præsto fuerint; ajunt hæredes ipsum vi Decreti, quod ei Officium adjudicaverat, exegisse. Marius reponit Decretum hoc non nisi apparentem titulum fuisse, ut eos census percipiendi jus obtineret, quoniam Titius Officii possessionem minime inivit. Hæc omnia in incerto sunt, solumque Decretum constans firmumque est.

Marius annorum multorum spatio librarum 12000. censum non solvit, eique, cui Violeto nomen, Officium vendit, & tunc sors conjungitur censibus, quorum summa erat librarum 10000. atque ita 22000. libræ conficiuntur, & Marius Violeto injungit, ut 22000. libras Titio solvat.

Quæritur, an Titius potuerit eas 22000. libras sumere, e quibus 10000. ad censum spectabant, quia nempe eæ quoad Violetum sortem constituebant.

Titius moritur, eique supersunt filii tres, Petrus, Joannes, & Jacobus, & singulis dat pater 25000. libras. Joannis & Jacobi portiones emit Petrus, iisque censum solvit, atque ita fruitur bonis omnibus, quæ ejus fratribus legata sunt, & librarum 22000. quas Violetus debet, censum percipit. Petro fato functo, contendunt ejus hæredes se non teneri summæ censuum, qui Constitutionis taxam non excederet, restituere; adduntque, si Petri debitores summas, quas debeant, ei persolvissent, futurum fuisse, ut ille, quod debebat, fratribus solveret, & censu, quem majorem reddebat, quam recipiebat, se liberaret.

Asserunt nonnulli Doctores, census, quos Petrus fratribus suis solvebat, non ei justum titulum suppeditasse, ut censum & ipse sumeret, quippe qui fratrum suorum bonis frueretur.

Nota, Petrum morientem Codicillum edidisse, quo hæredes suos obligat ad censuum, quos ipse injuste percepisset, restitutionem, prout a Doctoribus judicatum fuerit.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, haud censet, Titium, qui per annos plus quam triginta usurarios census bona fide percepit, præscriptionem acquirere potuisse, ut se a restitutione in tuto poneret; quia nimirum bona fides ad præscriptionem non sufficit, sed præter bonam fidem opus est titulo, qui præsumatur bonus, utque res ipsa præscriptionis sit capax. Porro in præsenti negotio usura, quæ admissa est, tanquam justæ acquisitionis ratio spectari non potest, quia divina Lex claris disertisque verbis eam prohibet. Non ergo potuit Titius legitimam præscriptionem acquirere. Præterea res ipsa non est præscriptioni obnoxia secundum divinam Legem, æque ac bona, quæ furto, rapina, aut emptione possidentur, non sine cognitione rationis injustæ, qua in emptoris manus ea devenerunt; id quod adamussim Toletus explicat *Instruct. Sacerd. l. 5. c. 26.* ubi de conditionibus ad præscriptionem necessariis loquitur in hæc verba *n. 7. Secundum est, bona fides; puta, ut possideat tanquam suam rem illam: si enim mala fide habeat, non usucapit; debet enim esse bona fides continuata, non interpellata per totum tempus lege præscriptam. Tertium est necessarium, bonus titulus; est autem bonus titulus, qui transfert rei dominium in perpetuum. Duo enim necessaria sunt ad bonum titulum. Primum est, ut sit talis actio, quæ transferat rei dominium en habentis potestatem. Quando autem non transfert, non est bonus; & ex hoc defectu usurarius, fur, & qui fingitur a jure emit, & qui habet ea, quæ secundum sententiam iniquam ablata sunt, non usucapiunt: quia tales actiones non faciunt verum dominium rei. Alterum necessarium, ut in perpetuum transferat, id est sic faciat dominum, ut ipsum non obliget ad restituendum.... Quartum necessarium, ac sit res, quam leges usucapi, vel præscribi prohibent.... Sex prohibentur usucapi: res furto ablatæ quocumque modo habeantur, etiam bona fide.* Cum ergo census hi ex usuris ducti tanquam res ablatæ in Jure spectentur, sub præscriptionem non cadunt. Id toleravit Paulus III. in Judæis, qui persuasum habent se fœnerari posse, nixi auctoritate veteris Testamenti, quod Israelitis quoad alienos usuram permittebat; quod eos in bona fide ponit, cujusmodi esset Puella hæretica, quæ Presbytero nuberet, rata id licere, quemadmodum in Religione, quam profitetur, permissum est; & hac de causa filii ex hoc falso matrimonio nati legitimi censerentur. Paulus tamen III. Judæos ad bonorum, quæ per usuram acquisierunt, restitutionem obligat, dum ad baptismum accedunt, si ii, quibuscum usuram exercuerunt, cognosci possint, ex generali regula, *Quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Cum porro fieri possit, ut omnia eorum bona per usuram acquisita sint, incertumque sit, an ea retinere possint: eadem bona ipsis donat Ecclesia in gratiam baptismatis, id tanquam pium opus spectans, ut est in Constitutione, quæ incipit, *Cupientes*, quæ laudati Pontificis tertia est, relata Tomo primo Bullarii, cujus hæc verba sunt §. 1. *Et si bona ipsa ex usura aut illicito quovis fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur; personis vero non extantibus prædictis, quia ipsa bona essent per manus Ecclesiæ in pios usus convertenda, bona ejusmodi eisdem Judæis, & aliis Infidelibus, in favorem suscepti baptismatis, tanquam in pium usum libere concedimus, eaque apud ipsos sic conversos Judæos, & alios infideles remanere decernimus.* Neque ignorantia Titium excusat; præterquamquod enim ex ea non nisi bona fides oritur, quæ sola præscriptionis jus afferre non potest, ea quidem ju-

tis,

ris non facti ignorantia est, ac proinde minime prodest, ut est in *lib.* 22 *tit. de Juris & facti ignorantia l.* 4. *Juris ignorantiam in usucapione negatur prodesse; facti vero ignorantiam prodesse constat*; & *lib.* 41. *tit.* 3. *l.* 31. *Nunquam in usucapionibus juris error possessori prodest*; & eodem *lib. tit.* 4. *l.* 2. §. 15. *Si a pupillo emero sine Tutoris authoritate, quem puberem esse putem, dicimus in usucapionem sequi: at hic plus fit in re quam in existimatione: quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine Tutoris authoritate administrare, non capies usus, quia Juris error nulli prodest*. Si ergo bona fides non sufficit, & juris ignorantia præscriptioni non favet, consequens fit, Titium, qui usuram exercuit, præscriptionem acquirere non potuisse. Id autem sibi facile persuadebit, quisquis secum in animo reputabit, usuram, ut fere Theologi docent, naturali lege prohibitam esse, ac proinde ex ea nunquam legitimum, atque adeo apparentem & colotatum titulum acquiri posse, ut inde perceptum lucrum retineatur, ejusque dominium existat.

Quod attinet ad quæstionem secundam, respondetur, cum Titio titulus præsto fuerit, ut vi Decreti census perciperet, nihil propterea causæ esse, quamobrem ejus hæredes ad id, quod perceperunt, restituendum adigantur, quia Decretum census præcipit in Creditoris favorem, quoad eidem solutum fuerit; & quia, dum de restitutione agitur, aliquid constans & tutum adsit, necesse est, id quod non occurrit in præsenti facti specie, quoniam divinandæ sunt rationes & causæ, quæ Titio præsto fuerint. Si tamen ille non nisi prætextum quæsivisset, ut ex summa libratum 12000. lucrum perciperet, eique non nisi pallii loco Decretum fuisset, in usuram incidisset, ejusmodi lucrum percipiens, ejusque filii de re cognoscentes, lucrum a patre injuste perceptum restituere tenerentur.

Et quod spectat ad summam libratum 22000 provenientem ex 12000. libris sortis, quas Marius Titio debebat, & ex 10000. libris annui census ex eadem summa derivatis ob solutionem a Mario non præstitam, quam summam solvere debet Violetus emptor Officii; censetur Violetus, si solvere neglexit, a Titio Juris rationibus compelli potuisse, eumdemque proinde Titium potuisse ex summa librarum 22000. lucrum percipere, ut lex permittit; quia licet Civili & Ecclesiastico Jure vetitum sit, sortem ex censibus inde derivatis augeri; hæc tamen prohibitio eos tantum creditores spectat, qui ex eodem debitore census censum percipere vellent. Cum porro hac in re debitum naturam mutaverit, standum est Principis legi, quæ in hujusmodi casibus conscientiam moderari debet; ut proinde quod in foro externo rectum erit, sit & in interno, quin tamen inde concludi possit, licere ex pecunia mutua lucrum percipi.

Quod pertinet ad quæstionem tertiam; census ii, quos Petrus fratribus suis solvit, non ei jus attulere census ex suis debitoribus percipiendi; nisi Petrus ipse, cum, quod debebat, suis fratribus solvere vellet, debitores suos ad sibi satisfaciendum interpellaverit; & iis, ne urgeret, rogantibus, ut gratificaretur, eo se ipse conjecerit, ut fratres suos compensare non posset, & summæ librarum 25000. quæ fundorum ei venditorum locum quoad ipsos obtinent, censum singulis solvere teneretur, ut proinde ille ob debitorum suorum retardationem patiatur damnum, de quo dictum est. Hoc in casu potuit Petrus debiti censum ex iis percipere; hic enim est proprie dictus casus damni emergentis, & ex gratificatione, quæ debitoribus fit, provenientis.

At si Petrus iis non institit, ut solverent, idque ipse suapte sponte, non autem rogatus fecit, census, quos percepit, usurarii sunt, & obnoxii restitutioni, ad quam ejus filii tenerentur, quamvis id ipsis Codicillo non injunxisset.

Decisum Parisiis die 6. Januarii an. 1678.

A. *De Lamet*.

Usura, quam Tutores percipiunt.

CASUS III.

1 *Cum usura divina Lege prohibita sit, nec ratione, nec prætextu omnino firmari potest.*
2 *Itaque Tutor minorum pecuniam fœnori dare non potest.*
3 *Multo minus potest fœnoris fœnus percipere.*
4 *Tenetur ille de suis propriis bonis usurarios census restituere.*

QUÆSITUM.

I. Junior vidua, cui filiolæ duæ sunt, accepit a Socero 80000. libras circiter fere omnes ex schedulis die stata solvendis.

II. Illa ignorans censum ex ejusmodi schedulis percipi non licere, debitores suos ad sortem solvendam damnandos curavit, & ex sententia census percepit.

III. Obtinuit etiam ejusmodi schedulas ad diem pro censibus sibi debitis, eo prætextu, quod pecuniæ pupillares suapte natura censum adjunctum habeant.

IV. In variis horum censuum mutuationibus illa non nisi putas putasque mutationes petiit modo ad annum, modo præterea, & sub anni cujusque finem censum inde percepit; Contractus interdum inivit ad annos 10. ut posset fundos retrahere, cum filias suas in matrimonium dare cogeretur; cavitque, ut in Contractibus poneretur, ejusmodi pecuniam ex pupillaribus fundis esse.

V. Cum simplicis promissionis census ei non solvebantur, tollebatur promissio Debitoris consensu, & debitor aliam edebat, in qua census ponebantur tanquam pecunia mutua, unde illa percipiebat nova fœnora, eo prætextu, quod si sibi elapsi census annui soluti fuissent, eos alibi collocasset, & utiles reddidisset.

Id omnino sibi licere credidit eo nixa principio, quod bona pupillaria in tutorum manibus utilia esse debeant, ac verita, ne dos propria suppeditandæ filiarum doti obnoxia foret; sed ipsa nunc temporis scrupulo tangitur, quia cum eam monuissee id omne usurarium esse, non destitit tamen, quodam Doctore testante, id ei licere; quamobrem rogat illa Sorbonæ Doctores, ut sibi declarent, an in proposita facti specie peccatum existat, quidque sibi faciendum sit, ut tum quoad præteritum, tum quoad futurum tempus suis rationibus consulat?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum principii loco ponit initio statim, usuram tum in veteri, tum in novo Testamento Divina Lege prohibitam esse, ut traditur *cap. Super eo de Usur. Respondemus, quod cum usurarum crimen utriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: cum enim Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multo magis prohibendum est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur.*

Non desunt Theologi, qui ulterius progrediantur; Etenim D. Thomas 2. 2. *q.* 78. *art.* 1. Layman *l.* 3. *tr.* 4. *c.* 14. *n.* 6. Barbosa in cap. citatum, aliique apud ipsum bene multi contendunt usuram naturali jure vetitam esse; ut proinde nulla sit in terris potestas, quæ in ea dispensare possit, nulla, quæ eamdem firmare possit, auctoritas.

Hoc posito, respondetur;

I. Juniorem Matronam filiarum suarum Tutricem æs alienum ad diem recipere non debuisse, eo animo, ut non modo sortem, sed etiam fœnus exigeret; quia dummodo non aliquam jacturam subierit ob sortis solutionem sibi a debitoribus retardatam, cum id ipsa petiisset, aut dummodo non ei propterea elapsæ fuerint occasiones pupillarem pecuniam utiliter impendendi, usuræ se crimine obstrinxit lucrum percipiens ratione puri putique mutui.

II. Quamvis Tutrix, dum obtinuit, ut debitores ad pecuniæ, quam debebant, solvenda fœnora damnaren-

mnarentur, se nihil peccare crediderit, non minus propterea eadem fœnora restituere tenetur; dum enim debitores suos damnandos curavit, non de solutione sibi vindicanda ex animo cogitavit, sed id unum propositum habuit, ut ex eo, quod sibi debebatur, lucrum perciperet, vi sententiæ, quam bona fide credidit in hac facti specie legitimum ejusdem lucri percipiendi titulum esse, quod non ita se habet; nec ab ejusmodi restitutione eximi potest, nisi ob duas allatas causas, videlicet ratione damni emergentis, aut lucri cessantis.

Neque vero asseri potest annorum multorum possessionem additam bonæ fidei satis justum titulum esse, quamobrem illa eos census retineat tanquam præscriptam rem, cujusque ipsa dominium acquirere potuerit; id verum non est in usuræ negotio, ut in rebus aliis, in quibus lex præscriptioni auctoritatem ac robur addit; quia semper usuram spectavit Ecclesia ut rem maxime odiosam, & gravioribus obnoxiam incommodis, quam ut eo favore digna esse censeri posset; itaque Auctores veteres, qui materiam hanc pertractarunt, ea nunquam ratione usi sunt, ut bonæ fidei usurarios a restitutione eximerent.

Immo vero Paulus III. in Bulla *Cupientes n. 72. §. 1.* mandat, ut Judæi ad fidem conversi perceptas usuras restituant; nullam Pontifex rationem habet Judæorum bonæ fidei, qui usuras suas fulcire conantur iis veteris Testamenti textibus, qui ipsis permittere videntur, ut ab iis usuras accipiant, qui ex ipsorum natione non sunt; nec magis rationem habet longi temporis, quo eos usurarios census ipsi possederunt, ut eosdem ab iis retineri pateretur vi præscriptionis: *Etsi bona ipsa ex usura, vel illicito quæstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ, quibus eorum fuerit de jure facienda restitutio, (quia non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur.*

Congregatio *de propaganda fide* an. 1646. in responsione ad quartum & quintum articulum quæstionum a Sinensibus Missionariis propositarum ponit tanquam certum usurarios bona fide, quamvis longam possessionem adjunctam habentes a restitutione non eximi: *In universo Chinarum Regno domos publicas usuris deputatas, res est usitata; in quibus* &c.... *Quæritur, utrum prædictorum usurariorum filii, si, quando in hæreditatibus eorum succedunt, jam Christiani existunt, teneantur ad restitutionem eorum, quæ pater ex usuris accepit, in toto, vel in parte? Censuerunt filios hæredes usurariorum teneri a patribus ex usuris illicite acquisita restituere certis quidem dominis, si certi sint, sin minus, juxta regulas a Doctoribus traditas* &c. Eadem Congregatio idem responsum dedit pro Japonensibus Missionariis *dub.* 2.

Et sane non videntur usurarii census ex earum rerum numero esse, quæ præscriptioni obnoxiæ sunt, & quarum dominium lapsu temporis acquiri potest; sed rebus furto ablatis, in quas præscriptio non cadit, comparari possunt, ut inquit Toletus *l. 5. c. 26. n. 7. Prohibentur usu capi res furto ablatæ, quocumque modo habeantur, etiam bona fide, & per emptionem, vel donationem.* Laudat in hanc rem *Instit. de usu §. Furtivum l. 2. t. 6.* Autea dixerat, usurarium tituli defectu præscribere non posse; titulum porro, qui ad præscriptionem sufficiat, ea possessione niti debere, quæ rei possessæ dominium transferre possit; id quod in usurario non occurrit.

III. Fœnorum fœnora percipere Tutrix non potuit; hæc communis sententia est, iique Auctores ipsi, qui pupillares pecunias privilegio donatas esse, & ex iis census percipi posse contendunt, haud censentur eo usque progredi, ut fœnoris fœnus permittant. Allatæ Sacrarum Scripturarum & Canonum prohibitiones generales sunt, & nihil exceptionis apponunt. Congregatio Melodunensis *tom. 1. Monumentorum Cleri t. 34. de usur. art. 1.* in hanc rem diserta est: *Tametsi sint pecuniæ pupillorum, aut viduarum; omnis enim tenetur audire illud Christi: Mutuum date, nihil inde sperantes.* Tutrici præsto erant rationes aliæ, quibus se in tuto poneret, si forte minores filiæ ab ea petiissent, ut sibi rationem redderet.

IV. Ex responsionibus ad præcedentes difficultates ei facile satisfit, quæ quarto loco posita est.

V. Non potuit Tutrix sortem ex censibus, & ex summa præcipua constituere, ut alios deinde majores census perciperet, quia sumpsisset fœnoris fœnus, quod vetitum est.

Ad extremum non amplius debet imposterum minorum filiarum pecuniam hac ratione utilem reddere; ac male quidem se gessit, dum ab ejusmodi usuris non destitit, postquam id sibi non licere a Confessario monita est. Ejus enim Doctoris, de quo ipsa loquitur, contraria sententia ut summum non nisi dubitationem in ejus animo excitare potuit; jam vero in dubio agere non licet. Si tamen illa dubitationem deposuisset, quod Doctorem quam Confessarium pluris faceret, hoc in casu majori excusatione digna esset; semper tamen usurarios census restituere teneretur, & quidem de suo, quippe quæ ejus damni causa est, quod ii passi sunt, qui usurarios census solverunt. Quod attinet ad rationes, quas inire debet, ne imposterum cogatur rationem reddere censuum ex filiarum minorum bonis provenientium, debet illa Viros harum rerum peritos, doctosque consulere.

Decisum in Sorbona hac die 27. Octobris an. 1693.

G. *Fromageau.*

Usura mutui per obligationem summæ majoris, quam data est.

CASUS IV.

1 *Usura in eo sita est, ut vi puri putique mutui lucrum percipiatur, & in sacris Litteris damnatur.*
2 *Quamvis exiguum sit lucrum, quod ex mutuo percipitur, usurarium, pravumque est.*
3 *Annorum maliorum praxis id lucri legitimum non efficit.*
4 *Mandandum est, ut usuræ lucrum restituatur, illud saltem, quod bona fide consumptum non fuit ab iis qui ejusmodi lucrum illegitimum esse ignorabant.*

QUÆSITUM.

Titius Fabio mutuam dat summam librarum decem mille sine Constituti census Contractu, sed per Obligationem, seu permutatæ pecuniæ Litteras, in quibus dictæ summæ adduntur libræ quingentæ, nempe pro sortis fœnore, quod Fabius elapso anno Titio solvit; tum sequenti anno similem edit schedulam, & sic porro quotannis. In hac facti specie nec damnum emergens adest, nec lucrum cessans, quia ponitur tanquam certum non eam profecto mentem Titio fuisse, ut pecuniam suam in ullum alium præter eum, quem ex mutuo percipit, utilem usum conferret.

Quæritur I. An Titius usuram committat, & mortaliter peccet?

II. An possit absolvi, non imposita restitutionis obligatione?

III. An hæc restituendi obligatio transeat a patre ad filios, atque ad hæredes cæteros?

IV. An Titius ab usura liber esset, si tria tantum sumeret pro quoque centesimo?

V. An hi census usurarii legitimi evadant, & peccati mortalis naturam exuant, cum eos quinquaginta vel amplius annorum praxis confirmat?

RESPONSIO.

Theologiæ Doctores subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, I. Titium usuræ reum esse, dum mutua dat librarum decem millia vi puri putique mutui, nullo inito Constitutionis aut alienationis Contractu, sed per Obligationem, seu permutatæ pecuniæ Litteras, additis libris quingentis, quas re ipsa non tradidit, idque ob eam causam, ut mutui lucrum sibi tutum certumque reddat. Diserta sunt in hanc rem divinæ Legis verba. Propheta cap. 18. ejusmodi exactionem *usuram & superabundantiam* appellat, explicans *usuræ* nomen per

supr-

ſuperabundantiæ vocabulum, ut ſignificet, id, quod ſortem excedit, ſuperabundantiam, & quod inde conſequitur, uſuram eſſe. Atque hac quidem ratione Jus Canonicum definit uſuram, ut videre eſt 14. *q. 3. & extra de uſuris c. Naviganti*; idemque pronuntiant poſteriorum temporum Concilia; Mediolanenſe primum ſub S. Carolo, Remenſe an. 1583. Conventus Melodunenſis an. 1579. Concilium Burdegalenſe an. 1583. Meclinenſe an. 1570. Cameracenſe an. 1585. Ex quibus omnibus illud conficitur, graviter Titium peccaſſe, ſi ejuſmodi mutuum uſurarium eſſe cognovit, aut ſi qua ei ſuper hac re ſuborta eſt dubitatio, non dedit operam, ut de rei veritate cognoſceret.

II. Titium, ſi ejuſmodi quæſtum vetitum eſſe ignoravit, neque ad ejus conditionem ſpectavit, ut id noſſet, ut proinde in bona fide fuerit, non eſſe cogendum id reſtituere, quod conſumpſit, ſed ſolum id, quod ſupereſt, quodque ipſum ditiorem efficit. At ſi forte ejuſmodi quæſtus haud ille bona fide percepit, ad eorum, quæ percepit, ſive conſumpſerit, ſive non, integram reſtitutionem eſt adigendus; quod ſi renuat ſatisfacere, abſolutione privandus eſt.

III. Hanc porro obligationem a patre ad filios, atque ad hæredes tranſire, juxta Alexandri III. *Extra de uſuris C. Tua nos* reſponſum hoc: *Tuæ igitur quæſtioni litteris præſentibus reſpondemus, quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt rigiditate cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum.*

IV. Titium ab uſura exemptum non fore, ſi tantum terna annua pro centum ſumpſerit; quia nempe quivis quæſtus, & quodvis lucrum ex mutuo ductum, quamvis minimum ſit, uſuram efficit. Ezechiel cap. 18. nullam majoris, minoriſve lucri diſtinctionem adhibet: *Ad uſuram non commodaverit*, inquit Propheta hic, *& amplius non acceperit . . . Ad uſuram dantem, & amplius accipientem: nunquid vivet? non vivet.* Ut proinde, cum omne lucrum, quodcumque tandem illud fuerit, per illud *amplius* intelligatur, lucrum, quod ex mutuo provenit, uſurarium ſit, & quod inde conſequitur, vetitum. Ita quidem id accepit Agathenſe Concilium relatum 14. *q. 3. Uſura eſt, ubi amplius requiritur, quam datur*; & S. Ambroſius eodem loco: *Quodcumque ſorti accedit, uſura eſt.*

V. Quæſtus hos uſurarios legitimos non evadere, nec pravus eſſe deſinere, cum iis quinquaginta, vel amplius, annorum praxis accedit: *Verbum Dei in æternum ſtat*; neque hinc idem divinum verbum hominum malitia & corruptione mutatur.

Decifum Pariſiis die 17. Aprilis an. 1677.
A. *De Lamet*.

Cenſus ab uſura liber ratione lucri ceſſantis.

C A S U S V.

1 *Lucrum ceſſans eſt titulus legitimus & ſufficiens ad cenſum ex ea pecunia percipiendum, quam Mercator extrahit e proprio commercio, ut amico mutuam det.*

2 *Conditiones, quæ mutuum hoc comitari debent.*

Q U Æ S I T U M.

MErcator, qui pecuniam ſuam emendis telis, aliiſque mercibus maritimo commercio accommodatis impendit, forte fortuna ab amico rogatur, ut ſibi pecuniam det fide ſchedulæ cum fœnore ex Conſtitutionis denario.

Ei rem mente verſanti nonnulli ſcrupulum injiciunt, contendentes lucrum ceſſans non niſi ſpecioſum, & coloratum titulum eſſe, qui ad Chriſtianum hominem a Lege, quæ quodvis ex mutuo lucrum prohibet, eximendum non ſufficit. Teſtantur alii, ea animi præparatione, in qua ille verſatur, ut inter jacturæ metum & lucri ſpem negotiationem ſuam proſequatur, lucri ceſſantis titulum, juſtum & legitimum reddi, & ſatis ejus conſcientiam in tuto poni. Rogantur Sorbonæ Doctores, ut ejuſmodi difficultatem definiant.

R E S P O N S I O.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum cenſet lucrum ceſſans eſſe proprie dictum titulum, qui cenſus ex mutua pecunia percipiendi jus afferat. Hæc Theologorum communis opinio eſt, cujus probationes affert Cabaſſutius in *praxi l. 6. c. 7. n. 4.* Non eſt porro, cur expendatur ea quæſtio, an lucrum ceſſans titulus ſit prorſus ab eo diſtinctus, qui damnum emergens dicitur. Videtur apud D. Thomam 2. 2. *q. 63. art. 4.* damnum emergens in lucro ceſſante contineri. Id enim S. Doctor ut certum ponit, Mercatorem in eo, quod amittit lucri, indemnem ſervandum eſſe debere: *Aliquis*, inquit, *damnificatur dupliciter: uno modo quia aufertur ei, id, quod actu habebat; & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum recompenſationem æqualis; puta ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus; alio modo ſi damnificet aliquem impediendo, ne adipiſcatur, quod erat in via habendi, & tale damnum debet recompenſare ex æquo, quia minus eſt aliquid habere in virtute, quam habere actu.*

Congruit ergo cum veritate propoſitio, cujus explicationem affert Joſeph Rocaphal *tom. 1. l. 3. c. 8. n. 764. Licet deducere in pactum lucrum ceſſans, & illud exigere ſuo tempore, ſi ex mutuo re vera ceſſet, & pecunia expoſita ſit negotiationi, & in potentia proxima ad lucrum, ſervatis quibuſdam conditionibus.* Nimirum I. Ut mutuanti non ſuppetat alia pecunia, qua ad ſuum commmercium utatur. II. Ut initio ſtatim mutuatarium moneat, cenſum, quem exigit, eo ſpectare, ut ſibi compenſetur lucrum, quod ederet, quoque, tradita pecunia, ſe privat. III. Ut non niſi elapſo tempore pecuniæ mutuæ fœnus accipiat. IV. cenſum percipiat pro ratione lucri, quod in commercio facere potuiſſet, deductis tamen deducendis, impenſis ſcilicet & periculis, quæ ab eodem ſejungi nequeunt.

His poſitis, reſpondetur, Mercatorem, qui conſulit, poſſe per ſchedulam ſtipulari cenſum pecuniæ, quam in ſuum commercium confacere volebat, & cujus lucrum moraliter certum erat, explicatis tamen conditionibus in ſtipulatione ſervatis, quia cenſus hic ei loco eſt indemnitatis, quæ legitime ipſi debetur; ut enim eſt in communi proloquio, *nemo debet ſuo incommodo alteri prodeſſe*. Verum Mercator hic, quantum in ipſo eſt, id etiam cavere debet, ne iis ſcandalo ſit, qui legitimum lucri ex pecunia percipiendi titulum, qui ei in hoc negotio præſto eſt, ignorantes credere poſſent eumdem fœnori dare. Debet ergo ſatis ſignificare eam pecuniam ex proprio commercio eductam eſſe.

Decifum in Sorbona die 5. Januarii an. 1694.
G. *Fromageau*.

Proxenetarum, Mercatorum, & Tutorum uſura.

C A S U S VI.

1 *Proxenetæ non poſſunt ſalvis juſtitiæ legibus jus ſuum ultra id extendere, quod Conſtitutiones præſcribant.*

2 *Quandonam Mercatores poſſint carius vendere, ſolutione ad certum tempus dilata.*

3 *Quandonam Contractus poſſit minoris emi, quam valet.*

4 *Tutores & Curatores nequeant pupillarium pecuniarum, quas non niſi mutuas dant, fœnus accipere.*

Q U Æ S I T U M.

I. PRoxenetæ, qui Mercatores ad eos ducunt, quibus vinum ſuppetit, quod vendant, aut qui vini contractus Mercatorum nomine ſtipulantur, accipiunt a vendentibus ſolidos vel viginti pro quoque modio, quamvis Conſtitutiones & Reſcripta eorum ſalarium ad ſolidos quinque taxaverint. Quæritur, idne legitimum ſit, atque an non ſit mortale pec-

se peccatum, quippe cum in terra vineali id ipsis summam haud mediocrem adjunctam habeat?

Ratio, qua Proxenetæ nituntur, ea est, quod vini, cujus negotiationem exercent, sponsores sunt, quod quandoque pecuniam in antecessum erogant, quod denique fieri potest, ut ejusdem jacturam faciant.

Quæritur, an hæc ratio nulla non sit, quia nempe, ut periculum constans foret (quod non ita habet) non qui vendit, sed qui emit, iis solvere teneretur, quoniam in ejus gratiam Proxenetæ pecuniam ante tempus tradunt, & spondent?

Quæritur denique, an qui proxenetici titulo plus quam quinque solidos pro modio referunt, non debeant, quod excedit, restituere; atque an non iis absolutionem denegare debeant Confessarii, nisi se restituturos promittant, aut si, cum promiserint, minime restituerint.

II. Quæ merces certo quodam pretio venduntur numerata pecunia, carius iis dantur, quibus aliquot mensium, trium, quatuor, quinque, aut sex spatium ad solutionem conceditur.

Quæritur, an ejusmodi venditio non sit usuraria? An qui ita vendiderunt, restituere non debeant, quicquid ultra pretium, quo numerata pecunia vendunt, perceperunt? An non eos Confessarii debeant ad restitutionem compellere?

III. Emit aliquis Contractum census, sors est librarum mille, census autem annuus librarum quinquaginta, nec pro hoc Contractu solvit nisi libras octingentas & quinquaginta, percipit tamen libras annuas quinquaginta vi Contractus, quem acquisivit.

Quæritur, I. An hæc emptio non sit usuraria, & mortale peccatum? II. An qui Contractum hunc emit, quicquid integræ Contractus summæ deest, & quicquid percepit ultra id, quod solvit, Venditori restituere non teneatur? III. Potestne a Confessariis absolvi, si libras centum quinquaginta, quas ex sorte sibi retinuit, & census, quos inde percepit, nolit restituere?

IV. Tutor, cui præsto est Minorum suorum pecunia, quam tenetur utilem reddere, potestne tuta conscientia eam cum fœnore mutuam dare? An non id usuræ peccatum, & quidem mortale est?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod ea, quæ proposita sunt, vidit, & expendit, existimat Proxenetas, qui Mercatores ad eos ducunt, quibus est vinum vendibile, plus a Venditoribus accipere non posse, quam quod Constitutionibus, ac subinde Rescriptis est definitum, quippe cum iis prohibitum sit, ne quid amplius accipiant, ut apparet ex Collatione Constitutionum *lib.* 12. *tit.* 21. *art.* 22. ubi occurrunt verba hæc, quæ ex gallico in latinum sermonem ita verti possunt: *Et ne accipiant dicti Proxenetæ salaria sua, præter rationem supra declaratam, & ex Mercatoribus Vendentibus tantum sub pœna librarum decem Parisiensium correctionis. Et pariter dicti Mercatores Vendentes, aliave non amplius solvere debeant sub eadem pœna.* Ex hac porro sanctione liquido constat Legis mens; quippe quæ non modo vetuerit, ne Proxenetæ plus acciperent, verum etiam ne Venditores plus solverent. Quid ejusdem tituli articulo 3. Proxenetæ jubentur, ita se facturos jurejurando promittere: *Item quicumque ad dictum Officium instituetur, jurabit coram Judice se quidem ipsum laudabiliter & diligenter dicto Officio functurum; omnibusque emendi aut vendendi vini causa ad se accedentibus ea consilia daturum, quæ ut optima fore crediderit; nec se petiturum, atque accepturum majus salarium, quam ad dictum Officium gerendum atque exercendum statutum fuerit.* Quod autem in Expositione proponitur ad id, quod Proxenetæ facere solent, propugnandum, pro nihilo habendum est, quia nempe Princeps, qui Legem sanxit, quicquid illi tum ad publicum, tum ad privatum bonum acturi essent, non ignoravit, & id quidem reputans definiit eorum stipendium, cui eos acquiescere jubet, non contentus ad id eos obligare mandato suo, sed jurisjurandi quoque religionem interponens; ut proinde dicti Proxenetæ, cum taxæ terminos prætergressi fuerint, id quod excedit, restituere teneantur, & Confessarii debeant satisfactionis promissionem ab ipsis exigere, & hoc in capite deficientes absolutione privare, quoad, siquidem possint, mandatis paruerint.

Quoad quæstionem secundam. Merces nec possunt, nec debent pluris vendi, quam valent, nec spatium, quod solutioni conceditur, satis justa causa est, quamobrem ultra justum valorem vendantur, quia nempe commercium hoc usurarium foret. Concilium Septimum Mediolanense sub S. Carolo, Concilium Burdegalense, & Gallicani Cleri Congregatio, habita Meloduni an. 1579. titulo de usuris id tradunt expressis verbis: *Curandum*, inquit Congregatio, *ne qui rem aliquam ob dilatam solutionem justa vendat carius pretio*. Si tamen Emptori numerata pecunia non suppetat, qua mercem solvat, credique possit fore, ut quo tempore se ille soluturum promittit, merx carior sit; poterit in hac facti specie Venditor aliquid amplius sumere habita ratione pretii, quod ejus tunc fore censeretur, ex definitione Capitum: *In Civitate, & Naviganti, extra de usuris*, quæ ponunt tanquam certum Emptori non id fuisse consilii, ut mercem suam venderet nisi eo tempore, quo ejus solutionem Emptor promittit. Si enim eam, cum Emptor postulat, vendere in animo habuisset, majus pretium, quam res venditionis tempore valet, accipere non posset. En posterioris Capitis verba: *Ille quoque, qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, & olei mensuræ reddantur; quæ licet plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valitura verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius deputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur, qui pannos, vinum, oleum, vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

Verum quoniam ex Expositione apparet Mercatores, de quibus agitur ea tantum de causa carius vendere, quod solutio differtur, non autem quod suas merces eo tempore, quo majus erit earumdem pretium vendere statuerint, proinde fit, ut ab usura, & quod inde consequitur, a lucri, quod earum justum valorem excedit, restituendi obligatione excusari non possint. Si tamen commercium hoc bona fide inierunt, rati scilicet ita se tuta conscientia facere posse, nec de re moniti sunt; cogendi non sunt id restituere, quod consumpserunt, sed id tantum, quo ditiores evaserunt, ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 100. *art.* 6. *ad* 3. qui hominem Beneficio potitum per simoniam, quam, quo tempore provisiones obtinuit, non cognoscebat, eximit a restituendis Beneficii fructibus, quos consumpsit, & ad eos tantum, quos adhuc retinet, reddendos adigit: *Tenetur*, inquit, *resignare Beneficium, quod consecutus est, cum fructibus extantibus: non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit.* Quod ipsum Civilium Legum auctoritate firmatur, ut licet intelligi ex Lege *Bona fides de regulis iuris*, & ex Glossa Capitis *Gravis, extra de restitutione spoliat.* verbo *fructus: Bonæ fidei possessor tenetur restituere tantum extantes ante litem contestatam, & non consumptos; post litem vero contestatam universos. Malæ fidei autem possessor, non tamen violentus, tenetur reddere omnes, qui probantur ad eum devenisse ante litem contestatam.* Quod Glossa probat ex Jure.

Quoad quæstionem tertiam. Contractus, de quo dictum est, non est usurarius, quia nimirum ubi mutuum nullum est, ibi usura locum non habet. Porro cum hic agatur de venditione, quæ rei dominium in perpetuum transfert, mutui nihil est ac proinde ne usura quidem existit. Injustus tamen est Contractus hic, si census emptus sine magno labore, & sine impensa percipitur; uno verbo si facilis sit census exactio, cum pretium constitutioni respondens minus esse non possit, quam Principis Lege statutum est, qui minore denario censum emeret, non tribueret pretium ejus auctoritate firmatum, qui Legem edidit, quod fieri nequit salva conscientia; at si census non facile exigi posset, vel ob sinistra Debitoris negotia, vel quia eo est animo, ut ægre solvat, ac si ad extorquendam solutionem litigiis & sollicitationibus, hoc est impensis opus esset; census hic minori pretio, quam libris mille emi potuisset, quia lucrum, quod inde percipitur,

non

non est librarum quinquaginta, si deducantur sumptus faciendi, tempusque impendendum, quod est pretio æstimabile. Si tamen census, de quo agitur, esset facile exigibilis, Emptor non solum centum quinquaginta libras, quas minime tradidit, sed lucrum etiam, quod ex hac summa proveniens percepisset, restituere teneretur.

Quoad quartam & postremam quæstionem. Tutor nequit Pupilli sui pecuniam per fœnebre mutuum utilem reddere, quia scilicet hæc usura est, quam Lex divina proscribit. Aperta sunt in hanc rem Mediolanense & Burdegalense Concilia, ut jam diximus, & Cleri Congregatio Melodnni habita, cujus hæc verba sunt: *Cavendam, ac quid ex mutuo, vel depositis etiam apud Judæum factis aliquid præter sortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit, tametsi sint pecuniæ pupillorum aut viduarum. Omnes enim tenentur audire illud Christi: Mutuum date nihil inde sperantes.* Itaque Tutor, qui Minoris sui pecuniam fœnori daret, usuram committeret, quæ suapte natura mortale peccatum est.

Decisum Parisiis die 4. Februarii an. 1678.
Ang. *De Lamet*.

Usura Contractus Pignorativi.

CASUS VII.

1 *Contractus Pignorativus simulatus usurarius est, & tanquam veri nominis mutuum spectari debet.*
2 *Nullum ex mutuo emolumentum percipi potest, nisi in casu damni emergentis, aut lucri cessantis.*
3 *Qui bona fide census ex mutuo percepit, eos restituere tenetur, qui ejus patrimonium auxerunt, non autem eos, qui bona fide consumpti sunt.*

QUÆSITUM.

Titius opus habens libris decem mille ad biennium, accessit ad Sempronium, qui eas ipsi tradidit per Contractum, qui ibidem dicitur Pignorativus, conditionibus hisce vestitus, Titius vendit Prædium suum, cujus pretium centum mille librarum est, ea conditione, ut Sempronius eam ipsi locaret ad biennium cum annuo quingentarum librarum censu, elapsoque biennio Prædii proprietas ad Titium rediret, decem mille librarum summa Sempronio tradita, quam nimirum summam ipse per ejusmodi Contractum dedit. Sempronius per annum cum dimidio potitus est Prædio Titii, qui ejusdem Colonus est, quique pro dictæ locationis octodecim mensium spatio septingentas & quinquaginta libras eidem solvit.

Qua in re quæritur, I. An Pignorativus Contractus hic illicitus & usurarius sit?

II. Si ejusmodi sit, debeatne Sempronius septingentas quinquaginta libras perceptas reddere, facta hypothesi proprie dictum lucrum cessans, aut damnum emergens extitisse?

III. An, si nullum adsit lucrum cessans, aut damnum emergens, atque adeo Sempronius in bona fide fuerit, ratus ejusmodi Contractum permissum esse, sitne ille propterea liber, ad septingentas quinquaginta libras quod attinet, a restitutionis obligatione?

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, quoad quæstionem primam, Contractum hunc usurarium esse, nec alia de causa inventum quam ad palliandam usuram, & censum ex pecunia, quæ non nisi mutua data est, percipiendum. Hoc re quidem ipsa mutuum tantum est, & ex eo juxta divinam Legem nihil emolumenti percipi potest. Etenim liquido constat in ea venditione nullam veri nominis alienationem occurrere, quoniam qui Prædium obtinuit, ei, a quo accepit, biennii spatio Prædium ipsum reddere debet. Præterea pretium librarum decem mille satis evincit eum non nisi ludum quemdam, dolumque esse, quoniam Prædii valor centum mille librarum est; quod si ea veri nominis venditio fuisset eum conditione regressus; pretium debuisset ad justum valorem accedere, quod sane in hac facti specie non contigit; ut proinde Contractus hic spectari non possit nisi tanquam circuitio quædam, eo tendens, ut ex mutuo lucrum, alio quam usuræ minus odioso nomine percipiatur.

Quoad quæstionem secundam; facta hypothesi in hoc negotio proprie dictum lucrum cessans, aut damnum emergens extitisse, id quod perceptum fuit, si lucrum cessans aut damnum emergens non excedat, restituendum non est; at si forte excedat, est restituendum id, quod excedit.

Quoad quæstionem tertiam; facta hypothesi nec damnum emergens fuisse, nec lucrum cessans, bona fides Sempronium quoad census quidem consumptos in tuto poneret; sed id tamen, unde ditior evasisset, restituere deberet.

Decisum in Sorbona die 9. Decembris an. 1679.
Aug. *De Lamet*.

Usura in multiplici facti specie.

CASUS VIII.

1 *Tutores sine usuræ nota nequeunt Minorum pecuniam fœnori dare.*
2 *Parochiarum Æditui ad earum summarum, quas, redditis rationibus, debent, census solvendos damnari possunt.*
3 *Judices, qui census a die petitionis solvendos decernunt, Debitorem, solutione dilata, Creditori damnum afferre præsumunt.*
4 *Duplicis usuræ reus est, qui merces summo pretio mutuas dat, prætendens, ad sex menses se credere, sibique ejus, quod debetur, censum, elapso semestri spatio, adjudicandum curat.*
5 *Thesaurarii Provinciæ nequeunt fœnore mutuari, quique mutuantur, usuram perpetrant.*
6 *Simulata fundi venditio jus non affert super eodem fundo fœnori dandi.*

QUÆSITUM.

Sorbonæ Doctores rogantur, ut dicant, quid sentiant super nonnullis consuetudinibus, quæ in Britanniæ Minoris Provincia obtinent, quasque Confessarii non pauci usurarias censent, aliis quidem eas tolerantibus.

I. Tutores censum percipiunt ex Minorum suorum pecunia, quam mutuam dederunt, quia Sæcularium Judicum sententia Minoribus suis, cum majoritatem attigerint, pecuniam & censum a suscepta tutela reddere jubentur. Illi vero emendis agris, reditibusque, aut ineunda societate pupillares pecunias impendere nequeunt, quia Minor cogi nequit agros, reditus, aut merces recipere; sed sibi vindicat præcipuam summam ipsam, qua ejus inventarium cum censibus continebatur. Ajunt Confessarii certam Tutoris jacturam fore, ni censum percipiat, eumque proinde ab ipso tuta conscientia percipi posse.

II. Senatus Constitutionibus firmatum est, ut Thesaurarii tribus ab expleto officio mensibus pecuniæ ad fabricam pertinentis rationem reddant, elapsoque eo temporis spatio, pecuniæ, quam debuerint, censum solvant. In Parochiis bene multis exigitur ejusmodi census, quamvis illæ ea pecunia opus non habuerint, eademque, si soluta esset, in scrinio mansura fuerit. Contenditur autem censum hunc pœnam esse, quam Debitor neglectæ solutionis causa subire debet.

III. Provinciæ Judices omnes ad unum, eum debitorem ad præcipuam summam condemnant, eumdem simul ad censum a prima juridica petitione condemnant. Condemnatio hæc census percipiendi legitimus titulus esse creditur, id quod magnos abusus gignit; ita quippe Mercator, exempli causa, sex mensium fide mercem vendet, & quidem multo pluris, quam volet; elapso semestri spatio, aget apud

apud Judicem de forte ac censibus, tum vero de forte conticescens cujusque anni censum exiget,

IV. Nonnulli, quibus pecunia præsto est, Mercatorem conveniunt, eique pecuniam tradunt in Commercio collocandam, eo animo, ut summam ipsam sorti committant; sed Mercator nolens sui Commercii rationem reddere, in se summam recipit, annuum decimi denarii censum persolvit, quem illi se legitime percipere posse putant, quia fundum suum in sortem dare in animo habuerunt.

V. Thesaurarii Provinciæ, ut pecuniam, quam ea Regi solvit, anticipent, accipiunt a multis pecuniam, oblata schedula; anno primo nullum fere censum tribuunt; sed annis subsequentibus solvunt aliis denarium decimum, aliis duodecimum, aliis etiam decimumquartum. Qui censum percipiunt, se quidem ex pecunia in Provinciæ favorem Regi anticipata ita lucrari posse contendunt,

VI. Quidam divitiis affluens non mediocre Prædium emit; solvendo impar ab amicis pecuniam mutuatur, curatque, ut in Contractus actu appareat, solutionem ab iisdem peractam esse, id quod eorum sortem in tuto ponit; sed, quoad ille pecuniam reddiderit, iis censum solvit; quamvis nullum ipsi periculum subeant, nec ulli Prædii damno, siquidem corrigerit, obnoxii sint.

R e s p o n s i o.

Theologiæ Doctores subscripti, qui proposita viderunt, & expenderunt, existimant,

I. Tutoribus non licere ex Minorum suorum pecunia, quam mutuam dederunt, lucrum percipere, quia quicquid lucri est ex mutuo, usura est Dei Lege expresse prohibita. Cum porro nihil supra Deum sit, humanæ leges efficere nequeunt, ut unquam liceat, quod ille damnat; præterquamquod cum saniores Theologi doceant usuram naturali quoque legi adversari, non potest ille quacumque demum de causa purgari. Verum illud potissimum animadversione dignum est, facti speciem, de qua in hac interrogatione sermo est, in Concilio primo Mediolanensi sub S. Carolo, in celebri Congregatione Cleri Gallicani habita Meloduni an. 1579. & in Concilio Burdegalensi an. 1583. titulo *de usuris* rotundis verbis proscriptam fuisse.

II. Merito pecuniariam pœnam infligi in eos posse, qui rationem, quam debent, Ecclesiis non reddunt, & Magistratus, qui ad Ecclesiasticorum bonorum conservationem propria auctoritate uti debent, posse eos Thesaurarios adigere ad eam implendam obligationem, qua omnes, qui sunt a rationibus, adstringuntur. Cumque ii, quibus Ecclesiasticorum bonorum cura commissa est, pecuniam, quam præ manibus habent, utilem reddere teneantur; vere proinde pronuntiari potest, ejusmodi Thesaurarios, qui solutionem differunt, in causa esse, ut Ecclesia lucrum non referat; & quod inde consequitur, id ex ipsis non injuria peti posse, quod Ecclesiæ Administratorum studio ac vigilantia lucro fuisset.

III. Judices, qui a die petitionis debitores ad census solvendos damnant, id eo facere, quod eos spectant, tanquam qui Creditorum suorum bona retineant, ipsis invitis, vel quia præsumunt eos ipsis damnum afferre, dum impediunt, ne utiliter iis rationibus, quas leges permittunt, pecuniam impendant. Itaque illi jure optimo has censuum condemnationes pronuntiant, eosdemque census non sine justo titulo Creditores accipere possunt, quia cum ipsis ad tempus pecuniam suam bona fide mutuam dederint, debitores eam minime reddunt, atque ita impedimento sunt, quominus illi ullum inde emolumentum percipiant; quod sane perciperent, si propriæ pecuniæ domini essent, eademque pro arbitratu uti possent. Non eadem porro ejus ratio esset, qui pecuniam eo animo mutuam daret, ut post certum tempus ederetur Sententia, qua debitor mutuatæ pecuniæ censum solvere cogeretur; id enim ei propositum esset, ut ex mutuo lucrum referret, nec ee ipsa vellet sibi pecuniam reddi, sed solum eo se judicio tueri, ut ex pecunia sua lucraretur. Hoc in casu esset usura, lucrum injustum foret, & creditor id omne lucrum debitori suo restituere, & sorti adnumerare teneretur; quemadmodum etiam Mercator, qui justo carius mercem suam eodem animo vendidisset, summque consilium executioni mandasset, ad restitutionem obligaretur ex duplici titulo, videlicet quod pluris, quam valeret, rem vendidisset, quodque ea, qua dictum est, ratione censum percepisset.

IV. Cum nulla veri nominis societas sit in ea, de qua agitur, conventione, in qua non nisi deceptio quæritur circuitione quadam, quæ tamen non impedit, quominus proprie dictum mutuum appareat, consequens proinde fieri, ut emolumentum, quod inde percipitur, divinæ legi contrarium sit, & pura puraque usura, quæ ipsa per se restitutionis obligationem adjunctam habet.

V. Ex hactenus dictis quæstionem quintam facile solvi posse; nempe Subscripti, cum in eorum, de quibus agitur, actione non nisi mutuum sine alienatione comperiant, & secum reputent omne lucrum, quod fit ratione mutui, in sacris Litteris damnari, & universam Ecclesiæ traditionem ab hac sententia ne latum quidem unguem recedere, non possunt excipere, ubi divinum verbum non excipit; adeoque censet ejusmodi conventiones usurarias esse,

VI. Ex principiis, quibus hactenus allata responsa nixa sunt, innotescere, eum, qui lucrum percipit ex pecunia, quam mutuam dedit ad Prædii emptionem, cum nulla adsit alienatio, usuræ se crimine obstringere, ac proinde eos quæstus restituere debere.

Decisum in Sorbona die 28. Februarii an. 1680.
Aug. *de Lamet*.

Usura in Contractu, quo pecorum locatio statuitur salva sorte, & media lucri parte.

C A S U S IX.

1 *Gravis decisio super ejusmodi pecorum locationibus.*
2 *Omnes jacturæ fortuitæ, improvisæ, inevitabiles, quæ in pecorum locatione contingunt, debent in eum cadere, ad quem sors pertinet, & Locatarius non tenetur, nisi forte ejus culpa jactura contigerit.*

QUÆSITUM.

IN Tractu Nivernensi mos obtinet contrarius Consuetudini titulo de pecorum Incrementis, & Locationibus att. 3. ut [illegible], cui locatur augendus Grex, dimidiam subeat ejus detrimenti partem, quod etiam sorte fortuna, non autem ejus dolo, fraude, aut culpa contigerit. Conditio hæc usuraria esse videtur, atque adeo eam ut ejusmodi sugillat Dominus de Sancto Germano in suo Examine generali omnium statuum & conditionum *cap.* 27. de Nummulariorum obligationibus *num.* 24. Quæritur ergo, an hæc conditio in more posita in Nivernensi Tractu, & longo Regionis usu firmata possit hujusmodi Contractus hoc in capite licitos reddere? Ei sane adversatur Consuetudo expressis hisce verbis

Articulo 3. tituli de Incrementis & Locationibus Pecorum ex Nivernensi Consuetudine.

Et Locatarius quidem ita dicto gregi cavere debet, ut si intereat, decrescat, aut pereat debeat ejus dolo, errore, vel culpa, ille damno sit obnoxius; at si id accidat casu, vel ex non prævisis, aut non prævidendis incommodis, ipse minime teneatur, sed commune periculum sit, communisque jactura.

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, Contractum, quo ita locatur Grex, ut decrementi ac jacturæ, fortuito casu, non ipsius fraude, dolo, vel negligentia contingentis Locatarius subeat dimidiam partem, injustum esse, nulloque usu, quamlibet diu-

diuturnus fuerit, firmari posse; quia nempe ex recta ratinne atque æquitate nemo subire debet jacturam rei, quæ in ejus potestate non est; atque ita cum bæc animalia nou iu eorum sint proprieeate, qui ea procuranda suscipiunt, non est, cur in eos rejiciatur jacturæ pars; est hæc regula, quam natura ipsa omnium auimis inspiravit. Hac nimirum de causa Sixtus Quintus testatur in Bulla *Detestabilis* se magno cum dnlore audivisse in usu esse ejusmodi societates, in quibus specioso societatis nomine usura tegeretur, adeoque easdem condemnat.

Mediolanense Concilium primum sub S. Carolo Contractus hos rejicit titulo de usuris in hæc verba: Ne *in societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus, qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit, nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam eu primis fructibus. Neve quidpiam certum, præter sortem, eu fructibus animalium quotannis solvatar. Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo aut negligentia ejus, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno ejus, qui locarit; si autem animalia deatar æstimata, ita ut sors danti salva sit, nihil omnino percipi possit*. Gallicani Cleri Congregatin habita Meloduni an. 1579. in eamdem sententiam loquitur eodem tituln; *In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur custodienda, sive ut operas præstet, omnes casus, etiam fortuiti, sint damno semper, & periculo ejus, qui dederit, nisi accipientis & custodientis dolo aut incuria accidisse damnum aut casum constiterit, nec eu fructibus animalium quicquam præter sortem solvatur*. Concinit Burdegalense Coucilium an. 1583.

Cum ergo constet non modo Mediolanensem & Burdegalensem, verum etiam universam Gallicanam Ecclesiam adeo expressis verbis hoc in negotio mentem suam aperuisse, idemque præstitisse Romanam Ecclesiam tum in Sixti V. Bulla, tum in confirmatione, qua Mediolaneuse & Burdegalense Concilia rata esse voluit; statui proinde potest nullam auctnritatem nccurrere, quæ ejusmodi decisionibus opponatur, & praxes, quæcumque iisdem constitutionibus repugnantes nfferri possunt, non nisi tanquam cum Ecclesiæ doctrina pugnantes spectari posse.

Decisum Parisiis die 29. Januarii an. 1678.
Aug. *De Lamet*.

Usura in Census Contractu.

C A S U S X.

1 *Annui census Contractus ea conditione stipulatas, ut jas adsit repetenda sortis, si qai censam constituit, duobus aanis continuis elapsos eeasus solvere negligat, asurarius est; neque enim venditio est, sed mutuum, ex quo lucrum percipitur.*

Q U Æ S I T U M.

Titius opus habens summa librarum 20000. Sempronium rogat, ut eam sibi tribuat nou siue annui censes constitutione. Assentitur Sempronius, sed ea conditione, ut Titium ad reddendam sortem adigere possit, si dunbus continuis annis censum non snlverit. Quæritur, an tuta conscientia hic Contractus iniri possit?

R e s p o n s i o.

Consilium subscriptum judicat Contractum huuc salvis conscientiæ legibus trausigi non posse; quippe qui nou Constitutinnis Contractus est, sed mutuum, ex quo emolumentum Sempronius percipit, atque ita usuraria couventio est. Non est sane constitutionis Coutractus, quia nempe ad hujus Contractus essentiam pertinet, nt adsit alienatin pretii Census empti in savorem vendentis, quemadmodum etiam alienatio Census in emptoria favorem; ut proinde cum nec frsus extiterit ex parte vendentis, nec periculum ex parte fundi, super quo Census institutus est, emptor non possit uti jure suo nisi in rem, quæ ipsi vendita fuit, quæqne ejus propria per hunc Contractum evasit. Nihil ergo aliud ille petere potest, quam ut sibi Census snlvatur; ac ni id fiat, potest sibi apud Judicem consulere, ut snlutionem obtineat. Cum enim certum sit sortem in Venditoris proprietatem devenisse, sortis ipsius repetendæ justus titulus emptori non adest, quoad census ipse substiterit. Quamobrem Semprnnius coustituti census Contractum cum Titio non iuiit, quoniam sibi repetendæ sortis jus reservavit, si forte duobus anuis continuis sibi census solutus non fuerit, ejusdem fundo integro atque incolumi remanente. Et quod inde consequitur, spectanda est ea Conventio tanquam mutuum, cujus vi Sempronius lucrum refert, id quod usurarium est.

Decisum Parisiis die 15. Octobris an. 1678.
Aug. *De Lamet*.

Multiplices decisiones super usuræ negotio.

C A S U S XI.

Q U Æ S I T U M.

I. Quidam Mercatori dat mutuas 5000. libras, ut eas in negotium suum referat, ea conditinne, ut eas ipse restituat intra quinquennium cum annuis quinque pro centum. Qui hunc Contractum iuivit, accepit auditione Sorbonæ Doctoribus ad conscientiæ Casus decidendos præpositis conventionem eam usurariam videri; nihilominus a proposito non recedit, pecuniam stipulatis conditionibus mutuam dat, eamque, elapso quinquennio, cum censibus recipit. Secutus est ille in boc negotin sententiam nnnuullorum Doctorum, qui ad conscientiæ Casus minime incumbuut, multorum præterea Religiosorum, denique trium Contractuum opinionem.

Quæritur, an ille usuræ crimen conmmiserie, atque an quoscumque percepit, census restitaere teneatur? Quæritur etiam, an opinio, quæ tres Contractus permisit, probabilis sit?

II. Alius lucrum referre volens ex summa librarum 4non. quin eas alienet, accedit ad Cambii Ministrum, qui ei inveuit Thesaurarium; promittit bic se intra triennium sortem & censum pro Regis taxa reddituruum; quæritur, an adsit usura, & an ejus complex sit Cambii Minister; an vero nfficii sui titulo agere possit salva conscieutia, at pecunia fœnori detur?

III. Præsto suut Mercatori 3ono. libræ numeratæ pecuniæ; ille vero pecuuiæ in negntin collncandæ opportunam occasionem baud nactus eam tribuit, accipitque firmas schedulas, quibus intra trimestre spatium libris 3000. respondentibus promittitur solutio denarii quiuti pro centesimo. Quæritur, an ipse eos census citra usuram percipere possit?

IV. Parisiensem hominem ex numeratæ pecuniæ libris quinque mille lucrari vnlentem, easque in societatem aut censum coustitutum conferre renuentem ita Cambii Minister alloquitur; da mihi mutua hæc librarum quinque millia, tibique ego tradam permutatorias Litteras, nt parem summam Lugduni recipias, Lugduni autem aliæ Litteræ tibi tradentur, ut eam recipias Parisiis; ego vero solvam Cambis impensas, & annua quinque pro centum.

R e s p o n s i o.

Consilium Conscientiæ subscriptum censet, quoad quæstionem primam, hunc hominem usuræ crimine se pollaisse, dum mutus dedit Mercatori 5000. libras quincuncibus, quia lucrum reportat ex pecunia, quam non alienavit, ejusque lucri reportandi nullum præterea legitimum titulum nbtinet; nequn asseri potest eum in bona fide versatum esse, quoniam,

niam, ut ex Expositione constat, ejusmodi Contractus tanquam usurarios a Sorbonica Facultate damnari non ignorabat, adeoque satis gravis ei causa erat credendi se in usuram incidere. Tanta ergo auctoritate permotus debebat eorum Doctorum, ac Religiosorum, quibus fidem adhibuit, assertionem æqua lance ponderare, ac saltem animi anceps hærere; cumque agere nemini liceat, eum dubitat, an in eo, quod agit, peccatum sit; qui sane, cum operam non dederit, ut de re cognosceret, nec expendendam prnposuerit dubitationem, quam probabiles utrinque rationes in ejus animo excitare poterant, sumpsit earum 5000. librarum censum, graviter deliquit, & Mercatori restituere tenetur, quicquid emolumenti percepit, præsertim si inde ditior evaserit.

Quod attinet ad quæstionis bujus postremam partem ad tres Contractus spectantem, quibus, ut contenditur, census ex mutuo percipiendi jus confirmatur; respondetur non videri tres Contractus ipsos per se quicquam minus rectum præseferre, cum & seorsim & bona fide transiguntur. At in praxi, & ut fere fiunt, usurarii sunt, quia prope nunquam nisi ad usuram palliandam adhibentur. Consuli potest in haue rem censura Facultatis Theologiæ Parisiensis an. 1657. contra Casuistarum apologiam, ubi damnat eorum sententiam, qui ex pecunia per Obligationem mutuo data, trium Contractuum auctoritate accedente, lucrum percipi posse contendunt.

Quoad quæstionem alteram; Qui libras 4000. fœnori dat, usuram committit; & una tantum bona fides eum in hoc negotio excusare potest, si nempe, causa exempli ignnraverit, ejusmodi mutuationem vetitam esse. Quod attinet ad pecuniæ permutatorem, ille quidem non peccat, dum iis, qui pecunia indigent, instantibus, eos quærit, qui fere fœnori dant, quin nihil aliud agit, quam prava aliorum animi præparatione utitur, ut aliis gratificetur; at in ejus, de quo sermo est, usuræ partem venit, si, ut ei gratum faciat, ejusque pecuniam utilem reddat, inquirit, quinam egestate laborent, mutuamque iisdem cum fœnore pecuniam obtinet. Ita sentiunt Bassæus *v. Usura 6. n. 4.* Bonacina *disp. 3. de contract. q. 3. punct. 15. n. 12.* Sylvester *v. Usura 7. q. 3.* Ita porro postremus loquitur de ejusmodi mediatoribus: *Considerando eos ex parte mutuantium; siquidem mediant pro utilitate accipientium, non peccant, & multo minus restituere tenentur, quia utuntur malo Usurarii ad bonum indigentis. Si vero hoc faciunt pro utilitate Usurarii; peccant mortaliter cooperantes ad usuram.*

Quoad quæstionem tertiam; Mercator, qui, prout expositum est, libras 3000. mutuas dat, hujus pecuniæ censum percipere omnino non potest; ille quippe, si proprie loqui volumus, lib. 3000. ad tres menses dat quincuncibus; eæ schedulæ intra trimestre spatium solvendæ sunt loco sortis, quam dubio procul hac ratione recipiet; eædemque nihil aliud sunt, quam circuitio, ut pallietur usura; atque adeo bona tantum fides in ejusmodi negotiis excusationi esse potest.

Satisfit per hoc responsum quæstioni quartæ. Nimirum permutandæ pecuniæ Litteræ, quæ Parisiis Lugdunum, rursusque Lugduni Parisios dantur, quibusque pecunia ita in orbem agitur, specioso quodam artificio præposteram habendi cupiditatem involvunt, ut conscientiæ fucus fiat, ac ne iis ipsis, qui hoc commercium exercent, ejus pravitas innotescat.

Homo hic re quidem ipsa ex numeratæ pecuniæ libris 5000. quas non nisi mutuas dat, fœnoris loco percipit quinque pro centum. Nulla hic alienatio, nullus adest titulus, qui lucrum permissum reddere possit, & hic affectatus circuitus satis ostendit non adesse bonam fidem, quæ una excusationem afferre posset; atque ita qui libras 5000. mutuas dat, earum censum, aut permutatæ pecuniæ pretium tuta conscientia sibi sumere nequit, quia non est hæc proprie dicta pecuniæ permutatio, sed inventum solummodo quoddam, ut duplici specioso vocabulo absque ullo legitimo fundamento duplex lucrum ex una eademque pecunia percipiatur.

Decisum in Sorbona die 2. Decembris an. 1692.

G. Fromageau.

Usura in maritimis cautionibus.

CASUS XII.

1 *In Commercio, quod per mare exercetur, non potest is, qui mutuatur, citra usuram exigere, ut qui mutuum dat, adversus casus omnes sorti caveat, in futurus universi lucri particeps, nisi mutui contractus in societatis contractum mutetur. Lucrum in societate legitimum est, at cum non nisi mutuo nititur, est usurarium. Explicatio Capitis* Naviganti.

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut definiant, an Contractus ejusmodi sit usurarius?

Coram Notario Regio Rupellæ subscripto adfuit ipsemet Andreas Mercator digna in Urbe degens, qui confessus est se debere Jacobo pariter Mercatori in eadem Urbe degenti, præsenti, & stipulanti, & acceptanti summam librarum trium mille pro æquali summa, quam dictus Jacobus creditor ei mutuam dedit paulo ante præsentes, ex argenteis Luisiis, aliorumque generum nummis, quos ipse æquo animo acceptavit, quosque nnne solvit; declarans dictus debitor se mutuatum esse dictam summam; ut ea uteretur ad solutionem mercium, quibus onerandam curavit Navim, cui nomen Prophetæ Eliæ dictæ Urbis, aptam ferendis 400. onerariis doliis, Navarcho Guillelmo &c. ut, Deo juvante, cum primum ventus arriserit, ut iter instituat Insularum Americæ, ac deinde redeat ad eamdem Urbem, Nannetes, aut Burdegalam; cujus summæ librarum 3000. dictus creditor subibit maritimum periculum, tum quoad iter dictarum mercium, tum quoad eorumdem reditum, amicorum, inimicorum, ignis, venti, naufragii, aliorumque sinistrorum casuum, ex die & hora, qua dicta Navis solvet hoc ipso littore, ubi nunc est, ut dictum iter suscipiat, idque usque ad horas 24. postquam in aliquem ex recensitis locis Navis sospes pervenerit, & redierit; quam summam librarum 3000. cum dictorum periculorum lucro denario decimo octavo pro centesimo dictus debitor se dicto creditori domi suæ in hac Urbe; vel ejus nomine præsentium delatori servaturum & soluturum promittit intra dies quindecim, nec plures post dictorum periculorum finem, sive mercium adsit reditus, sive non; ac si forte, quod Deus avertat, naufragium contigerit, dictus creditor ex iis, quæ servata & reparata fuerint, singulos solidos pro singulis libris percipiet; & in fidem præsentium obligat omnia sua bona, mobilia & immobilia, præsentia, & futura, singillatim vero omnes merces itineri destinatas, reditusque proventum, quin generalis obligatio officiat speciali, vel e converso; renuntians, &c. Indicatum, decretumque.

RESPONSIO.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod propositam facti speciem vidit, existimat, cum certum sit ex veteri novoque Testamento usuram vetitam esse, ut loquitur Alexander III. *Super eo, extra de Usuris*, nullum pariter lucrum ex mutuo quæri posse; atque ita, si re vera Jacobus Mercator Andreæ mutuum dedit, ea mente, eoque consilio, ut ratione mutui lucrum perciperet, & ita quidem animo comparatus fuit, dubio procul Contractum coram Den usurarium esse, nec omnino excusari posse, quia usura essentialiter posita est in lucro, quod mutui ratione fit, ut satis luculenter explicat Ezechiel *c. 18. v. 8.* his verbis: *Ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit*; & versiculo 13. *Ad usuram dantem, & amplius accipientem: nunquid vivet? Non vivet*; & versiculo 17. *Usuram & superabundantiam non acceperit.* Id quod non solum aliis multis sacræ Scripturæ testimoniis, verum etiam universa Traditione firmatur; & ob hanc quidem causam Alexander III. capite laudato nunquam, quocumque demum prætextu, usuram fieri posse testatus est: *Respondemus, quod, cum usurarum crimen*

utrius-

utriusque Testamenti pagina detestetur; super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri; multo magis prohibendus est quis, ne etiam pro redimenda vita captivi usurarum crimine involvatur. Verum in eo vertitur hujus negotii maxima difficultas, an Contractus, de quo dictum est, sit proprie dictus Contractus mutui vi verborum, quibus initus est; ac si vere mutuum sit, an Jacobus mutuans ita stipulatus fuerit, se Andreæ pecuniam non dare, nisi ea lege, ut mutuæ summæ cautio sibi committeretur; an vero, cum ille liberaliter, nullaque apposita conditione pecuniam mutuam dedisset, Andreas optaverit Jacobum sibi 3000. librarum summam cavere. Si nempe veri nominis mutuum fuit, quæstio ex hactenus dictis decisa est, quibus addi potest *cap. Naviganti extra de usuris*, quod in hanc rem disertum est; ut proinde negotium hoc ab usura eximi nequeat: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo quod suscipiat in se periculum, suscepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus.* Quia nempe Jacobus eam Andreæ conditionem imponens, ut sibi librarum 3000. cautio sit, cum lucro decimi octavi denarii pro centesimo, mutuum dat, ut inde lucretur; cumque ejusmodi stipulatio repugnet essentiæ mutui, quod suapte natura debet esse gratuitum, extra omnem dubitationem est Contractum hunc obnoxium fore condemnationi capitis *Naviganti*. Hæc sane eorum, qui inter Canonistas, tum etiam eorum, qui inter Theologos primas tenent, sententia est; docent enim uno ore circumstantias, quæcumque tandem eæ fuerint, efficere non posse, ut quod suapte natura malum est, bonum evadat, nisi eam vim habeant, ut omnem, quæ in re occurrit, malitiam de medio funditus tollant, hoc est rei ipsius naturam mutent. Ita D. Thomas *Opusc. de usuris cap. 7. Nulla potest circumstantia transmutare in moribus de bono in malum, vel e converso nisi quæ tollit de natura sui rationem bonitatis, vel malitiæ.* Quod in causa fuit, ut Gabriel Biel *in 4. dist. 55. q. 2.* explicans Caput *Naviganti* ita statueret: *Talis mutuans non vult mutuare nisi cum tali pacto susceptionis periculi: & propterea gravat debitorem in recipiendo aliquid plus ex mutuo... unde pro regula habendum est, quod si mutuum sit principaliter spe habendi ultra sortem, nullum periculum potest excusare, quin sit usura talis contractus.* Angelus de Clavisio *v. Usura. §. 38. & 46.* Richard. *in 4. dist. 15. art. 5. q. 5.* Rosella *v. Societas*, Armilla *v. usura, §. 8.* ita pariter sentiunt, & postremus quidem præcedentium sententiam ita enucleate declarat: *Mutuat Antonio centum aureos cum pacto, quod Antonius asseveret mutuantem, quod habebit centum aureos, & ultra hoc tot pro centenario, usura est; quoniam ultra sortem vult obligationem talem. Cum hoc tamen stat, ut qui dat naviganti mille ad negotiandum, potest accipere ab eo vel ab alio assecurationem, quod re habebit mille & quinque pro centenario.... Non tamen dum mutuat, debet talem obligationem petere. Cap. Naviganti de usura. Aliud est enim lucrum ex mutuo, & aliud ex negotiatione pecuniæ.*

Sed quæstio, quæ in præsentia discutitur, ea est, cujusmodi tandem Contractus sit; si enim pecunia non tanquam mutua data est, sed ut in negotiationem conferatur, lucrum, quod ex ea percipietur, usuratium censeri non poterit. Jam vero libræ 3000. in Andreæ manu collocatæ non videntur mutui vim, ac rationem habuisse, quia nempe ad mutui naturam & essentiam pertinet, ut si forte mutuata res pereat, ei pereat, cui mutua data est, non autem ei, qui mutuam dedit; & ratio quidem in promptu est, quia cum res in accipientis dominium abierit, ad ipsum proinde pertinet, ita ut ipse pro libito ea uti possit; adeoque qui res mutuas dedit, non easdem numero res, sed tantum alias ejusdem naturæ & qualitatis, ut expressis verbis traditur in *lib. 3. Instit. tit. 15. Quoniam nobis non eædem res, sed aliæ ejusdem naturæ & qualitatis redduntur, inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Quamobrem ex trita regula, *res perit domino*, ille quidem non censetur eam rem mutuam dedisse, cujus jacturæ ipse obnoxius est, quamvis eam alteri dederit, qui ex acceptæ rei jactura periculum nullum subit; id quod confirmat hæc eadem lex *§. 2.* ubi illud tanquam constans, firmumque statuitur: *Qui mutuum accepit, si quolibet casu fortuito, amiserit, quod accepit, veluti incendio, ruina, naufragio, latronum, hostiumve incursu, nihilominus obligatus remanet.* Et in Codice *lib. 2. tit. 2. l. 51. Incendium ære alieno non exuit debitorem.* Et Glossa ad verbum *Exuit*: *& merito; debitor enim mutui genus debet, quod nunquam perit; quod in genere debetur, perire non potest.* Angelus in Summa v. mutuum: *Si res mutuata perit, periculum est accipientis, etiamsi casu fortuito.* Et Jacobus Ungarellus in suis additionibus ad Summam Angeli loco laudato: *Adde aliqua, quæ requiruntur de substantia ad hoc, quod contrahatur mutuum: primum est, quod tempore Contractus agatur, ut non reddatur idem in specie; secundum quod reddatur idem in genere.* Qui ergo non tenetur eam, quam accepit, summam reddere, si forte perierit, non eam habet vi mutui; in hac facti specie versatur Andreas; non igitur asseri potest, Jacobum non semper pecuniæ suæ dominum esse, quoniam si jacturæ casus acciderit, ipse eidem obnoxius est, & res ipsi perit. Ex quo apparet, Contractum, de quo agitur, spectari non posse tanquam mutuum, sed tanquam commercii Contractum; eoque magis quod ea pecunia data est ob emendas merces ad onerandam navim necessarias; adeoque Jacobus, qui pecuniam dat, subit periculum, in quod sortem ipse suam conjicit absque ulla compensationis spe, si quis eorum casuum evenerit, qui in maritimis negotiis sunt propemodum quotidiani; ita Soto *de justitia & jure lib. 6. q. 4. art. 2.* ubi explicat caput *Naviganti extra de Usuris*, ex quo quidem contra hanc sententiam præcipua objectio desumi potest; en ejus verba: *Articulus hic intellectum exposcit Capituli* Naviganti de usuris. *Et quidem tria sunt membra. In primo condemnatur usuræ Contractus, quo quis naviganti, vel eunti ad nundinas pecuniam mutuat, periculum capitalis subiens, ut aliquod sibi ultra sortem rependatur; quæ quidem condemnatio interpretamento indiget, ut verum exhibeat intellectum. Nam ut quæstione 6. in art. de Societate decisuri sumus, nihil usuræ committit, qui pecuniam suam in societatem mittit, ut inde lucrum speret, quod periculum ingreditur capitalis: nam hoc non est ratione mutui, sed quia sua pecunia negotiatur; qui autem naviganti proprio periculo committit suum, non omnino mutuat; quandoquidem si pereat, sibi perit; videtur ergo Contractus ille immerito illic damnari: respondetur propterea condemnari, quia cum mutuatio gratis fieri debeat, nonaliter mutuari, quam mutuatorem ad Contractum asseverationis vel societatis obligando, usura est.... vi mutui non potest aliam cogere, qui forte assecuratione non indigebat, nam nullum forte illic imminebat periculum, sed fingebatur: quod patet ex illa compositione naviganti, vel eunti ad nundinas; namque ad nundinas nulli subsunt periculo, & ideo forte habebatur sermo de navigatione, quæ extra omne fieret periculum.* Sed illud opinioni huic maxime favet, quod Auctores contra sentientes, cujusmodi sunt Covarruvius *tom. 2. variarum resolutionum lib. 3. cap. 2. §. 5. & sequentibus*, & Fagnanus ad *cap. Naviganti n. 17.* haud præcise occurrunt fundamento, quod nos posuimus, mutuatarium scilicet semper teneri aliquid restituere, quod rei mutuatæ omnino respondeat. Itaque caput *Naviganti* merito de iis explicatur, qui periculum, ubi nullum est, supponunt, & volunt mutuum negotii colore tegere, sed re ipsa cum pecuniam dans omne suæ sortis periculum subeat, pecunia ipsa tanquam ad eum pertinens spectari potest, atque ille quidem agere potest de casu lucri, quod ex ejus pecunia percipi potest per commercium, quin usura adsit, quippe cum pecunia ad ipsum pertineat; & hoc in casu, si injustitia existeret, ob lucri tantum, quod fieret, excessum existeret; id quod non proveniret ex traditæ pecuniæ ratione, quæ nempe mutuum non constitueret, ac proinde usuræ, quæ non nisi mutuum consequitur, fundamentum esse non posset.

Quod si tamen qui pecuniam accepit, pure & sim-

simpliciter accepisset, ut ejus dominus esset, & pro arbitratu ea uteretur, quique tradidit, ea tantum conditione tradere voluisset, ut in negotio ea sibi tuta redderetur, atque ita inde lucraretur; in hac facti specie, ut supra dictum, probatumque est, censerentur adesse Contractus duo, quorum unus esset Contractus mutui, alter assecurationis in primo stipulatæ, & sine quo ille initus non fuisset; quo in casu eum mutuum hoc factum esset animo lucri ex assecuratione sperati, difficile proinde illud ab usura eximi posset.

Decisum Parisiis die 28. Novembris an. 1680.
Aug. *de Lamet*.
M. *Charton*. G. *Bouss. Becherel*.

Usura eo prætextu in usu posita, quod hypothecæ non adsint.

CASUS XIII.

3 *Confutatio sententiæ Polonorum putantium fœnore acceptisque pignoribus dare licere, eo prætextu, quod in Polonia sit propemodum impossibile firmas Hypothecas in immobilibus bonis institui.*

QUÆSITUM.

CUm Polonis denuntiatum fuerit, Theologos Gallos de mutuationibus, quæ in Mutuationum Foro peraguntur, non idem sentire, ajentibus aliis usuram in iisdem adesse, aliis negantibus; Poloni ita responderunt. Quid hoc in Regno sentirent Casuistæ vestri, si viderent omnes omnino, ipsosque Presbyteros, & Regulares perinde ac cæteros fœnore acceptisque pignoribus dare? Gallis porro nostris disputantibus, & id usurarium esse contendentibus respondent illi hanc quidem loci consuetudinem esse, ac si absque pignoribus pecunia mutua daretur, dubio procul futurum, ut & sortis & census jactura fieret; pignora quippe tantummodo esse loci hypothecas, ubi in immobilibus bonis tutæ hypothecæ statui non possent. Reponunt Galli: Neu vos mutuum date. Sed qui immobilibus bonis carent, reponunt & ipsi: Cum nos quidem fundum nostrum, qui ex pecunia est, consumpserimus, id quod continget, nisi acceptis pignoribus pecuniam mutuam dederimus, & inde lucrum perceperimus. quis nobis, ut vitam trahamus, eleemosynam tribuet? Ajunt mutuararii sibi rem gratam fieri, & Gallorum opinionem purum putumque commentum esse. Ejus Regni Doctores, atque adeo qui sunt e Societate Jesu, propugnant, cum ibidem non aliæ certæ hypothecæ sint, quam mobilium bonorum pignora, hæc proinde accipi posse, ac ne ii quidem ab ejusmodi pignoribus sumendis abstinent. Quod attinet ad Viros nobiles, est prorsus impossibile eos ad id, quod debent, solvendum compelli, nisi cum ipsis placuerit; quamobrem pignora ex iis accipi necesse est. Nonnulli, quibus pietas ac probitas cordi est, audire cupiunt sententiam & consilium saniorum Doctorum Theologicæ Facultatis Parisiensis, & cognoscere, an eorum placita sint uniformia?

RESPONSIO.

Parisiensis Universitatis Doctores Theologi subscripti, qui propositam facti speciem viderunt, existimant, juxta sacras Litteras, Ecclesiæ Patres, Concilia, Jusque Canonicum usuram absolute damnatam esse, ac proinde ex mutua pecunia lucrum percipi omnino non posse, quippe cum usura nihil sit aliud, quam lucrum ex mutuo. Hac de causa Mediolanense Concilium primum sub S. Carolo titulo *de usuris* ita statuit: *Ex mutuo, vel depositis apud Judæum factis nil præter sortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter sperari possit, tametsi pecuniæ ipsæ sint Pupillorum, Viduarum, aut locorum piorum*. Concinit Burdegalense Concilium an. 1583. celebratum titulo *de usuris, & illicitis contractibus*: *Ne cui igitur ex mutuo præter sortem ex convento, vel ex eo, quod datum est, aliquid amplius accipere, aut principaliter sperare, sive ejusdem generis, sive alterius quomodocumque, etiamsi operæ sint, liceat; etsi pecuniæ sint Pupillorum, Viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, nisi quatenus id jure nominatim permittitur: mutuum enim, ex præcepto divino, debet esse gratuitum*. Gallicani Cleri Congregatio mordicus adhæsit decisioni S. Caroli, ut apparet ex titulo *de usuris* ejusdem Congregationis habitæ Meloduni an. 1579. ubi allatis Mediolanensis Concilii verbis additur in hujus doctrinæ confirmationem: *omnes enim audire tenentur illud Christi: Mutuum date, nihil inde sperantes*. S. Augustinus Populum suum docens ostendit ex sacris Litteris lucrum ex mutuo percipi non licere, quia Deus id vetuit; ita nimirum loquitur Enarratione in Psalmum 36. *Nolo sitis fœneratores, & ideo nolo, quia Deus non vult: nam si ego nolo, & Deus vult, agite: Si autem Deus non vult, etiamsi ego vellem, malo suo ageret, qui ageret. Unde apparet Deum hoc nolle? Dictum est alio loco: Qui pecuniam suam non dedit ad usuram; & quam detestabile, quam odiosum, quam exsecrandum, puto, & ipsi fœneratores noverunt . . . Si fœneraveris homini, id est, mutuam pecuniam, & aliquid plusquam dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud; si plus quam dedisti, expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus*. His ipsis principiis nixus Innocentius XI. hanc propositionem proscripsit: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur ex justitia debitum*, ut videre est in Censura, quam Pontifex edidit complurium Propositionum die 2. Martii an. 1679. quæque refertur ad calcem secundi Voluminis Zerolæ editionis Coloniensis an. 1680. Doctrina hæc adeò in Jure firma est, ut absque ignorantia ac præjudicio in dubium revocari non possit, quoniam æque occurrit tradita in Decreto & in Decretalibus; extat illa ibidem expressis verbis 14. q. 3. & 4. & pariter *extra de usuris. C. Consuluit*, ubi Urbanus III. ex Evangelii ac Legis auctoritate declarat mutuum dari non posse lucri animo, eosque, qui ita lucrati fuerint, restituere cogendos esse: *Verum quia quid in iis casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur, in quo dicitur: Date mutuum, nihil inde sperantes: Ejusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in Lege) judicandi sunt male agere: & ad ea, quæ taliter accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi sunt*. Satis propemodum in auctoritatibus est ponderis, ut appareat Theologos Gallos Ecclesiæ Traditione niti, dum asserunt non posse tuta conscientia, & quin divina Lex violetur, fœnore dari; ex quo sequitur, his regulis ad id relatis, quod in Polonia fieri consuevit, graviter ibidem peccari, cum, non obstante Sacrarum Litterarum præcepto, adversus Traditionis regulas utilitas quæritur ex pecunia per mutuum, & accipiuntur pignora, non solum ut sors in tuto ponatur, sed etiam ut lucrum, quod inde speratur, certum tutumque reddatur; quæ enim ipsa per se mala sunt, nullo unquam prætextu facienda sunt. Satis est in comperto esse ejusmodi res a Deo prohibitas esse, ut evitentur. Deus sibi obedientiam præstari vult, nec patitur adversus Legem suam vanis ratiocinationibus quemquam insurgere. Hac porro decisione non contenditur excludi casus damni emergentis & lucri cessantis, id quod probatur omnibus Theologis & Canonistis juxta hæc verba Glossæ in cap. *Quoniam* 12. q. 4. *Si quis est in mora solvendi, ab eo possunt repeti usuræ, non tanquam usuræ, sed tanquam interesse, ut ff. pro soc. socius qui. Et tunc petantur usuræ judicis officio, non jure actionis. Licite enim potest quis agere ad hoc, ut reddatur indemnis. Extr. de fidejuss. pervenit*. Hæc quoque D. Thomæ sententia est 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. *Dicendum, quod ille, qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo, qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur, sibi, quod debet habere, & potest*

ast esse, quod accipiens mutuum cum sua utilitate, damnum alterius recompensat. Id quod redigitur ad hoc principium, nempe non esse justitiæ consonum, ut, qui mutuum dat, jacturam subeat, eumdemque petere posse, ut a jactura, quam mutuum dans faceret, indemnis servetur. Parisienses Doctores in hoc negotio conformes sunt.

Decisum Parisiis die 8. Februarii an. 1683.
Aug. *de Lamet*.

Usurarii quæstus, quos hæredes restituere tenentur.

CASUS XIV.

1 *In Regione Scripti Juris filiæ, quibus pater moriens non nisi septimam bonorum suorum partem reliquit, non tenentur inquirere, an dictus pater usurarios Contractus inierit.*
2 *Hæc inquisitio ad eum pertinet, quem ille sibi hæredem instituit.*
3 *Si tamen hic hæres in sua portione non inveniret, unde omnes defuncti usuras restitueret, necesse esset, ut filiæ conferrent ea parte, quam in usurarii bonis habuerunt.*

QUÆSITUM.

IN regione Scripti Juris pater, cui duæ tantum erant filiæ, nepotem bonorum suorum hæredem instituit, ac Testamento filiam utramque nominavit ad summam, quæ septima circiter bonorum pars erat, ipsis ex numerata pecunia solvendam. Cum ille diem suum obiisset, audiit filiarum altera patrem suum ex pecunia mutua absque fundi alienatione lucrum percipere consuevisse. Contractus porro hi in regione firmantur, rectique ac validi declarantur a Judicibus, qui eorumdem executionem præcipiunt. Hoc posito, quærit ea filia,

I. An ejusmodi quæstus a patre percepti usurarii sint, ac proinde restituendi?

II. An ipsa ad hanc restitutionem conferre debeat?

III. Quorsum ipsa conferre debeat, ac quid facere teneatur, facta hypothesi ejus sororem, & consobrinum, qui verus ac proprie dictus hæres est, nolle in eamdem restitutionem conspirare, quemadmodum eos nolle vero simile sit?

IV. Quas illa inquisitiones instituere teneatur, ut certo cognoscat, an pater usurarios quæstus perceperit?

Persona porro, cujus nomine fit ejusmodi Consultatio, e vivis excessit. In ejus codicibus inventa sunt verba hæc ipsius manu exarata: Equidem scire non potui, an meus pater pecuniam mutuam dederit ad tempus lucrum percipiens, semperque dominium ac potestatem retinens fundi sui pro libito repetendi; scribant, si opus fuerit, ad . . . . . hujus rei gratia. Ejus quidem hæres ipsa non sum, quamvis mea soror, & ego in ejus Testamento hæredes declaremur, in eo dicitur, ut nobis non nisi legitima nostra pars sit. Illa vero antequam moreretur, mandavit in suo Testamento, ut fieret hæc ipsa Consultatio, ejusque decisio executioni mandaretur; petiitque, ut etiam atque etiam rogaretur R. P. N. . . . Urbis L . . . ut necessarias inquisitiones ederet ad ejusmodi Contractuum ac fœnorum naturam detegendam.

RESPONSIO.

Consilium conscientiæ subscriptum censet, si pater ejus, pro qua consulitur, magnam pecuniæ vim fœneratus est, quin eam alienaret, ac si inde percepti quæstus usurarii sunt, eam ipsam filiam ad restitutionem nullam obligari, bene vero eum, qui ex Testamento ejus hæres institutus est, quippe cum ea filia non nisi legitimam suam partem acceperit. Porro constans & vulgo receptum principium est, legitimam partem ab omnibus oneribus immunem ac liberam esse debere, cum hæres institutus habet, quo satis superque æs alienum solvere, & hæreditatis onera implere possit, nisi in legitima ipsa portione adsit alieni boni pars aliqua, id quod in hac facti specie non apparet. Objici quidem potest, si pater usuris patrimonium auxit, consequens proinde fieri, filiarum quoque legitimam partem auctam esse, easque propterea ad aliquam restitutionem teneri. Sed respondetur, in Juris Scripti regionibus oportuisse, ut filiæ obtinerent legitimæ partis loco paternorum bonorum partem tertiam in capita dividendam. Jam vero illæ septimam tantum partem, & quidem ex pecunia numerata obtinuerunt. Id sane constat ex Expositione, satisque significat eas multo minus accepisse, quam quod ad ipsas legitimæ portionis titulo pertineret. Consobrinus ergo institutus hæres restituere tenetur, & hac quidem de re ille monendus est.

Si ergo re ipsa verum fuerit, defunctæ patrem usurarios quæstus percepisse; si id quoque verum est, eam, cujus gratia consulitur, non nisi legitima sua parte gaudere, & hæredem universo patrimonio frui, excepta parte septima, quæ data est, ut duabus defuncti filiabus legitimæ partis loco esset; liquido constat eas ad restitutionem non obligari.

Majoris tamen claritatis ergo, utque iis, ad quos hæc consultatio pertinet, satisfiat, ad quæstiones propositas singillatim respondetur;

Ad primam; jure optimo credi posse quæstus, quos defunctæ pater percepit, usurarios esse, si re vera ille summas receperit, quas mutuas dederat, quin fundum alienaret. Quamobrem ejus hæredes hujusmodi quæstus mutuatariis restituere tenentur.

Ad secundam; Si hæres institutus non satis haberet ex bonis, quorum hæres evasit, ut usuras patrui sui restitueret, deberent consobrinæ supplere, quod deesset; id enim pro certo habendum est, earum patrem legitime id dare non potuisse, quod ad eum minime pertinebat; ex quo sequitur, eas, si legitimam tantum partem haberent, debere inde sumere, quod deesset, ut restitutionem perficerent.

Ad tertiam; si ea, cujus causa consulitur, restituere teneretur, eam solum usurarum partem deberet reddere, quæ in ejus legitima parte esset; ut proinde si ejus soror, aut hæres aut nollent, aut non possent restituere, ipsa non nisi quoad partem suam teneretur; atque ut res in meliore lumine collocetur, non adest in hujusmodi negotiis obligatio solidaria inter hæredes, sed eorum quisque restituere tenetur prout habet ex alienis bonis in ea parte, quam hæreditario titulo possidet. Hæc Canonistarum & Theologorum communior & probabilior sententia est; ex quo fit, ut nulla adsit hac in re personalis obligatio in tot divisa capita, quot sunt hæredes; ut proinde si quis ex sua parte solvat, aut restituat, pro aliis, qui restituere nolint, aut nequeant, minime teneatur. Aliter porro judicaretur, si Usurarii bona hypothecæ expressæ vel tacitæ quoad restitutionem obnoxia essent, quod in hoc negotio non occurrit. Videri in hanc rem possunt Panormitanus, Pirrhing, Binsfeld, Azor, Molina, Toletus, Cabassutius, aliique Auctores, quos ipsi in medium adducunt. Panorm. *in cap. Tua nos, de usur.* Pirrhing *tom. 5. de usur.* pag. 289. Binsfeld *pag. 392. de usar.* Azor *tom. 3. l. 5. c. 18. q. 11. de usur.* Molina *tom. 1. disp. 332.* Tolet. *l. 5 c. 35. n. 7.* Cabassutius *l. 6. c. 19. n. 2, in praxi.*

Ad quartam, & postremam quæstionem; cum appareat, personam, de qua agitur, ad nullam restitutionem teneri, frustra in quæstionem vocatur, utrum defunctæ pater usurarios census perceperit, nec ne. Nihilotamen secius si id inquiri libuerit, consuli possunt Contractus, quos pater stipulatus est, qui quidem, ut est verosimile, apud publicos Ministros existunt, quoniam ponitur tanquam certum hanc esse consuetudinem in regione firmatam. Inde enim eorum, qui mutuati sint, nomina detegentur, & quorsum usuræ evadant, fortasse compertum fiet. Proprie spectat ad hæredem, ut ne hoc

in capite, & quoad restitutionem, cum monitus fuerit, sibi desit. Tum vero nihil erit, quod perturbationem, ac sollicitudinem afferat.

Decisum die 6. Decembris an. 1705.
G. *Fromageau*.

Quandonam adjudicati census usurarii sint?

C A S U S XV.

1 *Quæstus ex pecunia mutua percipi potest, cum Debitor ad eum solvendum damnatus est, quod eo tempore, de quo convenit, sortem non solverit.*

2 *Si mutuans eo fuit animo, ut censum perciperet, & censuum solutionem per sententiam Judicis obtineret, usura est.*

3 *Cum Judices norunt inter mutuantem & Debitorem collusionem esse, ne dum mutuanti census adjudicent, eum sæpe tanquam usurarium damnant, & puniunt.*

4 *Simplicis mutui lucrum neque ex solutionis exigendæ facilitate, neque ex utilitate, quam inde commercium percipit, purgari potest.*

5 *Qui bona fide quæstus perceperunt, quos Judicum & Confessariorum auctoritate freti permissos putabant, tenentur eos restituere, ex quibus ditiores sunt facti, non autem eos, quos non sine eadem bona fide consumpserunt. At si eos quæstus absque bona fide perceperunt, utrosque restituere tenentur.*

QUÆSITUM.

Rogantur Sorbonæ Doctores, ut super duabus hisce quæstionibus ad quæstus spectantibus dicant, quod sentiunt.

Quæritur igitur I. Utrum lucrum percipi possit ex pecunia, quæ mutua data est juxta Constitutionis denarium ex simplicibus Obligationibus, vel ex Sententiis, quæ nunquam denegantur in Urbe, in qua id moris obtinet, nulla lucri cessantis vel damni emergentis ratione habita, sed ea solum de causa, quod ea consuetudo pecuniæ utili reddendæ aptior, atque adeo commercio utilior est; præterquamquod id probant Judices ipsi, qui harum Obligationum vi quæstus concedunt? Ita quidem in Urbe, de qua agitur, disputatur; ac nemo fere unus est, quin hoc fundamento fretus ex pecunia, quam mutuam dat, suum lucrum percipiat, nullo tactus scrupulo, nullaque conscientiæ sollicitudine perturbatus.

Quæritur II. Utrum mos hic eam agendi rationem legitimam & permissam efficiat, & a restitutionis obligatione eos eximat, qui ita mutuum dedere bona fide nixi Magistratuum auctoritate, atque adeo Directorum, qui ejusmodi praxim permittunt, decisione?

Rogantur Doctores, quibus hanc duplicem quæstionem definire placuerit, ut Decisiones suas firmis probationibus fulciant, quo valeant in ordinem redigere universam Urbem, cujus in hoc negotio præjudicata opinio est, quæque admodum ægre suis se præjudiciis exui patietur.

R E S P O N S I O.

Consilium Conscientiæ subscriptum, quod proposita vidit & expendit, existimat, posse tuta conscientia lucrum ex pecunia ea percipi, quæ per Obligationem mutua data est, quippe cum Debitor ad idem lucrum solvendum Judicis Sententia damnatus fuerit, dum nempe mutuum juxta divinam Legem peractum est, videlicet absque ulla percipiendi lucri spe, ac Debitor renuens id solvere, quod mutuatus est, illudque retinens contra Creditoris, qui solutionem efflagitat, voluntatem a Judica damnatus est ad censum solvendum in pœnam dilatæ solutionis.

II. Non posse tuta conscientia ex pecunia mutua lucrum percipi Obligationum ac Judiciorum vi, cum eadem pecunia mutua data est percipiendi lucri animo, cumque Sententiæ Debitorem damnantes ea tantum mente obtinentur, ut eludantur Constitutiones, quæ gravibus pœnis usurarios quæstus prohibent.

III. Cum Judices, qui Sententias pronuntiant, animadvertunt mutuum factum esse cum conventione & consilio lucri inde captandi, ne dum Creditoribus postulantibus quæstus adjudicent, eos potius acerrimis pœnis afficiunt juxta vigesimum secundum Blesensis Constitutionis articulum.

IV. Neque vero ejusmodi praxis prætextu commoditatis vel utilitatis publicæ purgari potest, quia cum ea praxis usuraria sit, & per divinam Legem prohibita, non potest ipsa Legis vim ac rationem ex præscriptione sortiri, cumque Dei judicio mala sit, nunquam bona fieri potest, quicumque ei color, seu fucus accedat. Hac sane de causa Urbanus III. hanc percipiendi lucri rationem absolute condemnat, eosque, qui eadem usi fuerint, ad restitutionem compellit. Nimirum *l. 5, Decretal. C. Consuluit* ita loquitur Pontifex: *Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex Evangelio Lucæ manifeste dignoscitur: Date mutuum nihil inde sperantes: hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis usura & superabundantia prohibeatur in lege) judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi*. Ex quibus apparet, quamcumque demum speciem lucrum præferat, cum adest animus ita lucrandi, nunquam non coram Deo restitutionis obligationem existere, quamvis possit non existere coram hominibus, qui non nisi ea, quæ parent, vident, ac judicant, illudque semper ut certum ponunt, eum, qui non solvit, ei, qui mutuum dedit, damnum afferre.

Alexander III. idem docet eodem titulo *cap. Super eo*, traditque hanc utriusque Testamenti doctrinam esse, nullamque dispensationem in ejusmodi Legem cadere, vel si Captivis redimendis ageretur. Gallicana Ecclesia ne latum quidem unguem aut transversum digitum ab hac sententia recessit, ut constat ex Cleri Congregatione an. 1579. Meloduni habita, quæ titulo *de usuris* in hæc verba suam mentem aperit: *Quapropter, ut tanto occurratur malo, curandum, ne ex mutuo vel depositis etiam apud Judæum factis aliquid præter sortem a quovis homine percipi ex convento vel principaliter sperari possit, etiamsi pecuniæ sint Pupillorum, aut Viduarum: omnes enim tenentur audire illud Christi; Mutuum date, nihil inde sperantes*. Ex quo facile concludi potest, si ne Viduæ quidem atque Orphani, quæ cæteroquin privilegiatæ personæ sunt, juxta divinam Legem possunt ex mutua pecunia quæstum referre, multo minus cæteros posse, nec Judiciis ac Sententiis, quæ ad id Debitores condemnant, id vitii, quod ex prava intentione lucri ex mutuo percipiendi oritur, purgari posse; *Pro intentione lucri, quam habent..... judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendi*, ut dicitur in Capite *Consuluit* supra laudato.

V. Qui ex mutuationibus lucrati sunt, pecuniæ suæ censum percipientes ex Constitutionis denario per ejusmodi Sententias, quas non alia mente obtinendas curarunt, quam ut se a Constitutione ipsa tuerentur, qui pariter lucrum perceperunt, nulla impetrata Sententia, nixi conventione, quam invicem inierunt, qui denique sine conventione lucrati sunt ex consuetudine tantum usuque loci, ubi ita quidem ausoli; id omne restituere tenentur, unde per injustum hoc monopolium divites evaserunt, cum hoc tamen discrimine quod qui ita bona fide se se gesserunt, & qui se id tuta conscientia facere posse crediderunt, nixi Confessariorum auctoritate ac minime dubitantes non tenentur fructus, quos bona fide consumpserunt, sed eos tantum,

qui

qui ſuperſunt, reſtituere. Ita docet D. Thomas 2. 2. q. 100. *art. 6. ad 3.* atque ita tradit Gloſſa in *cap. Gravis v. Fructus, l. 2. Decretal. de reſtitut, ſpoliat. Bonæ fidei poſſeſſor tenetur tantum reſtituere extantes ante litis conteſtationem, & non conſumptos; poſt litem vero conteſtatam, univerſos.* Quod Jure Civili firmatum occurrit. At qui in bona fide non fuerunt, cum ex pecunia mutua lucrum perceperunt, reſtituere tenentur non ſolum bona, quæ adhuc extant, ſed ea generatim omnia, quæ ipſi perceperunt, quamvis conſumpta fuerint.

Deciſum in Sorbona die 14. Septembris an. 1674.

A. *De Lamet.*

Uſura a Magiſtratu tolerata.

CASUS XVI.

1 *Non licet ex mutua pecunia lucrum percipi, quia uſura, quæ nihil eſt aliud, quam lucrum ex mutuo, ſuapte natura mala eſt, & divinis Legibus, humaniſque proſcripta.*

2 *Nec Conſuetudo, nec cujuſvis auctoritas eam innoxiam ac permiſſam reddere poſſunt.*

QUÆSITUM.

Mercator Catholicus ea in Urbe inſtitutus, ubi Magiſtratus Hæreticus eſt, acceptis pignoribus pecuniam mutuam dans fœnus percipit ſemiſſibus. Ea ſe hactenus ratione tutatus eſt, quod Magiſtratus id lucri permittit, aut ſaltem tolerat, prout vulgo ibidem in uſu eſt. Quæritur, idne coram Deo liceat?

RESPONSIO.

Conſilium Conſcientiæ ſubſcriptum, quod expoſitam facti ſpeciem vidit, exiſtimat, Mercatorem, de quo dictum, nihil lucri ex pecunia, quam mutuam dat, percipere poſſe, quia uſuram committit, quæ communi ſententia eo continetur, ut lucrum referatur ultra ſortem ratione mutui: *Uſura eſt lucrum ex mutuo.*

Porro uſura prohibetur in multis ſacræ Scripturæ locis, divino Jure, & præſertim apud D. Lucam *C. 6. v. 35. Mutuum date, nihil inde ſperantes.* Ac ne textus hic conſilii cujuſdam loco habeatur, Alexander III. In generali Concilio Lateranenſi III. id tanquam Præceptum proponit *cap. ſuper eo de uſur.* in quo quidem diſpenſari non poſſit: *Cum uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur*, & Urbanus quoque III. eodem titulo *C. Conſuluit* declarat hoc D. Lucæ teſtimonium præceptum eſſe, non conſilium. D. Thomas 2. 2. *q. 78. art. 1. ad 4.* tuetur ſententiam hanc, ac fere omnes poſt ipſum Theologi aſſerunt uſuram naturali Juri contrariam, & ſuapte natura malam eſſe: *Reſpondeo dicendum*, inquit S. Doctor, *quod accipere uſuram pro pecunia mutuata, eſt ſecundum ſe illicitum.*

Generalis Congregatio Cleri habita Meloduni an. 1579. rotundis verbis prohibet, ne quid ultra ſortem ex pecunia mutua accipiatur, *etiamſi ſint pecuniæ Viduarum aut Pupillorum.* Et quod mandat, hac graviſſima ratione confirmat: *Omnes enim audire tenentur illud Chriſti: Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Concilium Viennenſe ſub Clemente V. *Clem. ex gravi, de uſuris* jam prohibuerat Judicibus, ne Reſcriptis ſuis uſuram permitterent, eive faverent, idque ſub excommunicationis pœna.

Ad Conſtitutiones Regias quod attinet, non paucæ ſunt, quæ uſuram prohibeant; illæ quidem occurrunt Tomo 1. Collationis Conſtitutionum *l. 4. tit. 7.* Diſerta eſt in hanc rem Conſtitutio Statuum Bleſeoſium art. 202. Inhibemus, & prohibemus omnibus, cujuſcumque ſtatus & conditionis fuerint, ne uſuram ullam exerceant, aut fœnori, & lucro pecuniam dent.

Ex his omnibus inferri poſſunt duo. Primum eſt, uſuram non Civilibus & Eccleſiaſticis tantum Legibus, ſed etiam ſacris Litteris & naturali Jure prohibitam eſſe.

Alterum eſt, nullam fere in terris Dignitatem eſſe, Civilem aut Eccleſiaſticam, quæ lucrum ex uſurario Contractu proveniens legitimum reddere poſſit, quia ſupra naturale ac divinum jus nulla exiſtit humana Lex; ut proinde ſi Judex uſuram tolerat, non id eo faciat, quod eam approbet, ſed ut majus malum impediat, D. Thomas loco citato ad 2. ita reſpondet, dum ait hac ipſa de cauſa uſuram Judæis a Deo fuiſſe permiſſam: *Quod autem ab extraneis uſuram acciperent, non fuit eis conceſſum quaſi licitum, ſed permiſſum ad majus malum vitandum.*

Sanctus hic Doctor addit & illud ad 3. *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, ſi omnia peccata diſtricte prohiberentur adhibitis pœnis.* Quamobrem humana Lex aliquando uſuram permiſit, pergit S. Thomas, non ut juſtam, ſed ut multorum utilitati inſervientem: *& ideo uſuras Lex humana conceſſit, non quaſi æſtimans eas eſſe ſecundum juſtitiam, ſed ne impedirentur utilitates multorum.*

Eodem ad extremum accedit, nullam praxim, conſuetudinem nullam eſſe, qua Mercatoris, de quo agitur, uſurarium lucrum purgari poſſit, dum ſemiſſibus pecuniam ſuam fœneratur, quia praxis hæc, & conſuetudo non niſi Juris humani ſunt, nec poſſunt naturali, & divino juri, cui uſura contraria eſt, anteferri.

Deciſum in Sorbona hac die 13. Novembris an. 1697.

G. *Fromageau.*

Uſurariorum quæſtuum reſtitutio.

CASUS XVII.

1 *Hæredes, qui ſciunt Auctorem ſuum certo quodam ære obſtrictum eſſe, tenentur illud ſolvere, quamvis id iis ille, antequam moreretur, minime ſignificaverit.*

2 *Non tenentur ejus ſummæ cenſus perſolvere, niſi dilata ſolutio Creditori damnum attulerit.*

3 *Hæredes non niſi pro rata hæreditatis ſolvere tenentur.*

QUÆSITUM.

AN. 1662. quidam Dominus ſua Prædia locavit Mævio, cui cavit Flavius; appoſitaque clauſula, Dominus reliquit Mævio, quicquid ipſe carbonis congeſſerat, ea conditione, ut Mævius ei ſolveret cenſum pretii, quo ea congeries æſtimaretur. Præterea Dominus hic Mævii nomine ſolvit bis mille nongentas libras, ea lege, ut eas ſibi redderet intra biennium, vel earum cenſum ſibi ſolveret; quod & Mævius & Cautio acceptarunt.

Mævius occubuit ſolvendo impar, & Cautio non amplius in vivis eſt; ſed adſunt hæredes, e quorum numero unus tantum vere, ac proprie eſt, qui poſſit eam ſummam ſolvere, quæ tamen apud Judicem repeti non poſſet probationum defectu. Hoc poſito, quæritur,

I. An qui conſulit, cum illud alienum æs ſolvere a patre juſſus non fuerit, id tamen facere teneatur, quippe qui norit eo re ipſa patrem obſtrictum fuiſſe?

II. An Dominus pecuniæ, quam mutuam dedit, poſſit cenſum petere, cum nullus Conſtitutionis Contractus extiterit?

III. An qui conſulit, teneatur in foro conſcientiæ univerſam ſummam reddere, ſi alii duo cohæredes partem ſuam ſolvere renuant, contendentes, ſe ad id, titulo deficiente, adigi non poſſe?


RE-

ne ſua injuſtitiæ cauſa eſt, dum ipſa centum nummos aureos fœneratur, & retinet fœnoris loco nummum pro menſe, qui mutui terminus eſt.

Nec refert, mulierem hanc, de quaquæſtio inſtituta eſt, lucrum ex ejuſmodi uſuris non percepiſſe, quippe quæ bonorum communioni renuntiaſſet. Hæc enim objectio vim aliquam habere poſſet, ſi illa egiſſet bona fide, mutuamque eam pecuniam dediſſet, cum ſe male agere minime crederet. Neque vero ipſa inde excuſati poteſt, quod viri ſui juſſa facere coacta fuerit, ne ei diſpliceret. Eum quidem conjagi graviter minitatum fuiſſe ex propoſita facti ſpecie non apparet; præterea ſi quid juſſum fuerit, quod peccatum eſſe innoteſcat, id quidem faciendum non eſt; omnia potius perferantur, quam peccetur, neceſſe eſt, quia, ut docet Apoſtolus, præſtat Deo, quam hominibus obedire.

Deciſum Pariſiis hac die 13. Aprilis an. 1693.
G. *Fromageau*.

F I N I S.



NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Dictionarium Casuum Conscientiæ Prestantiss. Vir. de Lamet, & Fromageau M. S.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, e buoni costumi, concediamo Licenza ad *Antonio Bortoli* Stampator *di Venezia*, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 11. Agosto 1753.

(

(Barbon Morosini Kav. Proc. Ref.

(Alvise Mocenigo 4. Kav. Proc. Ref.

Registrato in Libro a Carte 21. al Num. 142.

Gio. Girolamo Zuccato Segret.

Adi 18. Agosto 1753.

Reg. nel Mag. Eccell. degl' Esec. contro la Bestemia.

Alvise Legrenzi Segret.

IN-



INDEX RERUM,

QUÆ IN HIS DUOBUS VOLUMINIBUS CONTINENTUR.

Prior numerus Tomum, & posterior Paginam indicat.

A

ABBATIÆ.

ABBAS.

ABBATISSÆ.

ABSOLUTIO.

ABSTINENTIA,

ABUSUS.

Quod-

Ejus

CANONICI REGULARES.

CANONICISSÆ.

CANTORES.

CANTUS IN CHORO.

CAPELLA.

CAPELLANUS.

CAPITULUM.

CAPTIVUS.

CAPUCINI.

Cen-

Quid

CRI-

Re-

DOMINI.

DOMINICANI.

DOMINICI, FESTIQUE DIES.

DOMINUS.

DOS.

DOS MONIALIUM.

DRAMMATA.

DUCTOR MILITUM.

E

EBRIETAS.

ECCLESIASTICI.

ECCLESIÆ.

EDITUI.

ELECTIO.

Cura-

Id

EQITES MELITENSES.

EQUITES S. LAZARI.

EREMITÆ.

ERROR.

EUCHARISTIA.

EUTRAPELIA.

EXCOMMUNICATIO.

FU-

FUROR.

FURTUM.

G

GERSON.

GODEAU.

GRADUATUS.

GRÆCUS.

GRANDATUS.

GREGORIUS XV.

H

HABITUATI IN PAROCHIA.

HABITUS.

HÆREDES.

HÆRESIS.

HÆRETICUS.

HOMICIDA.

HOMICIDIUM.

HONESTAS PUBLICA.

HORÆ CANONICÆ.

HOSPITALARIÆ.

I

JANITOR.

JEJUNIUM.

ILLEGITIMUS.

IMPEDIMENTA.

J U B I L Æ U M.

J U B I L A T I.

J U D Æ I.

J U D I C E S.

J U R A.

J U R I S D I C T I O.

L

L A N Æ.

L A B O R.

L A X A T I O.

L E G A T U S.

L E G E S.

Infide-

Ma-

Offi-

OFFICIUM BEATÆ VIRGINIS.

OFFICIUM DIVINUM.

OFFICIUM CANONICUM.

OPERA SERVILIA.

ORATIO.

ORATORIUM.

ORDINATIO.

ORDINES.

P

S. PACHOMIUS.

PAPA.

PARENTES.

PAROCHI.

P A R O C H I Æ.

P A S C H A.

P A S T O R E S.

P A T E R.

P A T R O N A T U S.

P A U P E R E S.

P A U P E R T A S.

P A U P E R T A S R E L I G I O S A.

P E C U L I U M.

P E C O R U M.

P E C U N I A.

P E C U N I Æ P U P I L L A R E S.

P E N S I O.

P E R I C U L U M.

PRÆPOSITUS.

PRÆSCRIPTIO.

PRÆSENTIA.

PRESBYTER.

PRETIUM.

PRIOR.

PRIORATUS.

PRIORISSA.

PROBABILITAS.

PROCESSUS.

PROCURATIO.

PERMUTATÆ PECUNIÆ PROCURATOR.

PROFANATIO.

PRO-

Q

Re-

Nihil

RES INVENTÆ.

RESTITUTIO.

RESTRICTIO MENTALIS.

RETRACTIO.

REVELATIO.

REVOCATIO.

RIGOROSA.

RUBRICÆ.

RUPTURA.

S

SACRAMENTA.

SACRISTA.

SACRISTANA.

SACRISTIA.

SANCTIFICATIO.

SAPIENTES ÆGYPTI FÆMINÆ.

SAPPHIRUS.

SARABITÆ.

Ea.

Reti-

Con-

FINIS INDICIS RERUM.

